
37
16 E
4

Ad usum f. Michaelis Angeli d'Eazidia
Min.ris Obser.tis

MAXIMA BIBLIOTHECA VETERVM PATRVM, ET ANTIQVORVM SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM.

PRIMO' QVIDEM A' MARGARINO DE LA BIGNE, in Academiâ Parisiensi Doctore Sorbonico, in lucem edita.

EINDE CELEBERRIMORVM IN VNIVERSITATE COLONIENSI *Doctorum studio, plurimis Authoribus, & Opusculis aucta, ac historicâ methodo per singula sæcula quibus Scriptores quique vixerunt, disposita.*

IAC TANDEM EDITIONE LVGDVNENSI, ad eandem Coloniensem exacta, novis supra centum Authoribus, & Opusculis hactenus desideratis, locupletata,

ET IN TOMOS XXVII. DISTRIBVTA.

Huic etiam Editioni accesserunt INDICES QVATVOR *præclari, in hac tàm multiplicium Scriptorum vastissimâ collectione verè faces, & vt quis ad ipsorum lectionem introducatur, vtilissimi, imò omninò necessarij.*


I. AVTHORVM ALPHABETICVS, ipsorum ætates, & scripta indicans.
II. CLASSICVS, Authores per materias de quibus egerunt, exactè distribuens.
III. SYNOPSIS appellatus, operum omnium Authorum analysim continens, & argumenta exhibens.
IV. GENERALIS materiarum amplissimus.

Consule quæ de his indicibus in ipsorum frontispicio, circa eorum vtilitatem, & vsum prænotata sunt.

TOMVS QVARTVS,

Continens Scriptores ab ann. Christi 300. ad ann. 360.





LVGDVNI,
Apud ANISSONIOS.

M. DC. LXXVII.

CVM APPROBATIONIBVS, ET SVPERIORVM PERMISSV.



SERIES AVTHORVM, ET OPVSCVLORVM,

QVÆ HAC SÆCVLI QVARTI PARTE I. seu TOMO IV. MAXIMÆ BIBLIOTHECÆ Veterum Patrum comprehenduntur.

EVSEBIVS, *Pamphili* cognomentum sortitus ob initam cum Pamphilo Martyre contubernale suo singularem amicitiam, *Cæsareæ in Palæstina Metropolitanus Episcopus* ab anno Christi circiter 315. ad annum 340. quo obiisse perhibetur, scripsit, præter ea quæ perierunt, historiam Ecclesiasticam, Cronicon; de Præparatione & de demonstratione Evangelica,& alia, quæ grandioribus voluminibus in Bibliothecis reriuntur, hîc tantum, ne pereant, Opuscula 14. repræsentantur ex editione P. Jacobi mundi S. I. fol. 1.

JVVENCVS *Presbyter Hispanus* carmine conscripsit historiam Evangelicam. Extat oc opus, in quatuor libros divisum fol. 55.

S. ANTONIVS *Magnus Abbas*, scripsit Epistolas septem, quæ extant fol. 77. Editus sub ejus nomine Sermo brevis de vanitate mundi & Resurrectione mortuorum à erardo Vossio, extat fol. 85.

PACHOMIVS *Monachus*, *S. Antonij æqualis*, scripsit, Angelo dictante, Regulam Monachorum, quam ex versione Hieronymi habes fol. 86. Extat eadem nonnihil diver- apud Palladium in historia Lausiaca, & in vita S. Pachomij apud Rosveidum, quam nferre poteris. Edita sunt & à Vossio Monita quædam Pachomij, quæ extant fol. 92.

ORESIESIS *Monachus*, *Pachomij æqualis*, scripsit Librum de Institutione Monachom, qui extat fol. 92. Sunt qui eidem tribuunt libellum de sex cogitationibus Sanctom paucis admodum verbis comprehensum, quem vulgavit Canisius tomo 5. antiquæ ectionis.

MACARIVS SENIOR, *discipulus S. Antonij*, scripsit homilias 50. ad Monachos. Extant f. 100. e Machario autem Juniore, ejusque Regula, quæ edita est in historia Reomacensi ag. 24. consule P. Labbe S. I. tomo 2. Dissertationis in Bellarminum pag. 41.

SERAPION *Episcopus Thmueos*, *S. Antonij æqualis*, scripsit Librum adversus Manichæos, ui extat fol. 160.

JVLIVS FIRMICVS MATERNVS scripsit Librum de errore Profanarum Religionum, l. 164. Idem nondum Christianus scripsit Astronomicorum, sive Matheseos libros octo Aldo excusos, qui quia nihil nisi prophanum continent, hîc omittuntur. Vide autem Labbe tom. 1. Dissertationis in Bellarminum, verbo Julius Firmicus, ubi unicum stait utriusque operis authorem.

HERMIAS *Philosophus Christianus* scripsit tractatum quemdam, in quo Gentiles Philosohos irridet. Subiecimus hunc tractatum Julio Firmico fol. 179. Nam quamvis nec ex ractatu illo possit colligi, quo tempore vixerit, nec apud antiquiores, qui de Scriptorius Ecclesiasticis scripserunt, ejus fiat mentio; tamen nihil fuit cur à recentioribus, qui um hoc sæculo ponunt, recederemus.

LVCIFER

LUCIFER *Calaritanæ Ecclesiæ in Sardinia Episcopus*, acerrimus Arianorum adversarius, tempore Constantij Imperatoris fortissimè iis restitit, eorumque factione anno 355 in exilium pulsus est. Etsi autem schisma postea per eum excitatum magnum fidelibus intulit luctum, haud sanè minorem exultationem inferre debent, quæ probant illum ab illo gravissimo casu (dextram porrigente divina gratia) se sustulisse, inquit Spondanus in Epitome annalium Baronij ad annum 362. ubi sanctitatem ejus multis argumentis vindicat, quem locum curiosus Lector consulat. Extant hîc ejus Opuscula edita per Joannem Tillium Meldensem Episcopum cum ejusdem Scholiis, fol. 181.

VICTORINUS *Afer* sub Constantio Rhetoricam docuit, multaque ad scientias prophanas pertinentia ingenij sui monumenta reliquit. Tandem in senectute ad fidem Christianam conversus scripsit, qui hic extant, libros 4. de Trinitate adversus Arianos, fol 253. Hymnos tres cum tractatu de Homousio recipiendo, fol. 294. De Machabæis fratribus carmen fol. 297. Accessit in hac editione ejusdem Liber contra duo principia Manichæorum, fol. 289. & tractatus in hæc verba Genesis, *factum est vespere & mane dies unus*, ex editione Jacobi Sirmondi S. I. fol. 292. Vide de aliis ejusdem operibus P. Labbe tom. 2. in Bellarminum pag. 467.

PHEBADUS, aliàs SEBADIUS, *Agenni in Gallia Episcopus*, scripsit Librum contra Arianos, qui extat fol. 300.

PACIANUS *Barcinonensis, in Pyrenæi iugis Episcopus*, scripsit Epistolas tres contra Novatianos, quas habes fol. 305. Parænesim sive exhortationem ad pœnitentiam, fol. 315. Sermonem ad fideles Catechumenos de Baptismo, ibid. fol. 317.

DIDYMUS *Alexandrinus*, *præceptor S. Hieronymi*, scripsit multa, ex quibus nunc solum extant Libri de Spiritu sancto inter opera Hieronymi. Enarratio in Epistolas Canonicas hîc fol. 320. Liber contra Manichæos fol 338.

S. OPTATUS *Milevitanus in Numidia Episcopus*, claruit sub Valentiniano, & Valentino Principibus, scripsit de Schismate Donatistarum contra Parmenianum Libros septem, quos habes, fol. 341. cum additione ad Librum tertium fol. 369.

VICTOR *Antiochenus* scripsit Commentarium in Marcum, quod posuimus sæculo 4. fol. 370. secuti Peltanum, qui hunc Authorem vertit, & eum ante tempora Juliani Apostatæ vixisse putat, quamvis nobis videatur hic author Juliano posterior; nam in caput 13. Marci ad illa verba, *cum videritis hæc omnia*, citat Joannem Regiæ Urbis Episcopum, quem puto esse Chrysostomum, qui tempore Juliani non nisi puer esse potuit.

TITUS *Bostrensis* sub Juliano Apostata claruit; extant ejus Commentarius in Lucam, f 415. Libri tres contra Manichæos unà cum argumento Libri quarti, fol. 443. Interprete P Peltano S. I. & homilia ejusdem, vel alterius Junioris Titi in Ramos palmarum ibid. fol 474. editore P. Combefis O. P.

S. CYRILLUS *ex Catechescon Magistro* factus anno 350. *Episcopus Hierosolymitanus*, de sua sede sæpè dejectus, sæpè in eam remissus, vixit usque ad annum 386. quo decessit, quinque annis post Concilium generale secundum elapsis, cui ipse cum aliis pluribus C. P. interfuerat, Macedoniumque damnaverat, scripsit Catecheses, quæ extant, f. 477. Interprete Joanne Grodecio, Epistolam ad Constantium Imperatorem fol. 540. Orationem de occursu Domini, sive de Simeone Deum suscepturo fol. 541.



BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM, ECCLESIASTICORVMQVE SCRIPTORVM

Seculum Quartum.

EVSEBII PAMPHILI CÆSAREÆ IN PALÆSTINA EPISCOPI *OPVSCVLA XIV.*

Nunc primum in lucem edita ſtudio & operâ IACOBI SIRMONDI Societatis IESV Presbyteri.

LECTORI.

QVÆ ſe oculis tuis nunc primùm offerunt Euſebij Cæſarienſis Opuſcula, fidei ſuæ, LECTOR, adſertores habent idoneos Codices antiquos, Heriuallenſis monaſterij vnum, alterum Compendienſis. Nec mirum apud te opinor fuerit, librorum iſtorum inter Euſebij opera mentionem à S. Hieronymo non fieri, qui non ignoras illum infinitis voluminibus, quæ ab Euſebio edita teſtatur, pauca, certè non omnia commemoraſſe. At ego vt germanum eius fœtum hunc eſſe non ambigam, Euſebius ipſe perſuadet paucis illis verbis, quæ in Galatam, id eſt, in Marcellum Ancyranum regni Chriſti finem futurum affirmantem diſtringit in libro primo aduerſus Sabellium. Quæ verba cùm ad quinque libros alludant haud dubiè, quibus hanc ipſam Marcelli hæreſim acerrimè confutârat, eumdem vtriuſque operis auctorem perſpicuè demonſtrant. Et optandum prorsùs fuerat, vt in libris ſuis Euſebium ſuâ potiùs linguâ loquentem audiremus: ſed dum Græca prodeant aliquando, ſicubi vſpiam deliteſcunt, ſpem noſtram interim, quod in Irenæo & Origene facere ſolemus, Latina verſione ſuſtentabimus, antiqua illa ſanè & accurata, ſed tanquam ad verbum expreſſa, paulò interdum obſcuriore. Neque nos pigebit ab Epiſcopo, in ſcripturis diuinis, vt Hieronymus ait, ſtudioſiſſimo, quamuis in quibuſdam errârit, quæ recta ſunt ediſcere, quando & Baſilium magnum conſtat, cùm de Spiritu ſancto ſcriberet, ad Amphilochium, & Gelaſium Papam, cùm aduerſus Eutychianos veterum de duabus in Chriſto naturis teſtimonia colligeret, huius quoque ſententias ſuo loco ad fidem faciendam vſurpaſſe.

PALÆSTINVS EVSEBIVS ob multarum rerum peritiam fide dignus.

Baſilius de Spiritu ſancto ad Amphilochium cap. 29.

Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 91.

EVSEBIVS *Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus, in ſcripturis diuinis ſtudioſiſſimus, & Bibliothecæ diuinæ cum Pamphilo martyre diligentiſſimus perueſtigator, edidit infinita volumina. De quibus hæc ſunt.* Εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως *libri 20.* Εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς *libri 15.* Θεοφανείας *libri 5. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libri 10. Chronicorum canonum omnimodam hiſtoriam, & eorum* ἐπιτομὴν, *& de Euangeliorum diaphonia. In Eſaiam lib. 10. & contra Porphyrium, qui eodem tempore ſcribebat in Sicilia, vt quidam putant, libri 30. de quibus ad me viginti tantùm peruenerunt.* Τοπικῶν *librum vnum.* Ἀπολογίας *pro Origene libros 6. De vita Pamphili libros 3. De Martyribus alia Opuſcula. Et in centum quinquaginta Pſalmos eruditiſſimos commentarios, & multa alia. Floruit maximè ſub Conſtantino Imp. & Conſtantio, & ob amicitiam Pamphili martyris ab eo cognomentum ſortitus eſt.*

A E



EVSEBII PAMPHILI
DE FIDE ADVERSVS SABELLIVM.

LIEER PRIMVS.



B Vnt tacentium quæ dicuntur, & dicentium quæ tacentur. Charitas enim non diuiditur, non spernitur. Siquidem & qui tacet per alium loquitur, & qui loquitur per alium tacet. In vno enim corpore non omnia membra loquuntur, os pro omnibus loquitur. Siue igitur omnes loquamur, siue vnus, siue plures, Dominus loquitur, qui dicit, Ego sum, & iterùm dicit, Ego sum. Cùm ergo ipse dicit, Ego sum, tu consentis quia ipse est, vt & tu fias particeps. Dicit Dominus, Ego sum, & nemo dicat quia non est. Dicit pater, Hic est, suscipe & venerare, & filio dicenti, Ego sum, crede. Crede sanè & patre demonstrante quia habet filium. Dicit enim Pater, *Hic est*, quis hic? *Filius meus*, ait. Non tamen vox mea, aut cogitatus meus, sed filius meus, inquit, hic est, filius meus dilectissimus. Non qui contrarius est mihi, sed qui me honorat & diligit. Est enim filius vt filius, & est Filius Dei vt filius. Et cùm sit Dei Filius, tamen non intermittit vnum imperium patris. Si enim alia placerent patri, alia faceret filius, lis & dissensio haberetur, & periclitaretur vnitas imperij. Si autem dicit, *quæ ipsi placent facio semper*, quia ea quæ placent patri semper facit, neque contrarius est, neque dissentit, neque aduersatur patri: sed honorificat & diligit suum genitorem, eique obedit. Scriptum est, Hic est, Ego sum, &, In principio erat, Si enim patrem interrogas, dicit, Hic est filius meus dilectissimus: & non solùm dicit, sed & ostendit. Si à filio requiras, dicit, Ego sum, & hoc frequenter, si Euangelium legis, inuenies dicentem, In principio erat, &, apud Deum erat, &, Deus erat. *In principio*, enim, *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. hoc erat in principio apud Deum.* Et sæpè dicit, Erat, & quidam ne quidem semel contendunt quod est, sed nec semel dixit de filio, Hic est. Sed cùm venit filius vt impleret omnem iustitiam per Ioannis baptismum, quia tempus erat vt signa faceret, & demonstraret virtutem quæ erat abscondita: vt ne quis putaret quia vt homo purus indigens baptismo venit ad baptismum: primus Ioannes vtpote vox non tacet, qui vox quidem dicebatur, homo autem erat. Si igitur Ioannes qui vox dictus non interimit hominem, magis filius Verbum dictus non intercipit Deum. Neque enim Zacharias vocem genuit, neque Elizabeth vocem peperit. Neque Deus verbum id quod ex voce est genuit, sed Deum verbum, quia Ioannes quidem vox vocabatur, homo autem erat, ita & Dominus IESVS & verbum dicitur non visibiliter, sed verbum Deus & apud Deum, non solùm Verbum, neque vna vox ex multis, sed vnigenitus Deus. Quia igitur veniebat vt baptizaretur propter nos, Ioannes antequam appropinquaret qui baptizandus erat, quia vox erat non tacuit, sed clamauit dicens, quid? *Ecce agnus Dei.* Nonne dictum hoc ostendit eum, qui ad baptismum venerat? qui enim videbatur, erat agnus Dei: qui autem occultabatur, sacerdos Dei. Dicit ergo Ioannes, Ecce agnus Dei. Non erat vt diceret filium. non erat vt diceret regem: sed quia desiderabant iusti, & Prophetæ Reges, vt viderent salutem mundi, peccati mortem, corruptelæ necem. Quia enim ista erat expectatio iustorum, quando veniret is qui nollet & resolueret ea quæ per Adam mala inducta sunt, ideò venit & apparuit Dominus. Apparuit autem per corpus is, qui erat naturæ inuisibilis. Congaudens igitur nobis Ioannes & sibi; omnes enim indigebant salute quæ à Domino est, euangelizans & semetipsum & nos, gaudio gaudens ob præsentiam sponsi, Ecce, inquit, quod expectabatur, ecce spes, ecce salus. Spes bona hominibus, assumptum nostrum est corpus, venenum extinctum est diaboli, mortificatus est serpens, fortis enim est qui assumpsit. Ecce quod expectabatur, ecce quod sperabatur, ecce admiratio, soluitur iam peccatum, interficitur mors, pellitur corruptela. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Quid, inquit, ergo laboro in pœnitentia baptizans? quid insudo? baptismum enim quod per Ioannem dabatur, non erat idoneum ad purgationem; quia non remissionem peccatorum poterat Ioannes dare, sed hortabatur ad pœnitentiam. Seruus enim erat, & non poterat donare, soli enim Domino licet sua donare. Quid, inquit, baptizo iam ego ad pœnitentiam? Ecce qui tollit, ecce qui exurit, qui eradicat, qui penitùs euellit peccatum, non vnius, aut quinque, aut sex hominum qui à me baptizantur, sed totius, inquit, mundi. Homo enim non poterat totius mundi peccata tollere, quia omnes homines ex Adam, & non ex Deo. Non quia est aliquis qui non est à Deo creatus per filium, sed omnis homo, quique progenies Adæ est, & non natiuitatis peccatis subiacet. Nos enim in ictu & in exigua hac vita constituti peccamus & lingua & actibus. Qui autem peccatum non fecit, neque dolum habuit in ore suo, vt neque opere, neque sermone peccaret, ipsa iustitia est. Quia ergo iustitia propria non habebat peccata, potuit mundi peccata portare; qui enim ægrotat alium sanare non potest: & qui peccatis subiacet, aliena portare delicta non potest. Qui autem non peccauit, neque scit peccatum, iste sua virtute aliorum assumit & tollit peccatum. Dominus enim baptizatur à Ioanne, & assumit aliorum delicta; assumens autem aufert ea quæ suscepit. Intueris istum visibilem solem qui per Deum factus est? iste sol visibilis certè vnus est ex omnibus quæ per filium facta sunt. Iste ortus sordes continget, & fœtores & cœnum. Et illa quidem quæ habent fœtorem liberat à fœtore: ipse autem se non coinquinat ab his quæ detergit. Si igitur iste sol visibilis qui oritur & occidit, qui non in principio fuit, sed quarto die per filium factus est; si iste sol non repletur ab his quæ contingit, multò magis Dominus iustitiæ qui purgat & emundat, clarificat & illuminat, non contaminabitur ab his quæ contingit: Non potest enim eius natura contaminari. Nihil in eum ingreditur alienum. Quod enim natus est semel, hoc & manet. Nihil defuit vt introduceretur, nihil minus est vt repleatur. Audebo sanè dicere vera, quia nō solùm nihil mali ad additamentum suscipit illa natura, sed nec boni. Si ergo malum non suscepit, quia lumini tenebræ non permiscentur, bonum autem additamento non indiget, quia perfectum genuit perfectus, non est promotio derelicta filio. Non nunc dico, sed nec anteà, perfectus enim est natus, & ideò nihil additamenti accipit, nihil acquirit, perfectus enim est progenies perfecti, omnibus quidem sufficiens donare, ipse autem non indigens, nihil ab his quæ fecit filius accepit, quia anticipans

Marginalia: Matth. 3.17. — C — Ioan. 8. 19. — Ioan. 1. — D — Ioan. 10. 20. — F — Ioan. 1. 20. — G — H

A cipans omnia habet sibi data à patre. Non cum apparuit tunc & filius, non cùm nobiscum tunc & apud Deum, sed quemadmodum in principio erat Verbum, in principio erat, non tamen in nouissimis temporibus, in principio, non tamen post sæcula quæ per ipsum facta sunt. In principio ante omnes apud Deum, ante cœlos: non enim necessarios habebat cœlos ad habitandum; siquidem nec tunc cùm factum est cœlum ad vsum factum est Dei, sed ad beneficium ipsius cœli, & eorum qui sub cœlo sunt creatum est cœlum. In principio erat, serua quod erat. Si enim & tu non dixeris, Erat, ille quidē manet quod erat, tu autem fraudaueris vt sis. Non enim ex his quæ diximus efficiuntur negotia rerum: sed si confessi fuerimus vt se res habere videntur, saluabimur. Si autem delirantes non vt se habet negotium locuti fuerimus, ipsæ quidem res manent, nos autem iudicabimur. Erat, & erat & erat. *In principio erat Verbum*, (Ioan. 1.2.) ecce semel erat, *& Verbum erat apud Deum*, & iterùm, erat, *& Deus erat Verbum*, ecce tertiò erat. *Hic erat in* B *principio apud Deum.* Post quatuor has voces adhuc dubitas quòd erat? & iterùm. Vita erat, & vita erat lux hominum. Si dicit Euangelista, qui ex pectore Domini hauriuit Erat, & hoc frequenter, ex his quæ sæpè dicta sunt ne quidem vnum tenes, & quem lædis? ille enim erat, est, & non cessauit vt sit. Tu autem non eris eius, nisi fueris confessus quia erat, & est & erit, & nunquam cessauit vt non sit. Principium Euangelij dicit, Erat, & tu statim dubitas, necdum cœpisti legere, & offendisti. Euangelista ab Erat cœpit, & tu Erat interimis? Necdum legisti, & contradicis. Erat in principio ante omnes, bonus enim est pater, & non est diuisus generans filium, potens est, & non erat ei impossibile impleri suam bonitatem. Tempora enim & sæcula & spatia deorsum sunt. Noli computare vnigenitæ illi naturæ aliquid, nihil ex his quæ facta per ipsum sunt, sed confitere patrem non natum, & alium non natum quærere noli, quia nec inuenies. Confitere filium vnigenitum na- C tum à patre, & alium filium ne quæras, sed eum qui est vnus vnigenitus, qui ab vno est patre, à solo solus, ab vno vnus. Nihil enim æquale est vnigenito, nihil simile filio, nihil ei comparatur, nihil æquatur. Omnia eum adorant, ob honorem vtpote eius qui genuit, non est vnus ex his quæ per ipsum sunt, non est ex hoc mundo, sed & mundus per ipsum. Non cœlum cum filio, sed & cœlum per filium. Quid opus est partibus exhibere naturæ? *Omnia per ipsum sunt, & nihil sine ipso*, & tertiò, Quod factum est ipsum. Noli dicere hominem, ne irascatur qui genuit. Ioannes Euangelista, si tamen Ioannes, & non qui per Ioannem, scripsit de filio, scripsit & de Ioanne Baptista. Subinterroga igitur quemadmodum de Deo loquitur Euangelista, & quemadmodum de homine. *In principio*, inquit, *erat Verbum*, hoc de Deo filio dixit. Dicit & de Ioanne, *Factus est homo.* Lege illa, sublege & ista: & inuenies quomodo de Deo filio loquitur, & hominem exponet Ioannes. In principio erat Verbum de filio dicit. Factus homo de Ioanne D ponit. Et Verbùm erat apud Deum, & Deus erat Verbum (Ioan. 1.) de filio loquitur. De Ioanne autem, *Non erat ille lumen*, & iterùm de vnigenito ait, *Hic erat in principio apud Deum.* De Ioanne autem, *Hic venit ad testimonium.* Iniuria quippe est, & præponere vnigenitum seruis suis. Nam & quod dicitur nihil ei comparatur aut æquatur, non est magnum, sed egenis etiam parua sunt magna. Non est enim vnus ex Prophetis filius, sed per quem omnes Prophetæ, non vnus ex regibus, sed per quem omnes reges, non vnus ex iustis, sed ipse iustitia, non vnus ex seruis, sed filius, non vnus ex omnibus, sed per quem sunt omnia, non ex his qui assistunt & ministrant, sed qui sedet ad dexteram patris; non ex his qui iudicantur, sed qui suscepit omne iudicium iudicandi. Non quando apud nos tunc & apud patrem. Tunc enim hoc dictum intercidatur. Ad nos enim dispensans venit: tunc quando vt ouis, quando vt agnus Dei. In principio autem erat Deus apud Deum: nam & cùm apud nos, Deus nobiscum Emmanuel. non alius apud patrem, alius autem

E nobiscum, & alius erat manens siquidem in figura Dei constitutus istam nostram figuram serui accepit: non ab illa recedens istam honorauit: non ab illa exiens, nos saluauit, non reliquit pastorem, & accepit ouem. Quemadmodum enim qui non manet quod erat, poterat accipere quod accepit? Non erat possibile saluare homines homines, quia homines subiacemus & propriis peccatis & clade, tenebat sanè maledictum mors & corruptela, & vt tyrannus regnabat diabolus, & bacchabantur dæmones. Consuetudo autem magis nostra vincula constringebat. Bacchabatur enim in nobis & libido & tenebat concupiscentia, & adorabantur omnia, & quia adorandus ignorabatur, offensiones erant nobis omnia. Nam & sol non illuminabat, sed & ipse nobis erat offensio. Venit autem per quem sunt omnia, non solùm nos liberauit, sed & ipsum solem ab ignobili isto honore liberum fecit. Liberauit sanè lunam à calumniis, & purgauit stellas vt non adorarentur. Si autem quidam adhæc vsque contendunt, reliquia malo- F rum commemorantium beneficium. Nunc igitur & aurum est mundum. Nunc & argentum ad id quod creatum est vtile. Nunc æramentum æramentum est, & ferrum ferrum, & lapis lapis, & signum signum est, & Deus Deus. Nunc dæmonibus increpatur vt decet, & non adorantur vt non decet. Venit enim rex & extinxit tyrannum, & agnouit ouis pastorem, & fugati sunt lupi. Quis sanè venit? vtique is qui erat in mundo. *In mundo*, inquit, *erat*, si quidem nihil vacuum ab ipso etiam ante aduentum eius erat. Quia enim non cùm apparuit tunc & venit, sed erat latens, apparuit qui erat latens. Non sunt ista mea, sed Euangelistæ. Ait enim, *In mundo erat.* Sed parùm visum est ei qui dixit, In mundo erat, & ideò repetit sermonem religiosè, & dicit, *& mundus per ipsum factus est.* Vt autem non esset contemptus, qui ait, In mundo erat, dixit etiam quia ante mundum erat, & ait, Et mundus per ipsum factus est. Hoc significat quod ante mundum erat. In mundo, inquit, erat. Quomodo in mundo erat? *Erat*, ait, *lumen verum qui illuminat omnem hominem venientem in* G *hunc mundum.* Vt autem non diceret, venientem, ita quasi non esset in mundo, & putares quia venit quidem qui non aderat, ideò tutans istam suspicionem addit, In mundo erat. Et ne iterùm putares quia cum mundo factus erat, repetit & dicit, Et mundus per ipsum factus est. Si igitur per ipsum factus est mundus, erat vtique filius antequam fieret mundus, quia ab ipso factus est mundus. Denique etiam ab ipso filio audi, *Da mihi*, in- (Ioan. 17.4.) quit, *pater gloriam, quam habui apud te antequam mundus fieret.* Quomodo ergo, inquir, erat in mundo? In mundo erat, & ad mundum venit. Quemadmodum autem etiam illud accipis dictum, *Dominus regnauit?* Rex (Psal. 91. 96. 98.) enim est indeficiens, non nunc quidem rex, aliquando autem non, nec posteà non. Quemadmodum ergo dictum est, Dominus regnauit, prout diceret, Homines regnati sunt, aut regnauerunt. Non enim ille accepit quod non habebat, sed nos digni iterum iudicamur eo à quo excidimus. Nos itaque regnamur, & iste regnat. H Non nunc assumens imperium, sed nos liberamur a tyrannide. In mundo, inquit, erat. Si in mundo erat, quomodo venit in mundo? Apparet in mundo. Quid ergo non vadit ex mundo? Dicit enim, *Adhuc modicè lumen* (Ioan. 12.35.) *vobiscum est. Vado ad eum qui me misit, quæritis me, & non inuenietis.* Nunc vadit, & relinquit mundum. Sed iterùm ipse dicit, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad con-* (Matth. 28.20.) *summationem sæculi.* Aderat ergo, & antequàm adueniret, adest etiam postquam perrexit. Intuere ergo quemadmodum in mundo erat inuisibiliter. Nam id videntibus Apostolis, & nobiscum est vsque ad consummationem sæculi: incorporalis enim natura locis non circumscribitur. Sed posteaquam assumpsit corpus, non vt recluderetur assumpsit, saluare enim venit, & non minùs exaltare, & non humiliare, non quia non se humiliauit, humiliari enim dico, decidere cum à sua dignitate, sed potiùs abscondere suam dignitatē. Si enim ipse decidit ab eo quod erat Deus, nos non vtique reuocauit ad eam ex qua

A cecidimus. Saluare igitur venit Dominus, non tamen amittere quod habebat. Fecit benè ipse manens in quo erat, non natura excidens sua, sed misericordia vtitur patris. Quid ergo propositum erat nobis dicere, quod solùm ei conuenit dici, solùm autem conuenit dici, quia est pater verè, est & filius verè, est & Spiritus sanctus. Non otiosi sermones, non vacua verba, sed natura vera. Pater non natus, & solus non natus, & filius vnigenitus, & solus vnigenitus est. Spiritus sanctus qui à filio secundùm patris voluntatem mittitur. Vis autem edoceri quia hæc verè dicuntur? Venit Dominus ad baptis-
Matt. 3. 17. mum Ioannis, & videbis qui est qui dicit, *Hic est filius meus dilectissimus, in quo mihi benè complacui.* Quis dicit hæc? vtrique pater de Deo, qui videbatur vt homo. Qui dicit ergo, pater est, de quo testimonium erat filius est. Spiritus in specie columbæ. Et qui vt homo apparebat, & qui in homine habitabat, & qui in corpore
Ioan. 16. 7. erat, testabatur & dicebat. *Expedit vobis vt ego vadam. Si enim, inquit, ego non iero, spiritus non veniet, cùm ego*
B *iero, rogabo patrem meum.* Non tamen me & alium aduocatum mittet pater ad vos. Qui vadit, & qui rogatur, & qui mittitur, non Dij dicuntur. Vnus enim est Deus à quo sunt omnia, & vnus Dominus IESVS, per quem sunt omnia. Sed vnus Deus non natus, & vnus vnigenitus Dominus natus à Deo est. Si enim non natum & non natum dicerem, aut vnigenitum & vnigenitum, tunc asseuerarem id quod non dicit Ecclesia. Quid
Matt. 3. 17. ergo dicit pater in Ioannis baptismum? *Hic est filius meus dilectus, in quo benè complacui.* Sufficit à Deo & semel audire, sed non dicit semel. Siquidem & in monte cùm fuisset Dominus transfiguratus præsente Moyse &
Matth. 17. 5. Elia, eadem repetit & dicit. *Hic est filius meus dilectissimus in quo benè complacui, ipsum audite.* Nam & Ioan-
Ioan. 1. 33. nes similia fatetur & dicit, *Qui misit me baptizare in aqua ipse mihi dixit, In quem videris spiritum venientem hic est.* Si igitur Euangelista dicit, Erat, Baptista autem dicit, Hic est, & Spiritus testatur quia ipse est, & pater
C demonstrans dicit, Hic est, & filius dicit, Ego sum, & dæmones dicunt, Tu es, quæ procacitas ista est vt non credat? Aut enim patri crede, aut filio obedi, aut spiritui consenti, aut cum prophetis concorda, aut cum legislatore confitere, aut certè cum dæmonibus noli ne-
Luc. 4. 34. gare. Illi enim dicunt, *Scimus te qui sis*, & non cessant confitentes. Quotiescumque enim nominaueris dæmonibus filium Dei affixum cruci, trementes statim voce prima confitentur. Est enim filius, & manet, & regnum eius non habet finem. Sed finem habeat os illius qui dixit, quia regni eius est finis. Patrem enim qui genuit non pœnitet de bona progenie, non deuorat suum filium. Irridemus fabulas gentium, & iterùm easdem induci-
Marcellus Ancyranus. mus: non nos, sed qui ausus est Galata. Deus enim non vocem genuit, sed filium: non sermonem, sed vitam: non dictum, sed Deum. Apud Deum enim, non in ore Dei: ad dexteram Dei, non tamen qui in voce est. Iudicem eum qui viuificat, verum lumen, iustitiæ solem. Lumen autem non tale quale & apud nos, nihil accipiamus vi-
D sibile ad exhibitionem inuisibilis. Non mihi isthic fontes adducas in medium, non solem & eius lumen. Quæ enim per filium facta sunt, non comparantur filio. Hoc enim lumen non est solis, sed efficientia solis: hoc lumen non habet vitam, filius autem vita est, hoc lumen non aperit oculos cæcorum, sed his qui creati sunt præbet videre. Sed ne quidem hoc à se, sed ab eo qui indulsit. Hoc lumen in tenebris non lucet: tenebræ enim eum non comprehendunt. De illo autem lumine dictum
Ioan. 1. 5. est, *Lumen in tenebris lucet, tenebræ eum non comprehenderunt.* Hoc lumen non pascit, non transfert aquam ad vinum, hoc lumen non suscitat mortuos, sed otiosum est mortuis, & non quia commune est nomen putas quia & communis natura est. Hoc lumen aut in primo die, aut cum sole in quarto, quemadmodum quis putauerit die quarto est factum. Filius autem non in primo die, neque in quarto, neque in totum in die, neque in hora, neque in temporibus, neque in sæculis. Hæc enim per filium, non tamen filius in his. Non enim à communione hominum confun[...]re debemus differentiam naturæ. E
Hoc lumen per illum lumen est. Non ergo comparemus insimilia aut similia. Neque fontes & meatus fontium, & riuos & fluuios, quia non defluit pater, sed manet vt erat. Ipse est enim qui est. Neque passiones oportet adiungi impassibili patri, quia non diuiditur, non scinditur, non separatur, sed manet & generat. Generat autem vt ipsum decet nosse, & nos adorare. Noli dicere quemadmodum, neque quæras generationem illam, quam nullus enarrat, nullus scit, nullus nouit. Cede & confitere infirmitatem tuam. Obumbret te Christus. Si enim tu quomodo natus es nescis, quemadmodum qui de te ignoras, de patre & filio aut quæris, aut nosse te putas? Quid ergo non debemus confiteri Deum & filium? Confitere ea quæ de patre & filio scripta sunt, & noli curiosus ea quæ non sunt scripta requirere. Dicitur, *In principio erat*, & quis audebit reprehendere? Si autem & reprehenderit te, semetipsum lædit. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hic erat in principio apud Deum.* Et sæpiùs ista di- F
cantur, & nihil conquæratur noui. Vtinam autem solùm legeremus! vtinam solis scripturis contenti essemus! & lis nulla fieret. Si enim quis litigat, vel contradicit, iurgatus fuerit his quæ scripta sunt, non ad hominem litigat, sed ad Deum qui scripsit. Vnde autem efficitur lis? cùm ea quæ ex corde sunt proferimus. Puto enim quia nullus est ausus iurgari ad Deum. Ea quæ scripta sunt lege, & nullus iurgabitur. Pater statim vt dictus fuit pater, requirit ista vox, filium. Dicitur filius, & in eo ipso dum dicitur, pater confitetur. Non enim vacua vox est pater, sed exhibens naturam filij. Non vacua est vox quæ dicit filium, sed præcedens confitetur patrem, non temporibus, non spatiis, sed dignitate & honore. Pater diligit filium, diligit & diligitur. Vnde lis ista est non inuenio. Illic pax, & isthic iurgia. Illic dilectio, & hîc contentio. Si diligimus patrem, imitemur pacem quæ illic est. Si diligimus filium, non est dissensionis Deus. Nosti, doce: ignoras, edocere. Lis enim neque docet, G
neque docetur. Quod comprehendis hoc quære. Inuenisti, gratias age. Nosti, trade. Ego autem scio quia nescis. Vnde scio quia ego nescio. Vnde hoc quia ignoro. Verax enim est qui dixit, *Nemo nouit.* Secundùm istam Ioan. 1. 18.
igitur vocem, omnis quicumque se dicit scire mentitur. Sed fortè dicis, Dei sumus, & non scimus quantum & pertingimus, hoc solùm quia est: non tamen qualis & quantus est. Quia igitur est scimus, non tamen qualis. Non enim nostrum est mensurare immensurabilem, non nostrum comprehendere incomprehensibilem. Cùm enim memoria de Deo est, mens religiosa intremescat, intremescat & lingua. Non quia durus Deus, sed supereminenti bonitate est timendus. Sol iste obscurat oculos, non quia obscurus, sed quia multùm est clarus. Et Deus timendus, quia multùm est bonus. Cogita apud te qui sis humilis. Non enim audisti eum dicentem, *Vos ex inferioribus estis, ego autem de superioribus sum.* Nam Ioan. 8. 23.
quantum cælum à terra distat, tantum & à nobis Deus. Et certè scriptum est. *Quantum distat cælum à terra, tantum viæ meæ à viis vestris.* Vt ad nos vox hæc dicta est H Esa. 55. 9.
benè. Non enim hæc est mensura distantiæ, quia neque comparamur, neque æquamur, neque in quo minùs sumus. Non nos solùm, sed nec Angeli, aut Archangeli, aut Virtutes, aut Dominationes, neque aliud aliquid, sed omnia relinquuntur ab vnigenito, ipse autem soli vni nato non cedit. Non sumus Iudæi, confitemur enim filium. Non sumus gentiles, quia non dicimus multos patres. Non sumus hæretici, scimus enim Spiritum. Sed quid sumus? Sponsa viuentis sponsi per Christum nos sumus. Si ergo nos qui per Christum sumus, putas quia ipse non est, ea quæ per ipsum sunt manent, & ipse finem habet, vt quidam insaniunt. Non enim acquirit aliud, quod non est, non assumit, sed & quod est abscondit, hoc enim significat, *Da mihi pater*, sed non aliquid Ioan. 17. 5.
nouum petit, sed *quod habui*, inquit, *apud te da mihi.* Non enim habes, ô Domine quod habebas? Sed quia inquit absconsa est mea species: quia non apparet mea gloria.

A gloria. *Glorifica*, inquit, tuum filium. Et quid reſpondit pater? *Glorificaui.* Si igitur glorificauit, quid quærit glorificari? Sed dicit pater, *Et iterum glorificabo.* Si iam glorificaſti, quomodo iterùm glorificas? Num addes quoniam ab initio genuiſti? Non addo, ſed & per corpus oſtendo mei filij gloriam. Genui, glorificaui, & iterum glorificabo. Palam inquit facio quod erat abſconſum. Nam & Apoſtolus dicit: *Et ſuperexaltauit eum, & dedit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen.* Non mercede, vtpote obedientiæ. Scriptum enim eſt quemadmodum obediuit vſque ad mortem, mortem autem crucis. Et ideo inquit Deus ſuperexaltauit eum. Si quis autem durè legerit ſermones, fortè putabit iſtam ſuperexaltationem mercedem eſſe obedientiæ. Ita putas, ſed non te permittat ita ſentire qui hæc dixit. Ait enim, *Qui aſcendit ipſe eſt & qui deſcendit.* Ergo exaltauit eum qui deſcendit. Non tamen à deorſum ſurſum adduxit. Sed eum qui deſcendit, iterum ſurſum aſſumpſit. Aſſumi dico,

Ioan. 12. 28.

Philip. 2. 9.

Epheſ. 4. 10.

B non quia mundus fraudabitur à præſentia vnigeniti. Non poteſt mundus ſine gubernatore ſaluari. Non poteſt mundus ſtare ſi receſſerit vnigenitus. Sed fortè dicis. Non ſufficit enim pater? Non quia non ſufficiebat pater, ideo genuit filium: ſed quia non ſufficiebant ea quæ facta ſunt ſufferre non nati virtutem, ideo per mediatorem loquitur. Quare, qui non poteramus propinquare non noto, per viam igitur hortatur, & per ianuam vocat, & per lumen adducit. Mediator autem filius, & ponitur lex: mediator filius, & loquuntur Prophetæ: mediator filius, & prædicatur teſtamentum nouum & impletur vetus: mediator filius, & fiunt Angeli: mediator filius, & creantur Archangeli: mediator filius, & creator omnis naturæ, & gubernator, & ſaluator. Non enim creauit & dimiſit: quia non ſine prouidentia ſunt quæ ſunt. Non eſt fatigatus faciens. Neque vt volatilia vt piſces generant quidem, relinquunt autem. Et certè nec iſta generant & dimittunt: ſed habent diligentiam & paſcunt. Si igitur iſta ita, multo magis

C per quem creata ſunt omnia, per iſtum omnia & gubernantur & paſcuntur, non vacante patre, ſed annuente, adnuente autem, non oculis, ſed vt decet incorporalem, ita adnuit vt ipſi decorum eſt. Filius autem agnoſcit vt filium decet, opera autem fiunt vt pater vult, & filius miniſtrat. Hæc nos oportebat dicere. Imo omnes ex ſcripturis legere. Quis enim ſum ego? quid habeo quod non accepi? Omnia enim ab vno, & per vnum ſunt, & quæ facta ſunt, & quæ rectè dicuntur. Quanta ſanè miſericordia eſt Dei? genuit filium, quia bonus eſt: creauit vniuerſa per ipſum, quia benefactor eſt. Errauimus & non deſpexit, cecidimus & non ſpreuit, ſed miſit filium ſuum obedientem, vt ſaluaret hominem inobedientem. Miſit ſine peccato, vt reuocaret eum qui peccauerat, miſit filium ſuum facientem placita, vt ſaluaret ſeruum obedire nolentem. Miſit iuſtitiam, vt auferretur peccatum, miſit vitam, vt mors moreretur. Miſit eum qui à ſe, vt ſaluarentur qui erant ex homine. Miſit eum qui ex virgine, vt ſaluarentur ij

D qui ex muliere fuerant perditi. Miſit in figura viri, vt ſaluaretur qui perierat vir. Cum latronibus figitur cruci, vt paradiſus & latronibus aperiretur. Cogita dignitatem, & æſtima magnitudinem gratiæ. Me enim ex muliere naſci, aut te, non ſupra naturam eſt. Manducare aut bibere, dormire & ſurgere, & in præſepio poni, nihil noui, ſi homines ea quæ ſunt hominum patiuntur. Quid autem nouum, quid admirabile, quid præcipuum, quid noſtrum debitum irrepenſabile Deo? Quia miſit Deus filium ſuum, miſit pater vnigenitum, miſit non natus progeniem, miſit obedientem bonus, miſit iuſtitiam qui genuit. Cur miſit? propter peccatores. Cur miſit? propter Adam qui mandatum contempſit. Venit ergo qui obediuit ad hæc, & iudicatur index ob condemnatum, crucifigitur vita pro mortuo, coronatur ſpinis glorioſus, bibit fel, fons dulcis. Quid inueniemus ad repræſentandum? quomodo agemus gratias? Non ſufficiunt linguæ noſtræ, non ora etiamſi fuerint mille. Non ſufficimus nos, adiutores quæramus. Adiuuent

E nos Angeli, nobiſcum gratiam reddant, & Archangeli, vt & ipſi gaudeant. Si quidem & omnis creatura parata eſt. Parturit enim & ingemiſcit & expectat noſtram ſalutem, vt & ipſa liberetur à dolore. Liberatur enim & ſol ne vltra adoretur, & Luna, ne ipſa calumnietur à deitate. Stellæ enim, vt non contaminentur hoſtiis, vt iam non malè confletur argent. aurum, vt non coinquinetur. Viri vt ſe ſe iam non incidant, mulieres vt non ad iniuriam deludantur. Tauri vituli, vt non variè comburantur, vinum, vt non ſine cauſa libetur. Terra mare vt non immutatis nominibus adorentur, omnis enim natura contaminata eſt, omnis creatura deificata. Sed non deſpexit is per quem & facta ſunt. Venit enim qui contingeret ſua, venit qui malum venenum auferret, venit ipſius vitæ medicamen. Mortuus eſt vt occideret mortem, condemnatus eſt vt condemnaret corruptelam. Coronatus eſt ſpinis, vt nos non haberemus ſpinas, ſuſcepit maledictum per crucem, vt nos ſuſ-

F ciperemus benedictionem mundam. Non poſſum dicere quantum ſapio. Non poſſum ſapere quantum poſſibile eſt. Si ſapuero quantum poſſibile eſt, non peruenio vt dicam quantus eſt. Inenarrabilis enim & incomprehenſibilis pater eſt. Talis autem & filius ipſius patris. Si enim ob ſui miſericordiam nos aſſumpſit, interimere eum debemus qui nos ſaluat, quid hoc mali eſt ita homines de filio ſentire? Maneat vt erat, & in corpore & in præſepio, nihil humile de eo ſentias, qui te exaltauit, nihil abiectum, aut incongruum. Noli ſpernere ſaluatorem tuum. Si quidem etiamſi verbo eum humiliare volueris, natura non transfertur ad tuam linguam; Si autem & abnegauerimus eum, ipſe fidelis manet & negare ſe non poteſt, hoc eſt à propria natura non excidit. Iſte nobis pater non natus eſt, vnus ſolus non natus, non ab alio, nec ex alio. Sæpe dico eadem. Siquidem & Ioannes qui de filio dixit *in principio erat*, non tacuit, ſed frequenter ait, erat. Quid enim aliud & deberet dici? Domus Dei? quodcumque dixerimus eſt, quod

G non de filio eſt, alienum à die eſt. Spiritus in medio noſtrûm eſt, ſi non ſpiritualia locuti fuerimus, contriſtamus ſpiritum in quo ſignati ſumus. Gloria Dei, veritas Dei, non quærit à te laudes, ſed nec ab Angelis. Non dico vt te, ſed quærit à te vt agnoſcas eum, prodeſſe enim ei potes, ſi eum agnoueris? aut lumini prodeſt, cùm vides, vt dicamus quia & Deo prodeſſe poteſt. Deus enim vult te agnoſcere ſe. Cognitio enim Dei æterna vita eſt; non Deo, ſed his qui cognoſcunt. Ita enim & Dominus pronuntiat. *Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti* IESVM *Chriſtum.* Verus Deus eſt pater in eo quod non natus eſt. Verus filius eſt in eo quod eſt vnigenitus. Non enim mendacium genuit verus. Sed verus pater Deus non natus, verus Deus filius vnigenitus. Nam & illud quod dictum eſt, *ſolus habet immortalitatem*, verum eſt. A ſemetipſo enim ſolus habet. Sed ſicut pater vitam habet in ſemetipſo: ita & filio dedit vitam habere in ſemetipſo. Vnus ergo non natus, & vnus vnigenitus &

Ioan. 17. 3.

1. Tim. 6. 16.

H vnus Spiritus ſanctus. Hæc dicit vna Eccleſia, hoc conſignatur in vno Baptiſmo, hæc ſcripta ſunt in ſanguine martyrum, & ante martyres in ſanguine Chriſti. Nec ſpernas eius ſanguinem quod tui cauſâ effuſum eſt: effudit enim ſuum ſanguinem Dominus vt ſaluareris, & tu audes ea delere quæ per ſanguinem ſunt ſcripta? ſed quod per ſanguinem ſcriptum eſt, non deletur. Vide ſanè ne & tu de libro vitæ delearis. Adora vnum non natum, & vnum vnigenitum, ne ſpernas vnum ſpiritum. Adora patrem, & ſaluauit te filius: adora filium, & ſuſcipiet te per eum pater. Confitere ſpiritum, & impertiet tibi filius ſpiritum. Hæc dicantur, hæc cogitentur, hæc ſentiãtur. Iſta enim eſt æterna vita. In his erimus ſine lite, ſine iurgio, ſine contentione. Ad pacem enim nos vocauit Deus. Ipſe enim Chriſtus eſt pax noſtra, in ipſo vocati ſumus. Quid dimiſſa pace lites aſſumimus? Non audiſti eum dicentem, *Pacem meam do vobis, pacem meam derelinquo vobis?* Suam pacem dat nobis Dominus, & nos iurgia è contra inducimus. Finis autem ſermonis

Ioan. 14. 27.

A iste sit. Gloria vni non nato Deo per vnum vnigenitum Deum Filium Dei in vno Spiritu sancto, & nunc & semper & per omnia sæcula sæculorum. Amen.



EVSEBII PAMPHILI De fide aduersus Sabellium.

LIBER SECVNDVS.

PVTO adhuc aures obstrepi meas à memoria beati illius viri, qui illa religiosa frequenter vsus est voce. Nam & aures vestræ adhuc bonum illius vocis retinent. Puto enim me audire eum dicentem, *Vnigenitus Dei Filius.* [Ioan. 1. 18. & 3. 18.] Ecce enim religiosa vox per os eius semper promebatur. B Memoria enim erat vnigeniti ad gloriam non nati patris. Audiuimus autem Apostolum præcipientem honorari duplici honore debere presbyteros: eos maximè qui laborant in verbo & doctrina. [1. Tim. 5. 13.] Qui enim pudicitiam colit, bonus est sibi: & qui ieiunat, etiamsi bonum faciat opus, tamen sibi: & qui miseretur, & sibi misericordiam parat, & ei cui præbet. Qui autem religionem secundum veritatem docet, & sibi vitam æternam acquirit, & omnibus qui docentur. Non est præceptum Apostolis vt pauperes pascerent, sed vt & ipsi pascerentur. Religionis ergo prædicatio maior est à misericordia quæ fit ad homines: oportet enim primùm nosse eum propter quem fiunt ea quæ fiunt, & ita facere misericordiam, vnusquisque enim qui operatur sibi acquirit opus: prædicatio autem veritatis hæc est, propter quam & filius venit in corpore: Non dixit Dominus, beati oculi eorum qui ieiunant, sed videntium, inquit, ea quæ videtis. [Luc. 10. 23.] Sed non ego nunc bonos actus accuso: sed sicut stella stellæ præfertur gloriâ, ita & actus actibus differũt honore. Summum enim & præcipuum, & primum fundamentum & radix omnium operum quæ fiunt, fides est vera. C Dicit enim Dominus, *Ego propter hoc veni & propter hoc natus sum, vt tester veritati.* [Ioan. 18 37.] Ipse Dominus reddens causam sui aduentus in mundo, dicit, quia ideo natus sum, & ideo veni in mundo vt tester veritati, & tu abnuis? Nam & Petrus beatus dicitur, non ob ieiunium, neque ob aliud aliquod opus, sed quia pater ei reuelauit filium. [Matth. 16. 17.] Et iterum pater vbique de filio testatur. Nam & in baptismo Ioannis, & in monte nihil aliud proclamauit, nisi, hic est filius meus dilectissimus in quo benè complacui. [Matth. 3. 17. Matth. 17. 5.] Similiter & Paulus dum doceret dicebat, *Fundamentum aliud præter eum qui est positus nemo potest ponere, præter eum qui est* CHRISTVS IESVS. [1. Cor. 3. 11.] Si igitur fundamentum fuerit saluum, sperat ædificatio benè proficere se posse, si radix fuerit sana, spes est fructus ex ramis accipere. Si autem infirmè fuerit fundamentum, in periculo sunt ea quæ superponuntur. Aurum enim quod super fundamẽtum, & argentum, & margaritæ, & lapides pretiosi, & fœnum, & stipulæ, & ligna ponuntur, D nihil aliud significat in hoc loco, nisi quidem prædicationem per aurum & argentum & lapides pretiosos. Ea autem quæ præter veritatem sunt, igni vtpote digna, fœno & stipulæ & ligno comparauit. Non enim dixit Apostolus, Si quis non dederit pauperi anathema sit. Non ista denego: sed quæ prima sunt, prima; & quæ secunda, secunda. Primo condisce propter quem facis, & ita facito. Multi enim hominum pecoribus sunt similes, putant non esse necessaria quærere de his quæ possibilia sunt quærantur. Sicut ergo de his quæ possunt quæri inertium est non quærere: ita de his quæ non necesse est quæri, audacia est quærendi. Quæ ergo debent quæri? quæ inuenimus in scripturis posita, quæ autem in scripturis non inuenimus, non quæramus. Si enim oporteret nobis esse cognita, vtique Spiritus sanctus posuisset ea in scripturis, non sumus enim sapientiores à Spiritu sancto. Si dixerit Spiritus sanctus generationem eius quis enarrabit? noli quærere neque ab hominibus, neque ab Angelis. Cur abnegauit spiritus,

E dixit enim quia generationem eius quis enarrabit? qui autem concedit spiritus quærere, *Vnus Deus ex quo sunt omnia, & Vnus Dominus* IESVS *per quem sunt omnia,* [1. Cor. 8. 6.] quemadmodum autem filius ex patre, crede ei qui nouit, ei qui noscitur. Sed tu quæris, & quis est qui promittat se nosse? omnis enim quicumque promittit se nosse, mendax est: Pronuntiauit enim Dominus, quòd nullus norit nisi solus pater filium, & filius patrem. Sed dicit quidam; Ignoramus ergo quia est Deus, & quia non natus est, & nescimus quia & filius & vnigenitus est filius? Quomodo autem nescimus quia natus est? quia autem est, omnis clamat scriptura, quemadmodum autem est, & quartum est, nulla valet natura dicere, neque de patre, neque de filio. Qui enim dixit *nemo nouit patrem nisi filius,* [Luc. 10. 22.] ipse dixit quia *& filium nemo nouit, nisi pater.* Quemadmodum enim capiunt ea quæ per filium facta sunt, nosse eum per quem & facta sunt? Si igitur imaginem non nati natura non peruenit nosse, quemadmodum ipsum principalem comprehendere quis potest vt norit? F Sunt itaque quædam nobis dicenda, sunt & quædam silentio colenda. Sunt quædam in cogitatu mouenda, sunt quædam & veneratione non mouenda. Sunt de quibus conuenit sapi: sunt & de quibus oportet paueri. Sunt quæ possunt lingua interpretari: sunt & quæ possunt religiosa taceri. Dicito sane, Vnus Deus à quo sunt omnia, & nullus poterit reprehendere. Si autem & reprehenderit quis, non te sed eum qui scripsit. Si autem & Paulum qui scripsit audet quis reprehendere, non Paulum, sed eum qui semper in eum locutus est Christus reprehendit. Si autem Christi verba reprehendere quis fuerit ausus, ipse dicit Christus, *Quæ ego loquor non sunt mea, sed pater qui misit me, ipse loquitur per me.* [Ioan. 12. 49.] Etenim neque gentiles sumus, neque Iudæi, neque Hæretici. Gentiles enim non sumus, quia non dicimus Deos. Iudæi non sumus, quia & Christum Deum confitemur. Hæretici autem ideo non sumus, quia confitemur istum esse qui venit, quem præueniens vetus testamentum per Prophetas prædicauit venturum. G Si quis enim noluerit litem, opus non habet. Est quædam dubitatio inter fratres, primò cum charitate quæratur vt inter fratres. Non enim dissensionis est Deus, aut iræ, sed pacis, quia & nos in pace vocauit, non tamen ad litem, pugna non docet, sed incitat magis, lis non monet, sed flammam accendit. Contentio autem equis conuenit, non tamen Ecclesiæ Dei. Qui nouit ea quæ possibile est scire, doceat cum modestia eum qui ignorat non tamen incitamento, incitamentum enim & ad ea quæ aperta sunt contentionem parit. Non ita periclitemur sed tutè loquamur. Si quid scriptum non est, ne quidem dicatur: si quid autem scriptum est, ne deleatur. Non sumus enim auctores, sed discipuli. Non quæ volumus, sed ea quæ legimus, non ea quæ ex corde sunt, sed ea quæ à spiritu in scripturis sanctis sunt posita. Quis enim es tu qui dicis aut qui audis? vult aliquis Christum honorare? vt vult ipse Christus, non tamen vt tu vis. Si autem præter id quod vult honoraueris, honor tuus ad contumeliam conuertetur. Si interemeris eius patrem, non honorasti progeniem. H Si interemeris filium, non dimisisti patrem in honorem. Si enim non dixeris patrem, patrem: & filium, filium, neque patrem, neque filium confiteris. Qui enim hæc dicit, sine Deo est. Si enim pater non est pater, ipse enim filius vt ais, iterum filius non est filius, ipse enim & pater pater est vt dicis. Sequitur periculum, vt neque pater pater sit, neque filius filius, & quid tenebimus? Sed pater pater verè est, non vacua vox, sed natura veritatis. Non vanus sermo, sed verus Deus. Non qui dicitur, sed is qui est, non ex his quæ dicimus fingitur, sed quod est agnoscitur. Pater enim neque ex alio, neque per alium, neque aliud, sed ipse est qui est. Fortè enim & ex semetipso & per semetipsum, nobis quodammodo conueniens est sermo vt dicatur. Necdum tamen illa interpretatur natura. Nos enim vt non taceamus ideo dicimus. Quid autem est Deus non interpretamur, quid enim horum interpretatio est Dei, sine initio, non natus, immortalis, incorruptus, immutabilis, immobilis,

inac

A inaccessibilis, inenarrabilis, incomprehensibilis. Per hæc ergo omnia non est dictum quid est, sed quid non est, velut si quis interpretari non sufficiens quod est lumen, dicat quod non est tenebrosum. Dicere autem quod tenebrosum non est, non solùm non exhibuit naturam luminis, sed & magis ipsarum tenebrarum naturam negauit. Immortalis enim dicitur, quia non moritur, & incorruptus quia non corrumpitur. Non natus, qui initium non habet. Hæc omnia non quid est Deus dicit, sed quid non est, Ita per ea quæ dicimus sine interpretatione eum confitemur. Si dixerimus eum fontem veritatis, nomen veritatem non exhibet. Sed quia nõ habemus quod dicamus, ex his quę habemus dicamus, mutuati alienis nominibus vtimur, fons enim agnoscitur vnde est, Deus autem non habet vnde, & fons meatus supra meatus effundit, Deus autem in eo ipso quod est manet. Neque enim vox conueniens inuenitur, neque comparatio perueniens ad illam naturam, sed vt non taceamus colligentes quæ habemus, cùm autem omnia dixerimus, tunc confitemur quia quæ dicimus nihil differunt à taciturnitate. Pater ex eo agnoscitur figura quod est non natus. Vnus enim est ipse, qui non est ab alio, vnus est qui ex eo quod non natus est agnoscitur. Non frater ei, non pater patris, sed singularis natura est, & in eo quod non natus est, verè solus ostenditur, non natus pater, ab hoc sanè non nato manente quod est indiuisus, inscissus, impartitus, impassibilis, vnigenitus est filius natus: neque alius est non natus, neque alius vnigenitus, sed vnus non natus pater, & vnus vnigenitus filius. Hæc non nos extollunt, memoria illius beati viri. Vtinam autem ita possim dicere, vt vobiscum semper ab eodem audiebam. Sed ea quæ nunc dicuntur, illi placita fuisse videntur. Gloria enim est proborum seruorum vera de domino dicere, & honor eorum patrum qui benè docuerunt, si repetantur eorum doctrinæ. Vnus igitur est non natus Deus, serua non natus cum patre, & non habebis in anima confusionem: serua vnigenitus cum filio, & non turbaberis, neque iam eris incertus quemadmodum Deus & Deus, & non Dei. Quia enim retines vnus Deus non natus, & vnus Deus vnigenitus, ideo non Dij, quia neque non nati, neque vnigeniti, serua figurã non nati, & confitere figuram vnigeniti, & nulla turbela est in medio, non lis, non contentio, non iurgium. Pater non sibi adscribit patrem: filius vnus sibi adscribit patrem: pater à nullo est, filius ab vno est patre. Non suscipiunt hæc litem, aut habent dubitationem. *Vt cognoscant te solum verum Deum,* non quia non verè est vnigenitus Filius Dei, sed quia à semetipso, & ex semetipso, & per semetipsum, si tamen ita dici debet, fons & principium omnium bonorum est pater, qui genuit talem bonam progeniem. Bonus enim filius est, sed cedit bonitatem suo genitori, non mentiens, sed sciens vnde est: Sine principio, principium autem dico non temporum, non sæculorum; hæc enim per filium facta sunt, & non cum filio nata: non tantùm enim non ante filium, vt si aliter quid introducere cum filio volueris, non saluabis vnigenitum, sed sicut pater solus non natus est, & si dixeris filium non natum, periclitaris de eo quod dicis, ita si quid computaueris cum vnigenito, quid loqueris ignoras. Vnus enim est non natus, & noli quærere alium non natum: vnus vnigenitus & noli quærere alium filium, ne interrumpas vnigenitum, vnigenitus enim non est vnum ex cunctis, sed per quem sunt cuncta. Non est vnum ex omnibus, sed per quem sunt omnia, & per quem sunt omnia, ipse à patre habet quòd est hæres, non est ex hæreditate. Confessor non est ex Angelis qui adstant, neque ex Archangelis: iudex omnium non est vnus, ex his qui iudicantur. Ne attrahas naturam quæ non accedit, neque peruenit. Quem ex hoc debemus nosse, quia vnusquisque ex his quæ dicit aut sibimetipsi prodest, aut lædit. Res enim ex nostris sermonibus non transfertur. Quia igitur Iudæi non confitentur filium, non ideo non est filius. Iudicabit enim eos qui non confitentur eum, quia quidem nouum istud sacrilegium introduxerunt dicentes, eundem ipsum esse

Margin: B; C; D; Ioan. 17.3.

E patrem quem & filium, neque patrem patrem dicent, neque filium filium, sed secundum ipsorum sacrilegium nihil prorsus. Si enim pater, non est pater, quia ipse est & filius, vt ipsi flagitantur, & filius non filius, quia ipse est pater, propè est vt dicant neque patrem esse, neque filium, vt vnum enim faciunt quod non fit. Quis enim poterit audire ipsum se sibi esse patrem? quis poterit patrem ipsum se sibi esse filium? Si enim voluero mutare vocem meam, non mutatur vestrum propositum. Nónne putatis me aliena loqui? Dicam ergo pater non pater, & filius non filius. Nam & si dixero ipse sibi est pater, & ipse sibi est filius, nónne insaniam statim significant sermones mei, sed me non tantùm moueant aduersum eos qui dixerunt, quantum mouet & aduersus eos qui patiuntur, calumniantur enim ab iisdem & scripturæ. Ego, tene ego, & serua coniunctionem. *Ego & pater vnum sumus.* Non tamen non sumus. Contrarià enim importunitate plena sunt. Filius dicit, Ego, ille dicit. Non ego: Filius dicit, & pater, ille dicit non pater. Vnum inquit sumus, & ille, contrà, non sumus. Aut quid scriptum est? aut quid delemus? aut quid legimus? aut quid agnoscimus? Ego in patre & pater in me. Non tamen quia neque ego, neque pater, quemadmodum autem pater in filio, & filius in patre, maximè quidem cur audes quærere? is enim qui est in eo qui est, non quia non est ἀνυπάρχει, an quia non est pater vt sit in filio ἀνυπάρχει, neque non est filius qui est in patre significat. Si quidem & Apostoli duodecim vnũ sunt, & septuaginta, & quingenti, & tota Ecclesia vnum. Et ne putes me ad humana deducere diuina, sed vtimur comparationibus cum indulgentia apud fratres, & maneat Deus vt est. Tamen si dixerimus quemadmodum omnis Ecclesia quæ vbique est, vnum corpus est, nullus reprehendat, quia non mentitur Deus qui dixit, *ego in ipsis, & tu in me.* Non quia abnegationem patris in religiosi sermones docent, neque quod non sit is qui genuit, neque spretionem eius qui est genitus. Sed si non est filius, & quomodo sunt ea quæ per filium facta sunt? Non est filius, & quæ est spes? Non est qui iudicat, & quemadmodum iudicium? Nõ est qui coronat, & quomodo labores? Est vnus quem nullus genuit, & vnigenitus quem vnus genuit, Genuit sanè impassibiliter, non vt nos, sed vt ille, non vt plantæ quæ apud nos sunt, non vt fontes, non vt sol, nihil enim horum quæ hîc sunt interpretari illam generationem possunt. Omnem enim turbelam humanæ comparationes faciunt, cùm accipimus non similia ad interpretationem eorum quæ interpretari non possunt. Ideo lites, ideo pugnæ nascuntur. Si autem tacuerimus ea quæ supra vocem sunt, & dixerimus possibilia, cessabit bellum. Quid ergo dicemus? *In principio erat Verbum.* Quis adhuc poterit iurgari? Nam & si iurgatur, non tibi sed Ioanni, & pectori domini à quo hausit Ioannes. Quid relinquis ea quæ sunt sine periculo, & in fluctibus tempestatum periclitaris. Noli dicere tua & nullus te arguit. Dicito quæ scripta sunt, & nullus te reprehendit, etiamsi reprehenderit, semetipsum potiùs, & non te. Qui enim diuina reprehendit, diuina quidem non delebit, semetipsum alienum à diuinis constituet. Dicito in principio erat verbum, & relinquuntur tempora. Dicito in principio erat, & deficiunt sæcula. Dicito in principio erat, & nihil cum ipso erat verbum. Quia ergo erat dictum est, ne putes vocem; vox enim, erat non suscipiet, si quidem cùm dicitur, tunc efficitur. Neque enim antequam dicatur est, neque postea quàm fuerit dicta, erat habet. Quia ergo erat, non vox est, sed verbum. Quale verbum? Si non dixit Ioannes quæramus? Si autem dixit, quid quæremus? *Et Deus,* inquit, *erat verbum.* Tu dicis vocem, Ioannes autem ait Erat verbum. Et si ille dixerit, Et verbum erat apud Deum, tu dicis in Deo & non apud Deum. Vt enim sit, non tamen vt cogitatus sit, neque iterum vt vox, sed filius: vox enim habet, fratres: mei enim qui dicuntur sermones prioribus verbis sunt fratres, vnigenitus autem non suscipit fratres. Nam & si vocat fratres nuncupationem donat. Si autem & cohæ-

Margin: F; G; H; Ioan. 10. 30.; Ioan. 17. 23.

A redes sumus, non naturæ sed gloriæ accipimus. Ad illam
enim naturam neque peruenies tu, neque vllus perue-
niet. Sicut enim pater eminet, & supra omnem naturam
est quod est non natus? ita & filius supra omnes habetur
in eo quod est progenies vera Deus apud Deum, Deus
Ps.44.8. ad dexteram Dei, Deus fortis, Deus quem vnxit Deus.
Isa.9.6. Agnoscitis prophetica verba. Quid ait Propheta Dauid?
& 7.14. *Ideo vnxit te Deus Deus tuus*. Nam & fortis dictus est ab
Isaia, & Deus nobiscum, cùm ex virgine. Non ergo cum
ex virgine tunc Deus, sed nobiscum tunc. Non primùm
ex virgine, sed primùm ex Deo. Ex virgine enim pro-
pter dispensationem, ex Deo autem propter naturam.
Ex virgine in nouissimis temporibus, ex Deo ante sæcu-
la. Ex virgine, cum hominibus, ex Deo autem ante om-
nes. Istic ergo & dispensationem confitere, & naturam
delere noli, nec extinguas tibi lumen. Si quidem & qui
oculos claudunt suos, non lumen extinguunt, sed ipsi
lumine non fruuntur. Nam & si quis lumen verum non
fuerit confessus, non illud delet, sed ipse manet in tene-
B bris. Ita enim ipse filius dicit. *Qui non crediderit in fi-*
Ioan.9.36. *lium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum.*
Quæ ira? illa vtique quæ ab initio. Qui enim non con-
fitetur eum per quem reuocatur sententia, ipse aduersum
seipsum reuocat sententiam. Negotia enim separata ha-
bent naturam, nostri autem cogitatus accipiunt fructum,
à veritate quidem vitam, à mendacio autem noxam &
perditionem. Si quis enim percusserit caput suum ad
petram, petra quidem ipsa manet, caput autem ab insi-
pientia accipit plagam, fortè autem & periculum. Dicit
1.Cor.3.11. sanè & Apostolus: *Fundamentum aliud nemo potest pone-*
re præter id quod est positum Christus IESVS, & iterum, *Pe-*
tra autem erat Christus. Si ad istam petram caput percus-
seris tuum, scissum est quod volebas: si autem confessus
fueris lumen, habebis quod confiteris. Si enim Aposto-
li quibusdam quidem odor mortis ad mortem sunt, qui-
busdam autem odor vitæ ad vitam, si illi qui per Chri-
stum sal sunt, & qui per Christum luminaria effi-
ciuntur, ad mortem & ad vitam his qui credunt, & qui
C non credunt habentur, quanto magis is qui donauit hæc
Mat.10.14 hominibus Christus! *Si quis*, inquit, *vos non susceperit,*
exeuntes excutite puluerem de pedibus vestris, tolerabilius
enim erit terræ Sodomorum in die iudicij, quam ciuitati illi
quæ vos non suscipit qui à me missi estis. Si autem quis ip-
sum non susceperit Christum, quid si etiam non solùm
non susceperit, sed interimere voluerit? Si ausus quis
fuerit dicere, quia sine filio est Deus, aut quia sine patre
est filius? Hęc enim nunc quidam calumniantur dicentes,
quia ipse sibi est pater, ipse est & filius, & non est filius.
Si enim pater ipse sibi est pater, non est pater, quia ipse
sibi & filius est vt aiunt. Ludimus in diuinis, irrationa-
bilia enim ista ne quidem parui suscipiunt. De his sanè
sermonibus vnum breuissimum infantem interroga, qui
prima vtpote voce qualitercumque cœperit loqui, & di-
cito ei, Pater tuus vbi est? aut sicut consueuerunt infan-
tes patrem appellare; si semetipsum ostenderit, arguit me
infans: si autem paruulus statim vt fuerit interrogatus
intellexerit quid quæris ab eo, eum qui se genuit osten-
D dit, vide quid audis. Cùm autem benedictus filius te-
nens panem leuat manus suas sursum, vt tuam mentem ad
eum qui se genuit extollat; nosce patrem, & cessa nega-
Ioan.11.41. re filium. Si igitur vnigenitus dicit, *Pater gratias ago ti-*
bi, quia semper me exaudisti, sed propter circumstantem
populum istum dico, vt credant quia tu me misisti. Ista
interpretatione non indigent, & sedemus vt insensati, &
ludimus. Num semetipsum genuit pater? num semet-
ipsum misit? num semetipsum orat? & sibimetipsi gra-
tias agit? & ipse sibi est filius, ipse sibi est pontifex, ipse
sibi est agnus, ipse sibi est via, ipse sibi est ianua? Et quis
hæc, etiamsi sit insipientissimus, patietur? Num vna
vox est vt circumueniamus, vna est litera vt deleamus?
Ioan.14.31. Dicit enim iterum Dominus, Ecce ego diligo patrem
meum, ego honoro patrem meum, opera quæ ego fa-
Ioan.8.49. cio ille facit, pater meus quotidie operatur & ego ope-
Ioan.5.17.36. ror. Si creditis in Deum & in me creditis. Vado ad pa-
trem meum. Gratias agit, orat, viam semetipsum vo-

cat, vt agnoscas ad quem vadis, ianuam semetipsum di- E
cit, vt agnoscas ad quem ingredieris. *Pater*, inquit, Ioan.14.1.28
meus agricola est, & ego vitis, vitis & agricola vnus est? Ioan.15.1.
Hanc comparationem Dominus dixit, vt ne quis me re-
prehendat. Ego autem volo vt me quidem omnes ho-
mines reprehendant, ego autem volo, domini autem
custodiant verba. Descendi de cœlo vt faciam volun-
tatem eius qui me misit, obediuit autem vsque ad mor-
tem. Sed quid nunc opus est Pauli? quanquam & Pau-
lus non testimonio suo dicat: tamen quia ipse Dominus
non auditur, vt quid de domesticis eius est sermo? Vis sa-
nè honorare filium, vt vult ille non, non vt tu vis. Num
si dixeris non est honorasti, si interemeris quem non po-
tuerunt Iudæi! Iudæi enim fabri filium eum putauerunt,
& vt fabri filium interfecerunt: tu vt filium Dei interfi-
cis. Sed tu morieris, non ille. Non enim ex his quæ
tu dicis ille non est: sed ex his quæ non credis tu non
eris. Quæ scripta sunt dicito, & derelinquetur lis. Non
meum & tuum: sed quæ communia sunt Ecclesiæ. Quis
enim te iudicat? quid habes quod non accepisti? Non F
ista est vox Pauli qui ait *ex parte agnoscimus, & ex parte* 1.Cor.13.5.
prophetamus. Hæc dixit Paulus, ne sanè solus putaretur
ex parte, sed & Apostoli cum ipso qui ait, *nunc vide-* Ibid.13.12.
mus per speculum. Sed Paulus per speculum: tu autem &
istic iam vis facie ad faciem nosse. Quemadmodum sanè
eum interimis quem vides. Hæc videbamus semper à bea-
to illo viro. Sæpe enim ita dicebantur ab eo, vt quidam
suspicarentur ore quidem meo ista proferre, corde autem
aliter habere. Et quidem memor vobis sum audisse me
ab eo sancto nobis iuramento satisfecisse, quia non aliud
in lingua, & aliud esset in corde eius, sed corde quidem
creditur ad iustitiam, ore autem confitetur ad salutem,
vnde igitur omnis beatus audit, inde & nos vniuersi au-
diemus. A filio nihil audiat sponsa, quod non est spon-
si sui. Si quidem non licet sponsæ alienam suscipere in
auribus vocem, etiamsi Paulus dicat. Sed vt non dubi-
taret sponsa de Paulo, ait ipse, *An experimentum quæri-*
tis eius qui in me loquitur Christus? Desponsaui enim vos G
inquit viro vni, non tamen populo, sed vni vnigenito 1.Cor.13.3.
vna sponsa. Amicus enim sponsi ille est qui gaudet de
sponsa sponsi. Non est vidua sancta Ecclesia. Viuit enim
qui pro ipsa est mortuus. Angeli non mortuum adorant,
sed vita erat, erat, erat, & est, & non cessat esse. Ne-
que enim cœpit à temporibus, neque cessauit in sæcula.
Regnum enim eius non habet finem: quia non tempora-
le imperium eius est, sed perpetuum. Tempus enim re-
surrectionis est, & tempus salutis. Non moriamur er-
go, cùm debemus viuere. Sed nunc quidē paucis ob me-
moriam & honorem patris illius nostri, ita boni, ita la-
boriosi, & pro Ecclesiis vbique vigilante dicta sint no-
bis. Neque enim generis eius memoriam fecimus, ne-
que educationis, aut eruditionis, aut alterius vitæ &
propositi. Sufficient enim in Ecclesia Dei de patre & fi-
lio loqui. Loqui quippe dicibilia, tacere autem quæ oc-
culta sunt. Tinguamur fratres in his quæ in scripturis
scripta sunt non vt vacuæ literæ Prophetarum vt Iu-
dæis. Illi enim aduersum se legunt, legentes enim litte- H
ras & non suscipientes negotium ex his quibus legunt,
semetipsos condemnant qui excusant. Videte ne patia-
mur ea quæ Iudæis increpamus. Si enim dicimus filium:
non confitemur autem filium, & si agnoscimus patrem,
spernamus autem patrem, illa ipsa quæ legimus, ipsa no-
bis in die iudicij legentur ad condemnationem. Dicit
enim Dominus: *Ego non iudico*, sed sermo quem locutus Ioan.8.14.
est ipse eum iudicat. Dixit tibi quia vado ad patrem
meum. Dixit tibi quia missus à patre sum, & tu dicis quia
non est missus? sed ipse est qui hæc dixit, & tunc iudica-
bit, leget tibi Euangelia, dabis rationem, dicet cur hæc
scripta sunt? Hæc autem tunc non dixi per vocem. Et
qua facie videbis illud lumen? Contentissimus veritate,
Excusemus lites. Si quis autem & nouit aliquid cum
patientia & non ad instigationem quæ lædit, sed cum
humilitate quæ prodest non vt inimici, sed vt Christiani,
non vt in circo, sed vt in Ecclesia. Habes aliquid: trade
non cum lite, non quasi auctor, sed admonens ea quæ

didi

A didicisti à scripturis. Retinete hæc & cessabitis à lite, & ab Ecclesia separari nolite. Si ego delico, quid ad te? si ego aliena loquar, me iudica & perdere noli. Occasionem nolite quærere ad schismata. Ouis quæ extra gregem est, pars lupi est. Nam etsi fortior ouis es, expedit tibi infra parietes ouilis esse, quàm foras. Fortis es, porta meam infirmitatem: infirmus es, accipe medelam à communi Ecclesia, gutta vna torrentem non facit. Si enim & ceciderit, antequam cadat, à terra absorbetur. Gutta autem & gutta, & gutta etiam montes euertit. Canna es fragilis, multi autem ferro sunt fortiores. Oculus solus non est oculus, neque caput caput, neque pes pes. Compositio enim membrorum totum bonum facit. Nam etsi esses oculus, ablatus, eras cæcus. A corpore enim sublatus oculus, cæcus est oculus, magis autem mortuus. In Ecclesia fratres sub alas matris conueniamus. In Ecclesia in qua ornamenta sponsæ sunt, & membra Christi, non ad schismata, non ad hæreses. Aliquotiens enim dico, offendit mea lingua, potest fieri

B vt mens mea offendat. Sed tu noli, obliuiscere eum qui

1. Cor. 6.20. dixit *Pretio empti estis*, nolite fieri serui hominum. Ista enim domus non mea est aut tua. Cur mei causa recedis à dominica domo? Et primo quidem quid accepimus nobis quia sapientiores omnibus sumus: deinde vt quid quod in prece diabolus habet donamus ei. Si ego infirmus sum, tu qui es fortis non recedens confirma Ecclesiam. Si ego aliena loquor, cur tu qui benè loqueris abstrahis te vt videantur mea infirmari? Et ne quis me putet incitatum ad quosdam dicere, sed ab exercitio sum multorum, scio quanta dicta sunt & dicuntur. Vnusquisque enim quærens vnde pascatur, furatur. Minores, fratres, non faciamus conuenticula, non speluncas. Fortè enim Apostoli hæc fundarunt. Non lapides dico, sed negotia rerum. Exis ab Ecclesia, & relinquis matrem tuam propter me. Quid sum enim ego aut Paulus, aut Apollo quis est? De me & te erit sermo. Num ego crucifixus sum? Necdum ne quidem alapam accepi. E contrario autem, & honoratus sum propter IESVM.

C Et ille quidem multa passus est propter me: ego autem honoratus sum propter ipsum. Et nos quidem feriamur aduersus crucem, & aduersum eum qui propter nos fel & acetum bibit, & imponimus ei spinas magis quàm Iudæi, & effodimus manus eius & pedes & dinumeramus eius ossa. *Quæ enim*, inquit, *fecistis vni ex minimis*

Mat. 25. 40. *istis qui credunt in me, mihi fecistis*, aut bonum aut malum. Hæc fratres & in his fratres, non semper nomina sed res. Christianus enim verus, frater sit. Verus Christianus, verus est enim Christus. Fratres, fratres, nolite esse piratæ, nolite bellatores. Nolite quærere cum quo litigetis, sed quem saluetis. Ipse autem Deus pacis, qui non pepercit vnigenito suo filio, & misit eum ad salutem nostram, ipse omnium vestrûm animas ad vnam consensionem, ad vnam concordiam, ad vnam pacem & caritatem adunet per vnigenitum suum filium, per quem est non nato patri gloria, honor, imperium, maiestas in spiritu sancto, & nunc & semper, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

D

EVSEBII PAMPHILI De Resurrectione.

LIBER PRIMVS.

DICTVM est quidem à nobis & antè de Resurrectione, audistis & vos, sed omnia tempora exigunt suum fructum, si quidem & in tempore rosarum, rosæ florescunt. Agnoscunt autem & secun-

Hier. 8.8. dum Ieremiam & hirundines tempus, & alij passeres agri; quorum propheta faciens mentionem, increpabat Israël, qui tempora ignorabat. Et tempus omni rei esse

Eccl. 3. 17. sapientissimus dixit Salomon: quia igitur tempus exposcit de resurrectione tractari, expetunt autem & quæ lecta sunt; fortè etiam sæpe nobis dicentibus, necdum quidam de resurrectione susceperunt sermonem, nihil prohibet repetere nos & denuo, & de his ipsis

E tractare. Eadem enim scribere nec Paulum piguit, hi enim qui credunt resurrectionis sermones erunt tutiores; fortè autem, qui necdum suasi sunt, suadebuntur. Philip. 3.1.

Nunc enim creditur sermoni, qui de resurrectione habetur, & magna est multitudo non credentium; Gentiles enim non credunt, hæretici simili modo iisdem non habent fidem; Iudæi autem diuisi sunt de resurrectione. Saducæi enim intercipiunt resurrectionem, Pharisæi autem suscepêre, nisi magis in iniuriis petierunt, quàm honorauerunt, fortè autem & qui in Ecclesia conueniunt, multi dubitant de resurrectione; quæ enim necdum oculis videntur à plurimis non creduntur. Nam & ij qui suscipiunt resurrectionem, constituti vtpote in Ecclesia, multa habent dubia in mente de ipsa resurrectione. Aiunt enim, quomodo resurgemus? in quo habitu? qua conuersatione? in quo loco? nudi an vestiti? manducantes? non indigentes esca, in cœlo, in paradiso, omnes simul, an alij alibi? Quæ diuersitas? vtrum in locis, aut in dignitatibus? Et de his qui puniuntur, vtrum & semper, aut tempus aliquod, & vtrum semper per ignem, aut aliquando aliter? Et vtrum qui plura, & parua, & qui multa peccauerunt, semper habebunt pœnam? Et si videbunt se inuicem, aut secundum eminentias alij in alio loco punientur? Et vtrum qui puniuntur si semetipsos videbunt; & si iusti eos, qui in pœnis sunt: Et si ij qui in pœnis sunt, iustos conspiciunt. Et mille sunt quæstiones de proposita resurrectione. Tantis igitur propositis quæstionibus, & tantis non credentibus, & tantis dubitantibus, oratione opus est, vt ipsius resurrectionis Dominus, & impensiùs quidem tribuat sermonem dicenti, intellectum autem audientibus. Siquidem & iis quæ dicta sunt aliud vnum est commune vitium, quod iurgatur aduersus resurrectionem. Multi enim sunt, qui peccant, pauci autem, qui se custodiunt. Illi igitur, qui delinquunt, nolunt esse resurrectionem, vt non incurrant in pœnas; sed suam voluntatem decreto resurrectionis opponunt, & resistunt Deo. Quia enim volunt à negotio liberari semel morientes, nolunt in totum esse resurrectionem, vt non habeant causam, neque rationem vitæ præstent post mortem iudici Deo. Ergo iurgatur & horum voluntas decreto resurrectionis, quia igitur tanta & talia sunt, quæ quæruntur, oratione opus est, vt victor superet vincentes. Non ignoramus autem & illud, quia multi putauerunt Deum nihil ampliùs posse quàm nos. Incerti sunt enim & mouent, & adducunt in medio istiusmodi quæstionem. Mortuus est, inquit, qui mortuus est, & illam quidem partem eius aquila manducauit, aut vultur. Fortè autem non patiuntur aquilæ istiusmodi humilitatem. Aliam, inquit, accepit canis, & canem vtputà fæua bellua manducauit, aut aliud aliquod animal, & istud animal interfectum, combustum est, aut certè obputruit, aut ipsum ab alio quodam comestum est, fieri enim hoc potest. Tanta, inquit, successione facta, & casu eorum, qui mortui sunt, ab alio in alterum, quomodo, inquit, potest Deus inuenire initium tanquam de figulo aliquo, aut de quodam artifice, qui apud nos est, humile loquatur. Et non cogitant, quantum interest inter Deum & homines mortuos. Gentilium igitur multi semel prouidentiam in his omnibus eiicientes, & à Deo viuo semetipsos fraudantes, ausi sunt dicere, quod & repetere tutum non est. Illi enim sine Deo agentes spem resurrectionis interimunt. Qui enim eum qui suscitat, negant, difficile est vt confiteantur resurrectionem. Sed relinquamus horum importunitatem, vt à pueris conuincantur. Nec enim ad omnes certari nos par est, neque ad omnes iurgari, si quidem nec ad insanos consueuimus de cogitationibus sanis loqui, qui autem imprudenter ita iurgantur, non ad nos, sed ad ipsum ordinem officiorum, & ad opificia, quæ iussa sequuntur; ad solis scilicet cursum, ad immutationem lunæ, ad stellarum choros, ad translationem hora-

A rum, quæ per annos effici consueuerunt, ad officium maris, ad terram, ad aërem, ad pluuiam, & ad omnia quæ sequuntur, ad officia ætatum; ad hominum, ad animalium, ad auium diuersitates, ad vultuum, ad specierum habitum, vt sit vnicuique conueniens esca, membrorum partes, dentium numeri, vngularum mensuræ, capillorum officia, compositio membrorum, hæc omnia silentio clamant opificem, & prouisorem omnium Deum, quia igitur ista cæci non viderunt, per ea quæ videntur inuisibilem, stultum est de coloribus iurgari ad cæcos, quid enim efficacius est Dei prouidentia? quid autem breue quod putatur non in se æqualem à maioribus inuenietur habere prouidentiam? Cur enim formicarum saluatur genus in similitudine. Cur apium & operationes in commune redduntur, & habita minimis in substantia, quæ quidem & in volatu, & processu, & regressu, & in opere consentiunt sibi. Quis fecit mel? vtique qui constituit medicinam, quæ eo ad medelam vti-
B tur hominum. Quid enim non plenum est prouidentia? quid non clamat prouisorem Deum? Nónne herbæ, quæ vtilitatem præbent medelis? Nónne pisces è mari producti, quidam quidem ad escas, quidam autem ad curas? Nónne lapides incisi, vt alij quidem vtiles sint ad ædificia & tecta, & operamenta, alij necessatij ad corporum sanitates, quia & infirmantur? Nónne escæ aliæ aliis succedentes, & aliæ cum aliis insequentes, ostendunt præparatorem Deum? Nónne secundum vniuscuiusque habitum animalis mensuræ, magnitudines, compagines, membra sunt data, & vnumquodque ad suam necessitatem, & virtutem accepit? Equis enim velocitas data est, vt insequantur & fugiant: aliis animalibus fortitudo, vt sensim portarent pondera sibi imposita. Et mensurata est vnicuique virtus, potentia, magnitudo, conueniens esca; & ipsis animalibus propria salus, quæ gustare deberent, & à quibus se abstinere, homini autem & ab aliis animalibus irrationabilibus vsus est datus, & à plantis, & ab arboribus, à lapidibus, à
C mari & à terra, vndique enim constitutus est veluti in vno corpore mundus coniunctus sibi. Et vnumquodque quidem quod factum est propriam habet naturam & salutem, plurima autem quæque in se necessaria continet. Denique sol positus quidem est in suo loco, habet autem propriam magnitudinem, & possidet acceptum suum fulgorem, & illuminat ea, quæ in terra habentur, fouet & calefacit. Et nunc quidem longiùs abscedens, cedit confectioni hiemis vt statutum est: nunc autem iterum reuocatus, & ad mensuras accedens, non subitò nocet, exussisset enim omnia, si subitò ad ea spatia, quæ dimiserat, recurrisset; neque iterum non illuminans intermisit, vt fructus non coquerentur; neque aduenire ad impetum subitò currit: at mensuræ & recedenti, & recurrenti sunt datæ. Non coniunguntur dies noctibus habentes solem; si enim hæc ita essent, arsissent omnia. Sed sol quidem per diem fouet, ros autem nocturnum consolatur ardorem. Et mensura à terra sol distat, vt neque propinquans noceret, neque longiùs distans fri-
D gori cederet. Mensuræ igitur his quæ in cœlo sunt ad ea quæ in terra habentur; necnon & quæ in mari ad terram, & diei ad noctem, & hiemi ad æstatem. Et non tanta eloqui possunt, quanta vniuersa natura procla-
Psal. 18.2. mat. *Cæli enarrant gloriam Dei, opera autem manuum*
Psal.148. *eius adnunciat firmamentum*, dicit Propheta. In alio autem Psalmo à sursum vsque deorsum omnis creatura dinumeratur. Et certè & ipse qui dicit, Cæli enarrant gloriam Dei, non loquentiam audiuit. Ait enim. *Non esse loquelas, neque sermones*, tacentium autem eorum in omnem mundum exiisse somnum eorum ait. Quia igitur per tanta, quæ nos diximus & tacuimus, ipsa rerum negotia clamant, & prouidentiam prædicant Dei; rationis non est ad eos qui præscribere naturam volunt, & visibilia non videre, nosmetipsos protendere. Sed ab illorum quidem irreligiositate transire, iam tempus nos admonet, properare autem ad aliam, ne videamur & contaminari inspicientes eos, qui non vident. Tantùm autem addi oportet, quia confessa

E prouidentia consequens est adesse resurrectionem, quemadmodum consequens & necessaria est resurrectio. Sine causa iustitiam colit iustus; sine causa pudicitiam amat pudicus. Et qui prouider his quæ sine anima sunt, arboribus & plantis Deus, inuenitur rationabiles animas negligens? Et qui prouidentiam suam formicis impertit, & ostendit eas, quæ non habent rationabilem sensum, sibimet consentire, & imitationem concordiæ habere? Si tamen & oporteat dici consentire sibi ea, quæ non habent sensum, quia igitur & formicis prouidet Deus, & dedit eis & receptacula terræ, & concordiam, omnium licet sint natura infirmiores, tamen eis, quæ videmus, donauit. De bobus autem secundum 1.Cor. 9.9.
Apostolum pertinet ad Deum, & de nobis ei non pertinet? quemadmodum autem & pertinet, si similiter moritur iustus & impius? Is enim qui aliena rapit, fruitus est quæ diripuit: qui autem sua amisit, abiit gemens non habens spem. Sed non est iniquitas apud Deum. Si enim non est spes resurrectionis, & solatium F
illis qui istic nocentur, & merces his qui sua istic spargunt, magna iniquitas est apud Iustum. Si enim æqua redduntur omnibus, ieiunanti & ebrioso, libidinoso & pudico, rapienti & donanti, occidenti & ei qui occiditur, & ei qui martyrium tollit, vbi virtus est prouidentiæ? In præcipuis enim si defuerit, non est vtilis neque in minimis. Sed non fit sacrilegium istud admittere quenquam: siue enim gentiles sunt, qui aduersus resurrectionem augent nobis rationem, qui volunt ratione se agere cuncta, qui sunt irrationabiles, quemadmodum Deo iustitia saluabitur? Istic enim videmus nonnunquam peruersè negotia geri, vt illos quidem qui cantant putemus benè habere in mundo. Alios autem, qui diripiunt & ditantur, lætari & sanos esse corpore fortè magis iniquos quàm iustos, & nonnunquam melius corpus habere, & filios quamplures, & hos incolumes, & mulieres cum viris lætam degere vitam, & seruorum multitudinem eis esse, & opum & possessionum, & condita multa substantia larga, quam & transmit- G
tunt ad filios; iusti autem gemunt, & cum mœrore degunt in mundo. Et vbi est iustitia quæ à Deo est? Et si quidem ad Iudæos sit sermo, quid profuit Abrahæ, vt promissionem quidem acciperet, ad promissiones autem non perueniret: quique patrem quidem amantissimum, matrem quidem dilectam, patriam in qua est educatus reliquit propter præceptum? Scitis autem & vos quanta pernicies sit consuetudinis sustinere recessum. Adueniens autem ad terram repromissionis, circumibat vt peregrinus & aduena, desiderans satiari aqua, cuius ipse fons, puteus erat adinuentor, qui ei fructus ex promissione prouenit? Tormentum enim ei erat ipsius promissionis aduentus, videre enim promissionem, non permitti autem eadem frui, magis ad blasphemiam adducebat, sed non Abraham. Abraham enimaddens & non perfruens vt mensa apposita, & prohibitus degustare etiam ex his, quæ exsuperauerant, ita demissus gratias agebat. Quid ergo profuit illi? Sed quia filium habuit; post quanta tormenta, post quantas orationes? Serui H
Abraham habebant, & Abraham desiderans non habebat, sed coniugem habebat, & istam honestam, quæque ab eo ablata est, & valde amarè, non interficiens, & mutans locum & locum, perseuerauit. Dicant ergo Iudæi quæ prouenerint Abrahæ ex promissione in præsenti hac vita, vt abscidamus eorum spem resurrectionis. Sed habuit filium. Quando? Circa centesimum annum datus est filius, tormentorum potiùs eius & precum. Quia enim habuit & bonum filium, & lætatus in dono est, putas accipiens filium sine tentatione de cætero mansit? Et non ipsa pulchritudo filij, ipsa sapientia, ipse intellectus & ea quæ in eo erant bona, & quæcumque habebat vt donum Dei amariora tormenta operata sunt patri? quid enim dicit ei Deus? qui dixit donauit ei filium. *Abraham, Abraham, accipe filium tuum Isaac,* Gen. 22.1.
quem diligis vnigenitũ, & offeres eum mihi in vno montium, quem tibi dixero. Si interceperimus resurrectionis spem, statim habet dolorem, statim habet mœrorem Abraham.

Noli

A Noli enim quærere si non est occisus Isaac, sed ex quo proposuit pater, mortuus est patri Isaac. Putas quia & tanta erat crudelitas apud Deum, vt in tantum torqueret Abraham? ipse enim testatur & dicit. *Scio quia ipse & filius eius, mandabit custodire legem & mandata Domini*, vt ex hoc testimonio Abraham non solùm per semetipsum religiosus extiterit, sed & ex mandato & filio, qui & post mortem colit & veneratur Deum per ea quæ mandauit Deus, quemadmodum iste viuens non pœnas sustinuit? dedit ei filium Deus, dedit & tentationem: si esset alius, dixisset vtique, vtinam non accepissem. Abraham autem & accipiens gratias egit, & reddens gratias egit, lucrum vtpote ducens non frui filio, sed offerre, sicut & factum est, sed quemque respiciens habuit, quando autem præcipitur filius offerri? non statim vt natus est, quæ enim nuper nata sunt, necdum tantum habent affectum. Et antequam enim loquantur infantes perdicis aut columbæ locum ad genitores habent, visum enim

Gen. 18. 19.

B tantùm delectant, & incompositè loquentes; cum autem promouerit ætas, & effulserit sensus, & cœperit sensus per linguam promi, floruerint antè ætatis pulchritudines & firmata fuerint membra, istic & initium ipsius corporis vt rosa, aut lilium vel aliquis flos maturus, aut fructus iam paratus, ita & pulchritudo quæ videbatur, & maximè intellectus flectet genitores, & totum se in genitoris euacuat amorem. Mouent autem & filij moribus suis parentes & sermonibus, & loquelis. Et quemadmodum extendit manum filius, quemadmodum patrem hortatus est aut per verbum, aut per linguam, aut per eam quam sumit escam. Loquũtur autem & patres ad filios, & dulcior filij est vox omni alio quod videtur. Nã & frontes filiorum iniiciunt aspectum parentum, & millia alia & alia mouent. Et omnia quæcumque locutus fuerit filius, si per noctem amplexus est, si per diem blanditus est. Cum igitur hæc omnia concurrerunt, & cum maturum factum est donum Dei, cùm domestici in spe fuere, cum amicis allatum est nuncium, cum reddidit Deus Abra-

C hæ promissiones suas, & iam haberet filium. Videbatur enim & ipsi Abrahæ solatium promissionis iam factum, cùm iam Sarra habuerit consolationem, & iam non ab ancilla exprobrationes audiret, cum cognatio audiens esset in lætitia, cum pueri & serui, cum domus maiores, & horum filij, & illi homines quibus peregrinus cohabitabat Abraham, cum vndique excelsum factum esset donum Dei, tunc dicit Deus tanquam ad quendam adamantinum. Abraham accipe filium tuum vnigenitum Isaac, quem dilexisti. Intuetis Deum per adhortationem dehortantem, solito enim vsus est ad Abraham sermone, siquidem & tunc cum præciperet ei exire è patria sua, tali ad eum vsus est sermone, quæ alium vtique prohibuisset exire. Dicit enim ei. *Abraham Abraham exi è patria tua, & ex cognatione tua, & ex domo patris tui*, hæc alius si audiisset, magis fuisset detentus quàm obaudisset. Sed sicut athletis fortioribus iubentes duriora præcipiunt. Oportet te, inquit, portare, etiamsi fueris calce percussus. Oportet te esse patientem, etiamsi ad-

Genes 12. 1.

D uersum oculum tuum, manum aduersarius protenderit suam; & quæcumque illi mandare consuerunt, & athletarum fortissimi sustinere, ita & istic Deus suum athletam adhortans, per duros eum hortatur actus; exi à patria tua, & cognatione tua, & ex domo patris tui, & veni ad terram, ad quam paratum negat, & promittit aliam, & ipsam promissionem in incerto ponit. Non enim dixit illam terram, sed *in terram*, inquit, *quam tibi ostendero*. Sicut enim eiiciens è patria, per ea, quæ prohiberent, eiicit; ita & præcipiens filium eum sibi offerre, per istiusmodi verba iubet, per quæ si esset alius, non obediret. Abraham, inquit, Abraham accipe tu, nec per alium præcipit, sed accipe, inquit, tu filium tuum, & hunc vnigenitum, ait, porrectio tentationis, quem dilexisti, inquit, additamentum doloris aliis. Et post hæc consignat maiorem plagam, dixit enim & nomen filij. Nam & si hæc omnia essent dulcia & idonea, moueret viscera paterna, vt diceret filium tuum vnigenitum, quem dilexisti. Sed nihil tale,

E quantum & nuncupationem eius adnunciaret, & diceret, Isaac accipe, & offeres eum mihi in vno montium. Neque istic designat locum, sed sicut eiiciens eum de patria, ait, veni ad terram, quam tibi ostendero, ita & istic dicit, in vno montium. Et certè multùm commodius si in ipso feruore negotij liberatus fuisset sollicitudine. Abraham, & non audiret itineris laborem, nocturnos amplexus vnigeniti, confabulationes, per dies visum, motum, sermones, ipsum Isaac dilectum. Et quid opus est plura nos dicere? Abraham enim, qui sententiam aduersus filium susceperat, descripserat sibi & abibat habens filium, viuum quidem quantum ad sensum filij, iam autem holocaustum quantum ad inscientiam patris. Et certè tantam passionem habet quod dicitur, & nos qui audimus, & dicimus de his quæ ille in vnigenitum filium suum ausit, commoueri, & conlacrymari, & conturbari videamur. Si igitur nobis dicere tantum & audire non est ferendum sine lacrymis,

F qualis, putas, inuenietur mensura illius conscientiæ? quis sufficiet sermo illius exhibere dilectionem ad Deum? Iter simul faciebat pater cum filio, & inter hæc multa quidem dicebantur, plura autem audiebantur, & infinita agebantur. Erant autem omnia bona. Dei enim donum erat Isaac, & portabat, qui portabat? fortè autem non debet dici quia portabat, sed gaudebat. Et dies vna transierat, & necdum locus ostendebatur. Et nox ad diem, & necdum ad locum peruenit. Et secundus dies, & post diem nox, & alia nox, & nondum finis, sed protensio erat tentationis dilatio. Et quando perueniret, & quando ostenderetur locus, cum iam deberet, quia ergo omnia quæ sunt & in vetere testamento formæ erant noui, tertio die, & tertia nocte sacramentum vnigeniti filij Dei præcurrebat per vnigenitum Abrahæ, quia autem completum sacramentum est trium dierum, & trium noctium, offensus est locus, aduenit & tempus, fortè autem putatis iam liberum esse à certamine tentationum Abraham. Et certè quantum propin-

G quat tempus, tantum tentatio protenditur eius. Et Abraham dicit ad pueros. *Manete hic; Ego autem & filius ascendemus in montem, adorantes remeabimus.* Timuit enim, ne pueri ad Dominum affectum habentes, & maximè ad vnigenitum, prohiberent. Certè quia nunquam Dominus sacrificium hominis petit. Audierant autem quia & secundum promissionem Deus donauerat Isaac Abrahæ; Intuentes verò & ætatem Abrahæ in alio iam tempore constitutam, quia igitur non consentiebant negotio his quæ faciebat Abraham, possint enim dicere quid offers Deo filium nõ petenti? quis enim & ante ipsum iustorum hoc aut ausus est, aut tentare ausus est? Ob quam enim causam petat Deus eum, quem donauit? Cur autem & transferat Deus promissiones suas: vt quid autem & dedit, vt & accipiat, quem indulsit? hos rationabiles cogitatus timens Abraham, præcepit pueris expectare, & secum non ascendere, ne quis ob amorem Isaac mitteret manum, & contaminaret immolationem, quid autem quia & ipsam Sarram,

H quam puto nihil latuisse vnquam quæ Abraham cogitabat, hæc enim conscientia ipsa æstimare nos facit, quæ in illo erat coniugio. Illa quam nihil latuit vnquam quæ Abraham facere, aut mouère voluisset, vel cogitare. Illa ignorauit quia vnigenitus eius, ille sterilis fructus, ille ex insperato filius, ille qui extra ætatem procreatus est. Illa ignorauit quia Deo offerretur, qui donauerat: vt non sicut aliquando risit importunè in promissione eius, & nunc plorans importunè impediret immolationem, sed tacita res est & ad Sarram. Ita enim sciebat & Abraham, & ante mulierem, & Sarram præhonorare Dei præceptum, sciebat autem & ante vnigenitum suum eum, qui donauerat honorare. Sed neque ij qui iter cum eo fecerant, sciebant mysterium, sed *sacramentum meum*, inquit, *mihi*. Tamen cupiens Abraham suadere pueris vt remanerent, locutus est id ad eos, quod nec ipse sperauit, nec sensit, dicit enim ad eos, *Manete hic, ego autem & puer ascendentes adorabimus in monte, & regrediemur*, hoc quidem non sperauit, hoc au-

A tem impetrauit, & vsus est Deus eius lingua ad prophetiam. Cùm ergo dicitur Abraham propheta, & quæritur à multis vbi prophetauerit Abraham, scire oportet, quia maximè quidem cui reuelauit Deus semetipsum, quantum & possibile fuit Abrahæ vt reuelaretur ei; iste ipse vocabatur propheta. Alia autem inuenimus eum istic prophetantem, vnam quidem prophetiam, quam diximus: secundam autem eam, quæ insequitur. Sed sequentem fortè dicere perniciosum est, & audire perniciosius, quemadmodum putas, sustinuit ea quæ passus est? quemadmodum caritas omnia sustinet. Et pueri quidem remanserunt, præcepit enim Dominus; Abraham autem accipiens ignem & ligna, & gladium, ascendit cum filio, ipse filio suo imponens ligna. Et certè scimus Abraham per semetipsum vitulum portantem ad susceptionem eorum, qui aduenerant. Quid autem nunc nec partitus cum filio pondus est, sed omnia ligna imposuit filio, volens iam acceptum habere donum, si-B gnificabat autem, quia incipiet immolari, quemadmodum portare crucem per semetipsum. Cum autem promoueret iter & agnosceretur montis cacumen, & ignis in medio, & ligna in collo Isaac haberentur, & gladius appareret, Isaac vndique prudens, quod alij pueri non dixêre; iste requirit à patre. Tentationem vtpote quam habebat pater, eloquitur dulcissima, aut potius dura voce. Magis autem non tantum graue, quantum dulce, *Pater* enim, inquit, sufficit hoc ad flectendum patrem, quique & coniungit alia & dicit. *Ecce ignis, ecce ligna, vbi est ouis in sacrificium?* quis alius portasset istam vocem? Ex aliis quidem hominibus nullus. Iustè ergo Deus Abraham dilexit. Adamantinus autem ille, vnigeniti sui sagittam accipiens, non tacuit ferens, sed potuit loqui, potuit respondere, & neque linguam offendi dentibus: potuêre autem & dentes aperiri, & dare spatium linguæ, sed nec fortè ista dicere de illo licitum est. Non enim ex his, quæ nos patimur illius virtutem accusemus, sed & lætus & exultans, erat enim Abraham; C respondit ad filium non crudeliter neque inhumanè, sed religiosè & piè, dicit enim ad filium, *Dominus prouidebit ouem sacrificio suo, fili.* Ecce alia prophetia, quæ ab eo, qui locutus est, ignorabatur; propositum autem erat hoc quod ait. Dominus prouidebit ouem sacrificio suo, fili. Sicut enim ille incipiens sermonem ait, *Pater*, ita iste consignans verbum, dicit, *fili.* Audiuit ouem, & accepit vt à patre, certus quia quod inuentum interim non erat, inueniretur. Cum autem peruenissent ad locum, ædificabat Abraham festinans altare, & cùm construxisset, mentitur ad filium promissione, quæ per linguam fuerat facta, non tamen eam, quæ in corde erat absconsa. Et accedit pater Abraham, & accedit ad Isaac, & ligat: filium Abraham ligauit, vt nec palpitans, nec se mouens turbaret immolationem: quo, putas, vultu respiciebat filium Abraham? quis ei erat color? quemadmodum sine tremore manus operabantur? quis, putas, tunc erat Isaac in his constitutus tacens aut loquens? scriptura enim hoc tacuit. Putas quia iustis in his sermo-D nibus vsus est? Noli enim attendere, si puer, sed quia Isaac erat filius Abrahæ. Putas non dixit ad patrem, quando Deus sacrificium hominum deposcit? quid facis? donum sum Dei, sine pœnitentia sunt, quæ à Deo sunt dona: quid spernis gratiam? quid contra voluntatem donantis interficis donum? Erant multa quæ dicerentur. Cur autem & mater non agnouit? si enim rationabile est quod fit, cur & à seruis abscondisti? si autem & hoc fieri deberet, cur mihi ipsi hoc ipsum, non palam facere voluisti? promissionem, quam dixisti, exigens; dixisti enim, quia Deus ouem prouidebit sacrificio suo, fidelis es, redde fructum fidei, vtpote, quæ dixisti. Erant multa quæ dicerentur. Et non vtique ea, quæ nos dicimus, ipsa etiamsi non sint scripta, iam nos adducunt ad rem. Mouetur enim sensus consequenter vt sese negotium habet, & aduenientes sensus in illo tunc tempore in quo hæc agebantur cogitemus. Si tacuit Isaac, grandis admiratio est: si dicebat iterum aliquid, alia admiratio. Quemadmodum potuit sustinere pater? quomodo cutre-E bant manus eius? sed istæ admirationes in aliis hominibus habentur, in Abraham autem contraria erat admiratio, finis autem sermonis. Fortè vrgentur vniuscuiusque viscera, & quod est mirandum, quia certi ex scripturis quæ sint acta, & quis fuerit exitus negotiorum, tanquam periclitantes sermone, ne quid aliud proueniret quod est scriptum, ita solliciti sumus. Completa fuerunt Abrahæ omnia quæ ad alacritatem tendebant. Ligatus ab eo fuerat filius, & exaltatus in altare, & positus supra ligna, & filius desuper alligatus, & pater velox manu gladium apprehendit. Quo accepto properabat occidere, non differens quippe alacritatem ac donum. Erat autem & manu & alacritate patris Abrahæ, Dei velocior vox. Abraham quia alacritate præcesserat, præcepto præuentus est Dei. *Abraham Abraham*, bis vtitur voce, quia & ab initio præcepti: quia enim fortè & dubitare, sed præuenit qui præcepit, eadem vtitur voce. Sicut enim dixit antea Abraham Abraham, accipe filium tuum vni-F genitum Isaac quem dilexisti. Ita & istic Abraham Abraham. Ipse enim qui illa præcepit, & nunc loquitur, & dicit. *Noli contingere filium tuum*, habeo donum, habe & tu filium. Secundò tibi & hoc munus dono. Effulsit tua caritas, agnita est fides tua. Erunt ista quæ à te acta sunt adhortatio eorum qui post te futuri sunt. Decantabitur id quod fecisti in progenies futuras. Habes fructum fidei, habes & fructum ventris, habes & sterilis filium, habes & ex altari immolationem. Accepit Abraham secundum filium: Putas tristatus, quia non perfecit promptum animum suum? sed Abraham est, nescit tristari: Ignorat perscribere id quod gaudens accepit? non quia non obtulit, Deus præcepit, gaudens obtulit; sed quia in nullo inobediens fuit. Vbi ergo est prophetia quam ait Abraham, *Deus prouidebit sacrificio suo ouem?* Num otiosum erit altare? Num vacuum totum quod factum est? Quid autem opus erat videri ludere Deum; Si enim iste quidem non offerebatur, Deus autem præcepit eum offerri, oblatus autem, non est oblatus, quid necessarium erat in re, quid necessa-G rium erat? oportebat præformari nouum testamentum à veteri? & apud Iudæos quidem aut parua inueniuntur ista, aut otiosa. Si autem nouum additum fuerit testamentum, & lumen effulserit verum, vtilissima & non otiosa, & necessaria & non superflua apparebunt. Si enim interrogauerimus Iudæos vt quid offerebatur Isaac qui non est oblatus, incerti sunt & imprudentes. Si autem Ecclesia dixerit quæ vera sunt, quia oblatus est non vt offerretur, sed vt appareret quia ouis ligno pendebat pro homine, vt liberaretur homo à morte, non concedunt nobis Iudæi magnificare vetus per agnitionem noui: Interrogauimus enim eos, quam ob causam hæc omnia fiebant, oblatus non offertur. Sed dicent, vt agnosceretur Abraham à Deo; latebat enim eum & ante tentationem? sed vt ab hominibus. Erant eius & aliæ rentationes plurimæ, putas quia vt sciretur, nihil fit amplius? vt lucraremur qui post hæc lucrati sumus? Quid opus erat oue? puta quia & oue, cur non tantus appa-H ruit? cur non capra aut vitulus? cur non alia magna immolatio, sed ouis? puta quia ouis. Cur non in terra visa est ouis? cur non extra altare, aut in cominus apparuit altari? Siquidem hominum esset adinuentio aut compositio de oue, oportebat alibi inueniri. Si autem Deus pro homine ouem præbebat, subito in ipso loco debuit, vbi erat Isaac, in ipso altari, aut in terra, aut iuxta altare, aut ligatum ad radicem arboris. Nunc autem apparet ouis suspensa, & à cornibus, & suspensa in arbore. Natura autem interpretabatur quod erat occultum. Si quis enim suspenderit ouem à cornibus in arbore id quod sequitur, videbit quod erat futurum. Necesse enim est istam quæ ita pendet in arbore ouem, separatos expandere pedes priores, hoc enim expedit oui quæ ita suspenditur. Necesse est enim & separari eius qui deorsum sunt pedes. Cum igitur ouis suspensæ in ligno, & in arbore expansæ fuerint manus & pedes, neque interpretatione indigent hi qui habent oculos mentis. Sed quis est qui periclitabatur occidi, homo. Quid est quod pro

homine

A hominе immolabatur? ouis suspensa in signo. Tanquam si diceret Deus ad Abraham, Non tuus vnigenitus necessarius. Sed currat quidem forma per tuum, seruetur autem meo vnigenito quod fit. Ita ouis apparuit pro homine, & hoc in ligno, & hoc suspensa, & hoc cuius hæserunt manus & pedes tanquam in cruce, & prophetia Abrahæ efficitur duplex. Quod enim ait, *Deus prouidebit ouem sacrificio, fili.* Et tunc quidem completum est in comparatione, seruabatur autem in mysterio veritati. Quid igitur sibi vult iste sermo incurrens ostendere, quia Abraham totam suam vitam transegit in angustiis, in tentationibus, in doloribus. Si enim in ista vita spem haberet, fraudatus esset à spe. Cùm igitur gloriati fuerint Iudæi in Abraham, necessitatem habebunt & resurrectionem confiteri. Hoc ad illam Saducæorum partem qui negant prorsus resurrectionem futuram, rectè diceretur. Quia autem alia pars, hoc est Pharisæorum, resurrectionem quidem confitetur, resurrectionem autem talem dicit futuram, vt iterum manducetur & bibatur, & coniugiis vtatur, vt ne quidem resurgentes cessent manducantes & bibentes, & coniugiis se coniungentes, venter enim magis sunt quàm homines. Et sicut quidam morientium, qui ante fuère in deliciis viuentium putant esse fraudare ista vita in morte, in monumentis, & circa ianuas sepulcrorum semetipsos depingunt, & vel in imaginibus, & post mortem manducant. Ita & Iudæorum Pharisæi volunt & post resurrectionem tanquam depicti iterum manducare & bibere, & nubi & nubere. Recumbunt enim & picturis apud istiusmodi, & meliores suæ. Nos autem præsiliamus ad id quod verum est. Si enim talis esset resurrectio, excusaremus vtique resurgere. Iterum enim exurgere, & arare, & metere, iterum manducare & bibere, iterum spoliari & vestiri, iterum dormire & vigilare. Sed aduertamus quid dicat Apostolus. *Si in ista vita spem habere mus in Christo, miserabiliores omnibus hominibus essemus.* Si enim ita statuit Deus vt in ipsis iterum simus, vt quid nos & quiescere facit? Hoc enim ludentis est potius, concedere mori, & iterum ad ipsam resurgere vitam. Si enim ita resurgeremus, oportebat. Abraham vt non amitteret quæ hic sunt iam perfrui ea quæ esset in resurrectione accepturus. Si enim cum voluptate bibere & epulari vita est, in quacumque hora non cum voluptate bibimus, fraudaremur à vita. Sed verè Iudæorum *venter est Deus*, sicut dicit Paulus, qui est ex Iudæis, qui Iudæos quidem passus non est, veritati enim credidit in Christo. Quid autem dicent nobis & de Isaac, qui iam habebat dolorem immolationis? Habuit autem & post hæc easdem ipsas tribulationes, quas & pater. Coniugis inquam suæ, quæ parere non poterat, nuptiarum mœrorem, commanentium deceptiones, fraudes laborum. Hæc donat Deus suis, dolores, tribulationes, angustias. Si Deus hæc promisit. Iacob autem electus ille & qui ante Esau factus est, viginti & vnum annos seruit, tunc maximè cùm adolescentia ei dabat epulari, & in paternis dum ageret, suspectus erat ne occideretur à fratre, & in soceri domo seruus: in itinere autem lapidem ponit sub capite suo, & cum virga sola ambulat. Hæc nuditatem quidem significant ipsius hominis. Sacramenta autem quæ per Iacob fiebant, petram supportantem caput eius, qui persecutionem patiebatur, & virga in manu ostendens viam fugienti. Ego sanè audiui Iacob dicentem, quia *per diem comedit eum ardor solis, & frigus semper per noctem sensit.* Si ista beatitudo est, valde odibat Deus Iacob, Esau erat autem in deliciis. Audio sanè Deum dicentem, *Iacob dilexi, Esau autem odiui.* Dicant igitur nobis Iudæi. Si iste est fructus promissionis, si ista est spes, num odit Deus Iacob de quo dicit quia dilexi? Sed tunc cùm liberatus à seruitute esset, non refugit vt saluaretur? Fugiens autem non est comprehensus, & in timore stetit. Sed fugiens insequentem se socerum nónne occurrit fratri suo? nónne timor timori successit? Sed quia liberatus & ab isto est: nónne habuit in senectute sine consolatione dolorem? Habuit enim Iacob & alium Isaac. Habuit inquam

Margin notes (left column): B; 1. Cor. 15. 19.; C; Philip. 3. 19.; D; Gen. 31. 40.; Mal. 1. 2. Rom. 9. 13.

E Ioseph, illum bonum & dilectum sibi, bonam progeniem suam, amatum autem de eo dolorem. Et habuit quando & sterilis erat & istius mater, & Iacob non cessabat orando. Iam autem & in opprobrium erat. Deflebat enim sterilis, & dicebat ad virum. *da mihi filium, aut moriar.* Soror exaggerat. Ancillæ habebant, & libera non habebat. Dolor gemitus & tristitia erat iisdem. Sed misertus est eis aliquando Deus, & natus est Ioseph ille bonus vndique corpore in tantum, quantum testatur quæ victa est. Mentem autem quantum testatur pater, qui prærogauit his, qui antèa fuerant nati. Testatur autem & apud Ægyptum dispensatio, quæ toto facta est mundo. Testatur & scientia linguæ quam ignorabat, & mirabilia intellectibus pueri erant, sed pulchritudines hæ saluatæ, lætificant, bonorum autem casus sine solatio dolorem parabant. Erat igitur in timore patris Ioseph. & cùm adesset cum eo, ne fortè talis non permaneret saluator, ita mordebat & timorem ingerebat patri per ea quæ loquebatur, per ea quæ aiebat, per ea quæ tacebat. Quid ergo quia Ioseph erat talis & secundus solus matris suæ & dilectus patri, & fratres quidem eius mittebantur vt pascerent gregem. Ioseph autem ad caritatem patris non est missus cum fratribus, quia habebat tunicam singularem ad agnitionem præcipuæ caritatis. Non suffecerat Iacob fratris liuor, fratris inuidia, seruitus in peregrinatione, fuga à fratre, comprehensio insequentis, obuius à timore frater, vt vix acciperet Iacob à sterili ipsius matris mors, desupra hæc omnia decem & septem dum ageret annos in ætate Ioseph; tunc cùm augetur bona excidere bonis quantus est dolor? Et mittit pater dilectum suum filium, quem in multis fratribus habebat vnigenitum, mittit pater filium vt visitaret eos qui erant in solitudine fratres. Puto quia & dum legitur vetus testamentum, magis nouum est quàm vetus. Mittit pater filium suum quem habebat in locum vnigeniti, nam & singulari veste separauerat eum à fratribus, mittit filium de quo prædictiones erant; prædictiones autem quas ipse quidem viderat Ioseph, non absconderat autem à fratribus suis, erat enim frater. Dicebat enim ad eos. *Metebamus.* inquit, *& meum manipulum erectum est, vestri autem vndecim circuitu adorabant.* Bene iam occasio esse cœpit, vt adorarent fratres. Audierunt fratres, & efficax somnium statim intellexerunt, & aiunt ad eum. *Num adorauerimus te nos? regnabis enim aut tenebis nos?* Fortè autem irascebatur primogenitus & primogeniti, quia iunior volebat omnibus prærogari. Voluit enim somnium videre vt hoc velit, num increpatur aliquis cur somnium viderit? Tamen obiurgatum Ioseph est & hoc secundo videt, & ne quidem secundò abscondit ab his qui irati fuerant de priori. Ita erat frater ad fratres. Illi autem ex secunda visione firmantes priorem, duplicem habebant inuidiam, & indignationem, & iram aduersus Ioseph. Narrauit & patri somnium, quia sol & luna & vndecim stellæ se adorabant. Solem quidem in loco patris intellige, lunam autem in loco matris, & cætera. Videtur reprehensibile esse; quia mater eius non vidit eum in gloria, quemadmodum ergo adorauit? aut nunc quæritur locus matris quem impleuit coniux patris? Simul autem magis stellæ vndecim, hoc est vndecim fratres. Fortè autem ideo ex sideribus quæ in cœlo sunt apparuit somnium, vt pretiosa ostenderetur prosapies generis eius. Præfectæ sunt itaque prædicationes, prædicta enim sunt, quæ sunt prædicta. Et tunc mittitur à patre, de quo & prædictiones. Prædixerunt enim prophetæ, & tunc missus est filius à patre Christus. Ioseph autem filius veniebat à longè ad fratres frater. Magis autem ad non fratres frater. Illi autem videntes eum à longè venientem, dicunt ea quæ & in Euangelio scripta sunt. *Iste est heres, venite occidamus eum, & nostra erit hereditas. Ecce*, ille inquit, *somniator venit, venite occidamus eum, & mittamus in vnum è lacis*, adnuntiantes quia non solùm interficietur, sed inferiorem locum habebit. Et Ioseph quidem adpropinquauit, adpropinquauit ad iudicium fratrum, ad visitationem malorum: illi

Margin notes (right column): Gen. 30. 1.; F; G; Gen. 37. 7.; Ibid 9.; H; Matth. 21. 38. Genes. 37. 20.

A autem benefactorem accipientes occidunt, quantum ad propositum, & occidissent vtique, nisi qui prohibuit Isaac ne occideretur. vt verò seruaretur passio, permisit & istic firmam esse formam. Quemadmodum ergo forma occiditur, & non occiditur. proposuerunt occidere Ioseph. Iam ad propositum interficientium mortuus est Ioseph: quia & proposito Abrahæ oblatus Isaac est, & immolatus. Illi autem non solùm non sunt contenti proposito suo, sed accipientes eum facto impetu voluerunt quidem occidere. Detenti autem ab vno sunt, qui prophetauerat fratri, & mittunt eum viuentem in lacum, adnuntiantes quia viuus descendit in lacum pro mortuis Christus. Hædum autem occidentes, tunicam Ioseph tingunt in sanguine hædi, vt esset suspicio per sanguinem, vt inter mortuos liber viuens. In lacu itaque interfectus est Ioseph, coinquinata enim erat eius tunica à sanguine. Erat autem viuens in lacu post interfectionem quæ in tunica fuerat facta. Transeunt B quidam è gentibus, quibus seruabatur bonum quod erat in lacu, & mouet spiritu vnum è fratribus consolare suum errorem & dicere; *non occidamus fratrem.* Amatores autem pecuniarum fuère & Iudæorum patres, & Iudas consiliator eorum, & dixêre, *Non occidamus*, inquit, *eum*, quia non sumus eius digni. Non sit nobiscum qui beneficium nobis impertit. Distrahitur itaque Ioseph, & tantum à comparatoribus accipiunt pretium, quantum dederunt & proditori Iudæ, vt & pretium consentiret sacramento. Iudæ autem erat consilium & tunc vt tantùm distraheretur Ioseph. Iudas autem est, qui & in Euangelio distrahit Domino. Ascendit è lacu qui iam fuerat interfectus per tunicam, & in lacu putatus mortuus ingreditur Ægyptum. Et iterum istic per insomnia & visionem adunat fructus alimonias mundo, & quem interfecerunt Iudæi & distraxerunt, istum adorant gentes dum pascuntur. Non enim Ægyptios solos pauit Ioseph: sed ex omni mundo confluebant omnes gentes & populi, ad formam vtpote Domini C Iesv. Ioseph autem iam pascebat fratres ipsos, scilicet qui se distraxerant, & pretium acceperunt suum. Gratis accipiens gratis dabat. Et illi quidem eius acceperunt pretium, ipse autem tritici pretium non accepit. Vbi ergo eos qui affixerunt cruci & distraxerunt pascit Dominus Iesvs? Ex ipsis Petrus est, ex ipsis & Paulus, & cæteri Apostoli. Et fratres & Apostoli ad Paulum dicunt. *Intueris*, inquit, *quanta millia sunt in Iudæa qui crediderunt?* quid autem si non crediderunt quidam? nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit? Absit autem. Et contumaces volumus pasci per Iesvm. Prohibuit eos idolis seruire. Sed sermo ad proposita festinat, vt ostendat & dolorem Iacob, & quia non ista vita spes est religiosis. Putas potest sustinere sine lacrymis audire cum tunica illa sanguine tincta in manu Iacob est posita cum voce illa conficta? *Istam*, inquit, *inuenimus*, istam sanguine pollutam agnosce cuius est tunica, agnosce tuum dolorem. Dolor quidem erat patris de mortuo Ioseph. Erat non ferendus dolor, quia D nec ante oculos suos decesserat filius, videtur enim istud solatium esse, quia affuit, quia nouissimam eius vocem suscepit, quia & dimisit ei ad consolationem verbum, quia reliquias eius commendauit terræ. Cùm autem mortuus fuerit Ioseph, quantum ad nuntium exspectat, quantum ad distractionem & incertum sit homicidium aut mors, incisa autem sunt patris viscera. Omnia suspicatur, omnia sibi describit & multas mortes pro vna imitatur. Si quis sustinet vel auditum non solùm qui genuit, vel qui audiuit, tunica composita & scissa, ita vt & paterent morsus feræ impressi per tunicam. Vtinam dixissent, quia & in lacum cecidit ambulans & videbatur figmentum proximum veritati haberi. Sed suspecti sunt ne arguerentur. Requirebat enim ab eis reliquias pater. Suspectus itaque Iacob est, quia mortuus est Ioseph, & esca factus est feris. Nunciauerunt enim fratres, testabatur & tunica. Quis portaret, quis sustineret memor illius Ioseph; cùm esset cum patre antequam distraheretur? decem & septem annis erat ei

Act. 21. 20

mortuus & tunica immortalem suggerebat mortem. Sicut enim misericordes sunt patres, nonnunquam vt retineant figuras filiorum per colores depingunt, easdémque recondunt in domibus, vt putant quidam ad consolationem. Effigiantur ad admonitionem dolorum, ita & tunica illa recondita domi, & habens sanguinem inueterescentem non hædi putatum sed Ioseph & morsus compositi, & impositi ferarum & hoc siluestrium, semper faciebant dolorem Iacob. videns, condiscens, tangens semper filium per illam tunicam, tangens eam & oculis videns. Et ne quis reprehendat sermonem quia dolentem introduco iustum, sunt enim & misericordes religiosi. Nam & audiuimus eum dicentem. *Cùm omnes*, inquit, *filij & filiæ accessissent vt consolarentur eum, non suscepit eorum consolationem.* non sinebat enim tunica sanguine tincta. Dixit enim *descendam ad infernum cum dolore ad filium.* tantus erat dolor. Vbi ergo promissio est? cuius promissionem impletam patri deflenti aut filio morienti? Nam etsi non est mortuus, tamen timorem expertus est mortis. Puta quia non est mortuus, non est distractus, non seruiit? Ille qui in sinu lusus patris agens, non mittebatur foras, nunc seruit. Seruit autem, & seruitutem Ægyptiorum. Sed non permisit eum Deus, habuit solatium. Dilexit enim eum qui emerat, quem oderant fratres. Quid igitur, istic putas obdormiuit inuidia? putas despexit Diabolus consolationem Ioseph. Habebat coniugem Ægyptius, per mulierem igitur diabolus machinatur. Diligitur, inquit, bonus non benè. Et verè nunc incurrit in feram Ioseph, & figmentum fratrum transiuit ad actum. Mulier insistens, mulier semetipsam decorans, ad laqueum verbis illiciens, lapidibus suadens, odoribus capiens, & varias vestes vt retia expandens. Et intuere mihi peregrinum & adolescentem. Intuere eum qui non habebat patrem, non matrem præsentem. Intuêre distractum à fratribus, & contra dignitatem seruientem ingenuum, & memor esto verborum, quæ à muliere promebantur, & illa ficta mulieris blandimenta. Intuere & diuitias Ægyptij ostensas à coniuge, promissiones mulieris, tristitiam pueri, pueri angustiam, mulieris abundantiam, potestatem enim habebat domus additamenta tentationis. Dicebat enim mulier multa, non audiebat autem pudicus. Depingebat sibi oculos illa: Ioseph autem suos claudebat. Illa se lapidibus coronabat, & ille se à lapidibus ne offenderet custodiebat. Illa contorquebat capillos suos, & ille vitabat vt vincula. Illa variis vestimentis vtebatur: & ille intuebatur opificiorum varietatem. Illa mouebat thymiamata ad odorem, ille autem odorem pudicitiæ odorans, domabat suam adolescentiam iunior quantum ad ætatem, senior autem sapientia. Cùm autem non valuisset mulieris blandimentum, transtulit blandimentum ad vim. Noua quippe tragœdia in primo fiebat Ioseph, fortè & solo. Si quidem à viris vim pati mulieres, natura ipsa mulierum suadet: Ioseph autem solus à muliere vim periclitabatur sustinere. Accessit enim mulier ad adolescentem, sola ad solum, hominum videbat nullus. Ille autem qui ab hominibus non videbatur, Deum inuisibilem intuebatur. Immittebat fera vngulas suas ad tunicam Ioseph. Ille autem qui consueuerat tunica saluari, & qui tunicam fratribus dedit, & à deceptione fratrum est liberatus, reliquit & nunc tunicam in manu mulieris, vt non dimitteret suam animam in manibus impudicitiæ, & exiuit nudus à tunica, pudicitia autem amictus sua, illo sancto & pudico vestimento indutus. Mulier autem videns pueri constantiam, & pudicitiæ imperium, detinens tunicam eius sicut canes irascuntur ad lapides qui ad eos fuerint missi, & sicut frequenter quidam effugientes bestias partem vestimenti iactantes faciunt eas iram in partem vestimenti deponere suam. Ita illa leæna, aut alia quædam bestia dira, tunicam pudici accipiens & manibus & vngulis comprehendens & tenens, & scindens vndique componebat falsam adinuentionem suam, pudico adscribens & honestiam ad se transferens. Impudenti enim clamat voce, & conuocat aduersus se conuictionem & dicit. *Venite*, inquit, *& videte*,

E

Gen. 33. 35.

F

Gen. 39.

G

H

introduxit

A *introduxit puerum Hebræum.* Dicitur ingenuitas, vt illudat nos, subingressus est mihi volens vim facere. Putas non offendit lingua impudentis! Miramur si non est mutatus eius color? Conscientia enim, etiamsi occultet factum, tamen per vultus sua producit vestigia. Conferebat autem ad figmentum color imitatus. Videbatur enim ad vim esse durata, quam ipsa quidem fecerat, passam autem se confingebat. Subingressus est mihi, inquit impudens. Subingressus est mihi dicit, quæ subingressa est & clamaui ait. Et certè non clamasti, nisi posteaquam egressus est adolescens, & reliquit, ait, suam tunicam, & fugit. Et certè non est vim facientis vt relinquat suam tunicam. Ad conuictionem superuenit & Dominus domus, qui omnem domum crediderat Ioseph. Accedit ænea fronte mulier, & iterum repetit figmentum quod fuerat meditata, lachrymansque & deflens, aut quia non potuit obtinere, aut quia contempta est, aut quia non manibus eum iam præfocauit. Desiderium enim contemptum ad iram conuertitur. Quid
B igitur in his agitur? Pudicus accusatur ab impudica. Non miraris, quia non statim aggressus est vir, & hoc Ægyptius callidæ naturæ homo & loci, laniauit adolescentem: si quidem ætas habet suspicionem, & quæ vocabat & accusabat, & qui ad vocem eius cucurrerant, & tunica quæ retinebatur, mouebat Dominum ad indignationem, & honor qui erat datus ei qui fuerat distractus. Mouebat autem & suspicionem pulchritudo. Et tanta quidem erant quæ ad fidem prouocabant. Sufficiebat autem ad operis dubitationem pueri sapientia & pulchritudo. Cur enim eum non statim disparauit? quia sciebat pueri mores, medius autem factus fidei & incredulitati dilaniauit, sed dubitans non disparauit. Et quidem ipsum quia non credidit, ad carcerem misit, qui & susceptus est. Quæ igitur dinumerabimus Ioseph? bonam eius interfectionem dicemus, aut bonam iactationem in lacu, sed distractionem, sed seruiturem, posthæc sed exsurrectionem mulieris impudicæ, sed factam calumniam & accusationem falsam in adamantinum
C adolescentem. Non est locutus Ioseph, non fecit satis qui calumniabatur: non est confusus pro impudenti, maluit mori calumniatus, quàm vti veritate ad salutem. Putas & istic imitator est & forma eius, qui non aperuit os suum cùm calumniaretur. Sed Ioseph iterum ad carcerem. Et vbi est Iudæorum spes? Sed de resurrectione proponentes dicere, incurrimus in necessarios sermones qui non alieni sunt à resurrectione. Et videmur quidem protrahere tractatum diu hoc exposcentre & maturam refectionem tenere. Sed fortè nec immorari est ad otium, oportet enim constantes fieri ad mortem, & ita refici escis. Efficiamur igitur & nos medij, & neque extra mensuram protendamus sermonem, non sinit enim tempus, neque iterum valde colligamus, vt fruamur & festiuitate. Et quia nos ex anima & corpore sumus compositi, pascamus animam mensuris propriis, vt & ipsa reficiat corpora à constantia. Sed quid vultis? dimittemus Ioseph in carcerem, & quem Deus non reliquit in
D carcere, nos sermone pingentes relinquemus ligatum? Et quis adhortabitur pudicitiam studere? quis autem amabit continentiam videns in carcere derelictum Ioseph? Et certè si relinquatur Ioseph in carcere, & mortuus fuerit cum pudicitia, spes resurrectionis non circumscribit spem. Sed quia non dimisit eum Deus in carcere, simus patientes, & audiamus eius egressum. Et cùm ille fuerit emissus, tunc & nos dimittamur cum eo. Ioseph igitur erat in carcere habens delitias ex vberibus pudicitiæ, honestate indutus, diligens magis carcerem, quàm amorem illius bestiæ, amatorem fœtore frui, istum enim præhonorabat vnguentis. Ast pudicus amplectens vincula magis, quàm ornatum Ægyptiæ, amans oculorum tenebras propter lumen animæ, libenter audiens gemitus carceris, quàm videns lapides in luxuriosa fronte & immunda. Vbi ergo sunt prædictiones? Gen. 40.
Noli properare, & audies. Irascitur Pharao duobus pueris suis summis è ministerio, iratus est Pharao, quia propitius erat Ioseph Deus. Mittuntur ad carcerem, & simul cum Ioseph recluduntur. Ioseph autem & in carcere & istic fidelis. Sicut enim creditam accepit domum E Ægyptij, custodiunt fidem etiā cùm calumniaretur. Non enim detulit damnum, sed passus est ipse potiùs iniuriam pati quàm facere, & differre domum eius qui sibi crediderat. Creduntur & religat in carcere eum qui erat in carcere. Flos enim pudicitiæ adnuntiabat per frontem puerum. Et in tanta abundantia habebat solarium, vt ipse esset qui consolaretur tristantes. Habebat enim frontem pudicitia germinantem. Suscepit & pueros Pharaonis, eosque statim consolatur, quia erat susceptor & nepos Abrahæ, & sapiens valdè. Ingressus igitur in vno dierum ad pueros Pharaonis vidit vultus eorum immutatos, & intellexit, quia mens eorum erat turbata, & interrogat causam, quæ ista esset in eis immutatio. Illi autem promunt insomnia, & hæc duplicia. Sicut enim & in paterna vidit domo, & procurauit Deus, licet & contraria sibi essent somnia. Primus exponit somnium qui viderat bonum, vt adhortatio fieret secundo ne taceret. Si enim fuissent vtrique somnia bona, F fortè suspicio fuisset, quia vtraque donans benè interpretatus est Ioseph, vt eos consolaretur potiùs, quàm veram interpretationem somniorum diceret, & fortuitum putaretur negotium, & iterum qui perniciosum viderat somnium secundus non diceret, & non fieret duplex testimonium. Nunc autem exponit primus, qui bonum habebat somnium. Erat enim supra vineam regis & dicit. *Vitem videbam, & in vite tres fundos, & ipsa* Genes. 40. 9. *germinans attulerat maturos botriones vuæ, & calix Pharao in manu mea, & sumpsi vuam & expressi eam in calicem in manibus Pharao.* Prudens & sapientissimus Ioseph, qui à Deo edocebatur, statim ad interpretationem currit & dicit. *Tres fundi tres dies sunt adhuc. Triduum & in mente habebit Pharao initium tui, & restituet te super vineam in officio tuo, & dabis calicem in manus Pharao.* Lætatus est audiens, & statim mutauit colorem. Horratus autem & alius est semetipsum, habebat & ipse similem visionem. *Et ego,* inquit, *vidi som-* Genes. 40. 16.
nium. Putabam me tria canistra helice tollere super caput G *meum.* Sicut illic tria & istic tria. *Et in canistro superiori ex omnibus generibus ex quibus Pharao rex manducabat, opus pistorum,* erat enim supra pistores, *& volatilia cæli comedebant ea de canistro quod erat supra caput meum. Etiam,* inquit, *& tria tua tres dies significant.* Sed quia non ministrasti in manu regis, volatilia autem comedebant ea, manifestum est quia inciso capite tuo, & affixa carne cruci, volatilia manducabunt carnes tuas. Hoc enim adnuntiat somnium tibi. Et cùm tertius aduenisset dies, & regis haberetur natalis, memor fuit summorum illorum ministrorum. Et illi quidem qui supra vineam erat concedit, vocatus enim est, & stetit ante conspectum regis, & dedit calicem in manum eius secundum interpretationem Ioseph. Præpositi autem pistoris admonitio magis feruere fecit indignationem regis, & incidebatur capite, & volatilia perficiebant visionem. Quid hæc ad Ioseph? maximè quidem quia intellectus H erat in eo & reuelatio, & quia & eorum qui in carcere erant consolatio habebatur, quia & illic creditum est ei. Dixerat autem vini præposito. *Memento mei per temetipsum cùm cœperit tibi esse bene, & facies in me miserationem, & memorabis de me Pharaoni, & educes me de isto carcere: quoniam furto sublatus sum de terra Hebræorum, & hîc nihil mali feci, sed miserunt me in domum loci huius.* Quia enim hoc ipsum credidit in homine, additum est ei biennium. Emendatus autem est ob istum sermonem per biennium Ioseph vt esset in carcere. Non enim intermittit Deus sanctorum errores diligens eos. Si qui errauerunt, statim corrigit, vt non maneat eis in iudicio. Dixit enim homini. *Memor esto mei, & educito* Gen 41. *me de carcere isto,* obliuiscetur te homo, & protendetur tibi biennium tempus. Sed non est oblitus Deus, sed assistit Ioseph Pharaoni primò & secundò. Erat enim visio Pharaonis omnis de frugibus & cultura. Illic enim boues feminæ erant, septem bonæ aspectu & electæ carnibus, & culmi septem spicarum, oportet enim coniungi

A insomnia spicas septem plenas, & septem tenues. Quia enim cultus terræ per boues efficitur, per culmos autem spicæ. De prouentu autem & fame erant insomnia regis, per domesticas visiones, dantur & prouisiones. Septem erant spicæ plenæ, & septem vaccæ pingues: Succedebant autem vaccis quidem pinguibus vaccæ macræ, spicis autem bonis & plenis spicæ tenues. Pro septem spicis plenis septem spicæ tenues. Comestæ sunt pingues vaccæ à macilentis vaccis, & spicæ à spicis, & in fame habebatur Ægyptus, & in turbela Pharao, & vini præpositus admonitus est dicens. Dicam an taceam? tacui tanto tempore. Sed si non dixero, perient Ægyptij. Meum inquit errorem, meum peccatum admoneam. Putas cùm repeteret & diceret, cùm iratus esses nobis, admonitio sui peccati, erat autem taciturnitatis. Fieri enim potest quia vtraque admonitus est, & vtraque dixit. Quid ait ad regem? *Peccati*, inquit, *memor sui hodie: Pharao indignatus est pueris suis & misit nos in carcerem, in domum præpositi coquorum me & qui supra pistores erat. Et vidimus somnium vterque vna nocte, ego itidem ille, vnusquisque somnium vidimus. Erat autem ibi nobiscum adolescens puer Hebræus præpositi coquorum, & enarrauimus illi, & interpretauit nobis. Et factum est, sicut interpretatus fuerat nobis, sic euenit, me restituisti in officio, illum autem suspendisti. Et misit Pharao vocari Ioseph.* Conuicta enim iam fuerat sapientiorum sapientia, quæ somnium regis interpretari non potuit. Et eduxerunt eum de carcere & totonderunt eum, & mutauerunt vestimentum eius. Iterum è lacu Ioseph. Iterum è carcere exiit, & venit ad Pharao. Dixit autem Pharao ad Ioseph. *Somnium vidi, & qui interpretetur illum non est.* Conuicta enim iam fuerat Ægyptus, conuicta & sapientia quæ pollicebatur multa. Ego autem audiui de te dicentes, audire te somnia & interpretari ea. Confirma ergo nobis famam tuam. Religiosus autem Ioseph respondit ad regem, & dixit. Sine Deo non respondebitur salutare Pharao. *Dei enim est*, inquit, *interpretatio.* Ego nihil possum vt possim. Exponit autem duplex somnium Pharao, quod erat in vna virtute. Cur autem secundum somnium videt, vt discas quia vrget Deus vt parcat hominibus. Putabam inquit me stare iuxta oram fluminis, & quasi de flumine ascendebant septem vaccæ electæ carnibus, bonæ aspectu, & pascebantur ad ripam. Et ecce aliæ septem vaccæ ascendebant post illas de flumine pessimæ & turpes aspectu, & macræ carnibus, tales quales nunquam vidi in tota Ægypto turpiores. Et deuorauerunt illæ septem vaccæ macræ & turpes, septem vaccas bonas & electas, & intrauerunt in ventres earum, & non paruerunt quod introissent in ventres earum, turpes sicut erant ab initio. Surgens autem rursus dormiui, & vidi iterum in somniis, & quasi septem spicæ ascendebant in fundo vno plenæ & bonæ. Aliæ autem septem spicæ tenues & à vento corruptæ crescebant iuxta eas, & glutierunt septem spicæ tenues, & à vento corruptæ, septem spicas plenas & bonas. Dixi ergo interpretatoribus, & non fuit qui dissereret mihi. Et dixit Ioseph ad Pharao. Somnium Pharao vnum est. Quæcumque Deus faciet ostendit Pharao. Septem vaccæ bonæ septem anni sunt. Somnium Pharao vnum est, & septem vaccæ macræ quæ ascendebant post eas, septem anni sunt. Et septem spicæ tenues & à vento corruptæ, septem anni sunt. Et erit septem annis fames, verum autem quod dixit Pharao, quæcumque Deus facit ostendit Pharaoni. Ecce septem anni veniunt vbertatis magnæ in omni terra Ægypti. Post autem venient septem anni famis: postea obliuiscentur vbertatem in vniuersa Ægypto, & consumet fames omnem terram. Neque agnoscetur vbertas super terram præ fame quæ futura est post hæc. Vehemens enim erit valde. Quod autem iterauit somnium Pharao bis: quia verum erit verbum quod est à Deo, & properat Deus vt faciat hoc. Nunc ergo prouide hominem sensatum, & præpone eum super Ægyptum, & faciat Pharao. Et præponat locorum principes super terram, qui quintas exigant omnis fructus terræ Ægypti septem annorum vbertatis, & colligant omnes fructus septem annorum venientium horum bonorum, & colligatur frumentum sub manu Pharao. Et escæ in ciuitatibus custodiantur, & sint escæ quæ custoditæ fuerint terræ, in septem annos famis, quæ erit in terra Ægypti, & non exterminabitur terra à fame. Et placuerunt hæc verba ante Pharao, & omnibus pueris suis. Nunquid inueniemus hominem talem qui habet spiritum Dei in se? Et dixit Pharao ad Ioseph. Quoniam ostendit tibi Deus omnia hæc, non est tibi homo prudentior, nec sensatior te, tu eris super domum meam, & ori tuo obediet populus omnis præter thronum, ego te præero. Dixit Pharao ad Ioseph. Ecce constituo te hodie super omnem terram Ægypti, facito inquit tuum consilium. Quis te sapientior? quis te sensatior & fidelior? Te enim volebat Deus vt supra domum esses meam, super omnem scilicet Ægyptum. Perficito tuum consilium, contregna mihi. Tibi enim dans Ægyptum in potestate, habebo te mecum in regem. Iam consolatio, iam fructus pudicitiæ erant Ioseph. Sed nec in his factus arguit mulierem impudentem. Non reddit vicem, tamen fuit in tribulatione, & in tali angustia tanta Ioseph. Iacob autem in tribulatione erat, & iam cùm remissus fuisset Ioseph à carcere. Quid ergo dicent Iudæi, vbi est fructus promissionis? Si enim ista est vita quid hoc ad Iacob, qui decem & septem annis luxit Ioseph? aut ad ipsum Ioseph, qui vix liberatus est? Sed sermo quidem impletur: negotium autem seruetur, licitum enim est nobis & sequenti perfrui die. Mensuremus autem tempus. Decet enim gratis dona Dei, vt ieiunent in tempore, & epulentur in tempore. Tantum estote memores vbi finimus sermonem: vt sicut hi qui alacriter manducant, & ob quandam occasionem exsurgentes à mensa nitant sibi apposita, ita & vos reliquias alio à nobis exposcite die, ne quid & intermisimus; non enim decet nos venientes ad consolationem mortis, relinquere Iacob in luctu de fama mortis filij. Sed rationis est & sequenti nos iungere, & miscere in alacritatem lugentium iam esse consolationem. Non fuissem vos passus ita dimittere, adhuc sollicitus propter Iacob lugentem. Quia igitur incipimus permittente Deo & probationes de resurrectione coniungere, iam fidem præcedentis sermonis confidentes epulemur, non cum mortuis, omnes enim viuunt. Non enim venimus ad monumenta, sed ad locum commendationis; non venimus ad mortuos, sed ad viuentes, commonentes nosmetipsos per ea quæ facimus spem ipsius resurrectionis. Læti conuenimus, maius gaudentes recedimus. Ita enim confidimus, quia resurgemus, quia & ista credentes lætabimur. Habemus autem reconditum sermonem nobis ostendentem spes quia est religiosis. Et iam quidem ostensum est à iusto Deo, tamen quia vocat tempus nos refici debere, gratiarum actiones consignantes verbo gloriam referamus viuenti & bono, & vero, & viuificanti IESV Christo, per quem est Deo patri cum spiritu sancto gloria & honor, imperium, maiestas, & nunc & semper, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Margin notes: Genes. 40.14. — B — C — Genes. 41.17. — D — E — F — G — H

EVSEBII PAMPHILI De Resurrectione, & Ascensione.

Die Ascensionis Christi.

LIBER SECVNDVS.

LÆTANTVR quidem cœli de festiuitate præsenti, in qua Dominum suscepêre victorem, lætatur & exercitus Angelorum suscipiens cum victoria regem: lætatur & qui genuit, & misit pater à dextris suis habens carissimum filium, per quem mortua quidem mors est, corrupta autem est corruptela, & destructa est diaboli tyrannis, & saluati sunt homines, & gaudium acceperunt Angeli. Non est passus autem spiritus sanctus: sed per omnium hominum linguas victori

A victori obtulit laudes. Quia enim omnium linguarum erat salus, ideo omni lingua per ora Apostolorum locutus est spiritus. Et exinde iam vocabat gentes per initiamenta: implebatur autem & præcedentis festiuitatis lætitia. Pascha enim festiuitatis mortis sacramentum in se continens, tunc recipiebat fructum, cùm fiebat recursio Domini ad cœlos. Non enim venit vt moriens moreretur, sed vt eos qui mortui fuerant viuificaret. Lætantur igitur omnia, forte autem & creatura, clarior enim & sol est, secundum præsens hoc tempus, prolixior enim & lumen habetur, & omnium complectus est fructus, & consentiunt officia dispensationi. Soluta autem nobis est & sententia: reuocata est nostra restitutio, obedientia enim veniens, præuaricationis pœnas eiecit. Iustitia subintroducta iniquitatem repulit, veniens vita mortem mortificauit. Deus descendens hominem perduxit ad cœlos: vndique igitur fulgores festiuitatis lucescant. Sursum chori, in terra lætitiæ. B Tristant bona malum, luget semetipsum diabolus, decet enim eum luctus suus, lugent adhuc vsque dæmones, & semetipsos deplorant. Tantum enim vt nominata fuerit crux, agnoscunt plagam, & non sufferunt nomen. Et ne quis putet oblitum me fuisse hesternæ promissionis meæ, promiseramus enim de resurrectione dicere heri, exposcebat enim tempus. Sicut enim heri de resurrectione motus est sermo: ita quia festiuitas regressum Domini requirit ad patrem. Firmatur autem hominum resurrectio, cùm apparuerit filius reuersus ad patrem. Et maius ostenditur quod propositum est, cùm apparuerit resurrectio eius qui suscitauit. Siquidem & Apostolus volens ostendere quia resurgunt homines, ad resurrectionem Domini transmisit suum sermonem, & dixit. *Si compatimur vt & simul glorificemur. Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit,* vt ex hoc manifestum sit, hominum resurrectionem sequi Domini resurrectionem. Et mirabilia quidem quæ ante crucem facta sunt, qui fuit ostendit: post mortem autem mirabilia C quæ per Apostolos facta sunt, confirmant, quia qui mortuus est resurrexit & viuit. Vnde & maiora seruata sunt mirabilia post mortem, quàm ea quæ ante mortem sunt facta. Quia enim incredibilior resurrectio Domini magis quàm aduentus eius; in mundo maiora seruata sunt testibus resurrectionis mirabilia, vt agnosceretur quia mortuus quidem est, sed resurrexit ob dispensationem, viuit autem propter virtutem. Quis enim ausus est dicere, quia non resurrexit Christus, aut consossiles inimici, aut ficti amici? Putas gentiles audebunt dicere quia mortuus est & non resurrexit? Non quæro quid dicant, sed quid patiantur. Si enim stant eorum templa, non resurrexit. Si non destruxit, si non conflata sunt eorum simulacra post crucem, non resurrexit, qui arguit ea quæ non viuunt, si non increpantur nomine crucis eorum dij & dæmones, non resurrexit? qui his qui non sunt, terribilis habetur? confitentur enim & dæmones resurrectionem Christi. Qui enim exorcizant, crucem D Domini nominant, & resurrectionem, & nomine eius qui mortuus est & resurrexit increpantes, non vt inobedientes aut contradicentes habent dæmones, sed obaudientes & consentientes resurrectionem. Sed Iudæi dubitant de resurrectione Christi. Vtinam non dubitarent, vt & ipsi resurgerent à peccatis suis, in quibus mortui & verè sunt mortui. Si autem dubitant, ostendant ciuitatem suam post ea quæ ausi sunt stantem. Et verè qui mortuus est, mortuus est, quia stant qui affixerunt cruci. Si autem deserta est ciuitas ob audaciam incolarum, qui post mortem cruciat eos quia sunt, vtique viuens id gerit. Si non seruit eorum gens, si non excusiauerunt suum regem, si est cum ipsis propheta, non est factus exitus prædicationis prophetarum. Si autem ciuitas eorum deserta est, si altare iam non est eis, non sacerdos, non rex, non propheta, non spiritus per quem ista. Si autem & dicatur ab eis impudenter, quia ciuitatem eorum destruxerunt homines, verum concedente Deo & ita permittente, magis autem indignante, dicant causam peccati. Putas propter idololatriam?

Rom. 8 17.
1. Cor. 15.16.

E & certè nunc idola non colunt. Sed quia prophetas occiderunt aliquando, & certè cùm eos interficerent, habitabant ciuitatem suam. Sed quia templum contaminarunt aliquando, & certè contaminantes habebant. Quæ ergo causa est vt ira aduersus eos sit Dei nunc? Et certè secundum ipsorum sermonem vt aiunt, vtinam videantur religiositatem fecisse. Si enim soluentem legem & de lege contra facientem inuenerunt Dominum IESVM, & non inuidia sed zelo pro lege affixerunt cruci, oportebat Deum & alia eis peccata dimittere magis propter istam iustitiam, quàm nunc eos ita punire. Et licet ipsi essent peccatores, & alia haberent peccata, tamen Dominus IESVS, quem ipsi legi contraria facientem dixere, cùm apud eos esset, prædicebat quia destrueretur eorum templum, & deprædabitur eorum ciuitas propter id quod aduersus audebant. Et si ipsi alia habebant peccata, Deus autem non videretur mendax, vt ipsi blasphemant, inueniretur autem verax. Passus vtique fuisset alia eorum peccata, vt confirmare- F tur docenti prædicatio illa, quæ & cæcis extitit manifesta, & videntibus completa. Apostolus enim Paulus ad Galatas scribens ait. *Quia ante oculos eorum descriptus est* IESVS *Christus crucifixus.* Ego autem & audebo aduersus vos dicere, quia sermo ante oculos vestros describit IESVM CHRISTVM resurrexisse à mortuis. Quid enim quæris? non inuenies solem clariorem, ad satisfactionem resurrectionis Domini, gentilium quotidie deficientem culturam. Protenduntur autem Ecclesiæ bona & quotidie crescunt. Inimicus ergo vt ipsi putant legis, qui vindicat in aduersos & domesticos suos, exaltatur, viuit. Putas aut non viuens, hæc quæ non viuentes possunt, ipse operatur? occasio Iudæis nulla relicta est. Cùm enim dicunt, quia alia peccata habuimus, & ideo eiecti sumus nunc. Primum est enim, quando non peccauit Israël? quando non eos est passus Deus nisi nunc solùm? Nonne in Ægypto idola colebant? Putas ergo quia colebant idola primam istam irreligiositatem admittentes, ideo non sunt eiecti G de Ægypto? Et certè cum multis signis & prodigiis & mirabilibus, cùm percuterentur Ægyptij decem plagis, liber autem esset Israël à decem plagis cohabitans iisdem. Et operibus quidem erat Ægypti, Dei autem misericordia à plagis Ægyptiorum habebantur immunes. Si igitur propter istiusmodi peccata plagæ sunt, debuerant in Ægypto cùm adducebantur plagæ aduersus Ægyptios, dari & Iudæis, qui cum cohabitantibus idola adorabant, qui & cohabitantes simul cum iisdem peccabant. Si autem idola quidem colebat in Ægypto Israël, & non solùm non accipiebat plagas, etiam irreligiosa gerens, sed alij pro eis quamdiu & exirent isti, nunc sine causa causantur. Quod autem idola colebat in Ægypto Israël, testatur quidem & Ezechiel propheta comparans duas eorum metropoles, Hierusalem dico & Samariam duabus consororibus, & dicit. *Duæ erant consorores & ipsæ fornicatæ sunt in Ægypto in adolescentia sua.* Fornicatio autem in scriptura ita ponitur, quia secundum misericordiam dignabatur Deus tanquam H coniungens sibi tunc quidem Synagogam, nunc autem Ecclesiam. Ab eo ergo qui secundum misericordiam coniungebat recessio, & dæmonibus coniunctio, & idololatria, fornicatio secundum scripturam rectissimè nominatur. Quia ergo idola colebant in Ægypto, ideo per prophetam ait. Duæ erant sorores, & ipsæ fornicatæ sunt in adolescentia sua in Ægypto. Denique & Moysi successor IESVS Naue, mandans populo de suo exitu dicit, *Quibus vultis seruire dicis? Num his quos coluerunt patres vestri in Ægypto?* Quid autem opus est prophetas vocare? ipsum Israël testem aduersum se & ipsorum vocem produco, vt ostendam quia idola colebant in Ægypto. Quia enim exeuntes de Ægypto erant in deserto, & Moyses ascenderat adportare sacrilegis legem; quadraginta autem dies protenderat in monte Moyses, caput vituli sibi conflantes, clamabat suis linguis aduersum se. *Isti dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Hoc autem commendat, quia qui &

Gal. 3. 1.
Ezech. 23. 3.
Iosu. 24. 14.
Exod. 32. 4.

A in deserto coluerunt idola facientes sibi vituli caput, & apud Ægyptum. Dixere enim, Isti dij tui Israël qui eduxerunt te de terra Ægypti. Accusantium vox est quia istiusmodi venerabantur idola, & hos colebant & in Ægypto, quibus & reddebant gratiam egressionis suæ. Si autem dixerint, quia alia peccata habuimus, ob quæ & ad desertum perducta est eorum ciuitas & seruit gens, & neque propheta cum ipsis est, neque altare, nec rex, nec sacerdos, quod peccatum maius est irreligiositate? Si autem colentes idola in Ægypto exierunt ex Ægypto, non erat facilius irreligiosè eos agentes apud Iudæam, reuerti in Iudæam? Sed ausi sunt dicere, quia ideo nunc non habemus prophetas, quia inter gentes sparsi videmur. Vbi ergo venit Moyses? nónne in Ægypto? vbi Maria soror Moysi? nónne in Ægypto? vbi septuaginta duo? nónne in deserto gentium? Posthæc autem vbi Daniel, nónne in Babylonia? Vbi tres eius fratres, nónne in Babylonia apud gentes? Vbi qui de- B gunt ieiunant? nónne in gentibus? vbi flamma ignorauit suam naturam? vbi Zacharias propheta? vbi Angelus? Si autem prima & media in gentibus, cum ipsis erant prophetæ. Et certè apud Babyloniam extra hos qui prædicti sunt, omnes Iudæi adorauerunt imaginem regis, & non ideo fraudati sunt à prophetis. Quia autem adorauerunt imaginem, comminatio Nabuchodonosor tunc facta annuntiat. (Dan.3.c.) Dicit enim, *omnis qui non cadens adorauerit imaginem, statim mittetur in fornacem ignis ardentis.* Et aderat quidem illi omnis Israël. Tres autem soli inuenti sunt qui non adorauerant, in fornacem missi sunt, & ab igne saluati sunt. Daniel autem regalia sibi commissa non aderat præsens. Si enim adfuisset, nunquam à quadriga bonus remansisset equus. Ita autem nec derelictus est Daniel ob comminationem ignis à fratribus suis, & illorum martyrio. Quia fratres quidem eius in medium producti, in aperto martyrium posuerunt, & passi sunt & liberati. Daniel autem post C hæc præcepto existente regis nullum debere neque alium adorare Deum, neque regem, nisi solum regem, & quem putas? Persarum. Ipse autem ingrediens domum suam, & cùm posset latere & occultè adorare Deum, palàm adorans, non negauit religionem, sed maluit magis esca dari leonibus, quàm fraudari se ab adoratione viuentis Dei. Noli enim quærere, si Daniel non est à leonibus comestus, sed quia proposuit se comedi hoc aduerte. Nec quia non consumpsit flamma tres illos pueros missos in fornacem ignis ardentis, sed quia ipsi holocausta facti sunt, quantum ad alacritatem suam. Non enim ab exitu iudicium est, sed ab alacritate coronæ. Ego autem dico, quia ideo saluati sunt tunc, & Daniel à leonibus, & tres pueri à flamma ignis ardentis; non propter alacritatem eorum qui saluati sunt, sed propter infirmitatem illorum qui adorauerunt imaginem. Vt enim non dicerent qui adorauerunt, quid profuit eis qui non adorauerant: ne ab exitu incendij eorum qui non adorauerunt satisfactionem sibi conquirerent irreligiosa agentes, ideo saluati sunt D qui non adorauerunt, vt non permanerent mortui qui adorauerunt. Ipse enim Deus est Daniel, & horum qui in martyriis consumuntur à feris. Sed non ipse populus, ab incredibili enim populo saluabantur qui fidem confitebantur, vt non incredulitas populi augeretur, à fideli autem plebe, vt crescat fides in sanguine sanctorum, veritas firmetur euangelij. Habemus autem & nos, quia & mirabilia facta sunt in languentibus locis. Quidam enim à feris saluati sunt, quia languebant loca, in quibus & passio martyrum agitabatur. Alij ab igne liberati sunt. Si quis autem non credit, & rationem exposcit, nihil prohibet religiosi vnius memoriam nos repetere, & proferre in medium. (S.Romanus.) In Antiochenorum illa vrbe ROMANVS quidam extitit martyr. Iste peregrinus aduenerat illò. Cùm autem iactari à tempestatibus illam tunc videret ciuitatem, inuenerat enim iam multos milites cecidisse Ecclesiæ, non est passus dare diabolo vt exultaret, sed exultantem iudicem de his qui fuerant superati aggredi-

E tur vim faciens, regno vero rapto, & dicit, Non recedes lætus. Habet enim Deus milites qui superari non possunt. Iudex autem ebrius in victoria eorum qui fuerant superati, ex illorum imbecillitate æstimans sancti constantiam, præcipit eum induci. Non oportebat enim Dominum IESVM sine victore recedere. Introducens autem eum, omnia tormenta mouebat, & tanta vni vincenti, quanta omnibus his qui fuerant superati. Contendens enim ne solueretur victoria sua per vnius istius victoriam, & reputans apud se, quia & in stadiis finis currentium quæritur, & quia si iste vicerit, nec vt victi erunt qui fuerant superati, vniuersa ei admoueri tormenta iubet. Volens enim flectere iuuenem, & oculis torquebat, & dentibus minabatur, & manibus torquentium suas protendebat manus, & ab ipsa ira etiam de sede mouebatur sua. Cùm autem fatigarentur torquentes, & non cederet qui torquebatur, atque obtusum & deflexum fuisset ferrum, non est flexus qui radebatur. Cùm iam nulla adinuentio tormentorum fuisset dereli- F cta, cupiens constantiam suam ostendere Domini miles, emittit vocem dicens, Cur iam tyranne non cessas? confessus sum per os verum esse regem Christum. Iudex autem iniuriam in tyrannidem dictam non sufferens, conuicit quidem se, & commendauit martyrem Christi, quia ideo hæc pro vero rege patitur, qui ita de mortali ausus est loqui. Propterea iubet eum igni tradi, coronam coronis coniungens. Et ideo citò efficiebatur præceptum. Eiiciebatur enim Romanus lætus, & co onatus sanguine, insignia in latetibus habens quæ pro veritate fuerat passus, portans quippe & in humeris crucem, & in fronte signum regale. Cùm autem adunarentur sarmenta & cannæ, ad velocitatem vtpote flammæ, vel quod igni apta videntur ad incensionem, imponebatur autem viuens immolatio in igne. Hæc cùm ita agerentur, non longè autem abesset ciuitas, vt testaretur veritati. Et fortè quia quidam de Iudæis aut alij homines dicebant, vbi est horum Deus? fortè proferentium G Iudæorum tres pueros, & dicentium, quia sub nos saluabantur à flamma fornacis ardentis, isti autem ardent. Atqui cæli iubet Dominus nubibus coronati cælum. Adimplens autem sinus nubium grandine & imbre admodum vehementi, & addens ventos ad velocem emissionem eorum. Neque accendi flammam permittit, vehementiorem ostendens hanc virtutem, quam apud Babyloniam. Illic enim è flamma tres pueros liberauit: istic autem ne quidem accendi flammæ concessum est. Fit turbela non leuis, nuntiantur tyranno quia martyre tradito igni, cælum indignatum est, & quia cælestis rex suos qui in terra habentur defendit. Hæc cùm audisset tyrannus, & cùm valdè iniuriam defenderet suam factam per linguam, iubet iudici iam non debere iurgari eum ad Deum, sed istum quem liberauit Deus dimitti debere. Et noster igitur Annanias velut ex igne dimittitur. Iudex autem blandiens tyranno, iniquus voluntate & proposito, sine Deo degens, cupiens nihil deesse blandimentis suis, inuenit nescio quid nouum aduersus sanctum, addens admirationem admirationibus. Quid enim H facit? præcipit linguam qua fuerat locutus in hominem, eo quòd non negauerat Deum, incidi. Et quidam medicus qui iam ruerat non proposito sed carnis infirmitate, quia enim ipse fuerat superatus exiuit. Exultari libet de victoria superantis. Prouenit autem istum portate medicinalia operamenta. Et exiuit vt consolaretur suam ruinam. Inuentus est in aliam tentationem incurrere. Præcepto enim iudicis insistente vt lingua incideretur sancti, & quia inuentus est ille parata habens ad istam necessitatem ferramenta, vrgebatur incidere quam nolebat linguam. Et incidit quidem, cùm autem incidisset, ipsa lingua vsus est ad tutelam sui: Non enim proiecit quam incidit, sed accipiens eam, vt medicamen ad sanitatem illius delicti quod admiserat abnegando, accipiens domi recondit, vt consuerunt infirmiores, fideles tamen honorare, si quid à martyribus sumpserint. Dicit autem medicorum doctrina, contestatur etiam & natura, quia linguæ incisio, interfectio est

A eius à quo inciditur, oportebat autem & secundò à
morte liberari martyrem Christi. Ergo cùm producunt
nobis Iudæi tres pueros, in vno tria proferimus. Et iam
quidem habemus duo mirabilia. Flammam ne quidem
concessam flammam fieri; post incisionem linguæ, vi-
tam, quam natura quidem non confitetur, gratia autem
addidit. Vbi ergo tertia admiratio est de eodem marty-
re Christi? Adducebatur Romanus ad carcerem, adde-
bat autem & hoc blandus ad tyrannum iudex, qui istam
corporalem linguam non habebat. Lectum est autem
nobis, quia in Apostolos spiritus linguas vt ignem diui-
sit & donauit. Sed illum non vidimus, sed audiuimus
& credimus. Quod autem dicturus sum, multi vultus
sunt testes. Dicitur quia beatus iste ROMANVS, dum
adhuc carneam habebat linguam, similia Mosi loque-
batur, hoc est balbutiens, & non compositè loquens.
Dum adhuc haberet totam linguam, & non posset com-
positè loqui erat balbus. Qui autem carcerem ingre-
diebatur, custos carceris interrogauit eum, quod ei
B esset nomen, & certè litera iam his qui valdè compositi
rectè loquuntur, impedit ad loquendum. Nunc autem
Romanus & incisa lingua, quam cùm haberet, & rectè
loqui non poterat, spiritus linguæ loquitur, & valde
rectissimè, & dicit, Romanus dicet. Iterum nuntiatur
hoc iudici, & tyranno præsenti. Iterum qui inciderat
medicus, constituitur in timore. Etiam inquit iste ad-
huc Christianus est, vt fratri parcens contempsit præ-
ceptum. Fortè autem ille cupiens post incisionem lin
guæ, non superesse martyrem, & maiori mensura inci-
dit ad interfectionem potiùs quàm ad præcisionem. Ta-
men comprehensus medicus ducebatur ad iudicem, &
negotium habebat, cur loqueretur is cui incisa fuerat
lingua. Non enim semel locutus tacuit: sed confitebat
cum aliis de cruce & victoria Christi, & hoc multis
mensibus in carcere constitutus. Habemus ergo & ter-
tiam admirationem, & vnus Ecclesiæ martyr iam æqua-
tur tribus ex Synagoga. Cùm autem negotium patere-
tur medicus, vt condiscatis quantum boni sit, & breuis
C quidam ictus religiositatis. Quia enim tutelæ causa ac-
ceperat linguam, quia in ratione salutis thesaurum re-
conderat sibi; exhinc iam accepit fructum fidei. Iudici
enim indignanti & comminanti, & iam eum interfice-
re volenti, respondit medicus: Habeo linguam, quam
incidi. Producatur alius, cui non assistit Deus, & secun-
dùm mensuram incisæ linguæ, incidatur lingua, & si
vixerit, meum commentum est, & non Dei defensio.
Producitur quidam damnatorum, & diligentissimè men-
sura accepta, incisa etiam lingua est, quæ habebat inci-
di. Tantùm vt impleta incisio est, & finis eius comple-
tus est vitæ. Et ille quidem est mortuus. Dei autem ex
comparatione tenebrarum apparebat clarissimum lu-
men. Si quis autem infirmus & incredulus est, signa au-
tem infidelibus, vt dicit Scriptura, habemus hæc profer-
1·Cor. 14.22. re quæ audiuimus. Et certè non tantùm egena est Ec-
clesia. Sed & de alio audiui ego, quia vir quidam ad
bestias missus est, à bestiis autem non consumptus, vt
D Daniel, Ecclesiæ referebat mirabilia Dei. Sed non sit
mihi colligere talia. Ista enim supportatoria infirman-
tium habentur, istæ satisfactiones sunt non credentium.
Sed neque ista sperno, nec abnuo. Glorificetur autem &
in istis mirificator Deus. Diligo autem cùm video inci-
di capita martyrum, & totum corpus ardere, & virgi-
nes nudas non in religiosis oculis, amicis autem & fra-
ternis. Nihil enim horum terribile vident fratres, quia
nec patiuntur. Istæ sunt gloriæ, istæ nostræ dilectiones.
Et quidem qui inciditur capite, habebit caput in iudi-
cio, quia qui ardet totus holocaustum Deo viuenti of-
fertur. Et virgo nudata, non nuda, habet enim indu-
mentum incorruptelæ suæ. Nemo dicat martyribus mi-
sericordia à vobis ab his fratres, ne fortè imitatores
Christi vocem etiam eius mittentes respondeant dicen-
Marc. 1.33. tibus, *Vade retro me Satana.* Incendantur & ardeant vt
nudentur virgines in passione, & vincat per omnia Chri-
stus. Quid enim & promunt Iudæi vt gloriam aut ac-
cusationem? Si enim nos fratrum nostrorum interfi-
cientium vsi sumus prædicta gloria, interfectis priori- E
bus non cessamus interfici, nunc adoremus idola quæ
excusamus. Israël autem & dum interficeretur ne ado-
raret, non cessauit adorando. Et ausi sunt loqui ad cru-
cem. Cùm enim vituli caput sibi vt adorarent fecerunt,
Moyses interfecit plurimos, ne cæteri facerent talia, &
qui derelicti sunt adorarent. Vnde ergo simile erit Iu-
dæis vt & dum interficiuntur, alij non adorent simula-
cra, & Ecclesia quæ interficitur vt adoret, & non ado-
rat? Sed quæ communio est lumini ad tenebras? *Quæ* Isa.5.4.
enim debui facere vineæ meæ, & non feci? dicit Deus. Do-
nare debuit & blandiri, & beneficia tribuere, fecit om-
nia. Donauit enim manna. Israël autem modò mandu-
cans vitulum, qui nec herbam manducabat, nec vitam
habebat, adorabant. E petra bibebant aquam, & ex pe-
tra faciebant idola sibi. Per lignum figurati amara aqua
translata ad dulcedinem est, illi autem è ligno exscul-
pentes sibi simulacra aduersum eum qui fecerat dulce
adorabant. Veterascentes autem conterescebant eis tu-
nicæ, illi autem accipientes quæ donabat Deus conse- F
crabant idolis. Tantùm enim erant ad beneficia contu-
maces, ideóque adduxit aduersum eos plagas, quia dum
daret beneficia, eos suadere non potuit, voluit ergo eos
puniens persurgere. Quam enim plagam eis non misit?
Quid enim ait ipse ad eos? *Sine causa percussi filios ve-
stros, disciplinam non accepistis.* Cùm enim beneficia sua
eis exprobraret, dicebat. Quid adhuc debui facere vi-
neæ meæ, & non feci? Cùm autem incredulitatem ad
plagas addebat, sine causa percussi filios vestros, disci-
plinam non accepistis. Et iterum. *Quid adhuc percutia-
mini addentes peccata?* Hoc est, ego euacuaui plagas:
Vos autem non cessatis peccantes. Sed fortè simplices
plagas putatis, & gladio interfecti sunt, qui caput sibi
vituli fecerunt, vt adorarent: & nihilominus indisci-
plinatus mansit Israël, & terra mirificè ostendat ape-
riens os suum, viuos quosdam absorbuit, & qui relicti
sunt adorabant non viuentes. Flamma eos consumpsit
ne adorarent idola, & comedit multos, & qui relicti
sunt, adorarunt simulacra dæmoniorum. Et illi qui- G
dem consumabantur, vt non adorarent, at nihilominus
adorabant. Nos autem consumimur vt adoremus, &
non adoramus. Non quippe nostra virtute, sed crucis
potentia. Serpentes eos mordebant, & immisso veneno
occidebant, & per omnes plagas, per terram, per ignem,
per gladium, per serpentes, per feras, per inimicos, per
legem puniti, interfecti, concisi, consumpti sunt, & ma-
nu sacerdotum occisi, & non recesserunt ab idolis. Et
tamen hæc omnia fiebant tunc, & spiritus erat in ipsis,
& Moyses propheta, & Aaron sacerdos, & Iesus Naue
exercitum ducens, & expugnans inimicos, & Moyses
orationibus vincens, & manna desursum, & petra da-
bat aquam, & tabernaculum aderat, & virga florebat,
& mirabilia fiebant. Et colentes idola non abegerunt
Deum, vt recederet à promissionibus suis quas fecerat
ad Abraham. Cur ergo, vos interrogabo, cur cùm &
apud Ægyptum idola colebatis, cùm & in ipso mari po-
siti non credebatis, cùm & manna accipientes murmu- H
rabatis, cùm & ante legem & contra legem vituli caput
vobis fecistis. Cùm Beelphegor vosmetipsos consecra-
stis, cùm flammam ignis contempsistis, cùm à serpenti-
bus interficiebamini, non estis suasi? cùm terra admira-
biliter os suum aperiens absorbuit vos viuentes. Neque
vos cessastis ab idolis, neque Deus recessit, vt non vobis
faceret bene, & habebatis prophetas vobiscum. Com-
parauimus igitur illa his quæ non sunt, & interrogaui-
mus eos, cur tunc cùm tanta fierent à vobis, passus est
vobis Deus, & nunc cùm sabbatum custoditis vt polli-
cemini, & legem legitis, & libros prophetarum quos
præsentes quidem interfecistis, libros autem eorum pur-
pureis palliis honoratis. Quæ causa est, vt tunc quidem
tanta vobis facientibus mala, tanta fiebant in vobis Dei
bona, & spiritus vobis aderat, & prophetæ vobiscum
erant? Nunc autem, cùm & legem legitis & dicitis, &
custoditis & feriamini, & sabbatum obseruatis, & ab
escis vos abstinetis, sine causa laboratis & vigilatis, per

A noctem psalmos dicentes, & per ciuitates & nationes synagogas constituistis, & arcam & candelabra, & mensas, & omnia vultis facere nunc magis quàm in terra vestra. Cur nunc cùm tanta mala faciebatis tantos habebatis prophetas, & Moysen quem voluistis lapidare, & Aaron cui vim irrogastis. Nunc autem cùm videmini custodire legem, & omnia facere vt prædictum est, nullus vobiscum propheta est? Putas quia Romani, compellimini enim dicere, quia citra voluntatem Dei destruxerunt vestram ciuitatem. Spiritum sanctum quis abstulit à vobis? vbi nunc apud vos propheta est? Dicit Ezech. 36. Deus in Ezechiel Propheta, *Populus iste peccauit in me, & misi eos ad captiuitatem.* Sed non ista metuentes, inquit, ad gentes audiebant, *Iste est populus Dei & terra Dei.* Et educam, inquit, propter nomen meum, & reducam eos, & dicito eis, *Non propter vos facio domus Israël, sed propter nomen meum.* Ille Deus qui dixit tunc non propter vos facio, sed propter nomen meum. Nunc audiens vos dicentes, quia religiosè fecimus crucifigendo B Christum, & sint illi digni propter prius opprobrium gentium dicat vt dixit, & nunc si tamen permittit vestrum peccatum, in vnum non propter domum Israël facio, sed propter nomen meum, & certè propter nomen suum nunc vos non reducit. Sicut enim tunc propter nomen suum reuocauit: ita nunc propter nomen suum vos non reuocat. Si enim propter nomen suum facit, quod non facit, debet & non permittere fieri ea quæ prædixit Saluator, cùm ostenderent ei lapides templi, Marc. 13.2. Luc.19. 43.& 23. 28. quia *non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Et cùm defleret Hierusalem, & prædiceret quia circumdabunt eam inimici, & destruent eam, & cùm diceret filiabus Israël, *Filiæ Israël, nolite plorare me, sed plangite vos & filios vestros, venient enim,* inquit, *dies, cùm patiemini ea quæ passæ sunt.* His semel & bis & tertiò à Saluatore prædictis, si mendax est, & si contra legem faciens, si defendentes legem occiderunt quem occiderunt, deberet Deus vt argueret prædicationes mendaces, pati illos etiam nunc peccantes, vt & C antea passus est. Si autem Saluator quidem prædixit, pater autem audiens confirmauit, & opera testantur, prædicatione dupliciter conuictus est Israël. Quia igitur apparet correptio quæ per crucem facta in mundo effulsit, interrogauimus eos, quem vultis esse IESVM? hominem peccatorem & contra legem facientem? Ergo producite vestros iustos & fiat comparatio. Absit vt à nobis seruis, ad dominum. Quia autem ad Iudæos loquimur, oportet nos infantiari. Comparemus in signa, & opponamus lucernas plures soli vno, & dicamus Iudæis, Quem vultis IESVM esse? vt Abraham? Ostendite ergo quem suasit Abraham, vel vnum licet ab idololatria ad religiositatem, aut non hoc primum & in vestra lege mandatum est. Sed Isaac comparabitur rei ipsæ, & de Isaac erit sermo. Quem suasit Isaac? Sed Iacob, cuius & socer in idololatria permansit? Sed Moysi, qui non potuit per multa signa & prodigia filios Abrahæ ad culturam Abrahæ transferre? qui non potuit suade- D re socero suo? Nonne mare scindebatur, & iterum copulabatur, & manna ad vicem imbris deducebatur, & petræ ex imis emittebant aquas, & omnis natura transferebatur per signa, & populus manebat in idololatria? Quid valuit lucerna Moyses? ideo bene dicit Dominus. Ioan. 7.24. *Nolite iudicare ad faciem, sed iustum iudicium iudicate,* non nominibus, sed negotiis, quid correxit Moyses, & præhonoretur à vobis IESVS. Si autem vnum populum per signa non suasit, IESVS autem per crucem, per scandalum, & non per signa aut prodigia mundum transtulit ad Dei culturam. Moyses lucerna ne quidem vni domui sufficit, IESVS autem sol iustitiæ, si non fulget mundus & illuminatur, non sit sol. Ex negotiis enim & nuncupationes sunt accipiendæ Si illuminatur mundus, sol iustitiæ est; vbi enim præcurrit opus, adiuncta sit & nuncupatio. Moyses lucerna quare dictus est, qui neque fratribus suis & cognatis lucere valuit. Siquidem ad fines eius igni consumpti sunt sub illo peccantes, & Aaron per os ipsius Moysi obiurgatus est, & propter

ipsum Moysen obiurgatus à Deo est Aaron, qui nôrunt scripturas, sciunt quæ dicuntur. Moysen producunt E quod iurgatus à Deo est, & finem iustum habuit vitæ. Sed nos compellimur dicere aduersum sanctos quos cupimus honorare. Sed non dicimus aduersus Moysen, sed ea loquimur quæ vult. Ipse dicit Moyses. Nam & si compellimur dicere, dicimus ideo vt commendemus ea quæ ipse Moyses de Christo locutus est. Ergo falsò Iudæi Moysen aduersus Moysen legunt. Legentes enim dicunt, quia nihil veri loquitur. Nos autem Moysen pro Moyse legimus. Et quid contendimus ad Iudæos verè adiicere quæ apud Iudæos habentur, quæque nobis concedunt. At idem Iudæi concedant nobis, quia Moyses vera locutus est, & nullus è prophetis mentitus est, neque Deus horum. Dicimus enim quia omnes promissiones Dei quæ per legem factæ sunt, & per prophetas impletæ sunt in aduentu domini Christi, & adhuc vsque implentur. Hoc est honorare libros prophetarum, non purpureis palliis à foris, sed illum qui intus prædicatur F agnoscere. Non est mentitus Moyses pro nobis, opus enim ipsum ei testimonium præstat. Non est mentitus Moyses aduersus Israël. Captiuitas enim eorum & humiliatio testatur. Non sunt mentiti prophetæ vocationem gentium prædicentes. Vocati enim sunt vt videtis. Non sunt mentiti prophetæ, exitum & abiectionem Israël prophetantes. Si autem sermones prædicti sunt, & negotia testantur, quid adhuc impudens est Israël? aliquando quidem ad dicta, nunc autem & ad ipsa negotia. Scriptum est, & promissum in lege est; quia si fuerint qui dispersi sunt è populo ad fines vsque mundi, & pœnitentes custodierint legem; *inde eos reducam dicit Dominus.* Ista Dei promissio est. Interrogauimus ergo Iudæos, vtrum seruatis legem aut non? Si non seruatis, quid & loquimini? Si autem seruatis, quid quia non reuocamini? Non enim mentitur Deus. Si autem præuaricantes legem habebatis ciuitatem; nunc vt dicitis seruantes legem dispersi estis in ciuitatibus; manifesta G ergo est vestra inexcusabilis audacia sanguinis iusti. Et certè multorum prophetarum effudistis sanguinem, & habebatis vestram ciuitatem, & prioribus prophetis interfectis, secundi veniebant, & conuincebant vos. Quomodo ergo multorum prophetarum sanguis non intercidit prophetiam? Vnus autem, vt dicitis, contra legem facientis sanguis, statuit omnem prophetiam. Et quomodo omnes prophetæ cum legislatore & regibus iustis & omnibus mirabilibus, quæ facta apud Ægyptum videntur, & in deserto; & in ipsa terra promissionis, & cum omnibus beneficiis & pœnis non statuerunt idololatriam ne quidem ab ipso Israël. Crucis autem sermo & orbem vniuersum conuertit, & Israël si nihil aliud, tamen ab idololatria prohibuit. Quid hoc efficientius mihi videtur, quia resurrectio viuentis quæ hoc fecit, mors quam sustinuit. Si enim adfixus est ob infirmitatem, vt dicit Paulus, sed viuit vt videmus. Et nos qui- 1.Cor. 13.4. dem illum quem non videmus non negamus: viuentem autem ex his quæ efficit videmus. Quia autem ausi sunt H in qua sunt pœna ipsi edicant. Ergo viuens & apud eos inuenitur qui passus est. Qui enim aduersantur in dissolutione sunt, & gentiles iam non gentiles, & Iudæi superantur. Quid deest qui vincit? Ecclesia quippe vnde habens filios. Ita enim est admiratio, quia à Iudæis accipiens patres Apostolos, à gentibus autem filios à non credentibus, habet illic salutem filiorum, istic non credit Iudæis. Sed ab abnegantibus Iudæis, habet testes Apostolos, vt illorum conspersio apud nos, non sit illorum. Cùm enim ferrum acceptum fuerit à congeribus lapidum, aut à terra ex qua & conflatum est, iam non est quod erat in monte: Et Apostoli à Iudæis accepti, iam non sunt ex illis. Per ignem enim emundati, aliud quàm lapides facti sunt. Illi enim interficiebantur vt non adorarent idola; & lapidabant Moysen, quia non concedebat eis adorare. Stephanus autem statim ex ipsis lapidabatur, eo quod non negauit causa crucis Dominum IESVM. Putas isti ex Iudæis sunt? Petrus qui inuerso capite affixus est cruci, Paulus qui persecutionem est passus, & gloriatus

est

A eſt in periculis. Sed meminimus Petri & Pauli, & Ste-
phani. Petrus ante crucem infirmus & incertus, & ter
abnegans Dominum, quando magis oportebat eum ne-
gare cùm adhuc viueret magiſter? aut tunc cùm ſatis
ſibi fecit qui eſt mortuus. Si autem neque ante mortem
negaret, eſſet contentioſum omnia dominantis magi-
ſtro. Si autem ante crucem negat, & ter non ſimplici-
ter, ſed per vocem puellæ vnius, & hoc Domino præ-
dicente ei, & certè ſi non propter aliud, propter con-
temptionem prædictionis deberet Petrus non negare.
Et certè cùm Dominus dixit, negaturos eſſe omnes, Pe-
Matth. 26.34. trus dicebat. *Si omnes te negabunt, ego non te negabo, ſed*
paratus ſum pro te mori, & ante te mori. Et cùm dixiſ-
ſet, & ipſe ter abnegaturus eſſet, non receſſit, conten-
dens & dicens *non te negabo.* Qui autem dixit ſæpe,
quia non negabo, & horum habebat memoriam, quia
puella quædam accedens interrogabat eum, nunc Gali-
læus eſt, nunc cum IESV erat; cœpit & iurare quod
B non popoſcerat puella & dicere, quia neſcio hominem,
nec vt hominem, ô Petre, & hoc ſemel, & bis, & ter.
Et certè viuebat magiſter, & incertum erat ſi moreretur
Matth. 16.22. Petro. Ipſius eſt enim vox quæ dixit. *Miſericordia tibi*
Domine ab his. Quemadmodum iſte negans ter & iu-
rans, & hoc propter vocem puellæ vnius ante mortem,
poſt crucem poſt paucos illos dies incipit clamare & ad
Act.7.2. populum dicere. *Viri fratres & patres audite.* Puellam
non audis, & viros fratres & patres vocas vt ſuadean-
tur? In nocte negas in qua poſſes & latere & tertia hora
conſtanter proclamans loqueris ad populum vniuerſum.
Sed puta quia Petrus contentioſus eſt, & omnia donans
magiſtro, auſus fuit Iudæis & loqui, à quibus ipſa auda-
cia extitit. Quemadmodum Iudæi non ſtatim fuſtibus
& lapidibus, aut quolibet alio genere obruere arguen-
tem. Si enim Deum qui ſigna fecit auſi ſunt affigere
cruci, quemadmodum Petrum conuincentem eos poſt
iſtam audaciam non ſtatim fuſtibus aut lapidibus obrue-
runt? Nunc ergo ſunt in captiuitate & humiliatione
C cùm floret Eccleſia, & adorant nobiſcum & reges &
iudices. Audeat quis ingredi ſynagogam viſus licet ali-
cuius, & dicere, IESVS crucifixus filius eſt Dei. Si exie-
rit inde, & hoc cùm non ſit ex Iudæis, ſed ex nobis,
cùm & leges vindicant & reges adorant, & cùm Eccle-
ſia tenet. Si autem nunc non eſt ſine periculo aliquem
non Iudæum ingredi in ſynagogam eorum, qui in capti-
uitate habentur, & hoc in vico vbi tres aut quatuor
colliguntur Iudæi, & dicere veritatem, quemadmodum
Petrus ex Iudæis Galilæus? Nec enim hoc eſt dicere
quia ingenuitatem eius honorarunt, & non ſunt auſi,
nec quia eruditionem, nec quia diuitias. Iam autem
nec piſcator erat, ſed egeno egentior. In tantum autem
aderat ei, vt non loqueretur qui dum periclitaretur ani-
mæ, & interrogaretur ſi Galilæus eſſet, negans & di-
cens: Non in ipſa abnegatione conuictus eſt. Quia enim
naturalis eſt linguæ partis vniuſcuiuſque terræ meditan-
tem aſſueſieri ad eloquendum, oriens ad aliam partem
vetitur. Syrorum lingua in alio clamet, nationem qui-
D dem ipſam eſſe, mutatam autem in ſono haberi. Fit
enim & hoc apud Iudæos, & cætera. Galilæi Hebraica
quidem loquebantur, lingua autem impediti aut immu-
tantes conuincebantur quia non erant è ciuitate. Sicut
& apud nos nunc efficitur, qui agros habitant, immu-
tantur ab eis qui in ciuitatibus habitantes linguam ha-
bent. Fortè autem & vniuſcuiuſque ciuitatis vicinæ di-
uerſam habent linguam propter conſuetudinem aſſue-
tam. Hæc cùm ita agerentur, ex conſuetudine ita appa-
Iud.12.6. rent. In libro Iudicum ſcriptum eſt, quia prouenit bel-
lum inter ſe agere propter accuſationem neſcio quam ex
iſtius partis hominibus. Communis enim erat circum-
ciſio. Si ad alteram veniſſent partem, per linguam erat
eorum diſcretio. Interrogabant enim victores eos quos
vicerant vnde eſſent pro ſalute ex parte aduerſa haberi.
Proponebant ſermonem quendam, non poterant rectè
ita loqui, vt illi qui interrogabant, & qui negabant ex
lingua arguerentur. Hoc enim in Euangeliis renouatur
quod apud Iudices ſcriptum eſt. Petrus enim negabat ſe
ſcire hominem, lingua autem per ipſam abnegationem E
conuincebat eum quia Galilæus erat. Iſte Petrus, qui
periclitabatur, & cupiebat ſuam immutare linguam à
Galilæa ad Iudaicam, & parum quid corrigere. Hæc cu-
piens & feſtinans & mortem timens, dicat quid puta-
uerit. Quomodo omni mundo loquitur iſte Iudæus
imò ex Iudæis, dicat & gentiles conuincat. Vnde iſte
cui ſine voce erat lingua, vnde Petrus loquitur. Sed
non eſt locutus, ſed tacens ſuaſit mundum. Maiorem
nobis dat admirationem, is qui negabat ſed locutus eſt,
qua lingua, ipſis enim qui apud Hieroſolymam erant,
quomodo poterat loqui, tamen loquitur, & poſt quan-
tos dies conuictionis cum per linguam eſt conuictus.
Iſte erat dies quinquageſimæ completio, abnegationis
autem Petri ante quinquaginta dies paſſio fuerat Domi-
ni. Putas in quinquaginta diebus piſcator ruſticanus ex
vico ſtuduit omnem linguam. In Actibus enim ſcriptum
eſt Apoſtolorum, & non credatur, ſi res ipſæ non con-
ſentiunt. Scriptum eſt enim quia dum impleretur dies F
quinquageſima, erant adunati in vnum Apoſtoli, quos Act.2.1
ſparſerat quidem crux, collegerat autem reſurrectio, &
adunatis iiſdem diuiſæ ſunt linguæ tanquam ignis diui-
dentes, & inſederunt in vnumquemque illorum, & cœ-
perunt linguis loqui quas non didicerant. Hæc Scriptu-
ra dicit qui vult interroget. Si non eſt factum, quomo-
do audierunt gentes? Sed audierunt gentes. Ergo quod
ſcriptum eſt, factum eſt, quis eſt qui donauit? qui mor-
tuus eſt, & quidem antequam pateretur non donauit
linguam. Quod ergo non donauit antequam pateretur,
quemadmodum donat mortuus? niſi quia reſurrexit.
Sed non donauit, nec vera dicit Scriptura. Quomodo
auſi ſunt Apoſtoli exire ad gentes? qua ſpe elati, quid
ante oculos habentes auſi ſunt hoc? Vnde autem eis
hæc prudentia? quomodo putas adunati hæc impuden-
ter ad alterutrum dicebant, Magiſter fefellit nos. Quia
ergo fefellit nos, & nos fallamus mundum. Dicebant
quia ſuſcitauit nos, & ipſe mortuus non reſurrexit. Si
hæc conſcientia eorum ita ſciret eſſe contraria, debe- G
rent dicere, & negare, & pœnitere, & confiteri errorem,
& ante Iudæos dicere quæ dicebant Iudæi; ſeductor
erat, ſeduxit nos, putabamus, promittebat reſurrectio-
nem, arguit eum operimentum. Debuiſſet vnuſquiſque
recurrere ad retia paterna, prouidere ſibi victum, abſcon-
di, erubeſcere falſitatem magiſtri, propriam ſeductio-
nem occultare, multo magis iurgare quia nec vidimus
eum. Hæc deberent facere ſi vera eſſent quæ Iudæi vo-
lebant. Sed putas conuenientes in vnum impudenter
dicebant ad ſemetipſos, Quid ſi ſeducti ſumus, ſed non
concedamus. Magiſter mortuus eſt, dicamus quia re-
ſurrexit, vt quid lucrarentur? quid commodi accipe-
rent? aurum? ſed non permiſit mandatum, argentum?
& ipſa retia dereliquerunt. Sed vt honorarentur? qui
inuerſo capite affigebantur. Quid erat quod poſſet eos
hortari vt mentirentur de eo qui non reſurrexerat? Quis
præbuerat eis audaciam? in quo confidentes eſſent in-
ſcientiæ ſuæ ruſticitatis, ingenuitati, diuitiis, multitu-
dini, duodecim ad mundum. Sed prædicationem eius H
qui affixus eſt cruci, ipſum ſolum audere exire ad mun-
dum grande eſt. Puta iſta auſi ſunt Iudæi, quomodo
paſſi ſunt non eos ſtatim interimere? Nonne parati ſunt
ad interemptionem? Magiſtrum affixerunt, qui non ar-
guit eos homicidas, iſtos qui conuicerunt quia homici-
dæ ſunt, non multo magis debuiſſent interimere? Cur
ſanguinem magiſtri adhuc habentes in manibus patiun-
tur piſcatores? Et certè cùm interficerent magiſtrum,
niſi negaſſet Petrus, fuiſſet mortuus. Qui ergo volebant
eum antequam moreretur magiſter occidere, quemad-
modum eum non occidunt poſt magiſtri interfectio-
nem? quemadmodum? quæ eſt cauſa? ſed noluerunt, &
quis eſt qui conuertit eorum mentem? ſed voluerunt;
& quis eſt qui prohibuit eorum propoſitum? ſed volue-
runt & non potuerunt: & quis eſt qui ſuperauit eorum
malitiam? quemadmodum ſuperati ſunt, ſi non eſt facta
admiratio, quomodo vincunt piſcatores? Ecce alia ad-
miratio. Si nulla admiratione operati ſuperant, maiori

A admiratione vincunt. Et certè volunt Iudæi occidere, & concedit Dominus eis vt occidant. Martyrium itaque tulit Stephanus. Quomodo ergo Stephanus quidem ab istis occiditur? Vtile enim erat eius martyrium; vt firmaretur per mortem resurrectio, & cæteri non occiduntur? Sed noluit Israël. Quomodo vult Stephanum? De hoc concedit Dominus, sufficit hoc ad victoriam. Quomodo concedit Stephanum, & non concedit & alios. Vt agnosceretur quia mortua est mors, & quia per mortem firmatur resurrectio, vt agnosceretur quia viuit qui viuificat. Volunt Iudæi & non possunt. Moysem facientem signa voluit Israël lapidare, & prophetas occiderunt, & hoc ita prohibente lege. Piscatores arguentes eos & prædicantes crucifixum non occiderunt. Lazarum, quia resurrexit à mortuis, voluerunt occidere, vt mortificarent admirationem; & eos qui prædicant resurrectionem affixi cruci ab ipsis, non occiderunt. Sed puta quia Iudæi victi sunt. Cogitauerunt
B autem piscatores ad mundum exire, si homines ad terminos mundi sine literis, ad eruditos imperiti, ignobiles ad ingenuos, cogitauerunt & tanto donauerunt magistro mortuo: cum quo & fuêre, puta quia ipsi cogitauerunt, puta quia victus est, quomodo gentes susceperunt? & gentes discipulos audiebant. Non consuetudo erat vetus, non simulacra adornata, non templa excelsa, non sacraria quæ multo tenuerant tempore, non versus compositi, non superbia sapientium, non multitudo poëtarum, non remissio feriarum, non traditio parentum, non mirabilia illa in ambitione quæ per artes & machinas & compositiones vatum fieri consueuerant? Quomodo ausi sunt piscatores, ne quidem panes portantes ingredi domum alicuius? ad quam cognationem? ad quam similem linguam? ad quam ciuitatem & domum agnoscendum? Sed prædicatio erat honesta. Crucifixus prædicabatur, & qui prædicabant humiles, & quibus prædicabatur præuenti erant. Nunc ascendat quis ad templum, dicat quod verum est quia
C non sunt dij lapides, si potuerit dinumerare eos qui aduersum se iaciuntur. Si autem reges exercitus & leges pro religione sunt, & multitudo fidelium, tantæ minæ aduersum eos qui hæc non suscipiunt, nullus ausus est, & si fuerit ausus, non viuet. Si dixerit, isti Dij non sunt Dij, sed si nunc ita repetentem, & vide quæ erat virtus sine his qui circuibant mundum, & dicunt quia ista non sunt quæ apparent neque ista putantur, neque illa quæ sapientes dicunt aut poëtæ confingunt, & quæ loquuntur. Mentiuntur sacraria, non vera dicunt vaticinationes. Præmissio ipsa nocens & ars mentita est. Templa malè constructa sunt, recedite à paternis, & credite crucifixo. Quis putas ita lapideum habet cor? Ego puto quia & si gentilium ipsorum quidem adessent priores, & Iudæorum primarij synagogæ, aut transferrent corda sua lapidea ad fidem aut tacentes vtique confunderentur. Scribantur istæ suasiones in vniuscuiusque corde, non atramento, non enim atramento sunt digna,
D si quid autem cum vi loquitur, noli pati mentientes, & si donamus aliquid sermoni, nolite seduci. Si autem sole clariora negotia sunt, nolite fieri cæci. Videte Dominum IESVM à mortuis resurgentem. Videte eum ad dexteram Patris cum gloria sedentem. Quibus oculis? Apostolorum quippe illorum virtute, illorum scientia. Quomodo suscepti sunt? quomodo creditum est? quomodo destructa sunt veterna? quomodo introducta quæ in prædicatione erant tanquam inhonesta? Et certè multa erant impedimenta apud eos, consuetudo quæ putabatur vetus, imperium aduersariorum, remissio feriarum, & ea quæ particulatim prædicta sunt, ab eo autem qui prædicabatur crux, & quod in eo erat incredibile & sine honore. Præconum autem abiectio, ignobilitas, nulla doctrina, egestas, numerus paruus. Ab ipsa autem prædicatione ieiunium pro ebrietate, pudicitia pro libidine, donare sua quam rapere. Si igitur qui prædicabatur incredulitatem habebat propter impotentiam quæ putabatur crucis, & qui prædicabant omnia incredibilia. Adde autem & persecutionem ipso-

E rum cùm vapularent, cùm iniurias sustinerent, cùm recluderentur & interficerentur, si qui prædicabatur interfectus est, qui prædicant interficiuntur, & qui credunt persecutionem sustinent. Vnde creditur ab ipso à suis prædicatoribus ab his qui susceperunt. Sed ex consuetudine quæ contraria suggerebat, sed ab acerbitate prædicationis cui aduersabatur requies quæ in veteri erat testamento permissa, sed à promissionibus, mortuus est, inquit quidam, & resurrexit aliquando. Et persecutio quidem aderat, promissiones autem dicebantur. Sed putas prouenerunt ista & suaserunt discipuli & translatus est mundus, & Iudæi cessârunt. Impossibilia facta sunt possibilia, & iterum silentio, & si fortuitu. Si autem prædixit ea IESVS ante crucem, perfecit autem post crucem, quid non videmus ad solem, vbi & prædixit? Vbi enim non prædixit? Si quis autem scrutatus fuerit eius sermones, non est eius sermo, in quo non est statim & prædicatio. Piscatores enim nominauit discipulos
F suos, in eo dum vocaret piscatores, piscationem annuntiauit. Ipsum enim nomen prædicationis est nuncupatio. Vocauit eos piscatores hominum ad salutem. Piscati sunt Matth. 4.19. autem. Si non sunt piscati, mentitus est & mortuus. Si autem & absentes nunc vsque piscantur homines, nonne apparet quia adest qui misit piscatores ad piscandum? Et cùm sint absentes, sales eos appellauit. Si non statuerunt Matth. 5.13. nostram putredinem, si non deterserunt nostras sordes, si non emundauerunt nostras spurcitias, si non immiserunt in nobis saporem, non sint quod dicti sunt. Si autem à spurcitiis nos & fœtore liberarunt, statuerunt autem nostras defluxiones, deterserunt nostras sordes, suaui autem odore pleni sumus per illos, & sumus esca diuina. Reprehende prædicationem, si concedet tibi exitus rerum. Piscatores sales eos dixit & exhibuit. Denique & in alia prædicatione lumen eos facit & dicit, *Vos estis lu-* Matth. 5.14. *men mundi.* Piscatores priuati, ignobiles, egeni, lumen mundi dicuntur. Domus enim si dixisset, non esset magnum, si via alicuius non esset. Adhuc maius. Ciuitatis
G enim vnius si dixisset. Sed lumen eos esse non est incredibile nationis integræ, sed mundi, inquit, estis lumen. Si dixit magnum, & non fecit maximum, num mentitus est aliquid? Si autem dicit magna, operatur autem maiora, quid faciemus de his quæ videntur? Dicit Petro. *Tu es* Matth. 16.18. *Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam.* Certè ædificaturum se promittebat Ecclesiam suam. Si non ædificauit, mortuus est. Si autem ædificauit qui non viuit, dicant quomodo ædificauit sed ædificauit, nihil autem addidit, sed dicit, *& portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Si non moti gladij sunt, & exercitus, & tyranni, & leges, & pœnæ, & mors, & varietas horum, & ignis, & mare, & fluuij, & omnia simul aduersus istam prædicationem, & per omnia transiens prædicatio conflata est, & de terra, & castigata ostenditur, quia inferi & mortes plurimæ non transferunt Domini prædicationem. Si non facta fuissent ista, fortè relinqueretur dubitatio. Si autem per omnia tota ista prædicatio star, viuit
H vtique cuius prædicatio non euertitur. Sed ex modicis magnæ prædicationes sunt factæ. *Recumbebat,* inquit, *Do-* Matth. 26.6. *minus, & venit ad eum quædam mulier.* Et quid portauit? vnguentum effudit super caput eius. Irascebantur autem discipuli, scientes quod vnguento non indiget magister. Irascebatur autem & Iudas propter fructum, quia & pauperibus donat incurrentia. Dominus autem ad irascentes. Nolite, inquit, quærere quid ego velim, sed quis & quæ est voluntas eius qui immisit. Nolite esse molesti. Fecit enim. Quod autem fecit ista, non ignorat. Prænuntiant ista meam mortem. Immittitur enim gentibus qui moriuntur vnguentum. Et vna quidem prædicatio quia morietur, sed ista non sit mirabilis. Addit enim. *Amen,* Matth. 26.13. *amen dico vobis, quia cùm prædicatum fuerit nomen meum in omni mundo, prædicabitur & hoc quod fecit ista.* Et parua illa occasio vnguenti tantam magnitudinem introduxit prædicationis, & dictum est quia toto mundo prædicabitur nomen meum, & illius mulieris lusus in memoriam erit. Quæ auctoritas istius vocis? Quid enim dicit qui mortuus est post mortem his qui prædicatur? *Exite ad*

vniuersum

A *vniuersum mundum.* Dixit aut non dixit? Si non dixit, quomodo exeuntes perfecerunt quæ iussit? quomodo suspecti sunt, quomodo qui mortuus est, mortuus est? Matth. 28.19. *Ite, docete,* inquit, *omnes gentes*, ô regia vox, ô tenentis mundum promissio. Ite, docete omnes gentes. Quantis dicis hæc, ô Domine? Duodecim hominibus ad innumerabilem populum, *& baptizate eos,* inquit, & fecerunt quæ videmus. Iterum sanè comparans parabolas prædicit, Matth. 13.33. *Simile est regnum cœlorum,* hoc est prædicatio ista *fermento.* Secundùm quid fermentum? quia & fermento modico à muliere in multa conspersione absconditum, ipsum quidem non obscuratur à conspersione, sed cùm sit paruum totum fermentat, & fermentat sine strepitu. Ita, inquit, mea prædicatio breuis per duodecim per istud fermentum, toto inquit inspersum non transmutabitur, sed omnem mundum transferet ad religiositatem. Hoc dictum est per parabolam. Prædicatio autem facta est, aut non: Si facta est, quid dubitas? si autem non est facta, argue. Aliam iterum parabolam similem huic introducit. B Matth. 13.31. Quid enim dicit? *Simile est regnum cœlorum grano sinapi, quod breuius quidem est omnibus seminibus, cùm autem creuerit, maius fit omnibus oleribus.* Et prædicatio in duodecim erat Apostolis, & Iudaismus & gentilitas erat. Cùm autem creuit, superauit vtroque. Isti ante crucem sermones sunt, post crucem autem opera quæ videmus. Interim venerunt quidem gentiles, & dicunt Philippo, Ioan. 12.21. *Volumus* IESVM *videre,* & dicit IESVS, *Venit hora,* crucis timor, *vt glorificetur filius hominis.* Dicit quia cùm crucifixus fuero glorificabor. Hoc dixit, non fiat, & mortuus est. Si autem prædixit & per mortem perfecit, ô potentia virtutis per ea quæ non sunt fortia. Sed nolite fatigare de resurrectione, in diem assumptionis audite. Festiuitas est primò animas, & ita ventres. Primò debes condiscere cui feriaris, primò debes agnoscere quia viuit, in quo habetur spes, vt securus manduces. Si mortuus est qui adhortatur, lugeri oportet. Si autem suasi fuerimus quia viuit & viuificat, etsi manducauerimus & biberimus, & quæcumque alia fecerimus, in gloriam viuentis faciemus. C Suademus igitur & vt gaudentes epulemur. Putas enim quia adhuc necessarius sermo est. Adhuc enim suademur. Vnum enim ex his quæ dicta sunt non sufficit, & lapidem comminuere, tamen vnum ex his addam. Omnia enim vt dicam, nec sæculum sufficit. Mensurabo sanè tractatum propter corpora, propter festiuitatem, propter refectionem. Dicit iterum Dominus. Ioan. 12.24. *Granum tritici nisi cadens mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Vt habet se natura locutus est. Si enim seminatum non fuerit, nudum granum manebit. Si autem cadens, inquit, fuerit mortuum, vt testatur à natura, multos fructus affert. Et ego, inquit, si non fuero mortuus non colligo: si autem cadens in terram mortuus fuero, multos fructus affero secundùm granum tritici. Et per modicum quidem granum parabola dicta est, permagna autem admiratione opus ostenditur. Si enim, inquit, mortuus non fuero, non colligo. Antequam enim moreretur, & mirabilia faceret, nec duodecim collegit, D non permanserunt enim cum eo. Dicit enim, quia si non Ioan. 12.32. ero mortuus, non colligam. *Cùm autem exaltatus fuero à terra, omnes traham ad me.* Hoc quòd dixit quia moriturus sum, & exaltabor in crucem, aut in cœlos. Nihil enim prohibet vtraque ita intelligi, & traham omnes ad me. Dixit modicum miremur. Sed magnum quid dixit, & modicum fecit. Minuamus admirationem. Si autem magnum dixit, magnum & fecit, & hoc per crucem, & post mortem, pellamus dubitationem & suscipiamus fidem. Ioan. 8.28. Et iterum ad Iudæos dicit eadem. *Cùm,* inquit, *exaltaueritis filium hominis, tunc scietis quia ego sum, & à meipso non veni sed à Deo, cùm opera testata fuerint his quæ dico.* Hi sunt gustus prædicationum Domini, plena autem euangelia sunt volentibus benè legere, pleni actus Apostolorúm sunt, & epistolæ Pauli & ciuitates mirabilib. Plenæ sunt vrbes fide. Laus vni non nato Deo, qui misit nobis vnum Deum vnigenitum suum filium, per quem est ei gloria, honor, imperium, maiestas in Spiritu sancto, & nunc & semper, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

E

EVSEBII PAMPHILI
De incorporali & inuisibili Deo.

INCORPORALEM esse Deum voce magna clamemus, & in corpore constituti, & à corporibus recedentes. Viuunt enim animæ incorporaliter, & post mortem incorporalem, & necdum quæ à Deo creata sunt tantam habent dignitatem. Ipse autem qui pura & perspicua operatus est, incorporalia putas, operietur mente insipientium corpore? Consignemus igitur nostros cogitatus à diuinis scripturis. Quia enim inde mouentur quæstiones, inde veniant & solutiones. Anima immortalis est, & passiones corporis non veniunt ad eam. Per eum enim per quem omnia facta sunt, & animæ creatæ sunt. F Ipse hoc pronuntiauit Dominus, & dixit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Matth. 10.28. Non dixit quia nolunt occidere, sed quia non possunt, inquit, occidere. Naturæ enim animæ potentiam posuit, & non propositum decipientium. Si igitur nostræ animæ, quæ in corporibus & circa corpora habentur, corporum passiones non admittunt, etiam dum adsunt in corporibus; quanto magis his qui honorauit animas incorporali natura, ipse magis est incorporalis, *Sermone sequenti.* & non ita incorporalis vt animæ. Cùm enim de his mouerimus sermonem, & inquisierimus quomodo incorporalis ab incorporalibus differt, tunc cùm ipse Deus impertierit de his & loquemur. Interim autem motus est sermo, quia Deus incorporalis est qui & animis tribuit & incorporalitatem. Paulus autem & 2. Cor. 10.3. in corpore constitutus, & in carne viuens, non volebat in carne esse. Dicit enim. Audent quidam putantes nos in carne viuere, & quia viuebat in carne addit. In carne enim constituti, non ea quæ carnis sunt operamur. G Si igitur qui erat in carne alacritatem refundens, in spiritu recedit à corpore, quanto magis immaculata & inaccessibilis & pura illa natura, hoc erit & sermone quod est & natura? Habemus sanè & in Euangeliis scriptum, ipso Saluatore dicente, *Deum nemo vidit vnquam.* Ioan. 1.18. Nullus, inquit, vnquam vidit, omnes personas comprehendit, omnia non simul? non separatim? vnquam potuisse videre Deum pronuntiauit, omnia spatia comprehendit, vt ne quis diceret, Prophetis apparuit, aut Legislatori, aut alij alicui. Quid ergo mentiuntur scripturæ quæ dicunt. Veni & vidi, & audiui? Vultibus non est visibilis Deus. Quemadmodum ergo agnoscibilis? Qui autem solus nouit eum qui se genuit dicit; *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Mat. 5.8. Si enim dixisset, Beati qui acuti sunt oculis, diceremus quia oculis mancipauit visum. Si autem sicut oculus purus videt quæ oculis sunt naturalia, ita & anima munda videt quæ sunt supra animam, qui corde videtur, oculis non videtur. H Quæ autem oculis videntur, subiacent motionibus mentis. Iterum enim Paulus dicit: 1. Cor. 10.3. *Quem nemo vidit hominum, nec videre potest.* Quia enim potest fieri eum qui audit ea quæ non videt cogitare, quia non peruenit aut prohibitus est, aut cœlum non permisit? amputans omnem suspicionem Apostolus, & inuisibilitatem Deo custodiens quod coniunctum est incorporali, non solùm dixit nemo vidit, sed nec videre, inquit, potest. Et sicut animam, non quia nolebant, sed quia non poterant occidere, propter naturam. Ita & istic dictum est neque videre possunt, quia non cœlum obumbrat ne videatur, sed natura non comprehendit. Vt autem scias quia cœlum non operit eos ne videant qui videre non possunt, aduerte quid ait ipse Deus. Hier. 23.24. *Nonne cœlum & terram ego impleo?* Intuere quia adest quidem, non videtur autem quia & adest, ita iterum idem Apostolus de vnigenito filio ait, Col. 1.15. *Quia est imago inuisibilis Dei.* Si enim dixisset imaginem tantùm, quæreremus secundùm quid nunc accepit similitudinem.

A Si autem addat imaginem, secundùm quid accepit similitudinem? manifestè dicens. Inuisibilis est pater, inuisibilis & filius patris. Sicut enim in Genesi scriptum est: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, & in sequentibus ostendit secundùm quid similitudinem. Ait enim: *Et dominetur supra terram omnibus piscibus maris, & volatilibus cœli, & animalibus terræ.* Et accipitur secundùm imaginem non aliud nisi qui à rege Deo omnibus constituto rex stet, & homo eorum quæ supra terram sunt. Et dominante Deo omnibus his quæ fecit in cœlo & in terra, dominabitur & homo omnibus his quos susceperit. Sicut enim illic similitudo secundùm imaginem saluatur in dominationem: ita & isthic quod dicitur, qui est imago inuisibilis Dei, confitetur, quia sicut Deus pater inuisibilis est, ita & Filius Dei, qui est imago patris inuisibilis, habetur. Imago enim similitudinem exhibet. Et sicut de patre dictum est, imò ab isto patre, *Cœlum & terram ego impleo*, & cùm adest omnibus, ab omnibus non videtur, ita & de filio dictum est: *In mundo erat, & mundus eum non cognouit.* Et certè dicit Euangelium,
B *Erat lumen verum.* Lumen autem videtur conducibile esse oculis. Naturale enim est lumini, vt per eum visibilia videantur. Sed si simpliciter lumen dixisset, oportebat nos de hoc lumine suspicari dictum, & de istis oculis. Sed quia non simpliciter dicit lumen, sed *erat*, inquit, *lumen verum.* Pellit istud lumen quod verum non est. *Erat lumen verum veniens in hunc mundum.* Quia enim dixit veniens suspicio erat, quia veniens nondum aduenerat. Incidens autem sermonis infirmitatem, confirmauit mentis intellectum. Quia enim dixit, Erat lumen verum veniens in hunc mundum, vt non putares, quia non aderat præsens antequam veniret, vt dicitur à quibusdam, addit corrigens sermonem, *In mundo erat.* Si igitur in mundo erat, quomodo venit in mundum? Cùm autem audieris quia *Deus ambulat in paradiso*, ita audi & de filio quia venit. Ergo & cū audieris à propheta, *Quis est qui venit ex Edom?* Sicut venit qui adest in
C mundo, ita venit qui venit ex Edom. Vestes autem ei rubras imposuit prophetia, cū Daniel dixerit alba esse eius vestimenta. Mota autem nobis fuerat ista quæstio, & de vestibus, & si non fuisset mota, rationis erat non eam transire. Condiscamus quid est quod dicitur vestes habere Deum, & has modò rubras, modò autem albas. Non enim iactatum dicam Deum in vestibus, & nunc quidem ista vestiri, nunc autem alia tanquam obsoletatis prioribus, aut non obsoletatis. Quidam sed volunt Deum in vestibus iactatum esse & clarum videri, tanquam non sufficiat ei natura sua, vt nunc quidem aliis vestibus indutus, nobis sedeat secundùm Danielem, nunc autem aliis indutus veniat secundùm Isaiam. Sed hæ ipsæ quæstiones magis nobis interpretantur naturam. Quis enim, inquit, est qui venit ex Edom? interrogat Propheta, rubra vestimenta habens ex Bosor. Ista enim illius nationis metropolis erat. Respondit per hoc spiritus Prophetæ qui interrogauerat, magis autem spiritus Deus vtraque facit, & interrogauit Propheta & respondet vt
D Deus. *Ego, inquit, qui loquor iustitiam.* Cur, inquit, rubræ sunt tuæ vestes? Dicit, *torcular calcaui solus.* Si quantum ad dictum spectat, quia sermones nobis proferunt inimici incorporalis, torcular, inquit, calcaui, & sicut torcularia sparsa sunt vestimenta eius, & rubedo quædā, non tamen fucatio erat vestimentorum naturalis, neque illa quæ ex artificio fieri consueuit. Sed quid erant? aspersiones vtique, vt à torculari fieri solet nonnunquam vino iactatum. Quid ergo in Edom habet Deus torcular? Si quis autem calcauerit torcular, iustitiam loquitur. Si autē considerātes inuenerimus quæ erat ista gens, & qua damnatione debitrix habebatur, & quam vindictam de eadem fecit Deus, & quo interficiuntur iudicio, agnoscemus quia torcular non est torcular, sed vindicta per sanguinem. Esau autem ob ventris edacitatem distrahens, propter ventrem naturæ primitias, quia enim hoc ipsum incontinentia erat, ex vitio habuit & nuncupationem. Et est Edom quod interpretatur auaritia. Ex isto igitur Esau facta est gens Idumæorum. Ista gens quia & Esau erat frater Iacob, vtique debuit æqualem fraternam E
quandam affectionem habere ad populum. Qui cùm non haberet, increpatur ei à Deo quia non seruauit pactum fraternitatis ad populum. Quid ergo præuaricauit conscientia ad fratrem, & erexit iudicem aduersus se? Propheta autem præuidens futurum de eisdem iudicium & vindictam, vt Israëlitæ de Idumæis vindicarentur antequam fieret vindicta. Videt iudicium, & dicit, *Quis est qui venit ex Edom?* Et certè quantum ad rem necdum hoc scierat. Si autem necdum facto iudicio tanquam iam fecisset, & venire videtur cùm dicitur apparere, necdum apparet, non quia apparet antequam veniat ex Edom, viso enim non videtur qui præuenit visionem, neque vestimenta habet, qualia apparuit habens. Sed quia vult veluti aspergi sua vestimenta à sanguine eorum qui digni sunt morte. Non enim ad cœlum transmittitur interficientium sanguis. Sed ex hoc maximè agnoscitur quia incorporalis est Deus, & vestimentis non indiget. Quia quæ apparet indutus, significatio est magis efficientiæ quàm exhibitio naturæ. Cùm iudicat habet sedem, & F
qui iudicat mundum, albas eius esse vestes scriptura dicit. Cùm autem iterum vindicta completur, tanquam regrediens rubra eius dicit quæ non erant rubra, & vestimenta quæ non erant vestimenta, vt ante audiret populus quia vindictam facit. Ego autem audiebam Prophetam dicentem non de Deo solo, sed & de sacerdote nescio quo, qui indutus erat vestimentis sicut induimur & nos. Quæ autem vidit Propheta vestimenta, & quæ immutant visionem, non sunt ista vestimenta quibus nos induimur. Si autem qui induitur istis vestimentis homo conspicitur indutus & mutans, & patiebatur quidem ille nihil eorum quæ vidit Propheta, facta autem sunt quæ videt Propheta. Si de homine ista, quanto magis de Deo? Dicitur in Zacharia Propheta. *Ostendit mihi Deus* IESVM *summum sacerdotem.* IESVM dicens sacerdotem, non illum ostendit Dominum IESVM, qui est Pontifex pontificum, & Sacerdos sacerdotum. *Et iste*, inquit, *vestitus erat vestimentis sordidis, & stabat diabolus a dextris eius cupiens ei nocere.* Erant enim eius sordida vestimenta. Sicut enim mures ad nidores concurrunt, G
ita diabolus & illius exercitus illo delectatur nidore. Et hoc quod erat lectum, lectum est. *Cùm spiritus nequam exierit ab homine, circuit desertos locos, & quærit requiem.* Sicut & canes coquinarum requirunt vbi sanguis, vbi stercus, vbi inlotæ interaneæ, & illic concurrunt. Et sicut qui foris currunt adinueniunt quod turpe est verbum, qui actus fœdi, ita cùm spiritus immundus exierit ab homine, circuit & arida loca quærens requiem, quia non delectatur pace, neque vult habitacula, sed deserta quærit, aut terram aut animam quærit. Nec vbi aurum malis artibus commachinatum est in simulachris quærit, nec vbi argentum malè conflatum est vt adoraretur. Sicubi lignum, ars, aut idolum sculpsit, sicubi lapidem erexerunt manus ad colendum, tales quærit requies spiritus immundus. Sicubi sanguis, sicubi nidos, sicubi seducantur, sicubi theatra, sicubi nudi currentes, sicubi turpia loquentes, & turpiora admittentes, & sicut apum H
progenies acerrimi quidam capere volunt strepitibus quibusdam & sonis, & thymiamate volantes detinent, ita & immundi spiritus circa immunda vagantur, & quærunt non vbi purus est flos, sed vbi contaminatio, vbi fabulæ mendaces, vbi imago falsè figurata, vbi sacrificia malitiosa, vbi mulieres impudicæ, vbi viri incisi, vbi Dei adulteri, vbi Deæ fornicantes, vbi sanguis & pollutio, vbi tibiæ, vbi saltatio, vbi nuditas, vbi omnis turpitudo. In istiusmodi immūdi spiritus requiescunt. Si autem viderit aliquem in habitu pudico & honesto, indutum esse Dominum IESVM, statim dicit. Quæ dicit permitte, quid nobis & tibi non est aptum lumen his qui læsi sunt oculis, ad tenebras enim conuertentur, tenebras insequentur, in tenebris requiescunt. Cùm autem spiritus immundus quæsierit in desertis & aridis locis requiem & non inuenerit, exierat enim ab homine, *Redeam*, inquit, *ad domum meam vnde exiui.* Domum suam vocat eum, qui voluerit domus esse eius. Si autem redierit,

Gen. 1. 26.
Ioan. 1. 10.
Gen. 3. 8.
Esa. 63. 1.
Dan. 7. 9.
Esa. 63. 1.
Esa. 63. 3.

A redierit, inquit spiritus immundus, & inuenerit hominem illum paratum sibi, quia enim vidit spatium in malo, non vult iam solus habitare, sed vadit & assumit alios septem spiritus se nequiores, & octuplo quantum ad numerum quia peiores assumit. Non enim quantum numerus multiplicat, tantum solum & malitia addit. Ita cùm cœperit quis moueri ad cursum malum, aut ad turpem loquelam suam parauerit linguam, inuenit spiritus immundus operamentum iam incipiente mala ab homine, & suggerit peiora, & efficit ista quæ & videtis. Non enim est quod videtis tantùm, sed vnusquisque eorum septem & plures sunt. Nam & plures habent dæmones. Si quis autem recedentibus dæmonibus, sicut ebrietate recedente voluerit interrogare, si tamen & agnouerit aliquem eorum qui nunc gloriantur in turpitudinibus suis, ipse sit qui faciebat hæc, aut fecit aut locutus est. Verè efficitur illud Apostolicum dictum, *quod fructum habebatis tunc in quibus nunc confundimini.* (Rom. 6.21.) Sicut enim nunc videmus immundos spiritus accipientes occasionem persequi ea quæ similia sunt sibi, B ita & tunc quia sordida erant vestimenta sacerdotis eius qui fuerat visus, stabat diabolus ad dexteram eius, cupiens ei nocere propter sordida vestimenta. Stabat autem & Angelus Dei. *Et dicit*, inquit, *Angelus Dei diabolo. Increpet tibi Dominus. Hoc*, inquit, *relictum est ab igne, & vis eum comburere?* (Zach. 3.2.) Et post hæc præcepit Angelus auferri à sacerdote sordida vestimenta, & vestiri eum munda. Et sacerdos quidem qui videbatur non aderat, sed constituto eo alibi, videbatur à propheta, & sordida vestitus erat vestimenta, illo fortè candida vestito. Et iterum immutatur eius vestis qui videbatur à propheta, & ille non mutauit qui non erat in visione. Et prouenit quantum ad visionem, duplicem esse sacerdotem istum. Erat enim & homo ad semetipsum ille, & vtique nec sordida habebat vestimenta. Neque immutauit cum isto qui in visione erat visus. Agente autem eo & saluo, & agente in his locis in quibus erat propheta, vidit eum non ipsum vider, & eum C præsentem vestitum sordida vestimenta, quæ non habebat ille, nec enim erant vestimenta sed peccata. Vestimenta quidem vtpote hominis erant candida, vbi autem vestimenta non erant, vestimenta peccata erant sordida. Quia enim peccata erant, sordida vestimenta dicit. Quia autem peccatis delectatur diabolus, aderat per visionem: vbi enim erat nitor, illic sordida animalia: vbi peccatum, illic adinuentor ab initio peccati. Obiurgat igitur Angelus præsentem diabolum, & præcipit mutare vestimenta sacerdotis, & auferri ab eo sordida, vestiri autem eum munda, & interpretatur efficientiam, & dicit. *Ecce*, inquit, *abstuli à te peccata tua.* Si istæ circa hominem vestes non erant vestes, sed modo quidem peccatorum insignia, modo autem puritatis, quare ea quæ circa hominem sunt descripta vestimenta non suscipimus? quæ circa hominem fuerant quæ & vestitur. Quæ autem circa Deum dicuntur vestimenta, contendimus esse vestimenta. Multis denudo vobis omnem partem istam scripturæ. Nec Iesus sacerdos ille aderat illic, non enim aderat, D sed nec diabolus aderat, neque angelus aderat, sed totum erat visio. Et sacerdos quidem propter peccatum apparet sordidis vestimentis indutus, qui non & aderat, nec erat vestitus sordida vestimenta. Et diabolus veluti videtur, quia istis talibus gaudet, & ad istos tales exsurgit. Et angelus veluti visus est vt ostenderetur quia per angelos iustis efficit adiutorium, magis autem pro peccatoribus pœnitentibus gaudium. Nec enim illud putemus sicut & putamus, quia & in Iob libro diabolus aderat ante conspectum Dei, & locutio erat Dei cum diabolo ex æqualitate. Et dixit Dominus, & dixit diabolus, & interrogauit Dominus diabolum, *vnde venisti?* Sed hæc ad auditionem vestram velut composita inducuntur. Totum autem illud est quomodo Iob quidem erat vir irreprehensibilis, diabolus autem inuidus. Ad istiusinodi & Deus defensor horum permisit diabolum ante conspectum suum. Sed hoc ita est. Vidit diabolus immaculatum, properauit imponere maculam. Quæcumque enim motiones erant diaboli aduersum Iob. Hæc per sermones contexuntur in

scriptura, vtpotè si dicebat diabolus ad semetipsum. Si non timerem Deum, tangerem omnia quæ habet Iob. E Abstulit ab eo Deus timorem, & non prohibuit. Contexitur iam compositio libri. Dixit diabolus, & dixit Deus. Hoc est, voluit diabolus, & non prohibuit Deus. Cur autem non prohibuit? quia non inuidebat Deus athletæ coronam. Ergo cùm scriptura aliquid propter nos loquitur, non nostram infirmitatem Deo forti applicemus. Si enim in corpore & in carne totus conuentus dæmonum legio in Euangelio dictus est, (Marc. 5.9. Luc. 8.30.) & non sustinuit filij Dei præsentiã. Nam & diabolus ipse in corpore, agente filio Dei non fuit ausus accedere quamdiu esuriret, & immitteret ei laqueum per eiusmodi, quemadmodum possumus pati & dicere quia diabolus Deo ex æqualitate locutus est, cui & Angelus Dei dicit. *Increpet tibi Deus?* Et quid dico Angelus Dei vermes, qui nec vermis accepimus virtutem in nomine crucis, vt imperemus dæmonibus & diabolo, eosque fugamus. Si igitur nos increpamus, Deus ad collocutionem venit. Et certè si acceperunt potestatem homines Domini calcare viperas & scorpiones, & (F Luc. 10.19.) omnem virtutem aduersarij, si homines acceperunt potestatem calcare, Deus ex æqualitate loquitur ei qui calcatur, venit diabolo fortior, vincens eum ligauit. Leo autem ligatus, nec vt canis potest. Fortè autem dices, quia si veniens vicit vincens ligauit, & ligans dedit calcari, non quidem sit talis: tunc autem cùm esset, sub Iob erat, adhuc ille poterat fiduciam habere. Nondum enim erat ligatus hominibus. Putas sit lupus potens aduersũ oues? si autem potens & aduersum leonem, vt ita quodammodo comparationibus vtamur propter fortiorem. Non enim ampliorem accepit virtutem à corpore Dominus IESVS, vt superaret diabolum. Sed cur ipsa & conluctatio facta est? Quia enim produxit agnum lupo, lupus autem videns agnum qui videbatur ex consuetudine accurrere, & extra consuetudinem detentus est. Si enim maximè & inimicus vocatur, & aduersarius diabolus, quia enim & inimici crucis dicuntur homines, non quia inimicus nominatur, iam æqualis est. Non enim æqualiter G habens virtutem dicitur aduersarius, sed ideò quia non placet Deo eius malignitas. Non sicut tenebræ videntur lumini ex æquali virtute aduersariæ, quia tanta detinent spatia tenebræ, quãta & lumen. Si autem & hoc tale non ita aduersatur diabolus Deo non ex æqualitate, sed quia Deus maligno non delectatur, & ex eo quod vertitur & non vult, & odit, si tamen ita debet dici aduersa voluntas est, non tamen virtus. Si enim neque ab hominibus est melior diabolus neque fortior, quæ horum probatio, quid vult diabolus perditionem hominum, si correxit homo, fortior illo est. Si autem quotidie spoliatur & denudatur, & euacuatur qui hominibus nocere contendit, & non potest, sed nomine Dei & nuncupatione sola, & ab hominibus vincitur. Qui ergo non suffert nuncupationem Dei, quomodo virtutem potest sufferre Dei? Et certè nec ipsum Adam prouocans vicit, sed suadens & decipiẽs & falleus. Hoc autẽ infirmitatis est opus. Quantum ad diabolum spectat, nulla sit inquit virgo, vincitur H autem à tantis. Quantum enim ad diabolum pertinet nec quidẽ vnus saluatur. At nuptiæ honestæ sunt, & diabolus à tantis est obrutus. Quantum enim ad diabolũ pertinet, nullus sursum aspiciat vnquam, disrumpitur autẽ tantos videns. Quantum ad diabolum, ne quidem vestigium pudicitiæ vult esse in terra. Feriunt autẽ qui percutiunt cor errantis. Quantum ad diabolum nec nomen iustitiæ esse cupit. Qui autem dicunt peccaui, illius aures castigant. Non vult pœnitentiã esse, & efficitur pœnitentia. Mouet persecutionem, & fiunt martyres. Quanta eius capita incisa sunt? hoc est ipsius diaboli. Quæ enim inciduntur pro Christo capita, ipsius capita incidunt, quoties in flamma est missus ante gehennam in gehenna. Quicumque enim facti sunt holocaustum Christo, isti diabolum consumpserunt igne, & alij eum præfocauerunt in mari, alij autem dederunt eius corpus meatibus fluuiorum. Quanti eum torserunt? etiam ij qui visi sunt superati. Si enim & vicit quorundam corpora, sed non prudentiam & intellectum. Malignus athleta est, & inconsideratus certator.

A certator. Cùm enim videtur ferire alium, semetipsum percutit. Quod habes negotium ad Iob, ô diabole, vt quid victus es? peccasti, tace, victus es, quiesce. Sed secundò, inquit, oportet me vinci, non quia hæc voluit. Sed quia hæc passus est. Quid intremiscis? quid times? Iob non est Angelus, sed homo mortalis cui colluctabatur diabolus inuisibiliter, victus autem est visibiliter. Et ne lateat te illius pauiditas. Certabatur enim non apparens, & non sicut in stadiis & colluctationibus nudi ad nudos certantur, sed latens mittebat, & non apparens feriebat, & percutiens victus est. Iob enim ignorauit quis esset qui luctaretur ad eum, sed & putauit & dixit, quia à Deo habet plagas. Alius erat qui pugnabat, & alius qui putabatur emendare. Hoc furtum magis quàm lucta est. Adam seducit, ab Iob occultatur. Iob enim admirario est ista, quia putans à Deo sibi venire plagas, non conscius autem sibi peccati, conuertit ad diabolum sagittas quæ ipsius erant. Iob enim putans Deum esse qui feritet, & suspicatus est esse à Deo plagas, & putans

B Deum esse qui feriret, gratias egit in plagis. Magnitudo autem malignitatis diaboli conuersa est ad magnitudinem coronarum Iob. Si enim sciret quia aduersum inuidum & inimicum haberet, fortè contentiosius egisset & alacrius, aut & contemptibilius. Nunc autem malus canis & malitiosus lupus semetipsum occultat, & pastorem producit, & Iob admirationem adauxit. Per ea enim quæ putauit maximè se instigare, per hæc instigatus & victus, & supra omnem spem superatus ostendit victorem. Quis enim & sufferre potuisset sciens suam vitam immaculatam: sciens conscientiam ad Dominum religiosam, ad conseruos iustitiam, videns quia oues quas orphanis occidebat, & tauros quorum carnes viduæ & orphani manducabant, & omnis possessio, cuius erat dispensator ad eos qui habebant nihil, in vno momento tanquam à Deo ablata, nonne doluisset? Sed Iob gratias egit, puta quia omnia subitò abrepta sunt eius. Siquidem & filij. Si autem & filij, vt quid tali morte, cur in ipsis

C mensis simul omnes decem oppressi sunt? Et hoc iterum putabatur Deus fecisse. Puta quia omnis facultas & possessio & filij. Quid autem quia & caro ipsius Iob expugnatur? & hæc omnia putata sunt esse à Deo, & per hæc vniuersa Iob gratias egit Deo. Non igitur te terreat diabolus, non sit domus vacua, neque illi parata, & non habet locum. Sit tibi comparatio Iob ad victoriam, condisce per eum inimici infirmitatem. Sed dicis, non enim abducit & adducit loca, gentes, populos quantos & videmus? adducit, sed & apportat eos qui volunt, fugit autem eos qui increpant. Cùm enim dedit ei locum Iudas, ingressus est in eius corde, furatus est, prodiit. Petrus ei factus est petra, magis enim plagauit quàm plagatus est. Sed dicis, non negauit Petrus? Quare, quando necdum erat crucis trophæum erectum. Nolite esse timidi, nolite indigni à proauis. Aurum quidem Dei est, dicamus afferens ignem, affers gladium addentes omnia possum propter eum qui misertus est mihi. Gladius IESVM non incidit, neque ignis eum consumit, sed incisus aliquando


D est per clauum. Quid est quod incisum est? Noli ignorare, quia nec in animam ingreditur clauus. Passiones enim corporales corporibus sunt conducibiles. Corpus à corpore patitur, incorporale non ardet, non inciditur. Talis natura non diuiditur, non præfocatur. Si enim translatum fuerit corpus, non est vbi capiat. Sed nolo dicere quod sequitur, quia nec rationis est blasphemium loqui in Ecclesia. Ea igitur quæ de diabolo non importunè occurrerunt, ita quodammodo facta sunt manifesta. Nos autem confidamus in Christo, & confidentes increpemus ei, & increpantes memores simus eius qui ait, *Exite ab* Esaiæ 52.11. *eis & separamini, & immundum ne tetigeritis.* Quid enim eis & difficiles sumus? quid eis & irascimur? quæ enim pœna alia eis debetur? Si quis eis irasceretur, vtique diceret: Spoliare, denudare, deturpare, infrigidare. Statue eum nudum in frigore, facito eum currere ante currum. Laboret ambulans, deturpetur denudatus, dicat turpia. Quid quæris punire eum qui semetipsum damnat? sufficit eis quia non sunt nobiscum, sufficit nobis quia non

sumus cum ipsis. Habeant quod habent, quia & volunt. E
Nos habemus, quem habemus, quia & volumus. Sed fugiat & mens insanos, & sileat lingua, inde & conuertatur ad purum & incorporalem Deum, ad sanctum & istius chori Dominum. Non eum operiamus corpore, quia nec patitur, non enim vestiamus vestimento, quia nec indiget, non ei offeramus sacrificia, quia nec petit. Æstima quid dicis. Si dederis ei corpus, separasti ei locum, composuisti simplicem naturam, placabilem fecisti implacabilem. In loco eum qui & à locis liber est constituisti. Si dixeris corpus, dabis oculos, dabis aures circa Deum, & linguam, & sensum, & ossa, & viscera, & neruos, & venas, & ignoras de quo loqueris. Fuge dementiam, vt comprehendas non quantus est natura, sed quantum tibi possibile est nosse. Si corpus est Deus, quis est qui supportat, qui subbaiulat cœlum? Antequam ergo cœlum fieret, vbi erat Deus? terra ei scabellum est, antequam crearetur terra, vbi erant pedes? Sed quando dictum est hoc. *Cœlum mihi sedes, terra autem scabellum* Esa.66.1.
F *pedum meorum.* Cùm Israël magnum quid saperet de templo admueniens sibi templum. Corripiens enim humiles & admonens, quia Deus templo non circundatur, tunc dicit, *Cœlum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum.* Hoc vt paruis loquitur. Et quid addit interpretans ea quæ dixit. *Quam domum ædificabitis mihi, & quis locus requietionis meæ?* Ad hoc illud vtile. Ad naturam autem ne quidem illud. Audi enim illius magnificæ vocis admirationem. *In mundo erat, & venit ad mundum.* Antequam enim putaretur adesse, aderat. Non est vbi non est, & quia vbique est, non circundatur à loco. Si enim in loco erat, in alio loco non erat. Quia enim omnia implet loca, & omnibus separatus est, adest non adest, non potes intelligere tu. Hoc enim est quod quæritur, nihil Samaritanum, nihil Iudaicum, nihil tale vt dicas, *Patres* Ioan. 4.20.
nostri in monte hoc adorauerunt. Hoc enim Samaritanorum est, vos autem dicitis in Hierosolyma esse locum. Non mihi montes, non templa, non ciuitatem, non regionem, non locum, nec terram, nec mare, nec aërem.
G Cum cœlo nihil Iudaicum. Bona lex est. Lac paruis vtile est. Factus es perfectus, formatus es, excusa illud, quod aliquando tibi videbatur ciuitas Dei, templum Dei, templum Domini. Dicit enim Ieremias, *Templum Domini si* Hier. 7.4.
seruaueritis, inquit, *mandata Domini.* Decora vox primo testi. Salomon autem ædificauit sibi domum ait, sed *Altissimus,* inquit, *non habitat in manufactis hominum.* Altissimus & non in ciuitate, altissimus & non in templo. Et Act 7. 48. & 17.24.
dicit per alium prophetam, *Sanctus sum, & non ingrediar* Oseæ 11.9.
ciuitatem. Si autem in ciuitatem non ingreditur, in templo quomodo habitat? vt dicatur cœlum sedes vt non domus putetur & terra scabellum? Qui autem nouit eum qui se genuit, ipse scit & reuelat quia nullus eum vidit. Et certè venit pater, & habitat & inambulat. Et certè illa consequentia non consedit ambulationem. Si enim totum cœlum sedes eius, & tota terra vt scabellum tactum pedum mensuratum, quomodo potest transire scabellum pedum suorum? quomodo ambulauit? sed habi-
H tat Deus in animis, habitat & inambulat. Latior enim sinus est animæ, quàm cœlum, sanctus in sanctis requiescit. *Induimini,* inquit, *Christum* IESVM, dicit Apostolus. Rom 17.14.
Quanti enim induuntur, quanti & vocati sunt, & vocantur, & vocabuntur, & vnusquisque totū, & omnes totum & neque diuiditur eis, neque inciditur, neque scinditur, & omnibus adest, & ab omnibus separatus est, & omnes replet, quia non est corpus Deus, neque corpus circa ipsum, neque vestimenta. Siquidem & cum in corpore filius, nec tunc cadit in corpus, sed magis incorporalis natura efficientias fecit corpus sufferre, corpus enim supra fluctus non ambulat, ambulauit ergo IESVS per corpus. Ioan. 9.6.
Non ergo deitas deducta est à corpore, sed corpus eleuatum est à deitate, spuit, corpus enim eius natura est. Qui autem in corpore adesse dignatus est, simul cum sputo emisit virtutem non incidens à se, & lutum fiebat ex sputo, ex sputo autē & luto oculos qui naturæ deerant, figurauit, vt ab initio intueris totū quidem corpus alleuiatū, & vestimenta corporis efficientia, & ad vestimenta vt

videas

A videas quia diuina virtus per omnes penetrat qui tetigerunt. Sicut enim ignis calefacit proxima sibi, & per calefacta his quæ adiunguntur calefactis calorem impertit, ita sanctificauit Dominus corpus quod accepit, &
Matth. 9.20. per corpus sputum, & per corpus vestimenta. Illa enim mulier quæ summitatem fimbriæ tetigit vestimentorum, fontem insanabilem sanguinis habens, hausit per fimbriam sanitatis medelam, a deitate scilicet quæ aderat in corpore, sed vestimenta eius præsentiam. Neque igitur ipse corpus necessarium habuit, sed quibus erat vtile contingere & tunicam & corpus, & per spiritum videre incorporalem Deum, qui ministerio incorporalium diues erat. Ministerium autem audiens non necessitatem audire debes; sed beneficium eorum qui ministrant, non vsum tamen eius qui ministratur, multũ enim nos profumus Deo, quia videmur pro Deo contendere. Nobis enim luctum est, vt religiosi simus nobis lucrum est, si non peruersas habuerimus de Deo mentes, ne &
B decidamus a Deo. Decidit autem omnis à Deo, qui aliena sapit. De quo si didiceris ita vt est habes eum. Si autem alium pro alio putaueris, eum qui est non habebis. Quia non agnouisti quem putas non habes eum, quia non est talis qualem putas. Non de quolibet certamen est. Irridemus eos, & quia ista parua delinquunt qui ignorant artes, vbi ars est necessaria eos qui non alloquuntur ea quæ audiunt frequenter dicentem vides, dicimus, non audis, non intelligis. Igitur de his quæ hominum sunt, culpa est si non habuerimus de inuisibili Deo. Cùm autem quis aut despexerit, aut audire noluerit, aut intelligere minus potuerit, quid putas erit? Noli errare à Deo. Laus Dei, agnitio est Dei. Secundùm quod est nobis possibile recedere à consuetudine. Non hominem quæris vt aperias ei oculos & aures, & os & linguam, & manus, & pectus, & pedes, & ponas sub eo sedem, & subiicias scabellum, & supponas terram. Non est ex nobis Dominus, sed nos per ipsum sumus. Vis autem edis-
C cere quia non est ex nobis? De filio eius cùm dictum esset, *Emmanuel nobiscum Deus*, non simpliciter nobiscum est dictum, sed cùm in corpore venit Dominus, tunc nobiscum, cùm virgo in vtero concepit, tunc nobiscum Deus. Ante istam autem dispensationem, etiam dum esset præsens, non erat nobiscum. Si enim corpus feceris Deum, & corpus plenitudinem cœli & terræ, aut quod superat supra hæc in ipso pones cœlum & terræ lapides, & omnia quæ sunt. Si enim vt corpus coëxtensum est corporibus, primò quidem abstrahe omnia, vt locum habeat Deus. Si enim corpus est magnum, egestatem dico pauperum, non implet omnia, nullus alius habeat locum. Omnia enim præuenit Deus. Et sicut repletum vas fuerit, eo qui præcesserat replente non est locus, vt supermittatur aliquid aliud, ita si Deus corpus est, præcessit autem omnia, non habeat cœlum locum vt faciat, neque terra locum, præcessit enim Deus. Si autem est cœlum & terra, & mare, & aër, nullus locus est vacuus, neque ex natura eorum corporum quæ insunt, neque ex præsentia Dei, quia per corpora penetrans adest, non cor-
D pus ipse est. Siquidem nec si anima nostra esset corpus, poterat esse in corpore. Sicut enim suscipiens aquam non manet quantum erat, sed additamentum auget magnitudinem mensuræ, ita corpus corpori appositum. Et sicut ædificiis, & nauibus, & choris, & populis, & ciuitatibus, & agris, & arboribus, aliud alio additum auget magnitudinem, si autem angustus fuerit locus, quæ præcesserunt, quæ autem subintroducuntur, non habebunt locum. Si igitur corpora adduntur corpori constituto Deo, angelisque Deus, putas non erat perfectus antequam adderetur cœlum. Si autem ipse erat perfectus & præuenerat omnia, non habebant locum mare, terra & cœlum. Si autem quidem ista sunt, Deus autem ea fecit, & gubernat, & regit, inuisibilis est rector inuisibilibus aquis superstans. Si enim ipse non regeret, nunquam passa fuisset terra mare, & neque mare terram aduersa, & iurgans natura & erigens se, & extollens, & minans, indens & contendens, inuisibili autem manu sua statutis sibi terminis his non transgreditur. Ergo per visibilia inuisibilis conspicitur, sicut scriptum est, *Inuisibilia autem eius per creaturam mundi ex operibus intellecta conspiciuntur.* Quid E Rom. 1.20.
est intellecta conspiciuntur? Deus, inquit, intellectu visibilis. Visibilis autem dicitur, ita sicut scriptum est, & vidi visionem Dei intellectu, vtpote suggerente oculis, quæ vidit esse inscripta in operibus eius. Quæ enim inscripta sunt, nobis necessaria videntur. Cur autem illa audis quæ visibiliter dicta sunt, natura autem verè & principaliter non admittis? Vidi Dominum audisti, inuisibilia eius non audisti. Audisti quia ille nescio qui vidit Dominum. Deum nemo vidit vnquam, non audisti. Audisti quia ille nouit, neque vidit, neque videre potuerit. Non audisti, sed audiuit eum filius suus magis, quantum ipse enim nouit patrem suum qui ait. *Neque vocem* Ioan.
eius vnquam audistis, neque faciem eius vidistis. Si autem 5.37.
volueris ex tuis agnoscere Deum, & te & Deum ignorabis, sed sequere humilis, considera vbi sis. O quantum inter te & cœlum interest! amplius autem derelinquitur
cœlum à Deo. Non spatiis dico. Nihil enim desertum F
Deo est. In nullo autem retinetur Deus. Fortè isti sermones aliam linguam necessariam habent, quia & de alia natura dicuntur. Cùm igitur sermones moti fuerint in Ecclesia; siquidem de humanis negotiis vnusquisque acutus & acer auditor, & ex quibus patitur, & ex quibus admittit respiciens ad dicentem, & comparans quæ dicantur his quæ agit, & quæ proferuntur his quæ patitur, statim prudens & scrupulosus auditor & agnouit & consensit. Cùm autem transmutauerimus sermonem, & ab humanis recesserimus, & ad Deum mentem ostenderimus nostram, istic multi quidem suscitantur, quidam grauantur à somno, alij delirare putant dicentem. Vt autem condiscas hoc vitium ita esse, audeat quis honestus ingressus theatrum dicere vera his qui mendosè confingunt, & assumere constantiam decoram. Si autem & in illo decorum est ingredi loco, & incipiat dicere. Insanitis, ô homines, non videtis oculis, surdæ vobis sunt aures. Iste enim qui saltat ludit vestram cultionem, de-
turpat ea quæ colitis, mentitur iste, & vos consentitis. G
Putas patientur, vt impleat accusationem & conuictionem, & non ipsius theatri accipientes lapides mittet aut voluet vnusquisque vt ei fuerit vitrus, tanquam ad deceptorem & interficientem qui beneficium tribuebat. Si autem & personam comœdi, aut illorum qui illi plurimum clamore consuerunt inducens, quis fuerit ingressus in habitu quidem lupi, incipiat autem dicere. Est Deus, & iste non in templis, non in simulachris, non in picturis, non in manibus artificum. Si dixerit vera apud eos qui meditantur mendà, putas concedent implere veritatis sermones, non ante sermones obruent eum lapidibus dicentem. Nam & si talia non fiunt in Ecclesiis, tamen cùm supra sensibilitatem mouerimus sermonem, multi nos derelinquunt, & corpore quidem erubescunt recedere, mente autem olim dereliquerunt, reputantes apud se, magis autem fraudantes & non admittentes. Est ergo aliquid quod non potest manus tenere, est aliquid quod non potest oculus videre. Est aliquid quod non est sensi-
bilitas. Non habes animam vidisti ista, putas ergo quia H
animam non vidisti tuam? non est quod habes? Et certè de anima dubius esse non debes si est, sed de corpore. Corpori enim vt sit, præsentia facit animæ, num debes dubitare? Si videt oculus tuus, si gustat lingua & loquitur, & si tangit manus, cur dubitas, & non magis edoceris? Ostendo tibi corpus mortui: oculus ei non deest, & non videt: linguam habet, & sermonem non habet: aures habet, & auditum non habet, non gustus est, non tactus. Intueris quia abscessit artifex inuisibilis, & cessarunt visibilia operamenta? Nunc corpus, nunc carnes viuent: sed anima, & cogitatus, & sensus. Si autem & contenderis esse corpora & carnes Deo, non apponamus ei qui non suscipit, sed sit separatus vt est, sit purus, sit liber corporali affectu ab omni loco, ab omni regione, ab omni natura. Solus enim est in semetipso, solus apud semetipsum, solus reparatus ad se, & cùm sit reparatus ad se, complet omnia, sed non corporaliter. Tuba opus est, vox maxima necessaria est, magis

A autem nec vox, nec tuba, sed mens pura, vt videatur qui non videtur, vt audiatur qui non auditur, vt intelligatur qui non interpretatur, & dicatur qui non dicitur, vt agnoscatur qui non comprehenditur, & sit isti tali Deo per eum qui talem nobis annunciat & interpretatur Deum, gloria, honor, imperium, maiestas in Spiritu sancto, & nunc & semper, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.



EVSEBII PAMPHILI De incorporali.

LIBER PRIMVS.

MVLTITVDO quæstionum in his quæ lecta sunt hæc continetur. Et fortè cum ieiunio poteritis
B audire & quæ quæruntur, & quæ eorum interpretatio habeatur. Quæritur enim in his quæ lecta sunt, Si Deus in montem descendit Syna, & si circundatur Deus in monte aut loco. Quæritur etiam quæ erat ruba, quæ ore proferebatur Dei. Quæritur, cur appropinquantes ad montes, in quo erat Deus, interficiebantur, & prohibebatur populus appropinquare. Quid sibi vult columna nubis vbi est Deus, quid etiam mons fumans. Addatur autem his, cur si quis vidisset Deum moriebatur, & non magis viuebat. Has omnes quæstiones ambit locus qui lectus est. Orantes igitur ipsum Deum, qui solus potest sua edisceere, ita ad solutiones istiusmodi veniemus. Deum quidem circumdat nihil, circumdat autem Deus omnia non corporaliter. Virtute enim incorporali adest omnibus, vbique præsens est, & ab omnibus separatus est. Non enim vt permisceatur adest, aut vt copuletur, aut vt iungatur, sed liber & separatus adest. Adest autem non diuisus, aut scissus, aut
C segregatus. Neque pars quidem eius adest, pars autem abest, neque hîc quidem pars alia, alia autem pars alibi. Ista enim omnia corporum sunt vitia & passiones, & diuisiones & partitiones. Illa autem natura libera est à corporibus, non solùm vt non sit corpus, sed & vt non habeat corpus. Nec enim vt anima incorporalis quidem est, circa corpus autem quodammodo est, aut corpus circa ipsam, aut quomodo quis voluerit dicere. Neque hoc accipiendum de Deo est, quia neque corpus est Deus, neque corpus circa ipsum, neque in corpore est ipse. Et quis corporibus innutritus fortè suspicabitur, nihil esse eum qui non tenetur, nec videtur, nec arctatur, nec tangitur. Sed conuersus edoceatur naturam negotij, quia quæ videntur, & tactibus incurrunt, & cogitatibus amplectuntur, verè nunquam sunt. Si autem & transfertur & transmutatur, & scinditur & diuiditur, & putrescit, & nunquam ipsum accipit statum. Quibus enim proprietas est, minoratio ista videtur. Quid enim proprium est corporibus nisi veterascant. Si enim esset cor-
D porum natura perfecta, non indigeret istam additamenti mensura. Ita enim corpora infirma sunt, & illa maximè quæ videntur fortissima esse, quia adiuuare se non possunt. Si enim pulsus fuerit lapis, & semel acceperit initium vt cadat, & cœperit comminui, non potest reuocare suam ruinam, & si scissus fuerit non coniungitur, & diuisus distat à semetipso: Ita & de montibus efficiuntur incisiones & ruinæ, & quantò maiora sunt quæ scinduntur, tantò magnæ sunt & ruinæ. Et non in crassitudine virtus est. Si autem oportet & ipsorum corporum scrutari naturas, secundùm propositam quæstionem consequenter videbimus, quia & ipsorum corporum subtilitas, quæ putantur esse infirma, fortiora quodammodo apparent, vt puta quod dico, terra aquis est crassior, aquæ à terra minus crassæ habentur. Sed cùm terra incurrerit aquam, dissoluitur, cùm autem aqua apprehenderit terram, penetrat eam. Et quod patitur terra ab aqua, hoc paritur aqua ab aëre. Quid enim improuectiones istæ ostendunt? hoc vnum maximè, quia ad incorporalitatem, & ad leuius corpus, maiorem imponunt virtutem subtilioribus. Aër enim per aquas penetrat, penetrat autem ita vt vim faciat aquas emitti per se ad superiores partes, quod eius non est naturæ. Et si quis voluerit hoc nosse, quia non detinentur superna ab his quæ deorsum sunt, si quis repleuerit aëre vtrem, cumque demerserit in aquam, & certè cùm sit pellium natura crassior, & grauior magis quàm aër habetur, aër quærens suum officium, & regionem, neque cum grauissimis vtribus detinetur. Sed scindens aquas sursum educitur cum grauibus per aëra. Istam igitur passionem, quam aquæ ab aëre patiuntur, & aër ab igne sustinet, & testes sermonis flammæ sunt & lucernæ. Ideò enim attunditur flammæ summitas, quia incidit istum ambientem aërem. Et videtur quidem ignis à videntibus, agnoscitur autem ab his qui possunt eius naturam videre, quia ad suam festinat regionem, ad superiora scilicet. Iste igitur subtilissimus ignis cùm sit vnus è corporibus,
F proximus est incorporalibus. Intuere enim quantas habeat proprietates aduersum cætera corpora: In certis enim corporibus condiscamus imperium esse subtilium, ne crassus effectus cadat sicut & corpora crassa: sed mentem ad lætitiam, corporibus quidem sis liber, ad incorporea autem festines. Ignis igitur primò quidem dicam idem gloriæ est supra omnia corpora, & illuminat alia, se autem non facilè ab aliis tenebrat; penetrat enim per omnes, & dissoluit omnia corpora. Quanquam enim petra ita est dura, aut quæ potest confabulata flammæ non ostendere fortiorem esse flammæ virtutem à sui natura, emollitur enim & ferrum per ignem, probatur & aurum, colatur argentum, conflatur plumbum, & omnia quæ putantur fortiora esse corpora, igni cedunt propter subtilem ignis naturam. Denique si proieceris lapidem in flamma, transit quidem, sed non per flammam. Fugit enim flamma eum. Si autem ignis confabulatus fuerit lapidi, per totum lapidem penetrat. Ita & si æramentum immissum fuerit in igne, aut ferrum, aut ipsum au-
G rum, immutantur colores omnium, & ad ignis transferuntur colorem & magistrum, quodque eorum ignis, aut hoc quà dicitur & calore, & fulgore, & omnibus proprietatibus ignis. Quia autem ignis ad aurum non cadit, aurum autem calefacit, manifesta est eminentia. Et quia ignis non dissoluitur à petris, dissoluit autem petras, aperta est virtus. Et quia ignis non detinetur ab aëre, scindit autem & sursum currit, apertum imperium est. Et quia vrget sursum fieri, & positione est, & virtute, & colore fortior. Sed fortè quidam iurgium aquarum aduersum ignem videt, quia ab aquis extinguitur ignis, quod quidem recessio magis ignis est, quàm corruptela. Sicut enim à tenebris non consumitur, sed cohabitare iisdem non patitur. Immutemus autem, & videamus cùm aqua in vas fuerit immissa, & oblatum vas fuerit igni, quis à quo istic consumitur, quid autem veluti pœnas sustinet, & sonat, & bullit. Ignis enim numquam à frigida aqua factus est frigidus, aqua autem frequenter & semper, vt ita dicam, ab igne efficitur calida. Ergo &
H istic, quia aqua assumit calorem, ignis autem frigus non admittit; consumitur autem aqua amplius calefacta ab igne, & feruens vtporè & emissa, & ebulliens, fugit partes vasorum ad quas propinquauerit ignis, & vrgetur effugere è vasis, & effundi. Non enim potest ignis sufferre cruciatus. Ergo in istis omnibus subtiliora corpora fortiora sunt cæteris, secunda autem ea esse virtute, quæ minus habentur in subtilitate, & secundùm competentiam vniuscuiusque vsque ad quartum. Vt autem & ista addantur, flamma incisa non inciditur. Sed & si volueris assumens ferrum, aut aliud aliquid quod videtur incidere, & ad alteram perduxeris partem per flammam, manet tota, & incisionem non suscipit. Si autem non intellexistis quod dictum est, transeamus ad radios solis, istos si voluerit quis incidere gladio, in inferiori parte non inuenientur, sursum enim remanent non incisi. Ita & flamma, vbi eius fuerit radix, illic tota colligitur. Non est enim videre partem flammæ superiùs gladio incisam remanere, partem autem inferiùs, sed tota

ad

A ad semetipsam coniungitur. Lignum autem & terram, & saxa incidentes diuidimus à semetipsis, & disiungimus partem à parte, fortè autem incidimus & aërem, sed eiecto eo quod incidit, statim ob subtilitatem sui semetipsum coniungit. Gladio enim, aut ligno, aut lapide, per quæ incisio efficitur, per multa enim admittit ratio fieri incisionem, sublatus aër propter subtilitatem sui coniungit partes incisas. Si autem hoc propter inuisibilitatem minus agnoscitur, in aquis agnoscitur quod dicitur. Cùm incisa fuerit aqua, aut scissa per lignum, aut per aliud aliquod operimentum, post autem si abstuleris id quod incidit, vrgetur aqua ad coniunctionem sui, est enim aqua à terra subtilior. Terra enim ita sibi vt aqua adiuuare non potest, vt ex hoc appareat, quia quæ dicuntur fortiora corpora, ista multò magis sunt infirmiora, & non in magnitudine est potentia. Quid enim tantum habet mons, quantum habet margarita ad pulchritudinem, magnitudo enim calcatur, in breui autem pulchritudo requiritur. Sed transeamus
B à primis quæ dicuntur corporibus, terræ dico, & ignis, & aquæ, & aëris, ad ea quæ ex his sunt composita, & videntur omnia ex his habere, calorem dico & humorem, & crassitudinem, & subtilitatem, & alia. Et videamus si est in his stabilitas, si est mansio. Et ne quis putet materiam introduci sermone, aut quomodo introducuntur elementa, quibus & inducuntur. Sed illud dico, quia in corporibus quæ mouentur, motionem autem dico istam, quæ naturalis est eorum qui habent vt crescant, qui habent vt minuantur, eorum qui fructum afferunt, eorum qui mouentur à locis ad loca, animalium vtpote & arborum & hominum. Varificatum enim est corpus & compositum. Compositum enim est & saluator per incorporales virtutes. Neque enim arbores sibimetipsæ statuunt tempus vt floreant, non magnitudinem foliorum, non tempus frugum, non compositionem eorum quæ figurantur, non ea quæ intus sunt ad custodiendum, non quæ foras sunt ad tutelam. Non enim in arborum est potestate de his quæ sunt in arbo-
C ribus. Si enim & in nobis rationabilibus non est potestas mensurarum, non ætatum, non membrorum, neque quando debeat procreare, aut nasci, aut crescere, neque vsque ad capillos, non solùm vt quando floreant, & quando debeant, qui necdum venerunt ad florem, sed neque de eo vt transferat colorem, & à nigro veniat ad album, est in nostra potestate, qui cogitatum possidemus & sensum. Si igitur & quæcunque in nobis sunt naturalia non sunt nostræ potestatis, quanto magis in irrationabilibus animalibus, non sunt in ipsorum potestate quæ sua sunt. Magis autem hoc in arboribus non est & plantis. Et tamen in his quæ sine anima sunt, hoc est in arboribus istis & plantis mensuræ, magnitudines partibus, & ipsi omnia arbori & plantæ, & foliis eius & fructibus, & compositionibus habentur. Quarundam enim fructus sparsi sunt, alius in alio ramo positus. Quibusdam autem compositio est in burronibus coniungi, & immutatio colorum in iisdem est, & ipsius generis, &
D ipsius speciei, quorundam quidem manducantur ea quæ à foris habentur, quorundam autem abintus sunt quæ comeduntur. Et multa est varietas annuncians per omnia sapientis sapientiam, & ipsius operis disciplinam. Tamen in istis corporibus quia officia quædam & ordines conspiciuntur, & mensuræ, & tempora, & agnitiones, vt emolliantur cùm incipiunt fructum afferre, proiiciunt enim etiamsi non floruerint ad fructum & educantur, & sensim accedunt, & ad tēpus occurrūt. Nunquam autem essent ista quæ sunt, nisi ea incorporalis quædam virtus figuraret. Ita & in animalibus leges præceptæ sunt, vt ab equis equi, & ab vnoquoque genere genus proprium, similia à similibus, & mensurata est concupiscentia animalibus. Non enim in omni tempore animalibus est communicatio, sed tempus statutum est & agnoscitur. Et masculi tunc mouentur, & feminæ tunc patiuntur, & transiit tempus, & emortua est in irrationabilibus concupiscentia. Et vbi tanta varietas est, nónne confessibile est ignorari ab irrationabilibus quæ fiunt.

E Tamen agnoscunt quomodo reguntur & adducuntur, & vbi oportet seminari, & vbi conueniat commendari, & ignorantes quod futurum est, nihilominus tamen legibus suadentur. In matricibus autem nec rationabiles mulieres nôrunt quid efficiatur. Tamen & irrationabilibus figurantur, & nullus emouet vt non moueantur extra mensuram, neque vt illud manducet, & ab illo se abstineat. Nonnunquam enim & minantur plurimum, & currunt quæ conceperunt, & custodit ea quæ custodit. Apud nos enim quia adiuuat ars naturæ, immutatum est à natura adiumentum. [illegible] autem nihil coëfficit ars naturæ, totum adiumentum custoditur. Multa enim sunt quæ videntur in aliis animalibus, quæ nos non habemus. Nobis enim neque tales cutes, neque tanti capilli sunt, quanti & illis. Ars enim vestiens ea, complet quod videtur deesse naturæ. Non operimenta sunt iisdem, sufficiunt enim pili. Non opertoria; amicta est enim pars quæ his indigebat. Sufficiunt quippe illis capilli, & pro domibus & tectis, & tunicis, & palliis, &
F operimentis, & vnicuique animali pro sui natura & opertoria data sunt. His enim, qui minùs poterant sustinere frigoris, spissiores pili & longiores indulti sunt, aliis lanæ, & vnicuique separata est esca & immissa, & circa illam escam illa alacritas. Quæ enim excusat ceruus, hæc persequitur leo, & varia proposita est magni Dei mensa, plena quidem omnibus, conueniens autem vnicuique naturæ. Et est admiratio. Numeri enim mensium matricibus & irrationabilibus politi sunt. Et quis non stupeat, quia in tempore isto concurrunt, cuius exitus fructum apportat, cùm asperitas hiberni transierit, vt non tenera adhuc constituta quæ nata sunt in domo non confota, asperitatem autem hiemis incurrentia perirent, & deficeret genus, si ita à frigore gelidæ hiemis interficeretur. Sed leges statutæ, & fines sunt positi, quando seminari deberent, & quando fructum afferre. Et neque illis opus est obstetrice, neque arte istiusmodi, neque vt cadat & iaceat; sed statim vt enixa fuerit, stat, statim vt natum fuerit pecus exsurgit, & agnos-
G cit irrationabile animal quod eiecit è matrice, & quod non viderat vt sciens mater agnoscit, & progenies ad matrem conuertitur quam nesciebat. Et cùm adsint ipsius generis alij, non erat irrationabilis ad modicum, & statim agnoscit matrem. Agnoscit autem & sui generis, non ignorat etiam & quæ sibi aduersa sunt. Accipiamus enim gratiâ comparationis vnum ex his & videamus: cerui capreolus statim vt natus fuerit currit ad matrem, & quærit non vnde processerit, sed vnde pascatur. Illa autem, quæ antea non dederat mamillam, agnoscit eius qui natus est alacritatem, & aptat nato mensuram volenti contingere vt pertingat, matri autem quæ præbet vt suscipiat & pascat. Cur autem non abiit ad aliam similem? Cur ipsius naturæ alia non suscepit? Cur non ad os patris pertexit? cur non offendit ad latus? sed mamillam quærit, quo edocente, quo suggerente? Vnde autem & agnoscit quid habeat mamilla? vnde nouit quid operetur fons mamillarum? quis ei dixit, quia fontes mamillæ sunt? Nam & cùm ceciderit in terra, statim stat,
H & neque cornua pertimescit ceruorum talia & ita terribilia, neque perturbat eum immutatio gregis. Si autem apparuerit catulus canis, statim ab eo qui natus est agnoscitur, quia impugnator est eius. Et si simulans homo imitatus fuerit vocem canis, statim & antequam videat, imitationem audiens vocem fugit. Quis ergo in irrationabilibus sapiens? & certè nos qui videmur & sumus rationabiles, statim nati nihil horum habemus, quod est admiratione dignum, cur infans matrem ignorat, & patrem non agnoscit? Neque à se pergit ad mamillam, neque aliquid istiusmodi facit. Quia enim est sensus in matre, & tutela in patre, & ars in obstetrice, vt appareat prouidentiæ dispensatio, vbi ista desunt, natura complet, vbi autem ista abundant, natura cedit. Non enim statim surgit infans, habet enim manus quæ portant, necessarios capillos non habuit, pili enim omnium necessaria cōplent. Quærito autem & ipsam positionem fontis escarum qualis apud nos, & qualis apud irrationabiles habeatur.

A Quia enim erectus noster est status, quia in inani os portamus, superiùs constituit & mammillas, quadripedibus autem in aliis infixit locis. Quid autem dicis quia vnumquodque animal, statim vt natum fuerit, quantum est, tantum est, magnitudine dico, sed quod nihil ampliùs assumit ad mentem. Habet enim sensibilitates suas, habet capillos, & quia nihil apud eos pretiosum est, ideò totum statim in eis effusum est, sicut & in fructuosis arboribus statim concurrit & effunditur magnitudo. In fructiferis autem sensim proficit augmentum. Ita & rationabilibus non statim efficitur vt crescant, non statim status, non statim esca. Siquidem nec margaritæ in facie reperiuntur terræ, sed post tantas difficultates quod pretiosum est inuenitur. Tamen quod properat sermo ad semetipsum dicimus, quia neque irrationabilibus. Si enim nossent, fortè quidam ausus fuisset, & diceret ipsorum esse opus. Quia autem ignorant quidem, efficitur verò, tamen quia fiunt corpora, &
B figurantur in matricibus, & crescunt post matrices, quærentes inuenimus, quia præsentia corporalis animæ ex matricibus exeunt, & post egressum pascuntur, & crescunt, & mouentur. Si autem quis dubitet, consideret corpus vnde recessit anima, & sciet cuius præsentia sunt opera ista. Ergo & corporibus vt sint & crescant, & maneant & non dissoluantur, præsentia animæ præbet, impertiens quæ non habet corpus. Cùm enim non pascatur pascit, cùm non crescat, corpori præbet vt crescat, cùm colorem non habeat præbet colorem, cùm non transeat à loco ad locum, ex loco ad locum transmutat. Et hoc ipsum quod videtur esse corpus, per animam est quod est. Recedente autem anima, statim conuincitur corpus, statim dissoluitur, statim defluit, spargitur, obputrescit, emoritur, infrigidatur, inmutat colorem. Non eius oculus videt, & non mouetur manus, non pes, auris non audit, lingua non gustat, & si immiseris escam vim faciens, non efficiunt operamenta quæ intus sunt. Recedente enim artifice stant. Et capilli etiam non addu-
C cuntur & moriuntur, & vngues iam non crescentes, & omnia otiosa sunt, sicut fabri aut alterius artificis, si recesserit artifex, operamenta iacent quidem, indigent autem habentis animam. Statim enim est videre fœda corpora morientium animalium putrida, neque vt contingantur apta, nec enim & ad escam sunt conducibilia, ita anima recedente non sunt vtilia ad ea quæ suæ naturæ sunt. Mirari enim est & illa, quorum anima languore aut dissolutione istiusmodi recedit. Si autem & recedere oportet dici animam irrationabilium, horum mortificatio immutata est à statu illorum quæ occiduntur. Quæ occiduntur enim alia sunt & calore, alia sapore, alia & odore, alia manducatione. Illa autem quæ moriuntur & non occiduntur, & in ipsa morte habent immutationem sui. In tantum enim demonstratur quantum potest præsentia animæ, quia & vox subitò recedit, & tanquam vestigium quæ in iisdem est vitæ relinquit. Quid autem dicas de nostra anima? sed
D non est rationis ita nos iniuriam facere pretiosæ animæ. Si enim voluerimus in isto breui spatio horæ mouere de ea sermonem, & transitoriè eius memoriam facere, inimici magis videbimur nostræ animæ quàm amici. Sed sit sermoni quidem mensura, animæ autem rationabili decens honor. Ei autem qui creauit corpora & animas, & rationabiles & irrationabiles, ab omnibus simul, & qui non loquuntur per vnum, per quem & omnia constituit, sit gloria, honor, imperium, maiestas, cum Spiritu sancto, & nunc & semper, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EVSEBII PAMPHILI
De incorporali anima.
LIBER SECVNDVS.

E RELIQVIÆ, quæ de incorporali refectione hesterno nobis resederant die, hodie secundùm consequentiam sermonis *iter perfruamur*. Solitum enim & his est, qui corpora pascunt sua, cùm non suffecerint ad sumendum plurimis ad refectionem appositis, manducantque diem quantum possunt, recondunt autem sibi superflua in alterum refectionis diem. Fortè autem non eadem imago conuenit nobis. Non enim ea quæ resederant proposita nunc sunt, sed sint ea quidem quæ præcesserunt non esca, sed gustus. Nunc F
autem, vt ita dicam, ipsa refectio. Motus enim nobis est sermo de monte Syna, in quo dicebatur fumus fuisse, & ignis & procella, & tubæ & voces à Deo. Quæ omnia magis quæstiones mouebant. Videntur enim ista non consentire incorporali naturæ. Quia igitur domestica efficitur satisfactio, cùm à communibus & apertis fuerit mota, ideò in commune de incorporalibus mouimus quæstionem. Accipientes enim corporum naturas discreuimus, & ostendimus, quia non vt putatur crassiora fortiora sunt, sed secundùm competentiam vniuscuiusque corporis, quantum vnumquodque subtilius est, tantum & fortius. Istinc promouentes venimus ad naturam, à natura ad irrationabilium animam. In quo loco comprehendit nos vespera, & collocauimus mansionem. Quia ergo successit iam lumen, exsurgentes teneamus consequentiam eorum quæ rursum ambulantes transiuimus. Secundùm consequentiam igitur & ordinem initium sit sermoni, quæ hodie de nostræ animæ dignitate dicemus. Sicut enim à corporibus ad naturam, à natura autem ad irrationabilem animalium venimus animam, ita promouentes & transcendentes, ab irrationabilium anima ad rationabilem peruenimus, vt G
exerciti in corporibus primùm ita veniamus ad incorporalem animam, & ab anima ad incorporalia. Et ita non subitò ad puritatem Dei accedentes, ex fulgoribus qui inde sunt obtenebremur. Decet enim taliter, vt anima priùs semetipsam agnoscat. Incongruum est enim, vt de aliis quidem curiosius requirat, semetipsam autem negligat, cui proprium corpus est. Quia enim posita est velut in mediis gradibus, aliis quidem præcellens, ab aliis autem deficiens, fortè agnoscens semetipsam, despiciet quidem minora, protendetur autem ad ea quæ supra se sunt. Accipiamus igitur ipsius animæ dignitatem, & efficientes eius, ex quibus cogitat & agitat, operatur & donat corpori, & ex quibus ei aduersatur vtilissimè, & ex quibus de Deo cogitat & sapit. Accipiamus autem & testimonia ex his quæ videntur, & à scripturis. Et primò, quia quidam putant animam nostram non solùm cum H
corpore esse, sed aut corporalem, aut corpus. Multis autem sanguis putatur & nostra anima esse, dicimus de his primum, & quia ex scriptura circumueniunt animam, tanquam sanguis habeatur, ex ipsa scriptura eius separemus dignitatē. Irrationabilium enim animalium animæ vno præcepto cum corporibus figuratæ sunt. *Dixit*, inquit, *Deus, Producat terra animalia quadripedia*, & quæ sequuntur. Vno sermone genera animalium vniuersa, & corpora & animas fecit, & non discreuit. Et iterum, *Producat aqua*. Etiam si hoc primum positum est ait, *Producat aqua natantia quæ in aquis sunt, & volatilia cœli quæ in aëre*. Propinquior enim genere aqua aëri est. Repletur enim aër aquis per nubes. Colata autem aqua transmittitur ad aërem, & nubes adunat, & velut immutatio quædam est aquæ ad aërem, & iterum restitutio. Vnde & quæ facta sunt ex aqua veluti ex crassiori natura, quædam quidem remanserunt in aquis, alia velut ad congenerem aërem transmissa sunt. Sed non de his nunc

Marginal notes: Exod. 19. — Genes. 1.24. — Genes. 1.20.

A sermo est nobis. Sed quia aliorum quidem animalium animæ vniuersæ vno præcepto cum corporibus factæ sunt: homo autem neque cum aliis animalibus, neque ante alia factus videtur. Et cum aliis quidem non est factus propter pretiositatem: ante alia autem non est creatus propter tutelam Dei. Quia enim incipiebant ei subiici omnia, quæ facta à Deo sunt; vt non ipsius putarentur opera quæ facta videntur, nouissimus figuratur homo, & non primus. Si enim & ita nouissimo facto homine, ausi sunt quidam per fabulas introducere, quid non ausi fuissent, si non ista præcessisset tutela? Aliter autem & decebat antequam crearetur Rex super terram, præparari necessaria primùm, vt ita adueniret, qui eis perfrui deberet. Seruatur autem & in irrationabilibus ordo, secundum Scripturam. Non enim priùs facta sunt animalia, quàm fierent ea quæ pascerent animalia. Quia enim factum quidem iam fuerat cœlum, fundata autem iam erat terra, & mare fuerat separatum ab arida, effusus autem erat & aër, coronata autem erant B quæ facta sunt, vnumquodque in ornamento suo. Terra quidem florens arboribus & plantis, aër per auium iter anibus præbens, mare & flumina & fontes piscibus lætabantur, qui in se fuerant nati. Cœlum autem variatum suis floribus erat, & tunc factus est homo. Creatus autem est homo non vno præcepto, sed corpus quidem dicitur manibus figuratum. Ex hinc autem iam argumenta sint de incertis. Scriptum est enim, quia accepit Deus è terra limum. Putas quia accepit dixit, addemus ei & manus? Scriptum est quia & figurauit hominem. Et figuratio quidem corporis iacebat, anima autem non erat simul creata. Sed volens Deus per opera separatas segregare naturas, separatim figurauit corpus, separatim animam fecit. Et factum est velut tabernaculum corpus, introducta est autem anima, & habitauit. Et ne putes quia præcessit corpus in creatione, iam & in honore præcellit. Sed memento quæ superiùs audisti, quia & irrationabilia animalia ante hominem facta sunt, & non quia præuenerunt in operatione, iam & prima sunt in honore. Ipsorum autem irrationabilium ea quæ ad escam necessaria sunt, priora creata sunt, & non quia quæ vtilia sunt animalibus, iam & honorabiliora sunt iisdem. Ergo non à temporibus accipiamus pretiosiora ea esse quæ priora sunt. Si quidem & terra ante istud quod videtur cœlum est facta. Si quis enim legit Scripturam, aut legentem audiuit, inueniet quia scriptum est, *In principio fecit Deus cœlum & terram.* Cœlum enim cum terra factum dicit, non istud quod videtur, sed aliud superius. Secundo enim die efficitur istud quod videtur, & nominatur firmamentum. Tantùm enim honorabilius & istud à terra est, quantum & spatio distat superpositum. Et non quia toto die præcessit terra istud quod videtur cœlum, iam & honore prima putabitur. Ita figuretur priùs corpus, & pòst fiat anima, & nobis seruetur dignitas. Factus igitur homo est, ita enim nominat Deus dum dicit. *Et figurauit Deus hominem, limum à terra accipiens.* Necdum erat totus homo, sed si fortè imago hominis, imago autem necdum viuens, & iacebat quod factum est vt operamentum. Requirebat autem artificem, non intellectu aut effectu, sed necessitate poscebat, scriptum enim est, quia post hoc, *inspirauit in eum Dominus spiramentum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Et iterum. *In spiritum viuificantem.* Ergo ab initio separatim quidem corpus, separatim autem anima facta est. Et corpus quidem sine anima non viuit. Cùm autem ingressa fuerit anima, tunc efficitur homo in animam viuentem. Et quis comparabit opportunè corpus quidem nubi, animam autem immissis à sole splendoribus? immutat enim nubis colorem, immutat eius effigiem, sed non viuificat. Quære ergo quomodo accepit Deus limum terræ, & quomodo inspirauit Deus. Accipit enim sine manibus, & inspirat sine ore. Cur ergo accepit? vt appareret quia non ab alia creatura est homo, sed à conspersione fermentum. Cur autem & inspirauit? Pro eo vt dicat, quia immisit.

Gen. 2. 7.

Genes. 1. 1.

Genes. 2. 7.

Si enim corporaliter acceperimus quod inspirauit E Deus, vt à Deo pars efficimur Dei inspiratione ista, & diuidimus indiuisum. Et quemadmodum possibile erat peccare eos, qui à Deo vt pars eius erant separati? Ita ergo ex creatura quidem ipsa statim separatum est nostrum corpus ab anima nostra. Anima autem omnium animalium, quæ ab hominibus manducantur, dictus est sanguis, non tamen hominis. Sed cùm diceret homini Deus, vt priùs effunderet sanguinem, & ita manducaret, de animalibus, iste eius erat sermo. Ab initio ergo creaturæ, ita melior est nostra anima à corpore, & separata est. Vt autem veniamus ad eius dignitatem, scrutantes scrutemur, quia corpora non germinant, sed arbores & plantæ acceperunt germen, & augmentum, & escam, quam non habebant saxa quæ verè sunt saxa. Germinare enim & crescere, & imbribus nutriri non habent, sed hæc acceperunt plantæ & arbores. Et ne quis producat contradictionem, si aliqui lapides crescunt in mari, siue nigri, siue rubri, illi enim plantis magis similes sunt quam lapidibus, incisi enim cùm fuerint, tunc lapides efficiuntur. In quantum autem stant F naturæ legibus, & radices emittunt, & pullulationem operantur, & incrementum accipiunt, & ramis annunciant affinitatem. Ergo plantis & arboribus ista adduntur, quia habent vt germinent, vt procedant, vt crescant, vt pascantur. Animalibus autem id inest quod inest, hoc est vt nascantur, & crescant, & pascantur. Iuncta autem iisdem est, & proprietatis additamentum sensibilitas. Est autem hoc in lapidibus vt sint, sed non inest eis vt & crescant, & additamenta sumant, quod est in animalibus omnibus. Esse autem inest saxis & terræ: Germinare autem & crescere, & augeri quod erat arborum non est in eis. Additamentum autem eorum separatum est sensibilitas, vtpote quæ in animalibus habetur. In nobis autem omnia quæ prædicta sunt habentur. Additum autem nobis est quod nostrum est proprium, & quod nobis prouenit, vt deorsum quidem habeamus omnia quæ habent ea quæ sub nos sunt, G extrinsecus autem nostrum quod est proprium sit in nobis cogitatus & sensus. Iterum ea quæ post nos sunt, statim irrationabilia animalia cogitatu à nobis relinquuntur & sensu. Habent autem omnia, quæcumque habent minora. Illis enim & quod suum est inest, sensibilitas scilicet. Iterum arbores & plantæ relinquuntur quidem à cogitatu nostro, relinquuntur autem & à sensibilitate animalium. Habent autem suam proprietatem aduersum saxa & terram, germinationem scilicet & augmentum, & crescibilitatem & escam. Fæx autem, & quæ putantur fortissima, petræ inquam & terra hoc ipsum sunt corpus, non producuntur, non crescunt, si enim & crescunt, ita crescunt, vt nec sciatur quia crescunt. His ita à deorsum vsque sursum, & à sursum vsque deorsum separatis, agnoscamus; quia nos quidem sumus in commune, sicut & terra & lapides: coëxtendimur autem & plantis & arboribus. Habemus enim vt & nascamur, & crescamus, & pascamur. Transcendimus autem & irrationabilia animalia cum sensibilitate. Transilimus etiam & ab his, habentes H. quod est præcipuum, rationabilis quippe vitæ cogitatum. Nihil autem præscribitur à communibus, vtputa si quis voluerit hominem aliquem separare ab altero, non debet dicere. Ille qui duos oculos habet aut duas aures, neque illa quæ in commune sunt & aliis, sed illius hominis quod est præcipuum ad agnitionem. Esse enim non nobis solis est, & germinare non in nobis est tantùm, & manducare non hominum solummodo, & crescere non nostrùm est tantùm, & sensibilitatibus vti non nostrûm est solùm, sed quando nos & vbi, in sermone, in cogitatu, in rationabili vita, hoc homo est, hæc imago, hoc est secundum imaginem, hoc est pretiosum, hoc imperiale, hoc est quod tenet per animam. Per hæc agnoscitur & pudicitiæ honestas. Et certè caro contrarias suggerit motiones, vtpote irrationabilium ad communicationes, sed animæ cogitatus gubernans motiones concupiscentiarum, &

A asperitatem libidinum regens, ostendit quia anima à corpore separata est. Si enim corpus turbatur, mouetur, fluctuatur à concupiscentiis, anima autem gubernat, corpus exultat escis, anima autem cogitatu refrænat corpus. Corpus expetit escam, euacuatur enim, & vult iterum adimpleri, anima autem sub spe religiositatis retinet desiderium. Corpus sitit, anima mensurat quod ei est vtile. Corpus mouet fluctus, anima autem tranquillitatem adducit. Corpus sola quæ sua sunt quærit, & non quæ sua sunt tantùm, sed & supra ea quæ sua sunt. Si enim non adesset anima mensurans, posset auiditate escarum corpus corrumpi, & à potatione crepare superflua, sed tantum anima corpore fortior est, quia & corpori mensuras ad salutem ponit. Et primo quidem ostendit quæ debeat sumere, & à quibus se abstinere, & ea quæ licita sunt manducare, quando & quantum, & quibus horis, & quid debeat ante escam operari, & quemadmodum moueri desiderium escarum, & quem-

B admodum seruare escam ingressam, & quomodo reficere operamentá: vt non ex abundanti motione confusio fiat eius qui pascit. Et potuisset vtique corpus corrumpi, nisi adesset anima, permittens quantum deberet, & continens quantum oporteret, & mensurans, & permiscens, & ætatibus semetipsam extendens, & iterum colligens non magnitudine dico, sed mensuris. Quoties enim irascitur corpus, quia derelicta est esca quam libenter sumebat, & iterum volebat, & non permisit animæ cogitatus. Quoties accensa est concupiscentia, & voluit esse sua aliena, & accensa est, & arsit flamma, sed sensus rorans extinxit motionem, & marcidam flammam effecit, & ostendit homini ratione quia homo est, & non irrationabile pecus. Non sumus inter greges ad communicationes, sed nuptiæ apud nos, & in domibus, & successiones, & cognationes habentur. Compatimur enim alter alteri, & congaudemus. Cogitatus enim coniungit, & separatæ nuptiæ apud nos sunt. Separauit enim hoc ratio sensus, & quod

C est admirabile, quæ non est visa ei qui non est visus, aut alibi nutrita ei qui alibi est educatus, subito tradita coniuncta est ratione & sensu, & cogitatu, & præhonoratus est qui accepit, & patri dilecto, & matri amicæ, & omni cognationi. Non enim mihi nunc inducatur eorum qui adulterant nummum, quia nec à cæcis agnoscitur oculi virtus, neque à claudis ambulatio recta, neque ab adulteris nummi figuratio vera. Sed nuptiæ sint nuptiæ, quæ terminis rationis à cogitatu sunt honoratæ. Duo enim fiunt vnum, quia ex vno facti sunt ab initio duo. Et quis poterit exhibere eorum qui saluantur figuram, pulchritudinem, speciositatem, quibus tristitia consolatio est? partiuntur enim, & alterutrum onera portant, & alius pro alio sollicitus est, vt non tristetur nec doleat, ne si non videat tristem iterum tristetur. Aut enim figuratur tristitiam, aut pellit. Cùm autem incurrerit aliquod gaudium, aut lætitiam, videbis ista duplicia. Sicut enim compatiuntur sibi in multis,

D ita & conlætantur. Cogitatus itaque etiam fortissima nobis animalia subiecit. Comprehendit enim & velocia, & tarda domuit & subiecit. Descendens autem in mare, necessaria nobis ad vsum eduxit, & ad aërem perueniens, inde ea quæ videmus & manducamus deposuit. Decerpsit etiam ab arboribus & plantis, & à terra & ab animalibus necessaria, & partitus est, & omnia nobis ob vnam sensus rationem parauit. Nullum enim animal ita est forte, vt cogitatui sit fortior, siquidem nec penna huic velocior inuenitur. Sed quanta carni nostræ ob infirmitatem deesse videntur, hæc fortiora efficiuntur, virtute sensus & cogitatus. Non potest nostra aspiratio plurimum contineri in mari. Quid ergo? num aufugit nos mare? Nonne ei maris profundum cogitatus inuenit, vt nunc quidem funes in mari deponeret; nunc retia expanderet; aliò autem tempore alia machinamenta immitteret, siquidem & per cannas ad profundum peruenit, & per setas operatur. Iam autem & margaritas scrutans inuenit, & spirationi nostræ deposuit solatium. Et primò quidem, quomodo intellexit ea quæ in pro-

E fundo maris sunt posita, & dein quomodo cœpit, aut agnouit vsum eorum, vt quædam quidem separaret ad escam, quædam autem reconderet ad medelam, alia eligeret ad ornatum. Inuenit autem & iter in mari. Accipiens enim è terra arbores, vehicula in dorsibus operatus est maris. Generans enim artes aut suscipiens, ad ea vsus est quæ accepit, & testatur creatura sapientis per omnia Dei. Accipiens enim aquam, & ignem, & terram, & aërem, & arbores, & mare, & fontes, & montes, & campos, nihil horum vt ita accepit otiosum esse permisit. Coacceperat enim virtutem cogitatus & sapientiæ. Et ideò considerans ea quæ inidem erant occulta, habuit sensum, vt ei adueniret, & operaretur, & vteretur. Accepit enim ignem & inuenit solatium tenebris & nocti obscuræ. Inuenit quomodo ex lapidibus efficitur ferrum, inuenit quomodo esset æramentum è terra. Inuenit quomodo aurum purgatur, quomodo argentum colatur, quomodo plumbum conflatur & ferrum, &

F quomodo ex his vasa figurantur, & vasorum varietas, & quæ ad tutelam, quæ ad medelam, quæ ad operationem terræ, quæ ad nauigationem, quæ ad terram, quæ ad lapidem, quæ ad ligna, quæ ad aquam sunt necessaria, & quæ materies magis quomodo conflatur, & quid debeat accipere, & quomodo oporteat coefficere spiritum flammæ ex igne, tanta, sunt bona, lumen noctibus, medela ægrotantibus, operamentum artibus, & agricolis pugnantibus tuitionem, pacificis tutelam. Iterum autem secundum vnumquodque operamentum & vas, quanta ignis operatur consideremus. Fecit aurum, & ex auro tanta; argentum, & ex argento tam multa; & æramentum, & ex ipso imprimis necessaria, & vnumquodque quod colatum aut conflatum est, primò quidem inuentum est, dein discretum, & post confectum, & ita vsum. Didicit enim cogitatus, quibus pascitur ignis, & certè aliquoties offert ligna ad coctiones, aliquoties autem vt maneat, & per quem ligna consumuntur, permanserit, per istum sensum nutrita arguuntur. In tantum enim diues est qui tribuit,

G & tantùm ditatus est qui suscepit, quia si voluerimus contendere, & tantum ex opificiis ignem exponere, & vtilia quæ ex igne sunt manifestare, transiet nox coniuncta diei, & manebunt ignis solius non plena. Apparet autem diues qui creauit Deus, & qui dignus est habitus sensus tali diuitia, vt hæc omnia scrutaretur. Vidit enim cogitatus in sabulo vitrum. Intuere ergo quantum distat cogitatus à corpore. Quid videt oculus? sabulum, quid videt sensus? vitrum. Intueris alium & alium, ille enim videt sabulum, iste autem videt vitrum, quod necdum est. Ergo non oculus corporalis intuetur, qui nec videt, nisi affuerit anima. Sed & cùm videtur videre, aliter videt corpus & oculus, & certè anima videt per eum, aliter intuetur cogitatus à semetipso. Non vidit corpus æramentum, non vidit corpus ferrum, sed lapis erat & terra. Cogitatus autem videns quæ non videbantur, æstimans quid facturus esset

H ignis, si confabulatus terræ fuisset, iste non tamen omni & illi lapidi, & non omni. Quærens enim æramentum terram accepit, & quærens ferrum lapidem sumpsit, & non errauit, sed agnouit inquantum deberet igni permittere. Si enim transierit mensuram à Deo acceptam, ignis qui purgat consumit. Ita in istiusmodi materiis immisit cogitatus suam admirationem, in vasis suam varietatem, in operationibus suam virtutem, in operamentis suam sapientiam. Procreans enim artium gentes &, disciplinarum populos, & nationes & genera, & separans alia aliter, & in alio opere aliter operatus est vnicuique operamenta separata, & suggessit materias; & illam quidem posuit auro, aliam separauit ad argentum, alteram ad æramentum, & alij ostendit ferrum, alij demonstrauit sabulum, & ex sabulo fructum vitri. Alij dedit inuenire naturam arborum & operationem, & vsum, & tempora. Alij fructus eorum, alij culturam eorum, alij adinuentionem eorum, alij medelam ex ipsis, & ipsi medicinæ nostra corpora, quid deberet amburere, quid oporteret

A coquere, cum quo deberet miſcere, quid deberet ſeparatim offerre, quid conueniret complurimis, quid crudum, quid incipientibus morbis & illi paſſioni, quid autem promouenti & iam poſito in ceſſatione, quid etiam in inſiſtendi initio, quid verò reddenti & cedenti & recedenti. Non deſpexit nec animalium fructus, ſed totondit nobis indumenta ex ouibus, totondit & è capris plurimos vſus. Et non eſt dinumerare quanta ex animalibus & alimoniis nobis dederit ad operimenta, ad vſum, ad medelam, ad opera. Quanta ex arboribus, quanta è ſaxis, quanta ex aquis, quanta ex natantibus & volantibus, quanta ex auro & argento, & lignis, & lapidibus, & æramento, & ferro, & plumbo, & quæ amburuntur & non amburuntur, & attenuantur, & contexuntur. Et mihi quidem videtur cogitatus ita eſſe, ſicut vir quidam diues, ſua cupiens dinumerare & ſcrutari. Non ſufficit, ſed ob multitudinem poſſeſſionum & ſubſtantiæ, neque rationibus aut ſenſibus vacare potens, ſed ſuperatus ab his quæ habet, manet B incertus. Tale neſcio quid & nunc paſſus eſt cogitatus. Similis enim eſt ei qui fluctus dinumerat. In eo enim dum volumus proprietatem eius in igne videre, exſurrexit ex mari alia vnda, & alius meatus à flumine, & à fontibus, & ab illis irrigationes, & vſus ex arboribus, à fructibus, à radicibus, à foliis, ab his quæ à foris & ab intus habentur, & in animalibus quæ à foris & ab intus ſunt, & pelles ad alium vſum, & oſſa ad alteram neceſſitatem. Et ne quidem ſtercus inutile extitit, pretioſitate cogitatus appretiatum. Sed nonnunquam & è meſſibus, quia multum attulit terra, plurima relinquuntur, quia non poteſt poſſeſſor colligere quanta & ſeminauit, & terra multiplicans præbuit. Maneant igitur fluctus & vndarum procellæ, & meatus fluuiorum & fontes, & quæcumque derelicta ſunt de fructibus, cogitatus & progenies & opera, & putantes nos hodie implere poſſe ea quæ reſederant, pluta habentes receſſimus & hodie, ita ex bonis anguſtati non nos pigeat, C ſed quantò potuerimus ſcrutabimur coronas, vtpote ferentes Altiſſimo, ex quibus in terra & mari eſt operatus. Quæcumque autem nos tranſcendunt, & ſuperant, in eo ipſo quod vincimur, victori ipſi ex operibus ſuis ſint & iſtæ coronæ. Retinentes igitur quouſque & peruenit ſermo, recondamus ſermonis reliquias, vt iterum ad ipſam menſam ſedentes, iterum iiſdem ipſis fruamur bonis. Vnum autem eſt quod decet & nunc, vt reddatur ei cui ſemper redditur, & ſemper debetur in his quæ præceſſerunt gratiarum actio, & in his quæ incipient gloria Deo ſancto, qui omnia nobis ſubiecit per Spiritum, cogitatu nos præhonorauit, cui eſt per vnigenitum ſuum Filium cum Spiritu ſancto, gloria, honor, imperium, maieſtas, & nunc & ſemper, & per omnia ſecula ſeculorum, Amen.



D
EVSEBII PAMPHILI de ſpiritali cogitatu hominis.

LIBER III.

Ipse ſemetipſum cogitatus reficit, ipſe ſemetipſum paſcit, ipſe ſemetipſum fortificat, ipſe ſemetipſum conſiderat. Ipſe enim ad ſemetipſum ſe colligit, & ſemetipſum intuetur, & arctatur in ſuis. Non enim ſicut oculus alia quidem videt, ſemetipſum autem intueri non poteſt, quia nec ſuæ naturæ eſt vt ſe reſpiciat. Non ita & cogitatus. Neque enim ſicut vultus in ſpeculo, in alio quidem videtur, ad ſemetipſum autem conuerti non poteſt. Non ita & cogitatus habetur, ſed ſemetipſum videt, & ipſe ad ſemetipſum conuertitur, & ſe intuetur, & alia multa. Et non ſicut vox leuibus quibuſdam offendens reſonat, ita & cogitatus ad ſemetipſum reſonat vt echo. Vox enim offendens aliundè reſpondet. Cogitatus autem ipſe ſemetipſum ſcrutatur, & ipſe ad ſemetipſum tanquam penetrans recurrit, & reuoluitur in ſemetipſo. Diuerſum autem E ſcit, nunc aut deſurgunt libidines, & ſpirant concupiſcentiæ, & pelluntur metus, & non ſaluatur quod ſapit. Infirmatur enim & fortiſſimus cogitatus. Cùm autem pudicitia fuerit ingreſſa aut excitata, ſtatim concupiſcentiæ & libidines, vt ancillæ, quæ ante ſurrectionem dominæ turbauerant domum, mox vt viſa fuerit domina, alia alibi abſconditur, alia alibi fugit, & negant iam motiones, & colligunt luxurias, & reuocant ventos, & quieſcunt fluctus, & efficitur tranquillum. Hoc enim eſt pudicitia in anima. Quid tale præbet tranquillitas in mari? quæ nonnunquam & obfuit feſtinantibus. Frequenter enim tranquillitas & opportunos ventos expectantes fraudauit, & nonnunquam & ſiti interemit grauiori, vtpote à tentationibus motæ. Sed non talis pudicitiæ habetur tranquillitas, ſed quæ compeſcuit ventos, & confregit fluctus, & ſtatim adduxit ad portum, & mox erexit ex pudicitia fructus. Cogitatum F quippe, qui ſapiat animæ dignitatem, ſanctimonij honorem, puritatem honeſtatis, tunc videt oculus animæ, quia excuſſit ab eo pudicitia puluerem concupiſcentiarum, procellarum libidinem. Si quis expertus eſt tempeſtates concupiſcentiarum, expertus eſt & tranquillum pudicitiæ, ex his quæ paſſus eſt, & ex his à quibus ſaluatus eſt, agnoſcit quæ dicuntur. Cogitatus enim concupiſcentiarum dormiunt, motiones fluctus, immiſſiones, turbelæ. Neque dormientibus dormire permittit. Accenduntur enim & per ambitiones, & iacentes perturbant, & cum dormientibus non dormiunt, ſed ſemper ſunt inquietæ. Cùm autem pudicitia fuerit ſubingreſſa, cùm illa habitauerit vt domina, cùm detinens fuerit, cùm ſuis retinaculis tutauerit domum, tunc ſicut prædomiti equi, & ad præſepia quieti ſunt, & in itineribus rectum agnoſcunt iter, nutibus vtpote digitorum adducti. Ita cùm ſemel tenax fuerit pudicitia, & domuerit concupiſcentias, & mitigauerit libidines, manducamus honeſtè, & bibimus menſuratè. G Menſurat enim quæ adeſt pudicitia. Denique & honeſtè dormimus, & ſobrij excitamur, & videmus pulchritudinem vultus, vt pulchritudinem, & non vt offenſionem. Aures quoque noſtras non perforat melodia. Scit enim pudicitia & ſoluere ceram in auribus, neque noceat audientia. Noſtra enim membra operamenta pudicitiæ fiunt. Oculus videt bonam faciem, & cum honeſtate eam intuetur. Non mouetur ad concupiſcentiam, ſed videt in facie pulchritudinem, & cogitat qualis ſit pulchritudo in anima, & quæ à foris ſunt bona, ad ſemetipſum adducens, & à bonis bona decerpit, & non in malis malè offendit. Sicut corpora incolumia ab omnibus vtilitatem accipiunt, & à motu, & ab exercitio, & à curſu, & ab vnctione, & à ſomno, & ab eſca, & à potu, ita econtrà quæ ægrotant ab omnibus nocentur. Vini enim etiam odorem excuſant, & vnguenti nidorem, & itineris motum, & eſcam & frigus, & calorem. Omnia enim eis nocent qui malè ſe H habent. Omnia autem proſunt his qui incolumes habentur. Ita & libidinoſum omnia mouent ad noxam, & vultus, & pulchritudo, & compoſitio melodiæ, & veſtium varietas, & honor quidam, & bona opera ad mala transferuntur ei. Qui autem ſobrius eſt ex aduerſo, quia & contraria illi ſunt, à bonis enim bona decerpens diues in bonis eſt. Ita ergo pretioſa eſt pudicitia, quia dum adeſt, & iuſtitiæ præparat locum, dat etiam ſpatium & virtuti. Intellectum autem vt interpretetur nomen ſaluat. Ergo amplectitur & circumdat virtutem, & ſicut mater quædam pietatis efficitur fratribus. Bona quidem eſt & virtutis fortitudo, ſed non ſemper eam neceſſariam habemus, fortè autem audebo & dicere, vtinam non eam, ſed opus. Si quis enim eam acceperit, tantùm in bellis eſt vtilis. Si autem & in pace neceſſaria eſt virtus, fortè vt coëfficiat pudicitiæ, fortè enim cùm iurgantur concupiſcentiæ, & illatum fluctus eriguntur, opus eſt vt viriliter reſiſtat pudicitia. Si igitur adueniens iſtic inuenerit, tunc erit pretioſa & in pace

virtus,

A virtus. Non quippe, semetipsam vindicans, sed pudicitiæ coadiuuans. Si autem & in bello virtus ponatur, medietatem generis despicit. Mulieres enim ad præliandum armamus, pudicitia autem & in vitiis pretiosa est, vtilior autem & mulieribus. Cur autem non dicatur, quod verum est, quia & virtutis ipsius fructus, & in bellis ob pudicitiam necessarius est. Ideò enim suscipimus prælia, vt non aduersarij superantes, mulieres extra legem pudicitiæ corrumpant. Si enim ob hoc pugnamus, & pugnæ terrores suscipimus, virtus ob pudicitiam & in bellis certatur. Sicut enim naupegia ars gubernatrici ministrat, ita & virtus pudicitiæ præparat tranquillitatem. Diuisa est igitur virtus ex parte maxima generi nostro, sed nec viris omnibus vtilis inuenitur. Præuenit enim eam & temporibus pudicitia. Qui enim adhuc adolescentes sunt, & necdum opera belli didicerunt, nec ad prælia vocantur. Nonnunquam pudicitiæ sibi imposuère coronas, sed & ob infirmitatem plurimis
B quiete donatis, pudicitia adhuc vtilis inuenitur. Nam etsi senio deponuntur libidines, sed adhuc vsque motiones concupiscentiarum, intúsque & fornicationes ægrotant & occidunt, quæ libidinem continere non possunt, & patres dehonestant, quæ monitiones pudicitiæ non libenter accipiunt. Si enim adesset pudicitia, neque furaretur quis, neque occideret aliquis, amaret autem & patris monita filius. Diuina possessio ista, sed difficile inuenitur. Qui autem iam habent illam, quæ post resurrectionem futura est conuersatio. Dicit enim ipsius regni Dominus & apportator. *quicumque resurrectionis mortuorum digni fuerint, non nubunt neque nubentur, sed vt Angeli erunt Dei*, quia nec mori iam possunt. O immortalitas pudicitiæ iuncta! Qui in bellis vincunt non efficiuntur vt Angeli, sed qui neque nubunt neque nubentur. Hoc iudicium est eius qui fecit naturam. Nam & alibi ad ornatum ipsius pudicitiæ locutus est Dominus. *Non omnes*, inquit, *sunt digni, sed quibus datum est*. Quod enim homo ex natura non habuit, hoc
C fit desuper donum, sed mihi quidem pudicitia ista suam pulchritudinem ostendat, & sensim trahat, & relinquatur non cedens, neque repleta & capta: sed sicut auis quædam adornata, nonnunquam ludere desiderans sensim recedit, & in eo dum videtur mouet desiderium, sensim autem dum mouetur, allicit vt eam quis insequatur. Non capitur autem, quia ipsius est vt effugiat. Protendit autem cursum, & cùm quis maximè putauerit se comprehendisse, mouet pennam & volat. Ita & pudicitia suam varietatem in honestate proferens, sensim autem se mouens & commouens, intantum me traxit vt insequerer. Cùm autem iam putarem me posse manum extendere, eámque comprehendere, mouens pennas superiùs se cœlo coniunxit, ad Angelos scilicet, vbi eius natura est vt maneat. Et ipsa quidem non comprehensa mansit, me autem reliquit stupentem, & desiderantem comprehensionem, quam persequens non apprehendi. Etiam quidem colligamus sermonem, & quia pudicitia multa superans, & sermonem ipsum qui de ea-
D dem est ininterpretabilis recessit, vniuersam humanam transcendens naturam. Sermo autem inueniens quæ Deus hominibus donauit, & hoc mortalibus, per quæ immortalitatem eis procurauit, ad gratiarum actionem iterum se conuertat, & de sancto & sanctificante, per quem sanctum hoc donum hominibus misit, per vnigenitum scilicet suum filium, sit ei gloria & honor, imperium, maiestas, cum Spiritu sancto & nunc, & semper, & per omnia secula seculorum, Amen.

E

EVSEBII PAMPHILI

De eo quod Deus Pater incorporalis est.

LIBER IV.

AD ipsum Deum nostrum erigamus cogitatum, iam non concedentes cogitatui fugere & vitare, parcimus enim timenti. Vrgemus autem non quantus est Deus eum quærere, sed quantum ipsi cogitatui possibile est æstimare. Multas enim adinuenit sibi confugiones, & dilationes, & circuitiones, bonum vtpote pertimescens timorem. Sed sicut equo nonnunquam territo, & nolente rectum iter petere, & fræno vim facimus, & calcaneis pungentes corrigimus, & refrænare tentamus ab his quæ ei non concedimus: ita & nunc F
extollere ad Deum cogitatum debemus, quærentes illa quæ & scriptura de Deo quæri permittit, quia neque in domo Deus, neque in simulachro, non in monte aut terra, non in aëre, nec in ipso toto cœlo, neque reclusus est, neque retinetur, neque confixus est, sed omnia quidem incorporaliter complet, ab omnibus autem inenarrabiliter est separatus. Nos autem & latè irridemus eos, qui putant esse Deum, aut Deos, tanquam gregem quendam reclusum in mandra, quippe valde & reprehendimus eos, qui volunt in simulachris virtutes diuinas reclusas haberi, ex vi scilicet hominum malignorum. Irridemus enim eos cùm habitus appositi fuerint in simulachris, quædam quidem feminarum, quidam autem masculorum, & quadrupedum, & serpentium. Tantum enim lucrum capimus ex iisdem, quia ex his quæ alij aliter & dicunt & agunt, & conflant & dissentiunt, confitentur quia eum qui quæritur ignorant. Neque enim corpus est Deus, neque corporis aliquid, aliquis vtputa color. Neque in corpore qualis putatur G
esse anima. Neque circa corpus, sicut putatur, sensus, sed liber est & à natura corporis & habitu. Corporis enim natura in compositione habetur. Quæ autem componuntur, omnia ea quæ antè iam facta sunt, compositionem accipiunt, vtputa quod dico, lapides erant creati, compositio lapidum fecit domum. Deus autem ipse auctor & initium est, & non ab his quæ erant facta, ipse compositus inuenitur. Simplex enim & vniformis est Deus, & compositus, quippe viuificans ipsa quæ est. Corpora enim quæ accipiunt vitam, ipsa & fraudantur vita. Qui autem nec initium accepit, Deus enim initium non accepit, quis enim & daret? Non vita in corpore est Deus, sed vita. Intantum enim reperit cogitatus, quod sibi vtile inuenitur, quia petræ quidem & lapides hoc ipsum vt essent habent. Arbores autem & plantæ ad id quod sunt assumpserunt vt & exsurgerent & germinarent, & crescerent, & pascerentur, animalia autem irrationabilia ad ea quæ dicta sunt etiam hoc H
assumpserunt, vt sensibilitas esset in eis. Nos verò cum his omnibus accepimus cogitatum & sensum, & ad nos vsque semper quod erat honoratius, additamento efficiebantur honoratiora. Nobis autem ad superiora iam non ex additamentis agnoscitur dignitas, sed si fortè à detractionibus. Detractionem autem dico non ex his quæ iam sunt, & habentur, ablationem, sed ipsam naturam quæ non indiguit istis, vtputa non habet necesse Angelorum crescere natura. Quæ enim non augentur, & non minuuntur. Quid ergo inferior est natura Angelorum, quia arbores quidem & plantæ pascuntur, & crescunt, & additamenta accipiunt. Angelorum autem natura neque germinat, neque pullulationem suscipit, neque vt pascatur aut addatur. Cui enim ablatio incrementi est, & aliorum quæ diximus non est damnum his qui possident sine istis id quod sunt, sed dignitatis eminentia, multa enim non insunt Angelis,

neque

A neque adsunt quæ in nobis habentur. Et non quia deest illis quæ non habent, sed quia nos indigemus his, ideò nobis adest ad solatium id quod ab hisdem deficimus. Non sunt nuptiæ apud Angelos. Data enim est viro mulier ad adiutorium. Angelorum autem vnusquisque propria natura sufficit sibi. Non conficiuntur Angelis indumenta, vt contexant quæ cohabitant. Non domus iisdem, sufficit enim cœlum, non lectis indiget sine somno natura. Non mensa apud eos, fortè autem nec pascuntur, aurum autem, & argentum, & æramentum, & ferrum, & omnium quæ miramur creata & inuenta, apud nos vsus habetur. Illic autem nec nuncupatio nominatur, nec inuenitur. Quid ergo? num ex tantis quæ putamus à nobis bonis superamus Angelorum naturam? Nos enim diuites auro sumus, Angeli aurum non habent, non ideò pauperes inueniuntur, quia aurum apud illos non est, sed magis illi diuites, qui nec auro indigent nostro, nec argento. Quid opus est
B ferrum in cœlis? vtrum ad culturam, aut ad nauigationem, aut ad bellum, aut ad medicinam? Quid opus est permixtione illis, vbi non sunt commutationes? Sed nec seruis opus est eis, sufficit enim vnusquisque sibi. Et quæ putamus nobis esse magna, & bona, & necessariâ quæque sunt nobis, illi naturæ omnia sunt otiosa, & quæcumque ex animalibus nobis sunt vtilia, illis sunt non necessaria. Tauris enim ad culturam non habent opus, neque equis ad bellum, non indigent igne ad luminaria, neque ea quæ per ignem ad curam. Non aqua est eis necessaria, non ex mari, non ex terra. Non illa quæ ex imbribus apportatur. Non somnum ad refectionem necessarium habent, non escas ad salutem, fortè autem quidam & mirantur audientes, qui mente ad Angelorum choros non peruenerunt. Quibus enim beatitudo est si manducent & bibant, & nuptiis vtantur, & possessiones habeant, & thesauros recondant, & iudiciariis dignitatibus perfruantur; his etiam ea quæ supra ista sunt minora putantur. Sed non contaminemus san-
C ctum illum Angelorum chorum, non sit ibi fœmina, vbi successio necessaria non est, non quia creaturam accuso. Vnumquodque enim officium in sua natura iacet, benè translatum autem à suis locis & regionibus, & natura ad quam constituta est, reuocat ad se legis diuinæ virtutem. Quomodo enim decori in mari sunt piscium greges? quomodo decoræ sunt illorum in meatibus fluminum exultationes? quomodo nitent in exitus fontium? Si autem volueris istos, vt dans beneficium, ex aquis ad puritatem aëris educere, ad perditionem piscium beneficium fiet tuum. Ergo piscis quidem sit vbi est. Quidam enim in mari sunt positi, & sint vbi eis est datum, alij in fluminibus & in fontibus natant, quia non indigent tuis beneficiis ad interemptionem. Quid ergo? quia bona est aqua piscibus, deponamus illic exultantes & homines. Secundum istum igitur sermonem, sint masculus & femina vtiles apud nos & necessarij, homi-
D num autem naturam contra naturam non deponamus. Si enim ascendere non potest natura piscium supra naturam, quomodo non magis timebimus si Angelorum naturam verbo ausi fuerimus deponere, quæ non descendit? Alias autem & nihil amplius fiet à nobis, nisi vt blasphememus. Nec enim etsi voluerimus vim facere illi naturæ, perurgebitur, sed illi quidem manent liberi ab isto habitu corporali. Neque enim masculus, neque femina apud eos est, & non de terra. Et hoc, fortè enim audisti mirabile illud Apostoli dictum, quia & apud quos natura statuit masculum esse & feminam, apud istos ipsos fides, & per fidem coniunctio inuenitur. In Christo enim, inquit, non est masculus, neque femina. Si igitur vbi ex natura est masculus & femina, in Christo efficitur, neque masculus neque femina, sed imitatio Angelorum; cur non magis suscipimus gratiam vt assimnamur, aut vt naturam Angelorum deponamus ad nostram? Sed nos erigamus nosmetipsos, & ad superiora cogitatum perducamus nostrum, ad Angelorum scilicet pratum, & assistentes pratis, videamus non nunc flores exeuntes, neque coloribus varios, neque in odo-

E ribus diuersos; sed videamus illic cœlo superiùs locum, per Angelos autem splendentem. Multitudo enim illic non tanta quanta est stellarum. Si enim & multæ sunt stellæ, sed in magnitudinibus & corporibus constitutæ, locis indigent, & ex magnitudine cœli multitudo mensuratur earum. Tantæ enim sunt, quantas capit & cœlum. Angeli autem non indigent loco, sed liberi à locis viuentes sunt, & in alterutrum agentes. Non in confusione quippe, nec exultatione corporea, sed semper in lumine sunt: ipsi lumen tale, quales & sunt. Apud illos enim non nox ad refectionem habetur, non dies ad exsurrectionem. Semper enim habent lumen, & lumen non hoc quod apud nos est. Hoc enim sensibilitatibus mensuratum est, illud autem aliud aliquid. Nihil sanè nos prohibet in iisdem ipsis comparationibus volutari, quia & piscibus lumen habetur, non tantum quantum & apud nos. Commixtum enim illud est lumen, quod apud pisces habetur aquis, & ideò non ita
F sicut apud nos permanet purum, sed lumen & illic est, perlucet enim & ibi per aquas, sed non est ita purum vt nobis. Et si quis aliquando vi mersit in aquas, & in aquis suos aperuit oculos, vidit quippe quod apud nos est lumen, vidit, inquam, hoc clarum in aquis caliginosum. Vtamur autem & alia comparatione. Præsens enim istius horæ constitutio testimonium sermoni impertiet. Hoc quod apud nos purum est lumen, quia enim nubes adueniens constitit super nos, aquis vtpote plena; non permisit autem tale ad nos lumen venire, quale heri & pridem habebamus in oculis. Aëris enim tristitia peruisa ostendit quanta immutatio eidem ipsi lumini ab interiectis nubibus perficitur, vt apud nos. Si autem præcepto Dei euacuatis aquis, fugatæ fuerint nubes, & natura eius est, iterum nobis aduenit lumen. Non aliud quippe factum, sed liberatum à nubium permixtione, istam quam videtis constitutionem præbentem. Ergo & in mari, & in aquis erat aliud lumen, non alterum quippe naturâ, sed sub introductione aliorum
G caliginosum. Ita & apud nos ex conuentu nubium & aquarum hoc factum est, quod videtis per nubes. Secundum istum igitur sermonem, & per aërem penetrans lumen, non est tale quale à sole emittitur. Si enim maximè eo quòd perspicuus aër habetur, latet permixtio. Sed si quis voluerit cogitatu euolare, & velut in aquis nubium se mergere, & nubes transire, & aëris permixtionem transcendere, peruidebit purissimum lumen. Sicut enim hoc quod apud nos est lumen, regionibus & spatiis, & offensionibus semper minuitur, ita rediens & ab aquis lumen abstergens, & à nubibus te separans, & à permixtione aëris liberans. Transcendens autem & istius luminis puritatem, relinquis & ipsum solum inferius. Transiens quippe & cœlum superius, occurres lumini. Non illi qui à sole est, nec illi cui successio nox est, neque illi qui à parietibus prohibetur, nec illi cui offendunt vmbræ, neque illi qui permisceatur aëri & aquis, siue per nubes, siue per mare, sed lumini puto. Et ne putes me nunc Angelos dicere lumen, est enim &
H super hoc clarum lumen clarius. In isto igitur lumine sempiterno, in isto qui non in successionibus habetur, qui non aliquando quidem est, aliquando autem non est. In isto, qui cœlo superius est, & non à cœlo istic. Cui sol non est genitor, non luna mater, non cœlum à stellis, non lucernarum splendores, sed lumen illud. Tu enim sine sole lumen videre non potes, nec ea quæ infra solem habentur, & ea quæ quæruntur vt teneantur manu. Non eorum qui quærunt quid gustent, aut odore assumant. Non eorum qui auribus edocentur, & oculis vident, sicut in aquis. Illic enim alia conuersatio est, & alia in terra, & in aëre non eadem, & cœlum aliam habet constitutionem. Ita maneant ista istic, illa autem quæ indè sunt, sint alia, non horum congeneres. Si enim clarior stella magis quàm lucernæ lumen est, non te seducat, quia lucerna quidem illuminare videtur, & vnaquæque totam domum, stellæ autem tantæ noctem non auferunt vnam. Si quis enim voluerit scire lucernæ imbecillitatem ad stellarum lumina, ab-

strahe

A strahe lucernam ab oculo, non quantum distat cœlum à terra, quia non est hoc tibi possibile, tamen quantum potes lucernam ab oculo separa, intueberis quia spatiis minuitur, & caliginatur, & infirmior arguitur lucernarum lumen. Si autem esset aliqua adinuentio, vt non solum vnius lucernæ, sed omnium lucernarum flammam, & omnium quæ accenduntur; si esset machina quædam, vt omnem istam flammam quis posset colligere, & in cœlo constituere, vbi stella paruissima est posita, nec prorsus agnita fuisset flamma, vbi posita haberetur. Cur ergo omnes stellæ non pellunt noctem, quia multis spatiis à nobis distant, tamen non quamlibet permixtionem luminis in nocte transmittunt. Si quis autem voluerit intueri, & comparare nubibus noctem, peruidebit quia nubes licèt non per omnia, tamen splendorem stellarum prohibent. Et cùm hoc ita sit, inspiciet quid operentur stellæ, & quantum splendorem mittant in nocte, & tamen stellæ omnes cum B vniuersis lucernis habent quidem affinitatem, quia luminosa qualitercumque vtraque sunt: sed non solùm à lucernis stellæ differunt, sed & stella stellæ differt in claritate. Stellis autem simul omnibus adunatis, splendor lunæ præfulget, & istam lunam omnibus stellis addentes, vincuntur earum fulgores à radiis solis. Sicut enim stellæ quidem lucernas, luna autem stellas, & sol vniuersa hæc luminaria, & ipsius noctis superat tenebras, ita & sol cum omnibus quæ prædicta sunt vincitur à lumine quod cœlo superius habetur. Et quomodo eadem Paulus contendens exhibere de inenarrabili Deo loquitur, lumen habitans inaccessibile; inaccessibile nominans id dicit quod suscipi non potest. Lumen igitur Angelis illud est, cuius neque gustus, neque comparatio apud nos inuenitur. Regio autem eius supra dorsum est cœli, possessio verò & diuitiæ ipsis: non enim lecto & medicina & mensa, & ea quæ apud nos magna putantur, sempiterna illa indiget & sancta natura: illis enim somnus non est, non dolor, non labor. C Quid ergo? Num otiosa eorum natura est? Habent opus dignum suæ substantiæ; Deum laudant non vocibus neque clamore. Quomodo ergo dicit scriptura voces, & si permiserit tempus, contingemus audientes, & ista interim autem natura agnoscatur? Si autem & aliter apparauerit scriptura dicens agnita natura agnoscetur, & quibus scriptura alloquitur. Denique & orator paruis aut non loquitur, aut sic loquitur, vt parui possunt audire, & scriptura diuina hominibus vt humanè loquatur, aut silentio honoretur. Non ex his igitur ex quibus condescendēs scriptura loquitur nobis, debemus verbo deducere & naturas & vim facere nobismetipsis, & vt pisces exilire è mari. Erunt enim nobis iactationes, non ad perditionem vt piscibus, sed quomodo ea dicam? ego quidem non possum. Decet autem opportunè repetere non Domini vocem, qui piscatores à mari & stagnis & fluuiis abstrahens, ait, *Venite, faciam vos piscatores hominum.* Decet enim, inquit, homines piscamini. Et non tacuit, ne suspicio fieret perditionis, D sed homines, inquit, piscamini ad salutem. Erigamus igitur nosmetipsos, exiliamus è mari, & à terra in qua stamus, & incidatur à nobis aër, & scindatur nobis & cœlum. Cogitatus enim non detinetur, & pennis desiderij cœlo superiùs accedamus, corpus istic ad congeneres relinquentes, & pedes in terra, quia ad cœlum non currunt, & manus istic vbi possunt & tangere, & aures hic audiant voces, & odoratio vbi habet necessitatem, & gustus apud eos qui pascuntur, & visio cum visibilibus maneat. Cogitatus autem veste se spolians, corporis istius pondus deponat, & suas pennas moueat, & quæcunque deducuntur abscindat, & quæ sunt grauia & detinere tentant deponat, & sit in dorsibus cœli, & illic factus cum Angelis & Angelorum decem millibus, & Archangelorum millibus in alia vita & constitutione & conuersatione positus, obliuiscatur omnium quæ dimisit, nec alienetur illic. Non alienabitur autem si hic putans se esse, voluerit sæpius eorum quæ hic sunt ignobilitatem videre & motionem, & instabilitatem,

Math. 4. 19.

& defluxionem, & defectionem, & deminutionem, quia E obscurabitur & non stabit, quia & quando videtur promouere, per multos casus venit ad incrementum. Cùm hæc omnia contempserit, illa autem desiderauerit, & hinc iam ista quidem despiciet, illa autem considerabit, & euolans peruidebit. Factus igitur cum his ad ea quæ desiderat, sciet quæ est dignitas cogitatûs. Cum Angelis homines cœlo superius terrenique machina quis erit dux, quis sursum adducet, sed non concedet natura. Descendit Deus Dei filius inde, & descendens quia incredibile erat homines illic ascendere, assumpsit hoc incredibile, hoc est nostrum corpus è summo descendens, non ad confusionem, sed ad salutem eius qui assumebatur. Si igitur Deus non assumpsit, qui non credis si cœlum concedit his, quos adducit sursum is qui de cœlo descendit, sed nondum ea quæ futura sunt, sed interim ea quæ potest cogitatus, siquidem est & admiratio, quia in corpore constitutus, & circa corpus potest deponere, non vt non moriatur, sed vt eam quæ F verè vita est viuificet. Forte autem & quidam audientes nunc istos sermones, cum sermonibus accensi illud quidem quod erant deposuerunt. Quòd autem non erant effecti noscuntur, sicut ferrum quoddam in igne fucatum, negat quidem nigrum, negat album colorem, & totus efficitur ignis ex calore & incendio: ita forte quidem sermonibus istis accensi, corpus quidem & corporis grauitatem, & vitia & promotiones incidentes proiecerunt. Ipsi autem sermonibus istis euolantes desursum nos respiciunt, si tamen illic effecti patiuntur respicere istic, & non totos illic constitutos pœnitet, quia ita tardè & non ante hoc. Forte autem nec pœnitere illos, iam vacat, qui ita lætis quæ illic sunt factis noscuntur; non eis est otium in memoriam redigere ea, à quibus liberati videntur. Istiusmodi enim homines illic non sunt homines. Sed sicut domum plenam thymiamate ingressi, & iam sensimus quod sumus, nihilominus tamen redolemus, vt thymiama facti, ita & qui illic iam facti sunt accensi, veluti à natura egressi: quòd autem G sapiunt, effecti sunt illic Angeli. Quibus enim intellectus ex imitatione æquus Angelis habetur aut similis, istis non prohibet natura conuersationem. Qua enim de causa carnales nos vocat Paulus, non seducens nostras animas, magis autem subducens. Quis enim mortuus effectus fornicatur aut adulterat? Dicit enim ipse Apostolus, Manifestans opera carnis quæ sunt adulterium, fornicatio. Carnis opera ista sunt; quis enim mortuus his inuoluitur? Hæc ergo viuentes animis cum corporibus cùm decliues fuerimus ad carnes, caro tantum vocamur; cùm autem promouerimus ad animam, animalis homo dicimur: cùm autem transcenderimus naturam, spiritalis homo appellamur. Et non iam quia carnalis vocatus est fraudatus est anima; neque quia animalis dictus est iam non habet corpus, siquidem & spiritali homini & corpus inest vt homini, & anima vt animæ. Si autem & istic constituti, quidam quidem caro tantum sumus, quia decliues fuimus in terra; H alij anima tantum, quia inter vtrumque stamus; alij spiritales vocamur quia transcendimus naturam. Spiritalis igitur qui dicitur, Angelus appelletur; non quia ita eius natura est, sed magis non efficiamur caro. Nec valdè confidamus animæ, oculus enim sine lumine tenebrosus est, & cogitatus sine efficientia superna vult videre, sicut oculus in nocte, & desiderat, & allicitur; laborat autem, quia non valet, cùm autem aduenerit lumen, efficitur oculus. Ita & cogitatus sine operatione Spiritus sancti palpat, contingit, promouet, crescit, puta quia iste lapis forte Deus est, istud aurum forte Deus, & hoc lignum. Dicit enim apud se, putas mare Deus est? putas terra? putas aër? Vnde & creaturæ transtulerunt nomina, vt non his quæ in consuetudine sunt appellantes, sed ea quæ colebant nominantes conuincerentur, quia vim faciebant opificiis. Qui autem valde putauerunt se ascendere, sursum peruenientes vsque ad stellas, occurrerunt lunæ & viderunt solem, fortè autem & cœlum, & permanserunt illic, & passi sunt

vitium

A vitium sceleratum; sicut qui ad regem festinat, ad regia palatij accedens, magna & clara & rege digna conspiciat; & cùm debeat magis desiderium suum ad eum qui quæritur propalare, stupens valuas regias, & putans nihil amplius esse regem à suis, resideat ad ea quæ prima occurrerant, fraudatur regis visione & natura. Sed nos non retineat terra, non præfocet mare; non offendamus in stellis, non obtenebremur à luna, neque nos caliginet sol, non detineat cœlum: Dominus enim & opifex & creator omnium eorum, quæ dicta sunt & non sunt dicta, est ille qui quæritur. Ad Deum igitur, ô homo, ad Deum horum omnium quæ bona & clara sunt: nihil miserius est quàm vt quis in lumine offendat. Sed cæcorum hoc vitium est. Non obtenebremur à sole: vides eum Oriente & Occidentem, & cedentem mensuris. Sed ipse præco est ab Oriente vsque ad occasum, prædicat eum qui se fecit & dicit, si tamen tu audis, magis autem si vides: Non sum ego Deus, sed ille cuius sum & ego opificium. Me vides, ille inuisibilis est. Visibilis
B ad inuisibile contraria est natura: nam etsi sum clarus sicut sum, sed clarus qui videor: ille autem inuisibilitate transcendit fulgoribus omnia: non me honorans dehonestes. Non sum ingratus ad conditorem, sufficiunt mihi beneficia quæ accepi; noli addere quod non suscipio. Creatura sum & non creator; opificium & non opifex; factus sum, & non is qui fecit; istinc sum cœlo, & inde oculis videor: ille inuisibilis est. Ego in loco confirmatus sum: ille liber ab omni est loco. Ego parietem cœli teneo in qua sum & positus: ille autem implet omnia. Ego ex loco ad locum accedo: ille & mihi separauit locum. Vide me & noli connumerare quæ non connumerantur. Inuisibilis & visibilis quomodo connumerantur? Qui in loco, qui sine loco quam habent communionem naturæ? Ego orior & occido, quia & possum vtraque ad iussa complere: ille supereminet, non indiget vt oriatur, non immutat locum, semper in eo ipso quod est manet, semper ipse est qui est; ab illo & calor est, ab illo dantur & cursus mensuræ, ab
C illo mensuratum est cœlum. Nam etsi spatio longè sum, tamen calore confiteor naturam: ille inuisibilis est. Meum intueris habitum, ille sine habitu est. Tanta mihi sunt & alia, ex quibus nihil ad illum pertinere videtur: non tactum incurrit, non loco ambitur, non loca circumdat, non habitus circa ipsum, non compositio ad gloriam. Ille natus annaro est, per illum & ego & omnia facta sunt. Nolite me conuertere ad blasphemiam, per me blasphemare nolite. Litera sum ad gloriã eius qui me fecit: cœlum enim liber est magnus; ego autem cum affinibus meis sumus literæ religiositatis. Legite lunæ virtutem, crescit & minuitur, & semper immutatur, & annuntiat immutabilem: & in illa iterum habitus inuenitur, siquidem & illam videt oculus, & nunquam in eo ipso quod est manet. Nolite nec istam mecum pariter blasphemare. Quid nos calumniamini? modo quidem me dicentes fornicatum esse, modo autem lunam, quia adulterium admisit. Nolite deponere nos contra naturam, ne-
D que iterum extollere supra naturam. Dicitis quia ego mulieri confabulatus sum: quibus operamentis? quibus membris? quo habitu? quemadmodum meam flammam potuit sufferre? quemadmodum splendores? Si enim tanto spatio meum radium sufferre non potest, in finibus potrare meam coniunctionem potuit? Nolite ita me turpiter calumniari, nolite ita insipienter extollere: non solùm enim Deum ignoratis, sed & opificia ipsius Dei nescitis. Dimittite me quia fixus sum, cursum cœli conficio. Nolite me ad terram deponere verbis, neque deducere fabulis. Non præuarico legem, sursum sum positus; non immuto cursum constitutum mihi; non recedo ab officio; legem datam custodio; agnosco spatia cœli, quæ & iussa percurro. Terram calcare non est naturæ meæ, quando nox facta est importuna, quia ego descendi ad mulieris communicationem; cessate turpiter honorantes, fœdè deducentes: nolite ora vestra in bonis versibus malis negotiis aperire. Quid me deducitis? Quid me extollitis? Non descendo ad mulierem, non ascendo æqualis Deo. Quod autem erat mihi & otium relinquere cursum statutum mihi, quando interruptus est dies, aut quando non adueni currens ad ornatum, occupatus ad mulierem. Et luna fabulis deturpatur, sed arguit fabulas suæ natura. Fortè autem nec illud tacebit sol. Si autem eius non est naturæ vt loquatur, nos pro eo loquemur, si tamen pro sole & non pro Deo; non quia Deus indiget adiutorio nostro & defensione, sed homines constituti hominibus compatimur: Videntes enim volumus iter ostendere non videntibus; generis enim miseremur nostri. Illis quippe qui vestibus quidem se nudant, cœno autem se operiunt, qui lapides portant, qui damnum duplex accipiunt, vt & aurum proferant & à Deo decidant. Non cessat sol nec illud in medium proferre, quia putantes eum deificare, in his maximè in quibus indignatur. Adducunt enim ad omnem malignitatem hominum opera, & malitias soli & lunæ, & suas illis adscripsere luxurias. Non iste, inquit, homo adulter est, sed sol. Veniunt enim ad illum locum, & mala hominum soli adscribunt. Et hominibus F quidem nihil relinquunt mali; non luxurias luxuriosis; non homicidia homicidis; non adulterium adulteris; non mendacia mendacibus; non furta furibus: sed obliti eorum quæ blasphemabant dicentes Deos, & omittentes homines qui delinquunt, eos quos vocabant Deos nunc hominum latrones, homicidas, mendaces, malignos, adulteros, fures pro hominibus esse volunt. Sed apud nos homicida si fortè vnum occidit, & fortè tristatus aut infamis factus, & tremens, & compulsus ob egestatem; aut iram aut inimicitias, Sol occidit eum qui interficitur. Quare quæ vicinia, quæ cohæreditas, quæ condiuisio, quid passus, quid admittens, quid indigens, quid commodi sumus. Non sumus cannæ manibus stellatum motæ ad literas. Tua, tua sunt etiamsi calumnieris solem. Luna autem non operatur quæ calumniaris: non te liberat calumnia à peccato; acquiris tibi & blasphemiam. In eo enim dum dicis, Non ego admitto, sed Dei opificia. Quod enim ego non ego? relinquit illud ei, cuius opificiis & blasphemiam addit. Si enim non sunt opera G nostra quæ admittimus, sed sol, & luna, & stellæ per nos operantur, ita neque illorum sunt opera: æqualiter enim Deus constituit. Vide quod dicis; Deum nominas quem piget nosse Deum, sed tibi facilè est apud quem sunt dicere. Confundor & piget sum contaminare meam linguam, & maximè cœlesti visione descendens. Quid ergo ô sapiens? Cignus Deus est qui aduersum virginem calet? Confundantur qui aliquoties quidem taurum adorant, aliquoties autem tauro Deum transfiguratum fingunt. Sed dicite nobis; cur immutatus est vt virginem videret. Non enim habebat fœminas Deus secundùm vos, nonne sororem cooperatricem habuit, vt aliorum connubia furaretur? Non isti sermones sunt nostri, sed vestræ fabulæ scriptæ in libris, in simulacris, in parietibus, in saltationibus theatrorum. Indignaris quia dico ea quæ tu legens miraris; irasceris quia loquor de his, quæ videns tu adoras. Indignaris quia dico quæ tu in saltationibus videns & audiens delectaris. Dele H ea ex poëticis libris, recede à theatris, & extermina ea à parietibus, confla ea, à simulactis recede, & congaudeo. Si autẽ permanes in cæcitate, noli indignari si conuinceris, dicito si quid addidi. Si autem apud te sunt scriptæ auro & argento, & lapidibus, & parietibus, & theatris: si ego in parua hora & hoc pigens loquor, propter miserationem autem commoneo, quia quæ vides ô homo, & oculis & sensu non intueris, ad hæc irasceris: Si Dei sunt, adulteri non sunt; si adulteri, non sunt dij. Si autem volunt habere adulteros Deos, nos quidem eis non maledicimus; sint autem vt hi qui adorantur ab illis. Primus illorum Deus non est satiatus libidine, in cœlo vt ipsi volunt sæpe cum sua coniuge agens: sicubi enim cum alia inuentus est, statim à sua zelus accensus est: non enim credebat Deo Dea malè de eo suspecta. Si enim & à mortalibus se nõ continebat, quomodo iste à cœlestibus vt volũt cessauit? Sed concedite linguæ: nunc enim aurum est in sinus virginum liquens, vt furetur

A nius virginitatem, fortè autem & bene liquescit libido dissoluta, si taurus Deus illorum, qui non est Dei progenies, fabulæ ex corde figmentum mendax natura, taurus est;& quid putas vir,& taurus portans virginem libidinis seruus, concupiscentiæ ministet, in collo virgo cum libidine domina. Quam enim figuram intermisit, quando quieuit ne immutaretur cygnus, taurus, aquila, aurum; aut continens factus est nunc? Multis enim iam annis non est factus aquila,& certè non pauci filij & boui nati sunt in deserto. Putas senuit, & concupiscentia cessauit, aut pœnitentiam libidinis habuit, & nunc se iam continet?Iam enim non rapit puerum. Confundor & dicere sub qua occasione non suffecerat soror coniux, cooperatrix, ex qua nati sunt plurimi, sed iam nunc non nascuntur. Consenuit autem coniugium, cur iam non pariunt.Sed non sufficit illa,abiit ad mortales:sufficit non secunda eodem more;multiforme enim est malum. Non sufficerant mortales,ad masculos conuertit libidinem.O B poëta, quos irridebimus, magis autem quos lamentabimus,eos qui scripserunt,aut eos qui nunc vsque illum qui in dextera portat aquilam,adorantes & respicientes, aut colentes sunt.Sed putas quia iste solus extitit talis?nonne & citharista ille honestus?primo quidem cur citharistas Deos ponamus, quia ista decet harmonia decora:ista enim est illa in quo olympias:harmonia autē illa est vera,in qua cœlum est & terra est posita,mare adiacet, & aër est compositus, & percutitur consensio. Non enim pellit mare terrā propter harmoniam; non nox diei facit vim,nō permittunt enim illius harmoniæ.Dicitis cœlum consentit his quæ deorsum sunt. Tantum enim præbuit in eo sol positus, quantum esset vtile parari; & tantum accendit, quantum erat conueniens, & pergit & redit, vt neque abundans incendium, exureret omnia; neque iterum si transcenderet,frigore perirent vniuersa. Sed & communes harmoniæ & partibus diuisæ,sicut breui silura maiora cuidam, aliæ siluri canore consentiens. Istud mare magnum & spatiosum, cuius fluctus cœlum pul- C sant, terræ terminos non transcendunt. Sed neque terra iurgans naturæ alacritate iurgauit, sed lex communis domini est posita fines æterni, & in tantis sæculis digitus additus non est, fluminibus tantis & fontibus in maris finibus incurrentibus. Flante vento pascuntur flatibus naues, ad cœlum vsque tolluntur.. Et quis nonnunquam pertransiens timuit, ne vt minatur, ita effusum comprehendat astantem? Nonnunquam enim & declinauit mare,venit vbi ei statutum est, legislatorem & statutorem finis timens, & frangens fluctus ad litus, ostendit inuisibilem per ea quæ videntur.Ista decet ei cithara, quæ in frontibus hominum harmonias describit,vbi debeant esse oculi,& quid circa ipsos,vbi dentes;& quanti vbi aures,& quot, & ad quid, vbi lingua & ad quid;quis vsus est oculorum; vbi vngues, & ad quantum, vbi capilli & vbi non capilli, quid intrinsecus, quid constringere, quid inuoluere,quid velare, quid iacere & ad quid vtile;quis suscipere escas & diuidere: quantas mensuras D debeat habere cibus, & quantum intus debeat permanere, & quando debeat purgare, & si transierit horam ostendit noxam. Ista lyra decet Deo composita melodiis membrorum: habet enim neruos & cordas in quibus & os ad os est, & viscera ad viscera, & membra ad membra,per quæ deponuntur & aperiuntur manus; per quæ flectuntur,& iterum redeunt pedes;clauduntur oculi ad refectionem, & iterum reuocantur ad opus.Et quis poterit dinumerare quantæ istiusmodi semper percutiuntur lyræ, non in vno tantum homine, nec in hominibus solis,sed & in omni animali: omnibus enim mensuræ, ætates, magnitudines dentium, cornuum, quibusdam & non sunt cornua.Adiis pili sunt,& cuiusmodi capilli, vngues & cuiusmodi vngues,pennæ & iterum non pennæ,& in aquis,& in aëre,& in mari,& in fluuiis,& in fontibus & innumerabilia quæ exsurgunt, vna tamen est harmonia. Cùm enim suam accenderit lucernam, cùm suum scilicet orauis fuderit solem,cùm à finibus orientis simul ad occasum transmiserit lumen, omne mouetur animal, vnumquodque ad quod ei natura est. Et mensa

E quidem communis est plena, & aliud animal ad aliam properat escam,aliud alibi deuitat;& quæ illis vtilia non sunt, aliis conuenientia habentur. Eiiciunt irrationabilia per istiusmodi harmoniam adducta, quis debeat gustare, & quæ debeat vitare, & cum quibus conuersari. Ista decens Deo harmonia est, per quam sol statutus ad cursum est, & luna ad crescendum, & stellæ ad spatia. Istam percutit per dies & noctes, siquidem & dormientes auget, & efficientibus otiosus non est. Et Deus quidem istam sine digitis & labore percutit harmoniam;ille autem qui fictus & non Deus est, accipit virginem. O iniuriam! Virgo ob pudicitiam fugit: Deus autem qui dicitur ob amorem libidinis insequitur, & non comprehendit. Velociores enim pedes fuere virginis pudicitiæ per voluntatem, quàm ille qui à libidine dissolutus est. Qui ambulat sensim, qui passus seiungit, iste nunc festinans non comprehendit virginem: pedes enim à libidine dissoluti, nec molles virginis passus comprehendere F potuerunt,sed parum quid & peruenit,talis eorum Deus, & bene comprehendens est columba ab accipitre musico, sed terra, inquit, miserta,humanior tali eorum Deo visa, transtulit eam ad laurum. Et forte maluit virgo lignum fieri, quàm à tali eorum Deo corrumpi. Ille autem qui præter spem à tali venatione decidit, videns virginem in arborem conuersam, neque conuersione confusus est, neque translata natura transtulit & amorem: sed adhuc feruens amore, adhuc ardens concupiscentia, amplectitur arborem & decerpit ex illa, quæ iam non erat virgo, folia,& confessus victoriam victum suum coronat caput, titulum vtpote in corona libidini suæ constituens. Sed forte quædam poëta facilis & inconsideratè loquens mentitus de diis est talia, & non est insecutus virginem citharista. Quid adhuc vsque in simulacris ex ista arbore coronatur, vt putant quidem ob honorem. Si autem honor est fornicationem audari, fornicationem insecutam quidem, non comprehensam autem adhuc vsque accusabilem, & fingunt in simula- G cris, & pingunt in parietibus.Sed quid mihi & istis est? Reuertere lingua, & audi psalmum,ô anima, *Conuertere anima mea ad quietem tuam.* (Psal. 114. 7.) Quid mihi est eos qui foris sunt iudicare. Sufficit eis quia in his volutantur. Cessent de opificiis non benè sentire; fruentes enim opificiis sentiunt,& ipsorum creatorem iniuriis petunt.Sint vt volunt, & certè nolo eos esse vt volunt. Noster autem sermo fugiat quantùm potest, illorum fœtorem, quia apud ipsos sunt figmenta, fabulæ, simulacra, adulteria, fornicationes, sanguis, lapides, ligna, dæmones, nuditates, turpitudines, dicenda & non dicenda occulta. Fugiens autem inde, agar gratias ei, qui se liberauit ab istiusmodi. Erit enim gratia duplex, quia & liberauit à falsis, & ad vera adduxit. Liberati igitur ab his, & digni iudicati estis. Deo non nato patri per vnum vnigenitum suum filium cum Spiritu sancto sit gloria, honor, imperium, maiestas, & nunc, & semper,& per om- H nia sæcula sæculorum, Amen.

EVSEBII PAMPHILI
De eo quod Deus Pater incorporalis est.

LIBER V.

QVÆCVNQVE ex cogitatu debent colligi & requiri, vel exhiberi, quia incorporalis est Dei natura, & iam si non quantum res ipsa deposcit, tamen quantum ad nostram peruenit virtutem, magis autem quantum imbecillitati gratia donauit, ista per multos præteritos & aduenimus dies, & tractauimus in commune. Et si quis peruidit aut intellexit aut meminit, nullam iam habet dubitationem de illa natura qua incorporali decre-

A tum est: sed forte multa illa sollicitudo, quæ per cogitatus processit, ad aliam quandam suspicionem nonnullos adducet. Dicentes enim qui volunt peruertere recta, quia cogitatus quidem boni & veri, & decori & recti de Deo sunt & habentur; scripturæ autem his bonis & rectis cogitatus non consentiunt, sed magis per ea quæ dicta sunt accusant cogitatus quàm commendant. Erat autem propositum non quid dicimus non simpliciter de Deo, quia nec nobis est potestas sicut gentilibus ex corde de Deo loqui, sed qualem eum scripturæ introducunt, & qualem ipse se interpretatur, talem oportet suscipi & adorari. Gentiles enim qui omnia ausi sunt, omnia transfigurant & fingunt, & non solùm in templis & simulacris & imaginibus depingunt & figurant, sed & ipsum quem videntur incorporalem dicere Deum ex corde fingentes producunt. Vnde & is qui apud eos actor putatur apud alios creditur: quia enim is qui est, agnitus non est ab iisdem, fama autem ad eos in nouissimis peruenit temporibus, tamen ex auditione Moysei, B quia famam de vno Deo, & ipso creatore audierant, qui in multis sæculis opificia intermisso creatore adorauerunt; alius alind nuncupatione suggessit de eo quem audierant; ita vt quidam scribentes præcepti sint ex nomine solo imaginem describere, non hominis, inquam, aut alterius cuiuscumque status, sed simpliciter nuncupationem ex fama. Necesse enim erat istos qui scripturam ignorabant, naturæ autem audierant nuncupationem de incognito, aliter autem & alterum aliter ex corde fingere, æstimatione quippe de eo quem ignorabant, & ideo per omnia errauerunt. Inde est vt non solum sibi dissentirent de Deo, sed & aduersarentur. Quidam enim dicit quia prouidet, alius quòd non prouidet, & alius quia vsque ad lunam prouideat, alius quia in omnibus prouidet. Et quidam dicit quia incorporalis est, alius quia corpus est. Ista commendatio ignorantia est eorum, qui nesciunt quid loquuntur. Sed illi quidem audentes, aut aliter de Deo sentientes, omnes errauerunt. C Nec enim ex corde humano Deus produci debuit, sed à Deo edoceri de Deo. Nobis autem necesse est ea surgere & tractare, quæ ex scripturis didicimus sanctis, quia incorporalis est Deus. Sed non sufficit pronuntiare, neque rationem cogitatus adire, sed ostendere quia & ipsi, & qui in iisdem cogitatus habentur, per omnia consentiunt his, quæ scripturæ veteris & noui testamenti de Deo pronuntiant, forte autem & totum suspicabitur quidam, & corporaliter in scripturis proferri Deum putabit; forte etiam & partibus compositum ex scripturis putabit, colligens membra quæ dicta sunt. Oportet igitur primùm suspicionem, qua dicunt in corpore esse Deum, aut corpus esse differi, vt apparentibus vinculis agnoscatur solutionis magnificentia. Totum itaque videtur corpus introducere scriptura quæ dicit, *Quia ambulat in paradiso*: aut quæ iterum dicit: *Quis est qui venit ex Edom*. & quæ dicit scriptura, *Vidit sedentem supra sedem maiestatis suæ*: & aliæ quæ ait, *Sedes sunt positæ, & vetustus dierum sedit*. Qui enim in paradiso ambulat, & qui venit ex Edom, & qui apparet vt apparuit Hiesechiel, & qui sedit secundum Danielem, & qui sedit secundum Isaiam, corporalem quandam ambitionem suggerit. Et hoc quidem veluti de omni parentibus autem vt videamur & depingere, *Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum. Os Domini Sabaoth locutum est ista*, faciens Deum & membratim, & tota facies istic descripta est, & post hæc quæ insecuntur. Dicit enim scriptura: *Dextera Domini fecit virtutem*, & *Sede ad dexteram meam*, quam rem insequitur & à sinistra esse. Et iterum *cœlum sedes est mihi, terra autem scabellum pedum meorum*. Per ista itaque omnia à capite vsque ad pedes videtur membratim fieri compositio, quantum ad sermonem spectat. Addemus autem incertis his, *capilli capitis eius*. Ergo & capilli, & caput cuius & capilli, & adhuc amplius quantum ad exteriorem partem inuenitur vestimentum, modo quidem rubrum, modo autem album. Si igitur & vestimentum circa ipsum, quæstio est & de indumento, vtrum viuens quædam

[Margin: Genes. 8. Isa 63.1 Isa.6.1. Dan 7.9. Psal. 33. Isa.1.20. Psal.117. Psal.109. Isa.66.1. Dan.7.9.]

D

natura est & vestimentum, aut quomodo illic vestimentum habetur, & quæcumque conuenerimus, vt de indumento dicamus oportet moueri. Et iterum: si *vox Domini fecit*, si *vox Domini in virtute*, & vox Domini frequenter in illo psalmo dicitur, & secundum vnumquemque prophetam inuenimus dictum, *Dixit Dominus ad me*. In Euangelio etiam, *Desursum vox facta est*; oportet enim immisceri ea quæ ex nouo sunt testamento veteri, ne iterum hæretici separent, & alium introducant Deum. Adiuncta autem sint ista ex scriptura, vnde & omnia mota sunt. *Factum est autem die tertio, cùm mane factum fuisset, & facta sunt voces & fulgura, & nubis nimbus, & super montem Syna vox tubæ canebat valde*. Ergo & tuba sonabat magna, *& turbatus est omnis populus in castris, & produxit Moyses populum in obuiam Deo de castris, tanquam iam præsente illic Deo, & constituit eos sub montem. Mons autem Syna fumabat totus, propter quod descendisset Deus super eum in igne*. Si descendit, & in montem descendit, & ascendebat fumus tanquam fumus fornacis, & obstupuit totus populus valde, fiebant enim voces tubæ prodeuntes fortissimè; valde Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei voce. Et descendit Dominus in monte Syna super cacumen montis, & vocauit Dominus Moysen in cacumine montis, & ascendit Moyses, & dixit Deus ad Moysen: hæc quidem de eo si descendit, & si videtur, & si vocibus loquitur Deus, & si tubæ aderant, & si in ignem descendit, quid sibi vult fumus? Sunt autem ex sequentibus aliæ quæstiones, sed bene est sensim accedere ad proposita. Et sicut hi qui ædificare desiderant, & lapides transferre cupiunt, si singulos transtulerint, multos poterunt adunare: si autem multos simul leuauerint, nec quidem vnum leuare poterunt. Ita & nos interim; prima enim dicta intercipere facile videtur audentibus; timidis autem difficile. Si enim voluerit quis dicere, locutus est, non est locutus; vox non vox, facies non facies, simpliciter videtur facile quid operari; audacter autem operatur. Sed oportet nunc ab ipsa scriptura accipere solutiones, & ostendere quia istæ voces ita quidem dicuntur, non ita autem debent intelligi. In ipsis enim iisdémque sermonibus primo exhibet necessitatem, ob quam ita apparuit Deus. Dicit enim: *Ecce ego venio ad te in columna nubis, vt audiat populus loquentem me ad te, & credant tibi in sempiternum*. Et iterum ad populum dicit: *Vos vidistis, quia de cœlo locutus sum vobis*. Et certè ex monte Syna. Quomodo ergo potest fieri de cœlo & de monte Syna simul? *Vidistis*, inquit, *quia de cœlo locutus sum vobis. Nolite vobis facere similitudinem omnium quæ sunt in terra*. Et certè si similitudo erat qui apparebat, deberent videntes magis adduci ad ipsius similitudinem. Si autem dicit, *De cœlo locutus sum vobis*, qui dicitur quia de monte Syna: manifestum est quia ambitionem præsentiæ suæ ostendit in monte, ipse autem in sua manebat maiestate. Cur autem & à monte Syna apparet qui de cœlo, *Ne timueritis*, inquit, *quia tentare vos venit Deus, vt sit timor eius in vobis*. Non ergo natura est quæ apparebat, sed dispensatio quæ adducebat. Quia enim audacissimus erat populus, quia semper decliuis ad idololatriam habebatur; qui enim humilis erat, & desiderabat per manus contingere Deum, & per oculos videre. Quia enim talis erat populus, misericors autem Deus & bonus, facit eis timorem, qui nec post timorem timuerunt, & dicit: *Quia si quis appropinquauerit, morte morietur*. Et certè oues erant illic ante hoc, & non sunt mortuæ. Moyses enim illic pauit, Moyses erat illic vt pastor, necdum est propheta, & non est mortuus. Vtique & alij ante Moysen: sed propter aduentum, quis dicit, Dei dixit, quia si quis appropinquauerit morietur. Nonne magis deberet viuere qui appropinquat aduentui Dei? Sed terrere vult populum audacem; vnde & tubæ sonant canentium. Quid enim magnum est Deo operamenta creare ad istiusmodi necessitatem, aut sine tubis sonum talem emittere. Non ab re autem est quædam ex Daniele apponere, sed & opportunissimũ. Quia enim diximus quia non erat impossibile Deo tubas creare, aut sine

[Margin: E Psal.28.4. Luc.3.22. Exod.19.16. F G Exod.19.9. Exod.20.22. Exod.20.20. H Exod.19.21.]

A tubis sonum audiri scriptum apud Danielem est, quia Dan.5.5. *manus ingressa sola scribebat in pariete*. Ista manus Deus est, aut Angeli incisio est? Sed quia deberet videri non tenens, forte autem nec atramentum baiulans, neque alio aliquo operamento abusa, aut ipsa visa, addatur & canna, & atramentum creatum. Aut si hoc quis voluerit accipere, scripsit manus, & dum scripsisset, recessit. Quid manus ista dicebat, cuius dei sola manus, & vbi est totum? aut Angeli, & vbi est totum? incisio erat passibilis. Ergo quo ista incisio est? Quid ergo est sententia visa? Vt enim sciret rex qui ausus est ideo manus ad lucernam indigens, quæ nec oculis visa sunt. Et certè vt scribat quis, valde intentio necessaria est, & videntium oculorum, & acutè videntium. Nunc autem scribit sine oculis, sine tenente, siue cum atramento, siue sine atramento, siue sine aliis operamentis, siue cum aliis admiratio est; qui valde carnales sunt, qui corporales, qui volunt Deo corpus dare, respondeant nobis, illa manus corpus erat aut non corpus. Si corpus sine humeris non mouetur, sine toto corpore non sit manus. B Si autem apparet manus, & scribit manus, & recedit manus, agnoscatur quæ est natura visionis præsentis. Importunum autem non est adiungere, cur & manus. Si enim iam dictum est, quia oportebat sententiam scribi, sed forte ideo per manum, quia & pater huius regis aduersum quem ista sententia scripta est, ob populi delicta potuit & populum tenere & templum. Et populum quidem abduxit captiuum. Condicens autem quia prophetiæ factæ sunt à Deo prænuntiantes captiuitatem populi quæ per eum facta videtur, vasa sacerdotalia accipiens, & hoc superbus & erectus, & alta cogitans, vt propheta de eo diceret, Esa.14.13. *Tu dixisti in corde tuo, Ad cœlos ascendam, supra nubes ponam sedem meam, & sedebo supra montes altissimos ad aquilonem, & ero similis Altissimo.* Qui talia sapiebat, & talia loquebatur, & talia cogitabat, iste accipiens sacerdotalia vasa, non est ausus vti iisdem, sed tanquam in ratione honoris posuit in templis, non consecrans idolis, sicut quæ insequuntur demonstrant, sed recusans vasis vti diuinis. Isti succedens filius eius in regno non ei successit, C & secundum istum honorem, sed innouans potestatem regni sui, profert vasa sacerdotalia, & bibit in ipsis. Et quia ipse & sui malè extenderunt manus suas ad vasa; quia enim manibus tetigerunt ea quæ eis non contingebant, manus pro manu exiens scripsit iuxta lucernam, vt qui aderant homines viderent sententiam. Quæ ergo est manus illa? Non corpus, neque ex corpore incisio, sed efficientia ad visionem veniens, vt agnosceretur sententia inuisibilis. Suffecerat autem & manus ostendere virtutem, & interpretari obscuritates, soluere dubitationes, sed non est egenus diues. Inuenimus enim in scripturis, & forte multa, quæ vt quæstiones motæ sunt, possunt nobis ad solutionem prodesse. Nouimus enim & de Daniele, Dan.7.9. quia vidit *sedes positas, & vetustum dierum insidentem, cuius albi erant capilli, & vestimenta candida*. Et certè & hoc accipiebatur propter contumaciam, aut propter D negligentiam. Ad ostentationem quippe, quia corpus est Deus; sententia autem virtutem sermonum exhibet, quia maximè exhinc incorporalis ostenditur Deus: Quis enim ignorat omnem qui oculis vtitur, quia oculo contingit ea videre quæ adsunt? quæ autem in crastinum aut post paruam horam, aut post momentum fient, non videt oculus. Danielis autem visio, initium quidem habet à leæna, post leænam autē introducit vrsum, tertium animal vt pardum, quartum tale cuius natura apud nos non inuenitur. Interrogabo volentem contendere, Leæna regnum est. Si enim quod vidit Daniel erat visibile; leænam autem vidit. Non vidit regnum, sed leænam. Ne igitur remoueamus dictum, scripturam videamus. Si enim ipse Daniel interpretans, aut interpretatam ab Angelo visionem audit, quia primum regnum est Chaldæorum, intueris quia quod visum est leæna erat, quod autem interpretatur regnum. Aut dicat qui voluerit, putas fera aliqua erat & viuebat, & talis qualem vidit Daniel? Si autem insignia vidit regni, interpretationē autem agnouit, visiones corporeas facere non debemus. Vrsus au-tem apparebat secundus post leænam, & tria latera erant in ore eius. E Putas quia & latera viua erant, & vnde ea accipit vrsus? Putas aliquod animal expugnans quod in consuetudine est apud nos; aut significat, quia per tria latera, tres regiones habebit illud secundum regnum. Tertius autem pardus quidem erat quantum ad visionem, quatuor autem capita habebat. Si quis autem vestrûm vidit in natura quatuor capita pardum habentem, sit visibile & animal istud. Si autem naturam conuertit, formantur autem regna per istiusmodi visiones, ad corpora non compellamus. Quarti autem animalis in totum nec figuratio est posita, eo quòd immutatum & nouum à cæteris videbatur, vt ne quidem similitudo in eo alicuius animalis inueniatur, hæc vidit Daniel. Et ante hæc; *Vidi*, inquit, *quatuor ventos cœli immittentes in mari magno.* Dan.2.7. Putas & venti visibiles fuere? Quatuor autem simul immittuntur in mari. Et mare vidit, vbi agens præsens mare, aut non præsens conspexit. *Et quatuor*, inquit, *ascendebant feræ de mari:* leæna ex mari, & vrsus ex mari, & pardus ex mari. Intueris quia ipsa scriptura per ea quæ videtur ligare, per eadem & soluit. F Mare in illis non erat locis, vbi erat Daniel. Puta quia erat leæna, & vrsus, & pardus, & nouum illud animal. Ex mari quomodo ascendunt? Venti autem quomodo videntur. Puta quia visa sunt ista. Ascendit leæna ex mari, quomodo regnum in terra. Si autem regnum in terra est, non est iam leæna: quod enim visum est, aliud erat, quod autem interpretatum, aliud. Sed puta quia transfert & leænam ad regnum: interpretatur enim Angelus ei qui viderat & reliquas feras, vnumquodque in sua constitutione. Si ista enim quæ apud nos sunt & visibilia habentur, transferamus ad inuisibilia, & dicamus quia non aderant, sed visa sunt, & visio est, & non naturæ progenies. Transeamus ad Deum, vbi sedes sunt positæ, & iam non dicamus sedes aliud aliquid, sed ipsas sedes, & non iam dicamus quia visus est qui non est visibilis, sed visio est. Iudicem introducere audeat qui vult, sic concedit ei scriptura. Meminisse autem oportet quia suggessimus quod suggerit & G natura, quia oculi futura non vident. Neque post quodlibet momentum leæna primum regnum tunc sub Daniele erat, vrsúsque eius successit regno, pardus tertium regnum. Non enim vnoquoque animali regnum, sed vnaquæque fera regnum est habens multos reges. Ergo vsque ad quartum regnum multi reges. Post quartum autem regnum iudicium aduersum quatuor & quatuor non aduersum primum. Daniel autem & primo, & secundo, & tertio, & quarto regno iudicium post nouissimum quartum, in vno momento vidit. Nunquid possunt adunari ea quæ hodie facta sunt, cum his quæ crastino fient, & tertio & quarto die vt videantur. Si igitur ea quæ in quatuor diebus fiunt ad vnum momentum conuenire non possunt, quomodo ea quæ in quatuor regnis facta sunt & fient, in tantis sæculis & temporibus in vno momento oculis videri potuerunt. Ergo quæ vidit Daniel futura erant, quia quæ incipit videre, non videt quæ videntur, sed videt quæ non videntur. Ideo autem & nuncupatio erat prophetarum ista, vt dicerentur qui vi-dent. H Quia enim & apud nos quidam vident, quidam non vident, & ad cæcos comparatio est eorum qui vident, & diuersitas & discretio est. Sumus autem quantum ad considerationem visionum non videntes. Vident autem prophetæ, quæ nos non videmus. Ex ipsa ergo efficientia acceperunt & nuncupationem qui vocabantur prophetæ secundum veterem vocem, cùm maximè exceperunt his qui vident. Vnde & multæ inscriptiones tales inueniuntur, dum dicit. Isai.19.1. & 13.1. *Visio quam vidit Isaias aduersus Ægyptum, Visio aduersum Babylonem.* Quia igitur videbant, vt videbant, videbant autem non vt homines. Quæ ergo oculis hominum non videntur, non sunt corporalia. Vidit Daniel. Quid vidit? quia *sedes sunt positæ*. Quando? Si enim iudicium vidit, tunc vtique cùm quarti regni interemptio futura est. Iterum tamen cùm hæc videret, non fiebant ea quæ videbat. Cur autem & sedes videt, *iudicium sedit*, visio ad efficientiam facta est rei. Quia enim apud nos iudices in sede sedentes

subditos

A subditos sibi iudicant, dicit, *Sedes sunt positæ.* Et certè si talis esset Deus naturâ, non debuit dicere positæ sunt sedes, sed erant. Si autem positæ sunt quæ non erant antea collocatæ, & sedit qui antè non sedebat: ergo nec tunc positæ sunt, nec tunc sedit: sed ostendit, per ea quæ cognita sunt nobis verba, efficientiam Dei ad iudicium. Denique & descripsit illic albos capillos, candidam vestem, ignem ante iudicem, & fluuium igneum. Dicit enim quia *vetustus dierum sedit.* Cur vetustus dierum. Et certè ne quidem dies opus sunt Deo: sed quia resurrectio fiebat in exitu ætatum regum, multum tempus necessarium habebatur. Quia enim per multos dies expediebatur istud, vetustum dierum nominat iudicem. Et quia mundum erat iudicium & purissimum, & inflexibile, albi capilli mundi iudicis, & candida eius vestimenta & immaculata dicuntur. Ideo & capilli albi siue vetustatem annuntiantes & ipsi siue iudicij puritatem. Ego autem & contingere istiusmodi habitum pertimesco. Si B autem non erat quod diceretur, quod posset omnibus videri, recedere ab istiusmodi sensu tacerem. Sed timidos inquit facitis filios Israël. Cur autem & fluuius illic igneus currit, dicit quia interfecta est bestia, & corpus eius datum est igni ad exurendum. Qua enim sententia bestiam mittebat in ignem, priùs præparauit operamentum, per quod futurum erat iudicium. De his igitur quæ in Daniele sunt posita & bestiis illis manent quæ visæ sunt feræ, non autem quæ annuntiabantur regna, & ex temporibus quæ habent spatia sæculorum, quæ coniuncta sunt per visionem ad vnum momentum, & ex eo quod iudicium non tunc est factum, quando & visum est; non solum ad suspicandum Deum corpus esse non debuit non sinere, sed potiùs ad satisfactionem venire, quia incorporalis est Deus. Est autem rationi, & his similia addete. Ipsa enim visio Danielis quæ per bestias facta est, soror est eius quam vidit per imaginem Nabuchodonosor, & saluatur cùm pœnitentiâ comparantur, & econtrà ponuntur ea quæ in imagine visa sunt, & ea quæ per C visionem istam ferarum ostensa noscuntur. Quatuor enim erant & illic feræ diuersa natura; quatuor autem & illic materiæ concurrunt ad compositionem vnius imaginis, & nihil nos prohibet vnum ad vnum interrogare & videre. Leæna regnans habetur in feris: aurum autem præcedens in istiusmodi materiis: fulget enim, & sicut ignis in nocte, ita aurum inter cætera quæ possidentur. Accipiamus igitur ab imagine quidem caput aureum; à visione autem istam leænam. Et forte ideo vtraque fœmineo nomine, quia & regina. Inde accipiamus argenteum pectus, & brachia: post aurum, argentum; post leænam, vrsum, & tria illic æramentum, istic pardum, subducitur enim secundùm pœnitentiam comparatio. Inde iam permixtum ferrum cum testa. Istic bestia cuius figuram propter varietatem non manifestauit. Et illic lapis comminuit imaginem; istic iudex iudicat bestias. Si quis igitur contentiosus voluerit hæc visibilia esse, dicat D nobis vtrũ caput est aureum leæna, vtraque enim ad hoc ipsum concurrunt, & vtraque sibi non similia, neque qui annuntiatur. Quid enim ad leænam aurum? Quid autem vtraque ad regnum? & ita ea quæ insequuntur, quæ & ab imagine proferuntur, quæ & à bestiis discernuntur. Et illic lapis sine manibus, vt non hominis sit opus; istic iudex. Et illic quia materiæ erant comminuuntur; istic quia bestia erat, in ignem mittitur. Ita habemus & Pharaonis spicas, & boues septem & pingues & macilentas. Et quantum ad naturam spectat, boues quidem spicas manducant, spicæ autem à bobus comeduntur Quod autem significatur & ab his qui manducantur, & ab his qui manducant, ipsam eandémque habent virtutem. Ad quod enim fuerat acceptum non dissentit, sed & necessaria visio est. Quia enim de annis, & natiuitate, & fructibus erat, spicæ autem horum sunt genitrices, per spicas quidem anni annuntiantur. Quia autem per opera boum nascuntur spicæ, boues quorum operatio fruges sunt, & spicæ boum natiuitates, accepta quidem sunt variè, annuntiarunt autem effectu. Putas ergo fructus bouis est, aut spicæ annus? Sed alia quidem sunt quæ vi-

E dentur; alia autem quæ annuntiantur. Ioseph autem manipulos vidit; nonne deberent & istic anni esse? Sed ait: Gen. 37. 6. *Somniauit autem somnium Ioseph, & retulit fratribus suis, & dixit eis: Audite somnium hoc quod somniaui. Putabam nos alligare manipulos in medio campo, & surrexit meus manipulus; & rectus stetit, & conuersi manipuli vestri adorauerunt meum manipulum.* Et interpretatur pater & suspicantur fratres, quia incipiet regnare super fratres suos. Et nunc quidem manipuli; iterum autem ipse solem & lunam videt & vndecim stellas. Differt in gloria stella, manipulus non differt. Sed apparet quia stella manipulo ad quod accepta est, non est melior. Cùm enim pater positus est in loco solis, mater autem in loco lunæ, fratres consequenter efficiebantur in loco stellarum, forte autem nec ista simpliciter debemus transire: sed quia occasio adorationis facta est fructuum abundantia, ideò non ab alia occasione vidit adorantes se fratres, quàm à manipulis messium. Si quis autem F voluerit & stellas, & lunam, & solem requirere, ad istum sermonem inueniet concurrere. Quis enim ignorat ex omnibus Moysi vocem, quia ex frugibus quos nutrit sol & luna, facta occasio est visionis. Ergo quia fructuum erat occasio, per ea quæ fruges enutriunt, facta est & visio duplex. Putas ergo quia aliquis ex his qui adsunt; inuigilans & sobrius, cogitauit apud se vt sobrius, quia istæ visiones per insomnia sunt factæ, & forte suspicabitur vim facere nos & his visionibus, quæ per insomnia factæ noscuntur, & ad solutionem eas accipere, quæ videntur per oculos visæ ab inuigilantibus. Si enim ita esset, subripere deberem, & hoc ipsum suadere & luderet forte autem & si tacuissem, quia per insomnia factus est mihi sermo, viderer his qui adhuc somniantur, & inauditum edicere quid, & exhibere. Quia autem veritatis est locus, & non nos seducere oportet; neque suasioni captare, sciamus quia hæc quæ dicta sunt, omnia per insomnia visa sunt: siquidem & Nabuchodonosor somnium vidit, & Daniel illud quod diximus per somnium G vidit, & Pharao, & Ioseph per insomnia habuerunt istas visiones. Nihil ergo mirum, si & nobis per insomnia appareant quæ videntur. Alia enim de aliis frequenter videmus, aut tempestatem maris, aut nosmetipsos trahi à fluuiis, aut prata, aut fructus, aut quia de tectis deiicimur, aut quia thesauros inuenimus, aut quia amisimus aliquid, aut quia subingressus est quidam, aut quia alius exiuit, aut quia locutus est nescio quis, aut quia dedit aliquis. Erant autem omnes istæ ambitiones, sicut dicit Isaias; Esa. 29. 8. *sicut qui vidit semetipsum manducantem per somnum aut bibentem, euigilans autem adhuc esurit aut sitit.* Cùm maximè visi sumus exsoluisse & ista, & vnusquisque audientium iam suam refecerat mentem, tanquam solutione inuenta, & solicitudine soluta, subito quæ putatæ sunt visiones somniis reuelatæ, iterum nobis constrinxerunt vincula quæstionum, & tempus apprehendit taciturnitatis. Forte non importunum tempus neque H inutile est. Si enim & quidam præsentium est, qui horum scientiam per noctem accipere incipiet tractans & repercutiens insomnia, & ne quidem ipsi somno concedens, forte scrutans per noctem cum otio, & à lumine nocturno fulgores accipiens, quæret vinculorum horum solutiones: & si quidem inuenerit, lucratus est, & sursum & deorsum conuertens, & quærens, & volutans, persistit in incerto, solicitior venit ad inuentionem solutionis. Scio autem quia vnusquisque qui hic assistit exiens, de his quidem erit solicitus, curam ventris non habens. Forte autem quidam & indignantur, quia protendimus sermonem: plurimi enim obdormientes & in facie volunt ex aliorum laboribus & sudoribus sine labore parata suscipere; si autem & susceperint, qui autem adinueniant non laborant. Si autem & suscipientes seruabunt qui non sudauerunt; nihil autem horum requirentes: siue enim quis cogitat, siue quis intentus est; siue quis commodum accepit, siue quis conuertit opprobrium; gaudeo. Si autem negligunt qui audiunt, & dissimulant qui docentur, quam rationem dabit, qui constitutus est magister, & nõ quæstiosum dicit, sed quæ impertit

A gregi Domini? Imprecatur quidem ab eo omnes solicitos esse, & scrutari, & quærere, & tenere, & discere,& fructificare. Si autem & quidam negligunt, quibus nec conuenire solicitudo est, nihil hoc ad me: & certè ad me: tangit enim me & contristat, tamen siue paucis efficitur sermo, siue multis, siue negligentes sunt, siue soliciti, non debeo propter negligentiam,& ipse negligens inueniri. Forte autem quidam & contendent exprobrati, etsi non propter amorem doctrinæ, & studium, saltem propter ruborem & opprobrium, &c.



EVSEBII PAMPHILI De eo quod ait Dominus: non veni pacem mittere in terram.

B

LIBER VI.

ET sponsos qui nunc filij habentur; parentum desiderium trahit, & properanr ad genitores annuntiate sponsæ honestatem & colloquia, quique & parentibus manifestus est mos eius, & habitus, & affectus, festinant autem iterum & ad sponsam, memores illius ab initio mandati, qui ait, *Relinquet homo patrem, & matrem, & coniungetur mulieri, & erunt ambo in carne vna.* Lætantur autem & parentes videntes filios patres. Et scimus sponsum verum Ecclesiæ dominum. Sed quia lumen illud verum luminaria facit, & magister ipse solus in Ecclesia posuit & magistros, & pastor ipse bonus pastores constituit, sponsus quidem ipse verus est, vt est sponsus. Quia autem mysterialis est, mysterialitas ista non maculat sponsam, si & seruos in honore suscipiat sponsi. Dicebar enim sponsus Dominus, vt audistis, *Qui vos suscipit, me suscipit.* Apparet autem quantum sponsalitas ipsa emineat, ab ea quæ in mundo est periculosa; non enim istinc mulier adiuuat virum, sed sponsus sponsam: non sponsa seruit viro, sed sponsus seruit & dicit, Ego libenter pro animis vestris erogabor, & memetipsum tradam. Et horum quis est dignus? Si enim ille qui verè est sponsus Dominus & Deus Dei non nati vnigenitus filius, qui in figura Dei constitutus, propter charitatem sponsæ, formam serui accepit: Si Dominus in figura serui propter dilectionem sponsæ, qui natura serui sunt, quid putas quam figuram debent assumere? Sustinet sane sponsus quanta ad correctionem sunt necessaria, & ornatum sponsæ, patitur, & labores, & vigilias, & adinuentiones: vigilat enim vt reficiatur sponsa, & laborat vt adornetur, & inuenit vt pascatur. Natus enim illius efficitur sponsæ ornatus. Quid autem dico de filio, qui de cœlo descendit, vt captiuam sibi acciperet sponsam, illam quæ antè erat sordida, quæ fuerat fornicata, quæ comas habebat impuras, quæ & ab intus, & à foris non erat bona, in quam illuserunt dæmones, quæ fœdabatur in montibus, quæ nuda currebar, quæ lectiones dæmoniorum habebat, quæ turpia cantabat, turpia ludebat, turpia loquebatur: quæ ne quidem in itinere hominibus concedebat, quæ portabat lapides, & fornicabatur ad ligna, quæ fumigata erat, quæ redolebat nidore fœtido, quæ quid non mali habebat? Cui enim & alio decebat talem sibi eligere sponsam, quam illi qui erat misericors sponsus? nihil enim habebat hortamenti ad dilectionem quæ assumpta est. Quia ergo nihil erat ab ista adhortamentum, ideò facta est gratia eius qui accepit talem: pro odio enim quo erat digna, dilexit eam, pro pœna honorauit, pro mortali mortuus est, pro condemnata condemnatus est, pro iniuriosa ipse passus iniuriam & accipiens sputamina in sanctam faciem,& ante sputamina eam suscipitis. Ista enim sponsa, ancilla ex seruis erat, à patre non bono, & matre quæ errauerat, contumax à contumacibus, in multo tempore capillos habens, captiuos & vngues, & in omnibus sordida. Et quod est maximæ admirationis, ille erat sanctus in sanctis habitans, sedens ad dexteram patris, mundus à mundo procedens, lumen verum, sol iustitiæ, ille qui ab Angelis adorabatur, passus est vt ab hominibus illuderetur. Et ego quidem miror nos & sponsam, quia non stupuimus illius qui aduenit gratiam, & illius qui misit donum, & non statim non insania quadam, sed religiosa mente & feruido desiderio spoliati corpus & animam, vt ita dicam, retribuimus Deo pro omnibus quæ nobis retribuit. Quid autem & ei possumus retribuere? Moriemur pro ipso, sed ipse primus pro nobis mortuus est. Er nos quidem si moriamur, naturaliter suscipimus mortem: ille autem contra naturam patiens fuit ad mortem. Et nos quidem si fuerimus mortui, lucrabimur nosmetipsos: ille autem mortuus est, non ad vtilitatem propriam, sed vt nos lucraretur. Et nos morimur ad spem vitæ: ille autem vita est viuens. Et nos in martyrio patimur, vt non cum mundo condemnemur, fugientes per mortem gehennam,& in hæreditate accipientes regna cœlorum. Nos ad mercedem; ille propter charitatem. Si quis autem consilio assentit meo, sit quidem merces ab ipso, non sit autem nobis cursus ad mercedem: non enim quia promittit ideò debet & diligi, sed quia talis habetur, & talis est filius: non quippe diligatur ob ea quæ donat, sed propter naturam sui & ante donationes. Siquidem & hoc lumen sensibile, non qnia pascit oculos amatur, sed quia clarissimum habetur. Nonnunquam enim & fontes videntes perspicuos & puros, & si non admittit tempus bibendi, tamen miramur pulchritudinem, etiam non adueniente vsu. Et ad cœlum respicientes delectamur, non quia manducamus. Si igitur opera eius ita sunt bona, & ante gustum & escam delectant cùm videntur, & coaffectari faciunt, ipse qui verè supra omnem pulchritudinem habetur, & verè est bonus, non ex mercede habeat dilectionem, sed ex natura amorem. Ego sane nonnunquam in cogitatu isto adueni, venite & vos ad suspicionem bonam: sæpe enim à sanctis Euangeliis & verè diuinis de Domino Iesu audiens, auditum ad visum conuerti, videbam enim admirationem nouam Dei filium Deum in terra corpus habentem, & putans adesse spectaculum ex scripturis, pene & porrecta manu apprehendi fimbriam vestimenti eius, ne fortè & à peccatis liberarer. Non igitur fraudemus nosmetipsos à visione Dei vnigeniti, qui pro nobis ad nos venit: nam etsi in corpore aduenit, tamen non latuit Deus nube circumamictus. Si enim & apud nos animæ status datur ad visum per oculos, per faciem, per maxillas; qualem putas esse illam faciem, qualem illam diuinam constitutionem, illum tranquillum oculum, illam honestam linguam & motum? Vnum est quod confert eius aduentus, vt suscipiatur talis habitus in terra à mortalibus. Quia ergo non est idonea nostra natura verbis assumi ad tantum Dei filium Deum, qui vt non solùm verbis edoceret, sed & operibus informaret, venit visibilis, vt & dum videtur, ostenderet inuisibilem. Et mihi quidem ipse sit testis sermonis. Cùm enim lauaret Dominus pedes seruorum, magister discipulorum, & excusante Petro dicebat formans eos & dicens, *hac ego ideo facio, vt & vos edoceamini inuicem eadem facere.* Sicut igitur in illo actu dictum est quod mandatum est, quia ideò facit vt ostenderet totum, ita audi quia venit formare ad deitatem homines. Miserabiles autem sunt qui non inspiciunt; beati verò oculi eorum qui vident. Videtur enim & nunc Dominus, si quis enim habet oculos videt, nunquam enim ille discedit, sicut ipse dicit, *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Adest Dominus si habes oculos, & antequam audias vides. Si autem non vides à temetipso, mouearis cum eo qui ostendit,& videbis. Si autem & cùm ostensum tibi fuerit non vides, lamentare cæcitatem tuam debebis Sicut enim non potest oculus sine lumine videre, ita non potest nec mens sine Deo viuere; celerius quippe saluabitur piscis sine aqua, quàm anima sine Christo. Quid ergo? Num non viuunt

Gentiles,

Marginalia: E; F; G; H; Genes. 2.24.; C Matth. 10.40.; D; Ioan. 13. 15.; Matth. 28.20.

A Matth. 8.22. Gentiles, & Iudaei, & haeretici? *Permitte*, inquit, *mortuos sepelire suos mortuos.* Venit Deus apportans hominibus, quod nullus hominum adduxit: non enim erat seruorum magna donare, sed seruorum erat regis aduentum annunciare: donare autem ipsius erat regis, ideò & praecursores dicebant, veniet. Ipse autem qui loquebatur adueniens donauit: per Moysen enim data est lex, sed nihil factum est; gratia autem & veritas, non data est, sed facta est, & correxit. Sicut enim mulier illa quae fontem sanguinis contra naturam habebat, fatigata est medelas hominum sustinens, profuit autem ei nihil, sed tantummodo consumebatur & corpore, & facultatibus: ita secundùm formam istam humana natura accipiens medelam à prophetis, & sacerdotibus & à lege ipsa, non est curata, sed is qui sine lege erat subingressus est, vt abundaret peccatum. Quia igitur non erat hominis corrigere hominum passiones & vitia, Deus accepit infirme hoc ipsum, quod iam erat emortuum, & subingressa est B vita, vt praesentia virtutis repercuteretur virus serpentis. Quis nos mouebit ad desiderium Christi? Siquidem Christi pater. Illi enim decet talis & tanta largitio; Ioan. 6.44. *Nemo enim*, inquit, *potest venire ad me, nisi pater meus attraxerit eum qui est in coelis.* Non quia vim facit Deus, sed quia domat homines mortales, pro quibus mortem immortalis gustauit. Nolite in vacuum gratiam ponere, non in somno Euangelium, sed euigilantes computate quid factum est, quid natum est, quid donatum. Deus filium suum misit, qui non obedit ei, habet iudicium. Misit, inquam, filium suum Deus iustitiam ad iniquos, eum qui sine peccato ad peccatores, obedientem ad contumaces, gloriosum ad ignobiles, eum qui ad dexteram patris, ad eos qui in terra iacebant, filium ad seruos, iudicem condemnandum pro his qui erant condemnati. Quis non accendatur? Quis non stupeat? Quis non è flamma ista viscera accendat sua? Si non sumus lapidei, & ante sermones non mouent, deflere nos conuenit, quia putantes nos viuere, mortui sumus. Quibus Iesus C non placet Deus, hos putas quid delectabit: Si autem pulchritudo in carne emortua, & lapides pretiosi & margaritae claritas mouet alacritatem hominis, cùm Deus filius fuerit visus, à quo & bona ista sunt facta, quomodo non verè veniet passio illa in homine, de qua Deut. 6.5. dictum est, *Diliges Dominum Deum tuum ex omni anima tua, & ex omni virtute tua, & ex omni potentia tua, & mente & sensu tuo.* Apparente enim Domino Iesu, non derelinquitur pars aliqua dilectionis vlli, quia non diuiditur charitas ad Deum & ad homines, & ad emortua quae in terra sunt; sed sicut antequam appareat sol & lucernis fruimur, & stellas patimur, & luna delectamur. Cùm autem sol fuerit visus, quaedam quidem non parent, quaedam autem & occultantur, omnes autem conuertunt facies suas ad solem; & cùm multa sint bona, omnia enim bona valde: cùm autem apparuerit is per quem ista bona, nihil eorum quod bonum est iam videbitur bonum. Si quis vidit effigiem audit, si quis non videtur & vt videat, & consentiat his quae dicuntur; D amores enim clarae pulchritudini contendunt, quantum enim bonum est quod diligitur, tanta & mensura est charitatis. Si enim oculi fuerint in facie boni, tanta motio efficitur, quantum & oculi fuerint moti: ei autem aliud aliquid in oculis, duplicatur amor: si tota facies fuerit bona, totius vultus caritas mensuratur: si autem & alia membra fuerint bona, addita pulchritudine crescit & desiderium. Iesus autem totus est bonus, & verè bonus, boni enim patris progenies est bona; cuius pulchritudinem clamat coelum per suam speciositatem. Istum collaudat & solis splendor, istum praedicat luna & incipiens, & plena, & deficiens. Stellarum autem chori istum coronant, sed non opera in istum, aut ab operibus gloria eius, sed ex sui natura. Mare istum fluctibus praefert, terra eum fructibus coronat & floribus, choros autem ei & animalia dum exultant, faciunt. Cùm autem audis quia glorificatur filius ab omnibus, noli obliuisci patris quem glorificat filius. Sed de inenarrabili & non nata natura patris in memoria venite timor est. Quia

E ergo ille timorabilis est propter bonitatem, & superemimentem benignitatem, & quia nos non possumus ad illum nec mente respicere, imaginem eius considerantes miramur indicibilem illam virtutem patris, & ideò cum qui ad nos venit consideremus, & habebimus fructum. Dicit enim & ipse, *Si quis me videt, videt & patrem*; qui Ioan. 14.9. enim imaginem videt, per imaginem principalem agnoscit. Filius igitur ad nos venit, non tamen nos ad ipsum; vel nunc autem nos ad ipsum simul Deus vocat, & his qui non adueniunt, sufficit poena quia non obediunt. Vocat Deus. Ad quae? Ad ea quae decent Deum. Et certè Abraham vocauit Deus, & praecepit vnigenitum filium suum offerre sibi. Et videtur perniciosum hoc esse forte tibi, non tamen Abrahae; Abraham enim lucrum duxit; videbantur enim iurgari viscera & religiositas. Sed adhuc apud nos iurgari possunt, apud Abraham autem ne quidem dubitatio fuit, nec cogitatus, nec dilatio: sed laetabatur Abraham, quia victurus erat filius eius oblatus: amor est enim religiositas, in qua & caritas mensuratur, & affectus impletur: si enim caritas non fuerit F otiosa, omnia erunt etiamsi coaffectatus fueris; propter timorem enim si obedieris, perfectus non eris; propter comminationem autem gehennae, mali serui malum propositum habebis; propter autem regna coelorum voluntas est mercenarij. Quae autem decora est via stupere bonum, mirari immensum, amare Deum? Si enim scis, non potes non diligere; si vidisti, non potes non coaffectari. Nihil enim ex omnibus quae sunt, neque omnia simul tantùm alliciunt, quantum delectat vnus omnium Dominus. Ita allicit & pater si fuerit visus: tantùm enim si apparuerit, nihil iam quis sustinebit. Videbitur autem ab his qui mundo sunt corde. Si enim mundũ fuerit cor, effulget inde lumen, & videbitur quod effulget, & statim Martyres, Confessores, Sanctimonium, Virginitas, natura mortua, membra crucifixa; desiderium enim feruet in animis, & coniungitur ad desideratum: cùm enim adunauerit quis bonorum conuentus, coeli magnitudinem, & ea quae in ipso sunt est pulchritudo, solis praedi- G ctam claritatem, & aliorum omnium quae illic sunt bona, necnon & ea quae in terra germinant, florent, expanduntur, procedunt, nascuntur, & ea quae in aëre volant, & in aquis natant. Cùm haec omnia adunauerit vt componens in vnum, ne quidem gutta vt ad illam pulchritudinem erunt, vt desiderium stupore magis sit, & caritas, & admiratio, vt talis iam homo desideret nouam quandam constitutionem sui inuisibilem fieri: affectus enim ad inuisibilem inuisibilis habetur, & solitudinem quaerit. Qui autem ad istam constitutionem occurrerit, nescit quia & coelum & terram non videt, nec nouit in quo in terra est loco: maris autem ne quidem memor est & flumina despicit: solem non videt, lunam non considerat, stellarum memor non est; despicit autem & Angelorum choros, vnus enim ille non permittit diuidi visionem ad multa. Qui enim in tali constitutione habetur, nescit quia & carnem habet, & quod est maximum, H nec animae suae memor est: totus enim euacuatus in illum est quem desiderat, & vniuersa ei sunt emortua, & illi viuit soli. Et hoc est illud insigne quod ait Apostolus. *Viuo iam non ego, sed viuit in me Christus.* Desiderio Galat. 2.20. enim totus deuoratus & à semetipso discedens, illius autem affectus; bona quidem morte est mortuus, bonam autem vitam commutauit vt dicar, Viuo iam non ego, si quis vnanimis & ipsius linguae est Paulo, audiet Paulum dicentem, *Viuo iam non ego.* Sed quae tua est vita, ô Paule? *Sed viuit*, inquit, *in me Christus.* In quo viuit Christus, Christum indutus est istiusmodi homo qui Christo indutus est, non tunicam, sed sicut ferrum igne totus per totum incanduit, totus per totum illuminatus est. Nullus ei iam relictus est non motus, non affectio. Sed nos qui Christi sensum habemus, non pigebit nos dicere, quia talis homo Christus est factus. Quemadmodum autem sicut dictum est, miscetur affectus desideranti, & oculus lumen suscipiens efficitur luminosus, & ferrum; saepius enim repetuntur bona; ante ignem quidem ferrum erat, in igne autem ignis magis quàm ferrum est factus. Audite

A desiderantium verba, ne forte & vos moueamini ad desiderium. Dicit iste ebrius non vino, sed quem inebriauit Christus desiderio. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Christi:* in quibus illi confunduntur, alij gloriantur, qui enim ebrius est nescit irrideri, sed irridet irridentes, est enim totus in vino. Si ergo qui in vino est non irridetur; putas qui in Christo est scit quid est confusio; non enim ita tangit vinum hominem, quantum tangit virtus; neque ita tangit ignis ea quæ in ipsum incurrerint, quantum illuminat filius eos, qui se fuerint induti. Quis putas habet Christum, qui prædicatur, vt noscat ea quæ dicuntur: cùm enim non fuerit conscientia intus quæ sermoni testetur, otiosa eius qui loquitur verba habebuntur, & efficietur qui loquitur barbarus iis qui non audiunt. Cùm autem præueniens anima recondiderit sibi, & finita fuerit desiderio, fortè & irascitur ad dicentem, quia non tanta interpretatur, quanta ipsam mouent. Sed concedite quicumque ita proposuistis, ininterpretabilis enim est qui desideratur. Ego sanè beatam dico

Galat. 6.14.

B illam, quæ digna iudicata est Deum portare in vtero. Ego & præsepium illud diligo, in quo vitæ positum est medicamen. Et magos beatos dico ob immutationem artis. Beata & Rachel, & iam non ploret, quia eius filij martyres extiterunt Christi. Simeon autem ille & Anna ideò gratias agebant, quia digni iudicati sunt videre quem desiderabant multi quidem, viderunt autem non omnes; Ioannes autem ille, qui in pectore recubuit Domini, inde hauriens nobis loquitur, *In principio erat verbum.* Petrus verò qui à patre dignus iudicatus reuelationem accipere, & videre eum quem non videbat, & noscere eum qui occultabatur. Verè beata & Petra, in qua sumus & positi; beati & maris fluctus, qui vestigia Domini osculati sunt, & pisces qui præcepto educti sunt. Beatus & ille piscis qui dedit pro Domino censum. Beata & terra & mare; vtraque enim passus Domini susceperunt. Beatus & Zachæus qui cucurrit ad ficum, & vocatus ad domum est. Et peccatrix illa mulier, quæ bona importunitate ingressa est recumbentibus; contaminata enim introïuit, & mundata exiuit. Ergo omnes

Ioan. 1.

C beati ex aduentu Christi, & mortui qui iam non mortui, & cæci iam non cæci, & claudi salientes, & muti laudantes, & ille qui sedebat ad pedes, qui antè à legione impulsus currebat. Beati qui in nuptiis biberunt vinum ex præcepto. Quid ergo omnes beati, aut quidam & miserabiles? Iudas enim qui vtinam natus non esset, putas quia apud semetipsum non dixit, Vtinam non venisset, vt ego non condemnarer. Putas & Iudæi si voluissent fuissent beati, & primi? Quid ergo quia noluerunt Iudæi. *Num incredulitas eorum fidem Dei euacuauit, absit.* Qui enim venit ad faciendum bene, venit siquidem & lumen oritur, non vt occidamus aliquem: ille enim malus est, qui bono vtitur malè. Nam & ferrum datum est ad culturæ medelam: si quis autem ferro vsus occiderit, non est culpandus qui donauit. Siquidem & ignis ad curas, ad luminaria, ad excoctiones datus est nobis: si quis autem eo ad incendendam proximi domum fuerit vsus, ille malus est qui vtitur malè. Neque

Rom. 8.3.

D aqua mala quia præfocantur quidam: si enim ipsam quæ ad vsum plurimum, & ad refectionem data est, bonam quidem, malè ad interficiendum vtuntur, ipsi potiùs perniciosi sunt, quàm opificium. Et lapis ad constructionem est datus, Caïn autem eo ad interfectionem fratris est vsus: tantùm enim mali sunt qui sunt mali, quia bonum in malum conuertunt. Iesus pax est, & venit pacificare quæ in cœlo sunt & in terra. Si hæc vera sunt, sicut vera, quid faciemus his quæ lecta sunt hodie? Dicit enim ipse saluator in Euangelio, *Nolite putare quia veni mittere pacem in terram.* Nunquid nix calefacere potest, aut ignis dare frigus? Nunquid pax potest non mittere pacem? Quomodo ergo ipse pax dicit, *Nolite putare quia veni pacem mittere in terram,* de qua sanè dictum est, & de quo, quia *venit pacificare quæ in cœlo sunt & in terra.* Si quidem & alibi dicit Euangelium, *Venit non vt iudicet mundum, sed vt mundus saluus fiat per ipsum.* Qui credit saluatur, qui autem non credit, iudicatus est. Et iterum,

Matth. 10.34.

Coloss. 1.20.

Ioan. 12.47.

E *Non veni nisi ad oues perditas domus Israël,* & certè magis perierunt. Quid ergo ista contraria sunt? Num vt diuidantur, veritas non consentiet sibi. Si igitur veritas discesserit sibi, perdet & naturam; mendacij enim natura in dissensione est, veritatis autem natura consensio est. Quomodo ergo ista sibi consentient? Iesus pax est, & ipse dicit, *Nolite putare quia pacem veni mittere in terram.* Dictum autem de eo est, *Venit pacificare ea quæ in cœlis sunt & in terra.* Quomodo ergo non venit pacem in terram mittere, qui ideò venit, vt & ea quæ in cœlis & in terra sunt pacificaret, & ad oues perditas domus Israël venit, & inuentæ sunt pereuntes? Non est missus iudicare, & inuenitur condemnare. Si quis desiderat ea quæ sunt Domini edoceri, proiiciat omnia ex corde suo, & mundo oculo mentis intendat. Propositum quidem Dei qui misit filium suum tale erat, vt saluarentur homines. Obedientia autem eius qui missus est, ea vt pax esset in cœlis & in terra. Vnde ergo non pax? Ab infirmitate quippe eorum, qui non potuerunt suscipere splendorem

Matth. 10.6.

Coloss. 1.20.

F luminis veri. Ipse enim pacem prædicat, & ideò hortatur hoc Paulus Apostolus, & dicit, *Ipse est enim pax nostra.* Eorum scilicet qui credunt & suscipiunt, pax est. Quomodo ergo non pacem mittit in terram? filia credidit, pater incredulus remansit. *Quæ communicatio est fideli ad infidelem;* pacis enim prædicatio diuisionem operatur. Filius fidelis, pater incredulus, ex necessitate lis est, & quæ prædicatur pax, operata est diuisionem, & bonam diuisionem: in pace autem saluati sumus. Vt non autem ego illum interpreter, nihil enim est quod non ab eo debeamus audire, ipse dicit, *Ne putetis quia veni pacem mittere in terram.* Et adhuc vehementius addit, *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Quemadmodum non pacem, & quemadmodum gladium? *Veni enim incidere hominem aduersus patrem suum:* accipio enim filium eius, & non delectatur pater. Aduerte autem & ipsorum efficientiam sermonum: quia enim dixit gladium incidere, addit, *Nolite putare quia veni pacem mittere in terram.* Non suscipit terra. Non veni pacem mittere. Iterum audi in ter-

Ephes. 2.14.

2. Cor. 6.15.

Matth. 10.34.

G ram: Ego enim, inquit, pacem prædico, sed terra non suscipit. Non ergo seminantis propositum: ipse enim sustinuit vt facerent vuam, fecerunt autem spinas. Neque is in causa est, qui benefecit vineæ: *Veni* enim, inquit, *incidere hominem aduersus patrem suum, & nurum aduersus socrum suam.* Isti sermones rebus ipsis firmantur. Quanti enim ex his qui hic nunc conuenerunt, habent eorum quæ dicuntur experimentum. Est enim pater increpans filios ob credulitatem, & filij monentes patres ad fidem, & filiæ docentes matres. Si enim & ex ipsa natura omnes, sed non ex eodem proposito. Denique & ex conspersione vna pollinis, quædam quidem quæ in fermento sunt dissoluuntur, quædam autem quæ fermentata sunt continentur, & carnes aliter tenentur quæ salem habent, aliter quæ sine sale corrumpuntur. Nam etsi ipsa natura sit carnis, non tamen ipsa permixtio. Aliud vinum est sine aqua, & aliud cum aqua. Et figulorum ad permixtiones diuersitas habetur, & in rosis habetur diuersitas, in colore scilicet & odore: & in fructibus est

Matth. 10.35.

H varietas, & magnitudinis, & coloris, & gustus, & tactus: & vinum ex vite est omne, sed gustus diuersi, & oleæ fructus varificantur. Sed horum omnium varietas, & animalium, & eorum qui ex ipsa sunt specie: equus enim equo velocior, & non tantum, quantum homo homini: nullus enim equus currit retrorsum, homines autem quidam sunt religiosi, quidam sacrilegi, alij pudici, alij luxuriosi, alij diripiunt aliena, alij spargunt sua, alij stuprantur non suas mulieres, alij ne quidem suas contingunt. Non enim tanta diuersitas est terræ, quanta varietas animarum: ille enim martyr existit, alius persequitur; & natura quidem ipsa est, voluntas autem aduersa. Inde est vt ille quidem ad Ecclesiam currat manicans, alius ad lapides offendat exurgens ad lumen. Inde est vt ille lætetur, quod est pudicus, aliud gaudeat quod in libidinibus volutatur. Inde est vt ille in foro vendat & distrahatur, alius ad Ecclesiam veniens semetipsum lucretur. Inde est vt ille aliena colat, alius sibi parcat.

Inde

A Inde est vt ille lapides ædificet, alius virtutes superponat. Inde est vt ille corpus detergat, alius animam perdat. Ista est non pax, sed dissensio, quia alius aliter sentit, & alius aliter sapit. Nec enim cùm ortum hoc sensibile fuerit lumen, omnes similiter suscipiunt. Sed illi quidem qui sanos habent oculos, & occurrunt, & attendunt, & fruuntur: qui autem infirmantur oculis, corrigunt se, & vitant, & fugiunt. Nam & latronibus onerosum est lumen, & furibus non dilectum, & adulteris odiosum. Denique & ea quæ repunt fugiunt; ortum est enim lumen, & qui sunt ebrij non libenter accipiunt, quia vrget eos lumen exsurgere. Sunt sanè & quædam animalia versipelliones & belluæ, & quæcunque istius generis habentur, quæ in totum non sustinent luminis radios. Sunt autem & hominum multi versipelliones, & versipellionibus peiores, viperæ magis quàm homines, amari, inuidi, malitiosi, quos omnes fugat lumen cùm fuerit ortum. Iterum autem sermo recurrit ad ipsum certamen, his quæ heri sunt dicta. Iterum enim propositus
B est Dominus Iesus, & proposita sunt alia multa. Pater litigans, mater contradicens, soror increpans, frater exprobrans, serui exurgentes, ancillæ exaggerantes. Vnusquisque enim suam voluntatem ante salutem filiorum præponens, trahit ad suum propositum ignorans proditionem. Certamina ergo pro Christo nobis sunt, Christus tantum lucrum est, ille enim venit ad Ecclesiam, alius distrahit & emit oblitus Christi, ille audit Christum per Euangelia loquentem, alius & adest pedibus, & mente foras vagatur. Ille patri donat perditionem suam, alius matri consentit vt non Deo quod conuenit restituat. Ad multos igitur conuenit iurgari, vt multæ efficiantur coronæ. Ad diabolum quippe & milites eius: multi autem sunt & isti. Vrgetur sanè & pater & mater, & fratres, & cognati, & amici, & serui, & ancillæ; ex multis enim tristitia est, ideò vt & tanta habeatur lætitia, & addantur nuptiæ, & promissiones opum mortales, sed nec mortuæ: quæ enim nunquam vixerunt, ne quidem mortua
C vocentur, sed alia peiori nuncupatione. *Sed in his omnibus*, inquit Apostolus, *superuincimus propter eum, qui nos super dilexit.* Et si quis Apostoli imitator est, qui enim imitatur eum, imitatur Christum, transit ab imitatione ad principalem. Iurgentur omnia vt coronemur, in omnibus sit iurgium ad pulchritudinem, ad possessiones, ad diuitias, ad cognatos, ad patrem, ad matrem, ad fratres, ad seruos; & vicini impugnatores existant: sufficit enim caritas vnius vt superet omnia. Ego autem & miserabiles puto, qui non sunt experti istiusmodi turbelas propter Dominum Iesum. Illis autem congratulor qui habent in mente & conscientia sua dicere, Ecce Dominum propter te inimicus est mihi pater meus, expugnatrix mater, frater insistit, serui contristantur, ancillæ iurgantur, & nullus horum mihi vt inimicus est propter tuam dilectionem. Siquidem & in bellis milites quantas plagas ob amorem regis accipiunt; nonnunquam enim & gaudentes ostendunt & sanguinum fluxus, & plagarum cicatrices, per quæ experimenta fulgent amores, qui ad regem sunt habiti. Et certè quærat vnusquisque, & pigeat vnumquemque, vt alius acceptus sit. Ille quidem ita
D proposuit, alius aliter alacer fuit. Vt dinumerem singula, quid enim & habeo dinumerare propter eum? Quis enim me exosum habuit propter Christum? Quis me castigauit propter eum? Quis me pater abdicauit? Quæ mater aduersa mihi est? Quis frater aduersum me exurrexit? O miserabilitas eorum qui non habent ista! Alius autem diues & spissus in opibus, lætus est mente, quia à ciuitatibus & nationibus decantatur, quia theatrum est factus, & Angelis, & hominibus. Dignus enim est qui desideratur, & quia increpatur & oditur, quia inimici hominis domestici eius; & quia abscisus est ab eo pater, & non consentit mater, quia noctibus expugnatur, & per dies coronatur, mihi & meis visceribus & ossis bella quæ pro Christo sunt. Et vnde mihi hoc supra dignitatem est meam, vt vel iniuriam pro Christo sustineam. Cruci autem figi & inuerso capite, Petri magis est quàm aliorum hominum. Ebrietate opùs est & feruore, ebrie-

E tate non à vino, sed ea quæ ob amorem est Christi. Qui enim amant, nihil vident nisi eum quem diligunt. Nesciunt quia est alius in terra: vbi enim thesaurus fuerit mentis, illic & anima habetur, alia autem mortua sunt ei. Si increpas, nonne eum qui audit? Si castigas, nonne eum qui sentit? Qui Christi enim sunt crucifixi habentur. Quid sine causa laboras? mortuus si torqueatur non sentit, etiam si increpaueris non audit: mortuus enim est. Timet autem ne quis malam vitam ducat: mortui enim sumus. Nam & qui mortuis sepultis mensas apponunt & escas, delirant. Si igitur mensas apponere mortuis deliramentum est, & comminari mortuos irrisio est: & certè adueniant & minæ, acuantur gladij, & exercitus & leges, & ciuitatibus appareat Iesu Christi Domini virtus, & amor est flamma. Audite igitur qui Domini Iesu participes mysteriorum estis: audite Christum cultores eius. Quid dicit lumen verum, quid loquitur via, quid clamat ianua, quid vo-
F ciferatur vita? *Qui diligit*, inquit, *patrem aut matrem super me, non est me dignus.* Et non sufficit hoc. Iterum Matth. 10.37.
enim dicit, *Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Ista est vocatio eorum qui militare desiderant in Christum. Si quis igitur paratus est crucifigi, veniat; si quis lacet est ad mortem, si quis potest ad gladium, si quis ad flammam, si quis ad ignem, si quis ad exercitus, si quis ad concupiscentias, si quis ad libidines, si quis ad iram, si quis ad indignationem, si quis ad opes & diuitias, & possessiones & ædificia & mercaturas, & ad principatus & potestates, ad visibiles & inuisibiles inimicos, ad spiritus nequam, ad carnem, ad cogitatum animæ, ad nocturnas ambitiones, ad motus meridianos, ad iuuentutis feruorem, ad impetum, ad famem & sitim, ad homines, ad languores, ad sanitates, ad diuitias. Per hæc enim omnia vincitur desiderium, magis autem desiderium neque vincitur, neque deflectitur, sed per ista omnia vincit, & iterum abundans in prædicatione est. Non enim tacet verbum,
G verbum Deus, non tamen vox verbum, quia nec Ioannes, qui vocatus est vox, vox erat, sed Ioannes. Quid autem dicit qui venit saluare? *Qui inuenit animam suam perdet eam.* Fortè obscurum tibi videtur quod dictum Matth. 10.39.
est: quia enim non habes sacramentum, neque omnes omnia intelligimus, neque omnes ab omnibus mouemur, ideo putas obscura, *Qui inuenit animam suam perdet eam*, hoc est, qui vult inuenire perder. Quomodo? Quæ inuentio est, & quæ amissio? De ipsa eademque anima qui martyrium patitur, tollit hominibus, Deo autem inuenit. *Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.* Interpretatione non indiget sermo, Matth. 10.39.
qui desiderat, iam audiuit. Ego autem compatior nostræ naturæ, qui ita sumus egeni, vt non possimus inuicem nostro debito dare aliquid. Quid autem & possumus retribuere Christo Domino? Animam quam creauit, corpus quod figurauit, pudicitiam per quam beneficium tribuit, martyrium per quod sanctificat, iustitiam per quam honorat. Quæ videmur ei reddere, magis accipimus. Adueniat igitur flamma ad medullas,
H penetret ignis ad viscera, & accendatur anima ad martyrium, ad confessionem, ad pudicitiam, ad iustitiam, ad misericordiam, ad ieiunia, vt & diabolus superetur, & dæmones destruantur, & homo pro Christo saluetur, & semper gratias agat Deo patri per vnigenitum eius filium, per quem est ei gloria, honor, imperium, maiestas, cum Spiritu sancto, & nunc, & semper, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Rom. 8.37.
Ibid. 38.

A E

EVSEBII PAMPHILI
De mandato Domini quod ait, quod dico vobis in aure, supra tecta prædicate.

LIBER VII.

VErba hæc quæ lecta sunt Domini martyres produxerunt ad passionem: per hos enim sermones flammam in eorum præcordiis accenderunt. Per istam doctrinam erexit eos, vt contemnerent præsentia, expectarent autem futura. Per istam eruditionem armauit eos ad mortem. Vtitur autem & hoc ordine seruans officium: præcedit autem passionem martyrum constantia: qui enim non prædicat nec teuebitur; qui non cum fiducia fuerit locutus, nec tristabitur, sed præcedit constantia passionem. Cùm enim anima de aduentu Dei sat habuerit, aderit enim Deus in anima, quæ dum capiet omnia, non potest desiderium tacere suum, sed sentit quod habet, quodque non habet, qui sese fraudauerunt à bono. Ille autem qui amator Dei est constitutus, & humanitatem seruat, statim propter Deum quidem lætatur, propter humanitatem autem non tacet, homines autem beneficium non ferentes, ignorant quis inhabitat in loquente, non ferunt sanè nec constantiam. Sed sicut Iudæi Stephano primo inter homines martyre Christi loquente obstruxerunt aures suas, ne ingrederetur Deus; ita & nonnulli hominum: quia enim constantia antecedit passionem, vnde deberet istinc & incipit Dominus,
Math. 10.27. qui producit martyres ad passionem. Dicit enim, *Quod dico vobis in tenebris, in lumine dicite, & quod in aure audistis, in tectis prædicate.* Assumite, inquit, constantiam, exeant verba vestra vsque ad terminos terræ: ne taceatis id de quo ipsi certi estis effecti. Nolite abscondere talentum, mittite pecunias in mensis: exigam enim mea ad salutem illorum qui fuerint operati. Sed dicet quis: si bonum est in lumine dicere, cur ipse in tenebris est locutus? Et si bonum est supra tecta prædicare, cur ipse in aure locutus est? Si enim ipse de semetipso dicere frau... is vtique quæ iam dixêre Iudæi, tu de temetipso testificaris, & testimonium tuum non est verum. Ne igitur ipse videretur honorem sibi vendicare, & non veritatis causa loqui, & ne præuenirent statutam à patre passionem Iudæi qui omnia sunt ausi, ipse quidem opportunè tacet, discipulis autem loqui ea & clamare præcepit; non timens quippe, hoc enim ignorantium hominum est dignitatem Domini Iesu, sed dispensans, vt ipse quidem taceat in tempore, loquatur autem in tempore. Neque enim per omnia tacuit Dominus, ne putarentur aliena aliqua à se dicere discipuli; neque semper locutus est, ne putaretur quod de se ipso testatur. Quid enim erat necesse & Ioanne præcursore? *Ego*, inquit, *non*
Ioan. 5. 34. & 36. *ab homine accipio testimonium meum, sed habeo testimonium maius à Ioanne.* Non enim quæro inquit, quemadmodum ego suadear, sed quomodo vos non sitis religiosi; siquidem non lucerna debet testari de sole, sed sol firmare lucernam. Et ne quis miretur, putas obscuriores effici lucernas ex aduentu solis. Non enim quod putamus hoc & prouenit, sed hoc quod non intuemur superat, lumen enim minus à maiori lumine, non minus dulcibus immissum minuit dulcedinem eorum: neque cùm stellæ non parent tanquam obscuratæ à lumine non videntur, sed in pelago luminis positæ, discretionem non præbent. Non indigebat igitur sol iustitiæ lucerna ad
Math. 3.14. testimonium; dicit enim Ioannes, *Ego à te debeo baptizari*, sed indigebat quidem ille qui lucerna erat ardens: lucerna immissum habet lumen, non tamen ab intus efficientiam sicut sol. Vos, inquit, modicè voluistis gloriari in lumine lucernæ, vobis lucerna est vtilis: illi autem ita erant cæci, vt ne quidem lucernæ viderent viam, neque in lumine ambularent rectè. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine*; hoc est, abscon sa quæ dicuntur clamate: *Et quod in aure audistis, prædicate in tectis*, assumite constantiæ fiduciam. Assumamus & nos constantiam. Sed quid est quod insequitur? Timemus ad insequentem suspicionem, sed ait Dominus, *Nolite timere.* Non igitur timeamus cùm interficimur: ipse enim Dominus dicit. *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Diuisit timorem & hominibus quidem dedit potestatem aduersum corpus, habent enim: Deo autem coniunxit virtutem, timore timorem eiiciens, & maiori metu, quod erat minus, repercussit. Si enim, inquit, timere oportet, non hominem; maior enim est Deus, sed pœnam mortis aduersum corpus times: *Timete magis*, inquit, *eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*, hominibus enim potestas aduersum corpus, & hoc semel, est data: Deo autem potestas est & aduersum corpus quod figurauit, & aduersum animam quam creauit, & perdere non simpliciter, sed in gehenna. Maior enim timor est gehennæ, quàm mortis. Cur maior? quia duplex est perditio, animæ & corporis: simplex autem & corporalis, quæ in morte habetur. Primo enim & si diuidatur periculum, & homines quidem corpus, Deus autem & animam. Neque ita æqualis est timor, sed quantum anima honorabilior est, tantùm & maior timor est à timore. Quia enim & corpus aduersum quod homines habent potestatem comprehensum est, & hoc in manibus Dei est, & anima quam homines etiamsi vellent occidere non possent, & vtraque hæc non ad mortem, sed ad gehennam dicuntur abire. Multiplicatus igitur timor est, & multitudine & magnitudine; ideò ergo timor timorem vincit. Sed dices: Quemadmodum possibile est perire animam in gehenna? Si enim perit, corrumpitur eius immortalitas. Quemadmodum autem & corpus? Si enim vermes illic & stridor dentium habetur, non solùm anima immortalis non perit, sed nec corpus; induitur enim immortalitatem & corpus. Si hæc quidem quærunt, intenti esse debent ad sermonis virtutem, quia quod nunc ait perdere, pro eo vt dicat punire acceptum est; si enim periret, non esset in gehenna. Gehenna enim viuentium pœna est, non tamen interemptio perditorum. Quia enim perditionem timebant qui mortem hominum pertimescebant, ideò ipso timoris sermone vtitur Dominus, & dicit, *Timete autem eum qui potest & animam & corpus perdere in gehenna.* Neque enim conuertitur anima ad mortalitatem, sine pœnitentia enim sunt Dei dona. Neque iterum resurrectionis promissione infringitur, sed sicut per Adam omnes morimur, ita & per Dominum nostrum Christum omnes resurgimus. Communem enim istam mortem Adam introduxit ob peccatum: erexit autem is qui assumpsit Adam ad resurrectionem. Ille enim qui de terra est introduxit mortem, qui autem desursum venit, introduxit resurrectionem. Et resurrectio quidem communis est omnibus, hæreditas autem eorum qui ex viaticis aliquid proferunt suis. Præcesserat igitur aduentus, sed repercussit eum timor, solutus est timor à timore. Necessaria autem erat & adhortatio. Quæ adhortatio? Dicit Dominus, *Nonne duo* Math. 10.29.
passeres? Duo & non multi: & passeres & non maiores aues *vno assario distrahuntur*, neque vno assario vnus passer, vt quod minus est, ex pretio ostenderet. Quæ enim pretiosa sunt in distractione vnum & vnum venditur, & ampliore pretio: quæcumque autem friuola aut olera habentur, multa simul assario venundantur. Volens ergo friuolas passeres ostendere, Assario, inquit, vno, duo passeres distrahuntur. Accepit quod erat minimum, vt hortaretur eos qui in honore habebantur. *Et vnus ex ipsis*, ait, *non cadit in terram sine patre vestro qui est in cælis.* Si igitur passeres qui paruo pretio distrahuntur, vmbræ, vt ita dicam, & necdum carnes non capiuntur, neque accipiuntur: non dixit sine Deo, sed sine patre vestro, inquit, vt propositio paternæ dilectionis protenderet defensionem, & radicaret adhortationem. Ita & in alio

loco

loco adhortans frugalitatem, & cupiens superfluas subleuare solicitudines, ait, *Si fœnum agri quod hodie est, & crastino in clibanum mittitur, Deus ita vestit, quanto magis vos modicæ fidei.* A minimis admonet eos, qui meliori sunt dignitate: ita & nunc quia nullius pretij sunt passeres, quantum ad comparationem hominum, paruo autem pretio, vt nullius pretij distrahuntur, cupiens nos admonere dignitatem nostram, producit constantes fieri debere. *Nonne duo*, inquit, *passeres assario distrahuntur, & vnum ex ipsis*, non duo simul, sed vnum ex ipsis *non cadit in terram.* Propter volatum ait, pro eo vt diceret, non capietur, sine patre vestro. Si igitur quorum non est pater, nec minimum proditur sine ipso, multo magis vobis, quorum est pater, præbebit defensionem. *Vestri autem*, inquit, *& capilli capitis numerati sunt.* Timor de anima erat aut de corpore; Sed de anima, inquit, nolite timere: non poterunt enim, ait, ne quidem qui voluerint, occidere animam. Sed de corpore timetis? Nec de capillis capitis vestri timere debetis; numerati sunt. Si
B igitur neque de anima, neque de corpore timere oportet, quantum ad nos spectat, ablatus est timor: *Vestri enim*, inquit, *& capilli capitis numerati sunt.* Num nostri tantùm capilli? Sabulum enim maris latet scientiam Dei? aut enim semina fœni aut pennæ passerum ignorantur? Quantum enim ad sermonem spectat, videtur dicere, quia vestros etiam capillos nouit Deus. Alia autem quæ putantur contemptibilia esse non contemnit, sed habet scientiam omnium. Nam & illud quod dicitur in scripturis, *Omnia ei nota sunt:* non friuolè quippe, neque cum labore, aut cum dolore, sed inenarrabiliter omnia præuenit scientia. Quid ergo est quod accepit dicens, *Vestri autem & capilli capitis numerati sunt*: quia prouisor est vestri vsque ad capillos. Si igitur animam iam armauit immortalitate, carnem autem ex eo quòd prouideat & defendat vsque ad capillos, quid relinquitur ad timorem, quid ad timorem relinquitur, vt hominibus casus, vtpote opum, diuitiarum, amicorum, parentum, propinquorum, patriæ ipse affectus. Inde est vt di-
C cat, *Qui diligit patrem aut matrem supra me, non est me dignus.* Tria enim ista sunt quæ circa nos, & in nobis & nostra sunt: quod enim sumus, anima sumus. Si quis autem & semetipsum agnoscit intentiùs, & veluti in secundo loco nos corpus sumus. Tria ergò sunt quæ in nobis sunt. Quæ autem circa nos, possessiones, amici, parentes, & patria. Sed de anima nullus timor est, quia immortalis est. De corpore ablatus est timor, quia & capilli numerati sunt. De his autem quæ extrà sunt, dicit Dominus, *Si quis reliquerit propter me & regna cælorum, patrem, aut matrem; aut fratres, aut filios, aut vxorem, aut cognatos, aut domum, habebit & in hoc mundo centuplum, in futuro autem vitam æternam.* Ergo nulla occasio derelicta est timori. De anima enim timere non debes timorem insensatum, ne puteris mortalem dicere immortalem. Sed de corpore times, possunt enim occidere; defendit vsque ad capillos qui creauit. Sed amicitiam quæris, & patrem, & matrem, esto memor eius qui
D ait, *Qui diligit patrem aut matrem supra me, non est me dignus.* Sed diuitias, & quæ his sunt similia desideras. Quicumque reliquerit patrem aut matrem, aut domum, aut quæcumque sunt supra terram, propter me & regna cœlorum, centuplum habebit: Sicut hi qui seminant in bonam terram, in isto quidem sæculo centuplum, in futuro autem vitam æternam. Nolite ergo timere. Si enim vnus passer non cadit in terram sine patre vestro qui est in cœlis; multis autem passeribus vos meliores estis, non habet locum timor. Quia igitur interemit timorem, reperit constantiæ fiduciam cum confessione, & dicit, *Omnis quicumque me confessus fuerit ante homines, isti enim sunt qui persecuntur, confitebor & ego eum ante patrem meum qui est in cœlis.* Et primo quidem intercipit timorem, secundo autem immittit spem; Quicunque me confessus fuerit ante homines, confitebor & ego eum: puta quia hominibus conueniens est Deum confiteri, Deum homines quomodo conuenit confiteri? De hominibus vt non dicat ad eos, *Recedite à me, nescio vos*; sed vt magis dicat ad eos, *Venite benedicti patris mei.* Intueris abnegationem filij de hominibus, & confessionem Dei de hominibus? Num possibile est ei dicere nescio patrem. Scit quippe & homines, & hos peccatores ignorat: additamentum enim hoc solutionem quæstionis præbet; quia enim peccatores ignoti sunt, non quia ignorantur, sed quia non ab eo confitentur: eos enim qui malæ sunt vitæ nescit, sciens eos qui sint. Si enim computarentur inter viuos mali, non venisset diluuium sub Noë: & alios quidem connumerauit quos saluat, quos autem nescit, perdit vt purget terram. Non ergo debuit eis parcere, qui antè sibi parcere noluerunt. Quid enim defuit illic ad patientiam Dei? Nonne præconem pœnitentiæ constituit eis Noë per annos centum, quantum autem ad suam promissionem per cxx? Nonne arca fiebat, ipso opere ad pœnitentiam hortans homines, aut modicum erat vas, quod posset etiam sub recto fabricari? Nonne tantæ quidem altitudinis, tantæ autem longitudinis & latitudinis secundùm mensuram? Fabricabatur autem arca vt tuba maxima, iam diluuium prædicans futurum, & ante diluuium pœnitentiam clamans. Si igitur cxx annis reuocati à malitiis non sunt suasi, ipsi vim fecerunt vt supra eos diluuium adueniret, qui suaderi noluerint. Sed Sodomam euertit Deus, quia priùs Sodomitæ naturam suam corruperant. Et certè nequidem istic despexit Deus, sed passus est Loth ob contentionem pastorum ab Abraham separari. Forte autem & continentiæ sales misit ad Sodomam Loth, vt eius iustitia continerentur vt à sale, & non corrumperentur. Illi autem & sales calcauerunt, & dixerunt ad eum qui insalabat, habitare venisti, non tamen & iudicium iudicare. Et hæc dicentes iustum aduersum se iudicium excitâtunt, qui non fuere contenti aduersus homines indignis, sed & insanierunt aduersus ipsos sanctos Angelos, qui venerant vindicare iniuriam hominum ab eisdem admissam. Sed neque Noë despexit Deus in diluuio; numerati enim erant eius capilli: neque Loth apud Sodomam. Alij autem Deum non tamen homines offenderunt, quia immutauerunt humanam naturam. Non est ergo increpandum Deo, quia nec si tauri occiduntur ad vsum; neque quia oues & columbæ; verificatum enim est omne hoc, & abundantia est multa, & alia aliis necessaria sunt, & alia aliter creata sunt. Sicut igitur pro tauris qui occiduntur ad vsum non increpatur Deus, & certè tauri non peccant, neque est irreligiositas in tauris, non solùm non est increpandum de peremptione irreligiosorum, sed & mirandum. Debet enim laudari Deus, quia terram aquis abluit à spurcitiis habitantium: debet probari, quia per ignem conflauit nostram naturam, vt euocaretur nostra legitima. Ita nescit Deus quos non vult nosse; ita ignorauit eos qui sub Noë; ita nesciuit eos qui sub Loth, & eos qui negauerunt eum ante homines, de quibus & dicit, *Quicumque me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui est in cœlis.* Negant autem Christum non solùm hi qui in persecutione negant, siquidem nec qui confitentur in persecutionibus ipsi soli sunt qui confitentur; sed descendamus ad negotia & fugiamus irreligiositatem. Qui sunt ergo qui negant filium, & vbi, & in quibus aduertamus. Cùm quis ingreditur ciuitatem Gentilium, & religione exposcente fronti imponere signaculum crucis confusus fuerit, qui ingreditur suam glorificationem, & virtutem crucis in fronte non ostenderit, iste etiam sine tormento negabit & sacrificabit. Quis autem & alius negabit Christum? Cùm aliquis vocatus fuerit ad cœnam Gentilium, & perrexerit, necdum enim hoc est prohibitum; vinum autem viderit à cœnante in terram effundi & libari, & accenso blasphemio ab his qui ea quæ sunt Domini ingratè manducant, cœperint blasphemare in Deum, ille autem vt Herodes propter discumbentes fuerit confusus & tacuerit, non ponens ante oculos suos Christum, negat profectò quem non respondens confitetur. Et ideò dicit Dominus, *Quicumque negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum ante patrem meum qui est in cœlis.* Negat enim eum omnis quicumque audierit blasphemantes

Margin notes (left column): Math. 6.30 (partly cut off); Matth. 10.30 (partly cut off); Matth. 10.37 (partly cut off); Matth. 19.29 (partly cut off); Matth. 10.32.; Matth. 25.12.
Margin notes (right column): E; Matth. 25.34.; F; G; Matth. 10.32.; H; Matth. 10.32.

A blasphemantes & tacuerit: negat omnis quicumque audierit crucem, & deposuerit oculum suum erubescens qui dicunt, ad quos dicunt à parentibus accepit, tanquam propellentes à se bonum, & vt in malam hæreditatem incidentes; qui occurrunt quibusdam venientibus ad Ecclesiam, & trepidant pedibus, quia & mente, qui occultant ieiunium tanquam ad opprobrium; qui confunduntur exire ad martyres, quia audierunt quosdam dicentes sibi, debuerant adiuuare martyres Christi: qui nolunt irrideri ab hominibus, sustinentes vtpote illud quod ait propheta, *Qui habitat in cœlis irridebit eos.* (Psal.2.4.) Semper persecutio est, semper inuisibile bellum habetur, semper coronæ, semper abnegatio. Vultis videre certamina religiositatis? Nonnunquam efferbuit quis ira aduersum subditum sibi; rememoratus autem Domini, deposuit acerbitatem: peius enim est feruori incensæ iræ resistere, quàm flammæ ignis quæ à foris habetur. Quia igitur martyr est, qui propter Deum ad exteriorem flammam resistit; martyr & valde martyr, qui

B extinguit interius incendium inuidiæ propter Dominum Iesum; nonnunquam enim videtur aliquid bonum, aut malum, & exsurgit inuidia, & nemo videt; latent enim quæ intus sunt. Quia autem testatur Deus aduersum inuidiam ad illum respiciens, sicut Ioses non vidente Domino qui erat in terra, ad inuisibilem respexit, & mercedem propositi sumpsit. Iterum qui refrænat inuidiam martyr existit, & qui alacritate iudicauerit malè de fratre loqui, & meatum vsque ad linguam protulerit, os autem suum propter Dei timorem non aperuerit, iste inuisibiliter confitetur Deum. Et cui licitum est fraudare & non fraudat, & cui licitum est furari coniugium alienum, & parcit in omnibus his quæ oculus sensibilis non videt, inuisibilis autem intuetur, martyria & confessiones habentur. Negant autem reipsa & opere illi, quos cùm tenuerit concupiscentia, & post hæc venerit scripturæ memoria, quia est Deus qui videt & iudicat, &

C quia est æqui iudicij; concupiscentia autem cœnosa turpi meatu iurgetur, & incipiat suggerere & dicere, Quando erit iudicium, quando futurum est; num hoc pertinet ad Deum? Iste reliquit cœlum, & ea quæ circa me sunt videt. Suggerit enim talia concupiscentia. Qui igitur consentiunt his, negant Deum. Quid autem hi qui periurant? Non enim tantùm peccant in homine quem spernunt, quantum in Deum quem contemnunt, qui enim iuramentum contemnit, Deum negat. Vnde & parcens nobis saluator, de aliis quidem mandat, quantum & deberet mandare. Ad iuramentum veniens ob facilem linguæ lapsum, non dixit, verè iurate, sed in totum ait, *iurare nolite*, ne fortè lingua assuefacta verè iurare ob facilem lapsum sui oberrans periclitaretur, & irreligiositatem incurreret. Certamina igitur quotidiana sunt ista, quæ per dies ac noctes sunt nobis: pulchritudo enim proposita est mulieris, & effulgens effigies Iesu. Et ille quidem deorsum inspexit & petit: alius autem sursum respexit, & assumptus, vbi enim cor, illic & oculus habetur. Propositum est sanè

D & aurum & Iesus, & non est quidem propositio æqualis. Quid autem, quia nec æquali vtimur, sed decliuiores efficimur ad minora, & adeò fraudamur ob ea quæ non viuunt. In vnoquoque igitur istiusmodi actu certamina sunt posita, & certamina domestica, quia ab intus mulier videtur, & pulchritudo ex concupiscentia exardescit, & nox prouocat & ambitio delectat, & sermo hortatur, & lis & colluctatio ex rixa efficitur, & non aduersus sanguinem quippe & carnem, sed aduersum inuisibiles inimicos inuisibiliter & in his omnibus certamina sunt & agones. Cùm ieiunium & esca proponitur, cùm sitis & ieiunium, cùm pudicitia & libido, cùm Ecclesia & theatra, cùm dies Domini & dies dæmoniorum, cùm affectus ad homines, & caritas ad Deum. Et in his omnibus quidam quidem negant, quidam autem confitentur, & vnusquisque sibi procurat bonum aut malum; iudicium aut requiem, gehennam, aut regna cœlorum. Quid autem hi qui sortiuntur, qui ad vates idolorum pergunt? Isti occultè sacrificant idolis, & negant Deum. Quid hi qui credunt, quia à

E stellis ei mala proueniunt, & fatum esse fatentur? Quid hi qui auspicantur? qui dies & voces & passus vitantes custodiunt? Aut non plenæ sunt his omnes maximè mulieres obseruantes talia. Quis locutus est? Quis per nares spiritum protulit? Quis motus est? Quæ auis volauit, & vnde, aut quomodo, aut qualiter? Quis vlulauit? Canes debemus recludere tales, ne procedant è domibus. Fieri enim non potest, vt non aliquid tale occurrat. Vosmetipsos probate, & videbitis quoties ad istiusmodi certastis auspicia, quoties mota est concupiscentia, sed & memoria Dei; & erat certamen, & contentio, & cursus. Et sicut in palestris alius aliquando superior efficitur alio, & aliquando inferior iacet, & in ipsa colluctatione frequenter conuersio est facta, ita & sensus sæpius cum concupiscentia luctatus est in lectulis, in foro, in domo, in theatris, in lupanaribus. Et hæc facit quæ & oculis videmus visibiliter

F tenuit concupiscentia, & pepulit sensum, & occidit cogitatus, & superposuit se concupiscentia. Iterum autem vim faciens sensus correctus est, & superbior factus est, superauit desiderium libidinosum, horum omnium experimentum apud vos est. Scitis enim quoties ad concupiscentiam, quoties ad libidinem illecti estis, quoties ad auaritiam, quoties ad fraudem, quoties ad iram, quoties ad indignationem: decliuis enim caro ad ista est vitia, & ipsius carnis meatus. Vincit autem hæc cogitatus colluctans per spiritum. Ita nonnunquam videmus pauperem, & misericordia quidem flectit, auaritia autem reuocat, & volumus agnoscentes cùm egenus est, misereri; id autem quod alienum est non sinit. Ita certamen est maximum in istiusmodi actibus: de Deo enim & mammona certamen habetur, quia & Dominus ipse dicit, *Nemo potest duobus dominis seruire*; (Matth. 6.24.) & opponit mammonam animæ in Deo viuenti; non quia commutatione aliqua, sed quia efficitur id quod fieri non deberet. Ergo martyres efficiamur Dei, & non parum putemus quod ait, *Confi-*

G *tebor & ego eum coram patre meo qui est in cœlis.* (Matth. 10.32.) Ista enim quæ hic sunt, nobiscum non pergent; si autem vadunt, conuincatur sermo; verùm istic manent; quæ autem ex ipsis sunt peccata, nobiscum & ante nos pergunt. Quid ad damna properamus? Venimus in hanc vitam; vtamur lumine. Quid autem præbet lumen his qui habent oculos? discretionem vtique negotiorum. Si quid igitur honestum est, cum festinatione petatur: non enim vt decipiamus vos præsidemus, non vt pauperes vos faciamus monemus, sed diuites potiùs in regno cœlorum: non vt deiiciamus corpus vestrum ieiuniis, sed vt induamus vos immortalitate: non vt occidamus in martyrio, sed vt non eatis in gehennam corpore & anima. Non sumus igitur inimici vestri; non enim vt fraudemus vos patribus & amicis hæc loquimur, sed vt non excidatis à Deo patre, lucremini autem vosmetipsos: hoc enim solum est lucrum, alia autem omnia dispendium obumbratum. Vbi est hester-

H nus dies, vt sis solicitus de hodierno? vbi sunt quæ heri in ventrem missa sunt, vt iterum præpares multa: figura est præsens sæculum, & non veritas, vmbræ volantes sunt, Quid velocius sole in quo mensuratur vita? Euigilate iusti & nolite peccare. Peccatum autem efficitur ob ignorantiam Dei. Si enim agnitus fuerit Deus qui omnia intuetur, repercutitur omne peccatum. Deo enim præsente & vidente quis velit furari? Qui autem furatur, priùs irreligiositatem admittit, & ita nocet. Si enim cogitasset Caïn quia videt Deus, nunquam occidisset Abel, quem & abnegauit fratrem. Si vidisset Eua & Adam Deum, non vidissent arborem. Nunquid possumus in duas facies simul visum intendere nostrum? Sed non suscipit oculus. Non possumus ergo in Deum & in mulierem simul videre: sicut enim nemo potest duobus dominis seruire; ita nemo potest duos vultus simul inspicere. Tantùm proponatur ante oculos Deus, & omnia in tranquillitate sunt; sed nec labore est opus, sufficit enim qui adest. Qui respicit

ad

A ad Deum, primum quidem habet adiutorium à præsente: posthæc autem & possibilem sibi imitationem & timorem boni, & in tutela est, & non accedit peccatum in isto. Vnum ex his opus est, vt credatur quia est Deus, & adest, & videt, & scrutatur, & nihil est quod eum possit latere; & omnia facilia erunt. Si autem subduxeris fundamentum, nihil stabit ex his quæ superposita sunt. Si quis ergo irreligioso proposito subduxerit Deum, iam vt sine lumine agens vbique offendit. Sed nos fratres ad Deum viuentem, ad eum qui est, qui fecit omnia, qui saluat vniuersa conuertamur; alia enim *omnia vanitas vanitatum sunt*: sapiens enim erat, qui hæc proclamauerat, Et omnia vanitas, & vnum est verum. Non igitur sine causa erogemus nostram vitam; erit enim tempus cùm quæremus dies hos, in quibus Deo debuimus viuere. Ipse autem qui bonus est Deus, omnium vestrûm erigat animas ad agnitionem suam, cui est per vnigenitum suum
B filium, gloria, honor, imperium, maiestas cum Spiritu sancto, & nunc, & semper, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Eccles. 1.



EVSEBII PAMPHILI de Operibus bonis, & malis.

LIBER VIII.

MVLTORVM hominum vita in terra est posita; edacitatibus enim, & libidinibus & concupiscentiis grauati neque respicere sursum ad Deum possunt quia nolunt, neque opera eius videre, neque ex operibus opificem agnoscere: vbi enim decliuis fue-
C rit anima, illuc, vt ita dicam, & efficitur quod desiderat. Sicut enim ea quæ ab igne calefiunt, efficiuntur, vt ita dicam, ignis; & quæ odoratis iuncta fuerint, efficiuntur odorata; & quæ contrariis contraria: Ita & anima vbi decliuis extiterit, ad hoc deducitur & natura. Tingitur enim alacritatibus, & similis motionibus efficitur suis, & dignitatem vtpote naturæ non saluans, in malis efficitur mala: si autem ad ea quæ supra se sunt respexerit, sursum effecta, constituitur ad ea quæ & desiderauit: multorum enim conuersatio non hominum, sed pecorum est, nihil enim aliud cogitant, nisi vt manducent aut bibant, aut rapiant, aut fraudentur; in his enim & viuunt, si tamen & vitam istam oportet iam dici: non sufficientes enim malis his quæ à foris sunt, iam & carnem suam contaminare student, sic gaudent enim in malis, vt inimici sibi; & cùm deberent lugere, quia non benè viuunt, lætantur in malis, & tristantur in bonis, duplicem vtpote cæcitatem habentes, & quod
D malorum non intelligunt malitiam, & quod bonorum non assumunt fruitionem; concurrunt enim aduersum se, & sibi contraria operantur. Plurimi enim nonnunquam procedunt læti, quia ventrem repleuerunt suum, & mente exierunt suâ, & beatum diem dicunt in quo non vixerunt. Vita enim hominum ista est vt ratione vtantur, quia & rationabiles habentur. Cùm autem obtutus fuerit sensus, transiit sine causa dies, & non debet computari in vita, in quo sensus non respexit ad superna. Vtinam autem neque ad vitam, neque ad malam videret. Aliud est enim otiosum esse à malo, & bono, & esse tanquam dormientem aut mortuum; & aliud bono quidem mori, malo autem viuere. Et neque natura hominis suadet eos, neque scriptura, & errant; neque præsentia, neque futura suadent. Quædam enim reprehensionem præbent, quædam autem propter spem sursum adducunt; videmus enim & morientes; videmus & sepultos & non sepultos, & eos qui deflent, & dolent, & lamentantur, verè ita sumus vt non videntes eos. Ita enim putamus vitam esse eam, quæ non est vita: nam & manducantes lædimur, & iterum desideramus. Qui libidinibus corpus maculant & animæ nocent, non recedunt à noxa, sed & accedunt, vt aucupes malorum, multum vigilantes per noctem malè: aut enim ambitionibus inquietantur; aut à concupiscentiis alliciuntur, aut à cogitationibus malis excitantur. Si autem & oportet cogitatus vocari, & meditata per noctem festinat procedere, vt ea quæ per noctem cogitarunt admittant tanquam ignorantes, quia qui facit malum, amplius habet malum, quàm is qui à se patitur malum. Sicut enim ignis alia quidem comburit, in semetipso autem ardorem incendij primus habet: ita & malitia primùm possidentibus nocet. Denique & diabolus non cùm nocet tunc solum & malus est: sed quia proposuit nocere, habet malitiam & antequam efficiat: Et maligno sufficit malitia sua. Si quidem & ægrotans etiamsi non castigetur, tamen habet malum languorem: ita & qui languet animâ, etiamsi non missus fuerit in
F gehennam, tamen procurat sibi malum. Quis autem & exhortatur? Tantum est enim malum malum, cuius tentamenta gehennam parant. Et cùm hæc ita sint, nos tamen vt inimici proprij ita videmur viuere. Ille enim lætatur, quia mentitus latuit, alius gaudet quia prouenit ei decipere. Et auaritia lucrum putata est cùm sit damnum, & libido voluptas cùm sit luctus his qui sapiunt benè. Et conuersa sunt nobis omnia, quia circumscriptus à nobis est cogitatus. Et certè cogit & contendit sensus vt non eiiciatur à possessione sua. Nam etsi vnusquisque nostrûm obruatur à passionibus vitiorum, tamen ad alia sensus dignitatem suam vindicans apparet; vt puta non video mea mala, sed aliena mala irascens, consentio interiori hominis legi vtpote Dei. Et quia anima naturâ magis iuncta est bonis, quia odit malos & laudat bonos, duplex testimonium habet ad vtrumque & malorum & bonorum. Duplex ideò, quia odit etiam ipsa, non commodum suum amat: & ex hoc ostendit, quia non dele-
G ctatur natura eius ad malum. Si igitur anima, vt ostensum est, ad bonum procliuior est, cur non in suis manet? propter placibilitatem quippe sui, sibi enim placere tenebræ sunt animæ, sed quæ apud homines putantur placida, contrariam habent virtutem. Odium enim & non placibilitas est. Si enim verè amemus, non contraria quæ nunc nobis donamus donaremus. Non ebrietatem quippe, sed ieiunium: non theatra, sed Ecclesiam: non lapides, sed Deum: non lites, sed pacem: non homicidium, sed tutelam salutis: non fornicationem, sed pudicitiam. Si enim nosmetipsos amaremus, verè donaremus nobis bona. Quia enim odimus, donamus & procuramus nobis mala. Sed sicut matres, ita & mens habetur: Quæcumque enim matres parcent suis filiis, non mittentes eos ad studia, ad vtilitatem quippe dum videntur donare, nocent: ita & nos per cæcitatem mentis putantes aliquid nobis donare, decipimus nos & nocemus. Et certè incurrunt nobis & adueniunt nonnunquam &
H vestigia bonorum, & gustamus aliquoties & nos delectationem ex pudicitia. Si autem & voluerimus perseuerare in gustu, & comparare, quantum vehementior est suauitas ex pudicitia, quàm ea, quæ à libidine venit. Suauitas enim ex pudicitia sine pœnitentia est, immaculata est, immutabilis, munda, pura, sancta, & nomine, & opere, & actibus. Ex libidine autem suaue, turpe, absconditum, sine fiducia contaminatum, turbidum & corpore & anima, cũ timore, cum turbela, cum sanguine, cũ tremore suaue est. Quemadmodum ergo suaue? Si quis autem suauiter delectari cupit, verè secundùm Apostoli vocem habet viam. Suaue est enim si liberetur quis à confusione, à turbela, à suspicione. Isti enim oculus non lætus est, sed sapientia gaudens, & visus, & purus, & mundus. Vbi autem conscientia fuerit, circumspicit oculus ne quis videat, sitit cor, propter ea quæ suspicatur, & in plurimis tutela est, & non est iste suauitatis gustus. Quid enim suáve est in ira? & certè contendimus & iræ aduersum nos donare. Quid suaue est in inuidia? Tabescunt enim & ossa, & mens, & medulla inuidentium. Sed si apparerent passiones cùm fierent, non essent

A essent passiones. Sicut enim dolens oculus non vidit, & in quantum dolet, tantum & à visione impeditur: ita & anima quæ passiones incurrit, non intuetur ignominiam suam, siquidem nec ebrius sentit cùm irridetur. Euigilate igitur & resipiscite, confundimini quia ab aliis ediscitis. Quicunque enim post passionem percusserunt cor pœnitentes, liberati sunt. Si autem non percusserunt, necdum liberati ab ebrietate sunt. Sed allicimur visu ad pulchritudinem vultuum. Quid cœlo est melius quid? Melius est credere Deo dicenti, *Respicite in altum Deum oculis vestris, & videte quis condidit omnia ista.* Quid ita pulchrum in oculo est mulieris, quantum sol habet in fulgoribus suis: quid ita floret in fronte mortali, quantum in omni cœlo splendet quod videtur? quia & aliis varietas vestigium allicit vt stellæ. Sed fortè si essent in medio, vt ad comparationem dico, alimoniæ diuersæ, & si possibile esset & artium pulchritudines poni, adunarentur autem & omnia animalia, & proponeretur lectio, statim
B porci ad stercus currerent, mures ad alia istiusmodi conuenientia sibi & amica, asini autem, & alia quæ ita tarda sunt animalia, illa quidem fœnum peterent, alia ad ea quæ consueverunt se iungerent. Homo autem dignitatem hominis saluans ad artes curreret, & ad spectacula artium properaret. Si quis autem esset homo verè & hominis saluans sensum, despiciens & deridens relinqueret vtique sollicitudinem propositam; respiceret autem sursum ad cœlum, & videret quæ in cœlo & superior cœlo habentur, non oculis sed mente, & non pateretur deorsum in cœno volutari, sed quid faciemus? Deus superior cœlo est & vbique. Mortalia autem circa latus alliciunt, & neque dicentes, neque audientes excitamur à somno, sed sicut cera aut plumbum infusum auribus nostris obturat sermonis ingressum, & clamamus sine causa, trahunt enim quæ attrahunt non cum vi, siquidem nec pisces à laqueis cum vi trahuntur quandiu & capiuntur: neque diabolus vim
C facit hominibus, sed hortatur. Non enim scriptum est, quia accepit diabolus manum mulieris, & decerpsit de arbore fructum, & vi in eius ore imposuit, sed scriptum est, quia mulier suasa protendit manum ad arborem, & os aperiens suum, immitit fructum; vtinam autem fuisset vis, vis enim non procurat mortem, sed dat vt ignoscatur. Sed quemadmodum scriptum est videamus, vt edoceri possimus quantum potest diabolus. Amicitiam finxit, ostendit pulchritudinem, suasit, promisit, ideò quia vim facere non valebat. Et nunc multi suadent sibi quia trahuntur à quibusdam. Illi enim qui foris sunt, fortè autem aliqui & ex his qui intus sunt, putant se à stellis attrahi, malum malè curantes. Et cùm deberent suam malitiam confiteri, aliud maius malum præcedenti malo supraponunt. Creaturam quippe propriis malis contaminantes, aliud autem cùm superati à concupiscentiis fuerint, remiserint autem fœnum cogitatus sui, putant infirmitate frequenter se
D vinci, & non suo proposito negligenti. Si quis autem vult naturam agnoscere non his quæ præscribit agnoscat. quia nec debet accusari regalis nummus ab adultero. Illam fortitudinem naturæ & cogitatum videat cùm concupiscentia hortatur, cùm libido rogat, & nox occasionem præbet, quomodo cogitatus è contra obstruit, quia & in passionibus martyrum manus quidem radunt, oculi autem minantur, & dentes dum stridunt terrent, & tyranni, & gladij, & ignis & mille species mortis apponuntur, & cogitatus non flectitur. Sed alius victus est, sed non à victis debent agmines militares iudicari. Ille enim qui victus est, ordinis aciem dimisit, ab his autem qui superant, debent agnosci agmines militares. Quia nec à cæcis, oculus iudicatur: neque à surdis, auris: neque ab ægrotantibus, natura: nec ab infructuosis arboribus culpa naturæ debet adscribi, quia nec mortui homines, homines sunt, nec in viuis irreligiosi & impij, neque assumpta delectatio libidinosis reputatur. Hæc enim est noxa. Et vtinam expediret aliquid sermo, vt & iterum fieret. Quia enim

E nonnunquam putantur sermones contrarij ob spectationem fructus afferre, sicut Deus Israël culpans dicit: *Sustinui vt faceret vuam, fecit autem spinas*, exhortatio quædam efficitur ad docendum, eo quòd non fructificant verba. Siquidem & illic dicit Deus, *Omnia quæcumque debui facere feci vineæ meæ.* Quia enim contrarios expectationi attulit fructus, ait, subducam imbrem ab ea, vt quid enim pluuias ei vineæ in qua non exsurgunt fructus? Et alia, inquit, omnia quæcunque feci ad fructificationem eius, quædam quidem auferam, quædam autem euertam, vt non custoditæ spinæ & imbre rigatæ florescant, aut ex negotiis aut ex scripturis discamus religiositatem. A negotiis quidem videamus mortalia vt mortalia, transeuntia vt transeuntia, non vides honesta aut inhonesta, vel à negotiis & à litteris vide. Deus propter misericordiam sui scribit homines inobedientes esse non debere. Putas fatigantur quidam esse pudici? Non mirum au- Esa. 5 4.
F tem si libidinosi non satiati iam cessant. Si enim his qui benè currunt labor est, his qui malè currunt cur satietas non habetur? Fatigatur quis faciens benè, malè autem faciens non satiatur? Equus in cursu efficitur sudans, & malus currens putas non fatigatur in sudore? Non enim tantùm exprimit cursus equum, quantum eos qui malitia vtuntur. Cessate à malitiis vestris, & iterum odientes malum iungimini bono. Non prodest malitia malo. Malum enim est, etiamsi sentiamus aut non sentiamus. Magis autem sentientibus simplex est, non sentientibus autem duplex. Respicite in altum oculis vestris, & videte quis constituit omnia ista. O bonæ adhortationis visio, vbi sunt oculi? ô bonæ adhortationis sensus? vbi sensus, vbi cogitatus. Quid reprehendisti illa? quid agnouisti in istis? vbi annotinus cursus, vt perseueres in præsenti anno in cœno te voluens? vbi sunt quæ manducasti ante istum diem, vt festines & hodie? quem fructum à libidine accepisti, vt iterum ad ipsam iniuriam curras? Si au-
G tem nos hortari vestra obedientia vultis, ostendite ipso opere fructus sermonis. Nunc autem & vos adhortamini, sed tempus non permittit. Deus autem liberet vos ab omni malitia, & repleat vos suis bonis, vt afferatis fructum in centesimo & sexagesimo & trigesimo numero, per Christum eius, per quem est Deo patri gloria, honor, imperium, maiestas, cum Spiritu sancto, & nunc & semper, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.



EVSEBII PAMPHILI De Operibus bonis ex Epistola Pauli ad Corinthios secunda.

H

LIBER IX.

RESVRRECTIONEM Domini & regressum eius ad cœlos ipsis oculis videntes Apostoli, dubitationem, quam ante passionem habebant, deposuerunt, & omnem incredulitatem à se pepulerunt. Ipso enim visu sibi satisfacientes quia resurrexit & assumptus ad cœlos est Dominus, alij pro aliis effecti noscuntur. Petrus enim pro iuramentis & abnegationibus præco mundi effectus est. Visio enim eum firmissimam petram effecit, ita vt in eum & Ecclesia ædificaretur, & ipse martyr existeret Christi. Thomas quoque, qui & post resurrectionem antequam experimentum acciperet dubius erat, quia misit digitos suos in foraminibus clauorum, & sibimet ipsi satis fecit, Dominum eum & Deum confessus est. Erat enim incredibile Deum aduenisse in corpore, & hominem videri cælestem, erat non credendum, quia ex virgine erat natiuitas eius,

A secundùm carnem. Istius enim conscientiæ satisfactionem sola habebat quæ pepererat virgo. Necdum autem natura testabatur, neque mater habebat aliquid tale in semetipsa, neque de his quæ deorsum, sed omnia erant incredibilia. Gratia enim erat inenarrabilis, & indulgentia incredibilis. Alia enim erant quæ videbantur, qui enim videbatur verè & hominem ostendebat. Nihil enim differebat ab alio homine quantum ad visum: quia continebat virtutem quantum ad eum qui videbatur. Et xxx. totis anuis non fecerat signum, vt primò suaderet nobis quia carnem assumpsit, & concederet carni proficere in ætate, & non de se suspicari quod & suspicauère quidam hæretici: & ista dispensatione facta præbebat & hoc incredulitatem. Nihil enim ampliùs putabatur esse, quàm is qui videbatur. Nam & ad baptismum Ioannis veniebat, baptismum autem non erat simplex. Pœnitentiæ enim erat baptismum, quodque adhuc magis hominem ostendebat, quàm eum qui occultabatur in homine. Erant igitur ista impedi-
B menta fidei quæ videbantur, quæ fiebant, esca, somnus, prouectio ætatis, in terra deambulatio. Si autem vellet & mater dicere, quia virgo manens eum enixa sum, vnius mulieris contra naturam testimonium minus valeret, & maximè apud Iudæos. His igitur tantis impedimentis constitutis ad fidem, arduum erat suscipi prædicationem & maximè quia qui videbatur non erat qui & dicebatur: prædicationem præbebat nihil suscipi debere quæ videbantur, credere autem quia in principio erat verbum, & verbum erat viuens, & Deus erat verbum, hæc ad illa quæ inspiciebantur nullam videbantur habere consensionem. Quemadmodum ergo id quod incredibile est, efficitur credibile, ipse dicit Do-
Ioan. 10.37. minus. *Si opera non facio quæ nullus alius facit, nolite credere mihi.* Sicut enim quod videbatur dabat fidem quia homo erat, ita dum operaretur præbebat agnitionem quia Deus. Dormiebat, describebatur homo, suscitans autem mortuos ostendebat Deum. Non enim
C somnus quidem suggerebat hominis naturam, resurrectio autem mortuorum non ostendebat Deum viuum ex viuente Deo. Neque manducans quidem exhibebat hominem, ex paucis enim panibus pascens millia hominum non exhibebat Deum. Neque naui quidem nauigare ostendebat hominem, in summis autem fluctibus ambulare, non ostendebat Deum maris. Sed sicut humanæ naturæ formabatur vt diceretur homo, ita diuinitatis eius opera abscondebant & hominem. Sed admirabilia quidem quæ ante passionem suam faciebat, ostendebant quia diuinæ virtutis esset aduentus: de resurrectione autem eius signa quæ præcesserant, non omnibus exhibebant virtutem & fidem resurrectionis eius, sed opus erat aliis signis quæ ea firmarent, quia non solùm præsens antequam pateretur operatus est mirabilia, sed quia & mortuos suscitauit, & ipse resurgens mirificatur. Vbi ergo ista sunt mirabilia quæ post resurrectionem erant facienda? Neque enim semetipsum mundo ostendit, neque Iudæis. Si igitur non ostendit
D semetipsum, quomodo potest quis dicere, quia faciens mirabilia credibilem fecit resurrectionem suam? Iudæis enim semetipsum non demonstrauit, ne duplex ab eis irreligiositas tentaretur. Sed non poterant nolente Deo, & non concedente vnigenito, secundò eum affigere cruci, si quidem nec primam audaciam perfecissent, nisi pater concessisset, & filius permisisset. Sed interim alacritas mala duplex habuisset malitiæ fructum, siue enim affigerent iterum, siue non affigerent, vellent autem, interim ipsi duplicem haberent iniquitatem. Erat autem & quod fiebat secundò superfluum; semel enim reconditum erat vt dispensatio compleretur. Siquidem nec possibile erat post resurrectionem corpus quod iam immortalitatem fuerat adeptum, iterum incurrere mortem. Sed sicut animam nullus potest occidere quia est immortalis: ita & corpus cùm indutum fuerit immortalitate, istam habet post resurrectionem promissionem. Quod enim immortale indulgentia factum est, non potest iam interemptionem

E ab hominibus pati. Iudæis igitur post resurrectionem non se ostendere Dominum, parcentis est Iudæis. Qui enim Hierosolymam defleuit procurrere duplicia mala, non facere autem signa, aut modicum quid discipulis ostendere, vt puta piscium subitò multitudinem captam, aut aliud aliquid tale, non erat ostentationis tempus, neque semetipsum ostendentis. Neque enim cùm faceret ante passionem mirabilia Dominus, ostentans se faciebat, qui etiam mandabat curatis ne dicerent alicui quæ passi fuissent benè. Conseruabat enim dignitatem resurrectionis & regressionis suæ ad patrem, & aduentus Spiritus sancti. Quid enim magis suadebat discipulos eius si ipse faceret signa, aut si & ipsis præberet virtutem facere maiora quàm ipse faciebat? Ipsum enim facere signa, vtputa eiicere dæmonia à corporibus possessis, suspectum à Iudæis est, quia in Beelzebub hoc facit. Cupiens autem arguere quia Dei opera principi dæmoniorum adscribunt Iudæi, & maximè ea quæ aduersum ipsum principem dæmonio- F
rum, & eius exercitum fiebant, adduxit in medium de discipulis suis, & dixit. *Si ego in Beelzebub eiicio* Luc. 11.19.
dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? hoc est isti mei discipuli qui ex vobis sunt in quo eiiciunt? Quia igitur ea quæ ab ipso fiebant propter malitiam suscipientium aliis dabant suspiciones, discipulis suis omnia conseruabat, vt præcones resurrectionis mortuos suscitantes, cæcos facientes videre, claudis donantes ambulare, & leprosos emundantes, sermonum dignitatem per mirabilia ostenderent. Quid enim ita poterat Lazarus post quatuor dies resurgens à mortuis præbere ad fidem his qui viderant, quàm vt & ipsi discipuli cùm alios suscitarent per semetipsos mortuos præbebant? Et quid tale ad fidem valuit, vt dominus non edoctus litteras legeret, quantum Petrus non edoctus linguam vllam, fortè ne quidem & patriam, benè omni loqueretur lingua, & omnem audiret? Vnde & Lazaro resurgente, & aliis aliquantis mortuis suscitatis, multis etiam cæcis videntibus, sed & illo qui ita fuerat natus recipiente visum, imò accipiente, emundatis etiam plurimis leprosis, & sanatis millibus hominum, negabat Petrus & iurabat ne quidem vt hominem se scire. Quia autem venit Spiritus sanctus missus à filio, & coëffecit intus sanctificans virtus, alius pro alio factus Petrus, & iam spiritu baptizatus, non solùm non negat ad vocem puellæ, sed & omni populo resistit: & qui anteà se abscondebat, nunc cum fiducia ad terminos vsque terræ prædicat, & docet vniuersos. Ita aduentus Spiritus sancti, qui ingressus est in discipulos, & effecit, resurrectionem Domini & assumptionem visam prædicauit, & eius virtutem annuntiauit. Cùm enim coëffecit spiritus, transmutatus est Petrus, totus clamat iam non negans, sed prædicans saluatorem. Stephanus autem & ipse silet ad lapides, & Dominum annuntiat, quem ad dexteram patris stantem conspexerat, & alius aliud eloquebatur, & sine solatio erant negotia Iudæorum. Sicut enim in diluuio interim quidem Noë non credebatur dum faceret arcam, H
cùm autem subito totum cœlum emitteret fluuios, terra autem eructaret aquas, & inde arctaretur incredulitas, & de cœlo, & de terra ab aquis vt præfocaretur: ita & per Apostolos Iudæi angustiabantur non credentes, & admirabilia indignantes, videntes enim isti nequidem mortuos suscitatos ab Apostolo exurgentes, per alium claudos ambulantes, per alterum alia signa completa, & per alium & alium linguas audientes plurimas, arctati meatibus istiusmodi signorum quæ de sursum Apostolis fuerant donata, eadem quæ in terra videntes mirabilia, qui ausi fuerant magistrum affigere cruci, incerti erant quid facerent discipulis eius. Qua igitur de causa sub præsentia quidem Domini, & Apostoli dubitantes, fuerit aliquoties, oblatos sibi non potuisse curare, post resurrectionem autem & maiora quàm Dominus fecit signa, fecère discipuli; sub eius enim præsentia ideò nihil facere potuerunt, quia oportebat ampliora signa ad satisfactionem resurrectionis seruari.

A Si enim anticipantes sub præsentia Domini fecissent, quæ post resurrectionem eius fecisse videntur, habebant & ista destruere Iudæi, quantum ad ipsos & aliis ea valere suspicionibus. Nunc autem non possunt. Sub præsentia enim Domini vnum dæmonem eiicere non poterant Apostoli, post resurrectionem autem eius, non solùm illi, sed & hi qui ab illis istius virtutis semen acceperunt eiiciunt. Si enim & dubia erant quæ ante passionem prædicabantur, protensionem habuit incredulitas maiorem post passionem. Incredulissimi enim Iudæi ponentes sibi scandalum in ipsa passione Domini dicebant. Si filius Dei est, descendat nunc de cruce. Si enim non descenderit, sed mortuus fuerit, inquiunt, mortua erit & virtus. Quia ergo passio protendit eorum incredulitatem, maiora autem signa efficiuntur per discipulos ad confirmationem aduentus eius, magis autem ad confirmationem incredibilis resurrectionis accipientes satisfactionem ex aduentu Spiritus sancti, & Apostoli fuerant vocati, statim operibus ipsis

B ostendebant quantum posset præsentia Spiritus sancti. Primò quidem quia dum essent multi vnum, erant spiritu & anima, quia vnus & idem erat spiritus, qui has efficientias diuidebat. Sicut enim lapides & lateres multi coniuncti & compositi in ædificium vnum & membra plura præcepto ædificantis in vnam compaginem adunantur, ita & Apostoli vno baptizati spiritu separationem multitudinis deposuerunt. Coniunctione autem spiritus arctati vnum erant omnes & spiritu, & anima, & consensione, & concordia. Et non solùm in his quæ ab intus sunt vnum, sed etiam & ab his quæ à foris sunt prædicabatur eorum anima & concordia. Quicumque enim, inquit, agros habebant aut alias opes, iam non sua putabant quæ aliquando erant sua, sed in commune proferentes, & ipsis operibus spem confirmantes distrahebant agros, venumdabant opes, distrahebant omnia quæ possidebant. Non enim insomnia erant regni spes, sed suspecta fuisset prædicatio, si regna quidem

C prædicarent cælestia, de his autem essent solliciti quæ in hac vita habentur, sed statim operibus formantes suasionem, vndique ad vnam concordiam confluebant. Apostoli quidem per mirabilia firmabant prædicationem, credentes autem ex eo quòd distrahebant sua, ex eo quòd omnia dabant præsentia, ex eo quòd omnia ad regna cœlorum transferebant, ante aduentum ipsius regni testabantur. His itaque gestis repetamus sensum, & videamus quis erat tunc apud Hierosolymam status, quæ turbela, quis feruor insanientium Iudæorum. Siquidem & filij à patribus recedentes sibilant ad fidem, & filiæ è finibus matrum ad fidem currebant Christi, & turbela erat apud infideles vbique. Ille enim irascebatur filio, quia sapientior patri suo apparuit, illa autem abiiciebat filium, quia matris incredulitas non consentiebat fidei, & frater minabatur fratri. Iam autem & Dominus seruo. Ignis enim ille quem misit Dominus IESVS, aliquos quidem tetigit, aliquos autem despe-

D xit, & impleuit turbela ciuitatem, vicos, regiones, & domos. Erat autem turbela quibusdam quidem ad bonum, quibusdam autem ad duplex malum. Illi enim qui figurabantur & persecutionem sustinebant, & cum lætitia omnia ob spem regni cælestis patiebantur, mala quæ putabantur in bonis sibi thesauris recondebant. Quicumque enim videbantur legem vindicare, Moyseæ legis sermones ignorantes, contraria legi operabantur. Per ea enim quæ gloriabantur, per ipsa & arguebantur. Erat igitur Iudæis ipsa veritas nox. Interfecerunt enim & obiurgarunt, & descendenti de cruce dixerunt ei, non descendit. Descendit autem ad inferos, & maiora est operatus. Si enim descendisset de cruce, poterant dicere, quia moriturus est in eo, cùm non esset mortuus. Malitiosè enim & Iudaicæ machinationis erat suspicari, vt etiam hæc fingerent & audirent. Nunc autem quia neque diabolo proponenti possibilia obediunt, neque eius filiis qui voluntate eius filij habebantur, præbuit quod locuti sunt. Cùm enim posset descendere, non descendit, ne intercideret dispensationis curam, neque

præberet Iudæis vt iisdem obedisse videretur. Quid enim E erat difficilius è cruce descendere Deum, aut ab inferis ascendere viuentem? Ergo non propter impossibilitatem excusatio extitit, sed propter dispensationem permissio morti fuit, vt maiora ostenderet quàm illi precati sunt. Ego autem libenter mente recurro ad illud cùm adhuc recens erat passio Christi, recens etiam & Iudæorum audacia. Petrus enim loquebatur non ea quæ ante passionem dicebat, & Apostoli testabantur, & Iudæi dolebant, & iam non habebant cui erogarent pecunias, vt resurrectio occultaretur, milites enim custodientes acceperant ista, sicut & proditor Iudas. Sciebant enim Iudæi aduersum se duplas dare pecunias. Dederunt & ad negandam resurrectionis fidem, sciunt quippe & dare malè, & accipere non benè. Siquidem & Ioseph distrahentes acceperunt non benè, & Dominum causa proditionis emerunt, & abnegatione resurrectionis aduersum se compararunt. In mala enim mercatoria meditati perditionem, sibi procurarunt perpe- F tuam. Sed ad Iudam quidem furem vim habebant pecuniæ, ad eum autem qui dicebat, pecunia & aurum non est mihi, nullam habebat malitia virtutem, sed angustabantur sacerdotes & populus, & turbela erat bonorum. Neque enim quem comprehenderunt iam habebant. Neque quem detinuerunt. Vndique enim spiritus scaturiens fonticabat. Et Petrus quidem istinc, aliunde alius, & alter ex illa parte, & qui necdum crediderat, initiabat clamare. Et illius quidem filius, alterius filia, alterius coniux. Et illius domus ipse pater familias & seruus & famula, vndique spiritus fructus scaturiebat suos. Non tantùm enim permittebat Iudæis visionem, quantum perditionem agnoscere. Hæc cùm ita fierent apud Iudæam, oportet enim ostendere nos vnde ad hos sumus conuersi sermones. Iam non erat possibile his qui crediderant Christo apud Iudæam pasci, siquidem si esset quis filius eiiciebatur è domo quia factus fuerat fidelis, si frater non habebat portionem hæredi- G tatis, quia iam habebat partem regni cælestis, & filiæ abdicabantur & serui emendabantur, sustinentes pœnas quia fideles. Hæc cùm ita agerentur, & iam non sufficerent fideles apud Iudæam pascere multitudinem credentium Christo, Apostoli prædicantes gentibus, complacuerunt & hoc donare fidelibus qui in gentibus habebantur, vt colligerent quasdam pecunias & opes & mitterent ad Iudæam credentibus Christo, vt eos quos abdicauerant parentes ob fidem, eos pascerent gentes necessaria destinantes, & colligebant pecunias qui ex gentibus, ob alimonias scilicet Sanctorum qui apud Hierosolymam morabantur. Et ista nunc pars est quæ hodie lecta in epistola Pauli videtur, non valde cara sicut facta sunt quæ antè prædicata sunt. Euangelizans igitur Apostolus Corinthios per aliorum sollicitudinem, eosque ad similem imitationem adhortans vt alacriter impertirent fidelibus qui apud Iudæam erant, quique abdicati à suis necessariis indigebant, ne vllas H promissiones Iudaicas aut hæreditates haberent. Ideò scribens ad eos Paulus ita dicit: *Notam autem vobis facio fratres gratiam Dei quæ data est in Ecclesiis Macedoniæ, quia in multo experimento tribulationis abundantia gaudij eorum & altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum.* Scribens Corinthiis probat Macedonas, quæ autem probatio? quia tribulati non cesserunt caritati. Qui enim non tribulatur, si subministrauerit, similis est illi qui dum manducat, ea quæ superauerit, donat. Qui autem adhuc esurit & comparitur è pane suo, ille est fratris amator, si quidem & sub Domino IESV, cùm quidam mitterent multa in templo ex his quæ habebant, vidua duo mittens minuta omnes superauit in donis. Et certè quid erant illa duo minuta quæ vidua misit? Quantum ad rem quidem satis parua: quantum ad alacritatem autem valde magna. Non enim ad id inspicere debemus quod datum est, sed si quid eidem derelictum est. Et ita admirabilis ille qui superat. Non quippe quærendum est, si modicum est quod à vidua datur, sed si aliquid

2 Cor. 8. 1.

A ei relictum est. Si enim facta fuerit comparatio de eis
quæ relicta sunt, inuenies diuites quidem nihil de-
disse, plura enim sunt quæ relicta sunt eis, viduam au-
tem totam substantiæ facultatem dedisse. Ergo ni-
hil magis est si quis habens donat, sed si quis non ha-
bet, vrget charitatem vt faciat. Ita & illa vidua,
quæ suscepit Heliam infamem à pugillo pollinis primi-
tias offerens Prophetæ, & ipsa pasta est, & plus cæteris
habuit. Ita & Macedones, qui iam multo experimento
tribulationis, quia enim multa erat apud illos tribulatio
inediarum. Incurrunt enim nunquam tales hominibus
tribulationes, altissima tribulatio summam charitatem
2.Cor. 8.2. ostendit, quia *in multo experimento*, inquit, *tribulationis*
abundantia gaudij eorum. Quantum enim ad opes spe-
ctat, tribulatio erat eis: quantum autem ad charitatem,
gaudium. Dare enim ex his quæ ipse non habet, &
cum gaudio dare, hæc est summa credulitas de cælesti-
bus regnis. Cupiens ergo ostendere Apostolus quanta
B eis erat angustia, & quantum gaudebant dantes ex eo
quod non habebant, in multo dicit experimento tri-
bulationis abundantia gaudij eorum, & altissima pauper-
tas eorum. Altissima paupertas radicitùs eos nihil habe-
re significat. *Abundauit*, inquit, *in diuitiis simplicitatis*
eorum. Multa probatio tribulationis, sed abundans in-
quit gaudium eorum, & altissima paupertas eorum, &
abundantia inquit diuitiarum simplicitatis eorum. Ab
aduersis accepit comparationem, ostendens quia multa
quidem tribulatio erat apud eos inediarum, non tanta
autem, quantum & gaudium. Et altissima quidem pau-
2.Cor. 8.3. pertas, sed diuitiæ simplicitatis, *quia secundùm vir-*
tutem testimonium perhibeo, & super vires. Hoc enim
est ex tribulatione, voluntarij fuerunt, non vim passi,
sed cum multa exhortatione, obsecrantes. Non solùm
enim à nobis non sunt obsecrati, sed & ipsi obsecrarunt.
2.Cor. 8.4. Sed *cum multa*, inquit, *exhortatione obsecrantes rogantes*
nos. Quia enim cum multa obsecratione dictum dubium
C videbatur, vtrum Macedones rogassent Apostolos susci-
pere ab ipsis quæ offerebant, aut Apostoli Macedonas,
vt sese panderent ad dandum, ideò dicit *cum multa ex-*
hortatione obsecrantes vos, offerentes gaudium & commu-
2.Cor. 8.5. *nionem ministerij quod fit in sanctos.* Non enim rogati
quis debet ad misericordiam, sed rogare potiùs vt com-
municet aliis, *& non sicut sperauimus.* Superarunt enim
& nostram expectationem. Quid ergo senserunt Apo-
stoli inopiam Macedonum, & pigebat eos dicere ali-
quid. Apostolis autem tacentibus non tacebant qui
obsecrabantur: *sed semetipsos*, inquit, *dederunt primo*
domino, dein & nobis per voluntatem Dei, hoc est donum
2.Cor. 8.6. Dei venit ad eos, hortans eos ad opera bona, *vt exhor-*
temur Titum, vt quemadmodum cœpit, ita & perficiat in
vos gratiam istam. Quid sibi vult vt exhortemur Titum?
Quia enim inquit vidimus Macedonum diuitias simpli-
citatis, vt non vinceremini in bonis, rogauimus Ti-
tum venire ad vos, & pares vos efficere ad Macedonas
& exhortari ne relinquamini à diuitiis gratiæ huius.
D *Et sicut in omni abundatis fide, & sermone, & scientia, &*
2.Cor. 8.7. *omni sollicitudine, & insuper vestra in nos charitate, vt &*
in hac gratia abundetis. In aliis inquit omnibus circum-
uenitis, vt non autem circumuenientes in aliis, dere-
linquamini in quibusdam, & exinamini, rogaui Titum,
2.Cor. 8.8. vt in omnibus primatum teneatis. *Non quasi imperans*
dico, sed propter aliorum sollicitudinem, hoc est Macedo-
num alienum, si secùdùm imperium fiunt, videbuntur ex
necessitate fieri, & non habent fructum, sed propter
aliorum sollicitudinem, *& vestræ charitatis ingenium pro-*
bamus; hoc est admonemus vos Macedonum charitatem,
vt audientes ad similem veniatis zelum. Quia ergo de
pecuniis propositio erat, & de operibus bonis, cupiens
eos docere Apostolus, quia nihil digni atque recepturi
estis. Et quia in his dominus prior cœpit, & debitum
2.Cor. 8.9. reddimus & non gratiam præseminamus dicit. *Scitis*
enim gratiam Domini nostri IESV CHRISTI, *quia pro-*
pter nos inops factus est cū diues esset. Quia enim de pecu-
niis dandis erat ei sermo, pigebat autē diuites aperiri, op-
posuit dominum, qui verè diues inops pro nobis factus
est, vt ad imitationem Dei suscitaret homines. *Scitis* E
enim, inquit, gratiam Domini nostri IESV CHRISTI, *quia*
propter nos inops factus est cùm esset diues, vt illius inopia
vos diuites essetis. Si hæc Deus propter homines, nec
æqualia, si tamen est aliquid æquale. Quis enim nostrûm
potest à Deo homo fieri? Ita enim fieret æquale, si tamen
& crux sequeretur tali natura. Et teneri enim & sputum
accipere, & illud & condemnari & mori, debitum qui-
dem tantùm poterat esse, hæc autem dimittens & suam
gloriam abscondens assumpsit nostram ignobilitatem.
nobiscum ambulans, nobiscum manducans, nobiscum
dormiens. Ex nobis sputatus, à nobis est tentus, à nobis
condemnatus, quantum ad naturam humanam. Profi-
ciat autem sermo ad cætera. Iniuriam passus est, cæsus
est, sputum accepit, illusus est, affixus est cruci, fel & ace-
tum bibit. Quid inuenietur in commutationem tantæ
gratiæ? Istam igitur gratiam nos admonens Apostolus
hortatur ad opera bona. *Scitis enim, inquit, gratiā Domini* 2.Cor. 8.9.
nostri IESV CHRISTI, *quia propter vos, & non propter* F
se inops factus est cùm esset diues, vt vos illius inopia diuites
essetis. Si hæc fecit magister, ista condiscant discipuli,
& consilium, inquit, *in isto do*, hoc est ad imitationem 2.Cor. 8.10.
Christi prouoco. *Hoc enim vobis est vtile.* Illud enim non
Christo erat vtile, *quique nō solùm facere, sed & velle cœ-*
pistis ab anno priore Facere non est maius aut velle. Ille
autem maius esse dicens velle quam facere, ita cum eis
loquitur per epistolam. Quid est ergo quod dicitur ad
eos, quos hortatur ad opera bona? Quia enim faciebant
quidem, non habebant autem è sua lectione vt vltrò fa-
cerent, hortatur eos vt vltrò proponerent, hoc est vt
non admonerentur, sed vt vltrò complerent. *Qui non so-* 2.Cor. 8.11.
lùm facere, inquit, *sed & velle cœpistis ab anno priore.*
Nunc verò & facto perficite, vt quemadmodum promptus
animus est voluntatis, ita & perficiatis ex eo quod habetis.
Præcedit promptus animus perfectionem. Qui enim no-
lebat dare sua, necessitatem non habebat compulsionis,
si quidem non exactio, sed admonitio erat, vt quemad-
modum promptus animus est voluntatis, ita & perficia-
tis ex eo quod habetis. Quod enim si promptus est qui- G
dem, non habeat autem, & defuit vt perficeret, non dere-
licta est eius voluntas; Quæritur enim non quis quid ha-
beat, sed quis quid velit. Quid autem si non habet quis,
descripserit autem sibi & dixerit, quia si possiderem tan-
tum, totum darem pauperibus, quantum ad alacritatem
quidem spectat, & possidet, & dedit. Omnis enim fru-
ctus in alacritate est positus. Nonnunquam enim qui
dant mercedem, non habent tanquam dederint, qui au-
tem proposuerunt, super dantes. Quid enim si dat ali-
quis & murmurat, quid si præbet, pigrior autem est. Quid
autem si non habet quis, vult tamen; vt quemadmodum
promptus est, inquit, animus voluntatis, ita & perficiatis
ex eo quod habetis. *Si enim alacritas proposita est, vt ex* 2.Cor. 8.12.
eo quod habet det, accepta est, tantùm promptus animus
sit, & cetera sequuntur non ex eo quod non habet.
Nemo enim, inquit, quærit quod non habes, sed ex eo
quod habes. Non enim hoc est, inquit, quod quæritur H
à nobis, vt vos quidem euacuemini, alij autem diten-
tur. *Non enim vt aliis refrigerium, vobis autem tribulatio* 2.Cor. 8.13.
sit, sed secundum æqualitatem, inquit, *in præsenti tempore.*
Non, inquit, hoc dico, date omnia quæ habetis, & vos
efficimini pauperes, & alios ditate. Sed quid aio? Qui
habet duas tunicas, habeat vnam, det autem non ha-
benti vnam, & fit æqualitas. *Sed ex æqualitate*, inquit, *in* 2.Cor. 8.14.
præsenti tempore. In præsenti, inquit, vita vestra abundat
ad illorum inopiam. Qui habet, inquit, duas tunicas,
vnam superfluam his qui nec vnam habent non fraudet,
vt vna tua superflua, non fit tibi inutilis, sed fiat alij vti-
lis. *Sed ex æqualitate in præsenti tempore vestra abundan-*
tia suppleat illorum inopiam, hoc est, abundat his qui ex
gentibus sunt, mittatur his qui sunt apud Iudæam, qui
propter Christum persecutionem sustinent, *vt & illorum*
abundantia, spiritus vtpote gratia fit ad vestræ inopiam
fidei, vt fiat æqualitas, vos ex his quæ habetis pecuniis,
illi ex quibus habent donis. Et illorum inopia replebitur
vestra abundantia, vestra autem inopia abundantia

A sit illorum vt fiat æqualitas, pecuniarum quidem à vobis in illos, donationum autem ab illis in vos, *sicut scriptum est. Qui multum non abundauit, & qui modicum non defuit illi.* Scriptum est, quia populus dum transisset mare, & esset in deserto, & neque seminaret, neque meteret, Deus reddens vicem patri eorum Abraham, pro mensa scilicet illa quæ susceptos Angelos pauit, pro pane quod Angelis apposuit panem Angelorum præbuit filiis Abrahæ, pro eo quod ipse Angelis panem hominum in susceptione apposuerat. Isto igitur fructu mannæ aduenientis de cœlo exibat populus colligens parata pro cursu Abrahæ & sudore. Colligentes autem vt Iudæi non sufficiebant in mensura quæ fuerant præcepta colligere, sed quidam ampliùs, alij minus colligebant mannæ, venientes autem vt mensurarent ad æqualitatem adducebantur inuiti. Qui enim plura collegerat, in mensura amplius non habebat, qui autem minus, nihil minuebatur cùm mensurarent. Istâ
B igitur comparatione opportunè vsus est Apostolus dicens, *sicut scriptum est. Qui multum non abundauit, & qui modicum non defuit illi.* Qui enim multum collegit mannæ non abundauit, mensurando enim ad æqualitatem venit. Et qui modicum collegit non defuit illi, dum mensuraretur enim, replebatur ei quod deerat. Ita & nunc fiat æqualitas ex manna isto fidei, & quibus abundant opes mittant his qui indigent, quibus autem abundat gratia, communicent his qui non habent gratiam. *Gratias autem Deo qui dedit eandem sollicitudinem pro vobis in corde Titi, quoniam exhortationem quidem suscepit, sed cùm sollicitior esset de vobis vltro profectus est ad vos.* Omnia vltro, Macedones vltro, Titus vltro. Efficimini, inquit, & vos vltro. Post hæc autem dicit & quem cum eodem miserit, & laudans eos testimoniis commendans quos miserat addit. *In hac gratia ministratur per nos in gloriam Dei, & sollicitudinem nostram.* In qua re sic nos arctauimus, ne quis nos vituperet in hac amplitudine quæ ministratur per nos. Quia enim
C colligere pecunias à fratribus acceptas videbatur malis suspicionem dare, dicit ideò quia sollicitiores eligentes misimus, quia circumspecti fuimus ne quis reprehenderet id quod fiebat, ne quis Iudas inuentus furaretur & vituperaret ministerium nostrum. *Prouidemus enim quæ bona sunt non tantùm coram Deo* qui nouit conscientiam, *sed & coram hominibus*, vt ne quis, inquit, occasionem acciperet vituperandi. Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probauimus in multis sæpè sollicitum esse. Statim enim qui dedisset pecunias poterat esse suspectus, quia qui accipit lucratur, & non perfert ad rem ad quæ dedit, & pigrior efficiebatur ad dandum. Ideò commendat eos qui missi sunt vt non destrueretur donantium alacritas. *Misimus autem*, ait, *cum illis fratrem nostrum quem probauimus in multis sæpè sollicitum esse, nunc autem sollicitiorem confidentia multa in vos siue pro Tito qui est socius meus & in vobis adiutor*, ad præsens ministerium, siue
D fratres nostri Apostoli Ecclesiarum gloriæ Christi. Ergo non vos pigeat ad ostentationem quæ sit caritas vestra & nostra gloria pro vobis. Præuenientes enim, inquit, gloriati sumus in illos, ostendentes in faciem Ecclesiarum, & homines quidem commendauit. De ipso autem negotio exhortans eos dicit. *Nam de ministerio quod fit in sanctos ipsos qui erant apud Hierosolymam, ex abundanti est mihi scribere vobis.* Cur ex abundanti? *Scio enim promptum animum vestrum.* Quem non solum scio, sed *& de quo glorior de vobis apud Macedonas, quia Achaia præparata est ab anno priore.* Et non dico quia secundum æmulationem Macedonum debetis vos adhortari, sed *æmulatio vestra prouocat plurimos.* Ergo nolite fieri secundi sed primi, habentes secundarios. Si igitur non est necesse scribere, quid mittis? *Misi autem fratres, ne in eo quòd gloriamur de vobis euacuetur in hac parte, vt quemadmodum dixeram parati sitis.* Dubitas enim? *ne si venerint*, inquit, *mecum Macedones, & inuenerint vos imparatos, confundamur nos*, quomodo nos? qui fuerit gloriatus, aut dicatur ita *vt non dicamus vos*

2.Cor. 8.15.
2.Cor. 8.16.
2.Cor. 8.19.
2.Cor. 8.21.
2.Cor. 9.1.2.
2.Cor. 9.3.

in substantia ista glorificationis dico. *Necessarium ergo existimaui rogare fratres vt pergant ad vos, & præparent ante promissam benedictionem non quasi auaritiam.* Qui enim dat, accipit magis, & qui videtur donare, benedicitur. Præparatam autem esse, inquit, ita vt benedictionem non quasi auaritiam. Ne quis putet, ait, auaritiam esse quod accipitur ad necessitatem Sanctorum. Hoc autem dico, quoniam *qui parcè seminat, parcè & metet, qui seminat benedictionem, benedictionem & metet, vnusquisque sicut proposuit corde, faciat.* Non enim virtute opus est, sed animo prompto. Quemadmodum ergo debet quis promptus esse, *non ex tristitia aut ex necessitate*, ne fiat fructus non fructus; intueris enim quia & plantæ cùm aduenerit tempus fructuum lætæ exsurgunt, & primo coronantur floribus & annuntiant suam lætitiam. *Non ex tristitia aut necessitate. Hilarem enim datorem diligit Deus.* Et post hæc oratione confirmat adhortationem. *Potens est autem Deus in omni gratia abundare in vos, vt vbique semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est, sparsit dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum.* Contestatus autem ex veteri Testamento opera bona, & ostendens maximam veniam habere, iterum ad benedictionem conuertitur, & dicit. *Qui autem administrat semen seminanti.* Putas quia non erat alia nuncupatio Dei, sed cupiens admonere quia ex his quæ dat ex ipsis & accipit, *qui subministrat*, inquit, *semen seminanti, & panem ad manducandum tribuet, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ*, hoc est impertiet, vnde & augebit, dixit, promptum animum vestrum, vt in omnibus locupletemini in omnem simplicitatem, quæ per nos perficit gratiarum actionem Deo. Vult significare quæ virtus est operis boni. Et ne putetis, inquit, quia hoc ipsum est solum vt reficiat esurientes dum pascit, sed qui facit, ad gloriam Dei facit, *quia administratio officij huius non solùm supplebit quæ desunt Sanctis*, facit enim & hoc, *sed & abundauit per multam gratiarum actionem Deo.* Qui enim suscipiunt, agnoscunt magnitudinem gratiæ. Quantæ enim pecuniæ fuerunt, tanta & agnosceretur multitudo credentium, agnoscitur his qui in Iudæa sunt, tanta transmittitur gratia ei qui vocauit, quia administratio officij huius non solùm suppleuit ea quæ desunt cunctis. Facit enim & hoc, sed etiam abundauit per multam gratiarum actionem Deo, non simpliciter per gratiam, sed per multam gratiam abundauit Deo. Quemadmodum per probationem, inquit, ministrationis huius magnificantes Deum obsequio confessionis vestræ. Videntes enim fructum agnoscunt quantum credideritis, per probationem ministerij huius magnificantes Deum obsequio confessionis vestræ in Euangelium Christi, & simplicitatem communicationis in illos, & ipsorum obsecratione pro vobis. Ergo tanti sunt fructus suas quidem pecunias mittentes, replentes sanctis quod deest, agnoscetur in vobis credentiùm multitudo & magnitudo gratiæ transmittitur digna Deo. Quia ergo tanti sunt fructus ab operibus bonis totum agnoscentes, ad totum vos & porrigite. Non solùm enim hoc erit, sed & gratia pro gratia. Accipientes enim illi, inquit, quæ ad victum sunt necessaria, & ipsorum oratio erit pro vobis ad Deum. Conuertentur enim ad deprecandum pro vobis Deum.

E F G H
2.Cor. 9.5.
2.Cor. 9.6.
2.Cor. 9.7.8.
2.Cor. 9.10.
2.Cor. 9.12.

A

IVVENCI PRESBYTERI Hispani Historia Euangelica, carmine descripta.

COMMENDATIO IVVENCI, & operum eius.

D. Hieronym. de Illustrib. viris.

IVVENCVS nobilissimi generis Hispanus, presbyter, quatuor Euangelia hexametris versibus ad verbum penè transferens, quatuor libros composuit: & nonnulla eodem metro ad Sacramentorum ordinem pertinentia. Floruit Constantio principe.

B

Idem in epistola ad Magnum vrbis oratorem.

Iuuencus presbyter sub Constantino historiam Domini Saluatoris versibus explicauit, nec pertimuit Euangelij maiestatem sub metri leges mittere.

Idem super Matthaeum.

Pulcherrimè munera sacramentorum Iuuencus presbyter vno versiculo comprehendit dicens: Aurum, thus, myrrham, regique hominique, Deoque Dona ferunt.

C

PETRVS CRINITVS DE VITA Iuuenci Hispani.

IVuencus poëta, natione Hispanus, familia insigni maximéque illustri natus est, vt ab Hieronymo traditur. Praecipuè floruit imperantibus Constantino & Constante: qua tempestate in eloquentia apud Latinos clari fuerunt Tiberinus, Nazarius, & Flauius Vopiscus, qui de gestis Romanorum principum libros composuit. Inter alia poëmata quae dicuntur ab eo edita, scripsit quatuor Euangelia hexametris versibus: qua in re maiori diligentia vsus est in seruanda rerum historia, quàm in demonstranda ingenij sui elegantia. Idem, Iuuencus aliquot hymnos fecit, quibus facilè indicauit se optimè meritum de religione Christiana. Neque dubium est fuisse illum inter sacerdotes Christianos, vt veteres Auctores testantur. D. Hieronymus alicubi repetit Iuuenci carmina, eúmque vt eruditum & elegantem poëtam commendat.

D

IOANNES TRITENHEYM Abbas Spanhemensis in libro de scriptoribus Ecclesiasticis.

IVuencus presbyter, natione Hispanus, vir nobilis, atque Doctissimus Philosophus, poëta, rhetor & theologus insignis, & non minus conuersatione quam scientia scripturarum, Ecclesiae venerabilis. Edidit pro aedificatione legentium tam metro quàm prosa multa praeclara volumina, sed pauca ad notitiam meam peruenerunt. Legi opus insigne quod hexametris versibus composuit de quatuor Euangeliis, libros quatuor. Immortale nihil mundi compage tenetur. De Sacramentis libros duos. Caetera quae composuisse dicitur, ad manus nostras non venerunt. Claruit sub Constantio Magno & filiis eius. Anno Domini CCC. XXX.

E

BAPTISTA MANTVANVS.

VOlo ante istorum oculos Iuuencum Hispanum statuere, quem inter illustres viros & in doctissimorum Christianorum catalogo Hieron. enumerat, vt accidat eis quod à Persio dicitur, Virtutem videant intabescantque relicta. Prodite ô Zoili nostri, videte virum sacris initiatum mysteriis, lauro coronatum, musis vndique cinctum, lyram tenentem: currite ad rarum hoc & grande spectaculum: sed cauete ne repentè culpetis, laudatur ab Hieronymo: hic igitur immensam Euangelicae legis maiestatem versibus includit heroïcis.

F

FRANCISCVS PETRARCHA in Bucolicorum suorum ecloga decima, quae Laurea occidens inscribitur.

—Tum pinea latè
Sylua virens dulcesque oleae, gremióque decorum
Clara fouens roseo puerum stat limine virgo.
Hac matrona fuit hortis, qua lecta remotis
Vimineis calathis templo aurea poma sacrauit.
Mira loquar quae supra fidem, sed carmina vidi
Hic hominis pariterque aquilae, bouis atque leonis.
Hispanum nostra modulantem voce Iuuencum.

EX BELLARMINO DE SCRIPTORIBVS Ecclesiasticis.

G

IVuencus Presbyter scripsit Constantino Imperante *libros 4. Carminum, quibus Euangelicam historiam complexus est.* Laudat hoc opus S. Hieronym. tum in lib. de Scriptorib. Eccles. tum in Epistol. ad Magnum, tum etiam in Commentario ad 7. Cap. Matthaei.

IVVENCI PRESBYTERI Hispani in Historiam Euangelicam Praefatio.

IMMORTALE nihil mundi compage tenetur, †
Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma,
Non mare, non tellus, non ignea sydera coeli.
Nam statuit Genitor rerum irreuocabile tempus,
Quo cunctum torrens rapiet flamma vltima mundum.
Sed tamen innumeros homines sublimia facta,
Et virtutis honos; in tempora longa frequentant,
Accumulant quorum famam laudesque poetae. H
Hos celsi cantus, Smyrnae de fonte fluentes:
Illos Minciadae celebrat dulcedo Maronis.
Nec minor ipsorum decurrit gloria vatum,
Quae manet aeternae similis, dum secla volabunt,
Et vertigo poli terras atque aequora circùm
Aethera sydereum iusto moderamine voluet.
Quòd si tam longam meruerunt carmina famam,
Quae veterum gestis hominum mendacia nectunt:
Nobis certa fides aeternae in secula laudis
Immortale decus tribuet, meritumque rependet.
Nam mihi carmen erunt Christi vitalia gesta,
Diuinum in populis falsi sine crimine donum.
Nec metus, vt mundi rapiant incendia secum
Hoc opus, hoc etenim forsan nec subtrahet igni,
Tunc cùm flammiuoma descender nube coruscans
Iudex, altithroni genitoris gloria Christus.
Ergo age, sanctificans adsit mihi carminis auctor
Spiritus, & puro mentem riget amne canentis
Dulcis Iordanis, vt Christo digna loquamur.

† Iuuenci, atque illud eius opus primum commendans S. Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis, & in epist. ad Magnum vrbis oratorem, & in com. ment. ad 2. cap. Matt. sed & S Gelasius I. in Conc. Romano ait: Iuuencer laboriosum opus non spernimus, sed miramur.

A

LIBER PRIMVS.

REx fuit Herodes Iudæa in gente cruentus,
Sub quo seruator Iusti, templique sacerdos
Zacharias, vicibus cui templum cura tueri
Digesto instabat lectorum ex ordine vatum.
Huius inhærebat thalamis dignissima coniux;
Cura iis ambobus parilis, moderaminis æqui,
Ambos annexos legis præcepta tenebant.
Nec fuit iis soboles, iam tunc vrgentibus annis,
Gratius vt donum iam desperantibus esset.
Sed cùm forte adytis atisque inferret odores
Zacharias, visus cœlo descendere aperto
Nuncius, & soli iussas perferre loquelas:
Cætera nam foribus plebes adstrata rogabat.
Quid tibi terribilis concussi corda pauore
Visus, cùm læti sermonis gratia placet:
B Nam me propitius rerum Pater vnicus alto
A cœli solio tibi nunc in verba venire
Præcipit, & chara tibi mox de coniuge natum
Promittit, grandis rerum cui gloria restat,
Plurima qui populis nascendo gaudia quæret,
Sobrius æternum, clausum quem Spiritus ipsis
Visceribus matris complebit lumine claro.
Istius hic partem populi pleramque docendo
Ad verum conuertet iter, Dominumque Deumque
Continuò primus noscet, plebemque nouabit,
Nomine Ioannem quem tu vocitare memento.
Olli confusa respondit mente sacerdos:
Æmula promissis obsistit talibus ætas,
Nec senibus soboles poterit contingere fessis,
Quam Deus auertens primæuo in flore negauit.
Hæc trepidans vates, cui talia nuncius infert:
Si tibi mortalis sobolem promitteret vllus,
Ad desperandum forsan cunctatio mentis
Debuerat tardis hærens insistere verbis:
C Nunc ego, quem Dominus cœli terræque creator
Ante suos vultus voluit patêre ministrum,
Auribus ingratis hominis visuque receptus,
Summi iussa Dei non contemnenda peregi.
Quare promissis manet irreuocabile donum:
Sed tibi claudetur rapidæ vox nuncia mentis,
Donec cuncta Dei firmentur munera vobis.
Hæc ait, & sese teneris immiscuit auris.
Interea populum miracula longa trahebant,
Quid tamen in templo vellet cessare sacerdos.
Egressus trepide, numen vidisse supernum
Nutibus edocuit, miseræ & dispendia vocis.
Inde domum rediit completo ex ordine vates
Officio, amissamque leuant promissa loquelam.
Nec dilata diu venerunt munera prolis,
Anxia sed ventris celabat gaudia coniux,
Donec quinque cauam complerent lumina lunam.
Tunc maiora dehinc idem mandata minister
Detulit, ad Mariæ demissus virginis aures.
Hæc desponsa suo per tempora certa propinquo,
D Abdita virgineis castè pubescere tectis,
Et seruare diem, iussis permissa parentum.
Ad quam tranquillum sermonem nuncius infit:
Salue, progenie terras iutura salubri,
Desine conspectu mentem turbare verendo.
Nam tua concipient cœlesti viscera iussu
Natum, quem regnare Deus per secula cuncta,
Et propriam credi sobolem gaudétque iubétque.
Huic, vbi sub lucem dederis, sit nomen IESVS.
Ad quem virgo dehinc pauido sic inchoat ore:
Nullos conceptus fieri sine coniuge dicunt,
Vnde igitur sobolem mihi nunc sperabo venire?
Nuncius hæc contrà celeri sermone profatur:
Virtus celsa Dei circumuolitabit obumbrans,
Spiritus & veniet purus, lectissima virgo,
Ac tibi mox puerum casto sermone iubebit
Magnificum gigni: populis quem credere sanctum,
Supremique Dei natum vocitare necesse est.
Sic cognata tibi sterilis quæ credita cunctis, E
Zachariæ coniux, mortali germine nuper
Æuo defessis auxit miracula membris.
Sextus adest mensis, parent sic omnia iussis.
Virgo dehinc: Domino famulam nunc ecce iubenti,
Vt tua verba sonant, cernis seruire paratam.
Nuncius abscedens, vacuis se condidit auris.
Illa dehinc rapidis Iudæam passibus vrbem
Zachariæque domum penetrat, grauidamque salutat
Elisabeth: clausæ cui protinus anxia prolis
Membra, vteri gremio motu maiore resultant:
Et simul exiliit mater concussa tremore,
Diuinæ vocis completa afflamine sancto,
Et magnum clamans: Felix ô fœmina salue,
Felicem gestans vteri sinuamine fœtum.
Vnde meam tanto voluit Deus æquus honore
Illustrare domum, quam mater numinis alti
Viseret? ecce meo gaudens in viscere proles
Exultat, Mariæ cùm prima affamina sensit. F
Felix, quæ confisa, fidem mox affore verbo,
Quod Deus ad famulos (magnum dignando) locutus.
Illa trahens animum per gaudia mixta pudore
Suppresso, vocis pauitantia dicta volutat.
Magnificas laudes animus, gratesque rependit
Immenso Domino mundi: vix gaudia tanta
Spiritus iste capit, quòd me dignatus in altum
Erigere ex humili cellam cunctisque beatam
Gentibus & seclis voluit Deus æquus haberi.
Sustulit ecce thronum sæuis, fregitque superbos,
Largifluis humiles opibus ditauit egentes.
Tunc illic mansit ternos ex ordine menses,
Ad propriamque domum repedat, iam certa futuri.
Iamque aderat tempus, quo sarcina deserat aluum
Elisabeth, liquidas soluenda in luminis auras.
Ad partus famâ tantos collecta cucurrit
Turba propinquorum, tum gaudia mira frequentes
Concelebrant, nomenque iubent genitoris habere.
Abnuit hoc genitrix, sed Ioannes vocitetur, G
Ingeminat: placuit muti tunc iussa parentis
Consulere, scriptoque rogant edicere nomen.
Sed prô mira fides! tabulis cùm scribere tentat,
Implicitam soluit per verba sonantia linguam.
Mox etiam assuetam penetrans spiracula mentem,
Completusque canit venturi conscia dicta.
Concelebrent cuncti laudes, gratesque frequentent,
Astrorum & terræ, pontique, hominumque parenti:
Visere qui voluit, propriamque absoluere plebem.
En beat antiquam gentem cornuque salutis
Erecto, indulget Dauidis origine lumen.
Hoc est, quod prisci cecinêre ex ordine vates:
Hæc est illa salus, quæ nos ex hostibus atris
Eripit, vt iustè iusto seruire queamus.
Et tu parue puer, sanctus dignusque propheta
Dicêre, & Dominum mox prægrediere viando,
Illius & populum duces per lumen apertum:
Errorem per te spernent, mortisque tenebras
Abrumpent omnes, tua qui præcepta sequentur. H
Exin secretis in vallibus abdita semper
Vita fuit puero, donec poscentibus annis,
Vatis ad officium pleno pubesceret æuo.
Interea Mariæ sponso miracula mentem
Sollicitant, manifesta vteri quòd pondera vidit,
Et secum voluit, quânam ratione propinquæ
Dedecus oppressum celet, thalamosque recuset.
Talia tractanti torpescunt membra sopore.
Mox stertente, Dei vox est audita monentis:
Accipe coniugium nullo cum crimine pactæ,
Spiritus impleuit sancto cui viscera fœtu.
Hanc cecinit vates venturam ex virgine prolem,
Nobiscum Deus est cui nomen: protinus ille
Hæc præcepta sequens, seruat sponsalia pacta.
Sed tum fortè nouus, capitum discussio, census,
Cæsaris Augusti iussu per plurima terræ
Describebatur Syriæ, quam iure regebat
Cyrinus, proprij cui tota per oppida fines

A Addebant populi vires, nomenque, genusque.
Vrbs est Iudææ, Bethlem, Dauida canorum
Quæ genuit, generis censum quæ iure petebat.
Obtulit hic illum, genus hinc quòd vterque trahebat,
Desponsamque sibi scribens, grauidamque professus.
Hospitium amborum Bethlem sub mœnibus vrbis
Angusti fuerant perparua habitacula ruris.
Illic virgo nouum completo tempore fœtum
Edidit, & leni pannoso tegmine fœtum
Texit, cui durum cunas præsepe ministrat.
Citrà sollicitæ pecorum custodia noctis
Pastores tenuit vigiles per pascua læta.
Ecce Dei monitu iussus descendere cœlo.
Nuncius, ac subito terror tremefacta pauore
Prostrauit viridi pastorum corpora terræ.
Talis & attonitis cœlo vox missa cucurrit:
Ponite terrorem mentis, mea sumite dicta
Pastores, quibus hæc ingentia gaudia porto.
B Nam genitus puer est Dauidis origine clara,
Qui populis lucem mox lætitiamque propaget.
Hoc signum dicam, puerum quod cernere vobis
Iam licet, implentem gracili præsepia voce.
Talia dicenti iunguntur millia plebis
Cœlestis, cunctique Deum laudantque rogantque,
Talis & vniti vox agminis aëra complet:
Gloria supremum comitetur debita patrem,
In terris iustos homines pax digna sequatur,
Et simul iis dictis, cœli secreta reuisunt.
Pastores properè veniunt, puerumque iacentem
Præsepis gremio cernunt, pòst inde frequentes
Dispergunt latè celebris vaga semina famæ.
Mirantes laudant, lætantes constupuerunt,
Omnia nocturnis monitis quòd vera recurrant.
Viderat octauàm lucem puer: ecce recidi
Ad mortem legis, nomenque aptare necesse est;
Impositumque illi est (monitis cœlestibus olim
Quod Mariæ vox missa Deo præcepit) Iesus.
C Scripserat antiquæ Moses moderamina legis:
Atque inter primos prisco de sanguine vatum
Obseruare dedit, fœtus offerre lactandos,
Implumesque simul ferre ad delubra columbas.
Hæc vbi per Mariam templo seruata feruntur,
Ecce senex Simeon, dignus comprêndere sensum
Cœlestis vocis, cui quondam præscia rerum
Virtus prodiderat, quod carcere corporis ægri
Deposito mortem liber requiemque videret,
Cùm primùm cœli laudem, terræque salutem,
(Omnia quem vatum spondent oracula) Christum
Vidisset templo, solennes ferre palumbos,
Isque vbi curuato defessus corpore templum
Iam grauior penetrat, monuit quod spiritus auctor,
Ecce simul paruum gremio genetricis Iesum
Ad templum sensit venisse: trementibus vlnis
Accepit puerum, lætusque hæc dicta profatur.
Nunc nunc me famulum Dominus, nunc liberet arctis
D Corporis è vinclis, finemque imponere verbis
Dignetur cum pace suis, en splendida nostros
Lux oculos tua circunstat, radiisque refulget,
Quam cunctis hominum lustratis gentibus addet
Israëlitarum cumulatæ gloria plebis.
Hinc ait: Hæc quid virgo tibi tam mira videntur?
Quid tantum Mariæ stupuerunt pectora matris?
Hic puer ad populi casum datur, iste renasci
Concedet populis: illi signum esse negabunt
Fœderis, hi contrà cœlo venisse tenebunt.
Liuor edax faciet, lethum vt percurrat amarum,
Atque animam matris ferro fulgente machæra,
Quo pateant tecti tenebrosa volumina cordis.
Hæc ait in Simeone Deus: vox ecce prophetæ
Fœmineam sancto complet spiramine mentem.
Anna fuit natu grauior, quam in flore iuuentæ
Destituit viduam mors immatura mariti.
Hinc fruitur casta caro pro coniuge vita,
Continuóque Dei cultu: quæ numine ducta,
Cognouit Christum, & simili sermone loquuta est.

E Inde vbi solennem pueri pro nomine legem
Compleuit genitrix, & Ioseph omnia mirans,
Ad patriam læti repedant, puerumque reportant.
Gens est Eoi, Phœbo orto proxima, regni
Astrorum solers ortusque obitusque notare,
Huius primores nomen tenuere Magorum:
Hinc lecti proceres, Solymas per longa viarum
Deueniunt, regemque adeunt, orantque doceri
Quæ regio imperio puerum Iudæa teneret
Progenitum: & sese stellæ fulgentis ab ortu
Admonitos, venisse viam, quo supplice dextra
Exortum terris venerabile numen adorent.
Territus Herodes, vatum legumque peritos,
Quique prophetarum veterum præsagia noscunt,
Imperio accitos, iubet omnia quærere legis,
Quâ pateat, quæ sint genitalia mœnia Christo,
Omnia venturum spondent quem oracula vatum.
Tunc manifestatur, Bethlem quòd mœnibus illum
F Progigni maneat, cui sacram ducere plebem
Israëlitarum sacra virtute necesse est.
Tunc iubet Herodes Persas pertendere gressum,
Inuentumque sibi puerum monstrare colendum.
Ecce viæ medio stellam percurrere cernunt
Sulcantem flammis auras: quæ in culmine summo
Restitit, & pueri lustrata habitacula monstrat.
Gaudia magna Magi gaudent, sydusque salutant.
At postquam puerum vidêre sub vbere matris,
Deiecti prono texerunt corpore terram,
Submissique simul mox mystica munera promunt:
Aurum, thus, myrrham: regique, Deoque hominique,
Dona ferunt: totâm mox horrida somnia noctem
Sollicitant, sæuumque iubent vitare tyrannum.
Denique diuersis Herodis callibus aulam
Diffugiunt, patriamque Magi redière latentes.
Ipsum etiam puerum, monitis cœlestibus actus,
Ægyptum cum matre simul transportat Ioseph.
At ferus Herodes sibimet succedere credit,
G Quem callens astris quæsisset cura Magorum:
Quorum præcauto discessu sollicitatus,
Crudeli tinxit Bethlemica compita cæde,
Infantes mandans, teneroque sub vbere plebem
Innocuam, in sinubus rigido succumbere ferro.
Hæc etiam cædes olim præscripta manebat.
Nam pius hanc vates diuino numine doctus,
Complerat, misero sobolis pro funere matres
Horrendis grauiter cœlum pulsare querelis.
Ast vbi sopitus furor est, & sæua tyranni
Infantum horribili feritas satiata cruore,
Extinxisse putat cunctos, quos vnus & alter
Annus lethiferi miserè suppresserat æui.
Mirandis rursum, deuinctus membra sopore
Ioseph, vrgetur monitis, Mariam, puerumque
Ægypto ad patriam vectare: vbi Nazara felix
Olim prædictum puero dedit addere nomen.
H Dixit & alterius quondam prænuncia vatis
Vox instincta Deo: Veniet, veniet mea proles
Ægypto ex alta, terris lumenque salusque.
Crescebat rapidis annorum gressibus infans,
Præcurrens æuum sapientia præueniebat,
Gratiaque in vultu & verbis veneranda micabat.
At iam bissenos æui comprenderat annos,
Cùm Paschæ ritum seruando ex more parentes,
Ad templum lætis puerum perducere festis,
Omnibus annorum vicibus de more solebant.
Ergo aderant Paschæ pariter, cunctisque diebus
Festorum impletis patriam remeare parabant.
Tum puer in populo comitis vestigia matris
Deseruit, templique libens secreta petiuit.
Illum per vicos, vrbisque per abdita tecta,
Perque viæ stratas, per notos, perque propinquos
Quærebat genitrix: sed lux vbi tertia vênit,
Ad templum properè remeat, vatumque coronæ
Inuenit insertum, legumque obscura senili
Tractantem cœtu, vix admiratio digna
De pueri verbis senibus fuit: at pia mater,

Nate,

A Nate, ait amissum lacrymis te quæro profusis
Anxia cum genitore gemens: quæ causa parentum
Secernit gressu, templique in sede retentat?
Ille autem: Quid me tantùm, quid quæritis? inquit.
An nondum sentis genitrix, quòd iure paternis
Ædibus atque domo natum inhabitare necesse est?
Hæc ait: & gressum sociat, patriamque reuisit.
Nec genitrix tanti persensit pondera verbi,
Ordine cuncta tamen cordis secreta reseruat.
At puer obsequiis aptè prædulcibus ambos
Ad proprium semper cogens nectebat amorem.
Interea veteris scripti per debita currens
Omnia seclorum series promissa trahebat.
Zachariæ soboles, desertis vallibus, omnes
Ad deponendas maculas clamore vocabat,
Fluminis vt liquidi caperent miranda lauacra,
Quîs animæ species abluta sorde niteret.
Isaias vates cecinit quod numine iussus:
B Vox latè resonat desertis vallibus, amplas
Sternite iam stratas, omnis sit recta viarum
Semita, quæ Domini dignè vestigia gestet:
Subsident colles, vallis complebitur omnis:
Corriget anfractus callis bona linea recti:
Corporeisque oculis lumen tractare serenum
Omnibus indulget genitor, Dominusque salutis.
Ergo aderant populi, passimque hinc inde ruentes
Complebant ripas, auidique lauacra petebant.
Texta camelorum fuerant velamina seris,
Et zonæ pellis medium cinxère prophetam,
Aruis qui solitus ruralibus esse locustas,
Et tenuem victum, syluestria mandere mella.
Isque vbi tot populos diuersis sedibus ortos,
Irruere ad fluuium cernit, sic increpat ore:
Viperæ gentis soboles, quis debita vobis
Supplicia vrgentesque iras euadere monstrat?
Sed facite ô miseri fructum (si pœnitet) aptum,
Nec generis vestri tollat fiducia mentes.
C Nam potis est dura superûm rex caute creare
Progeniem, quando soboles sua degener errat.
Proxima roboreis iamiam radicibus instar
Cunctorum ante oculos acies sublata securis.
Cædentur syluæ steriles, ignemque fouebunt.
Nunc ego præteritas maculas in flumine puro
Abluere institui: veniet sed fortior alter,
Cuius vincla pedum non sum contingere dignus.
Abluet ille homines sancto spiramine mergens,
Flammarumque globis purgabit noxia corda.
Illius & manibus, ruralis pala tenetur:
Et propria ipsius purgabitur area frugum,
Horreaque implebit secreti copia farris,
Æternusque leues paleas populabitur ignis.
Hæc ait, & properis per syluam passibus ipsum
Cernit Iordanis veneranda lauacra petentem.
Sed vetat increpitans vates, & talia fatur:
Tune meis manibus digneris mergier vndis,
Cùm tua me melius possint mundare lauacra?
D Dixit Ioannes, cui talia reddit Iesus:
Nunc sine: nam decet hoc, sic sancta per omnia nobis
Iustitiæ consectandus complebitur ordo.
Hæc memorans, vitreas penetrabat fluminis vndas,
Surgenti manifesta Dei præsentia claret.
Scinditur auricolor cœli septemplicis æthra,
Corporeamque gerens speciem descendit ab alto
Spiritus, aëream simulans ex nube columbam,
Et sancto flatu corpus perfudit IESV.
Tunc vox missa Dei longum per inane cucurrit,
Ablutumque vndis Christum flatuque perunctum
Alloquitur. Te nate hodie per gaudia testor
Ex me progenitum, placet hæc mihi gloria prolis.
Tùm petit vmbrosos montes, & lustra ferarum,
Obsequiumque illi patris præbere ministri
Certabant, rabidi mox liuor dæmonis ater
Cum terrore rapit mentem, nec defuit ægro
Tentandi interea Christum versutia fallax.
Quadraginta illi fuerant ex ordine soles,

Ex quo nulla cibi potusque alimenta dabantur: E
Sed contexta simul firmi ieiunia cordis,
Terrarum ad regnum mentis secreta tenebant.
Tunc epulas demum monuit conquirere corpus
Horrendi interea sceleris fallacia tentans:
Si te pro certo genuit Deus omnibus, inquit,
His poteris saxis forti sermone iubere
Vsum triticei formamque capessere panis.
Christus ad hæc fatur: Nil me iam talia terrent.
Nam memini scriptum, quoniam non sola tenebit
Vitam credentis facilis substantia panis,
Sed sermone Dei complet pia pectora virtus.
Rursus at ille dolos versutis artibus aptans,
Nectere tentator properat: nam mœnibus vrbis
Mox inferre pedem sensit, vis liuida Christum
Culmine marmorei suasit consistere templi.
Tunc sic aggreditur vocis fallente veneno:
Si Deus est verè genitor tibi, culmine templi
Aëra per vacuum saltu iaculabere corpus. F
Testis erit Scriptura tibi, quæ spondet apertè,
Mandatum summi genitoris tale ministris,
Vt lapsum studeant casu descendere corpus,
Et famulis manibus curent tua membra leuare,
Ne lapidis lædat summas offensio plantas.
Reddidit his Christus dictis contraria dicta:
Me meminisse magis scripti cœlestis oportet,
Ne vires Domini fidens audacia tentet.
Rursus in abrupti montis consistere celsis
Mox furibunda iugis sensit fallacia Christum,
Ostendens olli fulgentia regna per orbem:
Cernis, ait, quæ sit tantarum gloria rerum?
Cuncta tibi possum iamiam concedere regna,
Talia donantem si me veneratus adores.
Tum sic instantem dictis reiecit Iesus:
Effuge pestiferi rabies vesana veneni,
Hæreat vt semper nobis immobile iussum,
Vt iustus cœli Dominum deuotus adoret,
Vnius & famulans veneretur nomen in æuum. G
Talibus excussus fugit per deuia dæmon.
Inde vbi Ioannem cognouit carceris vmbris
Submersum, tristi compressit corda dolore,
Finibus & statuit Zabulonum ponere sedes,
Vt dictum Isaiæ concurreret ordine secli:
Terra Zabulon, & regio cui Nephthala nomen,
Et via trans pelagus longè, Galilæaque rura,
Trans & Iordanem gentes, populique tenebris
Inclusi, magnum lumen subitumque videbunt:
In mortisque illis vmbra residentibus, alma
Exoritur fidei respondens luce voluntas.
Ergo instare Dei regnantis munera Christus
Nunciat, increpitans præconia larga salutis.
Præteriensque videt geminos per littora fratres,
Præsolidum Simonem, dignum cognomine Petri,
Andreamque simul, sinuosa volumina lini
Piscibus insidias disponere marmoris vndis:
Nunc, inquit, pisces, capitis maris æstibus altis:
Sed me si libeat sectari, fortia vobis
Prouenient hominum præpulchra indagine lucra. H
Illi confestim firmato pectore certi,
Retibus abiectis, pariter præcepta sequuntur.
Pòst fratres Iacobum Ioannemque marinis
Insidias gregibus maculoso innectere textu
Vt vidit, similemque dedit de littore vocem,
Illi Zebedeum genitorem in puppe relinquunt.
Illicò sectantes pulcherrima iussa salutis.
Exin per terram Galilææ sancta ferebat
Insinuans populis regni præconia Christus,
Donabatque citam inualidis ægrisque medelam.
Et mox crebra procul Syriam iam fama tenebat,
Mille sonans linguis præsentia munera Christi.
Denique certatim languoris tabe peresos,
Diuersisque malis nexos, quîs longa dolore
Absumpsit populans membrorum robora tabes,
Monstrabant Christo: facili sed munere cunctos
Reddebat properè miranda ad gaudia sanos:

Iamque

A Iamque animæ ipsius morbi, sæuique furores,
Et lunæ cursum comitata insania mentis,
Discessere, graui sermonis pondere iussa.
Illum stipantes miracula magna mouentem
Mixtæ sectantur turbæ, Solymique, Syrique,
Et Iudæa frequens populis, Galilæaque plebes,
Et quos Iordanis dirimit stagnante fluento.
Hos populos cernens, præcelsa in rupe resedit,
Ac sic discipulis gremium cingentibus infit.
Fœlices humiles, pauper quos spiritus ambit:
Illos nam cœli regnum sublime receptat.
His similes mites, quos mansuetudo coronat,
Quorum debetur iuri pulcherrima tellus.
Hic modò lugentes, solatia digna sequentur.
Pabula iustitiæ qui nunc, potuique requirunt,
Illos plena manet saturandos copia mensæ.
Fœlix, qui misereri doluit de pectore sortem:
Illi nam Domini miseratio larga manebit.
B Fœlices, puro cœlum qui corde tuentur:
Visibilis Deus iis per secula cuncta manebit.
Pacificos Deus in numerum sibi prolis adoptat.
Fœlices nimium, quos insectatio frendens
Propter iustitiam premit: iis mox regia cœli
Pandetur. Gaudete, operum quos iusta tenentes
Vrgebit præceps stimulis iniuria sæuis;
Plurima nam merces vobis seruatur in æthra,
Namque prophetarum fuit insectatio telis.
Discite vos hac in terra salis esse saporem:
Hic sapor amissa si iam virtute senescit,
Quæ salis absumptos acuet substantia gustus?
Nec quisquam fatui posthæc superest salis vsus,
Ni longe abiecti cuncta vt vestigia calcent.
Vos istis mundi clarum (ne abscondite) lumen
Nam quis præcelsis impostam rupibus vrbem
Occultare queat? vestrum sed lumen ad omnes
Perueniat, rerumque decus sub luce serena
Ponatur: cunctis genitoris gloria vestri
C Laudetur, celsi thronus est cui regia cœli.
Non ego nunc priscas leges dissoluere veni.
Vertere nec veteres ponunt quæ iussa prophetæ.
Omnia nam vobis per me complenda manebunt.
Vera loquor, donec cœli terræque marisque
Interitus veniat, legis nec littora saltem
Aut apicis parui gracilis distinctio desit,
Omnia quin fiant digesta ex ordine secli:
Si quis enim minimam mandati soluere partem
Ausus erit, pariterque homines suadendo docebit,
Hic minimi nomen cœlesti in sede tenebit.
At quicunque operis proprij moderamina seruans,
Inuiolata simul tradet præcepta priorum,
Magnus erit, magnique feret trans sydera nomen.
Audistis veteris iussum moderamina legis:
Humano si quis maculârit sanguine palmas,
Ille reus ferro persoluet vindice pœnas.
Ast ego præcipio, ne quis consurgere in iras
Audeat, atque odio fratris feruente moueri.
D Nam reus hic æquo pœnas sub iudice pendet.
Nec minor illorum conuicia flamma sequetur,
Qui fatui miserive cient sub nomine fratrem.
Sin offerre voles, venerans altaria donis,
Et tua tunc tacitæ mentis penetralia tanget,
Quod tibi sit cum fratre domi suscepta simultas:
Munera cuncta adytis illis admota relinque,
Et prius ad pacem properans transcurre petendam:
Fraterno demum iam conciliatus amori,
Offer grata Deo tranquillo pectore dona.
Est tibi præterea virtus contraria semper?
Corporis hæc casti celeri curetur amore,
Dum rapidæ tecum graditur per compita vitæ.
Accusabit enim polluti corporis vsus,
Et te sublimi statuet sub iudice vinctum,
Damnatum rapient ad vincula sæua ministri,
Nec priùs è tenebris soluêris carceris atri,
Vltima quàm minimi reddatur portio nummi.
Haud ignota reor vobis stat cautio legis,
Corpus adulterio prohibens: sed nunc mea iussa E
Occulta internæ frænent molimina mentis.
Nec minus optati quàm facti pœna luenda est.
Si te fortè oculi dextri laqueauerit error,
Auctorem miseræ properans conuellito labis,
Et iaculare procul: nam membrum perdere præstat
Exiguum, flammis quàm totum dedere corpus,
Perpetuisque animam pariter conuoluere pœnis.
Et si dextra manus mentem per deuia ducit,
Erroris causam præstat decidere ferro,
Quam totum æternis corpus concedere flammis.
Præcipiunt veteres, si quis connubia rumpit,
Scribere dissidium Iuris feralia verba.
Sola viri rectè discedet adultera tectis.
Ast aliæ maneant, nam casti iura pudoris
Auctore amittet mulier deserta marito.
Antiquæ leges prohibent periuria linguis.
Sed nostris cedat iurandi audacia iussis.
Nec fas est homini cœlum iurare per altum, F
Quod sedes Domini: nec quæ vestigia gestat
Terra Dei, Solymæve vrbis venerabile nomen,
Quod regis magni patria est, iurabitur vnquam.
Nec caput in proprium cuiquam iurare licebit:
Namque potestatem minimi non esse capilli
Cernitis, albumve aut nigrum mutare colorem.
Est est, sufficiat, quod non est, dicite non est,
Quod superest istis, totum fallaciter ægro
Suggerit obreptans animo vis tetra veneni.
Peruulgata diu legis præcepta tenetis:
Lædentem semper similis vindicta sequatur,
Sed tranquilla malum melius patientia vincet.
Ac si quis partem palma percusserit oris,
Mox aliam vultus partem præbere memento.
Auferat aut tunicam si quis, vi iudicis instans,
Cede libens, pariterque ferat tua pallia secum.
Si te forte aliquis passus per mille iubebit
Ire viam, grauis atque oneris perferre laborem,
Mox perges, aliudque viæ comitabere duplum. G
Si quis egens poscet, vel se simulabit egentem,
Ex animo miserans largite: aut mutua si quis
Orabit, tribue, & mitem ne subtrahe vultum.
Nec tibi sit placitum, solis succurrere amicis,
Aut cæcis odiis inimicos ducere dignos.
Quin ego præcipiam, semper blando esse per omnes
Obsequio, precibusque Deum mollire benignis
Pro vita ipsorum, qui vos excindere gaudent,
Aduersisque truces animis odiisque sequuntur.
Nam genitor noster communia lumina solis,
Communesque dedit pluuias iustisque malisque,
Quod si coniunctos tantum veneramur amicos,
Quis locus hic iustæ poterit mercedis haberi?
Seruit amicitiæ tantum gens dedita lucris:
Sed vos perfecto similes estote parenti.
Sicubi iustitiæ pandetur iusta facultas,
Deuitate oculos hominum: nam nulla manebit
Merces in cœlo, quæ factum tale sequatur. H
Applaudet tantùm sterilis laudatio vulgi.
Sed quod dextra facit, facias nescire sinistram,
Cùm veniet, iustis meritis tum digna rependet
Occulti solus scrutator præmia cordis.
Sunt quos prætumidæ tollit iactatio mentis,
Et precibus propriis gaudent assistere turbas,
Multifluisque diem verbis ducendo fatigant:
His votis pompæ fructus succedit inanis.
Sed secreta domus precibus penetralia castis
Claudantur, paucisque Deum venerabere verbis:
Scit pater ipse, tui quæ sit trepidatio cordis.
Nil absente Deo loquimur, nil abdita clausum
Pectoris antra tegunt: præsens Deus omnia cernit.
His igitur vatum placeat concludere verbis:
Sydereo genitor residens, in vertice cœli,
Nominis oramus veneratio sanctificetur
In nobis, pater alte, tui: tranquillaque mundo
Adueniat, regnique tui, lux ampla patescat:
Sic cœlo vt, terris fiat tua clara voluntas.

A Vitaliſque hodie ſancti ſubſtantia panis
Proueniat nobis, tua mox largitio ſoluat
Innumera indulgens erroris debita praui,
Et nos haud aliter concedere fœnora noſtris:
Tetri ſæua procul tentatio dæmonis abſit:
Deque malis tua nos in lucem dextera tollat.
Tunc etenim genitor populis delicta remittet,
Si veſtra alterui vobis peccata velitis
Cedere, nec durum erratis intendere pectus.
Sunt etiam pergrata Deo ieiunia plebis,
Sed propriam multi faciem fœdare laborant,
Quo vanam captent hominum ieiunia famam.
Tu vero & grato crinem nitefactus oliuo,
Lætantem puris de fontibus ablue vultum,
Vt ſolus genitor deuoti pectoris aptum
Seruitium cernens, laudem meritumque rependat.
Vanum eſt defoſſis terra, inuigilare talentis,
Illic ærugo & tineæ dominantur edaces
B Cunctaque diripiunt fures egeſta latebris.
Condite theſauros vobis in vertice cœli,
Non ærugo illos, tineæve, aut horrida furum
Factio diripiet: vobis vbi condita res eſt,
Illic corda etiam ſimili ditione tenentur.
Corporis eſt lumen, quo publica lumina cernis:
Sed ſi pura acies oculi ſimplexque nitebit,
Clarè totius ſplendebunt corporis artus.
Sin vero nequam fuerit, prauumque videbit,
Obſcuræ incumbent ſuper omnia membra tenebræ.
In nigras lumen ſed ſi conuertitur vmbras,
Ipſis horror erit quantus ſine luce tenebris?
Nemo poteſt dominis æquè ſeruire duobus,
Vnius aut odiis cedet, vel cedet amori,
Nec pariter dominum ſeruus patietur vtrumque,
Haud vnquam poterit quis diuitiiſque, Deoque
Inſeruire ſimul, ſed vos hæc iuſſa tenete,
Sollicitet proprio ne vos pro corpore veſtis,
Neu faciles victus ægra diſquirite cura.
C Nonne animam pluris facimus, quàm corporis eſcas?
Aut dubitat corpus quiſquam præponere veſti?
Aërias ſpectemus aues, non vomere preſſo
Terga ſoli ſubigunt, iaciunt nec ſemina ſatris,
Aut ſegetum culmos incurua falce recidunt:
Prouenit, & tamen his ſatias potuſque cibique,
Nonne Deo magis eſt hominum curatio cordi:
Nec dignum fuerat, veſtis ſuſpendere curam
Pectoribus noſtris, num ſicubi talia poſſunt
Incrementa ſuis homines imponere membris?
Cernite per pingues agros vt lilia florent,
Non vlli tamen iis vnquam incubuêre ligones:
Nec Salomona grauem, eum regnis diuitis aula
Afflueret, talis contexit gratia veſtis.
Quod ſi pratorum fruticumque virentia læta
Ipſe Deus veſtit, noſtris obnoxia flammis,
Cur vobis potior non eſt fiducia patris?
D Ergo cibum, potum, veſtemque, & inania cuncta,
Gentibus infidis terrenam linquite curam.
Vos potius dignè cœleſtia quærite regna,
Iuſtitiamque Dei, ſpontanea cætera current.
Craſtina nec vobis curetur copia rerum,
Quiſque dies ſibimet ſatis eſt pro fraude diurna.
Iudicium veſtrum fugiat damnatio ſæua,
Nam Dominus veſtri iuris documenta ſequetur.
Quæ vos in terris ſtatuetis, tempore capti,
Hæc eadem vobis genitor ſeruabit in æthra:
Menſuram tibi quam ponis, portare neceſſe eſt.
Cernis adhærentem feſtucam lumine fratris,
Nec tamen in proprio tignum conſiſtere ſentis:
Atque oculum prius alterius purgare laboras?
Diripe ſed proprio fallax de lumine tignum.
Demete tum minimam alterius curabis ariſtam.
Ne canibus ſanctum dederitis, néve velitis
Turpiter immundis iactare monilia porcis.
Namque illa in cœno pedibus ſubiecta iacebunt,
Conuerſique canes vaſto vos vulnere rumpent,
Poſcenti dabitur, quærens inuenta tenebit,
E Pulſantique aditus foribus pandetur apertis.
Vos homines natis panem poſcentibus, omnes
Num lapidem dabitis? piſcemve petentibus, anguem?
Vos inquam rigidi, quibus alte eſt inſita cordi
Durities, veſtris dabitis dona optima natis:
Indulgens hominum genitor, bona mitia digne
Quam præſtare magis gaudet poſcentibus æquis?
Quæ cupitis vobis hominum benefacta venire,
Hæc eadem veſtro cunctis præſtate fauore.
Hæc legis ſumma eſt, hoc ius dixêre prophetæ.
Ite per anguſtam iuſti ſuper æthera portam:
Quàm lata & ſpacioſa via eſt, quæ limite læuo
Præruptum conuoluit iter caligine mortis,
Innumeræque illam penetrant per prona cateruæ!
Vitalis vaſtis ſtipatur ſemita ſaxis,
Celſaque vix paucos ducet per ſcrupea virtus,
At ſi quos nimium fallax illexque malorum
Planities ſuaſit, deformi lubrica lapſu,
F Arripit hos, pronoſque trahit, velut impetus amnis,
Aut alacer ſonipes ruptis effrænis habenis,
Aut rectoris egens ventoſa per æquora puppis.
Obſeruate illos, falſo qui nomine vobis
Inſidias faciunt, appellanturque prophetæ.
Hos ouium ſpecies veſtit, ſed ſæua luporum
Pectora fraude regunt, lacerantque incauta trahentes
Agmina credentum, ſæuus quos decipit error.
Fructibus è propriis noſcuntur talia monſtra,
Quemque petat finem fallax doctrina, videndum eſt.
Nam neque de tribulis ficus, de ſentibus vuas
Proueniſſe vnquam ruris per terga notaſtis.
Vtque arbor proprio veſtitur germine pomi,
Sic dolus illorum fructu monſtrante pateſcit.
Non ego palpantum verbis & honore mouebor,
Nec me quòd Dominum perblanda adulatio dicit,
Præmia cœleſtis capiet ſpontanea ſedis.
Olli ſed merito gaudebunt munere regni.
Qui faciunt noſtri genitoris iuſſa volentes.
G Adueniet mox ſumma dies, quæ iure ſeuero
Præmia iuſtitiæ tribuet, ſceleríque gehennam.
Tum mihi multorum clamabit talia fletus:
Nónne tuo quondam nobis ſub nomine virtus
Excitit, & noſtris parebant omnia iuſſis?
Sæpe etiam noſtra eſt vox annumerata prophetis,
Seruiuítque tuo nobis ſub nomine dæmon.
Tunc iurabo illis, quod talis cognita nunquam
Vita mihi eſt hominum, geſtis quæ ſordet iniquis.
Quiſque meis monitis aureſque & facta dicabit,
Hunc æquabo viro, ſolidis fundamina ſaxis
Ponenti, librata ſuper quæ mœnia ſurgent.
Illa domus pluuiis ventiſque illæſa manebit,
Torrentumque minas firmato robore vincet:
Hærent immotæ quoniam fundamina petræ.
Qui vero auditu tantum mea iuſſa tenebit,
Diuerſiſque procul factis per lubrica perget:
H Hunc ſimilem faciam, volucri qui fulcit arena
Fundamenta domus: cui mox vt flamina venti
Et pluuia effuſis cœpêre incumbere riuis,
Omnis ſubuerſo procumbit pondere moles,
Inſequiturque grauis tectorum ſtrage ruina.
Talia dicentem magna admiratio plebis
Immenſum ſtupuit, quoniam tranſcenderet alte
Doctrinam veterum, Chriſto conceſſa poteſtas.
Denique linquentem celſi faſtigia montis
Stipabat gaudens populorum turba ſequentum.
Ecce ſed horrenda confixus viſcera tabe,
Quem toto obſeſſum fœdarat corpore lepra,
Procubuit venerans iuuenis, Chriſtumque precatur,
Vt careat tandem languoris pondere tanti,
Sufficiat voluiſſe tuum: tum dextera Chriſti
Attactu ſolo purgauit lurida membra:
Incolumique dehinc celaret gaudia iuſſit,
Et legi parens offerret munera templo.
Inde recedenti ſupplex ſe protinus offert
Centurio, & precibus proiectis talibus orat:
Impubis pueri cruciatur ſpiritus æger,

A Cuius cuncta repens membrorum munia languor
Dissoluit, vitamque tenet iam pœna superstes.
Sed iussu miserere precor : nam tecta subire
Crimina nostra vetant vitæ lucisque parentem.
Nunc verbo satis est iubeas remeare salutem.
Subiectos mihi sæpe viros, sic nostra potestas,
Officiis verbo iussis parère coëgit.
Dixerat : ille viri motus precibusque fideque,
Talia conuersus populo dat dicta sequenti :
Haud vnquam talem memini me gentis auitæ
Inuenisse fidem, sed veris discite dictis,
Quàm multos homines, diuersis partibus orbis
Progenitos, cœli regnum sublime vocabit,
Cum patribus nostris vitali accumbere mensæ :
Progenies quorum cæcis demersa tenebris,
Dentibus horrendum stridens, fletumque frequentans,
Perpetuis pœnam cruciatibus acta subibit.
Ac tibi iam, iuuenis, mentis virtute fidelis,
B Vt credis, veniet fructus cum luce salutis.
Dixerat, & dicto citius cum voce loquentis
Ad puerum celeris transcurrunt munera verbi.
Ingressusque domum miles properante recursu
Præuenisse Dei lætatur dona medentis.
Ædes inde Petri sanctus penetrabat Iesus,
Cuius anhela socrus æstu, febrique iacebat.
Vtque illi dextram tetigit saluator Iesus,
Sana ministerium præbebat fœmina mensis.

LIBER SECVNDVS.

IAmque dies prono decedens lumine pontum
Inciderat, furuamque super nox cærula pallam
Sidereis pictam flammis, per inane trahebat:
Cum multos homines, mentis languore ruentes
Deuinctasque animas scelerata dæmonis arte,
Certatim populi cæca iam nocte ferebant.
Sed verbum Christi, tanto languore remoto,
C Omnibus indulgens, præbebat munera patris.
Ecce sed exortus maior cum luce tumultus
Gratantis populi, cum turbis anxius ille,
In mare veliuolum celsam deducere iussit
Discipulis puppim : precibus tum scriba profusis,
Nauigio sancti pariter poscebat abire,
Olli Christus ait : Quo tu me scriba sequeris ?
Vulpibus in saltu rupes excisa latebram
Præbet, & aëriis auibus dat silua quietem.
Ast hominis nato nullis succedere tectis
Est licitum, gentis sic sunt molimina vestræ,
Tunc è discipulis vnus sic ore rogabat :
Vltima defuncto debentur munera patri,
Hinc spatium tribuat tua nobis sancta voluntas,
Vt liceat miseri genitoris condere corpus.
Christus ad hæc : itiner potius comitabere nostrum,
Et sine defunctis defunctos condere terra.
Conscendunt nauem, ventoque inflata tumescunt
Vela suo, fluctuque volat stridente carina,
D Postquam altum tenuit puppis, consurgere in iras
Pontus, & immensis hinc inde tumescere ventis
Cœpit, & abruptos ad cœlum tollere montes.
Et nunc mole ferit puppim, nunc turbine proram,
Illisoque super laterum tabulata receptant
Fluctus, disiectoque aperitur terra profundo.
Interea in puppi somnum carpebat Iesus,
Illum discipuli pariter nautæque pauentes
Euigilare rogant, pontique pericula monstrant.
Ille dehinc : quàm parua subest fiducia vobis ?
Infidos animos timor arguit : inde procellis
Imperat, & placidam sternit super æquora pacem :
Illi inter sese timidis miracula miscent
Colloquiis, quæ tanta illi permissa potestas,
Quódve sit imperium, cui sic freta concita ventis,
Erectæque minis submittant colla procellæ ?
Iam Gerasenorum steterat sub littore puppis,
Ecce sed egresso iuuenis (mirabile dictu)
Occurrit, miseram cui mentem spiritus ater
Horrenda implebat lacerans virtute furoris; E
Illi grata domus, tetris habitare sepulchris:
Nec poterat rabidum quisquam retinere furorem,
Ferrea quinetiam rumpebat vincula membris,
Scindebatque graues vt linea fila catenas.
Et iam compedibus leuis insultare soluto
Ludus erat, saxisque ferum concidere pectus.
Isque vbi pergentem Christum per littora vidit,
Cum clamore ruit, longéque accurrit adorans :
Regnantis semper Domini certissima proles,
Oramus, solitæ ne nos regionis ab oris
Excutias, longe tormentis excruciatos :
Nam nomen legio est nobis, multosque sub vno
Nomine consociat flatus vis sola nocendi.
Cernis vt immundi subigunt hæc pascua porci,
His saltem liceat rabiem satiare repulsam,
Per patris altithroni nomen sublime rogamus.
Impetat iis hominis mentem dimittere Christus,
Porcorumque sinit gregibus finire furores. F
Iamque hominis stupidum discusso dæmone pectus,
Insperata suæ veneratur dona salutis,
Et iam præcipites scopulorum margine porci
In mare deiecti, properant disperdere vitas :
At vero è speculis miracula tanta pauentes,
Diffugiunt, vrbisque ruunt ad tecta subulci,
Et famam spargunt, populosque ad littora cogunt;
Insanum iuuenem postquàm resipisse videbant,
Credere cernentum populorum turba coacta est ;
Orabant pauidi regionem linqueret illam :
Inde domum repedat terrarum lumen Iesus,
Ecce reuertenti iuuenis torpentia membra,
Officium quorum morbus dissoluerat acer,
Ante pedes ponunt tepido recubantia lecto.
Quem miserans animo, verbis compellat Iesus :
Adsit certa tuæ iuuenis constantia menti,
Nam tibi præteritus vitæ donabitur error.
Hoc dictum scribæ meritis per operta malignæ
Carpebant, quod verba Dei virtute verenda
Protulerat Christus, sed pectora talia cernens, G
Hoc, inquit, verbum scribarum dicta retractant;
Quod quanto leuius fuerit dixisse, sequentis
Et dicti & facti pariter virtute probabo,
Vt mihi concessum peccata remittere cernant ?
Quapropter iuuenis, firmato corporis vsu
Surge vigens, stratumque tuum sub tecta reporta.
Surrexit, lectumque humeris iam fortibus aptat,
Per mediumque vigens populi mirantis abibat.
Tunc timor & laudes Domini per pectora plebis
Concelebrata, simul miracula læta frequentant.
Progrediens tunc inde ad vectigalia, vidit
Consessu in medio Matthæum, protinus illi
Discipulis hærere iubet : nihil ille recusans,
Imperio Christi paret, gaudetque sequutus.
Inde iter ingrediens, simili sermone Philippum
Hortatur, comitemque suis adsciuit amicis,
Ille vbi cognouit Christi viresque viamque,
Tum primum iusto concurrit Nathanaeli :
En nostris, inquit, concessum est visere seclis, H
Quem voces veterum, & sancti cecinêre prophetæ
Hunc genuit veniens Dauidis origine virgo,
Nazara cui felix patria est, & nomen Iesus.
Ille refert, genuit quicquam si Nazara, miror,
Quod dignum tantis vnquam virtutibus esset.
Inde Philippus ait, Cernes, dubitare quiesce,
Progrediensque vide, nam oculis spectare licebit.
Illum vbi tendentem longe respexit Iesus :
Vir venit hic iustus, cui pectora nescia falsi,
Virtutem puram seruans, sine fraude maligna.
Ille sub hæc, Vbinam, vel quo me tempore nosti ?
Cui Dominus dicta hæc diuino pectore promit :
Cum te diffusæ tegerent vmbracula ficus,
Ante etiam quàm te vocitarent verba Philippi,
Vidit & elegit comitem te spiritus auctor.
Talibus attoniti sequitur vox Nathanaelis :
Progenies veneranda Dei, rex inclyte gentis,

A Tu populi terræque salus, vitæque magister.
Christus ad hæc, facilis suasit tibi credere virtus,
Arborea quod te vidi recubare sub vmbra:
Sed maiora dehinc rerum miracula restant.
Cernetis pariter totum se scindere cœlum,
Atque Dei celeres æthram penetrare ministros,
Inde hominis nato claram deferre coronam.
Interea thalamis connubia festa parabant
In regione Chanaan, vbi mitis mater Iesu
Cum nato pariter conuiuia concelebrabat.
Vina sed interea conuiuis deficiebant.
Tunc mater Christum per talia dicta precatur:
Cernis lætitiæ iam defecisse liquorem?
Adsint nate bonis ex te data munera mensis.
Olli respondit terrarum gloria Christus:
Festinas genitrix, nondum me talia cogit
Ad victus hominum tempus concedere dona.
Mensarum tunc inde vocat lætata ministros
B Mater, & imperiis nati parêre iubebat.
Sex illic fuerant saxis præpulchra cauatis
Vascula, quæ ternis aperirent ora metretis,
Hæc iubet è fontis gremio complere ministros.
Præceptis parent iuuenes, vndasque coronant,
Completis lapidum labiis, tum spuma per oras
Commixtas vndis, auras ad summa volutat:
Hinc iubet vt summo tradant gustanda magistro.
Ille vbi pepercit venerandi dona saporis,
Nesciusin vini gratum transisse liquorem,
Egestas nuper puris de fontibus vndas,
Increpat ignarum sponsum quod pulchra reseruans,
Deteriora prius per mensas vina dedisset.
His signis digne credentum discipulorum
Perpetuam stabili firmauit robore mentem.
Inde vbi Iudæis aderant solennia Paschæ,
Ad Solymos direxit iter, temploque subibat:
Repperit hic populum venalia multa locantem,
C Pars vendebat oues, pars corpora magna iuuencûm,
Pars inhians nummis mensas onerauerat ære.
Restibus hic Christus connectit verbera flagri,
Et tales populos sancta proturbat ab æde,
Et mensas vertens, æris profundit aceruos,
Et super increpitans: procul hæc auferre prophani,
Vt meus hic genitor, non sordida lucra colantur.
Tunc poscens signum plebes Iudæa fremebat,
Quo fidens animos in talia facta leuaret,
Ventura obscuris tunc Christus talia miscet:
Soluite pollutis manibus venerabile templum
Hoc, ego restituam, cum tertia lumina solis
Incipient rutilam terris infundere lucem.
Illi inter sese tractantes murmure cæco:
Hoc, aiunt, vix sex & quadraginta per annos
Constructum veteris regni molimine templum:
Tu poterisne trium spatio renouare dierum?
Hoc verbum quondam post tempora debita, digni
Cognouere viri, proprio de corpore Christum
Delubrum dixisse Dei: sed signa videntes,
D Tum multi cepêre fidem, sanctumque sequuti.
Nocte sub obscura, celso sublatus honore,
Primorum procerum Iudæi nominis vnus
Venit, & ad Christum submissa voce profatur:
Haud dubium est quod larga Dei te sancta voluntas
Humanis lucem concessit surgere rebus.
Nec quisquam tantis tribuit miracula signis,
Ni comitata Dei iubeat splendescere virtus.
Christus ad hæc: callis insti si culmina quæris,
Nullus ad excelsum poterit conscendere regnum,
Reddita ni penetret nascendi exordia rursus,
Atque nouam capiat diuino munere vitam.
Ille autem tantis stupefactus corda loquelis:
Hoc, inquit, nostræ non est comprendere mentis.
Quis poterit cœptæ reuocare exordia vitæ?
An rursus senior matris correpet in aluum,
Vt nouus in lucem veniat, vitamque resumat?
Ille sub hæc: Liquido si quis de fonte renatus,
Et flatu sancto, rudibus consistere membris
Cœperit, æthereàm liber conscendet in aulam. E
Terrenum corpus terreno corpore natum est;
Spiritus haud aliter similem generat sibi flatum.
Spiritus hic Deus est, cui parent omnia mundi.
Hic, vbi vult quocunque volat, vocemque per auras
Iactat: sed nescis quæ sint exordia vocis.
Quamque petent eius currentia flamina partem.
Quisque igitur iustæ repetit primordia vitæ,
Hunc, similem sancti flatus, reuigescere certum est.
At Iudæus ad hæc: nihil horum cernere possum.
Talia tum Christus: Solymorum magne magister,
Israelitarum sublimis gloria generis,
Túne etiam mentem vitæ de lumine raptam
Demergis præceps furuis miserande tenebris,
Nec potes obtuso comprendere talia sensu?
Ecce fides nulla est, tantum terrestria dixi:
Quid si cœlestis vires conscendere sermo
Cœperit, & superas rerum comprendere formas?
Quis vestrûm duram poterit mihi pandere mentem?
Accipite ergo nouis quæ sit sententia rebus.
Sydereum nullus poterit conscendere cœlum,
Ni solus cœli missus qui venit ab aula. F
Idem hominis natus, cœli qui in sede moratur.
Vt serpens olim vastæ regionis in oris
Moseis manibus summo sublatus honore est:
Sic hominis natum tolli in sublime necesse est,
Vt quicunque fidem mentis penetralibus altis
Illius ad lumen statuit, sub turbine secli,
Proculcet pedibus lethum, & trans sidera surgens:
Sublimis capiat donum inuiolabile vitæ.
Namque Deus mundum tanto dilexit amore,
Eius vt in terras descenderet vnica proles,
Credentes domino vitæ iunctura perenni.
Nec Deus hunc natum disquirere iure seuero,
Iudiciove truci terras expendere misit:
Mitia sed populis veniant vt munera vitæ.
Namque vbi certa fides fuerit complexa salutem,
Non erit vlla illic anceps agitatio iuris.
Ast vbi dona procul fuerint exclusa medelæ,
Iam propria ipsorum mentem damnatio torquet: G
Vnica nam domini fuit iis incognita proles,
Aduentum lucis miseri fugêre supernæ,
Et magis amplexi cæcas tenuere latebras.
Sic quicunque malis mentem maculauerit actis,
Ad tenebras pauidus refugit, ne lumine claro
Sordida pollutæ pateant contagia mentis:
At quicunque piæ tenuit vestigia vitæ,
Ad medium properat, lucemque nitescere gaudet:
Splendeat vt claris virtutis gloria factis.
Inde Galilæam repetit saluator Iesus.
Præteriens sed forte venit Samaritida Sichem,
Illic fundus erat, Iacob de nomine pollens,
Et puteus gelido demersus in abdita fonte.
Sederat hic rapido Seruator anhelus in æstu,
Discipulique escas mercantes mœnibus vrbis
Passim dispersi, solum liquere magistrum.
Mœnibus egrediens Samaritis fœmina venit,
Hauritura cauis putei penetralibus vndas.
Olli Christus ait, laticis da fœmina potum. H
Respondens mulier: mirum mihi præcipis, inquit,
Vt tibi Iudæo mulier Samaritica potum
(Dispernens veterum Samaritum iussa) ministrem.
Tunc Saluator ait: Domini si munera nosses,
Et quis te sitiens putealia pocula poscat,
Tu potius peteres viuam tibi traderet vndam.
Illa sub hæc: puteus gremium sinuatur in altum,
Vrceus est nullus, nec sunt tibi vincula funis,
Vnde igitur poteris vndam mihi tradere viuam?
Num tu maior eris nostri virtute parentis?
Hoc etenim Iacob puteo cum prole bibebat,
Et proprios huc sæpe greges ad pocula duxit.
Olli respondit mundi regnator Iesus:
Ex ista plene nullus satiabitur vnda,
Nam rursus sitiet: sed nostri dona liquoris,
Ardorem excludent æterna in secla bibendi.

Dulcia

A Dulcia prouenient nostri cui pocula fontis,
Largior inde fluet vitalis gratia fluctus.
Sed desiderium nostræ si te capit vndæ,
Excitus veniat tecum mox vrbe maritus.
Coniugio sese mulier negat esse reuinctam.
Tunc sic prosequitur mentis perspector Iesus:
Fœmina, veridicis loqueris de coniuge verbis.
Nam tu connubiis nexa es iam quinque virorum,
Nunc aliena super thalamorum vincula tollis.
Tum mulier: sanctum te certum est esse prophetam
Sed nostri istius venerandum montis in arce
Præceptum nobis quondam liquêre parentes:
At vos in Solymis orandum dicitis oris.
  Talia dicenti, mox talia reddit Iesus:
En aderit tempus, montis cum vertice vestri
Omnibus & Solymis aberit veneratio longe.
Sed nunc certa salus Iudæis surgit ab oris,
Et nunc instantis cursus iam temporis vrget,
B Cum veri sanctum genitorem, errore remoto,
Cultores, iustis armati legibus, orent.
Spiritus iis ac plena fides erit, & pater altus
Talia conquirit cultorum pectora terris.
Illa dehinc: scimus quod Christus nuncius orbi
Aduentu proprio vitalia secula pandet.
Et tunc peccatum largus miserator Iesus,
Se lumen terris Christum venisse fatetur.
Et iam discipuli reduces, stupuere magistrum,
Quod secreta piis postretur fœmina verbis.
  At properans vrnam mulier fontem prope liquit,
Et populum totis eduxit mœnibus vrbis:
Omnia nam memorat sibimet sermone prophetæ,
Gesserat ipsa prius quæcunque ex ordine dicta.
Tum propere Christum fusæ petiere cateruæ.
Discipuli interea rogitant vt sumeret escas:
Ille satis sibi pulchrorum superesse ciborum
Respondit, sed tum mirantum discipulorum
Inter se occultis currebat sermo loquelis:
C Forte aliquis prior hic epulas dedit ante magistro,
Nostras vt merito satiatus respuat escas.
Ille sed internæ cernens molimina mentis:
Hæ mihi sunt epulæ, pectus satiabitur istud,
Si faciam magni genitoris iussa per orbem:
Quatuor hinc menses lætæ ad primordia messis,
Frugiferæ æstati certe superesse putatis:
Erigite ergo oculos, albentes cernite campos,
Cunctaque maturam iam rura exposcere messem.
Nunc quicunque meter, pulchri mercede laboris,
Vitalique dehinc gaudebit fruge redundans,
Et sator accipiet messorum gaudia lætus.
Hos ego nunc misi grauidam succidere messem,
Quæ non est vestro sulcis inserta labore.
Vos aliena bonæ ditabunt munera frugis.
Talibus alloquiis comitum dum pectora complet,
Ecce Samaritûm populi venêre rogantes,
Exorantque illic geminos expendere soles.
Iamque fides multos plebis fundauerat alta,
D Nec iam fœmineis tantum concredere verbis
Ipsos, sed coràm virtus manifesta docebat,
Venisset sœcli quod iam saluator Iesus:
  Iamque Galilæam remeauerat in regionem,
Quondam vbi fontanas vino mutauerat vndas.
Regius hic iuuenis (cui natum morbus anhelo
Ardore extremis vitæ torrebat in oris.)
Comperit vt Christum certo remeasse recursu,
Aduolat, & precibus sobolis pro sorte profusis
Orabat, celeris deposcens dona salutis,
Ne prius ad lethum natus traheretur acerbum.
Christus ad hæc: signis nisi suadeat omnia virtus,
Non erit vlla fides: sed perge, & sospite vita
Ædibus in vestris dulcem complectere natum.
His verbis, fructum mox perceptura salutis
Pulchra fides, animum lætanti in pectore firmat.
Iamque iter ingresso properantibus obuia seruis
Nuncia fama venit, pueroque in luminis oras
Limine de mortis subitam remeasse salutem.

Ille vbi cognouit certum concurrere tempus, E
Sanantis Christi verbis, seseque domumque
Mancipat, amplexus, fidei venerabile donum.
  Forte dies epulis multos sociauerat vnus,
Publica conductis qui vectigalia lucris
Professi rapiunt alieno nomine prædam,
Hos cum discipulis simul accipiebat Iesus,
Ecce Pharisæi occulto reprendere risu,
Quod legis doctor conuiuia talia adiret.
Ille sed inspiciens quid pectora clausa tenerent:
Non, inquit, medicis opus est, vbi fortia membra
Intemerata salus vegetat, viresque ministrat:
Ægris sed merito miserans adhibenda medela est.
Discite nunc saltem iubeant quid verba prophetæ:
Non ego sacra magis quam mitia pectora quæro.
Haud etenim iustos veni ad directa viantes,
Sed reuocare malos peccantum à limine gressus.
  Ecce sed è numero mirantum munera Christi,
Vnus Ioannis quærebat discipulorum, F
Cur ipsi legis ieiunia crebra tenerent.
Nullaque sub Christo plebes ieiunia ferret?
Christus ad hæc contra placido sic ore profatur:
Qui sponsi lætis comitantur vota choreis,
Non præsente illo ieiunia tristia portant.
Iamque dies aderit, cum sponsus turbine sœcli
E medio comitum rapietur: tristibus illi
Tuncque dabunt animos lacrymis, horrore ciborum
Languida concipient animis ieiunia flentes.
Quam stultum est rudibus veteres subtexere pannos
Vestibus, vt veteris peior scissura patescat?
Viribus aut calidum tritis committere mustum,
Quîs ruptis, totum sequitur disperdere vinum?
Viribus est rectum rudibus spumantia musta
Condere: sic vinum conseruant fortia vasa.
Talia tractanti, perculsus pectora luctu,
Ecce sacerdotum princeps procumbit adorans,
Et sibi defunctam, funus miserabile, natam,
Implorat lachrymans, certamque venire salutem G
Defunctæ vitam poscebat munere Christi.
Haud mora, consurgens graditur saluator Iesus.
Progressi mulier sequitur vestigia seruans,
Quam languore graui bis sex labentibus annis
Carpebat fluxus, lacerans sine fine, cruoris,
Viribus absumptis, & toto corpore fessam,
Pectoris hæc tacitam voluebat credula mentem,
Arcana secumque fide iam certa tenebat,
Acturum fesso fugeret quod corpore tabes,
Extremam Christi posset si tangere vestem.
Hæc vbi per populum summi pendentia pepli
Fila manu trepida tractauit, protinus ille.
Et causas morbi, & credentia pectora cernens,
Concessit celerem tali cum voce salutem:
Accipe, quod meruit fidei constantia, munus.
Et mox constricto riguerunt sanguine venæ.
Postquam peruentum est, vbi funera virginis ingens
Plangentis populi fremitus, clangorque tubarum H
Vltima supremæ celebrabant funera pompæ:
Abscedant, inquit, tectis hæc tristia vestris:
Namque puella iacet placido demersa sopore,
Defunctam rerur flentum quam nescia plebes.
Talia dicentem, ridentum turba reliquit,
Quod morte abreptam dixit dormire puellam.
Sed Christus lethi victor, vitæque repertor,
Frigentis dextram dignatus prendere dextra,
Surgere mox iussit miranda ad gaudia patris.
  Inde reuertenti clamor se protinus offert,
Lumine captorum gressu labente duorum.
Atque his Christus ait: Si credunt pectora vestra,
Nunc virtute mea se reddet lumen ademptum.
Olli firmato se credere corde fatentur.
Tunc Christus fatur: credentes cernite lucem,
Nec cuiquam nostrum post hæc edicite nomen.
Dixit: sed maior per gaudia tanta videntum
Ardor inexpletus famam per cuncta ferebat.
  Offerturque dehinc iuuenis, cui rapta sonoræ

A Dæmonis incursu fuerat substantiæ vocis.
Atque vbi propulsus fugit de pectore dæmon,
Confestim sanæ redierunt munera linguæ.
Talia mirantis populi stipante tumultu
Vallatur: cernens sed millia tanta virorum,
Ingemit, vt ruris dominus, cui pascua læta
Innumeræ tondent pecudes, rectoris egentes,
Tunc ad discipulos depromit talia verba:
Quam late segetes ruris per terga patescunt,
Sed rarus messor frugis superatur aceruo.
Iam superest, dominum segetis deposcere tantæ,
Vt sua rura velit numero complere colentum.
Hæc fatus, populo ex omni delecta seorsum
Fortia conglomerat bisseno pectora cœtu,
Hos vbi delegit, præceptis talibus implet:
Deuitate viam, quam gentes perfidiosæ,
Et Samaritarum fraudis vestigia calcant.
Pergite, qua patrij pecoris custodia balat.
B Pergentes vero similem mihi sumite mentem,
Vt vobis subigat virtutes dæmonis atri
Sancta fides, curamque piam languoribus aptet,
Hæ vires nulla vobis mercede dabuntur,
Et vos haud aliter cunctis impendite dona,
Non auri argentive domet possessio mentem,
Nec vos nummorum subigat scelerata cupido,
Nec geminas vestes, nec plantis tegmina bina,
Virtutis nudæ cupiat seruire minister.
Ingressi muros vrbis, perquirite semper
Hospitio quorum par sit succedere iustis,
Ingressique dehinc pacem sub tecta vocate.
Si tranquilla domus fuerit, pax illa manebit:
Sin erit indignis habitantum motibus horrens,
Diffugiet, vestrumque abitum pax vestra sequetur,
Excludet quicunque ferus vos limine tecti,
Auribus aut duris spernet vitalia verba,
Siue auersa Dei famulos succedere tectis,
Hospitiique focos miscere grauata vetabit:
C Excutite egressi domibus vestigia vestra,
Hæreat iniustæ ne vobis portio vitæ.
Illos deterior Sodomorum pœna manebit
Suppliciis, veniet mundo cum terminus omni.
Pergitis en vt oues sæuorum præda luporum,
Sed vos arguto serpentum corde vigete,
Simplicitate tamen puras superate columbas.
Nam sæpe incumbet vobis iniuria præceps,
Conciliisque hominum statuentur corpora vestra.
Vos flagris, vinclisque feris, durisque tyrannis
Frendens vrgebit pro me violentia secli.
Cum vos prodiderint, verborum ponite curam,
Sponte fluens dabitur sermonis gratia vobis:
Spiritus in vobis pro vobis digna loquetur.
Prodet enim fratrem scelerata insania fratris,
Ad lethumque dabunt genitorum corpora nati.
Vos odia vrgebunt semper pro nomine nostro:
Sed finem fidei comitatur gloria vitæ.
D Profugite è tectis, quæ vos sectabitur, vrbis.
Inde aliam, mox inde aliam conquirite sedem.
Nam vobis vrbes semper superesse necesse est.
Israëlitarum quæ dent sub nomine plebem.
Discipulus nunquam transcendat celsa magistri
Culmina, nec dominum tentet præcellere seruus.
Discipulo satis est, vires æquare magistri,
Vel domini similem virtutem prendere seruo.
Pectoribus vestris semper timor omnis aberret.
Nam nudata suis promentur cuncta latebris.
In tenebris tacite vobis quæcunque iubentur,
Dicite præclaro nitidi sub lumine solis.
Auribus & vestris dicam quæcunque susurrans,
Excelso in populos spargantur culmine tecti.
Despicite illorum rabiem, qui corpora vestra
Prosternent ferro: non est his vlla potestas
Viuacem letho pariter demittere mentem.
Illum sed potius cordis secreta pauescant.
Corporis est animæque simul cui cuncta potestas.
passeribus pretium nummi vix portio parua
E Proueniet: non est tamen vnum credere dignum,
Ni iussu Domini, laqueos incurrere vestros.
Quis dubitet sapiens Domini sub pectore multis
Cedere pennatis hominum pro millibus vnum?
Qui me confessus fuerit sub iudice terræ,
Hunc ego non aliter coram genitore fatebor,
Sic itidem coram genitore negabo negantem.
Non ego nunc pacem terris immittere veni,
Sed gladium: patrio dirimat qui pectore natum,
Et dulcem natam dirimat qui pectore matris.
Si quis amore meo genitorem pluris habebit,
Vel matri sobolive meum postponet amorem,
Sentiet horribilem nostra de sede repulsam.
Contemnet quicunque animam pro nomine nostro,
Inueniet læta florentem fruge salutis.
Qui vos suscipiet, me suscepisse benignis
Obsequiis, idem me pro genitore supremo
Suscepisse sibi gaudebit perpete vita.
F Talia discipulis bis sex cum iussa dedisset,
Iustus Ioannes cæci de carceris vmbris,
Sectantum è numero delectos, talia dicta
Ad Christum portare iubet, verumque referre:
Tune piis animis requies, quam regia cœli
Pollicita est terris, nostro sub tempore fulges?
An superest aliam posthac sperare salutem?
Talibus hæc Christus dictis mandata remittit:
Cæcorum tenebræ mutantur lumine lucis,
Debiliumque vigent firmato robore membra,
Lurida discutitur squamoso corpore lepra,
Aëriæ vocis penetrat surdas sonus aures,
Redditur amissa lethi post funera vita,
Ad corpus remeans animæ iam libera virtus,
Pauperibusque suis non dedignata patescit
Fulgentis splendens aduentus gloria terris.
Ille beatus erit, quem non deceperit error.
Talia discipuli referunt mandata magistro.
Hæc super ad populum depromit talia Christus:
G Cur in deserto voluistis visere nuper
Stramen arundineum vento vibrante moueri?
Cur etiam molli vestitum veste videre?
In domibus regum molli cum veste tenentur.
Ille prophetarum solus transcendere vires,
Iudicio veteris scripti, promittitur olim.
Hunc etenim memorat venerandæ lectio vocis:
En ego mitto meum stratas aptare ministrum
Ante tuos vultus: genuit nec fœmina quenquam,
Maior Ioannis nostri qui viribus esset:
Sed minimus cœli qui in regno est, maior habetur.
Huius ab exortu vim cœli regia sensit,
Et cœli regnum violentia diripit atrox.
Lex omnis summam Baptistæ ad tempora cepit,
Atque prophetarum finis conclusus eodem.
Si vultis volucris penetralia noscere secli,
Ipse est Elias, felix venturus in æuum,
H Corpus Ioannis felix habitabile sumpsit
Elias quondam, quem turbine iussa corusco
Flammipedum rapuit simulatio quadriugorum.
Audiat hæc dictis pandens vitalibus aures.
Nunc tibi confiteor Genitor, cui gloria seruit
Fulgentis cœli, & terrarum frugiferarum,
Cœlesti nunc quod sapientibus ista superbis,
Paruulaque infantum vis hæc comprendere corda.
Iam mihi regnantis sunt omnia tradita patris:
Nec quisquam Domini poterit cognoscere natum,
Ni solus genitor, genitorem mente videbit
Filius, aut idem pandet cui talia natus.
Huc omnes veniant, oneris quos sarcina vasti
Comprimit, iis poterit virtus mea, munere patris,
Antiquas vires hilari reparare quiete.
Sumite forte iugum, leuis est mea sarcina iustis,
Namque humili dulcem largitur corde salutem.
Hæc vbi dicta dedit, messis per culta grauatæ
Præterit, & populus sectantûm discipulorum
Spicarum grauidam carpebat in ordine frugem.
Ille dies veteri poscebat lege quietem.

A Sabbata nam priscis repetebant otia iustis.
Ecce Pharisæi curant reprehendere Christum,
Quod sanctæ legis calcarent iussa metentes
Discipuli, legum sed tunc completor Iesus
Incipit, his veteris scripti monumenta retexens:
Legistis certe in templo Dauida canorum,
Cum populo quondam panes sumpsisse sacratos,
Et propriam, comitumque famem sedasse, sed illos
Illicitum cuiquam fuerat contingere panes,
Sumere quos solus poterat de lege sacerdos,
Eiusdem scriptum est iusto moderamine legis.
Vates in templo sine crimine festa profanent,
Nec minor est istic vestræ glomeratio turbæ,
Quam templi virtus, caperent si pectora vestra,
Quod non sacra Deus, sed mallet mitia corda,
Non tam sæpe viros damnasset factio vestra
Expertes culpæ, sed nunc ego sabbata cuncta,
Sponte mea dominans, legis sub iure tenebo.
B Tunc conuenticula ipsorum post talia dicta
Ingreditur, mox hic iuuenem pro limine cernit,
Siccatum ex humero cui pondus inutile palmæ
Pendebat: sed tum dictis tentando dolosis,
Ægris an liceat per sabbata ferre medelam,
Quærunt, calcatæ vt legis vindicta maneret.
Christus ad hæc: Foueam si forte pecuscula vestra
Inciderint, certè transibitis otia legis,
Et pecus abrupto tolletis vile profundo.
Quanto igitur nobis hominum curatio maior
Ad benefacta animos tollens accendere debet?
Ergo age tu iuuenis rediuiuam extendito dextram,
Cum dicto, palmam sanus porrexit vtramque.
Istis pro signis, quæ vix veneratio posset
Mirantis digno populi sustollere cultu,
Conciliis trucibus conclamant decipiendum.
Talia prospiciens procerum molimina Christus,
Decedens, variis hominum languoribus aptat
Concessam in populos patria virtute medelam.
C Oblatusque illi est, quem dæmonis horrida virtus
Et lingua & visu truncatum, viuere pœnæ,
Et propriis escam cruciatibus esse volebat.
Hunc vbi curatum, visuque & voce vigentem
Cæca Pharisææ cognouit factio gentis,
Dæmonis auxilio (qui princeps dæmoniorum
Solus nequitiæ vires ditione teneret)
Hæc illum fecisse ferunt, sed talia Christus
Veridicis aperit conuincens pectora verbis.
Si gemina regnum distractum parte dehiscat,
Et scissa aduersum sese distractio pugnet.
Disruptis properè labentur cuncta medullis:
Horridus & dæmon si dæmone pellitur atro,
Aduersa sibimet scissus virtute repugnat.
Quis poterit prædam tectis auferre virorum,
Ni prius aggressor, custodum brachia nodis
Vinciat, vt facilis veniat direptio prædæ?
Quisque meis aberit discretus miles ab armis,
Hostis in aduersa consistet fronte duelli:
D Quisque meis gregibus cogendis liber oberrat,
Disiicit ille mei pecoris per deuia pastus.
Sed quicunque hominum fuerit super omnibus error,
Dimitti poterit: tantum, ne spiritus vnquam
Vocibus insana laceretur mente profusis.
Siue furens hominis nato conuicia quisquam
Ingerit, hæc etiam poterunt peccata remitti:
Spiritus at sanctus tantum à quocunque profana
Verborum rabie violabitur, irreuocatis
Suppliciis nunc & semper torrebitur igni.
Quando veneniferi serpentis sæua propago,
Sermonum dulci poterit mitescere fructu?
Nam bona thesauris promuntur dulcia iustis,
Et mala lethifero procedunt ore venena,
Verborum meritis dabitur sub iudice vita,
Verborum meritis veniet sub iudice pœna.
Quæ genitor faciet, sectabitur omnia natus:
Namque idem nato manifestat cuncta videnda,
Et potiora dehinc tribuet miracula rerum,
Sicut enim genitor de mortua corpora reddit E
Ad claram vitæ lucem: sic omnia natus,
Quæ volet, ad superos surgentia corpora ducet.
Nec genitor quenquam vestrûm se iudice quæret,
Sed dedit hæc nato quærendi iura per orbem,
Gloria quo maneat similis natoque patrique,
Namque repulsus erit vestro si natus honore;
Improbitate pari genitorem despicietis.
Sed cui nostra fidem sermonis gratia figit,
Mox me mittentis genitoris dona videbit,
Æternamque dabit præsens constantia vitam,
Iudiciumque illi non est, sed migrat ab atra
Morte procul, lucisque vigens ad limina tendit.
Adueniet tempus, quo mortua corpora vocem
Accipient nostram, & vitam cum voce tenebunt,
Nam sicut genitor vitam sibi possidet in se,
Sic tribuit nato vitam, & ius dicere iussit
In terris, hominis quoniam de corpore venit.
Nec vobis mirum videatur, cõrpora cuncta
Vocis ad auditum propriis exurgere bustis,
Iustorumque animas rediuiuo corpore necti;
Iudicioque graui miseros exurgere prauos. F
Nec mihi iudicium tribuet mea sola potestas:
Arbitrio quoniam genitoris cuncta iubentur,
Qui me iustitiam terris disquirere iussit.
Namque ego si proprio testis pro nomine surgam,
Falsa loqui possem: est alius quia testis habetur
Pro nobis, rectè mihi talia temnere fas est.
Nam veris operum signis manifestior omni
Luce nitet, præsens nostris testatio factis.
Talia concedens genitor mihi testis adhæret,
Qui me demisit terris, sua ponere iussa.
Huius enim vocem nunquam comprendere quistis
Nec speciem propriam concessit visere vobis.
Nec sermo ipsius poterit per vestra sedere
Pectora, credendi quoniam substantia nulla est.
Quæratur veterum scriptorum lectio vobis,
Perpetuam cunctis vitam quam ferre putatis,
Hæc etiam nostrum testatur lectio donum.
Nec tamen audetis propius consistere nobis, G
Ne veræ vobis contingant gaudia vitæ.
Non mihi captatur terrenæ gloria laudis.
Namque ego, qui summi genitoris nomine veni,
Respuor à vobis: veniet sed dyscolus alter,
Nomine quem fultum proprio, gens vestra sequetur:
Alternæ in vobis captatur gloria famæ,
Vnius & solam fugitis disquirere laudem,
Ne vos arguerim coram genitore: sed illic
Accusator erit, quem spes modò vestra celebrat,
Moses, quem fidei nullo seruatis honore.
Eius enim scriptis vester si crederet error,
Crederet & nobis, Mosi quem scripta frequentant.
Talia tum contra scribarum verba sequuntur:
Vocibus indubitata fides comitabitur istis,
Si virtus certis firmet miracula signis.
Ille dehinc: Polluta malis generatio quærit
Signa sibi, rebus stabunt sed signa futuris.
Namque propheta cauo quantum sub pectore ceti
Temporis absumpsit: terræ in penetralibus altis H
Progenies hominis tantum demersa manebit.
Adueniet tempus, cum surget reddita vitæ,
Gens hominum propriis in fletum dedita gestis,
Hæc istam digno damnabit crimine gentem:
Quod maris è fundo surgentis voce prophetæ
Commonita, in lachrymas dominum proiecta reflexit.
Hic & Ionæis monitis potiora iubentur,
Contemnitque feris animis gens impia lucem,
Et regina Noti vitales surget in oras,
Illius ad specimen damnabitur effera plebes:
Finibus extremis Libyæ quod venerit illa,
Vt Solomona pium præceptis dedita iustis
Audiret: potior nunc est Salomone potestas,
Et tamen obtusæ cæcantur pectora plebis.
Expulsus si quando fugit de pectore dæmon,
Quem turbat sanctus purgato è corpore flatus,

A Ille venenatis collustrat passibus oras,
Quâ nulla excurrit fontani gurgitis vnda.
Si requiem placidæ sedis non repperit, ardens
Tunc repetit suetæ sitiens habitacula mentis.
At si forte suis obnoxia corda venenis,
Ornatuque leui ridentia limina cernit.
Associat septem similes glomerando furores
Vis inimica homini: penetratque in viscera serpens.
Sic genus hoc vero sensu cum degener errat,
Vincula perpetuis deflebit subdita pœnis.
Atque ea cum populis vitalia dicta frequentat,
Pro foribus mater cum fratribus astitit illic,
Et miscere foris sermonem cominus orat.
Talia tum matris mandatis dicta remittit:
Hic mecum genitrix, mecum germana residunt
Corpora, nam patria impletur cuicunque voluntas,
Ille meo proprium connectit sanguine corpus,
Et matris generisque mei sub nomine habetur.
B Progreditur templo terrarum lumen Iesus,
Et maris extrema terræque resedit in ora,
Innumeræque illuc plebis fluxêre cateruæ.
Ille sed excelsam scandens quæ proxima puppim,
Littora complenti depromit talia plebi:
Ecce sator proprio commendat semina ruri,
Illa cadunt diuersa solo, sortesque locorum
Pro virtute ferunt: nam sicubi trita viarum
Sub pedibus solido densetur limite tellus,
Aëriis auibus dant nudam semina prædam.
Ast vbi pertenui velantur puluere saxa,
Farra quidem viridem depromunt germinis ortum:
Sed quia nulla subest siccis substantia glebis,
Inferno arescunt radicum fila calore,
Cunctaque mox apicum labuntur acumina letho.
Seminibusque aliis contingunt aspera rura,
Sentibus hic spinisque feris velocius exit
Roboris augmentum, frugemque internecat augens.
Vberibus vero dantur quæ semina glebis.
C Illa ferunt pulchram segetem, cui læta frequentat
Incrementa sui centeno copia fœtu.
Audiat hæc aures mentis qui gestat apertas.
Talia discipuli mirantes dicta requirunt,
Implicitis populo cur clauderet omnia verbis?
Ille sed admota credentum plebe profatur:
Vobis, qui firmo robustam pectore mentem
Ad capienda Dei penetralia constabilistis,
Concessum est adytis penitus consistere regni:
Illis pro merito clauduntur lumina mentis.
Si quid habet dignus, capiet potiora redundans.
Qui vero expertes cœlestis muneris errant,
Amittent etiam proprium quodcunque retentant.
Idcirco obscuris cooperta ambagibus, illum
Promitur in populum sermonis gratia nostri,
Vt dictum Isaiæ merita de plebe recurrat.
En populi mentes velantur ad omnia crassis
Obicibus, sensu ne tangant munera vitæ.
Auribus assistunt clausis, oculisque grauatis,
Ne conuersa bono sanetur noxia plebes.
D Quam vestræ nunc sunt aures oculique beati?
Nam multi veteres iusti sanctique prophetæ,
Quæ vobis clarent, orârunt cernere dona,
Accipite ergo animis, qui sit de semine sensus.
Quisque meum verbum summas demittit in auras,
Nec sensus recipit stabili præcepta vigore,
Eripit illius totum de pectore dæmon:
Hic agro est similis, duro qui germina calle
Exponit rapidis auibus sine fruge rapinam,
Sunt alij, læto qui pectore nostra receptant,
Sed breuis est illis perceptæ gratia frugis.
Nam si dura premat mentem strictura coërcens,
Continuo trepidi produnt sibi credita farra:
His saxosus ager simili leuitate virescit.
At spinosus ager, curarum mole grauatis
Respondet, pressant quos pondera diuitiarum.
Semina sic nostri sermonis pressa grauantur.
Nec fructus sequitur, spinarum horrore necatus.

Pinguia sic itidem paribus stant viribus arua E
Illis, qui claré capiunt præcepta salutis,
Quæ penetrant animum sensu tractante tenaci,
Centuplicemque ferunt virtutis robore frugem.
Hæc tum discipulis: plebique hæc insuper addit:
Agricolæ simile est regnum sublime Tonantis:
Ille iacit proprio mandans bona semina ruri,
Sed pòst surripiens (homini insidiando) saporem
Trux inimicus adit, loliumque inspargit amarum,
Ecce, sed ad fructum culmus cum spiceus (horror)
Processit, lolio messis maculata redundat.
Tum Domino famuli mirantes talia fantur:
Nónne bonum terræ semen per terga dedisti?
Vnde igitur lolio turpi tua rura grauantur?
Sed iam, si iubeas, messem purgabimus omnem,
Triticeusque nitor selecta sorde nitescet.
Tum Dominus miti cóntrà sermone profatur:
Hic dolus est inimici tuus: sed farra sinamus
Crescere cum lolio, pleno nam tempore messis, F
Secretum lolium connexo fasce iubebo
Ignibus exuri: at nostro de semine messor
Horrea nostra dehinc purgata fruge replebit.
Haud aliter simile est (cordis si panditis aures)
Præparui grano regnum cœleste sinapi,
Quod proprio insinuans disponit cultor agello,
Seminibúsque illud minus omnibus esse virentum
Creditur, ac iusti mox vt crementa viroris
Sumpserit, erecto transcendit vertice cunctas
Agrorum fruges, ramis vt plumea turba
Confidat, possitque vmbras habitare virentes.
Fermento par est munus cœleste salubri,
Quod magna condit mulier sub mole farinæ.
Illa dehinc modico fermenti mixta calore,
Conducto vnius coalescit corpore massæ.
Talia tum populo perplexis condita verbis
Promebat, veteris quo possent dicta prophetæ
Ordine seclorum iussis concurrere rebus.
Os aperire meum dignabor, condita mundi G
Conuoluet ructans varij sermonis imago.
Inde domum repetit seruus, turbasque relinquit.

LIBER TERTIVS.

FVderat in terras roseum iubar ignicomus sol:
Discipuli rogitant, lolij quid quæstio vellet,
Et segetis? clarus quibus hæc depromit Iesus:
Optima qui farris commendat semina glebis,
Filius est hominis: mundum sub nomine ruris
Accipite, atque homines puro pro semine iustos.
At lolium infelix, cooperti dæmonis arte
Sunt homines: inimicus erit vis horrida, dæmon:
Extremus mundi finis pro tempore messis.
Messores patris venient per rura ministri,
Quos hominis natus proprij de corpore regni
Colligere erroris laqueos, labemque iubebit,
Collectosque simul rapidis exurere flammis.
Dentibus his stridor semper fletusque perennis: H
Secretisque piis veniet lux aurea vitæ,
Sedibus vt cœli vibrantur lumina solis.
Hæc docuit, patriamque redit Saluator in vrbem,
Illic expediens populis (mirabile dictu)
Iustitiæ leges, vitæque salubria iussa,
Virtutes patrias simul insinuando docebat.
Tunc liuore graui plebes commota suorum,
Præsentisque simul Domini miracula voluens,
Et generis noti reputans ex ordine gentem,
Hæc inter sese mussanti voce volutant:
Nónne hic est fabri soboles, cui nomen Ioseph?
Num Mariâ est genitus, num fratrum nota propago est?
Vnde igitur legis doctor, tantæque magister
Virtutis, cedit cui labes victa laborum?
Nazara sic plebes: cui talia reddit Iesus:
Temnuntur propriis miracula semper in oris,
Et sine honore manent patria sub sede prophetæ.
Talibus indignans pressit sua munera Christus.

A Interea ad regem volitabat fama superbum,
Quod mala cuncta illic virtus diuina domaret.
Sed putat Herodes, lethi quod lege remissus
Tanta vt Ioannes virtutis dona teneret.
Nam quondam cernens liuenti pectore dæmon,
Erroris labem puris quod solueret vndis
Iustus Ioannes, damnis accensa malorum,
Tunc petit Herodem pestis sæuissima regem,
Et facilè iniusti penetrans habitacula cordis,
Accumulare feris subigit scelera impia gestis.
Arserat illicito Herodes accensus amore
In thalamos fratris, sancto quod iure vetabat
Doctus Ioannes, feritas sed nescia recti
Subiecit leges pedibus, fruiturque nefandis
Connubiis, ipsumque super (quia praua vetabat)
Carceris immersit tenebris, vinclisque grauauit.
Sanguine nam iusti, primo compressa timore,
Abstinuit sitiens feritas, quia magna prophetam
B Plebis Ioannem venerario suscipiebat.
Natali sed forte die cum læta tyrannus
Herodes celsis strueret conuiuia tectis.
(Luxuriæ quoniam coniuncta superbia gaudet)
In medio iuuenum, reginæ filia virgo,
Alternos laterum celerans sinuamine motus,
Compositas cithara iungit modulante choreas.
Ipse sed in primis mirata virginis arte
Attonitus stupuit, nunc præmia cuncta patêre
Iuratus spondet, quæcumque puella petisset.
Illa sed horrendæ seruans scelera impia matris,
Vrget Ioannis caput à ceruice reuelli,
Et lance inferri præsentia munera poscit.
Præsentûm Herodes procerum sub pondere tristis,
Iurandique memor iuris, tamen imperat ægrè
Insontis caput auferri: tradique puellæ.
Illa (nefas) matris sceletata ad gaudia portat.
Corporis at lacerum flentes sine nomine truncum
Discipuli condunt terræ, Christumque sequuntur.
C Ille vbi cognouit iusti miserabile lethum,
Deserit insonti pollutam sanguine terram,
Frondosaque latet secretæ vallis in vmbra.
Sed populi immensæ virtutis dona sequuntur.
Ille vbi credentum turbas in valle remota
Conuenisse videt, morborum tabe repulsa,
Corpora subiecit miseratus multa medelæ.
Iamque sub extremo labentis lumine solis,
Discipuli Christo suadent dimittere turbas,
Vt sibi quisque paret, quærens per compita, victum.
Ille iubet cunctis illic conuiuia poni.
Discipuli ostendunt, nihil amplius esse ciborum,
Ni pisces geminos, & farris fragmina quinque.
Hoc, inquit, satis est, tum mox discumbere plebem,
Gramineisque toris iussit corpore membra,
Suspiciensque dehinc cœlum, genitore precato,
Ipse duos pisces & quinque ex ordine panes
Diuidit, & dapibus mensas onerauit opimis.
D Iamque expleta iacet (dictu mirabile) plebes,
Relliquiasque dehinc mensis legêre ministri,
Bis senosque sinus cophinorum fragminis implent.
Cœnantum numerus tum millia quinque virorum,
Præterea populus matrum fuit, & puerorum.
Discipulis tunc inde iubet conscendere nauem,
Et transire fretum, donec dimitteret omnes
In sua quemque viros, tunc montis celsa petiuit,
Secretusque dehinc genitoris numen adorat.
Iamque soporata torpebant omnia nocte,
Cum puppis medio sulcabat in æquore fluctus,
Iactata aduerso surgentis flamine venti.
Ast vbi iam vigilum quarta statione premebat
Noctis iter, rapidos attollens Lucifer ortus,
Fluctibus in liquidis, sicco vestigia gressu
Suspensus carpebat iter, mirabile visu.
Iamque propinquabat puppi, sed nescia nautæ
Attoniti tremulo vibrabant corda pauore,
Clamoremque simul confusa voce dederunt.
Tum pauidis Christus loquitur: timor omnis abesto,
E Credentûmque regat vegetans constantia mentem.
En ego sum, vestræ doctorem noscite lucis.
Olli confidens respondet talia Petrus:
Si tua nos verè dignatur visere virtus,
Me pariter permitte tuo super æquora iussu
Fluctibus in liquidis immersos figere gressus.
Annuit his Dominus, nauem mox linquere Petrus
Audet, & innixus figit vestigia ponto.
Verùm vbi tantarum mentem miracula rerum
Terrificant, ventique minas crebrescere cernit,
Paulatim cedunt dubio liquefacta timore,
Quæ validum fidei gestabant æquora robur.
Iamque Simon medio submersus corpore clamat:
Fluctibus horrendis pereuntem diripe Christe.
Dextera confestim protenditur obuia Petro,
Et dubitata fides verbis mulcetur amaris,
Ascensæque rati contraria flumina cedunt,
Præsentemque Dei sobolem stupuêre rogantes,
F Cuncti nauigio socios quos casus habebat.
Transierat tandem sulcans freta feruida puppis,
Optatumque grauis comprênderat anchora portum.
Conueniunt populi rapido per littora cursu,
Portantes ægros, vestisque attingere fila
Extrema exoptant, (mirumque) hoc munere cuncti
Credentes referunt plenam per membra salutem.
Ecce Pharisæi, Scribæque hinc inde dolosi
Captantes Christum, promunt fallacia dicta:
Cur tua discipulos patitur doctrina labare
Præceptis veterum? manibus nam cura lauandis
Præterit, assumuntque simul cum sordibus escas.
Ille sub hæc fatur: Magis hoc est quætere dignum:
Transgressi mandata Dei quòd proditis omnes.
Namque Deus mortem defixa lege minatur,
Si genitor cuiquam verbo lædatur amaro,
Vel genitrix nati verbis pulsetur acerbis.
Irrita vos isthæc facitis, peruersa docendo,
Quàm manifesta vigent de vobis dicta prophetæ?
G Me populus summis labiis sublimat honore,
Sed diuersa procul cordis secreta peterrant.
Accipite ergo omnes, auresque aduertite cordis.
Non illata homini (fuerint quæcumque) pudendis
Sordibus aspergent, vitæve animòve sedebunt:
Erumpunt hominum sed quæ penetralibus oris,
Internam miserè maculabunt edita mentem.
Discipuli Christo memorant, quòd verba loquentis
Occulto traherent Scribarum pectora risu.
Ille dehinc, genitor plantarum semina noster,
Quæ non ipse sui conseuit in æquore ruris,
Abiiciet penitus radicibus eruta longè.
Cæcus forte ducem cæcum sin nactus oberret,
Decidet in foueam pariter demersus vterque.
Tunc petit absolui Petrus quid quæstio vellet,
Ipse Pharisæis quam mox Scribisque dedisset.
Tum sator æternæ respondit talia vitæ:
Vos etiam duro discluditis omnia corde
Iussa, nec admittit mentis dubitatio lucem?
H Nam quæcumque hominum veniunt extrinsecus ori,
In ventrem cedunt, animoque incognita currunt.
Quæ verò interno concepta è pectore promunt
Ora hominum, mentem possunt aspergine labis
Polluere, immundoque hominem maculare piaclo.
Secreto cordis promuntur noxia vitæ
Concilia, & cædes, & furta nefanda thororum,
Et fraudes, fallaxque hominum pro testibus error,
Et rabidæ cœlum pulsans insania vocis.
Hæc sunt quæ maculant hominem, quæ sordibus implet.
Illotis autem manibus non polluit vnquam,
Corporis arbitrio terrenum sumere victum.
Hæc vbi dicta dedit, pulcherrima rura Syrorum,
Sidonem, Tyrumque petit: cùm fœmina fusis
Crinibus & precibus, natam causata iacentem,
Voluitur, & tacitum non desinit anxia Christum
Orare, vt mentem vexatam dæmone sæuo
Redderet, & miseræ tandem resipisse liceret:
Tunc etiam precibus sectantum discipulorum

A Respondit, proprias genitoris malle bidentes
Cogere, quas magnus latè dispersetat error.
Crebrius instanti, tum talia fatur Iesus.
Natis quisque suis panem non detrahet vnquam,
Et canibus iaciet, tum talia fœmina fatur:
Micarum saltem canibus sua portio mensæ
Decidit, & nihilo dominorum cœna grauatur.
Tum Dominus loquitur: veniant tibi digna salutis
Præmia, quæ fidei meruerunt robora tantæ.
Talia Saluator verbis & voce loquutus,
Virginis & mentem, discusso dæmone, virtus
Complexam impleuit donis fœcunda salutis.
Inde Galilæas repedat Saluator in oras,
Præcelsique procul montis consedit in arce.
Haud mora, conueniunt populi, secumque trahebant
Pars captos oculis, & crurum debile vulgus,
Elinguesque alios, morbique vocabula mille.
Omnibus ille tamen languores dempsit amaros,
Viribus & validis venerando munere donat.
B Tum populi pariter miracula tanta frequentant,
Æternoque Patri laudes gratesque celebrant.
Discipulos Christus cogens in vertice montis,
Secretè alloquitur: Plebis miseratio multa est,
Tertia nam terris remeant iam lumina solis,
Ex quo nulla sibi sumunt alimenta ciborum:
Ieiunam nolim tantam dimittere plebem,
Ne labor afficiat populos per longa viantes.
Discipuli Christo ostendunt, septem sibi panes
Esse, & pisciculos alimenta ad proxima paucos.
Tum populum iussit terræ per terga cubare,
Quodque fuit, totum propriis decerpere palmis,
Et cunctæ curat mensatim tradere plebi.
Discipuli ponunt epulas, populusque repletur
Ad satiem dapibus, relegunt mox fragmina panis,
Et sportas referunt cumulato pondere septem.
Quatuor ex omni fuerant tum millia plebe,
Nec numero quisquam matres puerosque notauit.
C Inde Mageddarum naui transcurrit in oras.
Ecce Pharisæi, Sadducæique dolosi
Noscere tentantes instant cœlestia signa.
Sed Christus cernens fallacia pectora fatur:
Conuexum quoties claudit nox humida cœlum,
Si rubet astrifero procedit vesper olympo,
Dicitis: aduenient ventura luce serenum?
Iamque sub exortu solis si tristia rubro
Nubila miscentur confusa luce colori,
Dicitis, agricolis nautisque venire fragosam
Ventorum rabiem, tempestatumque furores?
Fallaces, nostis faciem discernere cœli,
Seclorum verò nescitis tempora signis
Explorare suis? sed vobis signa dabuntur,
Quæ maris immenso quondam venêre profundo,
Bellua cum reuuit, ventris sub carcere, vatem.
Hæc ait, & properè puppis retinacula soluens,
Trans freta contendit rapido comprendere cursu
Arua Philipporum, sociis hæc talia fatur:
D Sollicitè vobis vitentur noxia farra,
Fermentumque ferox vestris auertite mensis,
Illa Pharisæi Sadducæique dolosi
Admiscent escis, falluntque in nomine panis.
Cur vobis tacitas voluit contagio mentes?
Proh quàm parua fides sensu torpente fatiscit?
Dicitis auersi, naui quòd tollere panes
Non fuerit vobis vacuum, fartisque cauendas
Insidias iubeam: meminisse & scire putabam,
Quòd panes quini plebis mihi millia quinque
Implerint dapibus, cophinisque superflua tantis
Fragmenta ad cumulum fuerint collecta ciborum.
Quatuor & rursum cœnantum millia panes
Quod facile implerint septem, sportasque referri
Vidistis rursus completas reliquiarum.
Sed moneo, istorum semper fermenta cauenda.
Discipuli tandem vitalia verba sequuti,
Doctrinam cernunt fermenti nomine dictam.
Inde vbi peruentum est liquidi per terga profundi,

Clara Philippæo qua pollent nomine rura, E
Cogit concilium sectantum discipulorum,
Et quærit quem se populorum fama putaret.
Respondent, multas plebis tunc esse loquelas.
Crebrius audisse, & multos firmare quòd esset
Iustus Ioannes, populos qui flumine lauit.
Pars memorat volucris famæ sibi cognita verba,
Eliam venisse iterum, quem præpete cursu
Turbine cœlesti quondam simulachra quadrigis
Astris inseruit rapidæ vis feruida flammæ.
Ieremiam dixêre alij, pars esse prophetam.
Tunc Christus, cunctis arridens pectore blando,
Conquirit quæ sit sententia discipulorum.
Sed stabilis Petrus. Tu sancti filius, inquit,
Christus, magnifico terras qui lumine comples.
Tum Dominus forti respondet talia Petro.
Petre beatus eris: nam talia pandere certè
Humanus sanguis, vel terræ portio corpus,
Haud vnquam poterit: genitoris munera sola F
Possunt tam validum fidei concedere robur.
Tu nomen Petri digna virtute tueris,
Hac in mole mihi saxique in robore ponam
Semper mansuras æternis mœnibus ædes.
Inferni domus hæc non exuperabile portis
Claustrum, perpetuo munitum robore habebit.
Cœlestisque tibi claues committere regni
Est animus, terrisque tuo quæ nexa relinques
Arbitrio, cœlis pariter nodata manebunt.
Soluerit & rursus tua quæ sententia terris,
Haud aliter venient cœli sub sede soluta.
Sed vos discipuli Christum me dicere cunctis
Parcite, quò soli, cognoscant talia, digni.
Iam lux adueniet properis mihi cursibus instans,
Mœnibus in Solymis rabies cum prona furore
Eximios vatum satiabit sanguine nostro.
Ast vbi sol reddet lucifluum tertius ortum,
Consurget radiis pariter redimita salutis
Vita mihi, cunctisque dabit sua munera terris. G
Tunc Petrus magno perculsus corda dolore:
Absint Christe tuis, inquit, tam tristia sanctis
Monstra procul membris, nec fas est credere tantum,
Nec tibi tam durus poterit contingere casus.
Christus ad hęc, procul hinc, inquit, procul effuge, dæmō,
Nil diuina tibi mentem prudentia tangit,
Sed terrena sapis, mollique timore tremiscis.
Sed si quis vestrûm vestigia nostra sequetur,
Abneget hic sese, corpusque animamque recusans,
Atque crucem propriam comitatibus addere nostris
Gaudeat, amissam redimet cui gloria vitam.
Nam seruata perit terris possessio lucis.
Sed quid proficient secli mortalia lucra,
Si damnum pariant vitæ, lucisque perennis?
Vel quæ digna queunt animæ commercia poni?
Filius huc hominis veniet sub nomine patris,
Cœlestesque illum fremitu comitante ministri
Stipabunt, reddetque hominum sua debita vitæ.
Vera loquor: certos istic sub limine lucis H
Inueniam, cœli fulgens cùm regna capessam.
Hæc vbi dicta dedit, passus bis terna dierum
Lumina conuexo terras transcurrere cœlo,
Tum secum iubet abruptum conscendere montem,
Petrum, Zebedeique duos per deuia natos.
Inde vbi peruentum est secreti montis in arcem,
Continuo Christus faciem fulgore corusco
Mutatur, vestisque niuis candore nitescit.
Respiciunt comites, mediumque assistere sanctis
Eliæ Mosique vident, tum talia Petrus.
Respice num nobis potius discedere longè,
An-ne istic tantæ spectacula cernere molis
Conueniat? trina attamen hic tentoria vobis,
Si iubeas, frondis faciam diuersa paratu,
Singula sub noctem quæ vos aulæa receptent.
Talia dum loquitur, cœlo perfulgida nubes
Circumiecta oculis, vestibat lumine montem,
Et vox è medio lucis manifesta cucurrit:

Vnicus

A Vnicus hic meus est natus, mea summa voluptas,
Huius iustitiam iusto comprendite corde.
Discipuli pauido presserunt corpore terram,
Neç prius è prono vultus sustollere casu
Audebant, sancto Christi quam dextera tactu
Demulcens blandis firmasset pectora verbis:
Surgite, & abiectum fortes calcate timorem.
Gloriæ & huiusce expertes vos reddite cunctos:
Nec cuiquam præsens pandatur visio vobis,
Ni prius huc hominis soboles speciosa reportet
In lucem referens mortis de sede trophæa.
Consurgunt, solumque vident, & voce requirunt,
Cur scriptis veterum Scribarum factio certet,
Eliam primùm cœli de sede reuerti
In terras, Christique dehinc consurgere lucem.
Christus ad hæc: veniet certo sub tempore iustus
Elias, reddens mox omnia debita seclo.
Sed si quis credit, iam venerat antè renascens,
B Ignotum veluti rabies quem cæca furoris
Demersit letho: mox sæuior altera cædes,
En hominis nato trucibus laniatibus instat.
Hæc ait, & populum repetit, montemque relinquit.
Ecce sed inflexis genibus, fletuque solutus
Vir senior, precibus Christum veneratus adorat:
Dauidis soboles, hominum lumenque salusque,
Te precor, horribilem nati de corpore morbum
Proturbes, reddasque seni solaria vitæ.
Nam cursus lunæ natum mihi dæmonis arte
Torquet, & in liquidas deiectum proiicit vndas,
Aut miserum medio proiectum voluit in igne.
Nam tua discipuli sectantes iussa, frequenter
Connisi, nulla insolidum mihi dona dederunt.
Tunc Christus magno commotus corda dolore:
O gens nullius fidei, gens effera semper,
En etiam patiar vobiscum me fore terris?
Sic ait, & puerum mandat perferre parenti
Ante suos vultus: tum vocis pondere multo
C Incubuit, mentisque simul conuulsa venena
Dæmonis horrendi, purgato corde, fugauit.
Discipuli rogitant, cur non successerit illis
Eiusdem pueri toties tentata medela?
Respondit Dominus: titubat quia pectore vestro
Instabilis fidei nutans per lubrica gressus.
Nam si tanta foret credendi portio vobis,
Instar quæ minimi posset præstare sinapis,
Istius hinc montis poteritis vellere verbo,
Inque alias sedes cunctam transuoluere molem.
Nam genus hoc morbi dumtaxat loua precesque,
Multaque robusti ieiunia pectoris arcent.
Inde Capharnitum gradiens peruenerat oras.
Conuenêre Petrum, quibus instat cura tributi,
Soluere poscentes solidum pro nomine Christi.
Ille sed ad Petrum conuersus talia fatur:
Dic, inquit, reges, quorum dependere natos,
Externos, proprios ne sibi iussere tributa?
D Respondit Petrus: alienos soluere certum est.
Cernis, ait Christus, natum non soluere regis?
Sed ne quem lædam, præceptum suscipe nostrum:
Et maris vndisoni rupes quæ prodit in altum,
Scandatur tibi summa, Simon, hamusque profundo,
Stamine setarum connexus præcipitetur:
Hæserit & cutuo qui primus acumine piscis,
Huius pandantur scissi penetralia ventris,
Illic inuentum duplex dissolue tributum.
Discipuli pòst inde rogant, quis maximus alto
In cœli regno meritis pro qualibus esset?
Tum Christus medio puerum consistere cœtu
Præcipit, & placido doctor sermone profatur:
Istius en similem pueri se reddere certet,
Quisque cupit celsam cœli conscendere sedem.
Erroris laqueos seclis increscere certum est:
Sed tamen infelix, per quem generabitur error.
Qui verò è paruis istis deceperit vnum,
Si sapiat, nectat saxo sua colla molari,
Præcipitemque maris sese iaculetur in vndas.

E Ne quisquam fastu paruos contempserit istos.
Horum custodes cœlesti in sede tuentur
Altithroni vultum genitoris, sydera supra.
Sed si quis pastor, cui pascua credita tondent
Centum balantes, vnam cum fortè seorsum
Nescius error habet: quæsitor deserit omnes,
Vnius & totis lustrat vestigia syluis.
Illam si magno possit reperire labore,
Lætitia inuentæ maior tum nascitur agnæ,
Quam pro cunctarum numero quod nulla resedit.
Ex istis paruis genitor sic perdere quenquam
Non patitur, gaudetque suis increscere regnis.
Si fratrem proprio delicto commaculatum
Cernis, secreto mox dictis corripe solùs.
Si tua verborum patiens moderamina laudat,
Labentis mentem frater lucrabere fratris.
Sin tua solius contemnet verba reluctans,
Tunc alius pariter monitor pia iussa frequentet,
F Sed si discutiet doctorum fræna duorum,
Tunc ad concilium referantur crimina plenum,
Vt populi saltem sanetur pondere victus.
Sin & multorum contempserit efferus ora,
Sit tibi diuisæ mulctatus nomine gentis.
Námque in concilium semper præsentia nostra
Adueniet, mediúmque duûm me stare necesse est,
Siue trium fuerit cœtus sub nomine nostro.
Tum Petrus quærit, quot fratri errata remittat?
An septem lapsus homini indulgere liceret?
Christus prosequitur, non septem crimina tantum,
Sed decuplata super donentur vulnera fratri.
Nam cœli regnum domino prædiuitis aulæ
Consimile est, nummi rationem qui sibi poni
Iusserat, & seruum debentem multa talenta
Præcipit abreptum cum coniuge, progenieque,
Atque opibus cunctis venali nomine sisti.
Tum seruus dominum prostrato corpore adorat,
Et spondet, spatij sibi si foret vlla facultas,
G Omnem nummorum domino dissoluere summam.
Commouit Dominum famuli miseratio flentis,
Cunctáque trans meritum concessit debita seruo.
Ille sed egrediens, conseruum limine in ipso
Nactus constringit: tum debita fortius vrget
Persolui, precibusque locum truculentus ademit,
Carceris & mersum tenebris pœnisque premebat.
Quæ postquàm dominus famulorum noscere verbis
Incipit, adducto ingessit iustissima seruo
Dicta dolens, irámque mouet, iussisque seueris
In tormenta ferum detrusit, cuncta reuoluens
Debita, dum dignas lueret per vincula pœnas.
Sic vobis faciet genitor, qui culmina cœli
Possidet, immites sæuo si pectore fratrum
Peccata orantum durè punire voletis.
Talia dicta dedit, Galilææque arua reliquit,
Iudæámque petit, quâ pinguia rura silenter
Agmine Iordanis viridis prorumpit amœno.
H Nec minus in stratis ægris donare salutem,
Sublimisque patris concedere munera perstat,
Ecce Pharisæi tentantes quærere pergunt,
Coniugis an liceat reiectum scindere vinclum,
Quicquid erit, læsi ranget quod corda mariti.
Hæc vbi percepit, depromit talia Christus:
Principio Deus in terris par, dispare sexu,
Constituit, iussitque vno de corpore necti,
Ambotúmque animos iunctis inolescere membris.
Quod Deus ergo iubet proprio concrescere verbo,
Illicitum est homini fœdo secernere luxu.
Moses præcepit (quod pectora dura videret)
Scribere dissidium, quo saxea corda reuinci
Per proprios apices possint sub iudice flamma.
Nam temere exoluet casti qui iura cubilis,
Alteráque illius thalamis sociabitur vxor:
Crimen adulterij populo sub teste subibit.
Discipuli referunt, vrget lex ista virorum,
Seruitiique premit non æquo pondere partem,
Vt melius fuerit thalamis caruisse perosis.

A Respondit Dominus: non omnes pondere tanto
Subiicient humeros, lectæ sunt talia dona
Virtutis: trino truncantur corpora more,
Quæ nulla gaudent genitali lege thororum,
Namque alios tales progigni in luminis oras
Comperimus, plerosque hominum vis ferrea sexu
Exuit, ast alios ipsos sibi demere constat
Pro cœli regnis pronum de pectore amorem.
Quisque capax fuerit, celsa virtute capessat,
Quod paucis, lectisque Deus vult pandere, munus.
Hæc ait, & pueros quos gaudens cura parentum,
Cum precibus læti certatim hinc inde ferebant.
Suscipit, & plebem sectantem quòd prohiberet,
Increpat, ac tales affirmat regna mereri
Aulæ cælestis, sanctas hinc ordine palmas
Imponit, redditque vlnis portare parentum.
Ecce sed è populo iuuenis, cui rura domusque,
Et gazæ stabat rerum possessio fulgens,
B Accedit, Christumque palàm submissus adorat:
O bone præceptor, dic nunc quæ facta sequamur,
Vt mihi perpetuam liceat comprendere vitam.
Huic autor vitæ tum talia reddit Iesus:
Nunc demum quæris, veteri quæ lege tenentur.
Non hominis perimes vitam, non furta thororum
Inuades, quæstúmve alienis noxia rebus
Mens aut dextra leget, non tristis falsa loquêris.
Sit genitor genitrixque tuo sublimis honore,
Proximus & puro pro te tibi cedat amore.
Ille dehinc: ista hæc semper mihi perpete cura
Obseruata reor, sed ne quid forte relictum
Desit, præsenti liceat me voce moneri.
Tum Christus fatur: nunc si perfecta requiris
Prendere præcelsis meritis vestigia vitæ,
Omnia quæ proprio retines solus dominatu,
Distrahe, & in miseros confer securus egentes.
Tunc thesaurus erit cœli tibi conditus arce,
Virtutisque tenax vestigia nostra sequêris.
C Hæc adolescentis veniunt vbi dicta per aures,
Deiecit vultum, tristisque in tecta refugit.
Tunc sic discipulis vitæ spes vnica fatur:
Difficile est terris affixos, diuite gaza
Auelli, cœlique leues in regna venire.
Nam citius tenuis per acus transire foramen
Deformis poterunt immania membra cameli,
Quàm queat vt diues cœlestia regna videre.
Talibus attoniti comites, stupidique silebant,
Voluentes quæ tanta foret sub pectore virtus
Humano, talem posset quæ prendere vitam.
Respicit æternæ iustorum gloria vitæ,
Atque ait: hæc homini forsan videantur acerba,
Sed Deus electis facilem præpandit in æthra,
Possibilemque viam, virtus quam celsa capessit.
Tum Petrus fidei munitus mœnibus, infit:
Omnia nostra olim proiecta reliquimus omnes,
Et tua iussa sequi nobis spes vnica restat.
D Quid nostris animis superest? dic Christe, precamur.
Talibus ad Petrum verbis respondet Iesus.
Vos quicumque meum mentis penetralibus altis
Credentes seruatis iter, cùm sederit altè
Progenies hominis, celso quem cinget honore
Maiestas, bis sex illic pulcherrima virtus
Constituet vobis sublimi in vertice sedes,
Iudiciumque hominum pariter tractare licebit,
Hic quicumque sui relinquet generisque domusque
Gazas, affectusque omnes pro nomine nostro,
Centuplicata dehinc capiet, vitamque perennem.
Primorum meritum postremi transgredientur,
Vltima præteriti capient vix præmia primi.
Sedulus vt ruris dominus, cui dulcia fundum
Pinguibus in campis latè vineta coronant.
Hic vbi progressus primo cum lumine solis,
Conduxit iuuenum fortissima robora, pactus
Vnius in lucis certa mercede laborem,
Et sua tum iussit cultu vineta polire.
Ipse sed egrediens vbi tertia venerat hora,
E Inuenit ecce alios, ad opus quos ire iubebat,
Pro meritis operum promittens præmia digna.
Illi non aliter læti præcepta sequuntur.
Ast vbi sexta dehinc lucis transfluxerat hora,
Haud secus hinc alios iuuenes conducere pergit.
Horaque nona dehinc vbi solis cursibus acta est,
Tunc alios pariter conductos iussit adire.
Vltima labentis testabat portio lucis,
Egressus cernit iuuenes, causasque requirit,
Cur pigris manibus torperent otia lenta.
Conductor (reddunt ipsi) quòd nulla dedisset
Iussa sibi. Dominus mox hos insistere ruri
Tunc etiam iussit, sed vespere protinus orto,
Præcipit vt cuncti caperent mercedis honorem,
Æqualique omnes portarent præmia nummo.
Tunc manus illa virûm, prima quæ luce laborem
Sustulerat, fractisque diem tolerauerat æquum,
Indignans, secum tali cum murmure fatur.
F Iniustum est, istos similem vt nos, quærere nummum,
Vltima quos operi sero conduxerat hora.
Tum Dominus ruris sedato pectore fatur:
Illibata tibi mercedis portio saluæ
Redditur, & pacti seruantur iura fidelis.
Istis de nostro liceat concedere tantum,
Extima quos operis glomerauit portio ruri.
Nam multos homines dignatio sancta vocauit,
E queis perminimam dignum est secernere partem.
Hæc ait, & Solymos repetit, comitesque seorsum
Alloquitur, Solymisque iterum regionibus infit:
Ingredimur gnari, truculentaque mœnia adimus:
Filius hîc hominis tradetur ad vltima mortis,
Scribarum procerumque ferens ludibria, membris,
Affixusque cruci, post tertia lumina surget.
Hic cum Zebedei coniux submissa rogabat,
Vt Christo medio, cœli sublimis in arce,
Felices nati dextera læuaque sederent.
G Tum quærit Christus, calicem si sumere possent,
Quem sibi præceptis instaret sumere patris.
Respondent, se posse simul, tum talia Christus:
Vos nostrum calicem fas est potare: sed altis
Sedibus æquali mecum considere honore,
Non hoc nostra dabit cuiquam pro munere virtus,
Hæc certis genitor sublimia dona reseruat.
Exin discipulos dictis pro talibus omnes
Commotos, tali sermonis mulcet honore:
Gentibus infidis celsa ditione potestas
Imponit quoscumque velit, dominatur eorum,
Exercentque trucem subiectis vrbibus iram.
Vos inter longè tranquillior æquora vitæ
Concordi sternit mitis moderatio pace.
Magnus & obsequiis crescit super alta minister;
Nec primus quisquam, nisi cunctis seruiat, vnus
Esse potest, hominis natus sic cuncta ministrat,
Obsequio solus proprio pia munera gestans,
Pro multisque animum pretioso sanguine ponit.
H At vos ex minimis opibus transcendere vultis,
Et sic è summis lapsi comprenditis imos.
Si vos quisque vocat cœnæ conuiuia ponens,
Cornibus in summis deuitet ponere membra,
Quisque sapit: veniet forsan si nobilis alter,
Turpiter eximio cogetur cedere cornu,
Quem tumor inflati cordis per summa locârat.
Sin contentus erit mediocria prendere cœnæ,
Inferiorque dehinc si vox conuiua subibit,
Ad potiora pudens transibit strata thororum.
Proxima tum Solymis conscendit culmina montis,
Ordinibus lucent quæ glaucicomantis oliuæ.
Hinc lectis iussit sectantum discipulorum,
Obuia castelli monstrans habitacula Christus,
Inde asinam pariter fœtu comitante repertam
Ducere: vel si quis causam disquirere vellet,
Cur sua tam subito quoquam iumenta trahantur,
Reddere huic: nostro nunc iis opus esse magistro.
Discipuli celeri complent præcepta paratu.
Adducunt, mollisque super velamina vestis

Instternunt

A Insternunt placidum pullum, præbentque sedendum:
Hinc veteris quondam fluxit vox nuncia vatis:
Ecce venit placidus tibi rex, quem terga sedentem
Præmitis gestant asinæ, pullique sequentis.
Tum populi stratas prætexunt vestibus omnes,
Quaque iter est Christo, subnexa fronde coronant.
Proxima tunc alij spoliant palmeta virore,
Conclamantque omnes Dauidis origine creto,
Oschanna excelsis sit gloria læta trophæis.
Sic adeo ingreditur Solymorum mœnia Christus.
Ingresso occurrit primo sub limine templi
Cruribus atque oculis certatim debile vulgus.
Quos vbi tam subito gressu, visuque vigentes
Cuncta sacerdotum cognouit factio, mirans,
Et pueros templi complentes tecta canore,
Oschanna egregia Dauidis stirpe creato,
Tum percontantur cuncti, quæ causa canoris
Impubem tantam tollat per gaudia plebem.
Christus ad hæc inquit: Legis vos scripta tenere
B Creditur, infantum quæ dicit ab ore venire,
Lactentum & linguis iusti consurgere laudem?
Hæc, ait, ingratam linquens cum ciuibus vrbem,
Bethaniamque petit: rediensque in margine cernit
Stratæ, tendentem diffusa vmbracula ficum.
Illic fortè cibi pertentans corda voluntas,
Arboris attrectat ramos, sed nulla facultas
Pomorum sterili frondis concreuerat vmbra.
Olli Christus ait: non sit tibi fructibus vnquam
Copia promendis: tunc protinus aruit arbos.
Discipuli celerem mirantur in arbore mortem.
Sed Christus stupidis assistens talia fatur:
Nunc ligni istius nostro stupuistis honore
Desisse ad vires, terrenos ducere succos:
Sed veris verbis iterumque iterumque monebo:
Namque fides sit certa animi consistet in arce,
Nec dubiis nutans vitiis tremebunda iacebit,
Arboris istius vobis substantia cedet:
C Nec tantùm istius, sed montis celsa reuelli
Credentum verbo poterunt, vndisque profundi
Cum syluis pariter, saxisque ferisque recondi.
Et quæcumque fides robusto pectore poscet
Credentum, semper digna virtute tenebit.
Hæc vbi dicta dedit, templi se mœnibus infert,
Confestim proceres populi, miracula rerum
Collecti inquirunt, virtus quæ tanta dedisset.
Ollis Christus ait: quærentibus omnia vobis
Dicere iam facile est, si nobis vestra vicissim
Percontata prius paucis sententia soluat.
Nuper Ioannes puro qui gurgite lauit
Sordentes populi maculas, diuina potestas,
Anne hominis potius vobis fallacia visa est?
Hæc ait, ancipiti verborum pondere claudens
Captantum procerum mentem, nam magna prophetam
Plebis Ioannem veneratio suscipiebat,
Nec poterant eius fallacem dicere vitam.
Rursus, sublimem dixissent si esse prophetam,
D Occidisse illum, traheret confessio culpam.
Se nescire tamen respondit factio fallax.
Tum Christus: non est iniustum claudere vocem,
Cùm mihi claudantur procerum responsa superba.
Nam geminæ prolis genitor, maioris in aures
Talia dicta dedit: vitis mihi portio maior
Semiputata iacet: sed perge, & robore forti,
Nunc scrobibus, nunc falce premens, vineta retunde.
Tum iuuenis, sese tam sordida vincla laboris
Nolle pati memorat: pòst, omnia iussa parentis
Exequitur, duræ damnans responsa loquelæ.
Pòst alium natum simili sermone iubebat
Ad vineta sui deprendere iussa laboris:
Annuit his iuuenis, nec dictis facta rependit.
Dicite, vter potius genitoris iussa sequatur?
Illi collaudant nati responsa prioris.
Prosequitur Christus: nunc vera aduertite dicta,
Iam magis hinc cœli sedem comprendere certum est,
Corporis è vitiis quærentes sordida lucra,
Quàm vestrûm quenquam, vobis nam venerat ante E
Iustus Ioannes, sed non est credere vestrum.
Namque fidem potius meretricum pectora certam
Hauserunt, sordesque animi posuere pudendas:
At vos tantorum scelerum nil pœnitet vnquam.
Sic quidam diues, cui iugera multa nitentis
Vineti sepes circumdensata coërcet,
In medio turrem prælumque & dolia fecit,
Cultoresque dedit, fructusque locauit habendos,
Impositam statuens mercedis soluere legem.
Tum longinqua petit, sed fructus tempore certo
Actores famulos mittit, queis portio salua
Cultorum certa ruris mercede daretur.
Ecce colonorum rabies hos verbere sæuo,
Ast alios lapidum proterrent vndique telis,
Denique lethali prosternunt vulnere multos.
Tum dominus ruris plures incedere seruos
Præcipit, & rursum mercedis pacta reposcit.
Maior at in plures audax iniuria surgit. F
Vltima iam domino natum dimittere mens est,
Quòd sobolem partemque sui vis digna pudoris
Cultorum cordi venerandam posceret esse.
Sed contrà illorum iam mens maculata cruore,
Progenie extincta domini sibi pòst dominatum
Cedere credentes, crudeli vulnere fixum
Obtruncant, iaciuntque foras trans septa cadauer.
Pòst hæc iam dominus veniet, pœnasque reposcet
Tantorum scelerum: sed vobis tradita quondam
Fulgentis regni sedes, translata feretur
Ad gentem, dignos possit quæ reddere fructus.
Vt rex qui nato thalamorum vincula nectens,
Præcepit, proceres conuiuia læta, frequentem
Accitos famulos voti regalis honorem
Concelebrare simul, cuncti sed adire recusant
Regales thalamos, regalis pocula mensæ.
Pòst alios mittit, sese largissima cuncta,
Magnificasque dapes, conuiuia læta parasse.
Illi neglectis dapibus diuersa petebant: G
Hic ædes proprias, hic ruris tecta propinqui,
Ast alius potius merces ac lucra reuisit.
Multi præterea missos, qui ad læta vocarent,
Insontes famulos rapiunt, & corpora ferro
In mortem cruciant, tum rex, vbi comperit acta,
Millibus armatis ciues cum mœnibus ipsis
Subruit, effusi famulorum sanguinis vltor.
Tunc seruis fatur: nunc festa iugalia cœnæ
Prælargis dapibus quæcumque instruximus illis,
Contempsêre meis proceres contingere mensis.
Ite igitur properè per publica septa viarum,
Et quoscumque illic casus glomerauerit, omnes
Huc lætis nati thalamis adhibete vocantes.
Progressi famuli per compita cuncta viarum,
Inuentos duxêre simul: iam denique cunctæ
Complentur mensæ, mixtæ sine nomine plebis.
Hic iusti iniustique simul cubuere vocati.
At rex ingressus, conuiuia læta reuisit,
Hic videt indutum pollutæ vestis amictu, H
Lætitiæ thalami fuerat quæ dissona longè.
Isque vbi regalis sermonis pondere causas
Reddere pro vestis maculis & labe iubetur,
Oppresso tacuit non puri pectoris ore.
Et tum conuersus famulis rex præcipit, illum
Connexis manibus pedibusque & corpore toto,
In tenebras raptum mox præcipitare profundas.
Illic stridor erit vasti sine fine doloris,
Et semper fletus, multis nam sæpe vocatis,
Paucorum felix hominum selectio fiet.

LIBER QVARTVS.

Talia dicentem confestim factio frendens
Tentare aggreditur verbis cum fraude malignis:
Certum est, veridicum te nunc venisse magistrum,
Nec quenquam metuens, Domini vestigia sectas.
Dic ergo, an liceat nostræ dissoluere genti

A Cæsaris vrgentis semper sub lege tributum ?
Ille sed inspiciens sæui penetralia cordis:
Cur tentatis, ait, nunc me concludere verbis ?
Fallacis mentis, prodit fallacia fructum.
Aspicite en nummum, sculptique numismatis æra,
Cæsaris expressum proprium est ibi cernere vultum.
Soluite nunc illi proprium sub lege tributum,
Atque Deo proprium legis seruetis honorem.
Post Sadducæi tali cinxêre latratu:
Mosea qui legum posuit præcepta, iubere:
Si quis coniugium properata morte relinquet,
Pignoribus mediis nondum de germine cretis,
Huius germano rursus sociabile vinclum
Deberi, generis pereat ne portio lapsi.
Finibus in nostris septem germana fuerunt
Corpora, sed maior natu cùm vincula nuptæ
Sumpsit, præcçleri cecidit sub acumine mortis.
Pòst alius frater thalami sine fructibus æquè
B Concidit, & cuncti iacuêre ex ordine fratres,
Vnius & cunctos fletus gemuêre maritæ,
Pòst ipsam rapuit gelidæ inclementia mortis.
Si venient igitur cuncti sub lumina vitæ,
Cuius connubiis mulier reddenda resurget ?
Ollis Christus ait : errori obnoxia prauo,
Legibus & iussis Domini mens dura resistit:
Namque sequenda dehinc lætæ reparatio vitæ
Non thalamos nouit, non terræ gaudia vana :
Sed similes lenibus genitoris iussa ministris,
Constituet regni virtus sublimis in aula.
Nec Deus illorum dominum se ponere mauult,
Qui terram proni meruerunt sumere mortem,
Sed potius vitæ possunt qui prendere lucem.
Ecce alij rogitant, quæ sit firmissima legis,
Regula, quod summum comprendat cætera verbum.
Ille indefessus, nulli responsa negabat.
Sublimem cœli Dominum deuotio cordis
Diligat : est isthæc virtus firmissima legis.
C Consimile est isti : magno teneantur amore
Ad ius fraternum iustæ penetralia mentis.
His etenim geminis dependent omnia iussis.
Sed vobis, cuius soboles ventura videtur
Christus, quem cuncti spondent in secla prophetæ ?
Respondent, illum Dauidis germine nasci.
Prosequitur Christus: cur illum dicere Dauid,
Diuino flatu scriptum est, Dominumque Deumque ?
Quòd proprio patrem non æquum est dicere nato :
Talia Saluator : cuncti obstupuêre silentes.
Ille sed accita credentum plebe, profatur.
Aspicite Scribas sublimi sede superbos.
Hi quæcumque docent, iustum est comprendere cordis
Obsequio, maculas ipsorum temnite vitæ.
Abrupta imponunt humeris nam pondera vestris,
Ipsi quæ digito saltem, contingere nolunt.
Accubitu primo cœnæ, fastuque superbo,
Atque salutantum vano tolluntur honore,
D Et nomen sublimê volunt gestare magistri
Sed vos noluerim præcelsi nominis arcem
Affectare, tamen vobis est vna magistri
Imposita æternum cœli de lege potestas.
Vos eadem fratrum parili coniunxit amore.
Vnus item pater est, cœli qui in culmine regnat
In vobis si quis sublimia colla leuabit,
Decidet, & barathri mergetur ad vltima cœno.
Ast humilis claram conscendet liber in æthram.
Deflendi semper Scribæ & lachrymabilis æui
Cæca Pharisææ cunctis fallacia plebis.
Nam vobis iter clausum quia iure negatur,
Non finitis quemquam penetrare per ardua lucis,
Et cunctos trahitis sæuæ ad consortia flammæ.
Vos similes dicam tectis splendore sepulchris,
Quis facies nitida est, internaque turpia bustis.
Sic vox velatur iustæ sub imagine vitæ,
Atque adytis mentis celantur sordida corda.
O Solymi Solymi, ferro qui sæpe prophetas,
Ad vestram missos vitam sine fine necastis,

E Quàm volui vestram gentem populumque tueri,
Ales vti molli solita est sub corpore pullos,
Obice pennarum circum complexa fouere ?
Sed vobis semper cœlestia munera sordent:
Deseritur iam nunc domus hæc vastata ruinis,
Nec vobis nostrum fas vltra est cernere vultum.
Egreditur templo, cuius præcelsa notantes
Mœnia discipulos, tali sermone docebat:
Hæc operum vobis miracula digna videntur
Obtutu stupido, veris sed discite dictis,
Quòd mox cuncta solo passim disiecta iacebunt.
Hæc ad Oliueti dicens peruenerat arcem.
Discipuli solum postquàm videre, rogabant
Vt sibi venturi tempus distingueret æui,
Promissa ipsius quem poscunt prendere finem,
Cuius & aduentus terræ consumeret orbem.
Quærentum verbis, respondet talia Christus:
Obseruate dolum, falso ne nomine capta
F Credulitas laqueis errantum præcipitetur.
Discurrent cunctis bellorum incendia terris,
Sed vos prævalido consistere robore cordis,
Ne mens accepto iaceat turbata tumultu.
Non etenim prima imponent mox prælia finem.
Gentibus & gentes & regibus obuia reges
Signa ferent, nec tunc morbi corrumpere tractum
Aëris, aut pestes prosternere corpora parcent,
Fissa etiam solido per inania pondere tellus,
Per diuersa loci, motu quassante, tremiscet.
Hæc in primitiis tentamina parua manebunt.
Prodentur multi vestrûm, lethoque dabuntur,
Proque meo vobis incumbere nomine gentes,
Tormentis, pœnisque feris, odiisque necesse est.
Liuor erit terris, erroribus omnia plena,
Et falsi surgent populorum labe prophetæ.
Hæc inter si quis protectum à vulnere pectus
Ad finem seruare queat, sublimia lucis,
Æternis vitæ sertis redimitus, adibit.
G Regnorum cœli celebratio peruolitabit:
In cunctas terræ metas : gens omnis habebit
Testem lucifluo sanctæ sermone salutis.
Et tunc finis erit, currentia secula soluens.
Adueniet iam tunc tristis defectio terris,
Quæ Danielis habet iussam verissima vocem.
Hæc dignus tantùm poterit cognoscere lector.
Iudæi longè fugient, montesque capessent,
Nec quisquam domibus repetet sustollere secum,
Quæ fuga consociet, vestémve, aut mobile quidquam.
Deflendæ tum sunt vteri cum pondere matres,
Et miseros fœtus dulci quæ lacte rigabunt.
Poscite iam precibus, tristis ne frigore brumæ
Adueniat fuga vestra, aut ne tum sabbatha festa
Anceps præcipiti turbet trepidatio cursu.
Nam cunctis venient sæuissima pondera terris.
Tale malum non secla prius, nec postera norunt.
Et ni sublimis genitor decerpere tempus,
H Et numerum miserans vellet breuiare dierum :
Nulla dehinc trepidæ superarent corpora vitæ.
Sed propter lectos veniet miseratio iustos.
Nomine fallentes Christi, falsique prophetæ
Exurgent terris, & monstra potentia fingent,
Quæ forsan lectos capient miracula iustos.
En prædicta parent, instantia secula vobis.
Desertum si quis Christum peragrare loquetur,
Occultisque procul penetralibus esse repostum,
Longè credulitas absit vanissima vobis.
Sicut enim fulgor cœlum transcurrit apertum,
Et cerni facile est cunctis, orientis ab oris
Vsque sub occiduum cœli vergentis in orbem :
Sic rapido aduentu clarebunt lumina Christi.
Sol rutilus furuis radios abscondet in vmbris,
Amittet cursum lunaris gratia lucis,
Ignicomæque ruent stellæ, cœlumque relinquent.
Omnis item virtus cœli commota superni,
Signa dabit, proles hominis quis vertice cœli
Clareat, omnigenasque tribus defectio lucis

A Vrgebit, veniet cum nubibus ignicoloris,
Maiestate potens hominis per sydera natus.
Tum tuba terrifico stridens clangore vocatos
Iustos, quadrifido mundi glomerabit ab axe.
Præteriet nec enim præsens generatio secli,
Donec cuncta sequens claudat sibi debita finis.
Hæc tellus cœlumque super soluentur in ignes.
Sed mea non vnquam soluentur ab ordine dicta.
Quis sit at ille dies, nescire est omnibus æquum,
Ni soli rerum domino, qui sydera torquet.
Vt quondam terras vndæ inuoluêre furentes,
Et diuersa sibi tractantes munia cunctos
Diluuij rapuit subito violentia tractu:
Sic subitas flammas voluens, descendet ab æthra
Aduentus noster, nec cunctos ille sub vna
Conditione premet: nam tunc, vbi iugera lata
Infindunt duo deptessis sub vomere sulcis,
Vnus correpto tolletur corpore arator,
B Ignarusque alius vasto linquetur in agro.
Vno quinetiam recubantes stramine lecti,
Dispar iudicium diuersa sorte subibunt.
Vnus enim socium quæret, per strata relictus.
Idcircò famuli vigilent, quia nescius illis.
Aduentus Domini, subitas descendet in horas.
Præmonitum furis tempus si insistere sciret
Quisque domus custos, vigilaret, & obuia ferret
Arma procul, ruptas ne quis penetraret in ædes,
Sed vos intentis animis assistite semper.
Namque repentinus vobis subitusque recurret
Filius hûc hominis, iustis sua præmia seruans.
Ille fidelis erit seruus, cui credere cunctas
Ædes, & famulos voluit per longa profectus,
Vir pater ipse domus: sapiens, nimiumque beatus,
Quem veniens dominus seruantem iussa videbit,
Illum maiori famulum cumulabit honore.
Ast ille infelix, qui obscœnè luxuriatus,
Tardantem contemnit herum, famulosque fatigat
C Verberibus, segnisque indulgens ebrietati,
Luxuriosorum conuiuia concelebrabat:
Adueniet Dominus, seruumque incauta furentem,
Præcipitem dignis pœnarum cladibus abdet,
Illum perpetuus fletus, stridorque manebit.
Conferri possunt cœlestia regna puellis
Bis quinis, quarum pars est sapientior vna,
Altera præstupido pars est stolidissima corde.
Occurrêre illi votis sponsalibus omnes,
Ornatu accinctæ tedarum flammicomantum.
Sed sapiens pars illa, sibi quò lumina flammæ
Susciperet, portare simul curabat oliuum.
Stultarum verò non est prudentia talis.
Cumque moraretur sponsus, tum membra sopore
Soluuntur cunctis per compita lata viarum.
Iam noctis medio clamor crebrescere magnus
Incœpit, lætoque dehinc occurrere voto
Admonuit, tedisque vias ornare coruscis.
D Surgere tunc properant, & claro lumine tedas
Instruere, & flammas pingui componere oliuo.
Tunc stolidæ rogitant olei sibi cedere partem,
Prudentes secum quod tunc gestare videbant.
Sed quoniam sapiens pauitat chorus, omnibus æquè
Ne desint claræ nutrimina pinguia flammæ,
Et paruo æqualis si detur portio cunctis,
Tunc pergunt stultæ, liquidum vt mercentur oliuum.
Dum pergunt, lætæ transcurrunt omnia pompæ,
Et sponso tantum comitatur factio prudens.
Adueniunt fatuæ sero pòst tempore segnes,
Et sponsi pulsare fores, & limina clausa
Nequidquã ingeminãt, precibusq; ingrata frequentant,
Vt liceat miseris penetrare in limina læta.
Illas non comitum sponsi cognoscere quisquam,
Non sponsus voluit, quare vigilate timentes,
Aduentus vobis quòd non est certior hora.
Sicut enim longas cui contigit ire profecto
In terras, credens seruis tractanda talenta,
Vni quinque dedit, duo cœpit & alter habenda,
Tertius vnius curam tractare talenti E
Suscepit, vires quoniam diuersa merentur.
Sed maior quibus est concredita portio nummi,
Certatim duplis auxerunt munera donis
Ille sed vuius cui credita cura talenti est,
Telluri infodiens condit sine fructibus æra.
Iamque aderat præsens dominus tum primus & alter
Se geminasse illi pariter concredita monstrant.
Illos laudat herus, potiora credere tantæ
Promittit fidei, sed tertius ille refodit,
Reddidit & domino tali cum voce talentum:
Quod scirem domino memet seruire seuero,
Qui meteret segetes alieno semine cretas,
Extimui, argentumque tuum concredere terræ
Malui vti semper saluum tibi reddere possem.
Tum dominus famulo respondens talibus infit:
Si nescire meos auderes dicere mores,
Nequitiæ tantæ veniam concedere possem.
Hoc igitur gnarum potius præstare decebat, F
Vt fructum nobis tractata pecunia ferret.
Quapropter segni tollatur portio nostra,
Prudentique dehinc detur possessio maior,
Quem duplis cumulasse lucris mea quinque talenta
Inueni, namque est certum, potiora mereri,
Cui res vberior cumulatæ sortis abundat.
At cui parua subest segni substantia corde,
Id minimum penitus iustè tolletur ab illo.
At nequam seruus tenebras demersus ad imas,
Perpetuos fletus pœnæ stridore frequentet.
En hominis natus veniet, patrisque ministris
Stipatus celsa iudex in sede sedebit.
Tunc gentes cunctæ diuersis partibus orbis
Conuenient, iustosque omni de labe malorum
Secernet, dextraque libens in parte locabit,
At prauos læua despectos parte relinquet:
Vt pastor pecoris discernit pascua mixti,
Lanigeris dextræ permittens mollia parti,
At læuos hirtis dumos tondere capellis. G
Sed rex ad dextros conuersus, talia dicet:
Huc veniant sancti, iamdudum debita sumant
Dona patris, mundo quæ sunt æquæua nitenti,
Et iustis primo promissa parantur ab ortu.
Namque fame fessum quondam me grata refecit
Hæc plebes, potuque sitim mihi sæpe remouit,
Hospitiumque domus patuit mihi sæpe vocato,
Et nudus vestis blandissima tegmina sumpsi,
Carceris & pœnis horum solatia cepi.
Tum Domino tali respondent voce beati:
Non meminit nostrûm quisquam te visere nudum,
Nec famis oppressum dura ditione notauit,
Carceris aut pœnis meminit vidisse reuinctum.
Respondens illis dicit tum talia iudex:
Fratribus ista meis, humiles miserando labores,
Qui fecit, certum est dulcem mihi ponere fructum.
At vos iniusti iustis succedite flammis,
Et pœnis semper mentem torrete malignam, H
Quas pater horrendis barathri per stagna profundi
Dæmonis horrendi sociis, ipsique parauit.
Namque sitim passo quondam mihi pocula nulla,
Nec famis in pœna parui mihi fragmina panis,
Aut peregrina mihi tecti, vestisve parumper
Tegmina, de magnis gracili pro parte dabantur.
Carceris aut sepro claustris, morbisve iacenti,
Vnquam visendi solatia vestra fuerunt.
His damnata dehinc respondet factio verbis:
Haud equidem nostrûm meminit te visere quisquam,
Aut sitis, aut sæuæ famis ægrum agitare laborem,
Hospita vel fessis errare per oppida rebus,
Carceris aut mersum pœnis, morbove grauatum,
Vt tibi sollicito fieret miseratio iusta.
His rerum dicet dominus: cum vestra superbo
Angustis rebus feritas sub corde tumebat,
Calcauitque humiles minimos, me spreuit in illis.
Hæc vbi dicta dabit, meritis sua præmia reddet,
Æterna (miserum) pœna fodientur iniqui,

A Æternúmque salus iustis concessa manebit.
Talia dum loquitur, scissos lacerata capillos
Pro fratris morbo iustis soror anxia curis,
Hortatu iuuenem rapido præcurrere gressu,
Casibus vt tantis Christus seruaret amicum.
Nam fuerat mulier meritis accepta benignis,
Obsequio cuius fratrémque domúmque merentem
Complexus, pleno Christus retinebat amore.
Nuntius adueniens narrat sub agone iacere
Dilectum Christo iuuenem, per tristia morbi
Et lethi & vitæ confinia summa tenere.
Lazarus hic habuit nomen, sed Christus amaris
Perculsus verbis: non est, si creditis, inquit,
Ad lethum ducens isthæc violentia morbi:
Sed Deus vt digno iustis celebretur honore,
Et soboles hominis sancta virtute nitescat.
Tunc ad discipulos, dormit iam Lazarus, inquit:
Sed charum iuuenem faciam consurgere rursus.
Reddunt discipuli: somno succedere plena
B Et remeare salus poterit? nec mente sequuntur,
Quòd mortem somni dixit sub nómine Christus.
Errorem quorum tali sermone remouit:
Lazarus in lethum cecidit, sed gaudia menti
Hinc veniunt, vestramque fidem mihi fortius armant,
Cernitis absentem longè quoque cuncta videre.
Sed properemus, ait. Didymus tum talia fatur,
Pergamus, pariterque omnes procumbere letho
Cogamur toties, quod gens Iudæa minatur.
Hæc ait, & cuncti Christo præeunte sequuntur.
Iámque aderat Christus, fuerat sed fortè sepulto
Quarta dies, mersásque atris de morte tenebris
Germanas, luctus lachrymosáque tecta tenebant.
Conuenêre illuc, solatia debita dantes,
Iudææ gentis proceres, charique propinqui.
Sed Martha, audito Christum venisse, cucurrit
Obuia, deseruitque domum, mœstamque sororem,
Et procul, ô vtinam præsens nobis tua virtus
C Afforet, haud morti frater cessisset acerbæ.
Nam quicquid poscis, certum est tibi posse venire.
Quam Dominus tali solatur voce gementem:
Robustam mentem mulier virtute resume.
Lazarus hæc vitæ rediuiua in lumina surget.
Et mulier: certè surgent in munera vitæ
Mortales cuncti, veniet cùm terminus orbi.
Christus item sancto depromit pectore vocem:
En ego sum claræ vobis reparatio vitæ.
In me qui credit, mortem deponere sumptam,
Et vitam poterit iugi comprendere seclo.
At quicumque fidem viuo sub pectore sumet,
Horrida non vnquam continget limina mortis.
Isthæc num credis puro de pectore Martha?
Illa dehinc: hæc vna fides mea corda tenebat,
Sublimis veneranda Dei quòd venerit in te
Cœlestis soboles celso sub nomine Christi.
Hæc ait, & Mariam cursu monitura sororem
Interiora petit, sanctum venisse magistrum,
D Et pariter luctu oppressam vocitare sororem,
Admonuit, tacito designans omnia nutu.
Prosilit illa foras audito nomine Christi,
Prosequiturque simul Solymorum turba gementem,
Credentum tumulo fletus inferre sorores.
Illa salutiferum postquam conspexit Iesum,
Procidit ante pedes, rupitque hanc pectore vocem:
Si mihi germanum potuisses visere viuum,
Lazarus haud poterat duræ succumbere morti.
Fletibus hic Christus socians de corde dolorem,
Inquirit tumuli sedem, quo condita nuper
Membra forent, animæ volucris spoliata calore.
Haud mora demonstrant flenti mœstoque sepulchrum
Rupe sub excisa, lapidis quod pondere clausum
Vt vidit sanctus, multò mox vecte moueri
Præcipit, at Marthæ talis vox verberat aures:
Quatuor en luces, totidemque ex ordine noctes
Prætereunt, quo membra solo composta quiescunt.
Crediderim corpus, motu fugiente caloris,
E Fœtorem miserum liquefactis reddere membris:
His dictis contrà depromit talia Christus:
Iam toties dictum est, magnis consistere rebus
Credentum virtute fidem, sed gloria summi
Iam genitoris adest, fidei si robur habetis.
Hæc vbi dicta dedit, saxumque immane reuulsis
Obicibus patuit, virtus mox conscia cœlum
Suspicit, & tali genitorem voce precatur.
Eximias grates genitor tibi sancte fatemur:
Me placidus semper venerandis auribus audis.
Sed populus præsens me missum credere discat.
Hæc vbi dicta dedit, tumuli mox lumine in ipso
Restitit, aduerso complens caua saxa canore:
Lazare, sopitis redeuntem suscipe membris
En animam, tuque ipse foras te prome sepulchro.
Nec mora: connexis manibus, pedibusque repentè
Procedit tumulo, vultum cui linea texta
Et totum gracilis connectit fascia corpus.
Tum solui iussit, lætumque ad tecta remittit.
F Iudæi postquam factum venerabile cernunt,
Qui tantùm Mariam fuerant Marthamque sequuti,
Pars credens sequitur sanctæ virtutis honorem,
Ast alij repetunt vrbem, procerumque superbis
Cuncta Pharisæis rerum miracula narrant.
Ergo ad concilium Scribæ, plebisque vocatur
Iam grauior numerus, qua vatum principis altè
Pulchra Caiphææ collucent atria sedis.
Illic complacuit Christum prosternere letho,
Sed vitare dies Paschæ, ne plebe frequenti
Discordes populi raperent in bella furorem.
Ille Simonis erat tectis, quem lurida lepra
Virtute ipsius diffugerat, ecce cubanti
Accedit mulier propius, frangensque alabastrum,
Quo pretiosa inerant latè fragrantis oliui
Vnguenta, ab summo perfudit vertice Christum.
Discipuli increpitant, fantes, potuisse iuuari
De pretio vnguenti miserorum corpora egentum.
Has Dominus prohibet voces, factúmque probauit:
G Desinite obsequio iusto prohibere puellam.
Pauperibus semper dabitur succurrere tempus,
Sed me non semper tribuetur visere vobis.
Funeris ista mei multum laudanda ministrat
Officio, mundumque implebunt talia facta.
Tunc è discipulis vnus se subtrahit amens,
Iudas, qui ad proceres tali cum voce cucurrit:
Quod pretium sperare datur, si prodere vobis,
Quæsitumque diu possim monstrare Magistrum?
Argenti ter dena illi mox pollicebantur
Pondera: dehinc Iudas sceleri se subdidit alto.
Iamque dies Paschæ primo processerat ortu,
Discipuli quærunt, vbi cœnam sumere Paschæ
Vellet, at ille sibi quendam sine nomine quæri,
Vltima qui Domini caperet mandata, iubebat.
Vespere mox primo bis sex recubantibus vnà
Discipulis, tali diuinat voce magister:
H En vrget tempus, Christum cum tradere morti
E vobis vnus scelerato corde volutat.
Continuo cuncti quærunt, quis talibus ausis,
Insano tantum cœpisset corde venenum?
Ille dehinc: epulis mecum nunc vescitur, inquit.
Sed soboles hominis quondam præscripta subibit
Supplicia ad tempus: miserabilis ille per æuum,
Qui iustum tradet, quanto felicior esset,
Si nunquam in terris tetigisset limina vitæ.
At Iudas grauiter tunc pectora conscia pressus:
Nunquid, ait, Iudam talis suspectio tangit?
Respondit Dominus: Te talia dicere cerno.
Hæc vbi dicta dedit, palmis sibi frangere panem
Diuisúmque dehinc tradit, sanctéque precatus,
Discipulos docuit, proprium se tradere corpus.
Hinc calicem sumit Dominus, vinoque repletum
Magnis sanctificat verbis, potumque ministrat,
Edocuitque suum se dimisisse cruorem.
Atque ait: hic sanguis populi delicta remittet,
Hunc potate meum: nam (veris credite dictis)

A Posthac non vnquam vitis gustabo liquorem,
Donec regna patris melioris munere vitæ
In noua me rursus concedent surgere vina.
Exin cantato sanctis concentibus hymno,
Montis Oliueti conscendunt culmina cuncti.
Talia tum Christus depromit pectore verba:
Omnes præsentis noctis vos tempore longè
Disperget, misere deserto principe, terror.
Sic etenim scriptum est: pastoris casibus omnes
In diuersa fugam capient per rura bidentes.
Post vbi vita nouos cœli mihi reddet honores,
Præueniam, vestrosque choros genitalibus aruis
Grata Galilææ volitans per rura docebo.
Respondit Petrus: cunctos si credere fas est,
Quòd tua labentes possunt præcepta negare:
Sed mea non vllus mutabit pectora casus.
Ille dehinc: nox hæc quæ lucida sydera terris
Inducet, lucemque premens nunc incubat vndis,
B Audiet vt trinis pauidus mendacia verbis
Dices, & Christum fortissimè Petre negabis,
Et prius alitibus resonant quàm tecta domorum:
At Petrus: duram mortem mihi sumere malim,
Vox oblita suum quam deneget ista magistrum.
Has vires cordis præstant promittere cuncti.
Nominis Ebræi sunt Gethsemaneïda rura,
Illò progreditur vitæ lucisque repertor.
Quem mox discipuli, Iuda, fugiente, sequuntur.
Atque illic reliquos iussit residere ministros.
Ille sed assumpto longè procedere Petro
Zebedeique simul natis, per deuia tendit.
Tunc angore graui mœstus sic voce profatur:
Tristia nunc voluens animus mihi pectora turbat
Morte tenus, sed nunc vos segnem excludite somnum,
Sollicitamque simul vigilando ducite noctem.
Hæc ait, & paulùm procedens, corpore terram
Deprimit, & tali proiectus voce precatur:
Si fas est, Genitor, calicis pertranseat huius
C Incumbens valido nobis violentia tractu.
Sed tua iam veniat potius, quàm nostra voluntas,
Quæ tibi decreta est tantis sententia rebus.
Tunc ad discipulos repedat, sed somnus anhelis
Prostratos terra membris dissoluerat omnes.
Tunc ait ad Petrum: non est tibi ponere virtus
Vnam peruigilem tantis sub casibus horam?
Sed vigilate precor, ne vos tentatio raptos
Horrida præcipitet sæuæ per lubrica mortis.
Spiritus iste viget, sed corpus debile lapsat.
Secessit rursus secreti montis in arcem,
Orabatque Patrem: Rerum mitissime rector,
Hunc quoniam calicem non est transire facultas,
Iam tua præueniat nostra de sorte voluntas.
Rursus discipulos somni sub pondere pressos
Inuenit, & rursus per idem genitore precato,
Alloquitur fesso nexos languore quietis:
Iam dormire licet, sociosque reuisere vestros.
Nam venit ecce meum qui dedat in omnia corpus,
D Quæ maculata meis imponet factio membris.
Cum dicto Iudas, numero stipante cateruæ,
Aduenit procerum iussu, populique ferocis.
Pars strictis gladiis, pars fidens pondere clauæ,
Signa sequebantur Iudæ promissa furentis.
Oscula nam pepigit sese contingere Christi,
Quo facilè ignotum caperet miserabile vulgus.
Ille ibi dissimulans blanda cum voce salutat,
Attigit & labiis iusti miserabilis ora.
Continuò Christus: totum complere licebit,
Huc venisse tuo quæcumque est causa paratu.
Iniecere manum turbæ, Christumque prehendunt.
Tunc è discipulis vnus fulgente machæra
Occurrit varis famulo, sublatus in iram,
Tempore & excisam rapuit vi vulneris aurem.
Olli Christus ait: gladium tu ponito noster:
Nam quicumque ferox confidit vindice ferro,
Hunc iusti similis ferri vindicta manebit.
An ego non possum cœlestia castra vocare,
Et patris innumeras in prœlia ducere turmas? E
Sed scriptura meis complenda est debita rebus.
Vos autem stricto quid me comprendere ferro,
Fustibus & gladiis concurritis? en ego vobis
Occurro, templi media qui semper in arce
Vobiscum residens docui, nec talia quisquam
Insonuit, tantis circumlatratibus audax.
Discipuli passim Christo fugêre relicto.
Iamque Caiphæa steterat Saluator in aula,
Conuenêre omnes scribæ proceresque vocati.
At Petrus longè seruans vestigia, solus
Occultè mœstus sedit cum plebe ministra,
Extremum opperiens tanto sub turbine finem.
Ecce Sacerdotes falsos conquirere testes
Incumbunt, fictasque volunt contexere causas,
Quîs mortem insonti possent imponere Christo.
Sed nullus tanto visus satis esse furori.
Tandem prosiliunt testes qui dicere Christum
Audissent, templum quòd solus vertere posset, F
Et versum trinis iterum instaurare diebus.
Ipse Sacerdotum princeps vrgere tacentem
Insistit, feruens furiis, ac talia fatur:
Cur nihil ad tantas hunc respondere querelas,
Conuictus veris procerum sub testibus audes?
Adiurabo tamen summi per regna Tonantis,
Vt fateare palàm, si fas te credere Christum.
Ille dehinc tali compellat voce superbum:
Isthæc sola tibi procedunt pectore verba.
Vera tamen veniet vobis visenda per auras
Maiestas, proles hominis virtutis ad altæ
Cùm sedeat dextram, per nubes ignicolores.
Talibus auditis, scindit de pectore vestem,
Insultat furiis, & cæco corde Sacerdos,
Atque ait: audistis pugnantis fœda prophani
Verba Deo: polluta malis consurgat in iras
Relligio, & vestram cuncti iam pandite mentem.
Conclamant omnes, mortique addicere certant.
Tunc sanctam Christi faciem sputa improba complent, G
Et palmæ in malis, colaphique in vertice crebri
Insultant, verbisque omnes illudere certant:
Christe, prophetabis cuius te palma cecidit?
At Petrum mulier tristem quòd viderat intus,
Tune etiam iuuenis fueras comes additus, inquit,
Isti, quem ludens procerum sententia damnat?
Ille negat, tectisque foras se promere tentat.
Ecce sed egressum primo sub limine cernens
Altera, consimili prodebat voce ministris.
Rursus periurans, illum se nosse negauit.
Tunc percontatum multi accessêre sequentes,
Deque sono vocis sese cognoscere dicunt,
Cuncta Galilæam strepetent quòd verba loquelam.
Et Petrus iurans deuotis omnia verbis,
Nescire affirmat, quisquis foret ille, negando.
Hanc vocem, plausum quatiens sub culmine tecti
Ales prosequitur cantu, mentemque Simonis
Circumstant tristem verbis præsagia Christi, H
Egressusque dehinc ploratus fudit amaros.
Sidera iam luci concedunt, & rapidus sol
Progreditur, radiis terras crepitantibus implens,
Iamque è concilio Christum, post terga reuinctum,
Præsidis ad gremium magno clamore trahebant.
Interea celsum Dominus stans ante tribunal,
Talibus exceptum Pilatus vocibus vrsit:
Tu rex Iudææ gentis, qui diceris, astas?
Respondit Christus: vestris hæc audio verbis.
Exin terribilis iusti accusatio surgens
Infremit, & sanctum mendax facundia pressat,
Respondere nihil trucibus dignatur Iesus.
Pilatus quærit, quænam sit causa tacendi.
Ille magis perstans, miranda silentia seruat.
Sollemni sed forte die concedere leges
Vnum damnati capitis de more iubebant.
Et fuit in vinclis famoso nomine latro,
Quem Christo infensus populus, dimittere vitæ
Ardebat, trucibus somno sed territa visis

A Pilati coniunx, iuſti diſcedere pœna,
Mandatis præcibuſque virum ſuſpenſa rogabat.
Tum iudex iterum procerum diſquirere mentem
Tentat, & inſtanti cuperent quem ſoluere pœna,
Plebis ad arbitrium mittit de lege requiri.
At proceres populum fuſa ambitione rogabant,
Latronem legi peterent, Chriſtumque necarent.
At poſtquam procerum incendit ſententia vulgus,
Latroniſque petit potius ſibi cedere vitam,
Conſuluit præſes populum, quid vellet Ieſu?
Plebs incenſa malo ſæuos miſcere tumultus,
Et crucis ad pœnas iterumque iterumque petebat,
Qui regis nomen cuperet, qui Cæſaris hoſtem
Confeſſus, ſeſe proprio damnauerit ore.
Denique vi victus, deteſtatuſque cruentum
Officium, increpitans ſe libera ſanguine ab huius
Corda tenere ſibi, coramque à crimine palmas
Abluit, vt genti tantum macula illa maneret.
B Hoc magis inclamarit: Nos,nos cruor iſte ſequatur,
Et genus in noſtrum ſcelus hoc & culpa redundet.
Pilatus donat plebi ſoluitque Barabbam,
Et crucis ad pœnam vinctum concedit Ieſum.
Proditor at Iudas poſtquam ſe talia cernit
Accepto ſceleris pretio ſignaſſe furentem,
Infelix ægris damnans ſua geſta querelis,
Argentum & culpans ſacram proiecit in ædem.
Exorſuſque ſuas laqueo ſibi ſumere pœnas,
Informem rapuit ficûs de vertice mortem.
Inde Sacerdotes, pretium quod ſanguinis eſſet,
Illicitum fantes, adytis iam condere templi,
Quod dare tum licitum, dum ſanguis diſtraheretur,
Credebant: agrum mercati nomine vero
Sanguinis, horrendo ſignant ſcelera impia facto.
Hæc quondam cooperta canens vox vera prophetæ,
Euentum rerum patefecit in ordine ſecli:
Argenti triginta minas poſuere prophani,
Hoc pretium pretioſi corporis inſtituentes,
C Quod mox ad figuli rurſus transfertur agellum.
Traditus at crucibus, iuſtus: ſceleriſque miniſtris,
Innocuus, ſcelerata opprobria corpore perfert.
Purpureamque illi tunicam, chlamydemque rubentem
Inducunt, ſpiniſque caput cinxere cruentis,
Inque vicem ſceptri dextram comitatur arundo.
Tunc genibus nixi, Regem dominumque ſalutant
Iudææ gentis: faciem lauêre ſaliuis,
Vertice & in ſancto plagis luſere nefandis.
Hæc vbi tranſegit miles ludibria demens,
Indutum propriæ ducebat tegmine veſtis,
Et crucis ad pœnam ſanctum iuſtumque trahebat.
Ecce ſed egreſſi, quendam cepêre Simonem,
Cyrene genitum, lignumque afferre iubebant,
Quo dominum lucis, duris ſuffigere clauis
Inſtans vrgebat ſecli immutabilis ordo.
At poſtquam ventum eſt, vbi turis Golgotha nomen,
Permixtum felli vinum dant pocula Chriſto,
D Ille ſed in ſummo guſtu tractata recuſat,
Vt ſatis antiquis fieret per talia dictis.
Nec tamen inſultans hominum furor omnia poſſet.
Iamque cruci affixum pendebat in arbore corpus,
Intactamque dedit tunicam ſub ſorte per omnes
Militis vnius ſeruans poſſeſſio textum.
Et ſcriptum cauſæ titulum meritique locarunt,
Quod rex Iudææ plebis gentiſque fuiſſet.
Accidit vt pariter pœnæ conſortia ferrent
Latrones hinc inde duo, ſed cæca furentis
Inſultat plebis fixo veſania Chriſto:
Hic eſt qui templum poterat diſſoluere ſolus,
Hic eſt qui trino lucis reparare meatu.
Sed nunc deſcendat proles veneranda Tonantis,
Et crucis è pœna corpuſque animumque reſoluat.
Hæc vulgi proceres vecordis dicta ſequuntur.
Atque Phariſæi Scribæque & factio demens
Illudunt, motuque caput, linguaſque loquelis
Inſanis quatiunt, æternæ ad vincula pœnæ:
Nonne alios quondam crucibus ſeruare ſolebat
E Morborum vinclis? ſeſe cur ſoluere pœnis
Non valet? en regem noſtræ quem credere gentis
Debemus, ſoluat ligni de robore corpus,
Tunc ſanctis digne poterimus credere ſignis.
Confidit genitore Deo: dimittere pœna
Cur propriam non vult ſobolem veneranda poteſtas?
Nec minus increpitant dextra læuaque gementes
Affixi crucibus ſcelerum pro ſorte latrones.
Iam medium curſus lucis conſcenderat orbem,
Cum ſubito fugit ex oculis, furuiſque tenebris
Induitur, trepidumque diem ſol nocte recondit.
Aſt vbi turbatus nonam tranſiuerat horam,
Conſternata ſuo redierunt lumina mundo.
Et Chriſtus magna genitorem voce vocabat,
Ebrææ in morem linguæ: ſed neſcia plebes,
Eliam vocitare putat, tum concitus vnus,
Cogebat ſpongo turpi calamoque reuincto
Impreſſum labiis acidum potare ſaporem.
F Cætera turba furens, tali cum voce cachinnat:
Spectemus pariter, cœlo ne forte remiſſus
Elias veniat, celſa qui ſede quieſcit,
Liberet & miſero confixum ſtipite regem.
Tunc clamor Domini magno conamine miſſus,
Æthereis animam comitem commiſcuit auris.
Scinduntur pariter ſancti velamina templi,
Carbaſaque in geminas partes dirupta dehiſcunt,
Et tremebunda omni concuſſa eſt pondere tellus,
Diſſidiumque ſuo ruptæ de corpore cautes.
Tum veterum monumenta virûm patuere repulſis
Obicibus, viuæque animæ per membra reuerſæ,
Et viſum paſſæ populi, per mœnia latè
Errauere vrbis: ſic terrent omnia mundum.
Militibus primis quatiuntur corda pauore,
Dedita qui ſæuæ ſeruabant corpora pœnæ,
Et ſobolem dixêre Dei, Chriſtumque fatentur.
E ſpeculis matres miracula tanta tuentur.
Omnes, obſequium Chriſto quæ ferre ſolebant.
G Iamque recedenti veſper ſuccedere ſoli
Cœperat, & procerum ſolus tum iuſtior audet
Corpus ad extremum munus depoſcere Chriſti.
Hic ab Arimathia nomen geſtabat Ioſeph,
Qui quondam verbis aures præſtabat Ieſu.
Pilatum tunc iſte rogat, ſibi cedere membra.
Queis nuper tulerat vitam vis horrida pœnæ.
Conceſſit præſes: ſed corpus fulgida lino
Texta tegunt, ſaxique nouo componitur antro.
Limen concludunt immenſa volumina petræ,
E ſpeculis ſeruant matres, & cuncta tuentur.
Iamque dies rutilo complebat lumine terras,
Otia qui ſemper priſca de lege iubebat:
Nulla ſed immitis procerum furor otia ſeruat.
Conueniunt, onerantque ſimul ſic iudicis aures:
Erroris laqueos iuſtiſſima pœna reſoluit:
Nunc meminiſſe decet, quoniam planus ille ſolebat
Vulgari ſemper iactans promittere plebi,
H E mortis ſeſe tenebris ad lumina vitæ
Cum terno ſolis pariter remeare recurſu.
Sed petimus, cuſtos miles noua funera ſeruet,
Ne fera diſcipulis furandi audacia corpus
Conſurgat, turbetque recens inſania plebem.
Et Pilatus adhæc: miles permittitur, inquit:
Seruate, vt vultis, corpus tellure ſepultum.
Conueniunt, ſaxique ingentia pondera voluunt,
Et limen ſignis, & ſaxum milite ſeruant.
Sydera iam noctis venturo cedere ſoli
Incipiunt, tumulo matres tum viſere ſeptum
Concurrunt, motus ſed terram protinus omnem
Concutit, & cœlo lapſus deſcendit aperto
Nuntius, & ſaxum tumuli de limine voluit.
Illius & facies ſplendet, ſeu fulguris ignis,
Et niuis ad ſpeciem lucent velamina veſtis.
Militibus terror ſenſum diſcluſerat omnem,
Et iacuere ſimul ſeu fuſa cadauera letho.
Ille ſed ad matres tali cum voce profatur:
Veſtra pauor nullus quatiens non corda fatiget.

A Nam manifesta fides sanctum vos quærere corpus,
Quod crucis in ligno scelerata insania fixit.
Surrexit Christus, æternaque lumina vitæ
Corpore cum sancto, deuicta morte, recepit.
Visere iam vobis licitum est, quod sede sepulchri
Nulla istic iaceant, fuerant quæ condita membra.
Dicite præterea celeri propetoque recursu
Discipulis, Christum remeasse in luminis oras,
Inque Galilæam lætum præcedere terram.
His dictis visisque, animos perfuderat ardens
Lætitia, attonitos stupido ancipitique pauore.
Denique præcipiti celebrantes gaudia cursu,
Talia discipulis referunt, tumulumque relinquunt.
Ecce viæ medio clarus se ostendit Iesus,
Et fidas matres blandè salutere iubebat.
Occurrunt illæ, & genibus plantisque prehensis
Victorem lethi pauidæ venerantur Iesum.
Talibus ille dehinc præceptis pectora firmat:
Mentibus absistat fidei pauor omnis, & isthæc
B Fratribus hinc nostris propere mandata referte.
Nostri conspectus si curæ est, ite volentes,
Inque Galilæam properè transcurrite terram.
Interea tumuli custodum exterrita corda
Mittunt è numero partem, quæ tanta referret
Iudæis rerum miracula: sed manus amens,
Iam semel insano penitus deuota furori,
Præmia militibus certatim magna rependit,
Et famam argento redimit, quod limine rupto
Furtim sustulerit corpus defensa tenebris
Occultè rapiens audacia discipulorum.
Iamque Galilæos conscenderat anxia montes
Mandatis Christi concursans turba suorum.
Cernitur ecce suis proles veneranda Tonantis,
Illum procumbens sanctè chorus omnis adorat,
Nec tamen in cunctis pariter fundata manebat
Pectoribus virtus: nam pars dubitabat eorum,
Tunc sic discipulos clarus compellat Iesus:
C In cœlo & terris Genitor mihi cuncta subegit,
Me pater est vobis dignatus mittere lucem:
Gentibus haud aliter nunc vos ego mittere cunctis
Institui, vestrûm est cunctas mihi iungere gentes:
Pergite, & ablutos homines purgantibus vndis
Nomine sub sancto Patris Natique lauate,
Viuifici pariter curant spiramina flatus,
Ablutisque dehinc nostra insinuate docentes
Præcepta, vt vitam possint agitare perennem.
Nec vobis vnquam nostri præsentia deerit,
Donec consumens dissoluat secula finis.

OPERIS CONCLVSIO.

HAs mea mens fidei vires, sanctique timoris
Cepit, & intantum luxit mihi gratia Christi,
Versibus vt nostris diuinæ gloria legis,
Ornamenta libens tulerit terrestria linguæ.
Hæc mihi pax Christi tribuit, pax hæc mihi secli,
D Quam fouet indulgens terræ regnator apertæ
Constantinus, adest cui gratia digna merenti,
Qui solus regum, sacri sibi nominis hortet
Imponi pondus, quo iustis dignior actis
Æternum capiat diuina in secula vitam,
Per dominum lucis Christum, qui in secula regnat.

SANCTI PATRIS ANTONII merito magni Abbatis vita.

Ex Sancti Hieronymi Catal. Scriptorum Ecclesiastic.

ANTONIVS Monachus, cuius vitam Athanasius Alexandrinæ vrbis Episcopus insigni volumine prosequutus est: misit Ægyptiacè ad diuersa Monasteria, Apostolici sensus sermonisque Epistolas 7. quæ in Græcam linguam translata sunt, quarum præcipua est ad Arsenoitas: floruit sub Constantino, & eius filiis regnantibus. Vixit annos 105. E

EX EPISTOLA SYMPHORIANI Campegij ad Hectorem Dallum Sedis Apostolicæ Protonotarium.

VEnio igitur ad diui Antonij Epistolas, quas & Ægyptiacè scriptas, & Græcè interpretatas, nuper verò à Valerio Sarasio Latinè scriptas, ad me misisti. Quarum grauitatemne an suauitatem plus admirer nescio. Namque aptissimè exorditur Antonius, lucidè Prophetarum narrat historias, inuehit acriter, variè ornat, artificiosè complectitur, tam aptè, tam ornatè, tam copiosè, tam pulchrè in Epistolis orauit Antonius. Quid hac Antoniana oratione perfectius? Quid absolutius? Quis modus? quis ordo? Nunquam mi Hector æquè delectatus sum. Huius Antonij vitam scripsit Athanasius, testatus quòd visitauerit Maximianum Imperatorem, vt martyr fieret, qui & præuidit in spiritu futurum scandalum Ecclesiæ per Iulianum Apostatam, de Christiano futurum paganum. At hinc descendens per Thebaidem, visitauit Didymum Episcopum Alexandriæ, à natiuitate cæcum. Paulum primum Eremitam, Deo iubente, sepeliuit: nec est idonea causa, cur aliquis Diuum Antonium, Theologiæ ignarum fuisse censeat. Nam si sic res haberet: Ægypti Sacerdotes Antonium, vt Symbolo fidei magni Athanasij testimonium daret aduersum Arrianos, non conuocassent. Eodem argumento & Athanasius & Didymus, cæterique Ægyptij qui Antonium conuocarunt, Theologiæ rudes dicerentur. Obiit autem hic sanctissimus pater omni præconio dignus, in Thebaide, Anno Domini, ccclx. ætatis suæ anno 105. Cuius cùm corpus diu latuisset, postea imperante magno Imperatore, diuina reuelatione repertum fuit, & ex Thebaide Alexandriam primò delatum, postea in Galliam Allobrogum translatum prope Viennam, vbi condigno honore nunc vsque requiescit. Quod à summis Pontificibus Innocentio VIII. & Alexandro VI. fuit confirmatum.

Floruit sub Constantino Imperatore. F *Symbolum Athanasij.* G

SANCTI ANTONII, merito magni Abbatis Sanctissimi, ad Fratres suos, de diuina vocatione, & multiplici corporis motu.

EPISTOLA I.

PRIMVM saluto vos in Domino. Existimo autem animas quascumque apprehenderit gratia DEI vocantis ad prædicationem suam per verbum proprium, habere tres modos seu masculos seu fœminas. H Quidam enim per testamentariam legem & inditum in eis semel bonum, à prima sui conditione pertingere verbo Dei ad eos morati non sunt, sed pertexerunt parati cum eo, sicuti & noster progenitor Abraham, cui primò, quia porrexit indaginem Deus per testamentariam legem, apparuit dicens: *Exi de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni ad terram quam ostendero tibi.* At ille in nullo hæsitans, paratus fuit in vocatione. Hic autem figura erat primæ vitæ huius institutionis, quæ nunc vsque persistit in eis qui eius sequuntur vestigia. Vnde & iterum si animæ sic sustineant & ita egerint, facilè easdem virtutes assument, eo quod parata sint corda earum repleri Spiritu Dei. Et hæc institutio prima. Huic verò secunda existit de iis qui audiunt scriptam legem testificantem eis vniuersa supplicia quæ peccatoribus præparantur, & annuntiantem de sanctis promissionibus ad eos

Electi vocantur à Deo, tribus modis. *1. Vocatio diuina per internam inspirationem.* Gen 12.1. *Secundum vocationis diuinæ genus per lectionem scripturæ.*

A

qui proficiunt, quibus & per testimonia inscriptæ legis sobria voluntas existit, & per hanc quæsierunt intrare in vocatione vocantis. Sic & Dauid testificatur dicens: *Lex Domini immaculata, conuertens animas.* Et in hoc eodem loco: *Declaratio*, inquit, *sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* Sed & alia quàmplurima, de quibus modò non possumus enarrare.

Psal.18. Psal.118.

3. Vocatio per tentationes afflictionum.

Porrò tertia institutio est, in re, quà duris cordibus sæpè vitia & in peccati operibus permanentibus, aliquoties benignus Deus infert labores ad increpandum, donec sentiant per ærumnam, & pœnitentes ex toto, accipientes & ipsi virtutes quemadmodum & illi de quibus prædixi. Hæ igitur sunt introductiones tres in animabus quæ ad pœnitudinem veniunt, donec adipiscantur gratiam & vocationem filij Dei.

Quinam sunt vocati prima vocatione.

Sed puto quòd eos primus vocet spiritus qui ingrediuntur ex toto corde certamen, & ordinant semetipsos ad sustinendum in omni luctatione aduersarij donec deuincant eum. Præstat verò eis & lenitate in omnibus iuuans eos spiritus, vt indulcentur in illis opera pœnitentiæ.

B

Ponit eis terminos per modum quendam pœnitudinis in corpore & anima eorum, vsquequò doceat eos etiam conuersionis modum ad Conditorem proprium, Deum. Nec non & præbet eis violentiæ compulsionem in anima discurrentem & corpore, vt vtraque sanctificari queant: vt eodem modo hæreditatem vtraque sumant. Corpus quidem in ieiuniis crebris & vigiliis atque solertia, ministeriis quoque quæ facit in corpore. Conandum hoc in omni fructificatione carnali. Spiritus quoque pœnitentiæ deductor efficitur, & in istis tentant eum in his, ne qua sit inimicitia ad conuertendum forte retrorsum. Tum verò ille deductor spiritus incipit adaperire animæ oculos ad pœnitentiam exhibendam: & vt sanctificetur etiam sensus distractionem intermediam præbet incipiens doceri à Spiritu sanctificare corporis & animæ pœnitentiam, sensu edocto per spiritum deducentem nos ad illud animæ corporisque agendum, qui sanctificans omnia ac districtionem

C

præbens vt carnis misceatur fructus ad vniuersa corporis naturalia, ex quibus transgressio fuit, & adducit vnumquodque corporum naturalium ad priorem conditionem, non habens aliquid alienum aut hostile spiritus. Corpus siquidem religatur sub potestatem sensus doctum à spiritu secundùm eloquium Pauli: *Obculco corpus meum, & in seruitutem redigo.*

1.Cor 9.d

3. Motus corporis, vnus à natura, alter à victu & rebus externis à Dæmone.

Quoniam verò sensus anteà semetipsum sanctificat in escis & potationibus à sopore, semel ac simpliciter in cunctis motibus suis, quique & naturalem copulam segregauerat sanctificationi propriæ. Reor autem tres corporis motus existere. In ipso enim est naturale corporis concretùm illi, quod tamen non operatur aut efficit aliquid sine animæ voluntate, nisi quòd iudicat in corpore solum. Nam & alius motus existit ex pastu corporis multorum ciborum ac potuum, ex quibus adinflatio sanguinis orta, per escas oppugnat totius animæ corpus epularum sumptione permotum. Ob hoc & Apostolus ait: *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.*

Ephes. 5.d.

D.

Deinde Domino nuntiante discipulis suis in Euangelio, dicitur: *Videte nequando grauentur corda vestra in esca & potu, siue deliciis.*

Luc.21.g

Inquirentibus præsertim mensuram sanctificationis debitum est istud efferre: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.*

1.Cor. 9.d

Ordo tentationū.

Tertius verò motus est Spirituum malignorum tentantium per liuorem, ac volentium flaccidiores efficere eos qui conantur sanctificare semetipsos. Veruntamen si in iisdem tribus modis sustineat anima semetipsam testimoniis quibus spiritus docuerit sensum, sanctificabitur in vtroque ab illo languore triformi. Sin verò dimiserit semetipsum sensus à testimoniis quibus spiritus testificatur ei, tunc maligni spiritus supersederunt congregationi corporis, & oppugnant illo motu vsque dum anima fatigetur & incipiat requirere vnde auxilium veniat; conuersaque re apprehendat spiritus testimonia, ac sanetur. Tunc etiam ei dat quòd vnica sit requies postulanda à Deo, & quia sic fit pax eius. Hæc autem asserui ad pœnitendum in corpore & anima, & qualiter oportet mundari eam; cumque sumpserit tale certamen, tunc nuntia spiritus adsunt, & incipit discernere,

E

& iam ægritudines animales quæ accedunt & per proprias voluptates. Tunc siquidem erit participatio spiritus cum sensu, per custodiam mandatorum quæ ei tradidit: & docet eum curare omnem languorem propriæ animæ, vnumquodque eorum discernens ei permixtione accepta in corpore naturalium ac reliquorum quæ sunt peculiariter ei extra corpus à capite vsque ad pedes, propriam voluntatem permixtam habens in illis, & oculis quidem terminum vt rectè confidenter conspiciatur, nihil vltra peregrinum gerentes. Deinde vt aures audiant in pace, nec oblectantur amplius obtrectationem ac contumelias spirituales audire: sed potiùs, vt omnium correctionem & miserationem incessuram præ omni desiderent possessione. Quoniam in illis ægrotabat prius, deinde rursus vt linguam propriam doceat sanctitatem, quoniam huiusmodi languor insederat ei dudum, vt quibus ægrotabat, ex ipsis semper aliquid loqueretur, tardans linguæ promenda organo, vtpote exranti sibi.

F

Hic ergo languor tardantis magnificatus est illi in hoc membro quod est lingua. Vnde & Iacobus Apostolus testificatur: *Si quis videatur religiosus esse non refrenans propriam linguam, semetipsum fallit, & huius religio vana est.* Idemque tibi ait: *Et lingua parua est, maculans totum corpus:* & alia multa quæ non possum adiicere cuncta.

Iac.1.

Quod si præualuerint sensus sumere ab spiritu, ipse prius sanctificabitur, & tandem perscrutans sermones, tradet quidem propriæ linguæ, sed nihil habentes prauum, aut animæ voluntarium, per quæ verbum Salomonis implebitur dicentis: *Mei sermones dicti sunt à Deo, nec est in illis aliquid prauum atque perplexum.* Idem rursus in alio loco ait: *Lingua sapientium sanat:* & alia quamplurima.

Prou.8 a.

Prou.12 c.

Deinde iterum manuum motus intra me si erant aliquando motæ in quibus non oportebat, animæ voluptatibus: sed nunc ei spiritus vnus terminat sensum, vt in sanctitate, in orationibus & misericordiis moueantur, huiusmodique opera perficiant.

G

Quin etiam in his illud eloquium compleatur orationum causa prolatum, *Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Idem alibi Salomon: *Et quia manus fortium ditautur.*

Psal.140. Psal.10.a. Prou.10. a.

Sicque postmodum vt ipsam escam ventris & potum emundet, etiam sic ad satietatem eis vtatur. Aut si aliquando illis animæ voluptas paululum in desideriis fuerit, considerans quòd nonnulli in satietate escæ vel potus dæmonibus obtemperarint, de quibus Spiritus per Dauid ait: *Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam.*

Psal.100. b.

Nam & isti, si iterum Domini inquisierint sanctitatem: etiam spiritus rursum terminat eis eadem sanctimonia, vt moderatè & sufficienter ad sustinendum corpus vtantur, & vltra non habeant in eo concupiscentiam aut voluptatem. Sicque eloquium Pauli complebitur dicentis: *Siue comeditis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

1.Cor. 10.g.

Deinde & his quæ per cogitationem coitus sub aluo metitur, rursus sensus ab spiritu doctus, discretionem tribuit motibus eorum in supradictis tribus modis, & innititur ad sanctificationem, auxiliatorem spiritum habens.

H

Extinguitur etiam motus ille per virturem spiritus pacificantis totum corpus, & perimentis totum illum motum. Hoc est vestrùm eloquium quod à Paulo prædictum est: *Mortificantes membra vestra quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, concupiscentiam malam:* & quæ deinceps.

Col.3.d.

Sic denuo pedes, qui licet aliquando non erant habentes incolumem gressum, nec secundum Deum ambulabant: hos iterum sensus qui sub spiritus fuerit voluntate ad pergendum ministrare operibus optimis cogit, vt immutatum corpus fiat sub spiritus potestate. Sed æstimo quod talis habitatio iam acceperit etiam in hæc partem quandam spiritualis corporis, quem acceptura erat in resurrectione iustorum. Hæc verò dixi propter animæ ægritudines quæ vsurpant permixtionem inter naturalia corporis, cū inde anima mouetur in illis sectatrix effecta malignorum spirituum, vt operentur in membris. Sed etiam prædixit, quod habeat propriè etiā ipsa discretionem horum? Nam superbia, languor est eiusdem corporis: iactantia verò, ægritudo est ei extra corpus: itē inflatio, odium,

inuidia,

A inuidia, ira atque pusillanimitas, impatientia quoque ac reliquæ minutiæ horum. Quod si verò crediderit se Deo ex toto corde, tunc benignus Deus tribuit ei spiritum pœnitentiæ, & testificatur illi vt denuo quoque languore pœniteat. Propter quæ aduersarij prohibent eum tentantes vsurpare sibi, nec sinunt pœnitere. Qui si sustinuerit obediens, hortantem se spiritum ad pœnitendum, creator quoque filius, miserationis visceribus motus supra labores eius quibus in egestatibus corporeis, id est, ieiuniis plurimis, in vigiliis, in meditationibus multis, in verbo Dei, ac precibus largitis, vel in abdicationibus mundanis, in humilitate, in paupertate spiritus: in quibus cunctis sustinentem Deus benignus aspiciens & considerans, & patientiam eius in tentationibus perdurantem miserans, adiuuabit eum.

Dæmon impedit pœnitentiam.

B

SANCTI ANTONII, Abbatis, ad fratres suos Arsenoitas, de vitandis insidiis Dæmonum:

EPISTOLA II.

ANTONIVS omnibus dilectissimis qui sunt in Arsenoite & in parochia eius, vel qui cum illis; in Domino salutem. Vniuersos vos paratos abire ad Deum, saluto in Domino, charissimi, à minore vsque ad maximum, & à masculis vsque ad fœminas. O filij Israëlitæ, secundum sensualem vestram extantiam. Verè etenim, filioli, grandis vobis in generatione vestra promissio dicebat, quippe vos propter eum qui visitationem vestri fecit, nequaquam fatigati certantes, donec vosmetipsos offeretis sacrificium Deo in omni sancti-

C monia sine qua nemo poterit hæreditare Deum. Nam pro certo, charissimi, magnum est vobis istud vt percontemini de cognitione sensualis extantiæ, in qua non est masculus neque fœmina, sed substantia tantum immortalis existit, habens quidem principium, finem verò nequaquam; debitumque vobis erat cognoscere de eo quomodo omninò deciderit in tantam humilitatem & confusionem eximiam, quæ pertransiens in omnibus vobis aduenit. Igitur quando substantia immortalis existit non consoluenda corporibus, hanc ob causam Deus eandem plagam aspiciens irremediabilem effectam, & quia magnificata esset vehementer per suam indulgentiam, visitationem eorum faciens propter propriam bonitatem: post aliquantum temporis legem posuit eis, vnde & operatus est per Mosem præbendo legem. Et Moses quidem fundauit eis veritatis domum, curare volens eandem validam plagam: sed perficere nequiuit ædificium domus. Insuper autem & omnis sanctorum

D chorus collectus in vnum, petiit patris bonitatem de salutari nostro, vt calcaret in terris pro nostra cunctorum salute, ipso vtpote extante nostro magno & fideli pontifice ac medico vero, qui solus sanare posset hanc enormem plagam. Vnde & voluntate Patris exinaniuit semetipsum propria gloria: Deusque existens formam serui assumpsit, tradens se propter nostra peccata. Et delicta quidem nostra humiliauerunt eum, sed *liuore eius nos omnes sanati sumus.* Quamobrem dilectissimi filioli in Domino scire vos volo quod pro nostra stultitia *elegit stulta,* & pro nostra infirmitate formam infirmitatis assumpsit; ob quam nostram pauperiem effectus est pauper, & ob nostram mortem figuram induit mortis. Ergo quia in his omnibus sustinuit propter nos, verè dico dilectissimi in Domino, quia non debemus dare somnum oculis nostris, neque *palpebris* nostris *dormitationem,* postulantes ac perurgentes Dei Patris inæstimabilem bonitatem, vsquequo egrediatur nobiscum, & in hoc requiem habeamus aduentus Iesu atque virtutis, vt obsequamur sanctis qui nos excolere festinant: tempore

Moses fundauit domum Veritatis.

Isa. 53. b. 1. Pet. 2. d. 1. Cor. 1. d.

Psal. 131. a.

E negligentiæ nostræ, alacritatem animorum dantes ei, ad iuuandum nos in tempore tribulationis nostræ; tunc enim seminans pariter cum metente gaudebit. Nosse etiam vos cupio, filioli, quàm plurimum dolorem meum quem habeo pro vobis aspiciens grandem illam confusionem quæ super vniuersos aduenit, & considerans multum illum laborem sanctorum omnium atque gemitum quem emittunt pro vobis semper ad Deum, cernentes laborem proprij Conditoris, omnesque malitias paruipendentes, nec non & decipulas diaboli & Angelorum eius insidiantium, iuges ad perditionem nostram. Quoniam etenim portio eorum in infernum habet ire, idcirco & illi volunt nostrum quoque studium vnà secum attrahere. Verè igitur charissimi in Domino sicut prudentibus loquor, vt cognoscatis cunctas Opificis nostri dispensationes pro nobis factas, quæ & visitationem nostri faciunt per manifesta & occulta præconia. Nos sumus rationabiles nuncupati, sed gerimus irrationabilem

Dæmonû inuidia.

F sensum, dum ignoramus occultas calliditates & artes diaboli multiformes, quæ sint, qualesque noscantur. Quando enim compererint conari nos confusionem nostram cognoscere, & quòd quæramus modum efficaciæ illorum, operantes in nobis: & non tantùm vt non obediamus malitiis eorum aut hortamentis quæ disseminant in cordibus nostris, sed & ne quamplurimi nostrorum profiteantur studia eorum: ipsi quoque cognoscentes indulgentiam Conditoris, quòd mors his fiat in terris, illis verò sit præparatum hæreditare gehennam propter negligentiam suam. Scire autem vos volo, filioli, quod non desino obsecrans pro vobis Deum nocte ac die, vt ipse aperiat oculos cordis vestri ad prouidendum crebriùs occultam malignitatem illorum, quam per singula super nos effundunt in isto nunc tempore. Quæso etiam vt concedat vobis scientiæ cor ac discretionis spiritum præstet, vt possitis offerre proprium cor, hostiam sanctam in conspectu Patris in multa sanctitate, & sine querela. Verè enim, filioli: inuident nobis per omnem horam in suo maligno consilio & persecutione quamplurima, & malitia sua, nec non & spiritibus erroris siue cogitationibus blasphemis, infidelitatibus nostris quoque quæ seminantur ab ipsis in cordibus, ac doloribus multis, quæ irrogant nobis per omnem horam, animi etiam defectionibus, in quibus per singula labefacere animum non desistunt, in vniuersis quoque iracundiis suis & obtrectationibus, quas docent nos habere, & aduersus alterutrum, & vt iustificemus nosmetipsos in iis quæ facimus, & condemnationem quæ seminatur ab ipsis in mentibus nostris etiam cùm existimus singulares, cumque faciunt nos proximum iudicare, nec tamen ipso extante nobiscum: præsumptionibus siquidem quas ingerunt cordibus nostris, in superbia duri cordis extantes, & inuicem spernentes, amaritudinem habentes: omni hora vituperantes alterutrum & non nosmetipsos, opinantes laborem nostrum ex propria constare virtute, iudices existentes manifestorum, totum intra domum nostram mutante latrone, & in iurgiis atque simultatibus aduersumque alterutrum affectibus, donec sermonem proprium constare faciamus, vt pereamus in conspectu nostro iustificati, animositatem nobis præbentes ac facientes studia quæ tamen impossibile est geri, Intempestiuè enim facientes nos resolui, ob id quod sumus ex illo, quod emolumenti est vobis. Propter quæ ridere nos faciunt tempore fletus, & flere in tempore risus: & vt semel atque simpliciter dixerim, transponunt semper è recta via in aliis quam plurimis erroribus, per omnia nos ipsos sibimet in famulos redegerunt, quorum tempus non est, in propatulo fieri modo. Cùm verò his omnibus corda nostra repleuerint, & inebriati fuerimus illis, tunc indulget Deus quamdiu gerit malitia nostra, ac de reliquo visitationem nostri facientes resolutione gratissimi corporis huius relinquentibus illud, tunc maligna opera quæ gerebamus malè, reuelat nobis in corpore pœnæ exposito quod induti fuerimus per indulgentiam conditoris: tunc etiam *fiunt nouissima nostra peiora prioribus.*

Opera dæmonum.

G

H

A Propter quod nolite affligi obsecrantes benignitatem Patris, vt semper possitis habere vobiscum adiutorium eius, doceatque vos cognitionem sui, qui se benè habet. Verè etenim dico vobis, nati mei, quia vas istud in quo sumus inhabitantes, in perditionem nobis existit, & domus est plena bellis. Pro certo, filioli, dico vobis quòd omnis homo illectus in voluptatibus suis, & prostratus à cogitationibus propriis, complexusque à maligno, seminauit in corde: qui congaudet eis, & recipit sensu veluti magna existentia sacramenta in eo quod agit iustificans semetipsum: huiusmodi anima coëxistit malignis spiritibus consiliatrix in malum: corpus quoque illius, custodia est horrendorum quæ occultat in semetipso. Præualebunt autem aduersus huiusmodi, quoniam non traduxit eos coram omnibus. At nunquid & ipsi nesciris quod non huiusmodi capturas habent, quas nos cognoscentes procul dubio fugiamus? Cæterum & si quæsieris non inuenies peccatum eorum

B nec iniquitatem corporaliter manifestam. Corpus enim est animæ recipiens malignitatem eorum: quam cùm susceperit, tunc si velit in propatulo punit per corpus istud in quo sumus inhabitantes. Nunc itaque, filioli, non demus ei locum vllum: alioquin nobismet Dei excitabimus iram, & illi permiscentur in domibus nostris irridentes nos quoniam hoc nouerunt quod perditionis est nostræ, quæ tamen & ipsa de proximo consistit, sicuti & vita de prope. Quis enim vnquam Deum aspexit vt videns congauderet ei de re tanta apud semetipsum, ne forte aufugeret eum, sed vt adiudicaret etiam velut habitanti in hoc pondere tanto? aut quis aliquando aspexit diabolum oppugnantem nos, & prohibentem beneficia adipisci, aduersantem nobis & stantem in loco corporali secreto, vt præuidens fugeret ab ipso? Sed illi quidem habitant in occulto, nos autem propalamus eos per studia meliora. Quoniam igitur ex vno Creatore sunt omnes secundùm sensualem extrantiam eorum, in fugiendo verò eos à Deo, & multa di-

C uersitas est in illis effecta ob diuersas operationes ipsorum: idcircò autem omnia hæc nomina adiecta sunt istis, propter vniuscuiusque eorum operationem, ideò & nunc quidam ipsorum vocantur Archangeli, alij Sedes, & Dominationes, & Potestates, & Cherubim. Hæc autem eis nomina sunt addita, pro eo quòd Conditoris proprij custodierunt voluntatem. Item ob crimen aliorum motum, necessarium fuit nominari etiam istos, propter malignas adinuentiones ipsorum, diabolum, & satanam. Porrò alij nuncupati sunt dæmones spiritusque maligni, etiam mundi, flatus erroris, principes quoque seculi huius: aliæque complures in eis aduersitates existunt. Rursum verò & qui obuiauerunt illis in grauissimo corpore isto in quo & sumus inhabitantes, & ipsi etiam nuncupati sunt quidam Patriarchæ, alij verò Prophetæ & Reges ac Sacerdotes, nonnulli Iudices & Apostoli, atque alij multi electi effecti propter egregium motum suum. Vniuersa autem hæc nomina adscita sunt eis, siue masculi, siue fœminæ, ob diuersita-

D tes operationis eorum, & iuxta principatum ipsorum, quia ex vno sunt omnes. Propterea ergo quicunque in proximum peccauerit, in semetipsum delinquit: & qui malè fecerit proximo, semetipsum efficit malum. Itidem qui benè fecerit proximo, sibimet hoc facit. Si verò quis erit qui aliquando peccare potuerit in Deum, vel quis est qui eum vnquam reficere queat? Quis verò erat qui ei ministrauerit aliquando, aut quis benedicat eum vnquam, vt opus habeat benedictione eius? Quis enim potuit honorare illum, vt ipse honorandus existat, vel quis est qui valeat exaltare eum sicut excelsus habetur? Quamobrem dum sumus vestiti grauissimo corpore isto, alieno inuitamento suscitemus Deum in nobis, vt hoc agentes commendemus illam circa nos bonorum viscerum essentiam. Non autem simus nosmetipsos amantes: sin minùs, illorum inconstantis portionis erimus. Nam qui cognouerit semetipsum, vniuersos cognouit. Ideò & scriptum est: *Qui vocauit ex nihilo vt essent cuncta*. Hoc autem dicentes significant de sensuali natura, quæ occulta est in hoc corruptibili corpore, extante in

E principio, increpanda ab eo. Aut quis potuerit diligere semetipsum, nihilominus diliget omnes. Charissimi filioli mei, quæso vos vt non laboretis, neque fatigemini inuicem diligentes: sed tollite corpus quo estis induti, & facite illud altare, ponentes desuper omnem deliberationem vestram, omnemque malignum instructum relinquite in conspectu Domini. *Extollite manus* cordis vestri *ad eum*: id est, sensus agendorum: & precamini Deum vt donet vobis illum inuisibilem & magnum ignem, qui descendens cœlitus *comedat altare* & omnia quæ in eo: vniuersique Sacerdotes Baalim, qui quidem existunt operationes aduersæ, timeant fugientes à facie vestra, quemadmodum Hæliæ Prophetæ. Tunc demum videbis *vestigium hominis* in mari adducens specialem imbrem, quod est paracleti spiritus consolatio. Dilectissimi mei nati in Domino, filij Israëlitæ sanctissimi: non opus est bearificari corporum nostrorũ vocabula

F transitura, nec enim ignoratis charitatem quam habeo in vobis, quia non est charitas corporalis, sed spiritualis & amans Deum. Dilecti, in hoc & repleor quòd beatitudo vobis facta sit tempore isto. Sermo igitur vobis existat Iudex, ac non æstimetis perfectum vestrum institutum, quod est ergo obsequium Dei vestram tantum operationem existere? Sed est virtus quædam cooperans vobis. Certantes itaque vosipsos *offerre hostiam Deo*, continuè præbete cooperanti vobis virtuti & requiem Christi Iesu. Quoniam vnita est vniuerso sanctorum choro, sed & mihi deterrimo habitanti in hac lutea & tenebrosa domo. Quam enim ob causam differerem vobis, nisi vt requiem exhiberem? Vnde & obsecro, vt quia omnes creati sumus vnius substantiæ inuisibilis & initium habentis sine fine, vnicè diligamus alterutrum: quotquot enim cognouerint semetipsos, cognoscent quod vnius substantiæ immortalis existant.

G Scire quoque vos volo quòd Iesus Christus Dominus noster ipse Patris verus est sensus, *in quo omnis plenitudo* totius naturæ rationabilis effecta est, eorum maximè qui sunt imagini eius conformes effecti, caput totius creaturæ & corpus Ecclesiæ. Nam & idcirco nos omnes *membra sumus in alterutrum & corpus Christi: Nec potest dicere caput pedibus, non vobis habeo opus: sed si patitur vnum membrum, totum corpus mouetur cum eo & patitur*. Alienatorum verò membrorum corporis quæ proprio non sunt capiti sociata, sed fœditati debita, propter proprias libidinum passiones, irremedialis eorum effecta est plaga, quia obliuionem acceperunt principij atque finis. In quo & creaturarum genitor, visceribus motus pro plaga nostra quæ sanari non poterat nisi per solam ipsius bonitatem, misit Vnigenitum nobis, vt per seruitutem nostram, seruitutis assumeret formam, traderetque se pro peccatis nostris. Et peccata quidem nostra humiliauerunt eum, sed *liuore eius nos omnes sanati sumus*. Hic congregauit nos ex omnibus regionibus, vsquequo resurrectionem cordium nostrorum, de terra faceret, docens cunctos nos vnius esse

H substantiæ, & membra alterutrum. Propterea debemus diligere vehementer, quia quicunque dilexerit proximum, diliget animam propriam. Et hic sermo manifestus sit vobis, charissimi nati in Domino, filij Israëlitæ sancti, qui parastis vosmetipsos ad Deum ire, offerre vosmetipsos hostiam Deo in omni sanctitate: quoniam nec potest hæreditatem capere quispiam sine sanctitate. Aut nunquid ignoratis dilectissimi quod aduersarij virtutis, veritati semper insidiantur? Et idcircò, charissimi, obseruate ne detis *oculis somnum, aut dormitationem palpebris*, proclamantes ad proprium Conditorem die ac nocte: si forte regrediatur vobis adiutorium ab excelso, quo protegente sint corda vestra & cogitationes in Christo. Nam verè, ô filioli, in domo sumus latronis inhabitantes, & in vinculis mortis extamus vincti. Pro certo etiam dico vobis, quod nostra negligentia & humiliatio, extranea commotio non nobis solis est detrimento, sed Angelis labor existit, & omnibus sanctis in Christo Iesu, quia nondum vsque requieuerunt,

Marginal notes: Matth. 11. g / Luc 11. — *Corpus humanum, est domus plena bellis.* — *Angelis adiecta sunt nomina ex vniuscuiusque eorum operatione.* — *Cogniti. sui ipsius.* — Sapient. 1. — Psal. 133. — 3. Reg. 18. — Rom. 12. — Rom. 8. — 1. Cor. 6. — 1. Cor. 12 — Ephes. 5. — Gal. 4. — Isa. 53. — 1. Pet. 2. — Psal. 131. — *Caute lege, nam Angeli non propriè dolent aut*

A

Tristatur de malis hominum, nisi tantum metaphoricè, quòd vniuersam hominum salutem cupiant. Vide S. Thomã 1.p.q.113 art.7.

quieuerunt propter nos. Verè, nati mei: hæc nostra humiliatio, illis omnibus tristitia est: sicut iterum salus & gloriatio nostra, lætificationem eis ac requiem omnibus præbet. Vt autem cognoscatis quia benignitas patris non cessat, à quo motio facta est beneficiis fulciens semper vsque in hodiernum, vt obnoxios faceret nos propriæ morti, quoniam in nostra sumus potestate creati: vnde & illi postulant pro nobis semper. Sed scriptum est: *Immittit se Angelus Domini in circuitu timentium eum, & liberabit eos.* Ergo filioli, scire vos volo, ex quo factus mundus vsque nunc, vniuersa quæcunque extra virtutem fuerunt, completa malitia ipsorum, & ipsi cognoscunt se inter filios esse diaboli reputatos; propterea quod conantur vnicuique nostrûm ingerere propriam voluntatem. Nam pro certo est quòd cum se nouerit diabolus per superbiam & inanem gloriam cœlitus fuisse deiectum; ideò & ille eos qui peruenerint in magnam mensuram, aggreditur, in primis artifices existentes, per superbiam & inanem gloriam, vt sint aduersum se alterutrum: scientes quòd per ista segregent nos à Deo. Et quia nouerunt quod qui dilexerint proximum diligant Deum, ideò & illic cum sint virtutis inimici, proprium seminant fomitem simulationum in corde nostro, vt possideamus inimicitiam magnam aduersus alterutrum, ne vel de longè proximo colloquamur. In totum verè filioli volo vos etiam istud cognoscere, esse quàmplurimos qui sustinuerint maximum certamen in conuersatione sanctissima, sed indiscretio interfecit eos. Verè filioli, quia non est tantùm mirandum si negligatis vosmetipsos, quantùm si non discernentes proprium opus incidatis in mensuram diaboli, arbitrantes quod iam vicini Dei sitis effecti: & expectantes fortem lucem, tenebris occupemini. Quid enim omnino fuerat opus vt *præcingens se Iesus linteo* ac ponens peluim, inferiorum se lauaret pedes? Sed exemplum istud effecit significans de conuersuris ad proprium illud superumque principium: Initium quippe motus superbia existit, quæ facta est in primis. Et ne si rursus post multa consistens in corde tuo, & in tota anima tua, & in toto spiritu tuo, in tota etiam anima & corpore toto: non poteris hæreditatem capere regni Dei. Verè filioli mei in Domino, quæso Creatorem meum die ac nocte, à quo & habeo spiritum commendatum, vt aperiat oculos cordis vestri ad cognoscendam dilectionem nostram à vobis, quam habeo erga vos: & vt pateficant auditus animæ vestræ ad conspiciendam confusionem propriam. Quisquis etenim cognouerit dedecus suum, hic demum requiret & electam gloriam suam. Et quicunque cognouerit propriam mortem, iste iterum cognoscet etiam suam æternam vitam. Quasi prudentibus loquor, verè filioli, quia timeo ne forte fames nos comprehendat in via, & in loco quo poteramus diuites fieri si velimus. Volebam ante videre vos ad faciem in corpore; sed iam expecto tempus quod est propè, in quo possimus ex ipso nos contuitu, alterutrum peruidere, *cum aufugerit, dolor, tristitia,* ac gemitus, cumque super caput exultatio extiterit vniuersorum. Erant & alia multa quæ velim dicere, sed *si dedero occasionem sapienti, sapientior erit.* Saluto omnes desideratissimos meo & natos in Domino per nomen.

Liberum arbitrii. — Psal. 33. — Magnos vires tentari superbia. — B — *Discordia seminatur à Dæmone.* — *Indiscretio.* — Ioan. 13. — C — *Cognitio sui.* — Apoc. 21. — D — Prou. 9.

SANCTI ANTONII, Abbatis, ad fratres suos Arsenoitas, de Christi in nos Beneficiis.

EPISTOLA III.

1.Cor. 8.

SCITIS gratiam Domini nostri Iesu Christi, quòd *propter vos pauper factus est cùm diues esset*, vt nos paupertate illius ditaremur: seruitus autem illius liberauit nos, & infirmitas eius constituit validos. Stultitia illius nos sapientes effecit: si tamen iterum, per mortem, propriam resurrectionem faciat nostram, vt in hac possimus vocem magnam eleuare dicentes: *Tametsi nouimus secundum carnem, sed creatura est in Christo noua.* Verè, charissimi in Domino, dico vobis quod iuxta minutias verbi liberatis, in qua cuncti liberi sumus effecti, alia habeo multa quæ dicam vobis, sed non est horum tempus dicendi modo. Saluto interim vos omnes, charissimi mei nati in Domino, filij Israëlitæ sancti secundùm vestram sensualem extantiam. Verè inquam decebat, vobis quasi propinquantibus proprio Conditori ad inquirendam salutem animarum vestrarum per testamentariam legem, licet propter multitudinem malitiæ & malignitatis distinctionem ac libidinum voluptates refrixerit testamentaria illa lex, animæque vestræ sensus officio obierint, & idcirco nequaquam potueritis animaduertere sensualem & gloriosam essentiam propter mortem qua corruerunt. Ideóque scriptum est in scriptura diuina, quòd *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* Ergo iste est vita tutius rationabilis naturæ creatæ in ipso secundùm effigiem imaginis eius. Ipse etiam existit sensus verus patris. Sed imago quidem Genitoris inuersabilis est, quæ assumpta est, præter illam vobis accidit malitia, in qua & vniuersi mortui sumus; extra naturam siquidem est substantiæ sensualis in Deo. Ergo omnibus, inquit, extra naturam. Acquisiuimus domum tenebrosam ac prœliis plenam. Et in hoc testificamur vobis, quòd totius vigoris scientia deficit à nobis. Ob quam etiam causam aspiciens genitor noster Deus infirmitatem nostram, quòd impossibiles simus effecti gestare veritatem, ex quo huius rei gratia bonitate propria venit visitationem facere creaturarum suarum per ministerium sanctorum. Obsecro vos vniuersos in Domino charissimi, vt intelligatis quæ scribo vobis. Quia non dilectionem corporalem habeo in vos, sed charitatem spiritus culturæ Dei. Præparate vosmetipsos ad conditorem vestrum ire. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Et scitote quid possimus restituere Domino pro cunctis donationibus quæ dedit nobis, quique & vsque & hic in ista habitationem memoriam nostri facit propter immensam bonitatem suam & infinitam dilectionem non faciens nobis secundùm peccata nostra: qui & solem vsque fecit ministrare nobis in tenebrosa domo, lunam quoque ac sydera cuncta iubens deseruire vanitati perituræ, propter corporum constabilitionem: aliasque virtutes multas nobis ministrare præfecit, quas neque vidimus corporis oculo. Quid ergo dicemus quasi in aliquo boni fraudemur ab eo quod ipse non fecerit nobis? Nunquid Patriarchæ non passi sunt pro nobis, aut sacerdotes docuerunt nos? Nunquid Prophetæ pro nobis mortui non sunt? aut Apostoli persecutionem non sustinuerunt pro nobis? Nunquid Filius Dei dilectus non pro nobis omnibus mortuus est? Ob quæ vniuersa debemus & ipsi properare ad pergendum in omni sanctitate ad proprium Conditorem; qui cernens creaturam non posse curare plagam quæ facta fuerit Iudæis, propriis videlicet membris: Pater ipse creaturarum, sciens infirmitatem sensus eorum, est motus visceribus circa eos, & secundùm multam dilectionem suam non pepercit Vnigenito filio suo, sed ob nostram omnium salutem tradidit eum propter nostra peccata. Et iniquitates quidem nostræ humiliauerunt eum, *liuore autem eius nos omnes sanati sumus.* Hic congregauit nos ex omnibus regionibus verbo virtutis suæ, donec illam sensus nostri resurrectionem effecerit, docens nos alterutrùm existere membra. Docet idcirco vniuersis nobis properantibus ad proprium Conditorem, exercere habitudines nostras ac sensus officia ad agnoscendam dignitatem, boni malique discrimen, vt sciatis omnes illas Iesu dispensationes quas in proprio dedit affectu, similis nobis factus per omnia excepto peccato. Propter multam verò malitiam nostram districtionemque malitiæ & gra-

uedinem

E — 2.Cor. 5. — Ioan. 16. — 1.Cor. 15. — F — G — *Charitas spiritualis.* — Ioel. 2. — *Dei beneficia ergà homines.* — *Angeli hominum ministri.* — H — Isa. 53. b. — 1.Pet. 2. d.

A uedinem inconstantiæ nostræ, factus est aduentus eius,
1.Cor.1.c. *quibusdam quidem stultitia, aliis verò scandalum*, alteri parti emolumentum, itemque aliis sapientia & virtus, porrò aliis resurrectio & vita. Hoc quoque manifestum sit vobis, quòd aduentus illius factus sit omni mundo iudicium.
Ierem.31 *Ecce enim*, ait, *venient dies dicit Dominus, & omnes scient me à minimo vsque ad maximum eorum, & auditum faciam vsque ad extremum terræ, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: Quia cùm cognouissent Deum, non vt creatorem proprium glorificauerunt*,
Rom.1. & id propter vecordiam suam, per quem nec potuerunt capere sapientiam eius. Sed
Christus cur incarnatus. vnusquisque nostrum vendidit semetipsum propriis voluptatibus in mala, & ipsis seruus dictus est. Ob quæ ipse Iesus *exinaniuit semetipsum* à gloria, *formam serui accipiens*, vt illius seruitus nos liberaret. Stulti fuimus,
Philip.2.d. & in stultitia nostra facinus gessimus. Assumpsit ille habitus stultitiæ, vt nos faceret sapientes. Inopes era-
2.Tim.3 mus, & in paupertate nostra omnis defecerat vigor à
B nobis. Item ille hic assumpsit inopiæ formam, vt paupertate sua nos in omni sapientia & intellectu ditaret. Non solùm autem hæc, sed insuper & infirmitatis nostræ figuram assumpsit, vt propria infirmitate nos robustos efficeret, obediens factus patri in omnibus vsque ad mortem, *mortem autem crucis*. Vt in sua morte & humilitate illam cunctorum resurrectionem efficeret, eumque destrueret qui mortis habebat imperium: hoc est, diabolum. Igitur si pro certo liberabimus nosmetipsos in eius aduentum, profectò inueniemur discipuli Iesu, & diuinæ hæreditatis instituemur hæredes. Charissimi in Domino, turbor vehementer & moueor in spiritu meo, quòd nominibus amicti sumus, & sanctorum schemata baiulamus in conspectu infidelium gloriantes. Sed metuo ne illud Pauli oraculum
1.Tim.3 impleatur in nobis, quo ait: *Habentes formam pietatis, virtutem autem eius negantes*. De charitate verò quam habeo in vos pro vobis ad Deum, vt consideretis vitam vestram & hæreditate capiatis ea quæ non vi-
C dentur. Nam verum est, filioli, quòd etiamsi demus nosipsos ex tota virtute inquirere Deum, nec sic quidem condigna gratia erit. Id enim inquirimus quod nostrum existit, & quod naturale est substantiæ no-
Rom.12.c. stræ. Verè etiam charissimi in Domino qui in omni sanctitate parastis vosmetipsos offerre hostiam Deo, qui nihil de his quæ expediebant celabimus vobis, sed perspicua facientes testificabimur ea quæ aduersarij virtutis subripiunt veritati. Hoc quoque cognoscite scientes
Gal.4.d Carnales semper infesti spiritualibus. quòd hic *qui secundùm carnem est, semper insectetur eum qui secundum spiritum: & quòd omnis qui voluerit piè viuere in Christo, persecutionem patitur*. Propter quod Iesus cognoscens tribulationes omnes ac tentamenta, veniens in mundo ad Apostolos, & sciens quòd per patientiam suam resolueret vniuersam inimici virtutem: id est, idololatriam, consolabatur dicens:
Ioan.18. *Vos tribulationem habetis in mundo, sed constantes estote, quia ego vici mundum*. Docebatque eos dicens: Nolite ti-
D mere mundum, quia omnes afflictiones mundi condignæ non sunt ad eam quæ expectatur gloriam. Nam *si eos qui ante vos fuerunt Prophetas insecuti sunt, & vos persequentur: & si me oderunt, & vos oderint*. Sed confidentes estote, quia vestra sapientia soluetis omnem inimici virtutem. De minutia verò verbi libertatis in qua liberati sumus, habeo alia multa dicere vobis, sed si dedero occasionem sapienti, sapientior erit. Opus tamen habemus consolari inuicem exiguis quibusque sermonibus, quò si verè perspexerit mens, iam nequaquam egebit loquelæ corporalis mendacio. Gaudeo autem in omnibus vobis dilecti in Domino viri Israëlitæ sancti secundum propriam sensualem extantiam. Quia primùm quidem decebat rationalem virum cognoscere virum, cognoscere semetipsum, deinde vt cognoscat ea quæ sunt Dei, & vniuersas ipsius gratias quascunque semper cum eo facit. Ac deinceps nouerit quod omne peccatum & totum quicquid querulosum existit, extra naturam est sensualis extantiæ. Denique

videns Conditor noster nos hæc extra naturam posside- E
re arbitrio liberali in quo hic moriebamur: horum Arbitrii liberale.
causa visceribus pro nobis motus, propria bonitate voluit conuertere nos ad illud sine fine principium, visitationem fecit creaturarum non parcens sibimetipsi ob nostram vniuersorum salutem. Tradidit quippe se pro peccatis nostris, & iniquitates quidem nostræ humiliauerunt eum, sed liuore eius nos omnes sanati sumus. Verbo etiam virtutis suæ congregauit nos ex omnibus regionibus, ab extremo terræ vsque ad vltimum orbis, docens quod essemus alterutrum membra. Quamobtem si pro certo parauimus nosmetipsos liberos facere in eius aduentu, scrutetur semetipsum rationabilis homo, quidnam possit retribuere Deo pro cunctis donis quæ fecit in nobis. Vnde & ego quoque deterrimus qui hanc descripsi Epistolam, expergefactus à dormitione mortis, plurimum illud temporis quod mihi fuit super terram, factum existimo luctum & fletum, lugens quidnam possum tribuere Domino pro omnibus
quæ fecit mihi. In nullo enim frustrati sumus eorum, F
quæ non perfecerit nobis in humilitate nostra. Angelos etenim suos nobis ministrare fecit, Prophetasque proprios vaticinari præcepit. Apostolos etiam suos nobis Euangelizare iussit. Insuper verò illud omnium insigne est præceptorum, quod Vnigenitum suum formam serui fecit assumere pro nobis. Obsecro itaque charissimi in Domino vos, qui sanctorum existitis cohæredes, vt excitare velitis proprias mentes in timore
Dei. Sermo enim vobis iste sit manifestus, quod Ioan- Baptismus Iesu
nes quidem præcursor Iesu baptizauerit in remissionem peccatorum propter nos, spiritu autem sanctificati fuerimus in Christo. Præparemus nosipsos nunc in omni sanctitate ad purgandam sensualem mentem nostram, vt simus mundi in baptismate Iesu ad offerendum nosmetipsos hostiam Deo. Hic verò paracletus Spiritus qui consolatur nos, conuertit rursus ad principium nostrum ad recuperandas hæreditates pro-
prias, & magisteria eiusdem spiritus consolantis. Hu- G
ius rei gratia *quotquot in Christo baptizati sunt, Christo* Rom.6.a.
induti sunt: nec est masculus aut fœmina: non est seruus Gal.3.d.
aut liber. Omnis etiam lingua corporum destruitur apud illos, accipientibus eis doctrinam sancti Spiritus
in tempore quo sument hæreditatem sanctam, & ado- Ioan.4.
rabunt Patrem sicut oportet *in Spiritu & veritate*. Manifestus siquidem sit vobis sermo iste, ne expectare velitis iudicium futurum in illa præsentia Iesu: iam etenim aduentus illius omnibus nobis iudicium existit. Scitote etiam quòd omnes in se gestantes spiritum, respicientur & vestientur vestimento illo quo sumus exuti, iuxta sensualem nostram extantiam. Nam & sæpè fit vox veniens semper à Deo patre ad omnes illos qui in seipsum gerunt, dicens eis: *Consolamini, consolamini populum meum dicit Dominus, & Sacerdotes loquimini in corde Hierusalem*. Deus quippe visitationem continuò fecit creaturarum suarum, manifestans propriam bonitatem. Et verè, charissimi, secundum minutias ver-
bi libertatis, in qua liberati sumus, sunt & alia quam- H
plurima quæ dicantur vobis. Sed si dedero occasionem sapienti, sapientior erit. Deus autem pacis det vobis gratiam discretionis, vt cognoscatis quæcumque scribo vobis, quòd mandatum sit Domini. Custodiat vos idem totius gratiæ Deus sanctos in Domino vsque ad nouissimum flamen. Oro autem Deum semper pro omnium vestrûm salute, in Domino dilectissimi. Gratia Domini nostri Iesu Christi cum omnibus vobis, Amen.

A

SANCTI ANTONII, Abbatis, ad fratres suos Arsenoitas, de duobus Christi Præcursoribus, & eius Aduentu in carnem.

EPISTOLA IV.

CHARISSIMIS & honorabilibus in Domino salutem. Verè dilectissimi in Domino, quia non in vno tempore tantùm visitationem facit Deus creaturarum suarum, sed à constitutione mundi quotquot venerant ad opificem Deum per testamentariam Legem, iis coadest Deus singulis in simplicitate secundùm gratiam per Spiritum suum. De rationalibus autem naturis in quibus illud Testamentum refriguit, & officia animorum illorum mortificata sunt, ita vt vltra non inquirant cognoscere semetipsas secundum suam priorem conditionem: aliæ irrationabiles omnino effectæ, seruierunt creaturæ potiùs quàm Creatori. Idem verò Conditor, propria bonitate nostri visitationem effecit per testamentariam legem, quoniam substantia immortalis existit. Quotquot igitur digni habiti sunt gratia, & concreuerunt per suam cardinalem legem, & edocti sunt per Spiritum sanctum capientes filiorum adoptionis Spiritum, his etiam præualuerunt adorare Conditorem proprium sicut oportet. De quibus & Paulus ait: *quia non perceperint repromissiones propter nos.* In sua verò impartibili dilectione volens ipse cunctorum Deus visitationem facere refrigidationis nostræ ac dispensationis, excitauit Mosen doctorem Legis, qui daret nobis legem in litera. Et fundauit ipse nobis veritatis domum quæ est Ecclesia Catholica, quam creauit volens conuertere Deus ad primum initium. Et quia Moses quidem ædificauit vt præcedens, idcircò non timebimus asserere eundem latorem Legis vnum esse ex præcursoribus: & quia spiritus qui fuerit cum Mose, idem sit operatus & in choro sanctorum, omnesque petierunt de Vnigenito Dei. Item Ioannes vnus de præcursoribus extat, & ideo *lex atque Prophetæ vsque ad Ioannem. Regnum cælorum vim patitur & violenti diripiunt illud.* Præuidentes autem ij qui spiritu ferebantur, quòd nulla creatura possit curare illam grandissimam plagam, nisi sola beatitudo Dei, qui est Vnigenitus eius, quemque & destinauit ad salutem totius orbis, qui & est medicus magnus potens curare ingentem plagam sua bonitate: Pater creaturarum non pepercit Vnigenito propter nos, cum pro nostra vniuersorum salute tradens pro peccatis nostris & pro iniquitatibus. Et ipse quidem semetipsum humiliauit, sed illius liuore nos omnes sanati sumus, verboque virtutis suæ congregauit nos ex omnibus regionibus ab extremo terræ vsque ad vltimum Orbis, faciens resurrectionem cordium nostrorum à terra, docuitque nos alterutrum existere membra. Obsecro ergo vos charissimi in Domino, vt intelligatis scripta, quia Dei mandata sunt. Magnum quippe nobis est hoc, vt aduertamus mentem ad formam quam assumpsit Iesus propter nos, eò quòd per omnia nobis similis fuerit excepto peccato. Decet etiam vt & nosipsi liberemus ipsos nos in eius aduentum, & illius stultitia nos sapientes efficiat, paupertas ipsius ditet, & infirmitas robustos ostendat, & vt ipse omnium resurrectio fiat, destruens eum qui mortis habet imperium. Tunc enim cessabimus opus habere secundum carnem in Iesu aduentu. Namque Iesus cooperatur nobis in bono seruitio vsqueque destruamus malitiam omnem. Tunc quoque dicet nobis Iesus: *Iam non vocabo vos seruos, at fratres.* Quando igitur sic eos vocauit Deus vt acciperent spiritum filiorum adoptionis, tunc & spiritus sanctus docuit eos adorare Patrem sicut oportebat. Vnde & mihi quoque deterrimo, iuncto Iesu, tempus istud in quo aduenimus, factum est lætificatio & luctus, & fletus. Quoniam & multi de genere nostro induerunt indumenta pietatis, virtutem verò negauerunt. Quamobrem & ego in his quidem lætificor qui præparauerunt semetipsos liberare in aduentu IESV: in illis verò lugeo, qui interpellant nomen Iesu, & faciunt voluntates cordis & carnis. Necnon & eos defleo, qui intuentes longitudinem temporis, pusillanimes effecti sunt, & spoliauerunt se pietatis amictu, facti sicut bestiæ. Agnoscant verò huiusmodi dicentes: *Quia iam non vocabo vos seruos, sed & amicos & fratres, quia quæcumque nota fecit mihi Pater, manifestaui vobis.* Confitentes igitur mente quod agnouerunt semetipsos secundùm sensualem suam substantiam, dederunt vocem dicentes: *Quia etsi cognouimus te aliquando secundùm carnem, sed nunc iam non nouimus.* Quique accipientes filiorum adoptionis spiritum, exclamauerunt dicentes: *Non enim accepimus spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepimus spiritum adoptionis in quo clamamus, Abba pater.* Nunc ergo Deus, cognouimus quæcumque donasti nobis, & scimus quoniam filij sumus, & hæredes erimus: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Manifestus igitur sit vobis iste sermo, quòd nisi quis præparauerit emendationem propriam, nec conatus fuerit ex tota virtute, quòd huic aduentus Saluatoris in iudicium fiet. Quibusdam enim est *odor mortis in mortem, quibusdam autem odor vitæ in vitam*, propterea quòd in ruinam & in resurrectionem multorum positus sit in Israël, & in signum contradictionis. Quapropter obsecro vos, ne negligatis salutem propriam, sed vnusquisque vestrûm scindat cor; & non vestimenta: ne fortè amicti habitu inuilto paremus nobis iudicium. Ecce enim iam appropinquabit tempus, in quo probentur vniuscuiusque vestrûm opera. De minutia vero verbi, erant alia quæ scriberentur vobis, sed scriptum est: *Da sapienti occasionem, & sapientior erit.* Saluto vos omnes in Domino à minimo vsque ad magnum, Deus autem pacis custodiat vos vniuersos, charissimi.

B Hebr. 11. g. C *Ecclesia catholica domus veritatis.* Luc. 11. b. D *Christi incarnati mysterio fare considerabilia.* Ioan. 18. b. E *Lugendi peccatores.* Ioan 15. 2. Cor. 5. c. F Rom. 8. c. *Præparare propriâ emendationem.* 2 Cor. 2. d. *Pænitendum non veste tenus.* G

SANCTI ANTONII, Abbatis, ad fratres suos Arsenoitas, de Angelorum gaudio & luctu propter nos, & ne vitam nostram negligamus.

EPISTOLA V.

ANTONIVS dilectissimis natis, filiis Israëlitis secundùm sensualem ipsorum extantiam, non enim necesse est nominari vocabula quæ transeunt, qui filij estis Israël. Adhuc verè nati mei, dilectio quam habeo in vos non est dilectio corporalis, sed est charitas spiritus cultura Dei. Propterea autem nec defatigor obsecrans Deum die ac nocte pro vobis, vt possitis cognoscere gratiam quæ concessa est vobis. Quia non in vno tempore visitationem facit creaturarum suarum, sed à constitutione mundi moderatur Deus proprias creaturas, per generationes singulas, expergefaciens quemque occasionibus quibusdam & gratia. Nunc itaque filioli nolite negligere proclamantes ad Dominum die ac nocte, compellantes benignitatem Patris vt hoc donet vobis adiutorium de cœlo, docens vos vsqueque cognoscatis quid in se habeat. Nam verè filioli qui in propria nece consistimus, habitantes & in latronis domo & manentes, non & mortis vinculis obligamur nunc. Quapropter ne dederitis somnum oculis vestris, nec palpebris dormitationem, offerentes vosmetipsos sacrificium Deo in omni sanctitate, quam nemo hæreditare potest sine sanctimonia. Verè charissimi in Domino manifestus sit vobis iste

H *Dilectio spiritualis.* *Dei prouidentia.* *Humanũ Corpus, est domus latronis.*

A

istc sermo, & id quod bonum est facietis: in quo & vniuersos reficietis sanctos, alacritatem animorum præbentes, obsequium Angelorum, & lætificationem IESV, quoniam necdum requiem habuerunt propter nos vsque ad hanc horam. Sed & mihi deterrimo, habitanti in hac lutea domo eandem lætitiam in spiritu meo. Verè etenim filioli, quia nostra incommoditas & inutilitas dolorem eis omnibus præbet, vtuntur lachrymis atque gemitibus pro nobis in conspectu Conditoris, & ob hoc cunctorum etiã Deus irascitur super opera nostra maligna propter gemitum Sanctorum: sicuti iterum profectus & emendatio nostrorum animorum, alacritatem præbet choro Sanctorum.

Causâ lege, & regreditur ad vnum. Epist. 2.

Et vtuntur prece multa atque lætitia in exultatione coram Creatore nostro. Ipse quoque cunctorum opifex lætatur in operibus nostris, & propter testimonium sanctorum donat nobis charismata immensa. Igitur vt cognoscatis quòd Deus diligat semper propriã creaturam; eo quòd sit immortalis extantiæ, non est resoluenda corporibus, aspiciens sensualem naturam ipse quod mortuo omnino perrexisset in abyssum, & illud testamentarium refriguisset.

B

Tum idem Deus propria bonitate eandem visitat, ex morte per Mosen ædificare volens, & magnam curare plagam, gestiens conuertere eam ad pristinam concordiam: sed potens discessit ab eis. Adhuc insuper & omnis Prophetarum chorus ædificauerunt supra fundamentum Mosis; sed nec isti valuerunt mederi ingentem plagam membrorum suorum; cernentésque quòd cessasset virtus eorum, iterato adhuc vniuersus Sanctorum chorus collectus in vnum, orationes refert in conspectu proprij Conditoris, dicens: *Nunquid resina non in Galaad, aut medicus inibi? Quare ergo non ascendit sanitas filiæ populi mei? Domine curauimus Babylonem, & non est sanata: Nunc fugiemus ab ea.*

Prophetæ super ædificauerunt Mosi.

Hieron. 8.g.

Petentibus cunctis benignitatem Patris de Vnigenito, quòd nisi ipse in terris calcaret, nulla creatura curare possit ingentem plagam: huius rei causa, bonitate propria vocem dedit dicens: *Fili hominis, facio tibi vasa captiuitatis.*

C

Ezech. 12.

Voluntas itaque Patris vnigenito non pepercit pro nostra omnium salute, sed tradidit eum pro peccatis nostris. Et iniquitates quidem nostræ humiliauerunt eum, sed liuore eius nos omnes sanati sumus. Congregans ipse nos ex omnibus regionibus à summo terræ vsque ad extremum orbis, faciens resurrectionem sensuum nostrorum de terra, & quod alterutrum membra sumus. Attendite ergo filioli, ne fortè illud oraculum Pauli impleatur in vobis: *Habentes quidem formam pietatis, virtutem autem eius negantes.*

1.Tim. 3.a.

Quamobrem vnusquisque nostrûm scindat proprium cor deflens in conspectu eius, dicens, *Quid retribuam Domino pro omnibus bonis quæ retribuit mihi?*

Psal. 115.a.

Formido iterum filioli ne fortè illud eloquium impleatur in vobis: *Quæ vtilitas in sanguine meo dum descendo in corruptionem?*

Psal. 29.b.

Verè filioli, quia sicut prudentibus loquor, vt intelligatis quæ dico vobis: quòd nisi vnusquisque vestrûm exuerit omnem pulueream naturæ huiusmodi materiæ, & abrenunciauerit, & omni operationi eius ex toto corde: expanderitque manus cordis rursum ad vniuersorum Patrem, & ipse visceribus moueatur circa laborem eius, & donet ei inuisibilem ignem, qui comburat omnem immunditiam ab eo, ac principalem ipsum expurgans, tum Spiritum suum sanctum faciat habitare nobiscum, & sic possimus habitare apud Patrem sicut oportet.

D

Nam quamdiu satiscimus naturali materiæ, velut inimici existimus Angelorum Dei, atque Sanctorum eius. Nunc ergo obsecro vos, dilectissimi, in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, vti ne velitis negligere propriam vitam, nec confundat exiguitas temporis illud sine fine tempus, ne pellicula carnis corruptibilis obfuscet regnum ineffabilis lucis, neque condemnationibus locus exitialis in Angelis exterminet sedes. Verè, filioli, quia anima mea phantasma patitur, & spiritus meus in pauore consistit, quòd vniuersi nos velut gurgite immersi sumus, & velut ebrij musto consistimus, cùm vnusquisque nostrûm propria distrahitur voluntate, huius domino subiugatur nolente attollere oculos nostros ad cœli gloriam inquirendam, & illam Sanctorum omnium operationem illustrem, ipsorum vestigiis inhærentes.

Homines voluntate propria ebrij.

E

Vt ergo sciatis quòd cœli sancti Angeli siue Sedes, siue dominationes, siue Cherubim, siue Seraphim, siue Sol, siue Luna, siue Astra, siue Patriarchæ, siue Prophetæ, siue Apostoli, siue diabolus, siue Satanas, siue spiritus maligni, siue principes aëris huius: & (ne plura dixerim) siue masculus, siue fœmina secundùm principium creaturæ suæ ex vno sunt omnes, excepta sola perfecta & beata Trinitate Patris & Filij & Spiritus sancti. Propter bonum verè quorundam motum, opus fuit, vt Deus horum nomina vocitaret; & secundùm studia ipsorum, his qui amplius profecerunt attribuit superexcellentem gloriam dignitatis.

Beata Trinitas ex nullo alio.

SANCTI ANTONII, Abbatis, ad fratres suos Arsenoitas, de Christi Aduentu, & vt nos ipsos cognoscamus.

F

EPISTOLA VI.

Debet rationabilis homo paratus esse vt liberet semetipsum in aduentu Filij Dei, cognoscens se esse secundùm sensualem suam extantiam. Quia quicumque cognouerit semetipsum, cognoscet dispensationem proprij Conditoris, vel quæcumque facit in propriis creaturis.

Cognitio sui ipsius.

Dilectissimi nobis in Domino, membra nostra & cohæredes Sanctorum; obsecro vos in nomine IESV CHRISTI facere vt præstet ipse vobis omnibus discretionis spiritum ad discendum & sciendum dilectionem quam habeo in vobis, quia non est corporalis dilectio, sed est spiritualis charitas diuinæ culturæ. De nominibus verò corporum nostrorum non opus est nominari ea: pertranseunt enim. Cognoscat autem homo id quod verum est nomen.

G

Genes. 32.f.

Propter quod & Iacob luctante per totam noctem cum Angelo, nomen illi erat Iacob. Mane autem facto vocauit nomen ipsius Israël: quod est, mens videns Deum. Puto etenim non ignorare vos, quòd Aduersarij virtutis obsideant veritatem. Vnde nec vno tantùm tempore Deus visitat proprias creaturas, sed ab exordio Mundi.

Deus omni ætate vocauit homines ad sui cognitionem.

Nónulli etenim parauerunt se venire ad proprium Conditorem per testamentariam ipsius legem, edocti ab illo adorare opificẽ suum sicut oportet. Quoniam verò ob passionem infirmitatis, & grauedinem corporis, ac distinctionem maligni refriguit testamentarium illud, & officia sensus animæ lassauerunt: idcirco non potuerunt exquirere propriè secundùm suam creationem, quod esset substantia immortalis non resoluenda corporibus, vnde nec præualuit semetipsum liberare, nisi iustitia. Huius rei gratia aggressus est eos Deus per scriptam legem, vt doceret eos adorare Patrem sicut oportet. Sed quoniam Deus vnus existit, & secundùm sensualem essentiam in idipsum est Vnitas; sit iste vobis sermo manifestus, quòd omnis locus in quocumque non fuerit consonantia; illic bella congerunt sibi, & iudicia faciunt oriri apud semetipsos.

Concordia.

H

Videns autem Conditor quòd plaga eorum magnificata fuerit vehementer, & opus haberet remedium IESV medici veri (ipse enim Vnigenitus, creator illorum existit, & ipse curat eos) misit ante se instructorem domus, ac ille nequaquam proficiscens abiit sibi: Itemque Deus excitauit Prophetarum choros per Spiritum suum, quique ædificauerunt quidem supra fundamentum Mosi, verumtamen, nec isti quidem potuerunt, sed eodem modo derelinquentes abierunt sibi. Et ipsi cuncti spiritum in se gerentes peruiderunt plagam quòd insanabilis esset, & quia per nullam creaturarum curari possit, nisi per Vnigenitum qui sensus est Patris, & imago eius existit.

Hominis plaga, ab homine sanari non potuit.

Cuius etiam imaginis effigie tota facta est creatura. Agnoscentes liquidò quòd hic Saluator & medicus existeret magnus, collecti sunt in idipsum omnes, & retulerunt orationes pro commembris suis, qui sumus nos proclamantes ac dicentes:

Nunquid

A Hier. 8. g. *Nunquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare non ascendit sanitas filiæ populi mei quia curauimus eam, & non est sanata: Nunc ergo ibimus ab ipsis.* At ipse Deus supereminenti & non simulata dilectione affuit nobis per sanctos suos, dicens: *Fili hominis facito tibi captiuitatis vasa.* Ipse quoque *in forma Dei existens non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & obediens factus est vsque ad mortem, mortem autem Crucis: Propter quod & Deus illum exaltauit, & donauit illi nomen quod est super omne nomen, vt in nomine* IESV CHRITSI *omne genu curuetur cœlestium, terrestrium, & infernorum, omnisque lingua confiteatur, quia Dominus* IESVS CHRISTVS *in gloria est Dei Patris.* Nunc ergo, charissimi, sermo iste sit vobis manifestus, quòd benignitas Patris non pepercit Vnigenito propter nos; sed tradidit eum propter nostram omnium salutem, tradens ipse semetipsum propter peccata nostra. Et iniquitates quidem nostræ B humiliauerunt eum; *sed liuore eius nos sanati sumus.* Ipse quoque verbo virtutis suæ congregauit nos ex omnibus regionibus ab extremo terræ vsque ad vltimum orbis, faciens resurrectionem sensuum nostrorum & remissionem peccatorum, docens nos alterutrùm existere membra. Quapropter fratres obsecro in nomine IESV CHRISTI, vt cognoscatis hanc tàm magnam dispensationem, quòd similis nobis per omnia fuerit, excepto peccato. Debet autem vniuersa rationabilis natura, propter quam maximè Saluator aduenit, vt diiudicet habitudinem suam & ignorantiam proprij sensus, distinctionemque dare inter medium mali ac boni, liberari quærens per eius aduentum. Etenim quotquot liberi facti sunt per illius dispensationem, ij vocati sunt serui Dei. Quod tamen necdum perfectum est, nisi quod tantùm in tempore suo iustum existit, & deducet ad filiorum adoptionem. Nam is Saluator noster sciens quòd appropinquaret accipere spiritum filiorum adoptionis, dedit vt etiam cognoscerent eum docti à C Spiritu sancto, quòd aduentus IESV factus sit hominibus iudicium. Vnde & vos charissimi in Domino, cognoscite vosmetipsos, vt ad hæc & tempus possitis cognoscere, & parati sitis offerre vosmetipsos sacrificium Deo. Verè charissimi in Domino, quod tanquam rationabilibus vobis scribo, & qui potuistis cognoscere vosmetipsos. Scio enim quòd quicumque cognouerit semetipsum, agnoscet & Deum. Qui verò cognouerit Deum, agnoscet & dispensationes illius, quas effecit in propriis creaturis. Manifestus quoque sit vobis iste sermo, quòd non corpoream dilectionem habeo in vobis: sed charitatem spiritus culturæ Dei: eius videlicet Dei qui gloriatur in consilio iustorum. Parate ergo vosipsos dum habetis qui pro vobis exorent, & postulantes pro vestra salute, vt *ignem quem venit ipse mittere super terram,* immittat cordibus vestris, vt possitis exercere habitudines vestras. Et det sensuum officia ad cognoscendum discernere malignum à bono, à sinistra dexteram: à substantia insubstantiam. Sciens enim Iesus quòd impetum diaboli materia facit, adD uocans discipulos dixit eis: *Nolite thesaurizare vobis super terram, nec sollicitis sitis de crastino, crastinus enim dies sollicitus erit de se.* Verè fratres scitis quod tempore ventorum prosperitatis, omnis gubernator plaudit sibi: in contraria verò quæque ventorum, omnis gubernator manifestatur. Intelligite ergo tempus in quod aduenimus, quale sit. De minutia autem verbi libertatis, erant plurima quæ dicerentur vobis: sed si dedero *occasionem sapienti, sapientior erit.* Saluto vos à minimo vsque ad maximum.

[Margin: Ezech. 12. — Philip. 2. — Cognitio Dei. — Luc. 12. f — Matth. 6. c. — Gubernator tempestate probatur.]

SANCTI ANTONII, Abbatis, ad fratres suos Arsenoitas, de cognitione suiipsius, & de Arrio.

EPISTOLA VII.

E ANTONIVS, omnibus dilectissimis fratribus in Domino, salutem: Non deficio memorans vestri qui estis Catholicæ membra. Agnoscere autem vos volo dilectionem quam habeo in vobis, quia non est corporea, sed est dilectio spiritus culturæ Dei. Corporum quippe nostrorum amicitia, in insubstantia & inconstantia est, quæ mouetur sæpè ab extraneis F ventis. Cuncti verò qui timent Dominum, & custodiunt mandata eius, serui sunt Dei? Sed non est in ipsa seruitute perfectio, nisi quòd tantùm iusta tenet, seducens filiorum adoptionem. Propter quod & Prophetæ & Apostoli, omnisque sanctorum chorus Deo suscepti, vt crederetur ei Apostolica prædicatione per voluntatem Patris, vincti Christi effecti sunt. Denique Paulus ait: *Vinctus* IESV CHRISTI *vocatus Apostolus.* Scripta itaque lex cooperatrix fiat vobis in hoc seruitio, vsquequo dominari possimus omni vitio, & perficiamur in optimo ministerio virtutis per Apostolicum mandatum. Quia si propè fuerimus effecti ad accipiendum, tunc dicet vobis IESVS: *Quia iam non vocabo vos seruos meos, sed amicos & fratres: quia quæcumque nota fecit mihi Pater, reuelaui vobis.* Quotquot enim proposuerunt, edocti sunt per Spiritum sanctum, hi cognouerunt semetipsos secundum sensualem suam extantiam; in ipsa verò sui cognitione proclamauerunt diG centes: *Non enim accepimus spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepimus spiritum filiorum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater:* vt cognoscamus quanta nobis donauerit Deus, *Quia & filij sumus & hæredes: Hæredes quidem Dei, cohæredes sanctorum.* Fratres dilectissimi & cohæredes sanctorum, omnis virtus non est aliena vobis, sed vestra existit, si tamen inculpabiles sitis à mala vita, Deo autem manifesti. *In malam enim animam non intrabit spiritus Dei, nec habitabit in corpore subdito peccatis:* Sancta quippe est virtus, fugiens ab omni dolo. Verè dilectissimi, quia sicut rationabilibus scribo vobis & quasi potentibus cognoscere vosmetipsos: quia qui semetipsum cognouerit, Deum cognouerit: Qui verò cognouerit Deum, hunc adorare debet sicut oportet. Et, Charissimi in Domino cognoscite vosmetipsos, quia qui semetipsos cognoscunt, & tempus cognouerunt: qui verò cognouerunt tempus, ij poterunt statuere semetipsos immobiles à diuersitate linguarum. De Arrio verò qui in Alexandria surrexit & loquitur aliena verba de Vnigenito, cui, qui est, H & qui sine tempore est, tempus non adsciuit: & ineffabilis, finem inter creaturas non dedit: immobilis, immobilitatem non affixit.

[Margin: Corporis charitas instabilis. — Ephes. 3. a. — Philip. 1. c. — Rom. 8. c. — Cognitio suiipsius. — Arrius.]

SERMO S. ANTONII Abbatis, de vanitate mundi, & de Resurrectione mortuorum, per D. Gerard. Vossium editus.

[Margin: Ex antiquo manuscripto latino Aldi Manutij.]

TEMPVS operationis est, dilectissimi, in quo ad æternam peruenire possimus vitam, & incommutabilem gloriam. Huic enim vitæ succedit mors, & mundanam gloriam apprehendit confusio

A Multi quippe potentium, antè præfinitum tempus, canum more in infernum detrusi sunt, & iudices ab infimis iudicati sunt, & diuites eguerunt in posterum, & sapientes nihilominùs in stultitiam deuoluti sunt. Potens, inualidus effectus est; & qui incolumis erat, infirmatus est. Qui exultabat, lamentatur, & plangit: & qui principatum obtinebat, eo priuatus est, nihilque firmum manet ac stabile: quia boni aliquid non reperitur in mundo. Filij iniuriis & contumeliis suos patres afficiunt: & patres proprios perhorrescunt filios. Coniuges, suos viros repudiant: & viri suis coniugibus † conscientiam minimè seruant. Iuniores cum senioribus delirare noscuntur: & senes cum iuuenibus lasciuire delectantur. Non est in amico fides, nec in proprio fratre confidentia. Homo pacifica sua loquitur proximo, & in semetipso mala aduersus eum excogitat. Inuidia & dolus omni cum malitia exercetur, & infidelitas obtinet vniuersa. Nullus recipit memoriam Dei: nec quisquam se rationem redditurum Deo post mortem æstimat. Et propterea multiplicantur mala, quoniam contemnitur Deus. Intellectum nobis tribuit Deus, vt eius cognita voluntate quod bonum est operemur. Nos autem percepta cognitione eius, quod malum est operamur. Virtutem etiam nobis contulit, qua possimus quod æquum & rectum est perficere: & nos per ipsam, potiùs iniquitatem exercemus. Diuitias nobis tribuit; vt & ipsas his qui indigent ministremus: at nos qui diuitias possidemus, pauperes è contrario spoliamus. Principatum nobis & potestatem largitus est; vt per eam possimus illos qui violentiam patiuntur defendere: at nos contrà non defensionem miseris, sed violentiam magis inferimus. Non est qui per viam ambulet rectam, neque qui iustum iudicium exerceat, aut sequatur. Refrixit charitas, & odium multiplicauit fructum suum. Pro nihilo habetur virtus animi; & simulatio passim magis placet. In abominationem venit humilitas; & in honore maximo habetur elationis arrogantia, abolita est veritas, & mendacium in terris præualuit. *O altitudo diuitiarum*, benignitatis & patientiæ Dei! quia super his quæ geruntur malis, longanimiter differt, & nequaquam vlciscitur. Non quasi eo quòd nequeat statim inferre vindictam, suam indignationem temperat: sed quasi pius pater clementer nobis condolens suam misericordiam prætendit: vt vel sero compuncti ad pœnitentiam conuertamur; & immensæ bonitatis eius misericordiam consequamur. *Non* enim *vult Deus mortem peccatoris*, sed pœnitentiam. Quæ est autem nostra virtus, quòd diuinæ virtuti resistendum putamus? Flauit in nos ventus, & arefacti sumus; & tempestas quasi phryganum ac sarmentum seu stipulam dispersit nos. Vt quid ergo gloriatur terra & cinis? cum scriptum sit: *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Ne igitur sic arbitremur, quasi post obitum nihil futuri simus; & post præsentem vitam nullum futurum sit iudicium. Erit enim resurrectio post mortem, & iudicandi erimus à Deo, qui redditurus est vnicuique secundum opera sua. Ne ergò errantes, nosmetipsos decipiamus, & in hac vita instar irrationabilium pecudum conuersemur. Nam si non est resurrectio, neque mors. Si autem resurrectio erit, vtique & iudicium. Qui enim statuit mortis sententiam, ipse comminatus est etiam iudicium. Si in hoc verax est, nec in illo potest mendax existere. Quid enim faciliùs potest homo perficere; vetustam domum destruere, & ex ipsis reædificare impendiis; an aliam ex integro nouam construere, vbi nihil prioris fuerit ædificij? Igitur si terram, ex qua homo factus est, creauit ex nihilo: quantò magis hominem ex materia subsistente erectum, & à morte corruptum, ex eiusdem terræ manente substantia, facilius denuò poterit reformare? Non enim cum labore operatur Deus. Sermo autem Dei, opus est eius; & concilium, sermo ipsius est. Vtique sicut voluit, *dixit; & facta sunt.* Quemadmodum scriptum est: qui vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Nam sicut virtus Dei & potentia eius incomprehensibilis est: ita & operationes eius. Et sicut sapientia eius immensa est: ita & viæ eius inuestigabiles. Ne ergo increduli remaneamus: quia potens est Deus facere quod promisit. Vt ne pro incredulitate magis, quàm pro prauis operibus condemnemur. Nam in operibus delinquere, infirmitatis indicium est. Incredulum verò esse, audaciam temeritatis significat. Vix enim audax & temerarius vllum bonum opus perficit. Ergò dum tempus habemus, parcamus nobismetipsis, & propitiemus Deum pro peccatis nostris: ne quando ligatis manibus & pedibus in exteriores tenebras proiici iubeamur, vbi est fletus & stridor dentium. Quid autem fletus indicat, & planctus; nisi crudelium & horribilium suppliciorum immensitates? Et quid significat stridor dentium; nisi quia pro iisdem peccatis maior erit postmodum pœnitudo malorum? Tunc enim certissimè, tunc incipiemus aduersum nosmetipsos indignantes, cum stridore dentium pœnitere: quando nullus vtilitatis locus, nec tempus superererit pœnitentiæ. Cùm ergò possumus in hoc breui tempore deseruire Deo, & liberati à gehenna, & cruciatibus sempiternis, cur negligimus, & despicientes præcepta Dei, seruimus propriis voluptatibus vt efficiamur obnoxij irremediabili pœnæ. Deus autem noster, qui est magnus & amator hominum, *diues in misericordia*, & potens in operibus suis: ipse adiuuet infirmitatem nostram, *conuertens Sathanam sub pedibus nostris velociter*, & det virtutem nobis, & intellectum tribuat spiritalem: vt in hoc, quod superest, tempore, in veritate ei & fideliter seruientes, inueniamus gratiam apud Deum, in illa terribili die Iudicij eius, Amen.

Marginalia: † fidem. — B — Nolens Princi pes, & qui in potestate constituti sunt. — 1. Pet 2. Matth. 24. — C — Rom. 11. — φρύγανον. — Psal. 36. — D — De resurrectione mortuorum, & extremo Iudicio. Heb 9. — Gen. 1. — Gen. 2. — Psal. 32. Rom. 4. — E — Matth. 13. 23. 25 Nat. — F — Ephes. 2. — Rom. 16.

SANCTI PACHOMII Abbatis Regula à S. HIERONYMO in Latinum Sermonem conuersa.

G

Ex Bellarmino de Script. Eccles.

S. Pachomius ex milite gentili monachus probatissimus effectus, S. Antonij æqualis & forte discipulus, scripsit regulam Monachorum Angelo dictante.

PRÆFATIO S. HIERONYMI.

H QVAMVIS acutus gladius & leuigatus, si diu in vagina conditus fuerit, sordescit rubigine & splendorem pristini decoris amittit. Vnde ego mœrens super dormitione sanctæ & venerabilis Paulæ (non quo contra præceptum Apostoli, sed quo multorum incisa illius morte refrigeria suspiratem) accepi libros ab homine Dei Syluano presbytero mihi directos, quos ille Alexandria missos susceperat, vt mihi iniungeret transferendos. Aiebat enim quod in Thebaide, & in monasterio Metanoæ, quod de Tanabo in pœnitentiam felici nominis conuersione mutatum est, habitarent plurimi Latinorum, qui ignorant Ægyptiacum Græcumque sermonem, quo Pachomij & Theodori, & Orsiesis præcepta conscripta sunt, qui primi per Thebaidem, & Ægyptum Cœnobiorum fundamenta iecerunt iuxta præceptum Dei, & Angeli, qui à Deo sub hanc ipsam institutionem missus fuerit. Itaque quia diu tacueram, & dolorem meum silentio deuoraram; vrgebant autem missi ad me ob hanc ipsam causam Leontinus presbyter, & cæteri

Marginalia: Elegans similitudo. — 1. Thes. 4

A cæteri cum eo fratres, accito notario, vt erant de Ægypriaca in Græcam linguam versa, nostro sermone dictaui: vt & tantis viris imperantibus, ne dicam rogantibus obedirem, & bono vt aiunt auspicio longum silentium rumperem, reddens me pristinis studiis, & sanctæ fœminæ refrigerans animam, quæ monasteriorum semper amore flagrauit, & quod vi sura erit in cœlo, hoc in terris meditata est. Venerabilis quoque virgo Christi Eustochium haberet, quod sororibus legendum tribueret, nostrique fratres Ægyptiorum, hoc est, Tabennensium monachorum exempla sequerentur, qui habent per singula monasteria Patres, & dispensatores, & hebdomadarios, ac ministros, & singularum domorum præpositos; ita vt in vna domo quadraginta plus minusve fratres habitent, qui obediant præposito, sintque pro numero fratrum triginta, vel quadraginta domus in vno monasterio, & ternæ, vel quaternæ domus in vnam tribum fœderentur, vt vel ad opera simul vadant; vel in hebdomadarum ministerio sibi succedant per ordinem. Quicumque autem monasterium primus ingreditur, primus sedet, primus ambulat, primus psalmum dicit, primus in mensa manum extendit, prior in Ecclesia communicat; nec ætas inter eos quæritur, sed professio. Nihil habent in cellulis præter Psiathium, & duo lebitonaria, (quod Ægyptiis monachis genus vestimenti esse sine manicis) & vnum iam attritum ad dormiendum, vel operandum; & amictum lineum, cucullasque duas, & caprinam pelliculam, quam melotem vocant, balteolum lineum & caligas; ac baculum itineris socium. Ægrotantes miris sustentantur obsequiis, & ad omnem copiam præparatis cibis: sani maiori pollent abstinentia. Bis in hebdomada, die quarta, & sexta sabbathi, ab omnibus ieiunatur, excepta Pentecoste. Aliis diebus comedunt, qui volunt, post meridiem; & in cœna similiter mensa ponitur propter laborantes, senes, & pueros, æstusque grauissimos. Sunt qui secundò parum comedunt, alij qui prandij siue cœnæ vno tantum cibo contenti sunt, nonnulli gustato paululum pane egrediuntur. Omnes pariter comedunt; qui ad mensam ire noluerit, cellula sua panem tantum, & aquam, ac sal accipit, siue vno die voluerit, siue biduo. Cumque maior, vel stans Prior in gradu, manu percusserit, de scripturis quidpiam reuoluens memoriter, vt oratio finitur, nullus consurgit tardius, sed omnes pariter eleuantur, nemo aspicit alterum operantem; sed defixis luminibus vnusquisque in suo opere intentus est, &c.

Officia monasteriorum antiqua.

Opus manuū. Hebdomaderij seruitores.

B *Ordo congregationis Professio.*

Vestes monachorum.

Infirmorū cura. In omnium feria quarta & sexta. Veterum monachorum abstinentia. Mensa communis.

C

silentiū.

INCIPIT REGVLA S. PACHOMII.

HÆc sunt præcepta vitalia, tribus à maioribus tradita.

1 Si acciderit vt psallendi tempore, vel orandi, aut in medio lectionis aliquis loquatur, aut rideat: soluet cingulum, & inclinata ceruice, manibus ad inferiora depressis, stabit ante altare, & à principe monasterij increpabitur. Hoc idem faciet & in conuentu fratrum, cum ad vescendum pariter conuenerint.

D 2 Quando ad collectam tuba insonuerit per diem, qui vna oratione tardius venerit, superioris increpationis ordine increpabitur, & stabit in loco conuiuij. Noctu vero quia corporis infirmitati plus aliquid conceditur, qui post tres orationes venerit, eodem in collecta, & in vescendi loco, ordine corripietur.

3 Quando in collecta orant fratres, nemo egrediatur absque iussione maiorum; nisi interrogauerit, concessumque ei fuerit exire pro naturæ necessitate.

4 Omnes memoriter retexent, quæ sibi fuerint imperata, de quibus si quis oblitus aliquid fuerit, aut hæsitauerit in dicendo; negligentiæ, & obliuionis increpabitur.

5 In die Dominicâ, in collectâ, in quâ offerenda est oblatio, absque Præposito domus, & maioribus monasterij, qui alienius nominis sunt, nemo psallendi habeat potestatem. Psallente autem quolibet de maioribus, id est, dicente responsorium, si quis defuerit; statim ante altare pœnitentiæ, & increpationis ordinem sustinebit. E

6 De collecta, in qua offerenda est oblatio; qui sine præcepto maioris exierit, statim increpabitur.

7 Mane per singulas domos finitis orationibus, non statim ad suas cellas reuertentur, sed conferent inter se, quæ Præpositos audierint disputantes, & intrabunt cubicula sua. Disputatio autem à Præpositis domorum per singulas hebdomadas tertiò fiet, & in ipsa disputatione sedentes, siue stantes fratres suum ordinem non mutabunt, iuxta domorum ordinem, & hominum singulorum.

8 Si quis dormitauerit sedens, Præposito domus, vel monasterij principis disputante, surgere statim compelletur, & tamdiu stabit; donec ei videbitur; vt sedeat.

9 Quando signum insonuerit vt conueniant & audiant præcepta maiorum, nullus remanebit; nec succendetur focus, antequam disputatio compleatur. Qui vnum mandatum de his præterierit, prædictæ correptioni subiacebit. F

10 Dimissa collecta singuli egredientes vsque ad cellulas suas & vsque ad vescendi locum, de scripturis aliquid meditabuntur, nullusque habebit opertum caput meditationis tempore.

11 Cum autem ad vescendum venerint, sedebunt per ordinem statutis locis & operient capita. Statim vt tibi à maiore fuerit imperatum, vt de alia mensa ad aliam transeas, ire debebis, in nullo penitus contradicens. Nec ante Præpositum domus tuæ manum in mensa extendas; nec circumspicias vescentes alios: Vnusquisque Præpositorum docebit in domo sua quomodo debeant cum disciplina, & mansuetudine comedere. Quod si quis vel locutus fuerit, vel riserit in vescendi tempore, aget pœnitentiam, & in eodem loco mox increpabitur, & stabit, donec surgant alij de vescendo. G

12 Si quis ad comedendum tardius aduenerit, extepto maioris imperio, similiter aget pœnitentiam, aut ad domum ieiunus reuertetur.

13 Si aliquid necessarium fuerit ad mensam; nemo audebit loqui, sed ministrantibus signi sonitum dabit.

14 Si egressus fueris à cibo, ne loquaris in redeundo; donec ad locum tuum perueneris.

15 Ministri absque his, quæ in commune fratribus præparata sunt, nihil aliud comedant, nec mutatos cibos sibi audeant præparare.

16 Qui percutit ad vescendum, dum congregantur fratres, meditetur aliquid in percutiendo.

17 Qui ante fores conuiuij egredientibus erogat fratribus dulciamina, in tribuendo meditetur aliquid de scripturis.

18 Qui suscipit ea, quæ dantur, non in cucullæ, sed pelle accipiat, neque gustabit de his, quæ acceperit, donec ad domum peruenerit. Ipse autem qui cæteris diuidit, suam partem à præposito accipiat. Quod & cæteri ministri faciant accipientes ab alio, & nil sibi suo arbitrio vendicantes. Nemini plus alteri dabit, quam alter acceperit: quod si ostenditur infirmitas, præpositus domus perget ad ministros ægrotantium, & ab his quæ necessaria sunt, accipiet. H

19 Si de ipsis ministris aliquis ægrotauerit, non habebit licentiam introeundi in coquinam, vel cellarium, & sibi aliquid auferendi, sed ei cæteri ministri id quod necessarium viderint, dabunt, nec permittetur coquere sibi quod desiderabit, sed præpositi domorum, quæ necessaria viderint ei, & ab aliis ministris accipient.

20 Nullus introëat locum ægrotantium, qui non ægrotat. Qui ægrotauerit, à præposito domus ducetur in triclinium ægrotantium; quod si opus habuerit palliolo, aut tunica, aut cæteris quæ ad operiēdum, vel ad vescen-

A vescendum necessaria sunt, ipse præpositus accipiet à ministris, & dabit ægrotanti. Nec poterit languidus ingredi cellam vescentium, & comedere, quæ desiderat, nisi à ministro, qui huic rei præpositus est, ducatur ad vescendum. Non ei licebit de his, quæ acceperit in loco ægrotantium, ferre ad cellulam suam, nec pomum quidem.

21 Qui pulmentaria coquunt, ipsi nihil gustantes edentibus ministrabunt.

22 Vinum & liquamen, absque loco ægrotantium, nullus attingat.

23 Si aliquis eorum, qui peregrè mittuntur, in itinere, vel in via ægrotauerit, & habuerit necessitatem, siue desiderium comedendi liquamen de piscibus, vel aliquid eorum, quæ comedere non consueuerunt, non manducabit cum fratribus cæteris, sed separabitur, & dabitur ei à ministris ad omnem abundantiam, vt in nullo frater

B languidus contristetur.

24 Ægrotantem absque concessu maioris, nullus audeat visitare, nec propinquus quidem, atque germanus, sine imperio præpositi domus, ministrandi habebunt potestatem.

25 Si vnum ex his, ab aliquo fuerit prætermissum, atque neglectum, increpatione solita emendabitur.

26 Si quis accesserit ad ostium monasterij volens sæculo renunciare, & in fratrum congregari numero, non habebit intrandi potestatem, sed prius nuntiabitur patri monasterij, & manebit paucis diebus foris ante ianuam, & docebitur orationem dominicam, & psalmos quantos potuerit discere, & diligenter sui experimentum dabit, ne forte aliquid fecerit, & turbatus ad horam discesserit, aut sub aliqua potestate sit, & vtrum possit renunciare parentibus suis, & propriam facultatem contemnere. Si eum viderint aptum ad omnia, tunc

C docebitur & reliquas monasterij disciplinas, quas facere debeat, quibusque seruire, siue in collecta omnium fratrum, siue in domo, cui tradendus est, siue in vescendi ordine; & instructus, atque perfectus in omni opere bono fratribus copuletur. Tunc nudabunt eum vestimentis sæcularibus, & induent habitu monachorum; tradetur ostiario, vt orationis tempore adducat eum in conspectum omnium fratrum, sedebit in eo loco, in quo ei præceptum fuerit. Vestimenta quæ secum detulerat, accipient, qui huic rei præpositi sunt, & inferentur in repositorio, & erunt in potestate principis monasterij.

27 Nemo manens in monasterio, suscipiendi quempiam ad vescendum habeat potestatem, sed mittet eum ad ostium xenodochij, & suscipiatur ab iis, qui huic rei præpositi sunt.

28 Quando ad ostium Monasterij aliqui venerint, si

D clerici fuerint, aut monachi, maiori honore suscipiantur; lauabunt pedes eorum; seruabunt Euangelij præcepta, & deducent ad locum xenodochij, præbebunt omnia, quæ apta sunt vsui monachorum. Quod si voluerint orationis tempore, atque collectæ venire ad conuentum fratrum, si eiusdem fidei fuerint, minister xenodochij nuntiabit Patri monasterij, & sic deducentur ad orandum.

29 Si sæculares homines, aut debiles, aut vasa infirmiora, id est, mulierculæ venerint ad ostium, suscipient singulos in diuersis locis iuxta ordinem Præpositi & sexus sui, præcipuè feminas maiori honore & diligentia curabunt, cum omni timore Dei, & locum separatum ab omni virorum vicinia eis tribuent: vt nulla sit occasio blasphemandi. Quod si ad vesperas venerint, abiicere eas nefas est, sed accipient, vt diximus, separatum locum, & clausum cum omni disciplina, atque cautela, vt grex fratrum liberè suo officio seruiat, & nulli detur offendiculum detrahendi.

30 Si quis ante ostium steterit monasterij dicens se velle videre fratrem suum, vel propinquum, ianitor nuntiabit patri monasterij, & ille accitum interrogabit præpositum domus, si apud eum sit, & permittente eo, accipiet comitem egressionis suæ, cuius fides probata est; & sic mittetur ad fratrem videndum, vel ad proximum. Si E forte aliquid attulerit ciborum, quibus in monasterio vesci licitum est, suscipere ipse non poterit; sed vocabit ianitorem, & ille allata suscipiet; quæ si talia fuerint, quæ cum pane vescenda sint, nihil horum ij, quibus allata sunt, accipient; sed cuncta ad loca ægrotantium deferentur.

31 Si fuerit nuntiatum, quod de propinquis quis ægrotet, ianitor primus nuntiabit patri monasterij, & ille accitum interrogabit præpositum domus. Videbunt virum cuius fides & disciplina probata sit, & mittent cum eo, vt visitet ægrotantem; tantum accipiet viatici, quantum præpositus domus eius decreuerit.

32 Quod si necessitas impulerit, vt foris maneat, & vescatur in paterna, aut propinquorum domo, hoc non faciet, sed manebit in dominico, vel in monasterio eiusdem fidei. Quod si ei affines vel cognati præparauerint cibos, & apposuerint, nec accipient omnino, nec vescentur, nisi his quæ in monasterio edere consueuerunt: F non gustabunt liquamen, nec vinum bibent, nec aliud quidpiam, quorum edendi non habent consuetudinem. Si à parentibus quidpiam acceperint, tantum comedent, quantum in via sufficit: cætera quæ remanserint, dabunt præposito domus suæ, & ille portabit in cellam languentium.

33 Si propinquus alicuius aut consanguineus mortuus fuerit, prosequendi funus non habebit potestatem, nisi pater monasterij præceperit.

34 Nullus solus mittatur foras ad aliquod negotium, nisi iuncto ei altero. Quando autem reuersi fuerint in monasterium, si viderint ante ostium quærentem aliquem suorum affinium de his, qui in monasterio commorantur, non audebunt ire ad eum, & nuntiare, vel vocare, & omnino quidquid foris gesserint, aut audierint, in monasterio narrare non poterunt.

35 Si signum datum fuerit vt egrediantur ad opus, G præpositus antecedat eos, & nullus in monasterio remanebit, nisi is cui pater præceperit; & hi qui vadunt, quò pergant non interrogabunt, sed vnusquisque de scripturis aliquid meditabitur. Si forte aliquis eis occurrerit, vel voluerit cum aliquo eorum loqui, præpositus cui hoc iniunctum fuerit, occurrentibus respondebit: Operantes nihil loquantur sæculare, sed aut meditentur quæ sancta sunt, aut certè silebunt. Nemo palliolum tollat secum vadens ad operandum, nisi concessione maioris. Operans non sedebit sine maioris imperio. Omnia autem ferramenta post operationem ad domum reportabuntur.

36 Absque præpositi iussione nemo fratrum, si necessarium habuerit, aliquem mittere poterit, quod si ipse qui maior est, cogitur necessitate ire ad aliquem locum, officium suum ei, qui post se est in ordine, delegabit. H

37 Si quis lauare voluerit vestimentum, commonebit præpositum suum, & ille mittet cum eo alium, & lota veste reuertentur domum, & siccatam reponet ille cui hoc iniunctum est.

38 Nullus de horto tollat olera, nisi ab hortulano acceperit.

39 Palmarum folia, vnde texuntur sportæ, nemo suo iure tollat, absque eo cui palmæ sunt creditæ.

40 Nullus vuas, aut spicas adhuc immaturas comedere audeat præter ordinem disciplinæ, & omnino de omnibus, quæ in agro sunt vel in pomario, nemo comedet separatim, antequam cunctis fratribus pater exhibeat.

41 Qui coquent, antequam fratres comedant, non audebunt edere.

42 Qui super arbores pomarias, & super vineas sunt, non comedent de fructibus earum, nisi fratres prius comederint. Si iussi fuerint pomorum vel vinearum fructus colligere, præpositus colligentium dabit in eodem loco singulis ad vescendum modica: & cum ad monasterium venerint, inter cæteros fratres partes suas accipient. Si autem inuenerint sub arboribus poma cecidisse, comedere non audebunt, sed inuenta in transitu iuxta

radices

A radices arborum collocabunt. Ipse quoque qui cæteris colligentibus distribuit, gustare non poterit; sed portabit ad dispensatorem: qui cum cæteris dederit, & ipsi tribuat partem suam.

43 Nullus in cella sua reponat aliquid ad vescendum; absque his quæ à dispensatore acceperit.

44 Qui nolunt in commune vesci cum cæteris, quasi maiori abstinentiæ se dicantes, quando edere debuerint, quod eis vna die sufficiat, panem & sal accipiant tantum. Præter monasterij autem coquinam, nulli coquendi cibos habeant potestatem.

45 Nemo in cella sua habeat præter ea, quæ monasterij lege præcepta sunt, nec paucos nummos, nec proprium aliquid; extra habitum suum si quid inueneris, absque contradictione auferes.

46 Si quis transfertur de domo in alteram domum, excipe ea quæ vsui quotidiano ad habitum necessaria sunt, secum transferre nihil poterit.

B 47 Nullus neque ambulandi in monasterio, neque extra murum monasterij procedendi habeat facultatem, nisi interrogauerit Præpositum, & ille concesserit.

48 Cauendum est autem, ne quis de domo in alteram domum verba transferat, nec de monasterio in monasterium, nec de monasterio in agrum, nec de agro in monasterium.

49 Si quis ambulauerit in via, vel nauigauerit, aut operatus fuerit foris, non loquatur in monasterio, quæ ibi geri viderit.

50 Non dormiat quis præter reclinam cellulam: Cumque ad dormiendum se collocauerit, alteri non loquatur: postquam obdormierit, si post somnum nocte euigilauerit, oret.

51 Si ieiunij instat dies, & sitire cœperit, bibere non audebit.

52 Nemo lauare alterum poterit aut vngere, nisi ei fuerit imperatum.

53 Nemo in tenebris alteri loquetur. Nullus cum altero dormiat; manum alterius nemo teneat, siue ambulauerit, siue sederit, aut steterit, vno cubito distet

C ab altero.

54 Nullus attondeat caput, absque maioris arbitrio.

55 Mutare de his, quæ à præposito acceperit, cum altero nemo audebit; nec accipiet melius, & dabit deterius: aut è contrario dans melius, deterius accipiet, & in vestimento, & in habitu suo nihil noui, præter cæteros, causa decoris, inueniet.

56 Nemo vadens in congregationem ad vescendum, dimittat codicem non ligatum. Codices post nonam attendat, ad quem pertinet.

57 Si quis fratrum læsus fuerit, aut percussus; tamen lectulo non decumbit, sed ambulat inualidus, & aliqua re indigebit, vestimento vel palliolo, & cæteris vtensilibus, præpositus accipiet & dabit. Cumque sanus fuerit, reportabit sine mora vlla.

58 Nemo ab altero accipiet quidpiam, nisi Præpositus iusserit.

D 59 In villam nullus vadat nisi missus; super nudum dorsum asini duo pariter non sedebunt, nec super temonem plaustri.

60 Ad officinas diuersarum artium soli pergent præpositi, vt accipiant quod necessarium est.

61 Ad alterius cellulam intrare nullus audebit.

62 Commendatum aliquid, etiam à germano fratre, nullus accipiat.

63 Nihil in cella sua absque præpositi iussione quidpiam condet, nec poma quidem.

64 Si præpositus profectus fuerit, aut alter præpositus, aut qui secundus est, curam proficiscentis exerceat, vel quem ipse præpositus elegerit de fratribus, & curam ei suam iniunxerit.

65 Quando farinam conspergunt aqua, & massam subigunt, nemo alteri loquatur. Et quando tabulis ad furnum deportant panes, simile silentium habebunt; tantum de psalmis, aut de scripturis aliquid meditabuntur, donec opus impleant. Si quid necessarium fuerit, non loquantur, sed dent signum his qui possunt adferre, quæ necessaria sunt. Quando ad miscendam farinam vocati fuerint, nullus resideat in loco panes coquentium, exceptis iis, qui coctioni sufficient, & quibus iussum fuerit. E

66 In nauibus similis disciplina est. Nemo à terra soluit nauigij funiculum, nec mouet nauigium absque iussione patris. In interiore parte nauis cæteris fratribus super transtra & tabulata quiescentibus, nullus dormiat; & sæculares homines dormire secum nullus patiatur. Vasa infirmiora cum eis non nauigabunt, nisi forte pater monasterij præceperit.

67 Nullus in domo sua audebit focum facere, nisi in commune omnibus succendatur.

68 Qui vna oratione tardius venerit, vel qui mussitauerit, aut locutus fuerit ad alterum, vel qui riserit in reliquis orationibus, constituto ordine aget pœnitentiam.

69 Quando domi resident, non eis liceat loqui aliquid seculare, sed si quis præpositus de scripturis docuerit, vicissim inter se ruminent & referent quæ audierint, vel quas memoriter tenent. F

70 Qui vas fictile fregerit, vel aliquam vtilem rem ad vsus monasterij, aget pœnitentiam.

71 Si frater dormierit, omnis eum fraternitas prosequatur.

72 Nemo exeat foras, nemo loquatur, nemo remaneat excepto maioris imperio.

73 Audito signo excitantis, aut voce psallentis, omnes surgant, currentes ad orationes. Nullus ante psallat nisi ei iussum fuerit, nec completo psalmo alterum sine præpositi iussione audeat iungere.

74 Nemo ante præpositum suum; & ducem suum ambulet. Nullus remaneat de ordine suo.

75 Si quis aliquid perdiderit, ante altare publice corripietur. Si vero de propriis vesticulis fuerit quod perditum est tribus hebdomadibus non accipiet, & in quarta acta pœnitentia dabitur ei quod amisit.

76 Qui inuenerit aliquid per tres dies ante collectam fratrum, suspendat, vt tollat qui cognouerit.

77 Lotum in domo nemo faciat, absque præposito, & omne quod nouum est, illius sententia disponetur. G

78 Omnis correptio ita fiet, vt discincti sint qui corripiuntur, & demissis manibus & humiliato capite emendaturos se promittentes vitia, in quibus arguuntur, veniam deprecentur.

79 Qui absque ordine fratrum recesserit, & postea acta pœnitentia redierit, non erit in ordine suo, absque maioris imperio.

80 Qui rudis in monasterio fuerit ingressus, docebitur prius quæ debeat obseruare, & cum doctus ad vniuersa consenserit, dabunt ei viginti psalmos aut duas epistolas Apostoli, aut alterius scripturæ partem. Et si literas ignorauerit, hora prima, tertia, & sexta vadat ad eum, qui docere potest, & qui ei fuerit delegatus, & stabit ante eum, & discet studiosissimè cum omni gratiarum actione. Postea scribentur ei elementa, syllabæ, verba, ac nomina, & etiam nolens, legere compellatur: & omnino nullus erit in monasterio, qui non discat literas, & de scripturis aliquid teneat, quod minimum est, vsque ad nouum testamentum, & psalterium. Omne quod in conuentu fratrum audierint disputatum, cogentur inter se vt recolant. H

81 Ad psallendum & ad orandum nullus sibi occasiones inueniat, quibus se dicat occupatum, quasi ire non possit; & si in naui fuerit, & in agro, & in itinere, vel in monasterio, quolibet ministerio detentus, orandi, & psallendi tempora non prætermittat.

DE PVELLARVM DISCIPLINA.

82 Nemo ad eas vadat visitandas, nisi qui habet ibi matrem, vel sororem, aut propinquas, & consobrinas, seu matrem filiorum suorum; si autem & ante conuersionem paterna eis debetur hæreditas, aut aliqua causa manifesta est, mittent cum his probatæ ætatis virum, ac vitæ, & videbunt eas, & pariter reuertentur. Nemo vadat ad illas nisi hi, quos supra diximus: Ita vt

A primum faciant renuntiari patri monasterij, & ille mittet ad seniores, qui monasterio virginum delegati sunt, qui occurrent eis, & cum ipsis videbunt eas, quas necesse habebunt cum omni disciplina, & timore Dei. Non eis loquentur de rebus secularib.

83. Quicunque de his mandatis aliquid prætetierit, absque vlla dubitatione negligentiæ atque contemptus aget pœnitentiam, vt possidere valeamus regna cœlorum.

¶ Præcepta & instituta Patris nostri Pachomij hominis Dei, qui fundauit ab exordio sanctæ vitæ communionem iuxta impetium Dei. Plenitudo legis charitas; scientes tempus, quod instet hora, vt de somno consurgamus, quod vicinior sit salus nostra, quàm eo tempore cum credidimus. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Deponamus opera tenebratum, quæ sunt; contentiones, detractiones, odia, & tumentis animi superbia.

84 Qui facilis est ad detrahendum, & dicit quod non est, qui in hoc peccato fuerit deprehensus, monebunt

B eum secundò; & si audire contempserit, separabunt eum extra conuentum fratrum septem diebus, & panem tantum cum aqua accipiet, donec polliceatur, atque confirmet se ab hoc vitio recessurum, & sic dimittetur ei.

85 Si quis iracundus, & furiosus frequenter irascitur sine causa, & propter rem inanem & vacuam, per sex vices commonebitur, & in septimâ facient eum surgere de ordine sessionis suæ, & inter vltimos collocabitur, docebuntque eum, vt ab hac mentis perturbatione mundetur. Cumque tres testes dignos testimonio adduxerit, qui pro eo polliceantur nequaquam simile quid esse facturum, recipiet sessionem suam; alioqui si permanserit in vitio, moretur inter vltimos, perdito priore loco.

86 Qui falsum cupit probare contra alterum, vt opprimat innocētem, tertio commonebitur, & postea reus erit iniquitatis, siue de priorē loco fuerit, siue de inferioribus.

87 Qui habet pessimam consuetudinem, vt fratres suo sermone sollicitet, & peruertat animos simpliciorum,

C tertiò commonebitur: si contempserit, & obstinato animo in duritia perseuerauerit, separabunt eum extra monasterium, & verberabunt eum ante fores, triginta nouem, dabuntque ei ad vescendum panem solum & aquam, donec mundetur à sordibus.

88 Qui habet pessimam consuetudinem murmurandi, & quasi graui opere se opprimi queritur, docebunt eum quinquies quod sine causa murmuret, & ostendent perspicuè veritatem; si post hæc inobediens fuerit, & est perfectæ ætatis, ita eum habebunt, vt vnum de ægrotantibus, & ponetur in loco infirmorum, ibique aletur otiosus, donec redeat ad veritatem. Si autem iusta est illius querela & à maiore iniquè opprimitur, qui eum scandalizauit, eidem sententiæ subiacebit.

89 Si inobediens quis fuerit, aut contentiosus, aut contradictor, aut mendax, & est perfectæ ætatis, decies commonebitur vt desistat à vitiis. Si autem audire noluerit; monasterij legibus increpabitur. Quod si alterius culpâ ad hæc vitia deuoluitur, & hoc fuerit comproba-

D tum, ille qui causa extitit, reus erit vltionis.

90 Si deprehensus fuerit aliquis de fratribus libenter cum pueris ridere, & ludere & habere amicitias ætatis infirmæ, tertio commonebitur vt recedat ab eorum necessitudine, & memor sit honestatis ac timoris Dei. Si non cessauerit, corripietur, vt dignus est correptione seuerissimâ.

91 Qui contemnunt præcepta maiorum, & regulas monasterij, quæ Deī præcepto constitutæ sunt, & paruipendunt seniorum consilia, corripientur iuxta ordinem constitutum, donec corrigantur.

92 Qui iudex est omnium peccatorum, & peruersitate mentis ac negligentia reliquerit veritatem, viginti viri sancti, & timentes Deum, siue decem, & vsque ad quinque, de quibus omnes dent testimonium, sedebunt, & iudicabunt eum, & degradabunt in vltimum gradum donec corrigatur.

93 Qui conturbat fratrum animos, & facilis est ad detrahendum, lites serens, & iurgia, decies commonebitur, & si non fuerit emendatus, corripietur ordine monasterij donec corrigatur. E

94 Qui viderit de maioribus, & præpositis fratrum suorum tribulationem, & noluerit causam tribulationis inquirere, eamque contempserit, quæretur causa à suprà dictis iudicibus inter fratrem, atque præpositum, & si deprehenderint negligentiā præpositi, vel superbiā coangustatum fratrem; & iudicasse eum non secundum veritatem, sed secundum personam, degradabitur de solio suo, donec corrigatur, & ab iniustitiæ sordibus emendetur, quia non considerauit veritatem sed personas, & seruiuit prauitati animæ suæ, & non Dei iudicio.

95 Si quis promiserit obseruare regulas Monasterij, & facere cœperit, easque dimiserit, postea autem reuersus egerit pœnitentiam, ostendens infirmitatem corpusculi, per quam non possit implere quod dixerat, faciant eum inter languentes commorari, & pascetur inter otiosos; donec acta pœnitentia impleat quod promisit.

96 Pueri in domo, si fuerint dediti lusibus & otio, & F correpri non potuerint emendari, debet præpositus vsque ad dies triginta, ipse eos monere, & corripere. Si viderit in prauitate persistere, & non nuntiauerit patri Monasterij, & aliquod peccatum in eis fuerit deprehensum, ipse pro eis culpæ subiacebit, iuxta quod peccatum fuerit inuentum.

97 Omnes autem pueri, qui non timent confundi pro peccato, & per impudentiam iudicium Dei non cogitant, & correpti verbo non emendauerint, verberentur quamdiu disciplinam accipiant, & timorem.

98 Qui iniustè iudicauerit, iustè ab aliis condemnabitur.

99 Qui consentit peccantibus, & defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum & homines, & corripietur increpatione seuerissima. Quod si per ignorantiam deceptus est, & non ita putauit, vt verum est, ignoscetur ei; & omnis qui per ignorantiam peccat, facilè accipiet veniam. Qui autem sciens peccauerit, sustinebit G increpationem iuxta mensuram, opusque peccati.

100 Præcepta & leges Pachomij. Ne plus fratres facere compellantur; sed moderatus labor omnes ad laborandum prouocet. Sit inter eos pax, & concordia, & libenter maioribus subiiciantur: Sedentes, & ambulantes, & stantes inuicem de humilitate decertent.

101 Si quis peccatum fecerit, patres monasteriorum emendare poterunt, & constituere, quid sequi debeat.

102 Præpositus autem domus, & qui secundus ab eo est, hoc tantum iuris habebunt, vt compellant fratres in punctis singulis, vel collecta domus, siue in collecta maiore, hoc est, omnium fratrum, subiacere pœnitentiæ.

103 Quod si præpositus peregrè fuerit, qui secundus est, locum eius implebit tam in pœnitentia fratrum recipienda, quàm in quocunque alio eorum, quæ in domo necessaria sunt.

104 Si quis absque conscientia duorum ierit ad alteram domum, vel alterius domus fratrem codicem ad legendum mutuum postulauerit, vel quodlibet aliud, monasterij ordine increpabitur. H

105 Qui vult sine macula, & contemptu in domo cui deputatus est, viuere, omnia quæ præcepta sunt, coram Deo obseruare debebit.

106 Quidquid necessarium est siue in agro, siue in monasterio, præpositus etiam non postulatus impleat.

107 Sex orationes facient vespertinas, iuxta exemplum maioris collectę, in qua omnes fratres pariter cōgregātur.

108 Summæ dilectionis est, etiamsi difficile fuerit, vt nullum onus habeant, nec ex onere nascatur tædium.

109 Si quis deforis venerit, & æstu laborauerit, aliique fratres orationem celebrauerint, si ire non potest, non cogatur.

110 Quando præpositi domorum fratres de conuersione sanctæ vitæ docebunt, absque grauissima ægritudine nullus aberit.

111 Maiores quicunque è fratribus mittuntur foras,

quamdiu

quandiu ibi fuerint habebunt ius præpositorum, cuncta gerentur arbitrio eorum, docebunt fratres per constitutos dies, & si fortè aliquid inter eos ortum fuerit simultatis, audient ipsi maiores, & iudicabunt causam, & dignum culpa increpabunt, & ad imperium eorum statim ad pacem pleno corde consentient.

112 Si quis de fratribus contra præpositum domus suæ tristitiam habuerit, aut ipse præpositus contra fratrem aliquam querimoniam, fratres probatæ conuersationis & fidei audire eos debebunt, & iudicabunt inter eos. Si tamen absens est pater monasterij, vel aliquo profectus, primum quidem expectabunt eum; si autem diutius commorari viderint, tunc audient inter præpositum & fratrem ne de suspenso iudicio maior tristitia oriatur: & ille qui præpositus est, & ille qui subiectus est, & hi qui audiunt, iuxta timorem Dei cuncta faciant, & in nullo dent occasionem.

DE VESTIBVS MONACHORVM.

113 SI quis de his, quæ præcepta sunt, amplius habuerit absque concessione maioris, deferentur ad custodem vestium, & introeundi illuc, vel postulandi non habebit potestatem, sed erunt sub præpositi arbitrio, aut qui secundus est ab eo.

¶ Præcepta Pachomij de collecta fratrum, quomodo collecta fieri debeat, & fratres sint congregandi ad audiendum verbum Dei, iuxta præcepta maiorum, & doctrinam sanctarum scripturarum, vt liberentur de errore animæ conuersorum, & glorificent Deum in luce viuentium: vt sciant quomodo oporteat in domo Dei conuersari sine ruina, & scandalo, & non inebrientur aliqua passione; sed stent in mensura veritatis, & traditionibus Apostolorum & Prophetarum, & solemnitatum ordinem teneant, imitantes conuersationem eorum in domo Dei, & ieiunia, atque orationes ex more complentes. Qui enim benè ministrant, sequuntur regulam scripturarum.

114 Hoc est ergo ministerium, quod ministri Ecclesiæ implere debebunt. Congregent fratres orationis tempore, & omnia faciant quæ rite complenda sunt, vt nullam occasionem detractioni tribuant, nec sinant quempiam ambulare contra ritum disciplinæ. Si codicem postulauerint, deferant eis.

115 Si quis deforis venerit vesperi, & non occurrerit accipere opus, quod postera die facturus est, mane tribuant; si defecerit opus quod habebat in manibus, referat ad maioris sententiam, & quod ille præceperit faciat.

116 Qui minister est habeat studium, ne quid operis pereat in monasterio, in nulla omnino arte, quæ exercetur à fratribus. Quod si quid perierit, & negligentiâ fuerit dissipatum, increpabitur à Patre minister operum singulorum, & ipse increpabit alterum, qui opus perdiderit, dumtaxat iuxta voluntatem, & sententiam principis; absque qua nullus increpandi fratrem habebit potestatem.

117 Si vestimentum ad solem expansum tertius inuenerit dies, dominus vestimenti pro eo increpabitur, & aget pœnitentiam publicè in collectâ, stabitque in vescendi loco.

118 Si inuentus fuerit vnus è fratribus aliquid per contentionem agens, vel contradicens maioris imperio, increpabitur iuxta mensuram peccati sui.

119 Qui mentitur, aut odio aliquem habere fuerit deprehensus, aut inobediens, aut plus loco, quam honestum est, deditus, aut otiosus, aut durè respondens, aut consuetudinem habens fratribus detrahendi, vel his qui foris sunt, & omnino quidquid contra regulam scripturarum est, & monasterij disciplinam, audiet pater monasterij, & vindicabit iuxta mensuram, opusque peccati.

120 Pellicula caligæ, & cingulum, & si quid aliud perierit, qui perdiderit increpabitur.

121 Si quis tulerit rem non suam ponetur super humeros eius, & aget pœnitentiam publicè in collectâ, stabitque in vescendi loco. Si autem in furto fuerit deprehensus, triginta nouem verberabunt eum, & foris dabunt ei edere panem, & aquam tantum, & opertum cilicio, & cinere per singula orationum tempora cogent eum agere pœnitentiam. Eademque lex in fugitiuis obseruabitur.

122 Præpositus domus increpationi subiacebit, si ante tres dies non nuntiauerit patri, siue in via, siue in agro, siue in monasterio quid perierit, & aget pœnitentiam iuxta ordinem constitutum.

123 Quod si homo fuerit, & ante tres horas non nuntiauerit patri, reus erit perditionis eius, nisi eum iterum inuenerit.

124 Hæc est vltio in eum qui fratrem de domo perdiderit; tribus diebus aget publicam pœnitentiam. Quod si eadem hora, qua fugerit non nuntiauerit patri, reus erit peccati.

125 Si in domo sua præpositus viderit delinquentem, & non nuntiauerit patri monasterij, ipse increpationis ordini subiacebit.

126 Per domos singulas vesperi sex orationes, psalmosque complebunt, iuxta ordinem maioris collectæ, quæ à cunctis fratribus in commune celebratur. Per singulas hebdomadas dispositiones à præpositis complebuntur. Nullus in domo quidpiam faciet, nisi quod præpositus iusserit.

127 Si omnes fratres, qui in domo sunt, viderint præpositum nimium negligentem, & mensuram monasterij excedentem, referent ad patrem, & ab eo increpabitur. Ipse autem præpositus nihil faciat præter id quod pater iusserit, maximè in re nouâ, nam quæ ex more descendit, obseruabit regulas monasterij.

128 Præpositus non inebriabitur, nec sedeat in humilioribus locis, iuxta vasa monasterij, ne rumpat vincula, quæ Deus in cœlo condidit, vt obseruentur in terris: ne lugeat in die festo Domini Saluatoris. Dominetur carni suæ iuxta mensuram sanctorum. Non inueniatur in excelsis cubilibus imitatus morem gentilium. Non sit duplicis fidei. Non sequatur cogitationes cordis sui: & sublimioribus non resistat tumenti animo potestatibus, non fremat, nec irruat super humiliores, non transferat terminos, non sit fraudulentus; nec in cogitationibus verset dolos, non negligat peccatum animæ suæ extirpare, nec vincatur carnis luxuriâ, non ambulet negligenter, non cito loquatur verbum otiosum, non ponat scandalum ante pedes cæci, non doceat voluptates animam suam, non soluatur stultorum risu, ac ioco, non rapiatur cor eius ab his, qui inepta loquuntur, aut dulcia; non vincatur muneribus, non paruulorum sermone ducatur; non affligatur in tribulatione, non timeat mortem, sed Deum, ne præuaricator sit propter eminentem timorem; ne relinquat verum lumen propter modicos cibos, non vacillet nec fluctuet in operibus suis, non mutet sententiam veram, sed firmus sit solidique decreti, iusta cuncta considerans, iudicans in veritate absque appetitu gloriæ, manifestus Deo & hominibus, & elongans se à fraude, non ignoret conuersationem sanctorum, nec ad eorum scientiam cæcus existat, nulli noceat per superbiam; ne sequatur concupiscentias oculorum suorum, non eum superent incentiua vitiorum, veritatem nunquam prætereat, oderit iniustitiam, & personam, nunquam iudicet pro muneribus, nec condemnet innocentem per superbiam, non rideat inter pueros, non deserat veritatem timore superatus, non comedat panem de fraudulentia, non desideret alienam terram, non opprimat animam propter aliorum spolia, non despiciat eos qui indigent misericordiâ, nec falsum testimonium dicat seductus lucro; nec mentiatur propter superbiam, nec contendat contra veritatem ob tumorem animi, nec deserat iustitiam propter lassitudinem, nec perdat animam suam propter verecundiam, nec respiciat dapes lautioris mensæ, nec pulchra vestimenta desideret, ne senes negligat, semper diiudicet cogitationes suas, ne inebrietur vino, sed humilitatem iunctam habeat veritati, quando iudicat. Sequatur præcepta maiorum, & legem Dei, quæ toto orbe prædicata est. Si

A Hier.3. quidquam de his præterierit, reddetur ei mensura, iuxta quam mensus est, & recipiet secundum opera sua, quia mæchatus est in ligno & lapide, & propter fulgorem auri & splendorem, animi dimisit iudicium, & desideriis temporalibus lucri, laqueis se induit iniquorum, & (1.Reg.4.) eueniet ei contritio Heli, & filiorum eius; maledictio (Genes.4.) Dei quam imprecatus est Cain; perditio quâ peccatores (Num.16) terræ hiatus absorbuit; Et interitus Chananæorum, & (Eccl.12.) (Hier.48.) contritio Hydriæ ad fontem, & arenarum comminutio (Esai.56.) in littoribus, quæ salsis fluctibus verberantur; & confractio virgæ gloriosæ, vt sit quasi cæcus palpans manu parietem. Hæc omnia euenient ei, quia non seruauit veritatem in iudicio & iniquè egit in omnibus quæ ei credita sunt.

B

EIVSDEM S. PACHOMII Regula, provt à Palladio est relata.

Ex eodē manuscripto Aldino.

INCIPIVNT MONITA SANCTI PACHOMII.

Per D. Gerardum Vossium edita.

HONORA Deum & valebis. Memor esto gemituum, quos perpessi sunt Sancti, efficiamur vnanimes, permanentes, in quo vocati sumus, præ omnibus curam gerentes, vt in hac quam arripuimus, vitam perficere valeamus, & cursum institutionis nostræ Deo placitum perficere mereamur: vt ne similes inueniamur, qui in vanis & caducis rebus lætantur. Ne quando mens nostra recti itineris lineam derelinquens, in peccatum corruat, & spe æterna fraudetur. (C) Intellectum namque est optimum cognoscere voluntatem Dei. Omnium enim superior efficitur homo, qui obedierit veritati. Omnium enim malorum peius est, legi † Dei insistere, & acquiescere propriæ voluntati. Qui enim suam perficit voluntatem, à diuina cognitione fraudabitur: nec poterit perficiendo propriam voluntatem, per viam Sanctorum incedere, & in nouissimo interitum & planctum inueniet. Nunc igitur tempus placendi Domino; quia salus in tempore tribulationis acquiritur. Ne ergò tantummodò credulitatem fidei in tempore lætitiæ teneamus, & in tempore tribulationis ab eadem recedamus. (Deut.23. Eccl.5.) Scriptum est enim: Si voueris votum Domino, moram ne feceris reddere illud: & in tribulatione ne deficias; sed patiens esto, & obsecra Dominum. Immobilis enim fidei plenitudo tribuetur à Deo, quam per Spiritum sanctum acquisiuerunt Prophetæ: in qua & Apostoli confirmati sunt, qui propter fidem diuersas tribulationum † persecutiones excipientes, ad promissa præmia peruenerunt. Hæc ergò scientes, ne circumferamur errorum seductione decepti; sed potius firmi & immobiles permaneamus: (D) vt cogitationum peruagationes, quæ velut aquæ efferuescunt, diuinæ legis assidua memoria refrænemus, per quam carnalis concupiscentiæ legem destruentes, omne quod Deo placitum est, exquirere valeamus, & custodiamur illæsi à curis secularibus, omnique elatione, quæ est insania pessima, peior omnium malorum. Dominum semper præ oculis habentes, reminiscamur passionis crucis ipsius ac mortis, per quem redempti ac viuificati sumus. Odio ergò habeamus mundum, & omnia quæ in eo sunt, oderimus quoque omnem requiem corporalem. (*Abrenuntiatio.*) Abrenuntiemus huic vitæ, vt Deo viuere valeamus. Memores ergò simus castissimi, professionis nostræ, quemadmodum Deo sumus polliciti deseruire. Hoc ipsum enim exquiretur à nobis in die Iudicij, esuriamus, sitiamus, nuditatem perferamus. Vigilemus, & in Psalmis atque orationibus positi, ex intimo corde ingemiscentes, lachrymas effundamus;

† al. legi Dei velle insistere, &c. — Esai.33.

† al. tribulationes persecutionum.

E nosmetipsos cauta discussione probantes, si vel in aliquo digni Deo pro eius immensa clementia inueniri mereamur. Tribulationis angustiam non refugiamus, vt consolationis dominicæ requiem consequamur; & immortalis vitæ ac sempiternæ requiem percipere promereamur, Amen.



S. ORESIESIS MONACHI antiquissimi Regulæ, de institutis Monasticis, diuino sale conditæ.

De S. Oresiesi ex S. Hieronymi scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo.

F

ORsiesis monachus, amborum, id est, Pachomij & Theodori collega, vir in sanctis scripturis ad perfectum instructus: composuit librum diuino conditum sale, totiusque monasticæ disciplinæ instrumentis constructum, & vt simpliciter dicam, in quo totum penè vetus & nouum testamentum compendiosis dissertionibus, iuxta monachorum duntaxat necessitatem, inuenitur expositum: quem tamen vice testamenti propè diem obitus suis fratribus obtulit.

AVDI *Israël mandata vitæ, auribus percipe, & intellige prudentiam. Quid est Israël, quoniam in terra inimicorum es? Inueterasti in terra aliena, commaculatus es cum mortuis, comparatus es cum his qui in inferno sunt, & dereliquisti fontem sapientiæ. Per viam Dei si ambulasses; forsitan habitareris in pace: disce ergo, ait, vbi est prudentia tua, vbi est fortitudo gloriæ atque virtutis, vbi est intelligentia, vbi est lux oculorum, & pax. Quis inuenit locum eius, & quis ingressus est ad thesauros illius.* (Baruch.3.) (G) Hæc loquebatur Baruch propter eos qui in terram Babylonis & inimicorum suorum ducti sunt in captiuitatem, quia noluerunt prophetarum suscipere mandata, & obliti sunt legis Dei, quæ data est per Moysen. Idcircò induxit Deus super eos pœnas atque supplicia, & captiuitatis subdidit iugo: erudiens ergo eos vt suos, & quasi pater filios emendans, nolensque perire correctos, sed saluare cupiens per pœnitentiam. Vnde & nos Apostolicorum debemus meminisse verborum, qui ait: *Si naturalibus ramis non pepercit, nec nobis parcet,* (Rom.11.) & Dei præcepta complere negligimus? Hæc omnia in figuris contingebant illis. *Scripta sunt autem ad correptionem nostram in quos fines seculorum deuenerunt.* (1.Cor.10.) Et illi quidem de vrbe Iudæ translati sunt ad vrbem Chaldæorum, in terris mutantes loca. Nos autem si Deus viderit negligentes, in futuro seculo amittemus ciuitatem nostram, & lætitiam deserentes, trademur pœnarum captiuitati, perdemusque gaudium (H) sempiternum, quod patres nostri & fratres labore instabili repererunt. Igitur non nos vincat obliuio, nec patientiam Dei existimemus ignorantiam, qui idcircò sustentat & differt, vt ad meliora conuersi, cruciatibus non tradamur. Quando peccamus, non putemus Deum consentire nostris peccatis: quia non statim vindicat, sed illud cogitemus, quod citò exeuntes de seculo, separabimur in futuro à patribus & fratribus nostris, qui locum victoriæ possident. Quem & nos habebimus, si illorum voluerimus calcare vestigia, & illud attendere, quod Apostolus Paulus hic quoque sanctos à peccatoribus separat, (1.Cor.5.) & tradit delinquentes in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat. Beatus homo, qui timet Dominum, & quem corripit, vt emendet, & legem suam docet eum, vt ambulet in mandatis eius omnibus diebus vitæ suæ, qui non murmurat pro peccato suo.

A Itaque & nos ſcrutemur vias noſtras, & egreſſus proprios diiudicemus, reuertamurque ad Dominum, & leuemus cum manibus noſtris corda in excelſum atque in cœlum, vt in die iudicij adiutor noſtri ſit, & *non confundamur cum loquimur inimicis noſtris in porta*, ſed magis Iudith. 13. digni ſimus illud audire: *Aperite portas, vt ingrediatur populus, qui cuſtodit iuſtitiam & veritatem.* Cui veritas cordi eſt, & qui poſſidet pacem, dicere poteſt, quia in te ſperauimus Domine in æternum. Recordemur Domini, & Hieruſalem aſcendat ſuper cor noſtrum, ne obliuiſcamur Hier. illius hominis de quo ſcriptum eſt: *Benedictus homo qui confidit in Domino, cuius eſt ſpes in eo, erit quaſi lignum fructiferum iuxta aquas, & ad humorem mittit radices ſuas; non timebit, quum æſtus aduenerit, habebitq́; frondentes ramos,* Hier. 10. Pſal. 7. *& in tempore ſiccitatis virebit poma ſollicita germinans. Graue cor in omnibus, & homo eſt; & quis cognoſcit eum? Ego Dominus ſcrutans corda & renes, vt reddam vnicuique ſecundum vias ſuas.* Meminerimus noſtri, nec contemnamus delicta quæ fecimus, & ſingula mandata patris B noſtri, & eorum qui nos docuerunt corde ſollicito pertractemus, non ſolū credentes in Chriſto, ſed & pro ipſo patientes, & ſcientes illud myſterium de quo dicitur: *Spi-* Pſ. 118. *ritus vultus noſtri Chriſtus Dominus*; & alibi: *Lucerna pedi-* Rom 7. *bus meis lex tua, & lumen ſemitis mei.* Et iterum: *Eloquium Domini viuificauit me. Et lex Domini immaculata conuertens animas. Mandatum Domini lucidum illuminans oculos.* Pſ. 36. Prou. 24. Et Apoſtolus: *Lex, inquit, ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum.* Quæ omnia intelligentes, digni erimus audire, cùm ceciderit iuſtus non allidetur, 1. Pet. 3. quia Dominus ſuſtentat manum illius. Et iterum: *Septies cadet iuſtus, & reſurget.* Nunc ergo fratres Deo agente patienter & nos ad pœnitentiam prouocante, de graui ſomno euigilemus, quia aduerſarius noſter diabolus quaſi leo rugiens quærit quem deuoret, cui acriter reſiſtendum eſt, & ſciendum ea certamina noſtris eueniſſe maioribus. Non deficiamus laborantes iacientéſque virtutum ſemina, vt in futuro gaudia metere poſſimus, audia- C muſque Paulum docentem: Tu autem qui ſeruaſti doctrinam, eruditionem, ſtudium, patientiam, perſecutiones. Et ſanctorum exempla ſectantes permaneamus in eo quod cœpimus, habentes principem & perfectorem IESVM. Intelligamus comam capitis noſtri in via, vt ſit vnguentū in barba noſtra, vt ad ora perueniat veſtimenti, vt poſſimus implere vniuerſa quæ ſcripta ſunt. Quapropter, ô duces & præpoſiti monaſteriorum ac domorum, quibus crediti ſunt homines, & apud quos inueniuntur; vos quicumque eſtis, vt in commune dicam, quibus crediti ſunt homines, ſinguli cum turmis ſuis expectent Saluatoris aduentum, vt conſpectu illius ornatum armis exercitum præparatent, ne refrigeretis eos in carnalibus, & ſpiritualia non tribuatis alimenta, aut rurſum doceatis ſpiritualia, & in carnalibus affligatis, in eſcis videlicet atque veſtitu, ſed & ſpirituales & carnales cibos pariter tribuite, & nullam detis eis occaſionem negligentiæ. Aut quæ eſt iſta iuſtitia, vt fratres labore affligamus, & ipſi otio vacemus, aut imponamus eis iugum quod ipſi ferre non D poſſumus? Legimus in Euangelio: *qua menſura menſi fue-* Matt. 7. Marc. 4 *ritis remetietur vobis*, vnde & laborem & refrigeria cum ipſis habeamus communia, nec diſcipulos ſeruos putemus, & illorum tribulatio ſit noſtra lætitia; ne Euangeli- Matth. 23. cus nos cum Phariſæis corripiat: *Væ vobis legiſperitis, qui ligatis onera importabilia, & imponitis ea ſuper humeros hominum, & ipſi ne digito quidem audetis attingere.* Sunt aliqui attendentes ſemetipſos vt viuentes iuxta mandatum Dei, ſibi loquuntur & dicunt: Quid mihi eſt cum aliis? Ego verò vt ſeruiam Deo, & mandata eius impleam, non ad me pertinet quid alij faciant? hoc Eze- Ezech. 34. chiel corripit dicens: *O Paſtores Iſraël, nunquid ſemetipſos paſcunt paſtores? nonne oues paſcunt? Ecce lac comediſtis, & lanis operimini, quod pingue eſt, immolaſtis: & quod infirmum, non confortaſtis: quod fractum eſt, non ligaſtis: quod errabat, non reduxiſtis, quod perierat, non quæſiſtis: quod forte erat, feciſtis labore deficere: & diſperdiſtis oues meas eo quod non haberent paſtores.* Propterea ipſe Dominus veniet cum ſenioribus & principibus ſuis, & com-

E plebitur illud in nobis exactores veſtri deprædantur vos, & qui repetunt, errare vos faciunt. Quæ magis audire debemus: Beata terra, cuius rex filius, ingenui & principes tui in tempore comedunt, in fortitudine, & non confundentur. Ideò ô homo vſque ad vnam animam, quæ tibi credita eſt, monere non ceſſes, & docere quæ ſancta ſunt, & teipſum bonorum operum præbere exemplum, & cauete quàm maximè, ne alterum ames, & alterum oderis, ſed & cunctis exhibeas æqualitatem, ne fortè quem tu diligis, Deus oderit, & quem tu oderis, Deus diligat. Nulli erranti pro amicitia conſentias, & alterum premas, & alterum ſubleues, & pereat labor tuus. Sedentes in locis humilioribus, in quibus patet noſter præcepit penitus non ſedendum, caueant præpoſiti domorum ne forſitan quilibet vnus ex fratribus iniuriam propoſito fecerit, & iratus ille diſcernat ac dicat: quid cauſæ habeo ad hominem contemptorem? faciat quod vult, nec eum moneo, nec errantem corrigo, ſiue ſaluetur ſiue pereat ad me non pertinet. O homo quid hæc loqueris? Intellige quo furore ſuperetis, & odium occupauerit cor F tuum, vt magis tuo vitio quàm ſuo peccato frater pereat, cui debes ignoſcere, & eum ſuſcipere pœnitentem, vt poſſis illud euangelicum dicere: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Si ergo vis vt tibi Deus peccata tua dimittat, & tu dimitte fratri tuo quicquid illud eſt quod in te peccauit, memor illius præcepti, *ne oderis fratrem tuum in corde tuo.* Et Salomonis monentis: *ſuſcita cinem tuum pro quo ſpopondiſti.* Luc. 11. Et iterum: *Ne ceſſes erudire paruulum, ſi enim virga per-* Leuit. 19. Prou. 6. *cuſſeris eum, non morietur*, Moyſen quoque auſculta dicen- Prou. 13. tem, *correptione corripies proximum tuum, ne habeas peccatum pro eo.* Ne veniat rurſum illud Salomonis, *qui non prædicit filio, vt ſe cuſtodiat à perditione, velociter diſſoluetur.* Omnes quibus fratrum cura commiſſa eſt, pareant ſe aduentui ſaluatoris, & formidoloſo tribunali eius. Si enim pro ſeipſo reddere rationem plenum eſt diſcriminis ac timoris, & quanto magis pro alterius culpa ſubire G cruciatum, & incidere in manus Dei viuentis? Nec poſſumus obtundere ignorantiam, quum ſcriptum ſit: omne factum Deus adducet in iudicio in omnibus quæ neglecta ſunt, ſiue bonum, ſiue malum. Et in Apoſtolo legi- 1. Cor. 5. mus: *Omnes nos oportet manifeſtari ante tribunal Chriſti, vt* Eſai. 3. *quiſque recipiat pro eo, quod operatus eſt, ſiue bonum, ſiue malum.* Eſaias quoque diem conſtitutam ſignificat, in qua iudicaturus ſit Deus orbem terræ in iuſtitia dicens: *Ecce dies Domini inſanabilis, venit furoris & iræ, vt ponat orbem terræ in deſerto, & perdat peccatores de eo.* Scimus quia omnia quæ in lege ſcripta ſunt, & prophetarum vaticinia prædixerunt, ſanctus quoque pater noſter erudiuit nos eſſe retinendos, & redditutos rationem de ſingulis quare nō fecerimus ea, aut negligentiùs fecerimus. Loquitur enim cui traditū eſt à patre omne iudicium, & veritas erudit veritatem. Ne putetis quia ego accuſo vos ad patrē. Eſt qui vos accuſet Moyſes, in quo vos ſperatis. Si enim crederetis Moyſi, crederetis & mihi. De me enim ille ſcripſit. Ex quibus omnibus diſcimus, quòd oporteat nos ſtare ante tribunal Chriſti, & de ſingulis non ſolùm H operibus, ſed & cogitationibus iudicari, & poſt rationem vitæ noſtræ iam pro aliis qui nobis crediti ſint, redditutos eſſe ſimiliter rationem. Et hoc non ſolùm de præpoſitis eſt domorum audiendum, ſed & de monaſteriorum principibus, & de ſingulis fratribus, qui reputantur in plebem, quòd omnes inuicem debent ſua onera portare, vt adimpleant legem Chriſti, & audiant Apoſt. 1. Tim. 6. ſcribentem ad Timoth. *O Timothee depoſitum cuſtodi, deuitās prophanas vocum nouitates, & profeſſionem falſi nominis ſcientiæ.* Et nos habemus depoſitum à Deo traditum conuerſationem fratrum, pro quibus laborantes & expectamus futura præmia, ne forſitan dicatur & nobis: dimitte populum iſtum vt abeat: & traditiones patris noſtri deſerentibus ingeratur, qui habent legem non nouerunt me, paſtores impiè egerunt in me. Vnde alios Exod. 5. corripit dicens: *Ego dedi hæreditatem in manu tua, tu autem non dediſti vllam miſericordiam, ſenes aggrauaſti iugo.* Quod & vos non ſolùm audire, verumetiam intelligere

neceſſe

A necesse est: Qui enim ignorat, ignorabitur. Et in alio loco scriptum est: *Quia tu scientiam meam repulisti, & ego repellam te ne sacerdotio fungaris mihi.* (Oseæ 4.) Itaque fratres charissimi, qui cœnobiorum vitam & præcepta sectamini, state in arrepto semel proposito, & implete opus Dei, vt pater, qui primus instituit cœnobia, gaudens pro nobis loquatur ad Dominum, sicut tradidi eis, sic viuunt. Quod idem & Apostolus adhuc in corpore constitutus loquebatur: *Laudo autem vos, quòd in omnibus meministis mei, & sicut tradidi vobis traditiones meas custodistis.* Et vos ergo monasteriorum principes estote solliciti, & adhibete omnem curam pro fratribus cum iustitia & timore Dei, nec aburamini potestate in superbia, sed exemplum præbete vos cunctis, & subdito gregi, sicut & Dominus noster in omnibus se exemplum præbuit, qui posuit quasi oues familias, vt misereamini gregi vobis credito, & memineritis (Act. 20.) Apostolicæ sententiæ, in qua ait: *Nihil subtraxi, vt non annuntiarem vobis voluntatem Dei.* Et iterum: *Non* B *cessaui deprecando vnumquemque vestrûm, & docendo vos publicè.* Videte quanta viscera & quanta misericordia fuerit in homine Dei, qui non solùm sollicitus est pro omnibus Ecclesiis, sed languet cum languentibus, & omnium sustinet passiones. Caueamus ne per nostram negligentiam aliquis scandalizetur, & corruat & obliuiscamur verborum Domini saluatoris, qui in Euange- (Ioan. 17.) lio loquitur: *Pater, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis aliquem.* Nullam animam contemnamus, ne quisquam per nostram duritiem pereat. Si enim aliquis propter nos mortuus fuerit, anima nostra pro illius anima tenebitur in reatu. Quod quidem & pater noster indesinenter nobis solebat inculcare, & monebat, ne illud eloquium impleretur in nobis: Singuli opprimunt proximum suum. Et iterum: (Galat. 5.) *Si inuicem mordetis & deuoratis, videte ne ab inuicem consumamini.* Ex quo apparet; quòd qui alterius seruat animam, custos animæ suæ sit. Sed & vos qui secundi estis monasteriis, primos vos exhibere C virtutibus, ne quis vitio vestro pereat. Ne incurratis in illud opprobrium in quod incurrit ille, qui comedit & bibit cum ebriis, & non dedit in tempore suo conseruis cibaria. *Et veniet Dominus in die qua non sperat, & in hora qua nescit, vt diuidat eum, & ponat partem eius cum hypocritis, vbi fletus & stridor est dentium.* Ne quos apprehendat è vobis similis condemnatio, sed quum tempora venerint refrigerij mereamur audire: (Luc. 19.) *Euge bone serue & fidelis, quia super modicum fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* Vos quoque præpositi domorum singularum parati estote ad respondendum omnibus, qui à vobis exigunt rationem super ea fide, quæ in vobis est. Monete eos qui inordinati sunt, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos, patienter agite ad omnes, & audite Apostolum monentem: (Ephes. 6. Colos. 3.) *Et vos patres nolite ad iram prouocare filios vestros, sed enutrite illos in disciplina, & admonitione Domini, & scitote quia cui plus datum est, plus quæretur ab eo, & cui plus creditum est, amplius exigetur.* Nec tantùm ea consideretis D quæ vobis prosint, sed & illa, quæ proximis, & impleatur in vobis scriptura dicens: *Quia vos sequimini vnusquisque vtilitatem domus suæ, idcircò continebit cœlum rorem suum, & terra non dabit fruges suas, quoniam ingrauastis contra me sermones vestros.* Dicitur & alibi: (Matth. 25.) *Quia non fecistis vni de minimis meis, nec mihi fecistis.* Sæpiùs dicam, & eadem repetam: Cauete ne alios diligaris, alios oderitis, ne hunc sustentetis, & illum negligatis; & cassus inueniatur labor vester, & omnis sudor pereat, & quando exieritis de corpore, & de mundi huius turbine liberati, portum vos putaueritis quietis intrare, tunc inueniatis iniustitiæ naufragia, & in qua mensura mensi estis, remetiatur vobis ab eo, qui personas in iudicio non accipit. Si quid mortale aut aliquid turpitudinis ob negligentiam præpositorum in domibus commissum fuerit, post illorum propria supplicia præpositus quoque reus tenebitur criminis. Quod semper nobis sanctæ memoriæ pater noster solebat ingerere. Quamobrem cum omni cautione & sollicitudine singuli com- (Luc. 2.)

missum sibi gregem custodiant, & imitentur pastores de E Euangelio, ad quos non dormientes, sed vigilantes venit Angelus Dei, & saluatoris eis annuntiauit aduentum, qui & ipse loquitur: *Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus suis: qui autem mercenarius est, & non est pastor, cuius non sunt oues, videt lupum venientem, & relinquit gregem, & fugit, & lupus rapit eum, atque deuastat, quia mercenarius est, & non ad eum pertinet de ouibus.* (Ioan. 12.) De bonis autem pastoribus Lucæ scribit historia: *Erant autem pastores obseruantes & custodientes vigilias noctis super gregem suum, & Angelus Domini venit ad eos, & gloria Dei circumfulsit eos, & timuerunt timore magno, dixitque eis Angelus: Nolite timere, ecce enim Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia est vobis hodie natus Saluator, qui est Christus Dominus in ciuitate Dauid.* (Act. 2.) Et huius rei signum erit vobis. Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Num illi soli eo tempore pascebant oues, & per deserta sequebantur gregem? Sed quia soli erant solliciti & naturalem noctium somnum insidiantium luporum timor F superabat, idcircò primi audire meruerunt, quod in vicino sit: at Hierosolyma dormiens ignorabat, vnde & Dauid dicit: *Ecce non dormiet, qui custodit Israël.* (Ps. 120.) Iraque vos cum tremore & timore vigilantes, operantes vestram salutem, & scientes, quod vniuersitatis Dominus per quem omnis caro receptura est quicquid operata est, post resurrectionem solis Apostolis apparuit, & dixit Apostolorum principi Petro: *Simon Ioannis diligis me plus his?* Respondit ei: *Domine tu scis quia diligo te, Dicit ei Iesus: Pasce agnos meos; dicit ei rursum secundò: Simon Ioannis diligis me?* (Ioan. 21.) Respondit ei: *etiam Domine, tu scis quia diligo te: dicit ei: Pasce oues meas.* Tertiò præcepit, vt pasceret oues. Et in illo omnibus nobis hoc iniunxit officium, vt diligenter pascamus oues Domini, & in die visitationis eius pro labore ac custodia recipiamus quæ nobis in Euangelio promisit, dicens: *Pater, volo vt vbi sum ego, & isti sint mecum.* (Ioan. 12.) Et iterum: *Vbi ego sum, ibi & minister meus erit.* Respiciamus ad promissa & G ad præmia creduli: faciliùs omnem perferamus laborem, ambulantes sicut ambulauit ipse Dominus, qui promissor est præmiorum. Vos quoque qui secundi estis singularum domorum, humilitatem sectamini, & modestiam, & singula præcepta maiorum, vitæ communis normam putate, vt in illis conseruandis vestras seruetis animas, & similes ei sitis qui ait: anima mea in manibus meis semper, filius glorificet patrem, & lætamini in fructibus vestris, quia absque operibus & fructibus nullus Domini societate lætabitur, vt cum habueritis fructum in Domino, ipso hærede & cohærede potiamini. Sed & vos omnes fratres, qui subiecti estis per ordinem liberæ seruituti, habetote accinctos lumbos vestros, & ardentes lucernas in manibus, similes seruis qui expectant Dominum suum quando reuertatur de nuptiis, vt quum venerit & pulsauerit, statim aperiant ei. *Beati serui, quos veniens Dominus inuenerit vigilantes.* (Luc. 12.) Sic & vobis fiet, si longus labor lassitudinem non operetur in vobis. Vocabimini ad cœleste conuiuium, & Angeli ministrabunt H vobis. Hæc sunt repromissiones custodientium mandata Dei, & ista præmia futurorum. Gaudete in Domino, rursum dico, gaudete subiecti patribus cum omni obedientia: sine murmuratione, & cogitationibus variis simplicitatem animæ ad bona opera præferentes, vt pleni virtutibus & timore Dei digni efficiamini adoptione Dei. *Arripite scutum fidei, in quo possitis omnes sagittas diaboli ardentes restinguere, & gladium spiritus, quod est verbum Dei.* (Ephes. 6.) *Estote prudentes vt serpentes, & simplices sicut columbæ.* (Matth. 10.) Audite Paulum loquentem: *Filij, obedite parentibus, & possidete salutem animarum vestrarum, per eos, qui vobis præpositi sunt.* (Col. 3.) Et in alio quoque loco scriptum est: *Acquiescite principibus vestris, & subiicimini, quia ipsi vigilant pro animabus vestris rationem reddentes pro vobis.* (1. Cor. 3.) Et semper illud timete, quod idem Apostolus loquitur: *Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* (Ephes. 4.) Et iterum: *Nolite contristari Spiritum sanctum*

A *ctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis iusti iu-*
Cant.6. *dicij.* Seruate pudicitiam corporis vestri, vt sitis *hortus*
conclusus, fons signatus: qui enim natus est ex Deo non pec-
Ioan.1 *cat, quoniam semen illius in eo permanet.* Idem Ioannes loquitur: *Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes estis, & sermo Dei in vobis permanet, & vicistis malignum.* Cùm & vos viceritis inimicum, Deo vobis præbente auxilium,
Osee 13. tunc & ipse dicet: *Eruam eos de inferno, & redimam eos de morte; vbi est mors contentio tua, vbi est mors stimulus tuus?* Si verò mortem deuorauimus, superabimus eam,
Rom.6. & dicetur nobis: *Mors ei nequaquam dominabitur,* quoniam mors qua peccato mortui semel sumus, in nobis mortua est, & vita qua in Christo viuimus, semper viuemus: qui enim in carne moritur, iustificabitur à peccato. Nequaquam vltra viuamus in desideriis hominum, sed reliquam vitam in voluntate Dei expleamus. Qui timetis Dominum, armate vos castitate, vt audire mereamini, vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Et
B scitote quòd perfectis perfecta tribuantur, & inanibus
Matt.4. reddantur inania, iuxta sermonem Euangelicum: *Qui habet, dabitur ei & abundabit; qui autem non habet, & quod videbatur habere, auferetur ab eo.* Imitemur virgines sapientes, quæ cum sponso thalamum intrare meruerunt, quæ habebant in vasis suis & lampadibus oleum
Matth. 25. bonorum operum. Porrò stultæ virgines clausam thalami ianuam repererunt, quia ante nuptias parare sibi
Rom 15. oleum noluerunt. *Hæc in figura contingebant illis. Scripta sunt enim ad correptionem nostram,* vt euitemus vetera,
Prou.23. & seruemus præcepta sapientis, qui ait: *Fili mi, si sapiens fuerit cor tuum, lætificabis cor meum, & commemorabunt labia mea sermones tuos, si tamen recti fuerint.* Et
Prou.23. iterum: *Non æmuletur cor tuum peccatores, sed in timore Dei esto tota die,* & Dei cultum obseruà iugiter. Vigilemus attentiùs, & sciamus quòd magnam nobis Deus præstiterit gratiam per patrem nostrum Pachomium, vt renuntiaremus seculo, & omnem sollicitudinem mundi, vt curas rerum secularium pro nihilo poneremus. Quæ
C nobis occasio relicta est, vt habeamus quidquam proprium à funiculo vsque ad corrigiam calceamenti, cùm habemus Præpositos, qui pro nobis cum timore & tremore solliciti sunt tam in cibo quàm in vestitu, & corpusculi languore, si fortè obuenerit, vt in nullo timeamus, & per occasionem carnis animæ emolumenta perdamus? Liberi sumus, iugum de ceruicibus nostris mundanæ seruitutis abiecimus, cur rursum volumus reuerti ad vomitum nostrum, & aliquid habere vnde solliciti simus, & perdere metuamus? Ad quos vsus superfluum palliolum, aut epulæ lautiores, aut melior lectus, cùm omnia in commune sint præparata, & cruce Christi nihil durius? quia iuxta quam viuentes patres nostri ædificauerunt nos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, & Euangeliorum disciplinam, quæ angulari continetur lapide, Domino Iesu Christo, quem sequentes de mortifera altitudine ad vitalem descendimus humilitatem, diuitias paupertate mutantes, & delicias sim-
D plici cibo. Nolite, obsecro vos, obliuisci semel arrepti propositi, & traditiones patris nostri, scalas putemus ad cœlorum regna tendentes, ne desideretis quæ antè calcastis, sufficit nobis habere quod homini satis est, duo leuitonaria & alium attritum, & palliolum lineum, duos cucullos, zonam lineam, gallicam pellem, & virgam, cui ministerium aliquod & dispensatio est credita monasterij. Et si ex ea lucrum faciat scelus putetur, & sacrilegium quidquam ex ea contingere, & in propriam vertere requiem, quasi despiciens eos, qui non habent, & fœlici paupertate sunt diuites, vt non solùm ipse perierit, sed & cæteros prouocet ad pereundum. Et illi quidem qui incuruauerunt ceruicem suam, & cum omni humilitate & afflictione lugentes atque plangentes in præsentiarum placuerunt Deo, cùm de corpusculo isto exierint, ducentur & accumbent cum sanctis patribus Abraham, Isaac, & Iacob, Prophetis & Apostolis, & consolatione digna fruentur, sicut & Lazarus in sinu Abraham. Qui autem vixerunt in cœnobio, & de communi in suos aliquid auerterunt vsus, cùm de corpore exierint, dicetur illis: *Mementote quia recepistis bona in* E
Luc.16. *vita vestra,* fratribus laborantibus, & ieiuniis, & continentia, & incessabili labore sudantibus. Idcircò videte eos in gaudio atque lætitia, qui reliquerunt præsentem vitam, vt futuram consequerentur, vos autem in squalore & tormentis ac miseria constitutos, quia noluistis Euangelicum audire sermonem, & Esaiæ contempsistis verba, dicentis: *Ecce qui seruiunt mihi, comedent, vos autem esurietis. Ecce qui seruient mihi, bibent, vos autem sitietis. Ecce qui seruiunt mihi, exultabunt, vos autem clamabitis propter dolorem cordis vestri, & ob contritionem*
Esai.65. *spiritus eiulabitis.* Audistis omnes beatitudines scripturarum, & noluistis suscipere disciplinam. Ideò fratres æquales simus, à minimo vsque ad maximum, tam diues quàm pauper, concordia & humilitate perfecti, vt de
2.Cor.8. nobis quoque possit dici: *Qui multum, non abundauit, & qui parum, non indiguit.* Ne quis suis prouideat deliciis, cauens fratrem in paupertate & angustia constitu-
Malach. 2. tum, & dicatur ei illud propheticum: *Nonne Deus vnus creauit vos? Nonne pater vnus omnium vestrûm? Quare* F
dereliquistis vnusquisque fratrem suum, vt abominabile facerent testamentum patrum vestrorum? derelictus est Iuda, sed abominatio facta est in Israël. Quapropter iuxta illud quod Dominus atque Saluator præcepit Apostolis
Ioan.13. dicens: *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut & ego dilexi vos, & in hoc sciemini, quod verè discipuli mei estis;* nos inuicem amare debemus, & ostendere, quòd verè simus famuli Domini Iesu Christi, & filij Pachomij, & discipuli cœnobiorum. Si præpositus domus aliquem corripuerit ex fratribus, qui subiecti sunt, erudiens eum in timore Dei, & cupiens ab errore corrigere, & alius voluerit pro eo loqui, & eum defendere, subuertens cor illius: qui hoc facit, peccat in suam animam, qui subuertit eum qui corrigi poterat, & consurgentem deiecit in terram, atque ad meliora tendentem mala persuasione decipit, errans ipse, & alios errare faciens:
Abac.2. Huic illud aptabitur congruenter: *Væ qui potum dat pro-*
Matth.18. *ximo suo subuersionem turbidam, & inebrians eum, væ qui* G
errare facit cæcum in via. Qui scandalizat quempiam de his qui credunt Deo, expedit ei, vt appendatur mola asinaria super collum eius, & præcipitetur in mare, quia subuertit, vt diximus, subleuantem se, & obedientem transtulit ad superbiam, & eum qui in dulcedine charitatis poterat ambulare, conuertit in amaritudinem, & subiectum legibus monasterij, malis consiliis deprauauit, fecitque odisse eum, & contristari contra illum, qui eum docebat Domini disciplinam, lites serens inter fratres atque discordias, & non timens illud quod scriptum est:
Rom.14. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Suo domino stat aut cadit, stabit autem, potens est autem dominus rursum statuere illum.* Considera quid dixerit, potens est autem Dominus statuere illum. Non ille potens est, qui verba Domini præterit. Vnde fratres, magnoperè deuitemus alicuius mentem subuertere contra doctorem & monitorem suum. Et meminerimus scripturæ dicentis: *Libera* H
cor tuum à malitia, vt salueris, nec pro obedientia superbiam & contumaciam in cordibus nostris inuicem seminemus: qui enim timet Dominum suum, non viderit fratrem suum errare & labi, magis debet monstrare quæ recta sunt, & rectum iter ostendere, vt omni castitate & tremore Dei incedens, illam Salomonis exequatur
Prou.24. sententiam: *Libera eos, qui ducuntur ad mortem, & redimere de interfectione non cesses, nec dicas, nescio hunc. Sci-*
Iud.1. *to, quoniam Deus corda omnium nouit,* & Iudas in epistola loquitur sua: *Et hos quidem de igne rapientes, & odio habentes commaculatam tunicam.* Caueamus huiuscemodi vestimentum, & induamus potiùs armaturam Dei, vt
Ephes.6. possimus resistere contra insidias diaboli. *Non est enim nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus potestates & principatus, aduersus rectores tenebrarum harum, aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus.* Hoc quoque maximè prouidendum est, ne quis in alteram domum & in alterius cellulam commendet aliquid, & contra monasterij disciplinam. Qui talis est, non est in numero fratrum, sed mercenarius & aduena. Nec Pascha

Domini

A Domini inter sanctos debet comedere, quia factus est lapis scandali in monasterio, & de illo poterit dici: lapides de via mea proiicite: si enim leuitonaria nostra quando lauamus & sicca non fuerint, vsque ad vesperam non habemus potestatem apud nos tenere, damusque præposito cui crediti sumus, vel ei cui creditum est cellarium, vt deferat ad eum locum vbi vestimenta pariter omnium reseruantur, & mane nobis dantur, vt expandamus illa ad solem, & cùm sicca fuerint, non apud nos tenemus, sed damus in commune seruandum, iuxta præcepta maiorum: quanto magis ea quæ propriè visus es possidere, si alteri commendaueris, aut in tua voluntatis esse potestate, peccas in monasterij disciplinam, & non intelligis Paulum tibi loquentem: *vos autem in libertatem vocati estis, tantum ne libertate in occasione carnis abutamini, sed charitate seruite inuicem.* Et iterum: *Dominus iuxta est, nolite esse sollieiti, sed estote in orationе intenti deprecationibus.* Sciat quoque ille qui ab alio
B susceperit commendatum, vt rem se arbitratur facere piam, vt fratrem refrigeret, quod peccet contra animam suam, subuertens regulas monasterij. O stulte, anima tua commissa est præposito tuo, & qui animam tuam corpusque custodit indignus habebitur, vt peritura conseruet? Amemus, vt iustificemur, institiam, legimus enim, misericordia occurrit his qui faciunt veritatem. Hoc quoque obseruandum est, ne quis stulta cogitatione deceptus, imò diaboli laqueis irretitus, dicat in corde suo: Quando morior, tunc dono fratribus quod habuero. O stultissime hominum, vbi hoc scriptum inuenisti? Nonne omnes sancti seruientes Deo statim omnem seculi sarcinam deposuerunt? Nonne in
Act. 4. Actibus Apostolorum omnia quæ habebant, ad pedes deferebatur Apostolorum? Aut quomodo poteris mortuus iustitiæ induere vestimentum, qui illud viuus habere non meruisti. Quare oblitus es illud, quod scriptum
Galat. 6. est: *Quod seminauerit homo, hoc & metet Et vnusquisque recipiet iuxta quod egit, & reddet vnicuique iuxta opera*
C *sua.* Et iterum: *Ego Dominus scrutans corda & probans renes, vt reddam vnicuique iuxta vias suas, & iuxta fru-*
Psal. 38. *ctum adinuentionum eius.* Quare nondum versaris in vita, & in hoc corpusculo constitutus, non audis Dauid lo-
Luc. 12. quentem: *Thesaurizas, & ignoras cui congregat ea.* Et sermonem Euangelicum, auarum diuitem corripientem;
Ps. 145. *stulte hac nocte animam expetent à te: Qua autem præparasti, cuius erunt?* Et iterum: *in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Sulte quare non vis audire Do-
Matth. 19. minum cohortantem? *Vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & tolle crucem tuam, & veni sequere me.* Quod adolescens audiens, conuersus est retro, non enim erat rectum cor ipsius, & ideò non potuit grauem diuitiarum sarcinam deponere. Habebat quidem voluntatem, vt Scriptura testatur, perfectæ vitæ, & splendore virtutum trahebatur ad laudem, sed retrahebant eum currentem diuitiæ, nec poterat saluatoris audire doctrinam: quia adhuc de mundi deliciis
Matt. 19 Luc. 6. cogitabat, vnde & Saluator loquitur: *Difficile est eos qui habent diuitias, intrare in regna cœlorum.* Et iterum:
D *Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vni est obediens, & contemnet alterum. Non potestis Deo seruire, & mammonæ.* Pharisæi autem cùm essent auari, hæc audiebant & irridebant, quorum incredulitatem deuitemus, nec irrideamus eos, qui nos prouocant. Renuntiemus mundo, vt perfecti perfectum sequamur Iesum. Quorum animam possidet auaritia, his videtur pro Christo stulta paupertas. Quæstus est magnus pietas cum sufficientia; nihil enim intulimus in hunc mundum, nec auferre quid possumus: habentes enim victum & vestitum, his contenti
1. Tim. sumus. *Qui autem volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum, in concupiscentias multas, quæ sunt stultæ & noxiæ, & demergunt homines in interitum & perditionem: radix enim omnium malorum cupiditas.* Vsque
3 Reg. 18. hodie Helias Israëlem increpat, dicens: *Quousque claudicatis pede, si Deus est, ite & sequimini eum.* Et nobis loquitur: Si mandata sunt Dei quæ per patrem nostrum

tradidit nobis, & quæ sequentes possumus peruenire ad E
regna cœlorum, toto eadem desiderio compleamus, si autem sequimur cogitationes nostras, & ad aliud tendit animus, cur non errorem simpliciter confitemur, & ostendemus nos esse quod videri erubescimus? ne fortè dicatur & nobis: Quare polluistis locum meum sanctum; & eiiciam eos è domo mea: siquidem conciliabula monachorum verè Dei domus est, & sanctorum vinea, sicut scriptum legimus: *vinea facta est Salomoni* Malach. 1.
in loco qui vocatur Beelamon, dedit eam custodibus, vnusquisque affert pro fructibus eius mille argenteos. Vinea mea Cant. 8.
in conspectu meo est mille Salomoni, & ducenti his qui custodiunt fructum eius, ne igitur polluentes eam proiiciamur, sicut in Euangelio legimus, eiectos esse de templo qui vendebant in eo oues & boues, numularios quoque ingrediens Dominus atque Saluator, & faciens sibi fla- Luc. 19.
gellum de funiculis eiecit è templo, & fundens æra mensasque vendentium, & his qui vendebant columbas, ait:
Auferte hæc omnia, & nolite facere domum patris mei, do- F
mum negotiationis. Scriptum est enim: Domus mea, domus Marc. 11. Esa. 56.
orationis vocabitur cunctis gentibus, vos autem fecistis eam speluncam latronum. Et alibi: *Propter vos nomen meum* Hier. 7.
blasphematur in gentibus. Obsecro vos fratres, ne de no- Esa. 52.
bis quoque dicatur: *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est. An domos non habetis vt comedatis, & bibatis, nisi fortè Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui* 1. Cor. 11.
non habent? Ad quos dicitur: *Si quis esurit, domi come-* Ezech. 10.
dat, vt non in iudicium conueniatis. Non sit domus nostra vocis alienæ, ne illud nobis congruenter aptetur: opera Ægypti non abstulerunt à se. Et iterum. *In præceptis meis non ambulauerunt, & sabbata mea contaminauerunt, propterea eum clamauerint ad me, ego non exaudiam eos.* Non Ezech. 10.
permaneamus in cordis duritia, ne ad iracundiam prouocemus Deum, & fiat inimicus noster, & dicat: *Ego autem dabo eis præcepta non bona, & iustificationes, in quibus non viuant: quia comederunt fructum mendacij, & adorauerunt opera manuum suarum. Et repleta est terra eorum à principio augurio, vt terra alienigenarum.* Ne G
postquam renuntiauerimus seculo, & acceperimus vexillum crucis, sequi iterum ad posteriora conuersi, quæramus refrigerium temporale, imitantes Ephraim dicentem: *Diues factus sum, & inueni refrigerium mihi*, ne audiamus illud, quod & ille metuit audire: *Omnes labores illius non inuenientur pro iniquitatibus, in quibus peccauit*, & ne illud impleatur in nobis: *Cœpistis spiritu, & nunc carne consummamini, tanta passi estis sine causa.* Et ille contra nos sermo dicatur: *Lex periit à sacerdote, &* Ezec. 7.
consilium à senioribus, & manus populi dissoluta sunt, senes de porta quieuerunt, electi à psalmis suis cessauerunt; rursumque dicatur: *Propter vos nomen blasphematur in gentibus*, & contemptis institutionibus patris nostri subrepat obliuio, meditatoremque Dei atque sanctorum nostro vitio negligamus. Quis enim fructus, aut quod signum præceptorum Dei inueniatur in nobis, aut in quo professionem impleamus arreptam? Nonne omnia diuisimus, & auaritiæ subiacemus, & dicitur nobis:
Vnde bella & pugnæ? nonne ex auaritia? nam quia vnus- H
quisque quærit vtilitatem suam, & non proximi, vsque hodie viuens Ezechiel Prophetali sermone nos corripit, dicens: *Negotiatores erant in te, filius inhonorat patrem, & pater exprobrat filios.* Quid in die iudicij respondebimus, aut quid in nouissimo tempore pro defensione nostra poterimus ostendere. Hæc omnia facta sunt nobis, quia sacerdotes plauserunt manibus, & populus dilexit similiter, quia sicut populus, sic sacerdos. *Propterea reddam, ei, inquit, secundum vias suas, & cogitationes illius restituam ei.* Non de omnibus vobis hæc loquor, sed de his qui maiorum præcepta contemnunt, multoque melius erat illis ignorare viam iustitiæ, quàm scientes reuerti ab eo, quod traditum est illis, sancto mandato. De huiuscemodi hominibus mœrens Hieremias
scribit: *Defecerunt in lachrymis oculi mei, conturbatus* Hier. 2.
est venter meus, effusa est in terra gloria mea super contritione filiæ populi mei, quia defecit paruulus, & lactans in plateis ciuitatis, matribus suis dixerunt: vbi est triticum

&

A *& vinum, cum deficerent quasi vulnerati in plateis vrbis, cùm funderent animas suas in sinu matrum suarum.*
Ps.146. Scimus quòd *non in fortitudine equi velit Deus, neque in femoribus viri sibi complaceat*, & idcircò reuertamur ad Dominum Deum nostrum, vt quando orauerimus, exaudiat nos, qui quotidie hortatur, vt vacemus &
1.Reg. 23. cognoscamus eum. Et alibi loquitur. *Reuertimini ad me, & ego reuertar ad vos.* Et iterum: *Reuertimini ad*
Ezec.18. *me filij recedentes, & ego dominabor vestri.* Ezechiel similiter contestatur ac dicit: *Quare moriemini domus Israël? Nolo mortem peccatoris, tantùm vt reuertatur de via sua mala, & viuat.* Et clementissimus ac totius bonitatis caput clamat in Euangelio ad nos Dominus,
Matth. 11. atque testatur: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* Consideremus quòd bonitas Dei ad pœnitentiam nos prouocet, & sancti viri cohortantur ad salutem. Non induremus
B corda nostra, neque *thesaurizemus iram nobis in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique iuxta opera sua*, sed ex toto corde reuertamur ad Dominum, & secundum Moysi verba memorantis: *Si reuertaris ad Dominum ex toto corde tuo mundabit cor tuum, & cor seminis tui*, laboremus *sicut boni milites Christi*, & obseruemus illud quod scriptum est: *Nemo militans Deo, amplificat se negotiis secularibus, vt ei cui militat, placeat.* Si autem & *in agone contendat, non coronatur, nisi legitimè certauerit.* Laborantem agricolam oportet primùm de fructibus eius participare. Scriptum est:
2.Tim. 2. *Omnes populi ibunt vnusquisque in viam suam, nos au-*
Ezech. 16. *tem in nomine Domini nostri magnificabimur. Ipsi impediti sunt & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus. Qui ambulat in die, non impingit, qui autem in nocte graditur, impingit, quia lumen non est in eo. Nos autem*, sicut dixit Apostolus, *non sumus filij præuaricationis in perditionem, sed fidei in acquisitionem animæ*: Et
1.Thess. 5. alibi: *Omnes*, inquit, *filij lucis estis, & filij Dei. Non sumus filij noctis neque tenebrarum.* Si ergo filij sumus lu-
C cis, debemus scire quæ lucis sunt, & facere fructus luminis in omni opere bono: quod enim manifestatur, lux est. Si in toto corde reuertamur ad Dominum, & in præceptis sanctorum illius, & patris nostri corde simplici conuersemur, abundabimus in omni opere bono. Quod si superemur carnis voluptatibus, in die quasi in media nocte parietem palpabimus, & non inueniemus viam ciuitatis, & habitaculi nostri, de quo dicitur: Esurientium & sitientium anima defecit: Quia contempserunt legem à Deo sibi traditam, & vocem Prophetarum non audierunt. Et idcircò non potuerunt ad promissam requiem peruenire. Vigilemus & attenti simus, si enim naturalibus non pepercit, nec nobis parcet. Non de cunctis, sed de negligentibus loquor, quibus iure aptabitur illa deploratio: *Væ eis, quia recesserunt à me.*
Rom.11. Manifesti sunt, quoniam impiè egerunt in me, quia dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi contritos lacus, qui non possunt aquam continere. Et
D quia non audierunt iudices eius; audiant dicentem
Hier.6. Deum: *Constitui super vos speculatores, audite vocem tubæ. Et dixerunt: non audiemus.* Vnde ista incredulitas? Nonne ex eo, quia alienos cognouerunt, & non aduersati sunt? Loquitur & alibi Spiritus sanctus per Prophetam: *Ego enim sum Deus Dominus tuus, qui formaui cœlum, & creaui terram. Cuius manus condiderunt omnem cœli militiam, & non ostendit ea tibi, vt ambulares post illam.* Quod quidem & per Moysem præcepit, dicens: *Ne cùm suspexeris cœlum, & videris solem & lunam, ac stellas, & omne ornamentum cœli, errore cœli*
Exod.20. *deceptus, adores ea. Ego sum Deus qui eduxi te de terra Ægypti, & Deum extra me nescis; & qui saluos possit facere, non est præter me. Ego sum qui te paui in solitudine, in terra inhabitabili, & repleti sunt saturitate, & eleuata corda eorum. Idcircò obliti sunt mei, & ego tradam eos dispersioni in gentibus cunctis.* Quæ audientes quasi de somno expergiscamur, & præbeamus non di-
gnos Domini seruitute, vt misereatur & dicat nobis: B
Inuocate me, & ego exaudiam vos. Ipse enim ait: *Qui* Hier.31.
dispersit Israël, congregauit eum. Et alibi: *Non faciam*, inquit, *iuxta iram furoris mei, nec sic relinquam; vt deleam Ephraim.* Et iterum: *Non in æternum puniam vos, nec semper irascar vobis. Spiritus enim à me egredietur, & omne quod spirat ego feci.* Et in eodem loco iungit; ac dicit: *Dedi eis consolationem veram, pacem super pacem his qui erant propè & longè, dixitque Dominus, sanabo eos.* Cuius vt plenè misericordiam cognoscamus, Hieremiæ sermone docet, dicens: *Si eleuatum fuerit cœlum* Hier.3.
in sublime, & si humiliatum pauimentum terræ deorsum, ego non reprobo gentem Israël pro omnibus quæ fecerunt. Cumque tanta clementia sit Saluatoris Domini, & nos prouocet ad salutem, conuertamus corda nostra ad eum; quia iam hora est vt de somno vigilemus; *nox* Rom.13.
præcessit, dies autem appropinquauit, deponamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Filioli mei primùm ex toto corde diligamus Deum, deinde nosmetipsos amemus mutuò, memores præceptorum Dei Sal- F
uatoris, in quibus ait: *Pacem meam do vobis, pacem meam* Ioan.14.
relinquo vobis. Non sicut mundus dat pacem; ego do vobis: in his enim duobus mandatis tota lex pendet & prophetæ. Si quis in domo monasterij sub præposito manens, nulla re indigens, quam in monasterio habere permissum est, & habet patrem fratremque & amicum charissimum, nihil ab eis penitus accipiat; non tunicam, non palliolum, non aliam quamlibet rem; si autem comprobatum fuerit, quod minus habeat de his quæ præcepta sunt, culpa atque omnis correctio ad præpositum conuertetur. Vos igitur qui estis principes monasteriorum, si quos aliqua re videritis indigere, & esse in angustia constitutos, nolite eos negligere, scientes quòd estis reddituri rationem pro omni grege, super quem vos Spiritus sanctus constituit inspicere & pascere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit proprio sanguine. Propterea nos *qui fortiores sumus, debemus infirmitates inualidorum portare, & non nobismetipsis placere, sed proximo in bono ad ædificationem; nam &* G
Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est: Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Et iterum. *Non quæro*, inquit, *quod mihi expedit, sed quod omnibus, vt salui fiant.* Si autem Dominus ac saluator noster ita præcepit, & sancti ita conuersati sunt, patres quoque nostri ita nos docuerunt; consurgamus à somno, & quæ sunt nobis præcepta, faciamus. *Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram eruditionem scripta sunt, vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus*, & nullus nostrûm causa sit erroris alieni, nec æmulemur eos qui prospera agunt in via sua. Cùm enim omnia carni necessaria consecuti; morientes nihil secum asportabunt, filij seculi huius habent in hoc seculo fiduciam, quoniam de mundo sunt, & mundus amat quod suum est. Qui autem filij Dei sunt, illius sermonis Euangelici recordentur; *Si mundus vos* Ioan.15.
odit, scitote, quòd me primum oderit. Et iterum: *Qui voluerit esse amicus huius mundi, inimicus fiet Deo.* Et Matth.5.
rursum: *Tribulationem habebitis, sed confidete, ego vici* H
mundum. Et iterum: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* De filiis autem noctis quid è contrario dicitur? Nonne illud? *Væ vobis diuites, quoniam recepistis con-* Luc.6.
solationem vestram. Væ vobis qui saturati estis nunc, quia esurietis. Væ vobis qui nunc ridetis, quoniam lugebitis ac flebitis. Quamobrem mundi amicitias deuitemus; vt illud mereamur audire: *Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Audiuit Dominus, & misertus est mei; scidisti saccum meum, & accinxisti me lætitia.* Quis enim sanctorum non in luctu atque tristitia, per mundi huius transiuit viam? Hieremias. Non sedi, inquit, cum consilio ludentium, sed tremebam à facie manus tuæ. Solus sedebam, quoniam amaritudine repletus sum. Dauid quoque scribit: quasi lugens ac

A mœrens sic humiliabar. Quorum nos vestigiis insi-
stentes intelligimus, quòd salus nostra in tempore tri-
bulationis sit, & prophetæ pollicitatio impleatur di-
centis: Non relinquuntur qui in angustia sunt vsque ad
tempus. Si ergo habent tempus tribulatio & angustia,
& non erit sempiterna, seminemus in lachrymis, vt
metamus in gaudio, non deficientes, quòd nouerimus
Dominum de tentatione liberare cultores suos. *Domi-
nus pater noster est, Dominus iudex noster est, Dominus
princeps, Dominus rex noster, Dominus nos ipse salua-
bit.* Cuius præcepta si neglexerimus, permanebimus in
angustia. Ipse enim dicit: *Qui sequuntur me possidebunt
terram, & hæreditabunt montem sanctum meum.* Quem
& nos possidebimus, si impleamus legem eius, & au-
Math 5. diamus illud, quod dicitur: *Mundas facite in conspectu
Hier. 50. eius vias vestras.* Et iterum: *Tollite offendicula de via po-
puli mei.* Et alibi: *Eiicite de consilio pestilentem, & egre-
dietur cum eo contentio.* Qui iustum dicit iniustum, &
iniustum iudicat iustum, vterque in conspectu Dei im-
B mundus est. Caueamus ne dicatur & de nobis: Filij alie-
nati sunt eis. Et illud: *Filiæ Sion eleuatæ sunt, & amba-
lauerunt in excelso collo, & in superbia oculorum, trahen-
tes pedibus tunicas, & pedibus simul ludentes.* Et in cor-
reptione nostra rursum prophetalis sermo concordet;
Esai. 1. dicens: *Quomodo facta est meretrix ciuitas Sion fidelis,
plena iudicio, in qua iustitia dormit? Nunc autem latro-
nes & populus intelligens commiscebatur meretrici. Tu
ergo Israël ne ignoraberis*, sicuti diuina meditemur, po-
terimus illud dicere, quod & Dauid: *Exultabo super
eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* Et, *quàm dul-
cia gutturi meo eloquia tua, super mel & fauum ori meo.
Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ in loco peregrina-
tionis meæ.* Et in alio loco: *Non proposui ante oculos meos
rem iniquam, facientes iniquitatem odio habui. Et non
adhæsit mihi cor prauum, declinantes à me malignos non
agnoscebam. Detrahentem in abscondso proximo suo, hunc
persequebar. Superbo oculo & insatiabili corde cum hoc
C simul non edebam. Oculi mei super fideles terræ, vt face-
rem eos sedere mecum.* Quorum omnium nos imitemur
opera, vt sit in diebus nostris pax & iustitia, & non
nobis illud eueniat, quod alibi legimus: Super terra
populi mei spinæ & fœnum consurgent, sed magis in-
nouemus nobis noualia, & non seminemus super spi-
nas, cumque custodierimus quæ mandata sunt nobis,
manifesti erimus, quod diligamus Deum, sicut testatur
Ioan. 14 & in alio loco scriptura diuina: *Qui audit mandata
mea, & seruat ea, ille est qui diligit me; qui autem dili-
getur à patre meo, & ego diligam eum, & veniemus ego &
pater meus, & mansionem apud eum faciemus, & osten-
dam ei meipsum, & vos amici mei estis, si feceritis quæ
ego præcipio vobis.* Tollamus nobiscum multos sermo-
nes, & conuertamur ad Dominum Deum nostrum, &
dicamus ei: Potes dimittere peccata, vt accipiamus
bona, & reddamus ei fructum labiorum nostrorum, &
delectetur in nobis anima nostra. Atque vtinam pœni-
teat nos erroris & negligentiæ, & conuersi ad priora
D. dicamus: *Assur non saluabit nos, super equos non ascen-
demus, nec iam dicemus: Dij nostri opera manuum nostra-
rum. Deus qui in te est miserebitur populi, sanabo habi-
tacula eorum.* Rursumque dicet de nobis: *Diligam eos
manifestè, & auertam iram meam ab eis. Ero quasi ros,
Israel florebit vt lilium, & mittet radices suas quasi Li-
banus, Ibunt rami eius, & erit quasi oliua fructifera, &
odor eius vt thuris. Reuertentur & sedebunt vnusquis-
que in tabernaculis suis, & viuent, & confirmabuntur
frumento, florebit sicut vinea memoria eorum, sicut odor
thuris Ephraim. Quid ei & idolis? Ego humiliabo eum,
& confortabo eum. Ego vt iuniperus condensa, ex me fru-
ctus eius inuentus est. Quis sapiens, & intelligit hæc,
aut intelligens & cognoscit ista?* Atque vtinam & nos ex
eo fructum afferre valeamus, sine quo nihil boni ope-
ris fieri potest. Reuertamur ad Dominum, vt de no-
bis quoque possit dicere: *Peccatorum & iniquitatis eo-
rum memor amplius non ero.* Non relinquamus legem
Dei, quam pater noster ab eo accipiens, nobis tradi-
dit, neque parui eius mandata pendamus, ne & su- E
per nos planctus ille dicatur: *Quomodo obscuratum est* Thren. 4
*aurum, & immutatum argentum bonum, effusi sunt la-
pides sancti in omni viarum principio?* nec post pluri-
mos labores patris nostri, quos pro salute nostra sus-
cepit, sed ipsum exemplum virtutis tribuens & glo-
rians de nobis, atque apud sanctos loquens: *Isti filij
mei sunt, & populus meus, filij mei, & non denega-
bunt.* Et post huiuscemodi testimonium non perdamus
fiduciam bonæ conscientiæ, spoliari vestibus, quibus
nos induit. Et introducti ab eo in stadium, vt legiti-
mè certaremus, non superemur ab inimicis nostris. Et
postquam venerimus ad illud tempus, quo egrediamur
de corpore, ne inimici efficiamur patris nostri, the-
sauris seruientes, vt qui ieiuniis & afflictione corporis
debuimus acquirere animæ libertatem, carni & deliciis
& polchrioribus vestimentis, stratisque mollioribus
nos dedicemus, non solùm ipsi pereuntes, sed & alios
qui proficere potuerunt, exemplo nostro ducentes ad F
ruinam, de quibus scriptum est: *Non accepistis spiritum
seruitutis in timorem*, sed fortitudinis & charitatis &
pudicitiæ. Et, *cibus nos non commendat Deo. Neque
enim si comederimus, abundabimus: nec si non comede-
rimus, indigebimus. Non est enim regnum Dei cibus &
potus, sed iustitia, gaudium, & pax in Spiritu sancto.*
Qui in hoc seruit Christo, placet Deo, probatus est
omnibus. Esaias quoque dicit: *Qui expectant Domi-* Esa. 40.
*num, immutabunt virtutem, assument pennas, vt aqui-
læ, current, & non laborabunt, gradientur, & non
esurient. Idcirco eleuauit signum in gentes, & congrega-
bit profugos Israël: Scito, velociter venient, non esu-
rient, neque dormitabunt. Non dormient, nec soluent
Zonas de lumbis suis, neque rumpentur in calceamentis
eorum corrigiæ. Quorum iacula acuta sunt, & intenti
arcus: pedes eorum vt petra fortissima. Rota curruum
quasi tempestas, impetum facient vt leones, & aderunt
vt catuli leonum.* Et nos igitur sanctorum imitatores
simus, nec obliuiscamur institutionis, qua nos erudi- G
uit pater noster dum adhuc esset in corpore. Ne extin-
guamus lucernam ardentem, quam posuit super capita
nostra. Ad cuius lumen huius seculi incedentes memi-
nerimus, quòd per studium illius Deus nos in propriam
familiam receperit, peregrinis hospitium tribuens, in
maris turbinibus constitutis portum ostendens, panem
in fame, vmbram in æstu, vestimentum in nuditate,
imperitos præceptis spiritalibus erudiuit. Vitiis ser-
uientes castitate circumdedit, procul positos sibi iun-
xit. Ne post illius dormitionem obliuiscamur tantæ
bonitatis, & beneficiorum immortalium, vertentes
furorem in iudicium, & fructum iustitiæ in amaritudi-
nem, & loquatur contra nos: Iudicare inter me & vi-
neam meam, expectaui vt faceret fructum, & fecit ini-
quitatem, & non iustitiam, sed clamorem, & veniat
super nos illa maledictio, quam prophetalis sermo ille
prosequitur, & quam omni studio fugere ac vitare de-
bemus, sequentes conuersationem eorum, qui nos in
Domino præcesserunt, patrum pariter ac fratrum, qui H
renunciantes seculo, & inoffenso ad Dominum pera-
gentes gradu, nunc eius hæreditate potiuntur, quam
vereor ne perdamus nostra desidia, & illud nobis pro-
pheticum coaptetur, quod dictum est de Ephraim:
*Oleum in Ægyptum mercatur, mixti sunt in gentibus,
& didicerunt opera eorum.* Ne postquam vocati simus
in libertatem sicut scriptum est: *Tollam eos, vnum de
populo & duos de familia, & inducam eos in Sion, & da-
bo vobis pastores secundum cor meum, qui pascant vos cum
disciplina*, ne soluantur vincula charitatis, & dicatur de
nobis: *Filius glorificat patrem, & seruus dominum suum.
Si pater ego sum, vbi est gloria mea? si dominus, vbi est
timor meus:* Idcirco vnusquisque nostrum clamet ad Do-
minum: *Muri Sion deducant, sicut torrentes, lachrymas
die ac nocte. Ne des requiem tibi, neque taceat pupilla ocu-
li tui. Surge & lauda in nocte, in principio vigiliarum tua-
rum effunde sicut aquam cor tuum in conspectu Domini. Le-
ua ad illum manus tuas pro animabus paruulorum tuorum,*

qui

A *qui defecerunt in capite vniuersorum gressuum.* Neque illud contra nos dicatur: *Luxit, & corruptus est orbis: Luxerunt excelsi terræ, & terra impiè egit propter habitatores suos, dereliquerunt enim legem, & immutauerunt præcepta mea testamentum æternum, Idcircò maledictio deuorabit terram, quia peccauerunt habitatores eius, & derelinquentur homines pauci,* ne & nostrum vinum lugeat & vinea; & ingemiscant, qui prius toto animo lætabantur, dicaturque de nobis in domo, *insaniam confixerunt, corrupti sunt sicut dies collis,* aut illud *captio ex vobis est. Et dixistis enim; fecistis testamentum cum inferno, & cum morte pactum.* Quæ verba vitantes, credimus magis quod in tempore suo *orietur stella ex Iacob, & exurget homo de Israël qui percutiet principes Moab & filios Seth, vt non sit in domo Israël stimulus furoris & spina doloris. Quia facta est Domino pars eius Iacob, funiculus hæreditatis eius Israël.* Et alibi loquitur Hieremias: *Si cessauerit in conspectu meo lex ista, & gens Israel cessare poterit.* Et rursum: *Dabo laborem eorum iustis, & testamentum æternum ponam cum* B *ipsis, & scietur in gentibus eorum, ac nepotes, omnis qui viderit eos, cognoscet, quia isti sunt semen benedictum à Deo & gaudio Domini perfruentur.* Et nos ergo scrutemur vias nostras, & gressus diiudicemus, & sequamur odorem scientiæ abscondentes semper verba eius in cordibus nostris, vt simus immaculati in via, & in lege Domini ambulemus. Non nos terreat fragilitas corporis, & longi temporis labor patris nostri, vbi sunt & prophetæ, sicut scriptum est, *Nunquid in æternum viuent? verba autem mea & legitima mea suscipite, quæ ego præcipio in spiritu meo seruis meis & prophetis, qui fuerunt cum patribus vestris.* Sentiamus ineffabilem clementiam Dei nostri, qui vsque hodie ad pœnitentiam nos hortatur dicens: *Nunquid qui cadet non resurget, aut qui auersatur, non reuertetur? Quare aduersatus est populus meus auersione impudenti, & obtinuerunt in voluptatibus suis, & noluerunt reuerti?* Si reuersi fuerimus ad eum, ædificabit nos Spiritu sancto, C iuxta illud quod scriptum est: *Ædificans Hierusalem Dominus, dispersiones Israëlis congregabit.* Quòd autem nostri cœtus & communio ex Deo sit, qua nobis inuicem copulamur, Apostolus nos docuit dicens: *Bonorum operum & communionis obliuisci nolite, talibus enim victimis placent Deo.* In actibus Apostolorum quoque idem legimus: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna, & nullus suorum quid possidebat, sed erant eis vniuersa communia, & virtute magna dabant Apostoli testimonium resurrectionis Domini Iesu.* Et Psalmista in eadem verba consentit dicens: *Ecce quam bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Et nos in cœnobiis commorantes & nobis mutua charitate sociati demus studium, vt quomodo sanctorum patrum in hac vita meruimus consortium, ita in futuro quoque participes eorum simus, scientes quòd crux vitæ nostræ, doctrinæ quoque principium sit, & oporteat nos cum Christo pati, & nosse quòd absque tribulationibus & angustiis nullus victoriam consequatur. *Beatus vir qui suffert tentatio-* D *nem, quia cum probatus fuerit, coronam vitæ accipiet.* Et iterum: *Laborauit in seculum, & viuet in æternum: Si tamen compatimur vt & glorificemur. Æstimo,* inquit, *quòd non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Et alibi scriptum est: *Existimaui vt cognoscerem hoc, labor est in conspectu meo.* Et iterum: *Ego autem laboraui sequens te, & diem hominum non consideraui.* Et in alio loco: *Multæ tribulationes iustorum, & ex omnibus his liberauit eos Dominus.* Et Dominus noster loquitur in Euangelio: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Et alibi: *Hic liber mandatorum est, & lex scripta in sempiternum. Omnes qui obseruauerunt eam, viuent, qui autem dereliquerint, morientur. Reuertere Iacob, & apprehende eum: ambula in splendore luminis eius, & non des alteri gloriam tuam, & ea quæ conducunt tibi: gentis alienæ beatissimus Israël, quia placita Deo nostro, nota sunt nobis. Confide populus meus memorialem Israël.* Et iterum Esaias loquitur: *Lætare Israël, & festum agite diem omnes, qui diligitis eum. Gaudete qui confiditis in eo, vt sugatis & impleamini.* Habeamus curam legendarum

E & discendarum scripturarum, & in earum semper meditatione versemur; scientes scriptum: *Et fructu oris sui vir saturabitur, & merces laborum eius reddetur.* Hæc sunt quæ nos ducant ad æternam vitam, quæ nobis tradidit pater noster, & iugiter meditanda præcepit, vt compleatur illud in nobis; quod scriptum est: *Erunt hæc verba, quæ ego præcipio tibi hodie in corde tuo, & in anima tua docebis ea filios tuos. Et loqueris in eis sedens in domo, & ambulans in via, & accubans atque consurgens. Scribe ea pro signo in manu tua, & erunt immobilia ante oculos tuos. Scribes quoque ea in postibus domuum tuarum, & in liminibus, vt discatis timere Dominum cunctis diebus; quibus viuitis.* Salomon quoque idipsum significans, dicit: *Scribe ea in latitudine cordis tui.* Considerate quantis testimoniis ad meditationem sanctarum scripturarum nos sermo Domini cohortetur, vt quæ ore voluimus, fide possideamus: *Bonum est homini cùm leuauerit iugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius & tacebit; quoniam leuabit super se iugum, dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis, quoniam non semper Dominus abiiciet.* F Et alibi scriptum est: *Recordatus sum misericordiæ infantiæ tuæ.* Et iterum: *Lætare iuuenis in adolescentia tua: & exultet cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui absque macula, & in conspectu oculorum tuorum, & scito quoniam in omnibus his adducat te Dominus in iudicio. Aufer furorem de corde tuo, & malitiam à carne tua, quoniam adolescentia & stultitia vanitas est: Et memento creatoris tui in diebus adolescentiæ tuæ, donec veniant dies pessimi; & occupent anni, in quibus dices: Non est mihi in eis voluntas, donec obtenebrescat sol & lux, & luna, & stellæ, & conuertantur nubes post pluuiam. In die qua mouebuntur custodes domus, & subuertentur viri virtutis, & cessent molentes, quia paucæ factæ sunt, & obscurabuntur, quæ vident in foraminibus, & claudent vas in foro, in infirmitate vocis molentis. Et exurgent ad vocem passeris, & humiliabuntur omnes filiæ cantici. Et quidem ab alto aspicient & pauores in via. Et floreat amygdalum, & ingrassetur locusta, & scindatur capparis. Quoniam abiit* G *homo in domum seculi sui, & gyrauerunt in foro qui plangunt, quoadvsque euertatur funiculus argenti, & conteratur monile auri, & confringatur hydria ad fontem; & impediatur rota super lacum, & conuertatur puluis in terra, sicut fuit, & spiritus reuertatur ad Dominum; qui dedit eum.* In Euangelio quoque scriptum est: *Pueri nunquid* Ioan. 21. *habetis pulmentum? Mittite in dextram partem nauis, & inuenietis.* Et iterum: *Omnis puer ac iuuenculus qui nescit* Exod. 34 *hodie bonum ac malum, ipsi intrabunt in terram bonam,* & rursum: *Omne masculinum quod aperit vuluam, sanctum vocabitur.* Et in Euangelio: *Puer autem ibat, & crescebat, & proficiebat apud Deum & homines.* Iesus quoque mini- Luc. 2. ster Moysi iuuenis erat, & non egrediebatur de tabernaculo Dei. Et de Dauid scriptum legimus: *Puer flaui coloris, elegantibus oculis.* Timotheus quoque adhuc puer & adolescens sacris literis eruditus est, vt ad fidem Domini saluatoris illarum semina peruenirent. Et de Daniele, quia eruditus erat, scriptum legimus, quòd *vir desideriorum* appellatus sit. H Ioseph quoque erat dilectissimus patri suo, quia eius imperiis seruiebat, & decem ac septem adhuc natus annos præcepta illius legem vitæ suæ arbitrabatur. Et hæc cuncta replicaui, vt sanctorum vitas considerantes non circumferamur omni vento doctrinæ, sed laboremus & eorum conuersationem, nostræ vitæ propositum habeamus exemplum, vt simus populus Dei peculiaris: *Nec contristemur Spiritum sanctum in quo signati sumus in die redemptionis,* ne illud extinguamus in nobis, & prophetias non contemnamus, ne forsitan volenti Spiritui sancto habitare in nobis, non demus locum. Nullum alium timeamus præter Deum, qui vltior & iudex est operum singulorum, & cum sancto sanctus est, & cum viro innocente innocens. Et dicit: *Ego amantes me diligo, & qui me quærunt, inuenient gaudium.* Et alibi loquitur: *Si ambulaueritis contra me peruersi, ego ambulabo contra vos peruersus.* Non irascamur inuicem, etiamsi ira nos vicerit, non peccamus irati solis occubitum pœnitentiæ

A præuenientes. Meminerimus esse præceptum, quoties peccanti in nos ignoscere debemus, & munus nostrum relinquere ante altare, quod nequaquam suscipitur, nisi fuerit reconciliatione placabile, vt possimus dicere: Luc. 11. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Col. 5. Et Apostolus præcepit: *Si quis habet aduersus aliquem querimoniam, sicut & Christus donauit nobis, sic facite.* Simus discipuli mansuetudinis sanctorum omnium & præcipuè Dauid, de quo scriptum est: Psal. 131. *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Et Moysi de quo legimus, quòd *mansuetus fuerit super omnem terram.* Et Dominus in Euangelio de mansuetis Matth. 5. ac mitibus loquitur: *Beati mites, quoniam possidebunt terram.* Magnæ sapientiæ est mansuetudinem possidere Prou. 10. & audire: *Sapiens esto fili, vt lætetur cor meum.* Et iterum: Ephes. 5. *Imitatores estote Dei vt filij charissimi.* Et: Matth. 5. *Estote perfecti sicut & pater vester, qui est in cœlis, perfectus est.* Leuit. 11. Et alibi: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum, dicit Dominus.* B Quæ legentes testimonia seminemus nobis iustitiam, vt metamus fructum vitæ. Illuminemus lucem scientiæ, quia tempus est, vt cognoscamus Deum, donec veniet fructus iustitiæ nobis. Rom. 16. *Ecce nunc tempus acceptabile, & dies salutis.* Ioan. 15. 1. Cor. 8. Et verè, secundum quod scriptum est: *Plenitudo legis est dilectio.* 1. Ioan. 3. Ioanne in hæc eadem continente, hoc præceptum accepimus à patre, vt diligatis inuicem. *Et qui diligit Deum, diligat & fratrem suum, non sicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem suum. Et quare occidit eum? quia opera eius maligna erant, fratris autem eius bona. Non admiremur fratres, si oderit vos mundus, nos scimus, quoniam transiuimus de morte ad vitam, eò quod diligamus fratres.* Ergo diligamus nos mutuo. Loquar aliud ad vos audientius, filij charissimi, ex eo quòd credidit mihi Deus conuersationis vestræ & sanctæ communicationis gregem, non cessaui cum lachrymis monere & docere singulos, vt placeatis Deo, nec subtraxi aliquid, quod vobis vtile 2. Tim. 4. sentiebam, vt non dicerem: *Et nunc commendo vos Deo* C *& verbo gratiæ eius, qui vos potest ædificare, & dare vobis hæreditatem cum sanctis.* Vigilate omni studio, curaque contendite, ne obliuiscamini propositi vestri, sed implere quod vos scitis esse pollicitos, *ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ adest. Qui certamen bonum ex parte certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. De cætero reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex, non solum autem mihi, sed & omnibus qui dilexerunt iustitiam eius,* & omnia patris mandata fecerunt. Finis verbi, omnia 1. Tim. 4 audi, *Deum time, & mandata eius custodi, quoniam omnis homo, vniuersum opus Deus adducet in iudicium siue bonum, siue malum.*

S. P. N. MACARII ÆGYPTII, Homiliæ 50. Spirituales & fructuosissimæ, de integritate quæ decet Christianos, cuique operam dare debent: Interprete Ioanne Pico in Senatu Parisiensi, Classium Inquisitoriarum Præside.

D

DE S. P. N. MACARIO SENIORE, Ægyptio, ex Præfatione interpretis.

Pallad. c. 19. & 20. in historia patrum. Niceph. lib. 9 hist. Eccl. c. 14

DVOS fuisse Macarios, testantur Palladius ac Nicephorus: Alterum Alexandrinum genere, qui (licet iunior) in iis quæ sunt monachorum præcipua, primas obtinebat, Alterum Ægyptium, ætate grandiorem, qui has ipsas Græcè scripsit Homilias, quas in Latinum sermonem transtulimus. Hic nonaginta vixit annos integros, E *quorum sexaginta transegit in solitudine. Itaque natus annos triginta, & in iuuenili constitutus ætate, tam toleranter tulit labores exercitationis per totum decennium, vt magna quadam & insigni dignus haberetur distinctione, adeò vt vocaretur παιδαριογέρων: id est, in puerili ætate senex, quoniam citiùs quàm pro ætate profecerat virtutibus. Quadraginta annos natus potestatem accepit aduersus dæmonas, gratiam item curandi, spiritumque prædicendi futura. Dignus quoque est habitus honorando sacerdotio. Habitarunt cum eo duo discipuli in intima solitudine, quæ vocatur Scete: quorum vnus quidem, velut minister illi semper assidebat, eorum gratia qui veniebant curandi, alter autem seorsum secedebat in cellam. Procedente verò tempore cùm sanctus perspicaci oculo præuidisset, dixit ministro suo nomine Ioanni qui postea factus Presbyter suffectus est in locum Macarij: Audi me frater Ioannes, meamque fer æquo animo admonitionem, tibi valde profuturam. Tentaris enim (inquit) & te tentat spiritus auaritiæ, sic enim perspectum habeo: Scio tamen, si meam benignè tuleris adhortationem, te perfectum fore in Dei timore atque eius opere,* F *laudaberisque, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quòd si tamen audieris, in te venient quæ Giezi tandem acciderunt, cuius vitio laboras. Contigit porrò, vt defuncto Macario non paruerit, sed ei qui propter auaritiam alligauit Iudæ laqueum. Elapsis itaque quindecim aut viginti annis, cùm bona pauperum vsurpasset, tam graui laborauit elephantia, vt in toto eius corpore non inueniretur integer locus in quo quis digitum figere posset. Hæc fuit Macarij prophetia. Ferebatur hic sanctus pati continentem ecstasin, sæpiusque vel cum Deo, vel in rebus versari cœlestibus. Fama etiam constans erat, in solitudine illum suscitasse mortuum, vt persuaderet cuidam hæretico neganti resurrectionem. Reliqua quæ diuino beneficio gesta sunt ab eo, petenda sunt è Palladio. Spiritus igitur diuinus, qui vigebat in Macario nostro, non potuit otiosus esse, quin per eum fructum aliquem ederet: effecitque, vt qui consodalibus dumtaxat monachis exemplo proderat, scriptis ad posteros transmissis, omnibus prodesset. E quibus quinquaginta solùm Homilias Græcè scriptas accepimus è Bibliotheca* G *Regia. Quas, cùm legentes animaduerteremus non tantùm monachis & religionem (quod aiunt) profitentibus, sed cuicumque Christiano lectori profuturas, tum quòd afflictum ac mœrentem valde solantur animum, eumque à nugis futilibus huius mundi traducunt ad cœlum, tum quòd benè beatéque viuendi normam Euangelio conuenientem præscribunt, in Latinum sermonem conuertimus, &c.*

ADMONITIO AD LECTOREM.

VTerque Macarius, & ille Senior Ægyptius, & alter ille iunior Alexandrinus inter alios Sanctos inscripti habentur Romano Martyrologio, Ægyptius 15. Ianuarij & Alexandrinus 2. Ianuarij, sed Ægyptius cum hoc elogio, in Ægypto S. Macarij Abb. discipuli Beati Antonij, vita & miraculis celeberrimi, *de duobus his Macariis, vt etiam de aliis eiusdem nominis multa ex variis idoneisque Auctoribus, quos Nota ad Roman. Martyrologium 2. Ianuar. indicant, cognoscere poteris: Quod* H *attinet ad scripta S. Macarij Ægyptij, hæc de illo prodit Gennadius in Catalogo cap. 10. Vnam tantum ad iuniores professionis suæ scripsit Epistolam, in qua docet illum posse perfectè seruire Deo, qui conditionem creationis suæ agnoscens, ad omnes semetipsum inclinauerit labores, & luctando, atque Dei auxilium aduersus omne, quod in hac vita suaue est, explorando, ad naturalem quoque perueniens puritatem continentiæ, velut naturæ debitum munus obtinuerit.* Hæc Gennadius, *quibus verbis Apathiam illam Euagrij Pontici Sancto Macario inuris. Equidem in hoc Homiliarum opere alicubi videtur introduci Apathia, præsertim Homilia 20. 35. & aliàs. Alibi tamen validè euertitur, vt. Homilia 17. & 38. aliisque locis. Verisimile est Euagrium Ponticum, quem Sancti Macarij Ægyptij discipulum fuisse referunt,* Socrates libro quarto, capite decimooctauo, & Gen-

A nadius in Catalogo capitulo to.11. *ex dictis S. Macarij perperam à se intellectis apathiam illam Pelagianam, & Stoicam, sensus sui peruersitate ebibisse, quam tantoperè S. Hieronymus suis scriptis insectatus est, vt in hac nostra censura pluribus locis monemus. Forsan Gennadius Pelagianis fauens (quod est exploratissimum) Pelagianam apathiam, auctoritate S. Macarij male & concepta & decorata voluit stabilire. Cæterum, quia Gennadius harum Macarij Homiliarum non meminit, & præterea his inserte deprehensæ sint aliquot aliorum Auctorum Homiliæ, in dubium quis reuocare possit, num hæ Homiliæ legitimus sint fœtus S. Macarij, præsertim cum nonnulla immixta habeant graui, & diligenti censura digna, quæ nos in notis Marginalibus indicabimus. Nihilominus, quia ab omnibus S. Macario tribuuntur, & spiritualium documentorum maximè vtilium sunt plena, tantum illud opportunè obseruamus, quædam illis inesse obscura, ambigua, & à* B *proprio exactoque more loquendi Theologorum quadamtenus aliena, proindeque cum iudicio, & circumspectè legenda. Et subest suspicio, ne ab aliquo Pelagiano sint alicubi interpolata.*

INTERPRETATIO Allegorica Visionis apud Ezechielem descriptæ.

HOMILIA I.

Ezech. 1 & 10. CVM vidisset Ezechiel Propheta visionem diuinam & gloriosam, retulit illam & scriptis mandauit, inenarrabilibus vtique mysteriis refertam. Vidit enim in agro, currum Cherubim, quatuor animalia spiritalia, C quorum vnumquodque quatuor facies habebat: primam faciem leonis, secundam aquilæ, aliam vituli, quartam faciem hominis. Vnaquæque facies, alas habebat, ita vt nemo discernere posset quænam erant anteriora quæve posteriora. Animalium terga, similiter & pectora oculis erant plena, neque locus erat in illis vacuus oculis. Vnaquæque facies, tres habebat rotas in formam vnius rotæ, & in rotis illis, spiritus inerat. Et vidit quasi similitudinem hominis, & sub eius pedibus velut opus quoddam sapphiri. Cherubim, currum ferebant, animalibus autem vehebatur dominus: quocumque pergere volebant, erant in faciem. Et vidit subtus Cherubim, veluti manum hominis gestantem & baiulantem. Hoc autem ipsum quod in excessu mentis propheta vidit, verum erat & certum: cæterùm, quippiam etiam aliud mysticum & diuinum subindicabat ac repræsentabat, nempè mysterium quod à seculis reuera absconditum est, postremis autem temporibus in aduentu Christi manifestatum. Nam mysterium vtique D contemplabatur animæ quæ Dominum suum erat susceptura, & illi thronus gloriæ futura. Anima enim quæ digna habita est vt fieret particeps spiritus in lumine illius, & illustrata est à decore inenarrabilis gloriæ eius, cùm præparauerit eam sibi in sedem & domicilium, tota lumen euadit, tota facies, & tota oculus, neque superest vlla pars illius, quæ spiritalibus oculis lucis non sit plena: hoc est, nihil habet tenebrosum, sed tota prorsus fit lumen & spiritus, tota plena oculis, nullam habens partem à tergo siue posteriorem, sed vndique faciem præseferens, ineffabili pulchritudine gloriæ luminis Christi, veniente in illam & in ea residente. Et quemadmodum Sol sui planè similis est, nullam habens partem posteriorem aut inferiorem, sed totus penitus lumine splendet, & totus lumen est, & partium similium: aut quemadmodum in igne, lumen ipsius ignis totum sibi simile est, nihil habens in se primum aut postremum, maius aut minus: sic & anima quæ planè illustrata est ab ineffabili pulchritudine gloriæ luminis vultus Christi, & Spiritu sancto repleta, ac digna quæ fieret domicilium & thronus Dei, tota E oculus, tota lumen, tota facies, tota gloria, & tota spiritus euadit: nempè sic eam adornante Christo, gestante, agente, baiulante, & ducente illam, & hunc in modum illam instruente, & spiritali decore adornante. *Etenim manus*, inquit, *hominis erat subtus Cherubim:* Nam ipse est qui illa vehitur; & illam dirigit. Quatuor autem animalia currum vehentia, repræsentabant principales animæ partes & rationales. Nam quemadmodum aquila inter cæteras aues principatum obtinet, & leo inter feras, taurus autem inter animalia mansueta, & inter creaturas homo: ita quædam sunt animæ portiones rationis capaces & magis præcipuæ, voluntas scilicet, conscientia, mens, & amandi facultas. Per has enim, currus animæ gubernatur, & in illis Deus requiescit. Aliter quoque & illud transferri potest ad cœtum cœlestium Sanctorum, propterea quòd sicut illic dicitur quòd illa animalia erant valde sublimia & oculis plena, neque quisquam poterat com- F prehendere numerum oculorum aut sublimitatem; quia non erat concessum illa cognoscere: & sicut in cœlo stellas quidem inspicere & admirari omnibus hominibus datum est, scire verò numerum illarum, nulli datum: sic in cœtum cœlestem sanctorum ingredi & quiescere, concessum est omnibus qui decertare voluerint, nosse verò & consequi numerum Sanctorum, solius Dei est. Quocirca Sessor ille vehitur & fertur in Curru & throno oculatorum Animalium, seu ab vnaquaque anima quæ thronus illi facta est & sedes, & quæ oculus est & lumen, cùm insederit in ea: & cohibet illam frænis spiritus, prout nouit qui dirigat illam. Quemadmodum enim Animalia illa spiritalia non pergebant quocumque liberet, sed quò nouerat & volebat is qui sessor erat, & dirigebat: sic & in hac vita cohibet ipse & impellit dirigens Spiritu suo, ita vt proficiscantur non pro arbitrio suo in cœlum cum G voluerint: & abiecto corpore tractat & impellit animam sapientia sua, in cœlestia, & rursum cum voluerit, descendit in corpus & in cogitationes, deinde, cum libuerit, progreditur ad terminos terræ, & animæ reuelat mysteria. O præclarum & bonum atque solum aurigam verum! In resurrectione quoque, pari corpora dignabuntur honore, animam interim quæ spiritui mixta est, talem prægustante gloriam. Quod autem iustorum animæ fiant lumen cœleste, Dominus ipsemet Apostolis dicebat: *Vos estis lux Mundi.* Qui Matth. 5.6. enim ipsos fecerat esse lucem, per eos Mundum illuminari præcepit. *Nec accendunt* (inquit) *lucernam & ponunt eam sub modio sed super candelabrum, & lucet omnibus qui sunt in domo: sic luceat lux vestra coram hominibus:* perinde ac si dixisset, Ne absconderitis donum quod accepistis à me, sed date omnibus volentibus. Et iterum: *Lucerna corporis est oculus, si oculus* Matth. 6.c. *tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit, si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ* H *sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Quemadmodum enim oculi sunt lumen corporis, qui si sani fuerint, totum corpus lucidum est, si verò quippiam incidat vt obtenebrescant, vniuersum corpus tenebrosum est: sic & Apostoli constituti sunt velut oculi & lumen totius Mundi. Denuntiabat igitur Dominus illis dicens, si vos qui lumen estis Mundi, perseueraueritis nec deflectatis, ecce corpus vniuersum Mundi lucidum erit: quòd si vos qui lux estis, obtenebrescatis, quantæ futuræ sunt tenebræ Mundi? cum ergo lux essent Apostoli, lucem administrauerunt Credentibus, & eorum corda illuminauerunt cœlesti lumine Spiritus quo & ipsi erant illuminati. Et cùm essent sal, condiebant & saliebant omnem animam credentem sale sancti Spiritus. Dicebat enim illis Dominus, *Vos* Matth. 5.b. *estis sal terræ*, animas hominum appellans terram. Nam subministrauerunt in animis hominum cœleste sal Spiritus condientes illos ac reddentes incorruptos & immunes à fœtore multo. Nam sicut carnes,

Margin: Animæ partes rationales.

A

nisi sale aspergantur, corrumpuntur & grauiter olent, ita vt omnes auersentur pessimum illum odorem, vermesque subrepunt in carnes corruptas, & ibi aluntur, edunt, ac nidificant: si verò sal accesserit, tolluntur ac pereunt vermes qui priùs illic pascebantur, & euanescit illa graueolentia (ea enim est natura salis, vt vermes interimat, & grauem odorem deleat) eodem modo & omnis anima quæ non fuerit condita Spiritu sancto, nec fuerit particeps salis cœlestis, hoc est, virtutis Dei, computrescit & multo prauarum cogitationum fœtore plena est, ita vt auertatur facies Dei ab illo graui odore vanarum & tenebrosarum cogitationum affectionumque quæ in eiusmodi anima inhabitant: & noxij atque improbi vermes (qui sunt Spiritus nequitiæ, itidem & potestates tenebrarum) in illa deambulant, illic pascuntur, nidificant, & repunt, illámque exedunt & corrūpunt. *Putruerunt* enim (ait) *& corrupta sunt cicatrices meæ.* Cum verò confugerit ad Deum, eique crediderit, ab eóque petierit sal vitæ, nempe bonum & humanum spiritum, tunc cœleste sal accedens perimit illos diros vermes, grauémq; delet odorē, & expurgat eum virtute potentiæ suæ: hocque modo, salis illius veri beneficio restitutura sanitati, & à corruptione liberata: in vsum & ministeriū Domini cœlestis ordinatur. Hac quoque de causa in lege Deus vtens exemplo, iussit victimas omnes sale condiri. Oportebat igitur primùm victimam à Sacerdote mactari & mori, deinde diuisam sale conspergi, tandem igni superponi: nisi enim primum sacerdos ouem mactasset & occidisset, non saliebatur, neque * Deo veniebat in odorem suauitatis. Sic & animam nostram accedentem ad Christum verum Pontificem, ab ipso mactari conuenit, & affectui mori, & anteactæ vitæ improbæ, hoc est, peccato, ab eaque nequitiam affectionum tanquam vitam egredi oportet. Sicut enim corpus mortuum est cum exierit anima, nec vltra viuit ea vita qua viuebat, non audit, neque ambulat: sic vbi Christus cœlestis Pontifex per gratiam virtutis suæ mactauerit & occiderit mundo vitam nostram, extincta est quoad improbam vitam qua viuebat, nec ampliùs audit aut loquitur, neque conuersatur in tenebris peccati, propterea quod nequitia affectionum, quæ erat tanquam anima eius, per gratiam decessit. Quod & Apostolus clamat, dicens: *Mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.* Nam anima quæ adhuc viuere perseuerat in Mundo & tenebris peccati, necdum mortificata est ab eo, sed adhuc habet in seipsa animam malitiæ, hoc est, vim tenebrarum quam afferunt affectiones peccati, & ab ea nutritur, non est de corpore Christi, nec de corpore luminis, sed est corpus tenebrarum, & à partibus tenebrarum adhuc persistit. Sicut è diuerso qui præditi sunt anima lucis, hoc est virtute Spiritus sancti, ex parte sunt lucis. Sed dicet quispiam: quomodo asseris animam esse corpus tenebrarum, cùm ab illis non gignatur? Hic attende, vt rectè intelligas. Quemadmodum indumentum aut vestem quam gestas, alius quidem præparauit, tu verò illam induisti: similiter & domum alius ædificauit & construxit, tu verò habitas in illa: sic Adam transgrediens mandatum Dei, & obediens improbo Serpenti, vendidit seipsum diabolo, & tum ille nequam, induit animam eius: illam nempe creaturam præclaram quam condiderat Deus ad imaginem suam, vt & Apostolus ait: *Expolians Principatus & Potestates, triumphauit de illis in cruce.* Hac enim de causa Dominus venit vt expelleret illos, & reciperet domum propriam & templum proprium, videlicet hominem. Proinde anima dicitur esse corpus tenebrarum & nequitiæ, quandiu sunt in ea tenebræ peccati, quia illic viuit in seculo nequam & tenebrarum, & illic detinetur captiua. Quemadmodum & Paulus appellans corpus peccati & corpus mortis, ait, *Vt destruatur corpus peccati:* Et rursum, *quis me liberabit de corpore mortis huius?* E diuerso, anima quæ Deo credidit & liberata est à peccato, mortificata vitæ tenebrarum, lumen Spiritus sancti tanquam vitam recipit, & inde viuens, ibi posteà perseuerat, quia ibi regitur à lumine diuino. Neque enim anima est naturæ diuinæ: neque rursum naturæ tenebrarum & nequitiæ: sed est creatura quædam intellectualis, speciosa, insignis, admiranda & præclara similitudo & imago Dei: in quam, propter transgressionem, nequitia affectionum tenebrosarum introiit. Quod reliquum est, sub cuius dominio est anima, huic etiam per voluntatem adhæret & vnita est. Siue ergo lumen diuinum in se habeat & in eo viuat, omnibus lucis & quietis virtutibus abundat, siue tenebris peccati detineatur, condemnationem consequetur. Decet itaque animam quæ apud Deum viuere statuit, in quiete & lumine perpetuo accedere, vt prædictum est, ad Christum verum pontificem, & mactari atque mori mundo, priorique vitæ tenebrarum & nequitiæ, & traduci in aliam vitam & educationem diuinam. Velut si quis in ciuitate decesserit, non iam audit vocem aut sermonem eorum qui in ea habitant, neque eorum quæ illic geruntur, rumorem, sed prorsus mortuus est, & in alium locum translatus, in quo nullæ tales sunt voces aut clamores quales erant in illa ciuitate: sic & anima vbi mactata fuerit, & mortua conuersationi illi & ciuitati nequitiæ affectionum in qua prius viuebat, non audit vltrà apud se vocem disputationum obscurarum, non amplius auditur sermo neque clamor altercationis vanæ, & tumultus spirituum tenebrarum: sed translata est in ciuitatem probitate & pace plenam, in ciuitatem (inquam) lucis diuinæ, ibi viuit & audit, ibi conuersatur & loquitur & ratiocinatur, ibique operatur opera spiritalia, & Deo digna. Deprecamur ergo & nos, vt mactemur per virtutem ipsius, & moriamur seculo nequitiæ tenebrarum, auferaturque à nobis spiritus peccati, & induamur recipiamusque animam cœlestis Spiritus, atque transferamur è malitia tenebrarum ad lumen Christi, & requiescamus in vita per vniuersa secula. Cæterùm, perinde ac cùm in stadio curritur, currus præcedens impedit, retinet, atque prohibet sequentem, ne præcedat & perueniat ad palmam: ità cogitationes animæ atque peccati currunt in homine. Si ergo contingat, cogitationem peccati præcedere, impedit illa atque retinet & prohibet animā accedere ad Deum, & contra peccatum reportare victoriam. Quòd si Dominus ipse insederit & ducat animam, semper ille vincit, ducens & dirigens per omnia prudenter currum animæ in sapientiam cœlestem atque diuinam. Neque enim dimicat cōtra malitiam, sed auctoritate & potentia sua superior existens, semper victoriam parat. Ducuntur igitur Cherubim, non quò volunt pergere, sed quò Sessor auriga dirigit, & quò libuerit illi, eò progrediuntur, & illos sustentat: *Manus* enim, inquit, *hominis sub illis erat.* Aguntur animæ sanctæ & diriguntur à Christi spiritu ducente quò voluerit, & quando libuerit, nunc per cœlestes cogitationes, modo per corpus: vbi placuerit, illic ei ministrant. Sicut enim volucrum pedes sunt alæ, ita lumen cœleste spiritus assumit alas cogitationum dignarum anima, dirigens & ducens prout nouit ille Spiritus. Tu ergo cùm hæc audis, attende tibi ipsi an possideas illa, opere & veritate, in anima tua: non enim sunt verba nudè prolata, sed opus veritatis est in anima productum. Quod si non es adeptus, sed cares tantis bonis spiritalibus, angi, lugere, & assiduè laborare debes tanquam adhuc mortuus à regno, & quasi sauciatus, semper ad Dominum vociferare & postula confidenter, vt ipse hac vera vita dignus fias. Nam sicut Deus, dum corpus hoc conderet, non ex sua ipsius natura, neque ex corpore dedit ei vitam habere, escam, potum, vestimenta, atque calceamenta, sed cum ipsum per se corpus nudum creasset, omnia quæ ad vitam sunt necessaria, extrinsecus habere concessit, ita vt corpus viuere non possit absque illis quæ extra corpus sunt, hoc est, sine cibo, potu, & indumentis: Quod si in sua ipsius natura tantùm steterit, nullo exteriori assumpto, corrumpitur & perit: hoc ferè modo, & anima quæ non consecuta fuerit lumen diuinum, creata tamen ad imaginem Dei (ita siquidem dispensauit Deus beneplacito suo, illam consequi vitam æternam) non ex sua natura, sed ex diuinitate ipsius Dei & peculiari spiritu atque lumine, escam & potum spiritalem consequitur &

indu

Ps.37.a.

B

Leuit.2.13. Num.18.c.

† hoc est offerebatur in holocaustum Domino.

C

Gal.6.d

D

Col.2.c.

Rom.6.b.

Rom.7.d.

E

Anima non est naturæ diuinæ.

Anima peccato mortua, status.

F

Cogitationum discursus in Anima.

G

H

A indumenta cœlestia, quæ sunt vera vita animæ. Quemadmodum ergo corpus ex seipso non viuit (vt antè dictum est) sed aliunde, hoc est à terra, ita vt viuere non possit sine externis: sic & anima, nisi regeneretur à modo in terram illam viuentium, & inde spiritaliter nutriatur, & spiritali modo crescat proficiens Domino, induaturque à diuinitate arcanis vestimentis cœlestis pulchritudinis, impossibile est illam, ex seipsa, sine cibo illo viuere in gaudio & quiete. Habet enim etiam diuina natura panem vitæ, eum qui dicit, *Ego sum panis vitæ:* & aquam viuentem, itidem & vinum lætificans cor hominis, & oleum lætitiæ; necnon multiplicem cibum cœlestis Spiritus, vestimenta denique lucis cœlestia, quæ à Deo procedunt: in iis consistit animæ vita æterna. Væ corpori cum in sua ipsius natura steterit, quia corrumpitur atque moritur: Væ etiam animæ, si in sua solius natura consistat, & in suis operibus tantùm fiduciam habeat, non facta particeps diuini spiritus, quia mortua est, indigna diuina æternaque vita. Nam quemadmodum in infirmis, si corpus vltrà cibum sumere nequeat, desperant de ipsis ac deflent omnes amici veri, cognati atque dilecti: ita luget Deus & Angeli sancti animas illas quæ non vescuntur cœlesti spiritalique cibo, nec viuunt in incorruptione. Hæc ipsa (rursum assero) non sunt verba nuda, sed opus vitæ spiritalis, opus veritatis quod completur in anima digna & fideli. Quapropter si factus es Dei thronus, & insidet in te cœlestis auriga, & anima tua tota euasit oculus spiritalis, & tota facta est lux, si etiam enutritus es cibo illo spiritali, & hausisti ex illa aqua viua, atque induisti arcani luminis vestimenta, si denique tuus homo interior expertus, iis omnibus abundat: Ecce iam viuis vitam reuera æternam, amodò cum Domino anima tua requiescente. En adeptus es & accepisti hæc à Domino in veritate, vt viuas veram vitam! Quod si nihil horum in teipso sentis, plora, angere, & conquerere, quia spiritales & æternas diuitias proculdubiò nondum es assecutus, nec veram vitam adhuc accepisti. Sollicitus igitur esto de penuria tua, deprecans Dominum noctes & dies eò quòd in graui paupertate peccati sis constitutus. Vtinam verò sit aliquis qui ob inopiam suam laboret, & non, veluti saturati, securè viuamus! quia qui talem sustinet laborem, & quærit atque postulat indesinenter à Domino, mox consequetur redemptionem ac diuitias cœlestes, sicut Dominus dicebat cùm de Iudice iniquo & Vidua sermonem haberet. Quantò magis Deus vindictam faciet clamantium ad se nocte & die? certè dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum: cui gloria & imperium in sæcula, Amen.

[Ioan. 6. d.] [Ioan. 4. b.] [Psal. 103. b.] [Psal. 44. b.] B C [*Lugent Angeli, Animas quæ non vescuntur cœlesti cibo.*] D [Luc. 18. b.]

DE REGNO TENEBRARVM, Hoc est, Peccato: & hominem solius Dei beneficio liberari ab eo.

HOMILIA II.

REGNVM Tenebrarum. Princeps ille nequam, cùm ab initio captiuum hominem reddidisset, animam tanquam hominem circumdedit & vestiuit potestate tenebrarum. *Et faciant* (inquit) *illum regem, & induant illum vestimentis regiis, & à capite vsque ad vngues gestet regia vestimenta.* Ita peccato induit animam & totam eius hypostasin, Princeps ille improbus, totamque maculauit, penitusque captiuam in regnum suum reddidit: non reliquit vllum ipsius membrum à se liberum, non cogitationes, non mentem, non denique corpus, sed induit eam purpureo tenebrarum amictu. Quemadmodum enim corpus non in parte aliqua aut membro patitur, sed totum vndique patibile est, sic & anima tota nequitiæ & peccati affectionibus est obnoxia. Induit igitur ille nequam animam totam (quæ hominis est præcipua pars & membrum) malitia sua, hoc est, peccato: atque ita factum est, vt corpus passioni atque corruptioni obnoxium esset. Nam cùm ait Apostolus, *Exuite veterem hominem*, integrum dicit; nempe oculos habentem oculis suis adiectos, caput capiti, aures auribus, manibus manus, & pedes pedibus: totum enim hominem, animam videlicet & corpus, improbus ille maculauit. Distorsit itaque & induit hominem veteri homine & polluto, impuro, atque Dei inimico, nec Legi Dei subdito, nempe ipso peccato: ita vt iam non videat homo quemadmodum ei libet, sed perperam videat atque audiat, habens pedes festinantes ad malum perpetrandum, & manus paratas ad iniquitatem admittendam, cor etiam cogitans praua. Deprecemur ergo nos quoque Dominum, vt exuat nos Homine veteri, quia solus ille potest à nobis auferre peccatum. Nam fortiores nobis sunt, qui nos captiuos duxerunt & detinent in suo regno: Dominus autem pollicitus est, se liberaturum nos ex hac seruitute. Quemadmodum enim Sole lucente, & flante vento, Sol quidem proprium corpus habet & propriam naturam, itidem & ventus naturam suam & suum corpus habet: nullusque potest separare ventum à Sole, nisi solus Deus sedauerit ventum ne flet amplius: sic & peccatum, animæ permixtum est, cùm alioqui vtrumque propriam naturam habeat. Est igitur impossibile animam à peccato separare, nisi Deus cessare faciat & sistat improbum illum ventum habitantem in anima & corpore. Item sicuti cum quispiam videns auem volantem velit & ipse volare, vtique non potest, cùm alas non habeat: sic & homini quidem adiacet velle purum esse, irreprehensibilem, & immaculatum, & nihil habere in se vitij sed semper esse cum Deo: facultatem autem non habet. Volare quidem in aërem illum diuinum, atque libertatem sancti Spiritus consequi desiderat, atqui, nisi alas acceperit, id non potest. Obtestemur itaque Deum, vt det nobis alas columbæ sancti Spiritus, atque ita ad eum volare possimus & requiescamus, vt etiam separet ab anima & corpore nostro, & extinguat improbum Spiritum, ipsum videlicet peccatum habitans in membris animæ & corporis nostri, hoc enim solus ille potest facere. *Ecce* enim, ait, *Agnus Dei, qui tollit peccatum Mundi.* Solus (inquam) ille misericordiam hanc exercuit erga homines credentes in eum, quòd redimat ab iniquitate: & in eos qui expectant semper ac sperant & quærunt assiduè, inenarrabilem hanc confert salutem. Perinde ac in atra & obscura nocte cùm flat ventus quidam acerbus, plantas omnes & semina commouet, impellit & agitat: sic & homo cadens sub potestatem noctis Tenebrarum diaboli, & agens in nocte & tenebris, concutitur graui vento peccati flante, ciëtur, commouetur, & exagitatur per vniuersam terram, in anima videlicet, in cogitationibus suis & mente: omnes denique partes corporis concutiuntur, neque pars vlla corporis aut animæ immunis est, quæ non sit affecta ab inhabitante in nobis peccato. Itaque dies, luci similis est, ventus autem diuinus Spiritui sancto similis, perflans & viuificans animas degentes in die luminis diuini, penetrans vniuersam hypostasin animæ ac cogitationes, & viuificans substantiam omnem & omnes corporis partes, faciens illas quiescere requie diuina & ineffabili. Hoc dicebat Apostolus: *nos non sumus filij noctis neque tenebrarum, omnes enim vos filij lucis estis & filij diei.* Et quemadmodum illic in via erroris, Vetus homo perfectum hominem exuit, ita vt ferat indumentum regni tenebrarum, indumentum blasphemiæ, infidelitatis, audaciæ, vanæ gloriæ, arrogantiæ, auaritiæ, concupiscentiæ, & reliqua eiusmodi regni tenebrarum pannosa ornamenta, impura & polluta: ita vicissim hic quicumque exuerunt veterem atque terrenum hominem, quosque IESVS exuerit vestimentis regni Tenebrarum, induerunt illi nouum & cœlestem hominem IESVM CHRISTVM: & hoc rursum simili modo, vt oculi acce-

E [Col. 3. b.] [Prou. 1. b.] [Psal. 57. a.] F G [Psal. 54. a.] [Ioan. 1. d.] H [*Spiritus sanctus corpori & Animæ quietem ingenerat.*] [1. Thess. 5. a.] [*Pannosa ornamenta regni Tenebrarum.*]

A

dant oculis, aures auribus, capiti caput, vt totus purus sit & gestans imaginem cœlestem. Proinde induit eos Dominus, indumentis regni lucis arcanæ, indumentis fidei, spei, dilectionis, gaudij, pacis, bonitatis, benignitatis, & reliquis consimilibus indumentis lucis & vitæ, diuinis & viuis, plenis quiete ineffabili; vt quemadmodum Deus dilectio est, gaudium, pax clementia & bonitas, talis & nouus homo fiat per gratiam. Et quemadmodum regnum tenebrarum siue peccatum absconditum est in anima vsque ad diem resurrectionis, quando & ipsum corpus peccatorum reuelabitur vnà cum tenebris in anima modo latentibus: sic & Regnum lucis, ac cœlestis imago IESVS CHRISTVS, mysticè quidem nunc animam illuminat & regnat in anima sanctorum, absconditus ab oculis hominum. Et solis oculis animæ Christus verè videtur, vsque in diem resurrectionis, quo corpus ipsum reuelabitur & glorificabitur lumine Domini, quod nunc latet in anima hominis, vt & ipsum corpus vnà regnet cum anima quæ

B

iam nunc adepta est regnum CHRISTI, quiescens & illustrata lumine æterno. Gloria sit misericordiæ & commiserationi ipsius, quia miseretur seruorum suorum, & illuminat & liberat eos è Regno tenebrarum, & elargitur illis lumen & regnum suum: Cui gloria & imperium in secula, Amen.

DE QVIETA FRATRVM inter se conuersatione, & prœlio interiori.

HOMILIA III.

C

FRATRES in charitate summa debent inter se conuersari, siue precibus dent operam, siue legant Scripturas, seu quippiam operis peragant: vt mutuæ dilectionis fundamentum habeant, & ita grata possint esse illa studia: & qui Deo supplicant, & qui incumbunt lectioni, qui etiam operantur, omnes possint, in synceritate & simplicitate agentes, ab inuicem adiuuari. Ad quid enim scriptum est, *Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra?* Nempe vt quemadmodum in cœlis, Angeli conueniunt inter se in concordia multa, in pace & dilectione, neque ibi regnat aliqua superbia aut inuidia, sed in charitate & synceritate sunt inter se: sic & Fratres mutuò conuersentur. Si contingat triginta in vnum conuenire, fieri non potest, vt integrum diem atque noctem vnà perseuererit: sed quidam illorum precibus dant operam sex horas, posteà legere volunt, alij propensè ministrant, alij nauant operis quippiam. Debent ergo Fratres, si quid agunt, in dilectione & gaudio simul conuersari: & qui operatur, de eo qui preces fundit ita dicere debet, nempe sum particeps thesauri quem comparat frater meus, quia communis est. Qui verò supplicat, de legente ita secum reputet: fructus quem ille capit ex lectione, meo lucro cedit: qui autem ministrat, mox ita cogitet, nempe ministerium quod exhibeo, cedit in communem vtilitatem. Quemadmodum enim corporis membra cùm multa sint, vnum sunt corpus & se mutuò iuuant, ac vnumquodque proprio fungitur officio: verbi gratia, oculus pro vniuerso corpore videt, manus pro omnibus membris operatur, pes quocumque pergens ambulat circumferens vniuersa membra, & nihilominus aliud membrum compatitur: sic & Fratres sibi inuicem cedant, neque is qui precatur, operantem damnet quòd non precetur, neque qui operatur, orantem condemnet, inquiens: Ille quiescit, & ego operor. Neque qui ministrat, alterum iudicet, sed quisque cùm agit quippiam, ad gloriam Dei faciat. Qui legit, orantem amore & gaudio complecti debet secum hoc reputans, quia pro me precatur. Et qui orat, ita de operante cogitet,

Matt. 6. b.

Fratres, quid de mutuis studiis debeant cogitare.

D

Rom. 12. b. & 1. Cor. 12. c.

Ne fratrem iudicemus. *Rom. 14. a. b.*

Monasticorum studiorũ præcipuũ, Oratio.

E

nempe quod facit ille, in communem vtilitatem peragit. Hocque modo ingens ille consensus & pax atque cōcordia continebit illos inter se in vinculo pacis, conuersabunturque mutuò in synceritate & simplicitate, Deo pergrati. Præcipuum autem est omnium continuatio Precum opportuna. Veruntamen vnum est necessarium, videlicet, vt habeat quis thesaurum in anima, & vitam, qui est Dominus in animo, siue quippiam operetur, siue preces emittat, siue det operam lectioni: vt habeat possessionem illam minimè labilem, quæ est Spiritus sanctus. Sunt verò nonnulli qui aiunt, Dominum exteriores & manifestos solùm fructus ab hominibus exigere, Deum autem emendare interiora. Atqui non ita se res habet: sed quemadmodum homo ab exterioribus sibi cauet, ita debet & aduersus cogitationes inire prælium & dimicare. Petit enim à te Dominus, vt tibi ipse succenseas & bellum geras cum mente tua, neque consentias, neve componas cum cogitationibus prauis. Quod verò superest, extirpare videlicet peccatum & adhærens nobis vitium, hoc ad solam diuinam potentiam pertinet: non enim potest homo facultate propria peccatum radicitùs euellere. Siquidem certare, resistere, vulnerare, cædere, in tua situm est potestate: extirpare verò, soli Deo conuenit. Nam si hoc posses efficere, quid conferret aduentus Domini? Sicut enim non potest oculus sine lumine videre, nemoque potest loqui sine lingua, aut absque auribus audire, aut ambulare carens pedibus, aut sine manibus operari, sic non potes sine IESV saluari, aut regnum cœlorum ingredi. Quod si dixeris, stuprum aut adulterium manifestum non commisi, nec sum auarus, quòd ad cætera, iustus sum: falleris in eo, existimans te omnia implesse. Non enim tantum tres sunt peccati species, à quibus cauere quis debet, sed infinitæ. Nam superbia, temeritas, perfidia, odium, inuidia, deceptio, hypocrisis, vnde sunt? An non tibi certandum est aduersum hæc vitia, in tuis secretis cogitationibus? Quemadmodum si domum tuam latro accesserit, tibi molestus esse non desinet, nec sinet te securè agere, tu verò illi resistere incipies, & cædes atque cæderis: ita debet anima resistere, repugnare, atque occurrere: quod superest, voluntas illa repugnans, & labore gemens & molestia, superior euadere incipit, cadit & resurgit. Denuo peccatum, decem aut viginti conflictibus deiicit animam, superat ac prosternit, anima verò successu temporis, eò semel peruenit vt vincat peccatum: iterum illa si sustinuerit nec se remiserit, paulatim superior esse incipit & discernere, palmam denique reportare contra peccatum. Sed in iis, si rectè aduertatur, tamdiu peccatum euertit hominem donec euaserit *in virum perfectum, in mensuram ætatis*, & tum perfectè vincet mortem. Scriptum est enim, *nouissimè autem inimica destruetur mors*: & ita homines superiores euadent & victores diaboli. Quòd si quis (vt prædiximus) pertinaciùs dicat, nullo stupro aut adulterio vel auaritia notatus sum, sufficit mihi: ita certè, contra tres peccati species certauit, sed contra viginti alias species quas habet peccatum aduersus animam, non dimicauit, imò victus est: debet ergo contra omnia peccati genera certare & contendere. Mens enim, vt sæpenumero diximus, aduersaria est, paremque habet potentiam aduersus peccatum; qua contradicere possit & resistere cogitationibus. Quòd si dicas, fortiorem esse potentiam aduersariam, & vitium homini planè dominari: Deum constituis iniustum, qui condemnauerit humanam naturam quæ obedierit Satanæ, qui quidem superior est, & necessaria quadam potestate hominem subiicit. Superiorem profectò illum & potentiorem anima fecisti, sed tandem mihi obtemperabis. Quemadmodum si iuuenis prælium ineat aduersus puellum, qui victus condemnetur eò quòd superari se passus sit, hoc non caret iniquo iudicio. Proinde nos asserimus, mentem, aduersarium esse facultate parem. Itaque anima eiusmodi quæ summo studio implorauerit auxilium diuinum, consequetur illud non sine remuneratione, dignaque habebitur, quæ liberationem mereatur:

Pugnandum est contra cogitationes.

Dei est, radicitus euellere peccatũ.

F

Peccatorum species sunt infinitæ.

G

Peccati & Animæ conflictus.

Ephes. 4. c.

1 Cor. 15 d.

H

Dæmon, potestate nõ necessaria subiicit hominẽ.

Anima quæ diuinum auxilium studiosè implorauerit, illud consequẽtur.

Certamen

A Certamen enim & lucta inter æquales consistit. Glorificemus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, in sæcula, Amen.

QVA RATIONE PROmouendum in vita Christiana.

HOMILIA IV.

QVI vitam Christianam exactissimè dirigere desiderant, in primis curare debent illam partem animæ quæ facultatem intelligendi discernendique continet: vt cùm vim ad amussim iudicandi quid bonum quidve malum sit, adepti fuerimus, potuerimusque planè discernere quæ præter naturam in ipsam puram naturam inuehuntur, rectè & indeflexè conuersemur: atque illa discretionis facultate tanquam oculo B vtentes, nullum consensum, nullum denique fœdus cum prauis suggestionibus ineamus, & ita diuino munere honorati, digni Domino euadamus. Cæterùm ab iis quæ subiecta sunt oculis, sumamus exemplum. Similitudinem enim quandam habet corpus cum anima, & quæ corporis sunt cum his spectant ad animam, quæve cernuntur, cum iis quæ latent. Quemadmodum enim corpus, oculum habet pro duce, & oculus ipse, visu suo totum corpus in rectam viam dirigit. Veluti si mihi statuas quendam, per loca nemorosa, spinis & luto plena transeuntem, vbi reuerberei ignis, gladijque sint affixi, præcipitia, & aquæ non paucæ: nihilominus acris ille & diligens atque imperterritus, habens oculum pro duce, attentè planè transgredietur illa loca difficilia, ex omni parte continens vestem suam manibus pedibusque, ne inter nemora illa & spinas discerpatur, aut luto maculetur, aut discindatur à gladiis: & oculus vniuersum corpus ducit, cum sit lumen ipsius, C ne per præcipitia dilabatur, aut demergatur aquis, aliquave alia iniuria afficiatur: alacris ille sibi diligenter attendens, & cum summa sobrietate transiens constricta veste sua, ab oculo rectà directus, seipsum etiam conseruat illæsum, similiter & vestimentum suum, non vstum neque fractum. Si verò quispiam piget, remissus, socors, tardus & ignauus per talia loca gradiatur, vestis eius hinc & inde defluens, in nemora & spinas dilapsa dissipatur, aut ab igne exuritur, quia non vndique viriliter illam tenet, aut ab affixis ensibus scinditur, vel polluitur luto, &, vt semel dicam, citissimè perdit præclarum illud & nouum vestimentum, propter negligentiam, ignauiam & incuriam suam. Imò etiam, nisi rectè atque diligenter oculum adhibeat, etiam ipse in vallem præcipitabitur, aut aquis submergetur. Ad eundem ferè modum anima quæ corpus gestat veluti quoddam præclarum vestimentum, prædita facultate discernendi dirigente totam animam cum corD pore transeuntem per nemora & spinas vitæ, per lutum, ignem & præcipitia, hoc est desideria, & voluptates, & reliqua sæculi huius absurda, ex omni parte debet cum sobrietate, robore, studio & diligentia coërcere & conseruare seipsam corporeumque indumentum, necubi dissipetur ab huius Mundi nemorib. & spinis sollicitudinum, negligentiarum, & distractionum terrenarum, aut ab igne concupiscentiæ exuratur: ea inquam velut industria oculum auertit ne praua videat, similiter & aurem subducit, ne detractiones audiat, & linguam, ne vana loquatur, manus & pedes, ab omnibus malis operationibus. Habet enim anima voluntatem auocandi & cohibendi membra corporis à pessimis aspectibus, & à praua turpique auscultatione, à sermonibus parum decentibus, ab operibus secularibus & peruersis. Auertit quoque seipsam anima ab occupationibus malis, conseruans cor, ne cogitationes per Mundum voluantur: hocque modo summo cum labore atque studio cohibens vndique diligenter membra corporis, à vitiis minimè dissipatum, non adustum, neque luto maculatum conseruat præclarum corporeum indumentum. Ipsa denique per voluntatem illam cognoscendi, intelligendi, & discernendi peritam, &, vt plenè dicam, per virtutem Domini conseruabitur, quæ seipsam pro viribus coërcet, & ab omni desiderio mundano reuocat, & sic à Domino capit auxilium vt verè custodiatur à prædictis malis. Vbi enim Dominus conspexerit quendam strenuè declinantem voluptates vitæ atque distractiones, sollicitudines crassas laqueosque terrenos, & occupationes cogitationum vanarum, præbet illi auxilium peculiare gratiæ; animamque illam quæ præsens seculum nequam viriliter transmeat, conseruat illæsam, tum illa cœlestes laudes consequetur à Deo & Angelis, eò quòd suum corporeum vestimentum diligenter custodierit, & seipsam pro viribus, & vniuersam Mundi concupiscentiam auersata; & à Domino adiuta, cursum stadij huius Mundi viriliter transierit. Si quis autem in socordia & pigritia, sine vlla attentione conuersetur in hac vita, minimè declinans sponte sua vniuersa Mundi desideria, solum Dominum toto corde requirens, in spinas & nemora huius Mundi ruit, & ab igne concupiscentiæ corporea vestis exuritur, & à luto voluptatum polluitur, & tandem anima trepida in die iudicij inuenitur eò quòd vestimentum suum custodire non potuerit, sed corruperit illud deceptionibus huius seculi, & ob id à regno expellitur. Quid enim facturus sit Deus illi qui seipsum sua sponte Mundo tradiderit, & voluptatibus eius decipitur, ac per occupationes crassas oberrat? Nam illi præbet vtique auxilium qui crassas huiusmodi delicias exhortescit ac pristinam consuetudinem, & vi trahit iugiter animum ad Dominum, quique seipsum abnegat, & solum Dominum quærit: hunc conseruat, nempe qui se custodierit vndique à laqueis & retibus sylnæ huius Mundi, qui etiam cum timore & tremore salutem suam operatur, & cum summa animaduersione per laqueos & technas concupiscentiarum huius Mundi transmeat, atque imploratoDomini auxilio, per misericordiam ipsius & gratiam saluari sperat. Nam ecce quinque Virginibus prudentibus & sobriis, summa cum alacritate accersentibus hospitem naturæ suæ, accipientibusque oleum in vasis cordis sui, nempe supernam sancti Spiritus gratiam, licuit vnà cum Sponso ingredi thalamum cœlestem. Aliæ verò fatuæ, quæ in propria natura permanserunt, nec (seruata sobrietate) dederunt operam vt acciperent oleum exultationis in vasis suis, sed tanquam adhuc in carne viuentes, per negligentiam, socordiam, desidiam atque ignorationem, aut etiam opinionem quandam iustitiæ; velut somno demersæ fuerunt: propter quod à thalamo Regni exclusæ sunt, vtpote quæ cœlesti Sponso minimè placere potuerunt, quia vinculis huius Mundi & terreno quodam amore deuinctæ, totam suam dilectionem atque amorem in Sponsum cœlestem non contulerunt, neque sumpserunt oleum. Etenim animæ illæ quæ suæ naturæ quærunt hospitem sanctificationem Spiritus, totæ per dilectionem Domino adhærent, ibi deambulant, ibi precantur, in eo cogitationes suas collocant, reliqua omnia declinantes: vnde fit, vt dignæ habeantur, quæ oleum gratiæ cœlestis accipiant, & ita sine offensione viuere queant, spiritali Sponso gratissimæ. Animæ siquidem illæ quæ in sua simplici natura remanent cogitationibus, humi repunt, quæ terrena sunt meditantur, humi versatur mens illarum & habitat, licet opinione sua ad Sponsum se pertinere putent, & iustificationibus carnis splendere: cæterùm cùm non acceperint oleum lætitiæ, minimè desuper è Spiritu sancto renatæ sunt. Nam quinque sensus animæ rationales, vbi supernam gratiam & sanctificationem Spiritus acceperint, verè sunt prudentes virgines, quæ sapientiam gratiæ desuper adeptæ sunt. Quòd si in sua ipsarum natura nuda constiterint, fatuæ reperiuntur, & filiæ huius Mundi esse demonstrantur, eò quod non exuerint spiritum huius Mundi, quamuis exteriore sermone atque figura, Sponsi ipsius videantur esse Sponsæ. Quemadmodum enim animæ quæ Domino totæ penitus adhærent, ibi versantur

Videtur hic desiderari altera pars similitudinis, vel potius suspendi adhuc declarationis gratia.

E Deus adest quam deest strenuè pugnantibus.

F Qui non attentè viuit, Deum offendit in multis.

Matth. 25.a.

G

H

Qui diligunt Mundum, non possunt assequi prudentiam sancti Spiritus.

A versantur per cogitationem, illico rationes suas effunduntur, ibi inambulant, & i   desideria sua collocant in dilectionem Domini: ita   n animæ quæ se dilectioni huius Mundi tradiderun   in terra commorati desiderant, illic expatiantur, quæ illic sunt, cogitant, illic eorum animus immoratur: & ob id etiam, ad prudentiam bonam sancti Spiritus consequendam conuerti nequeunt, quæ est hospes naturæ nostræ: dico autem gratiam cœlestem, quam oportet simul esse & agglutinati naturæ nostræ, vt possimus vnà cum Domino ingredi cœlestem regni thalamum, & salutem æternam consequi. Nam pro hospite naturæ nostræ, per inobedientiam primi Hominis, nequitiam affectionum in nobis ipsis suscepimus: quam alluetudine & vsu multo versam in nostram naturam, per verum hospitem naturæ nostræ (quod est donum cœleste sancti Spiritus) denuò expelli conuenit, & in pristinam puritatem restitui. Etenim nisi frequenti petitione, postulatione, fide, atque

Nequitia multo vsu vertitur in naturā.

B deprecatione deflectentes ab hoc Mundo, charitatem illam sancti Spiritus de cœlo nunc consecuti fuerimus naturaque nostra adhæserit charitati, quæ Dominus est, & per charitatem illam Spiritus sanctificata fuerit à nequitia qua polluta est, nosque vsque ad finem innoxij perseuerauerimus, in omnibus præceptis eius studiosè conuersati, regnum cœleste consequi non poterimus. Atqui subtiliorem quendam sermonem atque profundiorem, secundùm facultatem mihi concessam, depromere libet: quapropter attentè audite.

† Hæc sequentia cautè lege, nam Auctor perspicuè nimis docere videtur Angelos esse corporeos, & animas humanas esse corporeas. Primum etsi quidam veterum Patrum docuisse reperiantur, at iam hoc tempore sine temeritate adstrui nequit, *Vide S.Thomam eiusque interpretes.* 1. *p. q.*50. *art.*1. *& quæst.* 51. *art.* 1. *& Ascanium Martinengum in glossa magna Genes. pag.*201. *& seq.* Animas vero esse corporeas fuit hæresis Montani, quem sequutus est Tertullianus lib. de Anima cap.9. & Faustus Rhegiensis, lib. de creaturis, qui habetur infrà sæculo quinto *Vide quæ ibi notamus, & quæ S. Thomas docet,* 1.*p.q.*75.*art.*1 *&* 5. *& Pamelium in Paradoxis Tertulliani.*

C Deus, cùm sit infinitus, inaccessus, & increatus, per infinitam & incomprehensam bonitatem suam corpus assumpsit, atque (vt ita dicam) imminuit se ab inaccessa gloria, vt vniri posset † Creaturis suis visibilibus, nempe animis Sanctorum atque Angelorum, vt ita participes esse possent vitæ diuinæ. Vnumquodque enim horum, pro natura sua corpus est, siue sit Angelus, aut anima, seu dæmon. Licet enim hæc corpora tenuia sint, nihilominus in substantia, charactere & repræsentatione, pro subtilitate naturæ suæ, corpora sunt subtilia: quemadmodum & corpus istud secundum substantiam crassum est. Sic itaque anima, cùm sit tenuis, complectitur in se oculum, per quem videt, aurem per quam audit, similiter & linguam, per quam loquitur, itidem & manum, & planè vniuersum corpus. Et cùm anima, hæc membra corporis contineat, simul contemperata est cum eo, per quod exercet omnia vitæ huius opera.

D Ad eundem quoque modum, Deus qui infinitus est, & intellectu comprehendi non potest, per bonitatem suam seipsum demisit, induitque membra corporis huius, & cohibuit seipsum ab inaccessa illa gloria, ac per clementiam & humanitatem mutata figura seipsum corporeum reddit, permiscetur, & apprehendit sanctas animas sibi pergratas atque fideles, fitque spiritus vnus cum illis, vt

1.Cor.6. Paulus eloquitur: atque (vt ita dicam) anima euadit in animam, & substantia in substantiam, quò possit anima in nouitate viuere, vitamque immortalem sentire, & particeps fieri æternæ gloriæ, illa nempe anima quæ Deo digna est, & illi perplacet. Nam si Deus, ex iis quæ non erant condidit creaturam hanc visibilem, fecitque vt esset multiplex & varia quæ priusquam fieret non erat, voluit etiam & perfacilè creauit ex his quæ non erant, substantias crassas atque duras, veluti terram, montes, arbores (vides quænam sit durities naturæ) & rursum medias aquas, & ex illis volatilia produci mandauit: & denuò subtiliora, velut ignem & ven-

E tos, & reliqua quæ propter sui tenuitatem oculo corporeo videri non possunt. Quo pacto ars infinita & inenarrabilis multiformis sapientiæ Dei creauit ex iis quæ non erant, tam illa quæ crassiora sunt quàm subtiliora, & simpliciora corpora subsistere fecit voluntate sua, quantò magis ipse qui est vt libet, benignitate indicibili & bonitate incomprehensa ductus, se transmutat & demittit, atque similem Animarum Sanctarum & fidelium seipsum reddit, assumpto (quoad fieri potest) corpore, vt perspiciatur ab illis, qui alioqui inuisibilis est, & palpetur, qui secundùm naturam subtilitatis suæ palpari non potest, & ita gustent suauitatem ipsius, & dulcedine lucis arcanæ oblectationis experientia ipsa fruantur, cùm libuerit, Deus ipse fit ignis exurens omnem improbam affectionem animæ extrinsecus illatam. Etenim *Deus noster ignis*, inquit, *consumens est*: quando vult, fit arcana & inenarrabilis requies, vt anima diui-

F na requiete quiescat: vbi libet, fit gaudium & pax fruens & exornans animam. Quòd si Deus dignatur assimilare se vni ex creaturis, ad exultationem & lætitiam intelligibilium creaturarum veluti ciuitas lucis Ierusalem, aut mons Sion cœlestis: potest pro arbitrio omnia, quemadmodum dictum est, *vos autem accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cœlestem*; perfacilia sunt ei omnia, qui se in qualibet transmutat, in gratiam Fidelium & eo dignatum animarum, modò quis det operam vt amicus & pergratus illi fiat: qui quidem experientia ipsa & sensu perspiciet cœlestia bona & delicias inenarrabiles diuitiasque diuinitatis verè immensas: *quæ* quidem omnia, *oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt.* Fitque Spiritus Domini, in requietem, exultationem, delicias, & vitam æternam animarum dignarum. Seipsum enim format Dominus in escam, sicut scriptum est in Euangelio, *qui manducat hunc panem viuet in æternum*, vt inenarrabili modo tranquillet & impleat animam lætitia spiritali: ait enim, *Ego sum panis viuus.*

Deut. 4. d.
Heb. 12. g.
Hebr.12. f.
1. Cor 2. c.
Ioan.6.f.

G Itidem transformat se, in potum cœlestis potionis, sicut dixit, *qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et, *Omnes* (ait) *eundem potum spiritalem biberunt.* Sic & vnicuique Sanctorum Patrum apparuit, prout ei libuit & expediebat: aliter Abrahæ, aliter ipsi Isaac, aliter Iacob, alio modo Noë, Danieli, Dauidi, Salomoni, Esaiæ, & aliter Mosi. Ego verò existimo, Mosem, dum esset in monte, in ieiunio illo quadraginta dierum, spiritali illi mensæ continenter accubuisse, multis fruentem deliciis. Igitur vnicuique Sanctorum visus est Deus quemadmodum ei libuit, nempe ad salutem & requietem, & vt illos ad cognitionem Dei perduceret. Nam omnia quæ vult, sunt ei perfacilia, & quando illi videtur, seipsum demittendo incorporat & transformat, conspicuum se exhibens diligentibus illum, in gloria luminis inaccessa: præ multa & inenarrabili dilectione, apparens iis qui digni sunt, secundum ipsius virtutem. Anima enim quæ ob summum desiderium, & expectationem, fidem, atque dilectio-

Ioan.4.b.
1 Cor. 10.2.
Deus non vno modo Patribus visus.

H nem, digna fuerit habita quæ recipiat illam supernam virtutem (nempe cœlestem Spiritus dilectionem) & quæ cœlestem ignem immortalis vitæ fuerit adepta, ab omni dilectione huius Mundi reuera soluitur, & ab omni laqueo nequitiæ liberatur. Quemadmodum enim ferro, plumbo, auro, vel argento in ignem coniectis, resoluitur eorum dura natura, & in molliorem mutatur, quantoque diutiùs in igne permanserint, tantò magis soluuntur & mutantur à sua naturali duritie, per virtutem ignis calidam: sic & anima quæ Mundo abrenuntiauerit, solum Dominum desiderans omni animi peruestigatione, studio atque contentione, & ex fide ac spe sua, expectationem indeficientem in illum contulerit, illum ignem cœlestem diuini atque spiritalis amoris consecuta, tum verè à Mundo exoluitur, & ab omni vitio affectionum liberatur, & cuncta procul à se repellit, mutato naturali ipsius habitu atque peccati duritie, reliqua omnia pro superfluis habens, in solo Sponso cœlesti quem recepit, quiescens per ardentem & inenarrabilem ipsius

dilectionem.

A dilectionem. Dico autem tibi, quòd si fratres illi Dei amantes, quósque Deus ante oculos habet, per impedimenta se subtraxerint ab illa dilectione, deficiunt, vt ita dicam. Nam animæ vita & requies, regni cœlestis mystica & arcana participatio est. Si enim carnalis coniugij dilectio separat hominem à patre, matre, & fratribus, ita vt omnia sint animo velut extranea: &, si diligat ea, tanquam extranea diligat, & affectionem tamen omnem in contubernali collocat: *Propter hoc* enim (inquit) *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Si ergo carnis dilectio sic hominem soluit ab omni alio amore, quantò magis soluentur ab omni dilectione mundi, quicumque digni habiti sunt, vt sancti, cœlestis & semper amandi illius Spiritus verè participes fierent? Et cuncta videbuntur eis inutilia, propterea quòd victi sunt à desiderio cœlesti, & in ipso casu, Spiritui illi vniti. Nam quæ illic sunt, desiderant & cogitant, illic viuunt, illic cogitationes inambulant, ibi mens assiduè versatur diuino & cœlesti amore atque desiderio spiritali superata. Quod superest (fratres dilecti) cùm tanta bona proposita sint & tantæ promissiones à Domino nobis factæ, impedimenta omnia à nobis ipsi repellamus, & omnem dilectionem mundi vitemus, & huic solo bono, omni voto atque desiderio nosipsos tradamus, vt consequi possimus arcanam illam dilectionem Spiritus ad quam nos Beatus Paulus festinare suasit, dicens, *sectamini charitatem*; vtque digni habeamur mutatione per dextram Altissimi à duritie nostra, & diuino Spiritus amore vulnerati peruenire possimus ad suauitatem & requiem spiritalem. Dominus enim misericordia motus humaniter expectat quando conuertamur penitus ad illum, ab omnibus contrariis nosipsos eximentes. Etsi enim nos, præ multa ignorantia & stoliditate ac nequitiæ præoccupatione, à vera vita deflectimus, atque ipsi nobis impedimenta multa accersimus, pœnitentiam veram renuentes, nihilominus ipse summa erga nos misericordia ductus, longanimiter expectat quando conuersi accedamus ad ipsum & in interiori homine illuminemur, ne confundantur facies nostræ in die Iudicij. Quòd si durum nobis videtur, propter asperam virtutis exercitationem, vel potius propter suggestionem & consilium aduersarij, nihilominus ipse misericorditer agit & longanimiter expectat conuersionem nostram, peccantesque nos sustinet, præstolans pœnitentiam nostram: nec pudet eum, nos cadentes denuò excipere, quemadmodum inquit Propheta, *Nunquid qui cadit, non resurget? aut qui auersus est, non reuertetur?* Modò nos resipiscamus, bono corde præditi, & conuertamur, confestim & rectè auxilium ab ipso implorantes, paratissimus est ipse ad saluandum nos. Nam perlibenter excipit feruentem in illum voluntatis nostræ promptitudinem, & pro virili nostra, bonam fidem atque propensionem à voluntate manantem: ipse verò directionem omnem in nobis operatur. Demus igitur (dilectissimi) operam tanquam Filij Dei, vt omni præoccupatione, negligentia, atque socordia exuti, fortes & parati simus illum sequi, non procrastinātes de die in diem, à malitia furtim substracti: Ignoramus enim quando nobis à carne sit eundum. Neque modicæ sunt, sed inenarrabiles Christianis factæ promissiones, ita vt omnis gloria & decor cœli & terræ, & reliquum ornamentum atque varietas, diuitiæ quoque & pulchritudo atque deliciæ eorum quæ videntur, nulla proportione pertingant ad fidem atque diuitias vnius animæ. Qui fit ergo, vt tantis adhortationibus & promissionibus Domini, ad eum plenè accedere nolimus nósque illi deuouere, abrenuntiantes (iuxta præceptum Euangelij) rebus omnibus, atque etiam animæ nostræ, & eum solum diligere velimus, & cum eo nihil aliud? Iam vero non solùm hæc ipsa, sed quanta gloria data est? Quot dispensationes Domini, à temporibus patrum atque prophetarum extiterunt? Quot promissiones factæ sunt? quot etiam admonitiones? Quanta misericordia Domini, ab initio ad nos peruenit? Postremis quoque temporibus, per aduentum proprium, inenarrabilem benignitatem

Mar. 19.
Ephes. 9
B
Cor. .a.
C
. 8. b.
D

E in nós, & per crucis passionem demonstrauit, vt nos conuersos transferret ad vitam: nihilominus tamen à propria voluntate ac Mundi dilectione; occupationibus mentis & inueteratis moribus ac vitiis non recedimus, vnde modicæ aut nullius fidei nos esse constat. Et in his tamen omnibus benignè nobiscum agens Deus, inuisibili modo nos protegit & fouet, nec pro merito peccatorum perpetuæ nequitiæ nos tradit, aut insidiis huius Mundi: nec sinit nos perire, per immensam clementiam & longanimitatem suam, perpendens quando ad ipsum cōuertamur. Atqui vereor ne impleatur in nobis qui animo omnia contēnente viuimus & occupationibus abducimur, illud dictū Apostoli, quo ait, *An diuitias bonitatis eius & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Quòd si longanimitate, benignitate, atque patientia ipsius abutentes, plura adiecerimus peccata, grauioremque condemnationem per negligentiam & contemptum nostrum ipsi nobis parauerimus, implebitur illud quod dictum est: *secundum duritiam autem tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iudicij Dei.* Permulta enim bonitate atque inexplicabili, ac longanimitate ineffabili Deus vtitur erga genus humanum, modò nos resipiscere velimus, & penitus ad eum conuerti studeamus, vt salutem consequi possimus. Quòd si placeat dignoscere Dei longanimitatem atque immensam benignitatem, è Scripturis diuinitus afflatis discamus. Intuere Israëlitas, ex quibus Patres quibus promissiones creditæ sunt, *ex quibus Christus secundum carnem*, apud quos religionis cultus atque testamentum; quanta peccauerunt quotiesve auersi sunt! nec tamen Deus eos deseruit in finem, sed opportunè, quantum illis expediebat, castigauit duritiam cordis ipsorum afflictione volens emollire: conuertebat, adhortabatur, mittebat Prophetas. Porrò quàm diuturna lōganimitate vtebatur erga illos delinquentes & offendentes, & conuersos libenter excipiebat: itidem rursum auersos illos non deserebat, sed per Prophetas, vt conuerterentur, eos admonebat? Sæpenumerò cum desciuissent, posteaquam conuersi sunt, benignè atque humaniter eos suscepit, donec postremò in offendiculum ingens prolapsi sunt: nempe manus iniicientes in proprium Dominum, quem ex scripturis Patrum & sanctorum Prophetarum expectabant Redemptorem, Saluatorem, Regem, atque Prophetam. Venientem enim illum non receperunt, sed contrà, cùm illum multùm ignominiosè tractauissent, tandem extremo supplicio crucis affecerunt. Et in hac tam graui offensione & ingenti scelere, iniquitates ipsorum quæ ad summum excreuerant, completæ sunt: & ita in posterum perpetuò deserti fuerunt, Spiritu sancto ab eis recedente: quando videlicet *velum Templi scissum est*, & postmodum ipsorum Templum traditum Gentibus, dirutum est atque in solitudinem redactum, iuxta sententiam Domini dicentis, *Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur.* Perpetuò ergo traditi sunt in manus Gentium, & dispersi per vniuersam terram ab iis regibus qui tunc temporis illos captiuos duxerant, nec ad hoc vsque tempus, datum est illis ad propria loca reuerti. Ad eundem igitur modum nunc Deus erga vnumquemque nostrûm bonus ac benignus, longaniminiter agit, perpendens quantum quisque offendat, silensque expectans quando resipiscat & conuertatur ne quid vltra delinquat, summo cum gaudio atque dilectione suscipiens eum qui se conuertit à peccato. *Sic* enim (ait) *gaudiū est super vno peccatore pœnitentiam agente.* Et iterum, *non est voluntas Patris mei, vt pereat vnus ex pusillis istis minimis.* Si verò quis eorum quibuscum Deus benignè & longanimiter agit, nec re ipsa vindictam sumit de singulis delictis tam occultis quàm manifestis, perpendens in silentio & velut expectans illum ad pœnitentiam: si quis (inquam) eò contumaciæ veniens peccātis accumulet peccata, & socordiam addat socordiæ, & delictum delicto superædificet, implet ille terminos iniquitatum: & tandē in tantum scelus prolabitur, vnde non possit vltrà emergere, sed atteritur, & Principi nequitiæ

Rom. 2. a.
F
Longanimitatis Dei exempla.
Rom. 1. a.
G
Mat. 27. f.
Mat. 24. a.
H
Luc. 15. b.
Mat. 18 b.

A

Peccata peccatis si quis addat, eidem Dæmoni traditur. Gen. 19.

perpetuo traditus perit. Ita temporibus Sodomorum accidit. Nam cùm multá deliquissent, nec se conuerterent, postremò in tam graue peccatum ceciderunt, ob pessimum in Angelos initum consilium quo statuerant cum illis masculeum concubitum exercere, vt nullam postea pœnitendi facultatem habuerint, sed perpetuò reprobati sint. Impleuerant enim terminum scelerum, imò etiam excesserant: quapropter diuino iudicio, incendio traditi sunt. Idem quoque temporibus Noë contigit: cùm multa crimina commisissent, nec pœnitentiam agerent, in tanta scelera prolapsi sunt, vt inde tota penitus terra corrupta sit. Non aliter apud Ægyptios, qui cùm multis criminibus tenerentur & grauiter in populum Dei deliquissent, clementer cum illis Deus agebat non tantas eis plagas infligens quibus planè delerentur: sed castigationis, conuersionis, & pœnitentiæ gratia longanimiter ferens, & eos ad pœnitentiam expectans, exiguis vulneribus illos percussit. Verùm hi cum plura perpetrassent in populum Dei, qui modò conuersi erant, iterum suæ conuersionis pœnitentes, atque in inueterata voluntatis improbæ perfidia persistentes, cum multis laboribus populum Dei grauassent, postremò quando per multa prodigia Deus populum suum ex Ægypto per Mosem eduxit, grauiter deliquerunt, persequentes à tergo populum Dei: quocirca iudicium diuinum penitùs illos perdidit atque deleuit aquis submersos, nec dignos hac vita censuit. Eodem modo populus Israëliticus cùm sæpiùs (vt prædictum est) offendisset atque deliquisset, prophetas Dei interficiendo, & alia permulta mala perpetrando, quia Deus tacens multa longanimitate vtebatur, sustinens eos ad pœnitentiam, tandem ita deliquerunt, vt attriti, inde resurgere non potuerint: quippe qui manus iniecerunt in maiestatem Dominicam. Quamobrem perpetuò derelicti, proiecti sunt, ablataque est ab illis prophetia & sacerdotium ac religionis cultus, & data sunt ea gentibus in Deum credentibus, sicut ait Dominus, *Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructus eius.* Hactenus enim sustinuerat eos Deus summa cum patientia, nec desierat eorum misereri: at quoniam impleuerunt terminum iniquitatis, quinimò transgressi, manus intulerunt in maiestatem Domini, à Deo perpetuò derelicti sunt. Cæterùm hæc ipsa (dilecti) pluribus tractamus, ex sententia Scripturarum colligentes, celeriùs nos conuerti debere & ad Dominum festinare, qui benignè expectat, quando ab omni prorsus vitio & mala cogitationum occupatione penitus recedamus, & conuersos, cum ingenti gaudio suscipit, vt non augeatur contumacia nostra de die in diem, & delicta nostra, adiectione multiplicentur incommodo nostro, & ob id, iram diuinam nobis ipsi accersamus. Contendamus igitur, conuersi, ad illum cum vero corde accedere, nihil de salute desperantes, quod proprium est malitiæ atque improbitatis: dum per recordationem iniquitates præueniunt, & hominem ad desperationem pertrahunt & ad socordiam, contemptum atque desidiam, ne conuersus accedat ad Dominum & salutem consequatur, cùm tamen Dominus valde benignus sit erga genus humanum. Quod si difficile nobis videatur, imò etiam impossibile, nos magna peccatorum multitudine præoccupatos conuerti (quod quidem vt prædiximus, argumentum est malitiæ, & salutis nostræ impedimentum) in mentem reuocemus ac perpendamus quonam pacto Dominus, cùm inter homines versaretur, bonitate sua fecit cæcos videre, curauit paralyticos, morbos omnes sanauit, mortuos in corruptionem versos & planè deletos suscitauit, surdos fecit audire, legionem dæmonum ab homine expulit, & eum qui tanta insania laborabat, mentis compotem effecit. Quantò magis igitur animam ad ipsum conuersam, atque ab eo misericordiam implorantem, eiusque indigentem auxilio, diriget, & ad lætam affectionum vacuitatem statumque omnis virtutis & mentis renouationem reducet, sanitate reddita mentisque aspectu ac cogitationum tranquillitate: traducens eam à cæcitate, surditate, ac morte infidelitatis, ignorantiæ atque temeritatis, ad statum virtutis tranquillum, & puritatem cordis? Nam qui corpus creauit; ille ipse condidit animam. Et sicut cùm versaretur in terra, accedentibus ad se, opemque & sanitatem ab eo quærentibus, liberaliter, benignitate sua ductus, largitus est quantum expediebat, tanquam bonus & solus medicus: sic & in rebus spiritalibus. Nam si corporibus quæ dissoluuntur & emoriuntur, tantam exhibuit misericordiam, & vnicuique, quod postulabat, beneuolè & clementer indulsit: quantò magis animæ immortali, indissolubili, atque incorruptibili, laboranti morbo ignorantiæ, vitiorum infidelitatis, temeritatis, & reliquis peccati affectionibus, accedenti ad Dominum & eius auxilium imploranti, quæ misericordiam eius attentè intuetur, & gratiam sancti Spiritus ab eo accipere desiderat in redemptionem & salutem suam, celeriùs & promptius concedet liberationem ab omni vitio vniuersisque affectionibus, velut medicam expurgationem? vt eodem sermone perhibetur: *quantò magis Pater cœlestis faciet vindictam clamantium ad se die ac nocte?* Et subiicit dicens: *Certè dico vobis, citò faciet vindictam illorum.* Et rursum alibi suadet, *petite & dabitur vobis, omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.* Et in discursu subdit, *quantò magis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus se? Amen dico vobis, & si non dabit illi eò quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit ei quantum opus habet.* His igitur omnibus nos admonuit, sine pudore assiduè & importunè ab ipso postulare debere donum sancti Spiritus. Nam propter peccatores venit, vt eos conuerteret ad se, & ei credentes sanaret, modò nos abstineamus pro virili ab omnib. vitiosis impedimentis & ideo prosequamur studia, omnia improba, mundique illecebras, & prauas ac vanas cogitationes vitemus, perpetuoque, quantùm possumus, illi adhæreamus: Ille verò promptum nobis exhibet auxilium. Hac enim de causa misericors est, vitæ restituens & sanans affectiones alioqui incurabiles, redimens eos qui inuocant eum & ad eum conuertuntur, ab omni dilectione sæculi (quantùm in eis est) sponte & libenter abhorrentes: qui quidem mente à rebus terrenis abducta, ab eius imploratione & desiderio dependent. Eiusmodi anima eius auxilio digna censetur, quæ reliqua omnia pro nihilo ducit, & in nulla re huius Mundi requiescit, expectans donec requiescat & lætetur in fruitione benignitatis diuinæ: atque hoc modo beneficio eius fidei donum cœleste consecuta, suum omne desiderium per gratiam in spe indubitata collocat, solicita vt reliquo vitæ tempore congruè & conuenienter Spiritui sancto inseruiat, quotidiè promouens quod bonum est, in via iustitiæ perdurat, ad finem vsque firma permanens, nullo modo propendet in vitia, & nullatenùs gratiam contristans, salutem æternam mereatur cum omnibus sanctis: vtpote quæ veluti illorum iam socia & comes, eorum imitatione conuersatur in Mundo, Amen.

Ægyptij post conuersionem peccantes, Exod. 9. 17. *internecione demum illi deleti.*

B

C

Matt. 21. d.

Malitia proprium est de salute desperare.

D

Qua Christus olim corporibus nunc multò abundantius, Animabus præstat beneficia.

E

F

Luc. 18.

Matth. 7. 6.

Luc. 11 b.

Luc. 11. a.

G

H

QVANTVM DISCREPAT VITA *Christianorum à reliquorum hominum vita.*

HOMILIA V.

Alius est Christianorum Mundus, & eorum conuersatio, mens, sermo, atque opera; alia hominum huius Mundi, vitæ ratio, mens, sermo, atque opera: aliud sunt illi, & aliud isti, atque magnum discrimen est inter hos & illos. Nam terræ habitatores & filij huius sæculi, similes sunt frumento in cribrum huius terræ coniecto, eò quòd concutiuntur volubilibus huius Mundi cogitationibus, & assidua tempestate rerum atque desideriorum terrenorum, & crassarum varij generis cogitationum, videlicet animas perturbante Satana qui

alioqui

A

Satã occupationibus terrenis cribrat animas.

alioqui cribro (hoc est, terrenis occupationibus) cribrat omne genus hominum obnoxiorum peccato ab eo tempore quo cecidit Adam transgressus mandatum, & Principi nequitiæ factus obnoxius. Qui quidem in hominem potestate accepta: postea cogitationibus assiduis erroris & perturbationum, cribrat & collidit cribro terreno vniuersos filios huius sæculi. Quemadmodum enim triticum in cribro eius qui tractat illud, alliditur, & agitatum in ipso assiduè vertitur: ita Princeps nequitiæ, cunctos homines rebus terrenis occupatos tenet, & eiusmodi occupationibus eos agitat, turbat & commouet, efficitque vt vanis cogitationibus allidantur dum obscœnis desideriis & terrenis atque secularibus laqueis vniuersum genus Adæ peccato obnoxium sine intermissione captiuat, agitat atque decipit: sicuti Dominus, Nequam illum prædicebat in Apostolos insurrecturum: *Expetiuit Satanas cribrare vos sicut triticum, sed ego rogaui Patrem meum, ne deficiat fides vestra*, nam verbum illud quod Creator dixit ipsi Cain, & sententia illa manifesta, quæ est hæc: *Et angustia & tremore teneberis, atque agitabere super terram*, typus est & imago latens omnium hominum peccatorum. Si enim genus Adæ, quod in mandatum commisit, & ob id peccato factum obnoxium, imaginem illam intus obtinere cœpit, agitatum assiduis cogitationibus timoris, metus, & omnimodæ perturbationis, dum Princeps huius mundi, desideriis multiplicibus atque voluptatibus variis concutit omnem animam ex Deo minimè renatam, & tanquam triticum in cribro agitatum, assiduè & variis modis hominum mentes perturbat, inescans eas & planè agitans illecebris huius mundi & voluptatibus carnis, timoribus atque perturbationibus. Itaque Dominus ostendens eos qui deceptiones & voluntatem improbi illius sequuntur, eò quòd imaginem nequitiæ Cain gestarent, increpans eos, dicebat: *Vos* (ait) *desideria Patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Vniuersum itaque genus Adæ, peccato obnoxium, intus impressam habet cōdemnationem illam, videlicet, *in angustia & tremore eritis*, atque agitati in cribro terræ, à Satana cribrante. Nam sicut ab vno Adam, omne genus humanum super terram multiplicatum est, ita vitium vnum affectionum, in omnibus hominibus peccato subditis, insedit, illósque omnes, Princeps nequitiæ, continuis, crassis, ac tumultuosis cribrare potest cogitationibus. Qua enim ratione ventus vnus sufficit ad omnes plantas & semina agitanda & concutienda, aut sicut noctis vnius tenebræ, per vniuersam terram extenduntur: ita Princeps nequitiæ, qui quidem se habet ad instar tenebrarum rationalium peccati & mortis, & est velut quidam ventus latens & agrestis, omne genus hominum quod est super terram, perturbat & circumagitat volubilibus cogitationibus: alliciens desideriis huius mundi corda hominum, tenebris ignorantiæ, excæcationis & obliuionis replet omnem animam desursum non renatam, & quæ voluntate & animo ad sæculum aliud non est translata, quemadmodum dictum est, *nostra autem conuersatio in cœlis est*. In eo enim, veri Christiani discrepant ab vniuerso genere hominum. Nec paruum est inter vtrosque discrimen, sicuti prædicebamus: nempe in eo quòd animus atque intellectus Christianorum, cogitationi cœlesti semper sit deditus æternáque bona contempletur propter communicationem Spiritus sancti; quia desursum ex Deo nati sunt, & in veritate & potentia Filij Dei meruerunt euadere, atque ad statum & stabilitatem & requiem imperturbatam, non sine multis laboribus atque sudoribus longa post tempora peruenerunt, nullo subinde cribro agitati neque vanis & instabilibus cogitationibus fluctuantes. In quo melioris sunt conditionis quam mundus, propterea quod mens ipsorum & cogitatio animi sit in pace Christi & dilectione Spiritus sancti, sicuti Dominus eiusmodi viris mentionem faciens, aiebat eos transisse à morte in vitam. Quocirca non in superficie aut formis exterioribus consistit diuersitas Christianorum, vt

Luc.22.c.

B

Gen.4.b. *Cain est imago omnium peccatorum.*

Ioa.8.f

C

D

Philip.3.g.

E

plerique existimarunt qui discrimen ac differentiam in figura & indiciis collocabant, cum tamen qui eiusmodi sunt, animo & cogitatione mundo contentiant: vtpote qui agitationem & cogitationum inconstantiam, & incredulitatem, confusionem, perturbationem, ac metum, non aliter quàm omnes homines, patiantur. Et hi quidem superficie tenùs & opinione, ac externo quodam decoro à mundo discrepant: sed corde atque animo terrenis laqueis sunt irretiti, requiem quæ à Deo procedit, & cœlestem pacem Spiritus in corde non consecuti, quia non poposcerunt à Deo nec iis se dignos putarunt. Nam creatura noua Christianorum differt ab omnibus hominibus huius mundi per mentis renouationem, tranquillitatem cogitationum, dilectionem Domini, & & amorem cœlestem: hac enim de causa venit Dominus, vt hisce bonis spiritalibus dignos, efficerete verè credentes in illum. Siquidem Christianorum gloria & splendor ac diuitiæ cœlestes sunt ineffabiles, & labore atque sudoribus, tentationibus, & certaminibus permultis comparantur, quod quidem totum à gratia diuina proficiscitur. Tenentur enim omnes homines desiderio videndi Regis terreni: & quicumque diuersatur in aliqua ciuitate regia vel solam Regis speciem intueri desiderat, aut purpurei vestimenti cultum ac splendorem, atque variarum gemmarum nitorem, compositum diadema, cum præclaris magistratibus illi assidentibus: exceptis his qui (cùm sint spiritales) nihili faciunt isthæc, quia aliam gloriam, nempe cœlestem & incorpoream sunt experti, & alio indicibili splendore perculsi, aliarumque diuitiarum participes, & velut alio spiritu freti secundum interiorem hominem conuersantur. Siquidem huius Mundi homines, & qui spiritum huius Mundi hauserunt, hoc solùm summoperè cupiunt, vt regem terrenum spectare liceat cum omnibus ornamentis & gloria eius. Quantò enim inter cætera quæ videntur feliciot est apud omnes homines eius conditio, tantò vel sola inspectione præclarior habetur ab omnibus atque optatior, ita vt quisque dicat apud se, vtinam quis mihi gloriam illam, cultum ac splendorem largiatur: prædicans eum beatum, illius alioqui similem, terrenum, ac iisdem affectionibus obnoxium atque mortalem, desideratum tamen propter ornamentum & nitorem momentaneum. Si igitur carnales homines gloriam terreni regis tantoperè desiderant, quantò magis hi quibus illuxit radius ille viuifici ac diuini Spiritus qui eorum cor vulnerauit amore diuino, erga regem cœlestem Christum feruntur in speciem illam & gloriam ineffabilem, & decorem incorruptibilem, incomprehensasque diuitias veri & æterni regis Christi: cuius desiderio & cupiditate captiui tenentur, toti prorsus in illo demersi, bonáque illa inenarrabilia consequi peroptant, quæ per spiritum intuentur: cuius (inquam) gratia, vniuersa quæ super terram sunt præclara, nempe decorem, gloriam, honores, atque diuitias Regum ac Principum pro nihilo ducunt? Pulchritudine enim diuina sauciati sunt, & vita cœlestis immortalitatis in illorum animas instillauit; quocirca dilectionem illam Regis cœlestis ambiunt, & hunc solum ante oculos votis omnibus habentes, per eum ab omni dilectione Mundi se liberant, & vinculis omnibus terrenis eximunt, quò solùm illud desiderium in suis cordibus perpetuò possint obtinere. Iam verò quidnam possidere conueniat, dicit: *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis.* Certandum igitur vnicuique ac laborandum per omnes virtutum species, credendumque, hoc pacto domum illam se consecuturum. Nam si dissoluatur nostra domus huius corporis, non habemus aliam domum ad quam anima nostra soluta confugiat, *Si tamen* (inquit) *vestiti, & non nudi inueniamur*: hoc est, vacui communione & participatione sancti Spiritus, in qua sola requiescere potest fidelis anima. Idcirco enim qui reverà & strenuè Christiani sunt, confidunt & gaudent migrantes è corpore,

Animæ verò Christianæ signa.

F

G

H

2.Cor.5.c.

Verè Christiani gaudent in vita exitu.

A quia domum habent illam non manufactam, quæ quidem domus, est virtus sancti Spiritus in illis habitans. Itaque si fuerit dissoluta domus corporea, non metuunt, quia cœlestem habent domum Spiritus sancti, & gloriam illam incorruptibilem quæ in die resurrectionis reficiet & glorificabit domum corporis, quemadmodum ait Apostolus, Rom. 8. c *qui suscitauit Christum à mortuis viuificabit & mortalia corpora vestra per Spiritum suum habitantem in vobis.* 2.Cor.4. c. Et iterum, *Vt & vita* IESV *manifestetur in carne nostra mortali: Et vt absorbeatur* 2.Cor.5. a. (ait) *quod mortale est à vita.* Contendamus igitur hic per fidem & studiosam vitæ conuersationem, comparare nobis indumentum illud, ne corpore exuti, nudi reperiamur, nec sit quod glorificet in die illa carnem nostram. Nam vniuscuiusque corpus in die illa tantùm glorificabitur, quantum per fidem & studium vitæ meruerit accipere Spiritus sancti: quod enim modo thesaurizauerit intus anima, tum reuelabitur & emerget exteriùs in corpore. B Quemadmodum arbores transacta hyeme, ex vi interiore illas fouente, virtute etiam Solis & ventorum, producunt, & emittunt folia, flores & fructus tanquam indumenta. Similiter & herbarum flores illo tempore è penetralibus & sinu terræ progrediuntur, & ita tegitur & circumornatur terra, & gramen, veluti Matth.6. d. lilia, de quibus Dominus inquit, *quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis.* Omnia enim huiusmodi exempla, sunt typi & imagines Christianorum in resurrectione. Itaque ad eundem ferè modum, omnes Dei amantes animæ (hoc est, veri Christiani habent pro primo mense, ξανθικὸν qui dicitur Aprilis, qui quidem est dies resurrectionis, in quo (per virtutem Solis iustitiæ (emergit gloria Spiritus sancti quæ intus latebat & fouebat corpora Sanctorum: quam quidem gloriam, intus occultam in anima habebant, quoniam illud quod modò habent, tum Exod.12 emerget extra corpus. Ille, inquam, *Mensis primus inter menses anni*, ille gaudium parit vniuersæ creaturæ, ille terram aperiens, nudas arbores circumtegit, ille C omnibus animalibus lætitiæ præbet occasionem ille suauitate cuncta perfundit, ille denique Christianorum est primus mensis dictus Aprilis, Græcè ξανθικὸς, quod tempus est resurrectionis, in quo gloria illustrabuntur corpora illorum, beneficio luminis arcani iam nunc in ipsis latentis, hoc est virtutis Spiritus sancti: qui quidem erit illis tunc pro indumento, cibo, potu, exultatione, lætitia, pace, ornamento & vita æterna. Tunc enim spiritus diuinus quem à tempore huius vitæ accipere meruerunt, fit in illis omnis gloria splendoris & pulchritudinis cœlestis. Quonam igitur pacto quisque nostrûm credere debeat, & omni studiosa conuersatione contendere ac perseuerare in spe & patientia multa, vt modò consequi mereatur cœlestem illam virtutem & gloriam sancti Spiritus in penetralibus animæ, vt tum, solutis corporibus, habeamus quod circumtegat nos & viuificet? 2.Cor.5 a. *Si tamen* (inquit) *vestiti, & non nudi inueniamur.* Et, *Viuificabit &* D *mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum* Rom.8 c *eius in vobis.* Exo. 34. 30. Beatus itaque Moses, per gloriam Spiritus in facie eius residentem, in quam nemo fixis oculis intueri poterat; typo quodam subindicauit, qua ratione glorificabuntur corpora Sanctorum in resurrectione Iustorum. Quam quidem gloriam, iam nunc in interiori homine, Sanctorum & Fidelium animæ merentur habere. 2.Cor.3. d. *Nos enim* (ait) *omnes reuelata facie* (hoc est; interiori homine) *gloriam Domini speculamur, in eandem imaginem transformati à gloria in gloriam.* Exo.34. Iidem Moses, quadraginta diebus & quadraginta noctibus (vt scriptum est) *panem non comedit, nec bibit aquam*: atqui fieri non poterat, vt natura corporea sine cibo tantùm temporis viueret nisi alia esca spiritali vesceretur; quo cibo, amodò Sanctorum animæ, inuisibili ratione, beneficio sancti Spiritus, vtuntur. *Quæ futura sit gloria sanctorum in Resurrectione.* Duobus ergo modis demonstrauit beatus Moses, quam consecuturi sint gloriam veri Christiani in die resurrectionis; nempe gloriam luminis, & delicias intellectuales spiritus; quam gloriam, etiam in hac vita occultam nunc habere merentur. E Quocirca tunc in corpore illorum hæc patebunt: quam enim (vt dictum est) gloriam in anima sua modò possident Sancti; hæc tum teget & operiet corpora nuda, & ad cœlos rapiet: & de cætero, tam corpore quam anima in regno cum Domino quiescemus in sæculo. Cùm enim Deus conderet Adamum; non aptauit ei corporeas alas, sicut & volatilibus: nempe præparans ei alas sancti Spiritus; quas videlicet donaturus erat ille in resurrectione; quæ ipsum alleuarent & raperent, quò Spiritui bonum videretur. Quas quidem alas, etiam nunc animæ Sanctorum, quæ mente ad cœlestes cogitationes euolant, merentur habere. Nam Christianorum Mundus alius est, & alia mensa, aliaque sunt indumenta, alia fruitio, alia item societas, & alia cogitatio: quapropter etiam præstantiores sunt omnibus hominibus. Hanc autem vim, nunc intus in anima per Spiritum sanctum merentur accipere. F Vnde etiam in resurrectione; corpora digna perpetuis illis bonis sancti Spiritus habebuntur; & gloria illa potientur, quam in hac vita, ipsorum animæ sunt expertæ. Debet igitur quisque nostrûm contendere omni labore ac virtutum studio, & cum fiducia postulare à Deo, vt interior homo gloriæ illius, ab hoc vitæ tempore particeps fiat; & in sanctitate illa, de Spiritu sancto participet anima: vt purificatis vitiorum sordibus, habeamus in resurrectione quippiam quod contegat nuda corpora nostra resurgentia, & deformitatem operiat; viuificet; & in regno cœlorum perpetuò quiescere faciat. Christus enim, vt sacræ Scripturæ perhibent, descensurus est de cœlis, & suscitaturus omnes filios Adæ, quicumque ab initio sæculi dormierunt. Quos omnes in duas partes constituet: & hos qui peculiari signo notati fuerint (hoc est, sigillo sancti Spiritus) veluti peculiares accerset, & statuet à dextris: *Oues* enim, (inquit) *meæ,* Ioan. 10. c. *vocem meam audiunt.* Et, *cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ*, Et tum eorum corpora, propter opera bona circundabuntur gloria diuina, & replebuntur illi gloria sancti Spiritus quam in hac vita in anima obtinebant. G Et ita lumine diuino illustrati, & ad cœlos rapti *in occursum Domini in aëra* (quemadmodum scriptum est) *semper cum Domino erimus*, 1. Thes. 4 d. regnantes cum eo per infinita sæcula, Amen.

DE MODO PRECANDI.

HOMILIA VI.

QVi accedunt ad Dominum; debent in silentio, *Orandi in silentio.* pace & tranquillitate multa preces fundere; nec vti clamoribus parum decentibus & confusione plenis, sed cum intentione cordis & cogitationibus castis Deum præ oculis habere. Veluti dum quis morbo laborans, cauterio aduritur, aut à chirurgo tractatur, hic fortiter ac patienter illatum fert dolorem; sine aliquo tumultu & perturbatione seipsum cohibens: licet sint alij eodem dolore affecti; qui dum cauterium patiuntur aut tractantur à chirurgis, vociferationibus importunis vtuntur; cùm alioqui par sit dolor clamantis, & non clamantis, agitantis se & quiescentis. Sunt nonnulli, qui dum ita affliguntur & anguntur, tranquillo animo ferunt, ac sine perturbatione cogitationes animi sui coërcent. Sunt & alij eadem afflictione laborantes, qui dum illam iniquo animo ferunt, cum tumultu & perturbatione Deum orant; ita vt qui audiunt, inde scandalum accipiant. Sunt etiam alij, qui licet nullo dolore premantur, tamen ad ostentationem, aut ex more, ineptis clamoribus vtuntur: vt qui putet, hac ratione se Deo placere posse. Atqui seruum Dei minimè decet, hunc tam incompositum statum retinere; sed mansuetè & sapienter agere, vt inquit Propheta; Esa.66 a. *ad quem respiciam nisi ad mansuetum & quietum, & trementem sermones meos?* Et temporibus Mosis atque Eliæ reperire licet in apparitionibus quæ illis obtigerunt, multa tubarum & virtutum ministeria

A steria præcessisse Dominicam dignitatem: Aduentus autem Domini, iis omnibus semotis, apparuit in pace, quiete, & tranquillitate. Ecce enim, ait, *vox auræ tenuis*, & in ea dominus. (3. Reg. 19. c.) Constat ergo, quòd requies Domini sita sit in pace & tranquillitate. Quodcumque itaque fundamentum iecerit homo, & quodcumque initium sumpserit; in eo permanet vsque ad finem. Si alta & querula voce initium precationis suæ facere cœperit; ad finem vsque eandem consuetudinem retinebit: sed Dominus, qui humanitate plenus est, huic auxilium non denegat. (*Idiotæ clamantes orant.*) Illi igitur ipsi propter gratiæ promotionem, ad finem vsque eadem consuetudine vtuntur; cùm tamen nobis liqueat, hanc precandi rationem ad idiotas pertinere, qui & alios scandalizant: & dum precantur, seipsos perturbant. Cæterùm, verum orationis fundamentum hoc est; nempe cogitationibus diligenter attendere, & in multa quiete & pace Deum orare, vt inde nullo modo scandalizentur cæteri. (*Verum fundamentum Orationis est, quies cogitationum.*) Hic enim vbi consecutus gratiam Dei, vsque ad finem, orationem tranquillè peregerit; multò plures B ædificabit. Non enim est dissensionis Deus, sed pacis. (1. Cor. 14. f.) Itaque qui clamoribus vtuntur, similes sunt Proretis; cùm vbique precati non possint, nó in Ecclesiis, neque in vicis, sed forsitan in Solitudine quemadmodum expetunt: qui verò in tranquillitate precantur, omnes in omni loco ædificant. (*Oraturus debet cogitationes amputare.*) Attamen vniuersum hominis studium circa cogitationes impendi debet; estque materia prauarum cogitationum adiacens, amputanda: & intendere debet homo in Deum, nec parête voluntati cogitationum; sed cùm eas vndique collegerit, distinguere naturales à prauis. Nam anima quæ peccato inuoluta est; ita se habet vt in monte, sylua magna, aut in flumine arundines, aut densitas quædam spinarum ac nemoris: quà, qui transire voluerint; necesse habent manus extendere, nec sine vi & labore repellere circumiacentem materiam. (*Cogitationes, sũt discernẽda.*) Ita ferè materia cogitationum ab aduersaria Potestate manantium imminet animæ. Summa igitur animi diligentia attendendum est, vt discer C nat quis extraneas illas cogitationes quæ ab aduersaria Potestate suggeruntur. Inuenitur enim qui de propria virtute confidens, existimat suapte virtute montes imminentes posse excindere. Est etiam alius qui cum tranquillitate & discretione animum suum gubernans, nullo cum labore suum opus citiùs peragit quàm ille superior. Idem & circa preces contingit. Inueniuntur quidam ineptis clamoribus vtentes, qui veluti corporis virtute fidentes ignorant furta cogitationum; sed existimant propria virtute perfectum opus agere: (*Furta cogitationum.*) Sunt autem alij qui cogitationibus attendunt, totumque certamen interiùs conficiunt: & hi propter attentionem eorum diligentem atque discretionem; assequi possunt quod cupiunt, & insurgentes cogitationes propellere, ac iuxta voluntatem Domini ambulare. Inuenimus autem apud Apostolum, cum dicere maiorem qui alium ædificat; air enim: *qui loquitur linguis, seipsum ædificat; qui autem prophetat, Ecclesiam ædificat; At qui prophetat, maior est quam qui loquitur linguis.* (1 Cor. 14. 3.) Vnusquisque ergo magis eligat alios ædificare; & dignus ha- D bebitur regno cœlorum. INTERROGATIO. Cùm aiunt quidam; Thronos & coronas, esse creaturas, & non spiritus, quomodò intelligendum est illud? RESPONSIO. Mens nostra thronus est diuinitatis: & ediuersò; nostræ mentis thronus est diuinitas ac Spiritus sanctus. Itidem etiam Satanas & consimiles Potestates ac Principes tenebrarum, à tempore transgressionis præcepti insederunt in corde, in mente & corpore Adæ tanquam in proprio throno: quapropter venit Dominus, & ex Virgine corpus accepit. (*Cur incarnatus sit Christus.*) Nam si placuisset ei, in pura & nuda diuinitate ad nos descendere; quis ferre potuisset? Verum, per organum corporis locutus est hominibus. Quocirca Spiritus nequitiæ. qui corpus occupabanr, expulit à thronis intellectus & cogitationum nostrarum in quibus versabantur; purgauitque Dominus conscientiam: & mentem, cogitationes, ac corpus in thronum sibi aptauit. INTERROGATIO. Quid igitur est, quod dixit; Sedebitis super duodecim sedes, iudicantes duodecim (Matth. 19. d.) tribus Israël? RESPONSIO. Inuenimus hoc impletum E esse in terra quando Dominus assumptus est in cœlum: misit enim Spiritum paracletum in duodecim Apostolos, sanctamque virtutem quæ adueniens habitauit & sedit in thronis mentis ipsorum. (Act. 2. b.) Et quia hi qui aderant; dicebant, illos musto plenos esse; tunc cœpit Petrus iudicare illos, loquens de Iesu; Virum potentem in verbis & signis vos crucifixistis, suspendentes in ligno; (Ioël. 2. g. Act. 2. c.) & ecce, illic admiranda facit, effringit lapides monumentorum & excitat mortuos, scriptum est enim; *In nouissimis diebus effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ.* Vnde permulti à Petro instructi, ad pœnitentiam conuersi sunt; ita vt Mundus nouus & à Deo electus fieret. Videsne; quomodò apparuit initium iudicij? Illic enim apparuit Mundus & nouus & hac ratione data est illis facultas sedendi in Mundo hoc, & iudicandi. Quamuis enim futurum sit, vt illi sedeant & iudicium faciant in aduentu Domini, in resurrectione mortuorum; nunc tamen etiam hoc fit, sancto Spiritu sedente in thronis mentium illo- F rum. Cæterùm diademata quæ in illo sæculo accepturi sunt Christiani; nequaquam sunt creaturæ; & qui hoc dicunt; perperam loquuntur; verùm hæc, Spiritus transformatus ostendit. Nam quid ait Paulus Apostolus de Hierusalem cœlesti? videlicet; *hæc est mater omnium nostrùm, cui quidem matri nos adhæremus.* (Gal. 4. d.) Verùm; quantùm ad indumentum quod gerunt Christiani, nimirum est ipse Spiritus sanctus, qui circuntegit eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti in sæcula, Amen.

DE CLEMENTIA CHRISTI ERGA homines: continet etiam responsiones ad quasdam interrogationes, fortè curiosas.

HOMILIA VII.

G QVemadmodum si quis ingressus palatia regia depictas ibi contempletur historias, & speciosa quæque: quadam in parte videat thesauros reconditos; atque etiam cum rege recumbat, & apponantur ei hedysmata & pocula suauissima, variisque modis delectetur spectaculis illis atque ornamentis; postmodum autem abstractus inde, in loca fœrida deducatur: aut veluti si formosissima puella, sapientissima ac locupletissima omnium; virum pauperem accipiat, humilem, deformem; pannosisque indutum; quem exutis sordidis vestimentis, veste regia induat; & imposito illi diademate, coniux ei fiat; tum mendicus ille obstupescere incipit; ac dicere: hæccine mihi misero, mendico, abiecto & humili data est socia? Ita se Deus gessit erga hominem, miserum & abiectum: gustare fecit illum, quæ sunt alterius sæculi, allumque cibum suauissimum: aperuit illi gloriam & ornamenta regia, arcana & cœlestia. Qui conferens illa spiritalia cum his quæ pertinent ad hoc seculum: hæc omnia H respuit, siue regem videat, siue principes, siue sapientes: ante oculos habens thesaurum cœlestem. Nam cùm Deus sit charitas, accepit cœlestem atque diuinum ignem Christi: vnde recreationem ac lætitiam concipiens, manet illic deuinctus. INTERROGATIO. Estne Satanas cum Deo; tam in aëre, quàm apud homines? RESPONSIO. Si Sol iste (cum sit creatura) relucens in loca lutosa, non aliquo pacto læditur; quantò minùs diuinum numen, si fuerit cum Satana, inficitur aut polluitur? Verùm permisit Deus malum, ad exercendos homines: sed malum istud obtenebratum est & obcæcatum; nec potest intueri quod purum est & simplex in Deo. Quòd si quis asserat; Satanam proprium locum habere; ac Deo proprium esse locum; circumscriptum eum reddit ad eum vsque locum vbi nequam ille habitat: quomodò ergo bonum illud incircumscriptum esse atque incomprehensibile asserimus, & omnia in eo esse: neque pollui quod bonum est à malo? Nequaquam!

A Cùm cœlum & Sol ac montes sint in ipso Deo, & per ipsum consistant; num etiam ipsa sunt Deus? Opificia condita sunt, vt seruiant ordine suo; sed Opifex qui præsto est cum creaturis, Deus est. INTERROGATIO. Cùm iniquitas transfiguretur in Angelum lucis, & gratiæ similis sit; quî perspiciet homo semitas diaboli? Et quo pacto amplectetur & discernet semitas gratiæ? RESPONSIO. Quæ procedunt à gratia; lætitia prædita sunt, pace, charitate, ac veritate: Ipsa autem veritas compellit hominem indagare veritatem; quæ autem proficiscuntur ab iniquitate, turbatione plena sunt, nec habent dilectionem aut gaudium erga Deum. Quemadmodum Intubus, lactucæ similis est; hæc tamen dulcis, illa autem amara licet inter se similitudinem habeant: In ipsa etiam gratia, quædam similia sunt veritatis; imo hæc ipsa hypostasis est veritatis. Quemadmodum in Sole est splendor & circulus ipse; ac aliter splendor apparet, alio modo lumen quod est reconditum in circulo: B Iidem lucernæ lucentis in domo alius est splendor vbique relucens, & aliud est lumen quod in ipsa lucerna splendidius est & speciosius. Ita quædam manant à gratia; quæ velut quasdam visiones homo procul intuetur, ac huiusmodi visionibus delectatur, fitque alius propterea quòd ingreditur in illum vis diuina quæ illius membra continet & cor, & captiuam illius mentem reddit in dilectionem Dei. Verbi gratia; quando Petrum apprehenderunt & coniecerunt in carcerem; quem clausum, ingressus Angelus fregit vincula eius, & eduxit eum; qui velut in excessu mentis existens, putabat visionem esse. INTERROGATIO. At quomodò cadunt, qui reguntur à gratia Dei? RESPONSIO. Cogitationes quæ sua natura puræ sunt, labuntur & cadunt, quia incipit homo extolli; & seipsum iustum reputans, condemnat alium, ac dicit, tu peccator es. 2.Cor. 12. c. Ignoras, quid dixit Paulus; *datus est mihi stimulus carnis, Angelus Satanæ, qui me colaphizet vt non extollar:* Pura enim natura non caret facultate superbiendi. C INTERROGATIO. Potestne quispiam beneficio luminis videre suam ipsius animam? Siquidem nonnulli reuelationem tollunt; asseruntque, notione & sensu fieri visionem. RESPONSIO. Est sensus, est visio, est etiam illuminatio. Illuminatus, præstantior est eo qui sensum habet; quia illustrata est mens eius: adeptus est enim portionem quandam præstantiorem quàm is qui solum sensum habet; quandoquidem intuetur in se certitudinem quandam visionum: Reuelatio autem aliud est, per quam res immensæ & mysteria diuina reuelantur animæ. INTERROGATIO. Fierine potest vt animam quis videat, reuelationis ac luminis diuini beneficio? RESPONSIO. Quemadmodum hi oculi intuentur Solem; ita qui sunt illuminati vident imaginem animæ: verùm hanc pauci Christiani conspiciunt. INTERROGATIO. Habetne formam Anima? RESPONSIO. Habet vtique imaginem ac formam accedentem ad similitudinem Angeli: Itaque sicut Angeli formam habent & imaginem; & sicut ho- D mo exterior imaginem habet: ita homo interior imaginem habet, Angelo & exteriori homini similem. INTERROGATIO. Discrepatne mens ab anima? RESPONSIO. Quemadmodum corporis membra quamuis multa sint, vnus homo dicuntur: sic & animæ membra multa sunt; nempe mens, conscientia, voluntas, cogitationes accusantes ac defendentes: hæc autem omnia in vnam rationem colligata sunt; membra tamen sunt animæ: Anima verò vnica est; videlicet homo interior. Porrò sicut exteriores oculi præuident eminùs spinas, foueas, ac præcipitia: sic & mens, cùm sit perspicacior, prospicit aduersariæ Potestatis machinas & insidias: protegitque animam, tanquam oculus illius. Gloriam referamus Patri, & Filio, ac Spiritui sancto, in sæcula sæculorum, Amen.

E

DE HIS QVÆ CONTINGVNT *Christianis inter orandum.*

HOMILIA VIII.

QVamprimum accedit quispiam ad genuflectendum; mox cor eius impletur diuina virtute, & exultat anima cum Domino velut sponsa cum sponso; iuxta verbum Esaiæ Prophetæ, dicentis: *quomodo gaudet sponsus super sponsam; sic gaudebit Dominus super te.* Esai. 62. b. Contingit itaque, vt is qui per totam diem aliis rebus occupatus erat, hora vna precationi det operam, ac rapiatur eius homo interior ad orationem prosequendam, & ad immensam profunditatem sæculi illius, non sine multa suauitate: ita vt mens eius, tota suspensa & illuc rapta, peregrinetur; & tum temporis obliuioni dentur cogitationes sollicitudinum terrenarum, eò quòd cogitationes F occupatæ sint & captiuatæ ad res diuinas ac cœlestes easque infinitas & incomprehensibiles; denique ad quædam admiranda quæ humano ore exprimi non possunt: vt illa ipsa hora deprecetur, ac dicat ille: Vtinam simul euolaret anima cum oratione! INTERROGATIO. An quandocumque libuerit; penetrat homo in res huiusmodi? RESPONSIO. Gratia quidem continenter adest radicata & permixta ab ineunte ætate, & tanquam naturale & concretum quippiam quod inest homini velut vna substantia; sed variis modis, pro arbitrio, quatenus expedit hominem gubernat. Quandoque enim vehementiùs ardet & accenditur ignis; interdum remissiùs & molliùs. Ipsum quoque lumen, quibusdam temporibus intensiùs accenditur & lucet; quandoque verò remittitur & subtristis est. Ita hæc lucerna, nempe gratia, semper ardens & splendens; quando nitidior apparuerit, vehementiùs accenditur ab ebrietate dilectionis Dei: rursumque dispensatione quâdam lucet; lumenque quod inest, obtusius redditur. Porrò beneficio lu- G minis apparuit quibusdam signum Crucis penetrans interiorem hominem. Aliàs item inter orandum influentus est homo velut in excessu, ad altare, stans in Ecclesia: cui oblati sunt tres panes oleo fermentati; de quibus quantò plus edebat, tantò magis augebantur & crescebant. Interdum etiam apparuit velut indumentum quoddam splendidum, quale nullum est super terram hoc seculo, nec potest manibus humanis parari. Quo Matt 17. enim modo Dominus ascendens in montem cum Petro & Ioanne, transmutauit sua vestimenta, & instar fulguris illa splendida reddidit: huiusmodi erat vestimentum illud; vnde admirabatur & obstupescebat vir ille sic indutus. Interdum lumen, ipsum cor illustrans, aperit interiùs & profundiùs latens lumen; ita vt totus homo absorptus ab illa suauitate & contemplatione non sit vltrà sui compos, sed sit tanquam stultus & barbarus huic Mundo, propter immensam dilectionem ac suauitatem atque recondita mysteria: ita vt tunc temporis homo liber perueniat ad perfectum gradum, sitque purus & immunis à peccato; verùm postea subtraxit se gratia, H & prodiit velamen aduersariæ potestatis aliquatenus tamen apparens, licet adhuc homo consistat in vno gradu inferiori perfectionis. Si quidem (exempli gratia) oportet eum duodecim gradûs transcendere, qui velit perfectionem assequi: iterum inclinat gratia, & descendit vno gradu, & in reliquis vndecim subsistit. Porrò qui diues est in gratia, continenter noctes atque dies permanet in statu perfecto liber ac purus, semper captiuus & suspẽsus. Cæterùm si admiranda illa quæ homini patuerunt, & quorum periculum fecit, ei semper adessent; nequaquam ministerium verbi aut onus aliquod ferre posset: imò neque de seipso audire; aut sui, vel crastinæ diei curam agere quando res exigeret; sed tantùm sederet in angulo suspensus & inebriatus. Quare status perfectus non est concessus homini, vt possit operam nauare, & Fratrum curam habere ac ministrandi verbi. Verumtamen medius ille paries qui obstruebat, dissolutus est; ac

A mors superata. Res autem sic se habent. Quemadmodùm caliginosa quædam vis adiacet, & instat aëris crassi subtiliter tegit lucernam semper ardentem & lucentem; sic adiacet lumini illi velamen: vnde confitetur vir ille quòd minime perfectus sit & penitus immunis à peccato, ita vt dicere audeat quòd destructus quidem sit & perfossus ille paries medius obstruens; ac rursum aliqua in parte minimè sit dissolutus, nec id perpetuò. Quandoque enim gratia pleniùs hominem accendit, consolatur & componit; interdum verò subducitur & imminuitur pro ratione dispensationis ipsius, quantumque expedit homini. Sed quis vnquam perfectum illum gradum assecutus est, ac gustauit & expertus est sæculum illud? Nondum enim quempiam vidi perfectum hominem Christianum aut liberum. Quòd si quispiam requiescit in gratia, & pertingit ad mysteria & reuelationes, ad multam denique dulcedinem gratiæ; nihilominus intus adhuc habet peccatum. Sed qui eiusmodi B sunt, propter immensam gratiam & lumen quod sunt adepti; liberos & perfectos se putant. Qui quidem licet vim gratiæ obtineant; tamen falluntur, tanquam non experti. Ego verò nullum adhuc vidi immunem: siquidem & ego aliquatenus interdum ad gradum illum pertigi; discendoque cognoui quòd nullus est homo perfectus. INTERROGATIO. Dic nobis, Quisnam est status tui modus? RESPONSIO. Statim post signum crucis, gratia sic operatur. Omnia membra pariter & cor sedat, ita vt anima præ summo gaudio videatur esse velut puellus mali nescius: nec in posterum homo condemnat Græcum aut Iudæum, peccatorem vel Mundo deditum: sed interior homo, oculo puro omnes respicit, gaudetque de vniuerso Mundo; planéque expedit venerari ac diligere tam Græcos quàm Iudæos. Alia quadam hora, perinde ac filius Regis, confidit Filio Dei tanquam patri; & aperiuntur ei fores per quas ingreditur intrò in multas mansiones: & quantò C magis penetrat, denuò aperiuntur ei iuxta proportionem, supra centum mansiones aliæ centum; tumque ditescit. Et quantò locupletior euadit, rursum alia mirabilia recentiora demonstrantur ei; cui tanquam filio & hæredi committuntur res quas humana natura non potest eloqui, nec os aut lingua pronunciare: Gloria Deo, Amen.

PROMISSIONES AC PROPHETIAS diuinas, per varios successus & tentationes impleri: & soli Deo adhærendo, liberari nos ab infestationibus Dæmonum.

HOMILIA IX.

Virtus spiritalis gratiæ Dei, quæ versatur in anima; cum summa longanimitate, sapientia, & mystica dispensatione mentis, opera sua perficit: dum etiam multa cum patientia pro temporum occasione homo D decertat. Apud quem tum opus gratiæ perfectum constat, quando eius libera voluntas per multiplicem tentationem Spiritui sancto placere demonstratur, & ex temporum successu probationem & patientiam patefacit. Hanc autem consequentiam, per exemplaria manifesta ex Scripturis diuinitùs inspiratis subiiciemus oculis. Quod autem aio tale est, quale de Ioseph traditur. Quanta post temporum spatia voluntas Dei præstituta de Ioseph, sortita est effectum, & impletæ sunt visiones? (Gen. 41.) Quantisque laboribus, afflictionibus & angustiis ante probatus; omnia viriliter sustinuit; & per omnia probatus & seruus Deo fidelis inuentus? Tum rex Ægypti factus est, & familiam suam aluit; ac prophetia eorum quæ non videbantur, completa est, & Dei voluntas quæ per tempora & dispensationem multam prænunciata erat. Idem de Dauid scribitur, quem Deus vnxit in regem, ministerio Samuelis Prophetæ. Statim enim vbi vnctus est; compulsus est fugere, ob persecutionem sibi imminentem à Saule qui eum interficere cupiebat.

Ioseph, Ægypti Rex factus. Dauid multa passus etiã post repromissiones.

Vbinam ergo vnctio diuina? Vbi promissio; E quæ statim implenda videbatur? Nam paulò post vnctionem, grauiter affligebatur petens loca deserta, & ad inopiam vsque panis redactus confugiebat ad exteras nationes, propter insidias quæ à Saule struebantur in eum quem Deus vnxit in regem. Huiusmodi afflictiones pertulit: deinde successu temporum probatus, afflictus & tentatus, ac longanimiter ferens eò quòd vnicè Deo credebat, & sibi certò persuaserat, dicens; quod indicauit Deus per vnctionem à Propheta mihi collatam, quodque prædixit mihi obuenturum, sine dubio impleri oportet. Et tandem, longam post expectationem, completa est Dei voluntas; & regnauit Dauid post multas tentationes. Et tum perspicuum factum est verbum Dei; atque vnctio collata per Prophetam, rata & vera demonstrata est. Itidem & de Mose; cùm Deus illum prænôsset & præordinasset futurum ducem & redemptorem populi, effecit vt adoptaretur à filia Pharaonis. Qui F quidem & opibus regiis, & gloria, & deliciis auctus; eruditus est quacumque disciplina Ægyptiorum: & grandior factus, cùm ætatem virilem attigisset; abnegauit omnia illa, libentiùs amplectens tribulationem & improperia Christi, iuxta sermonem Apostolicum, *quàm temporalem habere peccati fruitionem.* (Hebr. 11. c.) Et cùm ab Ægypto fugisset, quantùm temporis operam pastoriam exercuit, qui Regis filius erat, tanta cum suauitate ac deliciis regiis educatus? Deinde ille ipse probatus à Deo, & per multam patientiam fidelis inuentus; quàm multas primùm tentationes pertulit, & posteà factus est redemptor, dux, & rex Israel; imò Deus Pharaonis à Deo cognominatus? Per hunc enim percussit Ægyptum, & immensa atque admiranda demonstrauit, ministerio illius in Pharaone; tandemque demersit Ægyptios in Mari. Ecce, quanta post tempora, voluntas & propositum Dei declarata sunt; & quantas post probationes & afflictiones sortita sunt effectum? Non aliter de Abraham scriptum est. Quanto enim antè tempore promiserat G Deus ei se daturum filium, quem mox non dedit; sed interea multis annis intermediis, in probationes & tentationes incidit: sed longanimiter ferens omnia quæ obueniebant, seipsum corroborabat in fide; sciens, quòd is qui promiserat minimè mendax esset, sed impleret verbum suum: & ita fidelis inuentus; assecutus est quod ei promissum erat. Similiter & Noë, quingentesimo anno iussus à Deo præparare arcam, propterea quòd Deus promisisset inducturum se diluuium super terram: & cùm sexcentesimo anno illud induxisset, centum annos longanimiter tulit, in nullo dubitans, an Deus facturus esset quod prædixerat, an non: verùm certò sibi persuadens, quòd quæ Deus dixisset, sine dubio euenire oportebat. Ille itaque integer voluntate, fide, patientia, & longanimitate multa repertus, solus saluatus est cum sua familia, quia mandatum Dei diligenter obseruauerat. (Genes. 8.) Hasce occasiones è Scripturis attulimus, vt demonstraremus virtutem gratiæ diuinæ homini collatam, & donum sancti Spiritus quod fidelis anima meretur accipere; multo cum labore multaque patientia & longa- H nimitate, nec sine tentationibus ac probationibus comparari, dum libera voluntas per omnia afflictionum genera probatur. Quæ si nullo modo Spiritum sanctum contristet, sed per omnia præcepta consonet gratiæ; tum à suis ærumnis liberationem consequi meretur, pleneque consequitur adoptionem spiritus de qua sermo haberi solet in mysterio; spiritalésque diuitias & intellectum, non huius Mundi, sed cuius participes fiunt qui verè sunt Christiani. Qui quidem per omnia discrepant ab omnibus hominibus habentibus spiritum huius Mundi; prudentia, intellectu & sapientia præditis. Nam qui eiusmodi est; *omnes* homines *diiudicat*, quemadmodum scriptum est; nouit vnde quisque loquatur, & vbi consistat, (1. Cor. 2. d.) ad quemve gradum peruenerit; ipsum verò nullus hominum spiritum huius Mundi habentium nosse & diiudicare potest, eo solo excepto, qui spiritum adeptus est similem Spiritui cœlesti & diuino: is nouit similem, vt ait Apostolus: *Spiritalibus spiritalia comparantes. Anima-*

Abrahã sapiens et tentatus æquanimiter assequitur repromissiones. Noë probatus in multis; misericordiam est assequutus. Diuina gratia nõ compara-tur sine tentationibus. Liberâ voluntate, tentationibus probatur.

A *lis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi, Spiritualis autem diiudicat omnia & ipse à nemine iudicatur.* Qui talis est; omnia quæ in Mundo sunt pretiosa, veluti diuitias, delicias, & quicquid suaue est, ipsam quoque rerum cognitionem; omnia denique quæ sunt huius seculi, execranda putat & odiosa. Quemadmodum enim qui inflammatus est ac febre detinetur; exhorrescit & respuit quemcunque obtuleris ei cibum aut potum etiam suauissimum, eò quòd ipse febre ardeat & ab ea grauiter torqueatur: hac ratione, qui cœlesti sancti Spiritus desiderio sacro & præclaro flagrant, & amore dilectionis diuinæ animam habent vulneratam, ac diuino & cœlesti igne quem Dominus *in terram mittere* venit, vultque confestim ardere; vehementer impelluntur & accenduntur cœlesti desiderio Christi, vt prædictum est; quæcumque præclara sunt in hoc sæculo & pretiosa, respuenda & odio digna existimant, propter ignem charitatis Christi continentem eos & efficientem vt animi voto bonisque cœlestibus charitatis flagrent & ardeant erga Deum. A qua quidem charitate nihil, siue cœleste sit aut terrenum vel subterraneum, poterit eos separare, vt Apostolus Paulus testificatus est; nempe: *quis nos separabit à charitate Christi?* & quæ sequuntur. Cæterùm fieri non potest, vt quispiam possessionem suæ animæ comparet aut charitatem Spiritus cœlestis; nisi, abalienatus ab omnibus quæ pertinent ad hoc sæculum, seipsum applicet ad inuestigandam charitatem Christi; mensque segregetur ab omnibus crassis sollicitudinibus & distractionibus terrenis, vt circa scopum vnum penitus incumbere possit: hæc dirigens ex omnium præceptorum ratione, vt tota cura & indignatio, occupatio & studium animæ versetur in scrutanda substantia intellectuali; quomodò illam ornari oporteat virtutum præceptis, & ornamento cœlesti spiritus, & communicatione puritatis & sanctimoniæ Christi: vt quis omnibus dimissis, omnia etiam sua impedimenta materialia & terrena amputans, & à dilectione carnali aut affectione erga parentes aut cognatos semotus; nulli rei alteri permittat animum suum dare operam aut aliunde distrahi, veluti regnandi cupiditate, gloria, honoribus, aut amicitiis carnalibus huius Mundi, aliis denique quibusdam curis terrenis: sed totus prorsus animus circa inuestigandam intellectualem substantiam animæ, curam & laborem sumat; & in spe ac expectatione aduenientis Spiritus sancti totus omnino patienter agat, quemadmodum inquit Dominus; *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Et rursum: *quærite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.* Fieri autem potest, vt quispiam ita militans sibique continenter attendens, siue in precibus, siue in obsequio Dei, seu in quocumque opere secundùm Deum peragendo; vitare possit tenebras improborum dæmonum. Mens enim scrutandi sui & inquirendi Domini non negligens; potest animam suam possidere, affectionibus omnibus carentem; nempe captiuando seipsam vi atque alacritate erga Dominum, & ei soli adhærendo (sicuti dictum est) *In captiuitatem redigentes omnem intellectum, in obsequium Christi*; vt beneficio illius certaminis, desiderij, & inuestigationis, mereatur mens esse cum Domino in vnum spiritum donationis & gratiæ Christi; requiescens in vasculo animæ ad omne opus bonum adhortantis, neque iniuria vlla afficientis spiritum Domini, propriæ voluntati adhærendo aut inutilibus occupationibus huius sæculi, honoribus, aut dignitatibus, propriis opinionibus, aut voluptatibus carnalibus, conspirando aut communicando cum improbis hominibus. Pergrata est enim anima quæ tota penitus seipsam Domino dedicauit, & illi soli adhæret, ambulans in eius præceptis sine vlla obliuione; & aduenientem ac obumbrantem spiritum Christi, honore digno prosequendo, meruit cum ipso in vnum spiritum & vnam massam euadere: sicut ait Apostolus; *qui adhæret Domino, vnus spiritus est.* Si quis autem seipsum dedat curis vel ambitionibus aut dignitatibus, humanosque honores curet; & hæc inquirat, animaque eius cogitationibus terrenis permisceatur & confundatur, aut alicui rei ad hoc seculum pertinenti sit deuinctus; desideretque huiusmodi anima transilire, vitare, atque expellere affectionum tenebras, in quibus detinetur à Potestatibus iniquis; minimè potest, propterea quòd diligit & facit voluntatem tenebrarum, neque *perfecto odio*, prosequitur studia nequitiæ. Ipsi nos igitur præparemus, vt tota intentione totaque voluntate ad Dominum accedamus, Christumque sequamur ad voluntatem eius peragendam; meminerimusque omnium Mandatorum eius, ad faciendum ea; & segregantes nosipsos penitus à dilectione huius Mundi, illi soli nostras animas applicemus, & studium; curam ac inquisitionem ipsius solius in mente habeamus. Quòd si fortè corporis gratia, ab obseruatione præceptorum & obsequio Dei paulùm cessauerimus; Mens tamen à dilectione Domini, eius inuestigatione, ac desiderio non separetur; vt sic decertantes, & cum sana prudentia per viam iustitiæ pergentes, assiduéque attendentes nobisipsis; consequamur promissionem Spiritus eius, & redimamur per gratiam ab interitu tenebrosarum affectionum à quibus anima torquetur; dignique euadamus æterno regno, & mereamur frui Christo seculis omnibus, glorificantes Patrem & Filium, & Spiritum sanctum, in secula, Amen.

Spiritualis odit quæ sunt huius Mundi.

Luc.12.f.

B

Rom.8. 39.

C

Luc. 21. d. Math.6. d.

Mens, Dei studiosa, potest se ipsam possidere.

D

1.Cor.10 b.

1 Cor.6. d. Qui curant quæ sunt

E Mundi, non potest vitare Tenebras affectionum.

HVMILITATE ET ALACRITATE *retinentur & augentur dona gratiæ diuinæ; superbia autem & ignauia perduntur.*

HOMILIA X.

F

ANimæ, Dei ac veritatis amantes, quæ Christum in fide ac spe summa induere perfectè desiderant; aliorum admonitione non multum indigent; nec in desiderio cœlesti aut erga Dominum amore, aliquatenus imminui patienter ferunt: sed totæ penitus cruci Christi affixæ; spiritalem promotionem erga Sponsum spiritalem, in seipsis quotidie sentiunt & agnoscunt. Et cùm desiderio cœlesti vulneratæ sint, & iustitiam virtutum esuriant; illustrationem Spiritus sancti, summa ac inexplebili auiditate expetunt. Quòd si fortè beneficio fidei suæ, notitiam mysteriorum diuinorum adipisci merentur, aut lætitiæ gratiæ cœlestis participes fiunt; non confidunt in seipsis, arbitrantes se aliquid esse: sed quantò magis abundant donis spiritalibus; tantò vehementiùs & sine satietate desiderij cœlestis inquirunt: quantóque magis spiritalem profectum in se senserint, tantò plus esuriunt ac sitiunt participationem & augmentum gratiæ: & quantò spiritaliter locupletiores sunt; tantò se pauperiores existimant: & absque satietate, spiritali desiderio feruntur erga Sponsum cœlestem, vt ait Scriptura; *qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Huiusmodi animæ quæ tam ardenti & insatiabili dilectione flagrant erga Dominum, dignæ sunt vita æterna: quare merentur ab affectionibus redimi, accipiuntque perfectam illuminationem & participationem sancti & arcani Spiritus ac mysticæ societatis, in plenitudine gratiæ. At verò socordes ac minimè viriles animæ quæ talia non exquirunt, intus re vera viuunt in carne; quæ sanctificationem cordis non ex parte sed perfectè, per patientiam & longanimitatem consequi minimè sperauerunt; nec habere communionem cum Spiritu paracleto in plenitudine cum omni sensu & certitudine; nec per spiritum acceperunt liberationem ab affectionibus vitiorum: aut è diuerso, cùm gratiam diuinam accepissent; clam à nequitia correptæ, seipsas dediderunt ignauiæ ac remissioni. Quia, cum gratiam Spiritus essent adeptæ, & consolationem gratiæ cum delectatione, desiderio, ac suauitate spiritali; in eo confidentes extolli cœperunt & otiosè agere, minimè contritæ corde aut animo humiliatæ: nec tamen assecutæ perfectum gradum vacuitatis affectionum, aut integram plenitudinem gratiæ cum omni diligentia & fide; sed satiatæ ac delectatæ permanserunt in pauca gratiæ

G

Eccl.24. c.

H

conso

A consolatione, proficientes huiusmodi animæ magis ad arrogantiam quàm ad humilitatem: & ita planè spoliatæ sunt eo gratiæ dono quod fuerant adeptæ; propter ignauum contemptum & vanam opinionis eorum superbiam: Porrò anima quæ verè Deum & Christum colit; etiam si infinita iustitiæ opera ediderit, ita se habet perinde ac si nihil egisset, propter inexplebile desiderium quod habet erga Dominum: quæ licèt ieiuniis aut vigiliis corpus consumpserit; ita affecta est, ac si nondum quicquam agere cœpisset quod ad virtutes pertineat. Et si varia Spiritus charismata, aut reuelationes ac mysteria cœlestia consequi meruerit; propter immensam & insatiabilem erga Dominum dilectionem, ita se gerit apud se, ac si nihil adhuc obtineret; sed quotidiè esuriens ac sitibunda per fidem & charitatem perseuerans in oratione, immodicè ad mysteria gratiæ & ad omnem virtutis gradum aspirat, cœlesti Spiritus amore vulnerata, ardenti desiderio erga Sponsum cœlestem B (per gratiam, quâ prædita est) agitata: desiderans habere perfectè mysticam & arcanam cum eo societatem in sanctificatione Spiritus; reuelata animæ facie, fixis semper oculis intuens Sponsum cœlestem, facie ad faciem; beneficio spiritalis & ineffabilis luminis in eo per certitudinem fidei plenè demersa; configurata morti ipsius, præ summo desiderio quo perpetuò sperat pro Christo mortem oppetere; confidens sine dubio per gratiam Spiritus se plenè liberatum iri à peccato & tenebris affectionum; vt purificata per spiritum, & animâ & corpore sanctificata; vas purum euadere mereatur ad suscipiendam cœlestem vnctionem, in quo manere dignetur cœlestis ac verus rex Christus. Et tum efficitur digna cœlesti vita, & inde fit habitaculum purum Spiritus sancti. Verùm vt ad eum vsque gradum perueniat anima; non est promptum, neque sine probatione contingit: sed cum laboribus & certaminibus multis, per longa temporum spatia & studia, cum probatione & tentationibus variis spiritale incrementum & promotionem accipit, C pertingendi ad perfectam mensuram euacuationis affectionum: vt ad omnem tentationem, quæ à vitiis suggeritur, alacriter & viriliter perdurans, summos honores & spiritalia charismata diuitiasque cœlestes consequatur; & ita regni cœlestis hæres fiat, per Iesum Christum Dominum nostrum, cui gloria & imperium in secula: Amen.

VIRTVTEM SANCTI SPIRITVS, in corde hominis, se habere instar ignis.

HOMILIA XI.

IGnis ille cœlestis ac diuinus quem intra se suscipiunt Christiani in corde suo, nunc in præsenti sæculo: ille ipse qui nunc in corde illorum habitat; quando dissolurum fuerit corpus, exteriùs emerget & denuò compinget membra; facietque resurrectionem dissolutorum D membrorum. Quemadmodum enim ignis qui Hierosolymis subseruiebat altari; tempore captiuitatis defossus erat in foueam: & idem, intra pace reuersisque captiuis, quasi renouabatur; & pro more seruiebat: ita corpus hoc; modò nobis familiare (quod vbi dissolutum est, vertitur in lutum) restituitur & renouatur ab igne cœlesti, qui suscitat corpora corrupta. Siquidem ignis qui nunc intus latet in corde; tum patefit, & suscitat corpora. Porrò temporibus Nabuchodonosor; ignis ardens in camino, non erat diuinus, sed erat creatura: tres autem pueri qui iusti erant; cùm essent in illo apparenti igne, habebant in cordibus suis diuinum ac cœlestem ignem, intra cogitationes ministrantem & operantem in ipsis. Qui quidem ignis extra illos emersit, & inter eos intercessit, & cohibuit exteriorem ignem, ne combureret aut vllo modo læderet iustos. Itidem etiam temporibus filiorum Israël, cùm in animo & cogitatione statuissent recedere à Deo viuo, & ad idololatriam conuerti; compulsus est Aaron dicere illis, vt

2. Mach. 1. — Daniel. 3. — Exo. 32.

E aurea & pretiosa vasa afferrent: posteà aurum illud & vasa quæ coniecerant in ignem, in idolum versa sunt; & ita quodam modo imitatus est ignis, eorum intentionem. Hoc autem mirum est quòd secundùm propositum eorum, & prout intus in cogitationibus suis decreuerant idolis seruire; sic etiam ignis ex iniectis vasis idolum effinxit: & tum palam idola coluerunt. Sicut ergo tres illi pueri qui cogitabant ea quæ pertinebant ad iustitiam, susceperunt in seipsis ignem diuinum, & adorauerunt Dominum in veritate; sic etiam nunc fideles animæ recipiunt illum ignem diuinum ac cœlestem intus, quantùm ad hoc sæculum: & ignis ille format imaginem cœlestem in homine. Qua igitur ratione, ignis ex vasis aureis formauit & produxit Idolum; ita Dominus, fidelium & probarum animarum intentiones imitatur; & pro voluntate earum, format imaginem, qua nunc quidem latet in anima; tempore verò resurrectionis exteriùs apparebit, glorificabitque F corpora ipsarum intus & extrà. At quomodò corpora ipsarum, tempore illo corrupta reperiuntur, mortua, & dissoluta: hoc quoque modo reperire licèt cogitationes quorundam à Satana corruptas, & mortuas à vera vita, & demersas in lutum ac terram; periit enim earum anima. Quemadmodùm ergo Israëlitæ proiecerunt in ignem aurea vasa, & prodiit Idolum: sic homo nunc cogitationes puras & bonas tradidit nequitiæ; quæ demersæ sunt in lutum peccati, & factæ sunt idolum. Verùm quomodò poterit quispiam illas inuenire, discernere, & educere è proprio igne. Hic; lucerna diuina opus habet anima: nempè Spiritu sancto qui emundet domum obtenebratam; & splendido sole iustitiæ, qui illuminet & oriatur in corde: armis denique indiget, quibus victoria paretur in bello. In ea siquidem domo habitat illa Vidua, quæ perdita drachma primùm accendit lucernam, tum emundauit domum: & ita, mundata domo, & accensa lucerna; inuenta est drachma in stercore & loco immundo, in terram defossa. Nunc quoque anima minimè potest à seipsa indagare proprias cogitationes, & eas secernere: G sed cum accensa fuerit lucerna diuina, quæ solet illustrare domum obtenebratam; tum perspicit anima cogitationes suas nempè demersas in locum impurum & lutum peccati: oritur sol; & tum cognoscit anima interitum sui? incipitque reuocare cogitationes, in stercore & spurcitia inuolutas. Anima siquidem transgressa mandatum, perdidit imaginem suam. Veluti si regem quendam qui bona & seruos habeat sibi ministrantes, contingat ab hostibus apprehendi, & captiuum duci; eo comprehenso & exulante, vtique necesse est seruos & ministros eius à tergo illius sequi: sic etiam Adam creatus est à Deo purus, in obsequium illius; hæ verò creaturæ donatæ sunt ei, vt subseruiant: Dominus enim & rex constitutus est omnium creaturarum: Verùm ex quo sermo improbus illum adiit, cum H quo collocutus est; ipse primùm auditu exteriori hausit sermonem, qui deinde penetrauit cor eius, & omnem eius hypostasim occupauit; & ita capto illo, vnà comprehensa est creatura quæ ministrabat & subseruiebat ei. Per eum enim regnauit mors super vniuersam animam, prorsusque deleuit imaginem Adæ propter illius inobedientiam; ita vt conuersi sint homines ad adorandos dæmones. Ecce enim, fructus terræ in bonum vsum à Deo creati, dæmonibus offeruntur; panis, vinum, & oleum, est in Aris eorum. Item & animalia imponunt. Quinimò filios etiam suos & filias immolauerunt dæmoniis. Hoc igitur tempore prodiit ille ipse qui corpus & animam formauit, & dissoluit omnem euersionem Satanæ, & opera eius quæ molitebur in cogitationibus; renouatque & format imaginem cœlestem, & denuò creat animam, vt iterum Adam sit rex mortis, & Dominus creaturarum. Et in vmbra Legis, Moses vocabatur Saluator Israëlitarum, eò quod eduxit illos ex Ægypto: sic etiam nunc Christus Redemptor verus animæ; penetrat abscondita, & expellit è tenebrosa Ægypto, grauissimo

Luc. 15.

A iugo & dura seruitute. Præcepit ergo nobis, vt egrediamur è mundo, & renunciemus omnibus quæ videmus;
neque geramus sollicitudinem terrenam, sed noctu diuque stemus ad ianuam expectantes quando clausa corda aperiat dominus, & effundat in nos donum Spiritus
sancti. Iussit ergo, vt relictis auro, argento, & cognatione vendamus quæ habemus & distribuamus pauperi-
Matth. bus, & thesaurizemus ea quæramúsque in cœlis; *Vbi enim*
6.c. *est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Nouerat enim Dominus, quòd inde Satanas vires accipiebat ad traducendas cogitationes in sollicitudinem rerum materialium &
terrenarum. Propterea Deus consulens animæ tuæ, iussit omnibus rebus renunciare; vt vel inuitus quæras opes
cœlestes, & habeas ita cor tuum apud Deum: quia si volueris reuerti ad possessores, nihil ex iis quæ in mundo sunt reperies te possidere, & ob id (velis, nolis) cogêris mittere ad cœlestia, vbi ea thesaurizasti ac depo-
Num.21. suisti. *Vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* In
B lege itaque præcepit Deus Mosi, facere serpẽtem æneum,
& hunc exaltatum ad summitatem ligni affigere; & quicumque à serpentibus percussi erant, spectantes serpentem æneum, sanabantur. Quod quidem non sine dispensatione fiebat: vt qui terrenis curis, idolorum cultura, voluptatibus Satanæ, & quacunque impietate detinebantur; hoc saltem modo erigerentur aliquatenus ad superiora: & mortui quoad hæc inferiora, oculos attenderent ad sublimia; & rursum ab illis promouerent ad id
quod est altissimum: & ita paulatim gradientes ad sublimiorem & superiorem progeniem, cognoscerent esse
quendam Altissimum supra omnem creaturam. Eadem ratione iussit te Deus pauperem fieri; & omnibus venditis, largiri pauperibus, vt postmodùm (etiam si velis) denuò tepere super terram non possis. Itaque incipe scrutans cor tuum disputare cum cogitationibus tuis, inquiens: cùm nihil possideamus super terram; transeamus
ad cœlum vbi thesaurum habemus, & vbi negotiati sumus. Tum incipit mens tua aspirare ad sublimia, & supe-
C riora quærere, & in eo proficere. Verùm, quid indicat
Iob.3. Serpens ille mortuus qui affixus ad summitatem ligni, sanabat vulneratos? Ille vtique mortuus, Serpentes viuos
Superabat. Certè typus est corporis Domini. Nam Corpus quod accepit ex Maria, exaltauit in cruce, appendit
& affixit ligno; & ita corpus mortuum, vicit & interfecit Serpentem qui viuebat & reptabat in corde. Hic
grande miraculum est, quomodò Serpens mortuus occidit viuum. Alio quoque modo nouum opus fecit Moses,
quando similitudinem viui Serpentis effinxit: Ita etiam
Dominus, nouum opus ex Maria condidit quod ipse induit, non autem attulit corpus è cœlo! Spiritum cœlestem
introëuntem in Adam, creauit; & hunc cum diuinitate
temperauit, induitque carnem humanam quam formauit in vtero. Sicut ergo vsque ad Mosem non præceperat
Dominus in Mundo fieri Serpentem æneum; ita corpus
nouum à peccato immune, non apparuit in Mundo, vsque ad Christum: cùm enim primus Adam transgres-
D sus est mandatum; regnauit mors in vniuersos filios eius.
Vicit ergo corpus mortuum, Serpentem viuentem.
1.Cor.1. Quod quidem miraculum, *Iudæis quidem scandalum,*
d. *Græcis autem est stultitia*, nam quid dicit Apostolus?
Nos autem prædicamus IESVM CHRISTVM, *& hunc crucifixum; Iudæis quidem scandalum, Græcis autem stultitiam; nobis verò qui saluamur, Christum Dei virtutem & sapientiam.* Quandoquidem in corpore mortuo
sita est vita; ibi redemptio, ibi lumen, illic Dominus accedit ad mortem & disputat cum ea, impe-
ratque vt emittat animas ab inferno & morte, easque sibi reddat. Mox igitur his perturbata mors pergit ad ministros suos; congregatisque vniuersis Potestatibus
Princeps nequitiæ repræsentat chirographa; inquiens:
Ecce hi paruerunt verbo meo; vide, quomodo coluerunt nos homines. Deus autem qui iustus est iudex; & illic
patefecit iustitiam suam, aitque illi: obtemperauit tibi
Adam, & ob id occupasti vniuersum cor eius: paruit tibi
humanitas, hoc autem meum corpus quidnam egit? Illud
est à peccato immune. Corpus quidem primi Adæ obliga-

rum est tibi; & ob id iusta de causa sunt apud te eius chi- E
rographa: at mihi testificantur omnes, quòd non peccauerim, neque in aliquo tibi sum obligatus, quodque sum Filius Dei, omnes perhibent testimonium. Desuper enim
attestata est vox veniens è cœlis super terram: *Hic est Fi-* Matth.
lius meus dilectus, ipsum audite. Ioannes testimonium per- 17.a.
hibet, dicens: *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Et Ioan.1 d.
iterum Scriptura: *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est* Esai.53.
dolus in eo. Et: *Venit princeps mundi huius, & in me non ha-* c.
bet quicquam. Quinetiam tu ipse Satan de me testimo- 1. Ioa.2. d.
nium perhibuisti, dicens: *Noui te quòd sis Filius Dei.* Et Ioan.14
rursum: *Quid nobis & tibi,* IESV *Nazarene? venisti huc* d.
ante tempus torquere nos? Tres itaque testes habeo, nempe Marc. 3.
eum, qui de cœlis vocem emisit, eos, qui sunt super ter- b.
ram, & te ipsum. Redimo igitur corpus tibi venditum Matth. 8 d.
per priorem Adam: dissoluo tua chirographa, qui per- *Christi*
solui debita. Adæ, dum crucifixus sum, & in infernum *descen-*
descendi: Præcipio igitur vobis, infernæ tenebræ & *sus in infernum.*
mors, emittite animam Adæ inclusam. Et ita paulò pòst, F
improbæ potestates tremebundæ restituunt Adam inclusum. Cæterùm cùm audis, illo tempore Dominum liberasse animas ab infero & tenebris, atque descendisse ad
inferos, & præclarum opus peregisse, ne putaueris hæc
procul abesse ab anima tua, quoniam homo capax est &
susceptiuus mali. Mors enim detinet animam Adæ, &
animæ cogitationes in tenebris inclusæ sunt. Item, cùm
audis, *de monumentis*, non tantùm cogites de monumentis Matth.
exterioribus; nam etiam cor tuum est monumentum ac 27.
sepulchrum. Cùm enim princeps vitiorum & Angeli eius
illic nidum collocauerint, & ibi vias & itinera confecerint, per quæ potestates Satanæ obambulent in mente
tua & in cogitationibus tuis: nonne infernus es, sepulchrum, monumentum, ac etiam mortuus Deo? Illic enim
Satanas argentum reprobum impressit, in hac anima semina amara seminauit, & antiquum fermentum pistum
est, scaturit illic fons luti. Venit ergo Dominus ad animas quærentes illum, & descendit in profundum inferni
cordis, & illic imperat morti, dicens: emitte animas in- G
clusas, quæ me quærunt, quas vi detines. Effringit igitur
graues lapides animæ superpositos, aperit monumenta
suscitat verò mortuum; & educit è carcere tenebroso
animam inclusam. Quemadmodum hominis habentis
vinctos pedes manúsque catenis, quispiam vincula dissoluat, cúmque liberum dimittat in aperto deambulare: sic
Dominus animam ligatam catenis mortis, soluit à vinculis, & dimittit eam, liberans mentem, vt cum delectatione & sine labore ambulet in aëra diuinum. Non aliter
quàm si quis in pleno & medio flumine demersus, iaceat
in aqua mortuus, in medio ferocium animalium suffocatus, quem velit alius natandi minimè peritus saluare, qui
etiam ipse simul pereat & suffocetur: in eo negotio superest, vt requiratur artifex quidam natandi peritus, qui
in profundum sinum aquæ descendat, & inde referat eum,
qui demersus est, quique in medio belluarum iacebat: ipsa
verò aqua, vbi talem expertũ & naturæ scientem conspexerit, huic auxiliatur & eleuat eum in superficiem aquæ: H
hoc modo anima in abyssum tenebrarum & profundum
mortis demersa, suffocata est & mortua in conspectu
Dei, & medio dirorum animalium. Et quis potest in se- *Christus*
creta illa & profunda inferni mortisque descendere, nisi *duo intima penetrat.*
opifex ille, qui corpus condidit? Ipse vtique duas partes
penetrat nempe profundum inferni, & intimum sinum
cordis, vbi anima cum suis cogitationibus detinetur à
morte, & è profunditate tenebrosa mortuum Adam educit. Ipsa quoque mors exercitationis ratione hominẽ adiuuat, velut aqua natantem. Quid enim difficile est Deo,
penetrare mortem & imum sinum cordis, ac inde mortuum Adam reuocare? Siquidem in præsenti seculo sunt
domicilia & ædificia, vbi habitant homines; verum sunt
& alia, vbi bestiæ, & leones, dracones, & aliæ belluæ venenosæ habitant. Si sol igitur, cùm sit creatura, nihilominus ingreditur quocumq; per animalia illa, & feras, in antra leonũ & cauernas reptilium, & egreditur inde illæsus:
quantò magis Deus & Dominus omnium nidos ingreditur & domicilia, vbi mors habitat: penetrabit etiam

animas

A animas, illinc eripiens Adam, nec tamen vllo modo lædetur à morte? Pluuia quoque descendens è cœlo, peruenire solet ad inferiores partes terræ, vbi exiccatas radices humectat, & renouat producitque germen nouum. Alius est, qui angitur & affligitur dimicans cum satana: hic contritam animam habet, & sollicitudine ac mœrore confectus, lachrymas profundit, ac duplicem personam sustinet. Si igitur in hoc negotio firmus perseuerer in bello; Dominus est cum eo, & conseruat eum, quia diligenter quærit & pulsat ianuam, expectans quando illi aperiat. Item etiam si videatur tibi frater strenuus in ea difficultate, à gratia est confirmatus. Qui verò caret fundamento, non tantoperè Deum timet, nec contritum est cor eius; caretque metu, nec obseruat cor suum & membra, ne inordinatè ambulent, talis adhuc perditam habet animam suam, quia nondum ingressus est certamen. Alius est ergo is, qui est in certamine &
B afflictione: & alius, qui ignorat, quid sit bellum. Quandoquidem etiam semina, cùm in terram mittuntur, afflictionem sustinent à glacie, hyeme, & frigoribus aëris: postea tempore opportuno reuiuiscit germen. At interdum contingit, vt satanas in corde tecum disputet, inquiens: vide, quanta mala commisisti! Ecce, quanta socordia plena est anima tua, quàm valde onustus es peccatis, & quòd non possis vltrà saluari! Sed hæc agit, vt adigat te in desperationem, tibique persuadeat, non esse gratam pœnitentiam tuam. Nam vbi malitia per transgressionem introitum cœpit habere: postea singulis horis altercatur cum anima, tanquam homo cum homine. Tu verò responde illi sic: Habeo scripta Domini testimonia nempè: *Nolo mortem peccatoris, sed pœnitentiam, vt conuertatur ipse à via peruersa, & viuat.* Nam propterea descendit Dominus, vt peccatores saluaret, mortuos suscitaret, & à morte vulneratos vitæ restitueret, eosque qui in tenebris erant, illuminaret. Re enim vera Dominus adueniens vocauit nos in adoptionem filiorum, ad sanctam & pace plenam ciuitatem, ad vitam
C nunquam morituram, ad incorruptibilem gloriam, modò nos principio nostro bonum finem imponamus perseuerantes in paupertate, peregrinatione, afflictione, & postulationes erga Deum, sine vllo pudore pulsantes ianuam. Quemadmodum enim corpus propinquum est animæ: ita propinquior est Dominus ad veniendum & aperiendum fores occlusas cordis nostri, & ad conferendum nobis diuitias cœlestes. Quippè bonus est & humanus, nec vllo modo fallunt promissiones eius, modò non desinamus vsque ad finem, illum inquirere. Gloria sit miserationibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti in secula; Amen.

Satanas interdum suadet desperationem.

Ezech. 33.

DE STATV ADÆ, POST IMAGINEM Dei perditam.

HOMILIA XII.

D ADam transgressus mandatum duobus modis periit: priore quidem modo, quia perdidit puram & speciosam illam possessionem naturæ suæ, quæ creata erat ad imaginem & similitudinem Dei: altero modo, quoniam imaginem illam amisit, per quam promissionem acceperat totius hæreditatis cœlestis. Perinde ac si moneta regis imaginem habens adulteretur, non tantùm perit aurum, sed etiam imago nullius est momenti: tale quidpiam Adæ contigit, cui opes ingentes & locupletissima hæreditas erat præparata, veluti prædium aliquod amplissimum, & multi reditus, in quo sint fructuosæ vites, alibi fertiles agri, illic greges, alibi aurum & argentum. Ita vas Adæ, antè inobedientiam erat veluti locus quidam pretiosus: at vbi cœpit habere prauas cogitationes & commenta, periit à conspectu Dei. Non tamen dicimus, quòd prorsus interierit, ac deletus sit & mortuus, sed quòd quantum ad Deum mortuus sit, sua tamen natura viuit. Nam ecce mundus vniuersus obambulat in terra & negotiatur: verùm oculus Dei mentem

Adamus duplicem per peccatum fecit iacturã.

ipsam cernit & cogitationes, & veluti circumspicit ac E despicit, nec cum eis vllam contrahit societatem, quia nihil cogitant, quòd Deo sit gratum. Tanquam si essent diuersoria & lupanaria, aut loca similia, in quibus multa inordinatè & intemperanter committi solent: quæ, si transierint pij homines, execrantur, & videntes non vident, tanquam sint apud illos mortua: ita Deus eos, qui deficiunt à verbo & mandato suo, circumspicit quidem, attamen despicit eos, nec cum illis quicquam habet commercij, nec requiescit in cogitationibus illorum Dominus.

Interrogatio. Quomodo potest quispiam pauper esse spiritu, maximè cum apud se senserit, se translatum esse, profecisse, ad notitiam denique & intellectum peruenisse quem antea non habebat?

Responsio. Quamdiu quis hæc possidet & promouet, non est spiritu pauper, sed de seipso præsumit: quando verò deuenerit ad talem intellectum & promotionem, F ipsa gratia docet eum, re vera quidem iustum & electum Dei pauperem esse spiritu, vt qui de se nihil existimet, sed animo sit vilis & abiectus, tanquam nihil habens aut sciens, quamuis multa habeat & sciat, quod quidem naturale & concretum in mente hominum. Num vides, quòd primus pater noster Abraham, cùm esset electus, terram & cinerem seipsum nominabat? Dauid etiam Gen. 18. 27. vnctus in regem, Deum habebat secum: quid tamen ait? Psal. 21. *Vermis sum, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis.* Qui volunt ergo horum esse cohæredes & conciues ciuitatis cœlestis, & cum eis glorificari; hac humilitate debent esse prædití, neque apud se existimare, se aliquid esse, sed cor contritum habere. Quamuis enim gratia in vnoquoque Christianorum varia opera edat, & diuersa membra habeat, omnes tamen sunt eiusdem ciuitatis, animi, & linguæ, se mutuò cognoscentes. Sicut membra multa sunt in corpore, vna verò in omnibus anima, quæ mouet illa: ita spiritus vnus in omnibus operatur diuersimodè, eiusdem tamen sunt ciuitatis & viæ. Omnes enim iusti per viam angustiæ & afflictionis am- G bulauerunt, persecutionem & tribulationem sustinentes & contumelias, in pellibus caprinis, speluncis & cauernis terræ viuentes. Similiter & Apostoli ad hanc vsque horam dicunt: *Et esurimus & sitimus, nudi sumus, contumeliis afficimur, & instabiles sine sede viuimus,* quorum nonnulli capite truncati sunt, alij cruci affixi, alij autem variis modis afflicti. Quinetiam ipse Dominus Prophetarum & Apostolorum, tanquam oblitus gloriæ diuinæ; quomodo conuersatus est? Ille nobis se præbet exemplum, contumeliis affectus, spineam coronam in capite gestauit, sputa quoque, colaphos, & crucem sustinuit. Quapropter si Deus ita conuersatus est super terram, tu debes eum imitari. Cùm etiam Apostoli & Prophetæ sic versati sint: ita nos quoque si velimus superædificari supra fundamentum Domini & Apostolorum, debemus illorum esse imitatores. Nam inquit Apostolus per spiritum: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Quòd si 1. Cor. 4. d. gloriam hominum amplecteris, & ab eis coli expetis, & H cum delectatione viuere desideras, à via diuertisti. Nam oportet te simul crucifigi cum crucifixo, & cum eo, qui passus est, pati, vt sic cum glorificato glorificeris. Siquidem sponsa pati debet cum sponso, & ita socia & cohæres Christi. Non datur enim cuipiam sine tribulationibus, aut per aliam viam quàm asperam, angustam & afflictionis plenam, ingredi ciuitatem Sanctorum, & requiescere ac regnare cum rege per infinita secula.

Interrogatio. Cùm perdiderit Adam propriam imaginem & cœlestem, igitur si particeps erat imaginis cœlestis, Spiritum sanctum habebat?

Responsio. Habebat vtique, quamdiu verbum Dei erat cum illo, & mandatum continebat omnia. Nam hoc ipsum verbum erat ei hæreditas, erat indumentum, & gloria operiens eos, erat doctrina. Nam concessum illi erat, omnibus nomina imponere, qui hoc nuncupauit cœlum, illud Solem, hoc Lunam, illud terram, hoc volatile, illud belluam, aliud arborem, sicut edocebatur, ita appellabat.

A *Interrogatio.* Habebatne sensum & communicationem sancti Spiritus?

Responsio. Verbum ipsum cum eo manens, erat ei omnia, siue cognitio, siue sensus, siue hæreditas, seu disciplina. Nam quid ait Ioannes de Verbo? *In principio erat Verbum.* (Ioan. 1. a.) Vides, quòd Verbum erat omnia. Quòd si etiam extrinsecus cum eo gloria erat, non propterea scandalizemur, quia dicitur, quòd nudi erant, nec mutuò se videbant. Sed post transgressionem mandati, tunc se nudos esse cognouerunt, & pudore sunt perfusi.

Interrogatio. Ergo antea vestimenti loco induebantur gloria Dei?

Responsio. Quemadmodum Spiritus in Prophetis operabatur, & docebat eos, & intra eos erat, & exteriùs illis apparebat: ita & in Adam, quando volebat spiritus, erat cum eo, & docebat, & moderabatur. Itaque sic vno verbo conclude: Verbum apud eum erat omnia, & quamdiu mandatum seruabat, amicus erat Dei. B Cæterùm quid mirum, si in eo statu existens, transgressus est mandatum, cùm etiam illi, qui Spiritu sancto repleti sunt, non careant cogitationibus naturalibus, & voluntate, per quam illis consentiant? (*Nihil mirum est, quod Adam peccauit.*) Ita Adam, cùm esset cum Deo in paradiso, à seipso & propria voluntate transgressus est, & deteriori portioni paruit, verùm post transgressionem notitiam habuit.

Interrogatio. Qualem?

Responsio. Quemadmodum cùm latro comprehensus trahitur ad iudicium, & eius causa dici incipit, rogat eum magistratus, cùm hæc mala committeres, nesciebas te comprehendi posse, & extremum supplicium passurum? Non audet ille dicere, Nesciebam: nouit enim, & tractus ad supplicium, omnia confitetur. Itidem qui stuprum committit, ignoratne, quòd perperam agat? Et qui furatur, ignoratne se peccare? Sic etiam remotis Scripturis, nonne cognôrunt homines, sola ratione naturali Deum esse? (*Homines sola naturali ratione nouerunt Deū esse.*) Non possunt itaque in illa die dicere; non noueramus quòd Deus sis: recenset enim eis tonitrua & fulgura de cœlo emissa, dicens: Ignoratis esse Deum, qui regit creaturam? C Quid igitur clamabunt dæmones: *Tu es filius Dei?* (Matth. 3. b.) Quare venisti ante tempus torquere nos? In tormentis quoque dicunt, Vris me! (*Dæmones in tormentis fatentur se vri à Deo.*) Non nouerant igitur lignum scientiæ boni & mali, sed transgressio Adæ notitiam dedit. Quisque enim incipit interrogare, in quo statu erat Adam, & quid agebat? Ipse enim Adam scientiam acceperat boni & mali. Postea audimus ex scripturis, quòd in honore & innocentia erat, sed transgressus mandatum, eiectus est de paradiso, & illi succensuit Deus. Præterea præstantiam suam didicit, ac calamitatem suam edoctus, sibi cauet, ne per peccatum vlterius incidat in iudicium mortis. Cæterùm vtique nouimus, quòd omnis creatura Dei per ipsum gubernatur. Ipse enim creauit cœlum, terram, animalia, reptilia, belluas, quas videmus, numerum autem eorum ignoramus. Quis enim hominum hoc nouit, excepto Deo solo, qui est in omnibus, etiam in fœtibus imperfectis animalium? nonne ipse scit omnia, quæ sub terra sunt, & super cœlos? D His ergo prætermissis demus operam tanquam boni mercatores, vt cœlestem hæreditatem assequamur, & ea quæ conferunt animæ nostræ. Discamus eas possessiones consequi, quæ permansuræ sint nobiscum: nam si cœperit homo scrutari sensum Dei, ac dicere: Inueni quidpiam & comprehendi, reperietur humana mens excedere sensum Dei. Sed in eo multum aberrat: Quantò enim plus volueris cognoscendi ratione scrutari ac penetrare, tantò plus in profundum descendes, & nihil comprehendes. Quæ enim meditaris, & quid quotidie tibi accidat, & quomodo arcana sunt hæc & incomprehensibilia, quæ tantùm cum gratiarum actione suscipere & credere debemus. Siquidem potuistine ex quo natus es, ad hoc vsque tempus nosse animam tuam? Recita mihi, quæso, scaturientes in te cogitationes à mane vsque ad vesperam. Dic mihi commentationes trium dierum. At non potes! Si igitur assequi non potuisti cogitationes animæ tuæ, cogitationes & mentem Dei quî potes inuestigare? Verùm ede tu panem, quantum reperies, & vniuersam terram dimitte. E Abi ad ripam fluminis, & bibe quantum tibi opus est, mox recede, nec curiosè inuestiges, vnde nascatur aut quomodo fluat. (*Curiositas fugienda.*) Cura tantùm, vt sanetur pes tuus, aut morbus oculi tui, vt cernere possis lumen Solis, & ne quæsieris, quantum lucis habeat Sol, aut in quoto signo oriatur. Quod tibi commodo cedit, accipe. Ad quid enim pergis ad montes, & quæris, quot illic pascantur onagri & bestiæ? Et puellus, quando accedit ad vbera matris, lac sumit, & nutritur, non tamen nouit scrutari radicem aut fontem, vnde sic influat lac. Lac enim sugit, omnemque modulum lactis exhaurit, ac mamilla denuò alia hora impletur: hoc ipsum neque puellus nouit, neque mater eius, etsi re vera ab omnibus membris maternis lac proficiscatur. (*Lac proficiscitur ex omnibus membris.*) Si quæsieris ergo Dominum in profundo, illic reperies eum signa facientem. (Ioan. 2.) Si quæras eum in lacu, illic reperies eum in medio duorum leonum consistentem iustum Danielem. (Dan. 7. Dan. 6.) Si verò quæras eum in igne, reperies illic opem ferentem seruis suis. (Matt. 17.) F Sin autem in monte, reperies eum illic cum Elia & Mose. Est igitur vbique, & sub terra, & super cœlos, seu apud nos, vbique est. Hoc etiam modo anima propè te est, intra & extra te. Vbi enim volueris, apud longas regiones est mens tua, siue Occidentem versus, siue ad Orientem, siue in cœlis, illic reperitur. Enitamur igitur potissimùm in nobis ipsis habere cauterium & sigillum Domini: quoniam in die iudicij quando fiet à Deo separatio illa, & congregabuntur vniuersæ tribus terræ filiorum Adam, (Matt. 15.) cùm vocabit pastor gregem suum, quicunque habuerint cauterium, cognoscent proprium pastorem. Pastor quoque eos, qui suo signo notati fuerint, cognoscet & congregabit ex omnibus gentibus. Nam qui sunt sui, audiunt vocem eius, & sequuntur eum: In duasque partes diuidetur mundus, eritque vnus grex tenebrosus, qui perget in ignem æternum, alter lumine plenus, qui deducetur ad quietem cœlestem.

Hoc igitur ipsum, quod nunc in anima possidemus, tum splendescet & manifestabitur, induetque corpora gloria. G Quemadmodum tempore mensis Aprilis radices in terra latentes, fructus suos & flores ac speciosa quæque producunt, & fructum afferunt, patefiuntque fructuosæ radices, similiter & illæ, quæ spinas habent: sic & in illa die quisque in corpore suo declarabit, quæ gessit, patebuntque tam bona, quàm mala; tunc enim erit vniuersale iudicium & retributio. Est enim alius cibus præter hunc visibilem: nam cùm ascendit Moses in montem, ieiunauit quadraginta dies: (Exod. 34.) ascendit homo, descendit habens Deum. Ipsi iam perspicimus in nobis, intra paucos dies deficere corpus, nisi sustentetur cibis: Moses autem cùm quadraginta dies ieiunasset, fortior omnibus descendit, siquidem alebatur à Deo, & regebatur corpus illius alio cibo cœlesti, quia verbum Dei erat ei pro alimento, & gloria relucebat in facie eius. Et quod gerebatur, alterius rei figuram præseferebat; quoniam illa gloria nunc intus splendet in cordibus Christianorum. Siquidem resurrectionis die corpora resurgentia alio & diuino vestimento operientur, & vescentur cibo cœlesti. H

Interrogatio. Quidnam est illud, *Mulier orans non velato capite?* (1. Cor. 1.)

Responsio. Quoniam Apostolorum temporibus promissos alebant crines pro velamento: propterea Dominus & Apostoli venerunt ad corrigendam creaturam. Mulier autem gerit typum Ecclesiæ. Et quomodo exteriùs tempore illo mulieres loco velaminis, passos crines habebant; sic & Ecclesia filios suos diuinis & gloriosis vestimentis induit & circumdat. Sed antiquitùs Ecclesia Israëlitica vna erat congregatio, quæ protegebatur à Spiritu sancto: & pro gloria spiritum induerant Israëlitæ, licèt ipsi non valde consonarent. Dicitur ergo Ecclesia tum de pluribus, tum de vna anima: nam anima ipsa omnes cogitationes coaceruat, & est apud Deum Ecclesia; quia quadrat in societatem cum Sponso cœlesti, & temperatur cum illo, qui cœlestis est, quod non tantùm in pluribus, sed etiam in vno potest intelligi.

Nam

A Nam de Hierusalem Propheta, inquit: *Inueni te desertam & nudam, & indui te*, & reliqua, tanquam de vna persona locutus.

Interrogatio. Quid est, quod Martha dixit Domino de Maria, nempè: *Ego torqueor circa multa, ipsa verò tibi assidet?* Luc.10.g.

Responsio. Dominus præoccupans quod Maria dicere debebat Marthæ, ait illi, quòd Maria dimiserat omnia, & sedebat ad pedes Domini, ac per totam diem Deum benedicebat. Vides, assidendi beneficium pro dilectione collatum? Verùm vt clariùs pateat sermo diuinus audi. Si quis diligit Iesum & illi attendit; attendit, inquam, diligenter & non frigidè, sed perseuerat in dilectione, iam cogitat Deus donare quidpiam eiusmodi animæ pro tali dilectione, licèt homo ignoret quid accepturus sit, qualemve portionem Deus daturus sit animæ. Mariæ siquidem, quæ illum diligebat, & sedebat ad pedes eius, non simpliciter adhæsit; sed virtutem quandam secre-
B tam è sua ipsius substantia contulit ei. Nam sermones, quibus Deus quietè Mariam alloquebatur, spiritus erant & virtus quædam, penetrabantque cor huiusmodi verba, & anima animam, & spiritus spiritum, crescebatque diuina virtus in corde illius. Necessariò enim virtus illa in quemcumque se effuderit, firma permanet tanquam possessio, quæ auferri non potest. Propterea Dominus sciens, quid Mariæ contulisset, ait: *Maria optimam partem elegit.* Paulò post autem, quæ Martha beneuolè gesserat circa ministerium, retulit ad eandem liberalitatis gratiam: nam illa quoque virtutem diuinam in anima sua recepit. Sed quid mirum, si accedentes ad Dominum, & adhærentes ei corporaliter, accipiebant virtutem, cùm Apostolis verbum loquentibus; ceciderit super
Act.10. Credentes Spiritus sanctus à Cornelius ex verbo audito
Luc.19. consecutus est virtutem, quantò magis cum Dominus
Luc.7. loqueretur verbum cum Maria, Zacchæo, aut peccatri-
Ioan.4. ce, quæ solutis capillis abstergebat pedes Domini, aut
Luc.13.
C cum Samaritana, aut latrone, emittebatur virtus, & cum eorum anima permixtus est Spiritus sanctus? Nunc quoque qui Deum diligunt, & relictis omnibus in oratione perseuerant, docentur secretò quæ non nouerant. Ipsa enim veritas secundum illorum intentionem se exhiber
Ioan 14 illis, & docet eos: *Ego sum veritas.* Ipsi etiam Apostoli
a. ante passionem versantes cum Domino, signa magna videbant, nempè quo pacto leprosi mundabantur, & suscitabantur mortui, ignorabant tamen quomodo versaretur diuina virtus, aut se haberet in corde, quodque opotteret eos spiritaliter renasci; & commisceri cum anima cœlesti, & fieri nouam creaturam; verùm propter signa, quæ faciebat, diligebant Dominum, qui postea dixit illis: quid admiramini signa? Hæreditatem opimam do vobis, quam mundus vniuersus non habet. Sed hæc verba tamdiu illis peregrina fuerunt, donec surrexit à mortuis Dominus, & pro nobis extulit corpus super cœlos. Tunc enim introiit Spiritus paracletus, eorum animis permixtus. Ipsa quoque veritas seipsam pate-
D facit fidelibus animis, acceditque cœlestis homo ad hominem tuum, & inde fit vna societas. Quicumque igitur ministrant, & alacriter omnia peragunt, zelo, fide ac dilectione Dei permoti, hoc ipsum aliquanto pòst tempore traducit illos ad notitiam veritatis. Dominus enim patefit eorum animis, & docet eos conuersationem sancti Spiritus. Gloria & adoratio Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in secula, Amen.

QVEM FRVCTVM A CHRISTIANO Deus exigat.

HOMILIA XIII.

Omnia quæ cernuntur, creauit Deus, dedirque hominibus, vt inde recreentur & delectentur. Legem quoque iustitiæ dedit eis. Cæterùm ab aduentu Christi fructum alium atque aliam iustitiam requirit Deus, nempè puritatem cordis, conscientiam bonam, sermones vtiles, castas & probas cogitationes, omnia deniqùe
E sanctorum officia. Ait enim Dominus: *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, non potestis ingredi regnum cœlorum: In lege scriptum est: non mœchaberis: Ego autem dico vobis, ne concupiscas neve irascaris:* Oportet enim eum, qui desiderat amicus esse Dei, conseruare se à sordibus peccati, & ab igne æterno, qui viget in nobis: hoc enim nos regno dignos faciet. Gloria miserationi illius & beneuolentiæ Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Matth. 6.e.

QVI SE DEDICANT DEO, NON sine spe remunerationis id faciunt.

HOMILIA XIV.

Vniuersa opera, quæ spectantur in hoc mundo, spem ob aliquam fiunt: nempè mercedis recipiendæ gratia laborum suorum. Itaque nisi quis certissimè sibi persuadeat, se fructum laboribus, nihil promouet. Nam & agricola seminat sub spe recipiendorum fructuum, & labores sustinet propter expectationem. *In spe*, inquit, *debet qui arat, arare.* Et qui ducit vxorem, sub spe hæredum habendorum ducere solet. Mercator quoque lucri gratia mari & promptissimæ morti seipsum committit. Eadem ratione & in regno cœlorum; ob spem, quam quis concepit de cordis oculis illuminandis, seipsum dedicat (relictis rebus secularibus) dans operam precibus & obsecrationibus, expectans Dominum, quando veniens seipsum illi patefaciat, & expurget eum à peccato habitante in eo. Nec tamen confidit propter labores suos aut vitæ rationem, donec consequatur quæ spetat, & quoad Dominus veniat, qui habiter in eo cum omni sensu & efficacia Spiritus sancti. Cùm autem gustauerit suauitatem Domini, & fructibus spiritus delectatus fuerit, & ablato velamine tenebrarum lux Christi lucere cœperit, & vim suam educere cum gaudio inenarrabili, tunc roboratur, habens secum Dominum per multam dilectionem, sicut ibi gaudet mercator, dum quæstum facit: angitur tamen & metuit à latronibus & spiritibus nequitiæ, necubi negligentior perdat operam, donec perueniat ad regnum cœlorum, in ciuitatem Hierusalem supernam. Igitur obsecremus & nos Deum, vt exuat nos veterem hominem, & induat cœlestem Christum ex hoc iam tempore, vt exultantes & ab ipso directi, in multa tranquillitate viuamus. Inquit enim Dominus; cùm copiosum regni gustum nobis præbere vellet, *sine me nihil potestis facere.* Porrò etiam Apostolorum ministerio multos nouit illuminare (qui enim alioqui creaturæ erant, conseruos educabant) & fratrem ac filium Christi facere, & aliquid præstantius quàm cæteri homines: quippè qui cor ipsum & mentem consecrabant, similiter & cogitationes; ad Deum fixis oculis intuendum, qui secretò largiebatur vitam, & opem ferebat cordi, seipsum committens illi. Cùm enim quis secreta sua (nempè mentem & cogitationes) dedicat Deo, nulli alteri rei aut inutili cogitationi dans operam, sed vi seipsum cohibet, tum Dominus eum mysteriorum participem facit, in maiore sanctimonia & puritate, in cibumque cœlestem sese largitur, ac potum spiritalem. Quemadmodum si quis cùm multa bona, seruos ac filios possideat, cibis alios seruos pascit, & aliis proprios filios è semine suo natos, quia filij sunt hæredes patris, & cum eo manducant, vtpotè patri suo propemodùm æquales: ita Christus, qui verus est Dominus, omnia creauit, nutritque prauos & ingratos, sed filios, quos è semine suo genuit & participes effecit gratiæ suæ, in quibus formatus est Dominus, peculiari refectione, alimento, cibo & potu, præter cæteros homines enutrit, largiturque se illis conuersantibus cum patre suo, sicut ait Dominus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, & mortem non videbit.* Nam qui veram hæreditatem consequuntur, sunt tanquam filij ex cœlesti patre geniti, & in domo patris sui viuunt,

Spe mercedis fiunt omnia. F 1.Cor.9.b. G Ioan.15.a. H Ioan.6.f.

A vt ait Dominus: *Seruus non manet in domo, sed filius manet in æternum.* Igitur si velimus ex cœlesti patri nasci, debemus præclarius quippiam quàm reliqui homines agere, nempè studio, labore, zelo, charitate, bona vitæ conuersatione, in fide & timore viuere, vt hi qui tanta bona consequi desiderant, & Deum hæreditario iure possidere: *Dominus* enim *pars hæreditatis meæ & calicis mei.* Et ita Dominus animaduertens propositum illud bonum, & patientiam, misericordiam suam exhibet: ac verbo suo cœlesti purificans nos & mentes mortuas & corruptas, per bonam ipsorum Apostolorum conuersationem atque doctrinam suscitat & viuificat. Nam creatura fouet & viuificat alteram creaturam; quemadmodum semina frumenti atque hordei fouentur à nubibus, quæ tamen sunt creaturæ. Itidem pluuia & sol viuificant ea, quæ sibi mandata fuerint. At sicut lumen per fenestram ingreditur, sol verò in vniuersam terram radios emittit: ita Prophetæ luminaria erant peculiaris domus B Israël dumtaxat: Apostoli verò erant soles emittentes radios in omnes partes mundi. Est ergo terra aliqua, in qua quadrupedia habitant: est quoque terra in aëre, in qua volitant aues & viuunt, quæ si voluerint super terram consistere aut deambulare, reperiunt aucupes, à quibus capiuntur: est etiam terra piscium, nempè aqua maris. Vnumquodque ergo, in quo loco natum fuerit, siue in terra, siue in aëre, illic degit, pascitur ac requiescit.

Ioan. 8. d.

Psal. 15. b.

Sanctorum spirituũ ordines.

Ad eundem quoque modum est terra & patria satanæ, in qua versantur, obambulant & requiescunt Angelorum atque sanctorum spirituum ordines interiecti. Itaque nec terra tenebrosa his oculis videri potest aut palpari, neque terra diuina & lucida palpatur aut videtur oculis carneis, sed spiritalibus patet, nempè oculo cordis, ea scilicèt, quæ pertinet ad satanam, oculo cordis tenebrarum: quæ verò lucida est, oculo cordis diuino. Cæterùm vt profano sermone perhibentur, quidam sunt montes ignei, in quibus ignis permanet, & illic C sunt animalia ouibus similia, ad quæ capienda venatores rotas ferreas conficiunt, & proiectos hamos mittunt in ignem, propretereà quod animalibus illis loco pabuli, potus, requietis, incrementi, vitæ, omnium denique rerum vice est ignis. Quæ si traducas in alium aërem, statim intereunt. Indumenta eorum vbi sordibus maculata fuerint, non aqua, sed igne lauantur, & inde puriora fiunt & candidiora. Eadem ratione etiam Christiani alimenti loco habent illum ignem cœlestem, qui illis est requies, expurgat, lauat & sanctificat cor illorum, præbet illis augmentum, illis denique est aër & vita. Qui si inde egrediantur, interimuntur à malignis spiritibus, sicut ibi animalia ignem egredientia moriuntur, aut pisces aquam deserentes, aut animalia quadrupedia in mare proiecta suffocantur, aut velut volatilia ambulantia super terram, quæ capiuntur ab aucupibus. Sic etiam anima, quæ non permanet in terra illa, suffocatur & interimitur: quæ nisi obtinuerit illum ignem diuinum loco ciD bi, potus, indumentorum, purificationis cordis, & sanctificationis animæ, comprehenditur à malignis spiritibus & corrumpitur. Nos autem videamus, an in terra illa inuisibili seminati simus, & in vinea cœlesti plantati. Gloria miserationibus illius, Amen.

Montes ignei.

Animalia quædam, quibus omnium rerum vice est ignis.

QVAM SANCTE ET CASTE SE gerere debeat anima Christiani erga Christum sponsum suum.

HOMILIA XV.

QVemadmodum si rex quidam præclarus & vir valde locuples, gratam sibi reperiat mulierem pauperem, quæ nihil excepto corpore suo possideat, cuius amore captus velit etiam eam habere vxorem & coniugem: illa verò summa beneuolentia virum complectatur, illæso seruato, quo complectitur eum amore; ecce pauper E illa & egena, quæ nihil possidebat, omnium bonorum fit domina, quæ sunt apud virum suum. Quòd si quippiam gesserit præter decorum aut aliter quàm debuit, neque decenter versata sit in domo viri sui, tum turpiter & contumeliosè expellitur, ambabus manibus super caput positis, quemadmodum & in lege Mosis traditum est de muliere lubrica, & quæ se viro suo inutilem præbuit. Illaque tum ingenti mœrore & luctu afficitur, secum reputans, quantis facultatibus lapsa sit, quantaque gloria & honore priuata propter suam intemperantiam.

Num. 5. 18.

Ad eundem modum anima, quam Christus sponsus cœlestis sibi desponsauerit in societatem suam mysticam ac diuinam, quæve gustauerit opes cœlestes, diligenter & ingenuè placere debet sponso suo Christo, ac ministerium Spiritus sancti sibi creditum, decenter & conuenienter implere, nempè Deo placens per omnia, & Spiritum in nullo contristans, præclaram erga illum temF perantiam ac dilectionem, sicut oportet conseruans, in domo Regis cœlestis rectè conuersans, quacumque potest beneuolentia sibi datam gratiam amplexa. Eiusmodi anima omnium bonorum Christi domina constituitur, fitque corpus eius præclarum diuinitatis illius habitaculum. Si verò quid aberret, aut in ministerio suo quippiam agat præter decorum, nec egerit quæ Domino grata sunt, & voluntati eius non fuerit obsecuta, neque cum gratia Spiritus secum habitante cooperata fuerit, tum contumelia atque ignominia afficitur, ac velut inutilis minimeque conueniens societati Regis cœlestis, vita priuatur: randem illa tristitia, mœrore ac luctu cum omnibus sanctis ac Spiritibus intellectualibus conficitur: Angeli, Potestates, Apostoli, Prophetæ atque Martyres lugent eius causa. Quemadmodum enim *gaudium est in cœlo,* vt inquit Dominus, *super vno peccatore pœnitentiam agente:* ita tristitia multa est & luctus in cœlo propter vnam animam ab æterna vita cadentem. Et sicut in hoc seculo si quis diues obierit, cum cantu lugubri, lamentatione & planctu effertur à vita per suos G fratres, cognatos, amicos & familiares: ita propter vnam animam omnes Sancti lugent, lamentantur, ac voces lugubres emittunt. Atque hoc alibi subindicat Scriptura: *Cecidit pinus, lugete cedri.* Sicut enim cùm populus Israëliticus videbatur placere Domino (licèt ei nunquam placuerit quo decet modo) columnam nubis habebat obumbrantem, & prælucentem columnam ignis, mare videbat in conspectu diuidi, & perlucidam aquam è petra egredi: vbi verò mens & voluntas eorum auersa est à Deo, tum serpentibus traditi sunt ac hostibus suis, per miseram captiuitatem abducti, & duræ seruituti subditi. Idem prorsus contingit animis nostris. Quod quidem Spiritus sanctus mysticè patefecit per Ezechielem Prophetam, dum de istiusmodi anima sub nomine Hierusalem loqueretur: *Inueni te,* inquit, *in deserto nudam, & laui te ab aqua impuritatis tuæ, & indui te vestimentum, & armillas circumposui manibus tuis, &* H *torques circa collum tuum, & inaures auribus tuis, & facta es mihi nominata inter omnes gentes; Similam & oleum ac mel comedisti, & denuò oblita es beneficia mea, abisti post amatores tuos, & cum pudore fornicata es.* Eodem modo etiam Spiritus admonet animam, quæ per gratiam cognoscit Deum, & purificata est à pristinis peccatis, ac ornamentis Spiritus sancti dotata, & prægustauit diuinum ac cœlestem cibum: ob id tamen, quod non sicuti decebat, diligenter in ea notitia versata est, nec decenter beneuolentiam ac dilectionem Christo sponso cœlesti debitam conseruauit, proiicitur & expellitur à vita, cuius erat facta particeps. Nam potest etiam satanas insurgere & eleuari contra eos, qui ad eum vsque gradum peruenerunt; & contra eos, qui per gratiam & virtutem Deum cognouerunt, adhuc nequitia insurgit, & eos perturbare nititur.

Luc. 15.

Luctus in funeribus diuitum.

Zach. 11. a.

Exod. 14.

Ezech. 16. a.

Quapropter certandum est, & summa prudentia nobis cauendum, vt cum timore salutem nostram operemur, sicut scriptum est: *Quicumque ergo facti estis participes*

Phil. 2. b.

A *Spiritus Christi*, in nullo, pusillo vel magno contemptim vos geratis, neque gratiam Spiritus contumelia afficiatis, ne exuleris à vita, quam iam adepti estis. Hoc ipsum & in alia persona dicam: Sicuti seruus, qui ad palatium aliquod accesserit, vt tractet supellectilem ministerio deputatam, ex iis quæ ad regem pertinent, sumit, cùm alioqui nudus ipse venerit, ministrátque regi in vasis ad regem pertinentibus: in quo nihilominus peragendo, summa prudentia ac discretione opus habet, ne quid præter decorum ministret, alia pro aliis esculenta apponens mensæ regiæ, sed vt deinceps prima atque postrema cibaria apponat: qui si fortè per ignorantiam, & sine discrimine, non ex ordine regi ministrauerit, periculo mortíque fit obnoxius. Sic & anima, quæ per gratiam & Spiritum Deo seruit, non parua discretione ac prudentia opus habet, ne fallatur in supellectili diuina (nempe in ministerio spiritali) propriam habens voluntatem gratiæ non consentientem. Nam vtique fieri potest, vt in spiritali ministerio, quod per interiorem hominem clàm peragitur, anima ex propria supellectili, hoc est, spiritu proprio, Domino ministret. Veruntamen absque vasis Dei, hoc est, sine gratia, impossibile est, quempiam Deo seruire, hoc est, Deo gratum esse, ad quamcumque eius voluntatem. Cæterum vbi anima gratiam est adepta, tum intellectu multo atque perspicacia opus est, quæ etiam ipsa largitur Deus animæ ab eo postulanti, vt gratissimè illi possit inseruire in eo spiritu, quem accepit, & in nullo vincatur à malitia, aut fallatur per ignorantiam, temeritatem ac ignauiam auersa, peragens omnia præter decorum dominicæ voluntatis. Talem enim animam manet supplicium, mors & luctus: quod diuinus etiam Apostolus dixit: *Ne fortè, cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Vides, cùm Dei Apostolus esset, quo pacto timebat? Obsecremus igitur Deum, vt quicumque gratiam Dei consecuti sumus, seruitium spiritus secundum voluntatem eius exhibeamus, promptissima voluntate, neque elato viuamus animo, vt hoc modo illi gratissimo conuersantes, & spiritali cultu secundum voluntatem eius seruientes illi, vitam æternam hæreditario iure possideamus. Si fortè quis ægrotet, contingere tamen potest, vt membra quædam sana habeat: verbi gratia; in parte visiua oculum, aut aliquod aliud membrum, cùm alioqui reliqua membra sint affecta: ita se habet in re spiritali. Probabile est enim, quempiam tria membra spiritus habere sana, sed non propterea perfectus est. Vides quot gradus & modi sunt apud spiritum, quomodo item non in momento, sed paulatim vitium augescit & imminuitur? Vniuersa fiunt prouidentia & dispensatione Domini. Solis ortus & omnes creaturæ factæ sunt propter regnum, quod adepturi sunt electi, nempe ad constituendum regnū pacificum & concordiæ plenum. Debent igitur Christiani per omnia contendere, ne quempiam omnino iudicent, siue meretricem prostitutam, siue peccatores aut inordinatè viuentes, sed simplici intentione & puro oculo omnes spectare, ita vt hoc ipsum sit cuique quasi naturale & concretum, ne quempiam floccipendat aut iudicet, néve execretur aut habeat in aliquo discrimine. Si monoculum spectaueris, ne diiudices in corde tuo, sed perinde si sanus esset, illum intuere: mancum aspice, quasi non mancum: claudum, velut rectè incedentem: paralyticum, sicut valentem: Ea est enim puritas cordis, vt videns peccatores aut infirmos, compatiaris, & misericordia mouearis in illos. Nam hoc adepti sunt sancti Domini, vt velut in specula sedentes contemplentur deceptiones seculi, ipsíque secundum interiorem hominem cum Deo loquuntur, secundum exteriorem verò videntur oculis intuentium quasi spectatores eorum, quæ fiunt in hoc mundo. Seculares igitur aliam vim consecuti sunt à spiritu erroris, nempe vt sapiunt ea, quæ terrena sunt, & alterius voluntatis, animi, sæculi aut ciuitatis sunt Christiani. Nam in eorū animis residet Spiritus Dei, & conculcant aduersarium. Scriptum est enim: *Nouissimè inimica destruetur mors.* Itaque qui Deum colunt, sunt omnium

Anima cauendū est ne Deo ministret de suo. — B — 1.Cor.9. — C — *Probabile est, neminem qualibet animi parte vel sanum esse vel corruptum.* — *Non iudicandū.* — D — *Cordis puritas quæ sit.* — 1.Cor 15.d.

E domini: peccatores autem & qui remissæ sunt fidei, contra sunt planè serui, & vtuntur igne, interimuntur lapide & gladio, tandémque dæmonum imperio subiiciuntur.

Interrogatio. An in resurrectione omnia membra resurgent?

Responsio. Omnia Deo sunt perfacilia: sic itaque futurum promisit ille, licet infirmitati & cogitationi humanæ videatur hoc tanquam impossibile. Vt enim Deus è puluere ac terra sumens, aliam quandam naturam condidit, nempe naturam corporis terræ dissimilem, & multa genera creauit, veluti pilos, pellem, ossa, & neruos. Et sicut acus in ignem proiecta, mutato colore vertitur in ignem, non tamen planè deleta est natura ferri; sed subsistit: ita in resurrectione resurgunt omnia membra; nec (vt scriptum est) perit capillus: lucida redduntur omnia membra, & lumine ac igne tinguntur: mutantur quidem, at non (vt quidam aiunt) resoluuntur, aut in ignem euadunt, vt vltrà non subsistat natura. Petrus enim Petrus est, & Paulus, Paulus, ac Philippus, Philippus permanet, quisque in sua propria natura & subsistentia spiritu repletus. Quòd si asseras, resolutam esse naturam, iam non Petrus aut Paulus, sed prorsus & vbique Deus: nec qui abeunt in gehennam, supplicium sentiunt, nec qui migrant in regnum cœlorum, beneficentiam experiūtur. Verbi gratia, quemadmodum si hortum variis arboribus fructiferis consitum, vbi erat pyrus, pomus, & vitis habens fructum & folia, mutari contingat: similiter & vniuersas arbores ac folia, & in aliam naturam conuerti, prioráque illa euadere lucida: & sic etiam homines in resurrectione mutantur, & fiunt membra eorum sancta & perlucida.

Quamobrem viri diuini præparare se debent ad certamen & prælium. Et sicut strenuus adolescens illata verbera & certamen sustinet ac repercutit: ità etiam Christiani, tum externas tribulationes, tum interiora bella perferre debent, vt afflicti vincant per patientiam: Ea est enim Christianæ religionis via, vt vbi est spiritus sanctus, ibi statim sequatur conflictus & persecutio. Vides Prophetas, quonam pacto à contribulibus suis persecutionem passi sunt, in quibus tamen Spiritus operabatur. Vides, quomodo Dominus, qui est via & veritas, non ab alia gente sed à suis persecutione affectus est, nempe à propria tribu Israël, à qua etiam est cruci affixus. Itidem & Apostoli. Itaque statim à cruce transiit Spiritus paracletus, & migrauit ad Christianos, ita vt de cætero nullus Iudæorum persecutionem passus sit, sed Christiani martyria pertulerunt: quare non debent obstupescere: quia necesse est, veritatem pati persecutionem.

Interrogatio. Quidam aiunt, vitium exterius ingredi: & si velit homo, non recipit, sed repellit illud.

Responsio. Quemadmodum serpens locutus cum Eua, quia paruit illa, introgressus est: sic etiam nunc, propterea quòd obtemperat homo, peccatum, quod extra est, introgreditur. Peccatum enim habet facultatem & libertatem ingrediendi cor; quia cogitationes non extrinsecus procedunt, sed intrinsecus ex corde. Dicit enim Apostolus: *Volo viros orare sine ira & cogitationibus prauis.* Nam secundum Euangelium, *de corde exeunt cogitationes.* Accede itaque ad orationem, & examina cor tuum ac mentem, & in votis habe puram orationem emittere coram Deo, & intuere num ibi sit aliquid impedimenti: nempe, an fiat oratio pura, an occupata sit mens tua circa Dominum, perinde ac animus agricolæ circa agriculturam, animus viri circa vxorem, & mercatoris circa negotiationem. Itē, an flectas genua tua inter orandum, nec alij cogitationes tuas distrahant. Verùm inquis, Dominum venientem per crucem condemnasse peccatum, nec amplius intrà residere. Verùm sicuti miles, cuius currus depositus est in domo alicuius, cùm libuerit, facultatem habet ingrediendi & egrediendi domum illam: ita etiam peccatum cogitationes serere potest in corde. Scriptum est enim: *Introiuit satanas in cor Iudæ.* Quòd si perseueres dicere, per aduentum Christi

In resurrectione resurgēt membra omnia vniuscuiusque corporis. — Leuit. 21 — F — G — *Via Christiana religionis.* — *Iudæorū nullus post Christi passionem persequutionem est passus.* — H — 1.Tim. 2.c. — Matth. 15.b. — *Quā mēte sit veniendum ad orationem.* — Luc. 22 a. — Deut. 6.

A damnatum esse peccatum, nec post baptismum vitium habere, vbi pascatur aut colloquatur in corde: ignoras quot ab aduentu Domini ad hoc vsque tempus baptizati sunt, & nihilominus interdum praua cogitauerunt. Nonne ex eorum numero quidam conuersi sunt ad vanam gloriam, stuprum aut ingluuiem? Porrò an omnes seculares, qui versantur in Ecclesia, puro & irreprehensibili corde sunt? An non reperimus, post baptismum multa committi peccata, ac plerosque delinquere? Post baptismum igitur pabulum habet prædo, & ingredi potest & agere quod libuerit. Scriptum est enim: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Verùm dicis, diligo, & habeo Spiritum sanctum. Estne apud te memoria, amor, & desiderium ardens erga Dominum, ita vt noctu dinque sis ibi deuinctus? Si tali præditus es dilectione, vtique purus es. Quòd si eam non obtines, perge disquirere, cùm se obtulerunt negotia terrena aut cogitationes turpes & prauæ, an non ad huiuscemodi declinaueris,
B sed perpetua dilectione ac desiderio Dei ducatur anima tua. Cogitationes enim huius mundi distrahunt animum ad terrena & corruptibilia, nec sinunt diligere Deum, aut memoriam habere Domini. Itaque sæpenumerò Idiota genu flexo procedit ad orandum, & ingreditur mens eius delicias, ac tantopere fodit ima, vt effringatur paries vitiorum obsistens, & penetret in visionem & sapientiam, quo potentes, sapientes aut oratores non perueniunt, vt assequantur aut cognoscant subtilitatem mentis eius, quæ versatur circa diuina mysteria. Nam qui probare margaritas non nouit, eas vtique æstimare non potest, eò quòd eius rei sit expers: quamobrem Christiani quæ pretiosa sunt in terra, execrantur, & habent ea vt stercora, illorum facta collatione cum præstantia, quæ operatur in illis.

Interrogatio. Potestne labi vir habens donum Dei?

Responsio. Vtique labitur, si negligat. Nam hostes nunquam quiescunt, nec mouere bellum dubitant: quantò minus cessare debes ab inquirendo Deo? Damnum enim
C tibi non modicum imminet si negligas, licèt in ipso gratiæ mysterio probatus videare.

Interrogatio. An post lapsum hominis permanet gratia?

Responsio. Deus optat, hominem ad vitam denuò reducere, eumque hortatur iterum ad luctum & pœnitentiam: sin perseueret, ad luctum & pœnitentiam iterum hortatur hominem, vt eum pœniteat eorum nomine, quæ quondam deliquit.

Interrogatio. Imminetne perfectis afflictio aut bellum, an planè securi sunt?

Responsio. Hostis nemini bellum inferre desinit: Satanas autem misericordiam nescit, hominemque summo prosequitur odio: quapropter in omnes homines mouere bellum non dubitat, sed non iisdem modis cunctos adoriri videtur. Siquidem præfecti & Comites tributa pendunt regi: Rex autem confidens in diuitiis suis, in auro & argento, tanquam ex eo quod abundat, nulla damni habita ratione, tributa coaceruat. Ac velut is, qui
D præbet eleemosynam, nullo modo iacturam sibi proponit: sic & satanas ista tanquam superflua existimat. Est autem pauper quotidiano cibo indigens, qui affligitur & torquetur, nec potest opus illud adimplere: Est quoque qui angustiis & tormentis grauiter angitur, nec moritur tamen: est etiam alius, qui propter vnum verbum capite truncari iubetur, & perit: Sic & apud Christianos sunt, qui vehementer impugnantur & vellicantur à peccato, qui subinde ad bellum fortiores & prudentiores euadunt, vires aduersarias contemnentes, nec in hac parte periculum aliquod subeunt, quia sunt constantes & securi de sua ipsorum salute, frequentem ob exercitationem bellicam aduersus vitia, vnde peritiores euaserunt: habentes itaque Deum apud se, diriguntur & requiescunt. Alij verò nondum exercitati, si occurrat aliqua afflictio, aut moueatur bellum, confestim in interitum & perditionem delabuntur: sicuti qui proficiscuntur ad ciuitatem, volentes amicos & familiares suos inuisere, licèt multis per nundinas occurrant, ab

Eorum qui peccât, multa sunt genera.

E iis tamen nullo modò impediuntur, quia hoc habent in animo, vt amicos reperiant: qui cùm foris ianuam pulsauerint & accersierint, læti aperiunt amici illorum: Sin autem moram traxerint in eiusmodi nundinis, illudantur & retineantur ab iis, qui illis occurrunt; tandem clauduntur fores, & nemo illis aperit: Ita qui ad Christum Dominum nostrum, verum amicum, peruenire desiderant, reliqua omnia debent aspernari & prætermittere. Et qua ratione qui palatium aliquod ingrediuntur, vt regem inuisant (siue Comites sint, siue præsides) non parum metuunt, quomodo sunt responsuri, & ne in respondendo lapsi reprehensionem & supplicium incurrant: rursus verò & simplices homines, qui nunquam regem inuisunt, securè viuunt: sic etiam mundus hic, qui sub cœlis est, à regibus vsque ad pauperes (cùm ignorent gloriam Christi) de rebus tantùm secularibus sunt solliciti, nec citò quis in mentem reuocat diem iudicij. Qui verò cogitationibus ascendunt ad tribunal Christi, vbi est thronus eius, perpetuò stantes in conspectu illius, sunt in continuò metu & tremore, ne quoquo modò aberrent à sanctis eius præceptis. F *Extremi iudicij recordatio.* Et quemadmodum diuites huius seculi cùm vberrimos fructus in apothecas suas intulerint, denuò maiorem quotidie suscipiunt laborem vt locupletiores sint, & non deficiant: qui si confidentes in opibus reconditis, alias coaceruare negligant, vbi consumpserint quæ reposuerant, in paupertatem & mendicitatem citissimè labuntur, & ob id in percipiendis & inferendis fructibus diligentem debent operam adhibere, & aceruos cumulatiores reddere ne redigantur ad inopiam: hoc modo & apud Christianos, accidit vt quispiam gratiam Dei gustet: *Gustate*, enim (inquit) *& videte quoniam suauis est Dominus.* Ps.33.b. Est autem gustatio illa, virtus spiritus operans cum plenitudine fidei, & ministerium suum exhibens in corde. Nam quicumque sunt filij lucis & ministerij noui Testamenti per Spiritum sanctum, hi nihil ab hominibus didicerunt, quia sunt à Deo edocti. Ipsa
G enim gratia inscribit in cordibus eorum leges sancti Spiritus. Quamobrem non tantum in Scripturis atramento scriptis debent confidere, sed in tabulis cordis, gratia diuina describit leges spiritales & mysteria cœlestia: nam cor regit ac moderatur vniuersum organum corporeum. Quod si gratia, pascua cordis occupauerit, omnibus membris & cogitationibus imperat. Illic enim mens residet, & vniuersæ cogitationes animæ, ac fiducia ipsius: quapropter gratia per omnia membra corporis graditur. Sic econtra, peccatum regit cor eorum qui sunt filij tenebrarum, penetratque per omnes partes, nam *ex corde exeunt cogitationes prauæ:* Matt.15.b. & ita peccatum diffusum, perfundit hominem tenebris. Qui verò negant vitium vnà cum homine foueri & crescere, nec de crastino sunt solliciti, nec concupiscentia ducuntur: ad certum enim tempus, vitium desiit illos perturbare per concupiscentiæ suggestionem, ita vt audeat homo inteiurando affirmare, in se vltra non excitari talem affectionem: tamen paulò post vritur concupiscentiæ vitio, ita vt in eo periurus inueniatur. *Vitium quiescit aliquando, sed postea recrudescit.* Sicut enim aqua transit per fistulam, H ita peccatum per cor & cogitationes: quicumque autem hoc negant, ab ipso peccato arguuntur & illuduntur, de illis postea triumphaturo. Dat enim operam malitia, vt lateat & secreto habitet in mente hominis. *Peccatum oritur à cogitatione.* Si quis ergo Deum diligit, Deus quoque cum eo suam ipsius permiscet dilectionem: & cum semel crediderit in Deum, addit illi Deus fidem cœlestem, & ita homo efficitur duplex. Vt possis igitur ex membris tuis offerre Deo, ille ipse ex propriis veluti membrorum similia permiscet cum anima tua, vt omnia syncere possis peragere, diligere, atque precari: summæ enim dignitatis est homo. Intuere quantum sit cœlum, quanta sit terra, Sol & Luna, non tamen placuit Domino in illis requiescere, sed in homine solo. Antecellit igitur homo cunctis creaturis, & forsan audebo dicere, non tantum visibilibus, sed etiam inuisibilibus, nempè spiritibus ministratoriis. Nequaquam enim dixit Deus de Michaele & Gabriele Archangelis, *Faciamus ad imaginem & similitudinem* Gen.1.d.

nostram:

A nostram: sed de substantia intellectiua hominis, de anima inquam immortali. Scriptum est enim, esse Ordines Angelorum *in circuitu timentium eum*. Atqui creaturæ visibiles, immutabili quadam natura prædità sunt. Cœlum itaque semel ordinatum est, Sol, Luna, & terra, nec tamen in illis complacuit Deo, neque possunt aliter conuerti quam illis datum est in creatione, carentque voluntate. Tu verò formatus es ad imaginem & similitudinem Dei, propterea quod quemadmodum Deus sui iuris est, & quod vult facit, ita vt (si visum sit ei) per potentiam suam mittere possit iustos in Gehennam, peccatores autem in regnum cœlorum (licèt hoc minimè velit, nec ei gratum sit, quia *Dominus iustus* est *iudex*) sic & tu tui iuris es, & mutabilis naturæ. Itaque si perire libeat, si velis blasphemare, venena conficere, ac hominem occidere, nemo tibi repugnare, aut prohibere te potest. Si velit quispiam, obtemperat Deo, sequiturque viam iustitiæ, ac desideria vincit. Mens enim eiusmodi, quæ resistit & reluctatur, potest obstinata ratione coërcere vitiorum impetus & obscœna desideria. Nam si in

Ps. 33. b.

Imago Dei in homine quæ sit. Liberum hominis arbitrium.

B ampla domo in qua vasa aurea multa sunt, auro tecta, & argentea, varia vestimenta, vbi denique abundat aurum & argentum, adolescentes & iuuenculæ, qui ibi conuersantur, reprimunt animum suum, quamuis natura (propter inhabitans peccatum) omnia concupiscat, & quia metuunt humano more dominos, libidinis impetum retinent: quanto magis, vbi timor Dei viget, reluctari atque aduersari mens debet contubernali vitio? Præcepit enim Deus, quæ sita sunt in tua potestate. Cæterum, animalium ratione carentium natura vincta est: veluti, natura Serpentis amara est & venenosa, omnes igitur serpentes sunt eiusmodi. Lupus rapax est, omnes igitur lupi sunt eiusdem naturæ: Agnus, quia simplex est, patet rapinæ, propterea omnes agni sunt illius naturæ: Columba simplex est & syncera, omnes igitur columbæ sunt illius naturæ.

At verò homo non ita se habet: quidam enim est lupus rapax, & quidam velut agnus rapinæ obnoxius: &

C vtrumque proficiscitur ab eodem genere humano. Est, qui vxore sua non contentus, adulterium committit, est alius, qui ne tale quidem desiderium in cor suum ascendere permittit. Est, qui bona proximi sui eripit, est alius qui propterea quod Deum colit, etiam sua largitur. Vides, quam versatilis ipsa natura, & quod ad vitium propensa sit, & è diuerso etiam, ad bonum & honestum: & secundum vtramque proprietatem, ad quas voluerit actiones apta est inclinare. Capax est igitur natura tum boni tum mali, aut diuinæ gratiæ aut aduersariæ facultatis: nulli tamen necessitati subiacet. Siquidem initio, cum Adam in puritate viueret, dominabatur cogitationibus suis: at ex quo transgressus est mandatum, tanquam montes grauissimi incumbunt eius animo, ac vitiosæ cogitationes permixtæ omnino factæ sunt velut ipsius propriæ: quamquam nulla propria est ipsius, quia occupantur à vitiis. Debes ergo in posterum inuestigare lucernam, qua accensa, reperias cogitationes puras. Sunt enim illæ natu-

Non idē est omnium hominum ingeniū.

D rales, quas produxit Dominus: quæ quidem educatæ, didicerunt in Mari natare, nec obstupescunt, si fluctus aut tempestates emerserint. Itaque Christiani non aliter se habent quam mens pueri tres annos nati, quæ non potest pertingere aut assequi perfecti Oratoris animum, quia multum temporis interfluxit: sic & Christiani, non aliter quam infantes pusilli, Mundum comprehendunt, spectantes gradum gratiæ. Sunt enim peregrini in hoc seculo, ciuitas autem eorum & requies, est alia. Habent enim Christiani consolationem Spiritus, lachrymas, luctum, & planctum, suntque illis lachrymæ, deliciarum loco. Sunt in metu cum gaudio & exultatione: sunt denique velut homines gestantes in manibus suis, sanguinem suum, non confidentes in seipsis aut existimantes se aliquid esse, sed vt quid nullius momenti & reiectitij habetur apud omnes homines. Quemadmodum si Rex apud quendam egenum, thesaurum suum deponat, is qui accepit custodiendum non reputat illum vt suum, sed vbique fatetur inopiam suam, nec audet dispergere quippiam ex alieno the-

Christianorum status in hoc Seculo.

Qui adepti sunt Dei gratiam, debet humiliter sentire de se.

E sauro: semper hoc habens in animo; quod non solum thesaurus est alienus, sed quod rex & vir summæ potentiæ deposuit illum apud me, qui quandò volet, à me repetet. Eiusdem debent esse sententiæ qui gratiam Dei sunt adepti, nempè vt humiliter de se sentiant, & mendicitatem suam confiteantur. Quemadmodum enim mendicus qui thesaurum à Rege depositum accepit; si de alieno thesauro confidens, tanquam de propriis opibus extollatur, & superbiam cor eius concipiat, aufert ab eo Rex thesaurum suum: & qui loco Depositi illum acceperat, talis manet qualis erat antea, nempè mendicus: ita qui gratia Dei sunt præditi, si efferantur & superbiam eorum corda concipiant, tollit ab eis Dominus gratiam suam, & tum remanent ij qui prius erant antequàm à Domino gratiam accepissent. Verùm plerique gratiam vel secum inhabitantem à peccato clam subtrahi non percipiunt. Quemadmodum si fuerit in aliqua domo quidam adolescens, similiter & iuuencula quæ ab illo blanditiis illecta assentiatur illi, stuprum committit; & fit dignus

F qui expellatur: ita dirus ille Serpens peccati, comitatur animam, alliciens eam & prouocans: sique assentiatur; communicat anima incorporea cum vitio Spiritus incorporeo: hoc est, spiritus cum spiritu communionem habet, & fornicatur in corde suo is qui assentitur, & cogitationem nequissimi recipit. Certaminis igitur tui modus est iste: ne forniceris in cogitationibus tuis, sed animo resistas, & interius præliare, & contendas, nec obtemperes neve succumbas vitio in cogitationibus. Quod si Dominus talem in te alacritatem inuenìat, in regnum suum te assumet in nouissimo die. Quandoquidem nonnulla sunt quæ Dominus ita dispensat, vt testimonium gratiæ diuinæ & vocationis suæ præbeat: sunt item & alia quædam quæ ita (permittendo) moderatur vt probetur & exerceatur homo, quo perspicua fiat humani libertas arbitrij. Nam qui tentationibus & afflictionibus premuntur, si sustinuerint, non priuantur regno cœlorum. In rebus igitur asperis non cruciantur Christiani aut anguntur, nec debent obstupescere si per inopiam aut impro-

G bam tractationem examinantur, sed potius cum mendicitate lætari, & illam pro diuitiis habere, ieiunium pro deliciis, ignominiam & dedecus loco gloriæ. E diuerso, si inciderint in res quoad hanc vitam præstantes, quæ pelliciant eos ad voluptatem carnis aut ad diuitias, ad gloriam aut delicias, non debent ob hæc lætari; sed ab his cauere tanquam ab igne. In rebus externis, si gens aliqua exigua moueatur ad bellum gerendum contra Regem quempiam, non valde laborat ille in eo bello sustinendo, sed mittit milites cum imperatoribus qui bellum conficiant. Si verò gens illa quæ insurrexit, sit numerosa, quæ possit expugnare regnum eius, cogitur rex ille cum domesticis & copiis suis, in bellum procedere ac confligere. Perpende igitur dignitatem tuam, nempè quod Deus exurrexit cum exercitu suo (Angelorum, inquam, & spirituum sanctorum) vt pro te vel ipsemet legatione fungens, te redimeret à morte. Quare animum tuum collige; & considera, quanta fuit opus in gratiam tui, prouidentia.

H Et quoniam exemplo seculari vsi sumus, tanquam adhuc agentes in hoc Mundo: quemadmodum si rex obuius fiat egeno cuidam & vulnerato, cuius eum non pudeat sed salubribus medicamentis curet eius vulnera, & illum inferri iubeat in palatium suum, eumque purpureo vestimento ac diademate exornet, denique suæ mensæ socium faciat: ita Christus rex cœlestis accedens ad hominem grauiter vulneratum, sanauit eum, ac regiæ suæ mensæ fecit participem: & hoc quidem non vi compellens voluntatem eius, sed inuitans eum ad talem dignitatem. Siquidem scriptum est in Euangelio, Dominum misisse seruos suos, ad vocandum eos qui vellent venire, denuntians illis, *prandium meum paratum est*: qui verò fuerant vocati, excusauerunt se; dicentes: alter quidem, *Emi* (inquit) *iuga boum: alius; Vxorem duxi.* Vides, paratum esse eum qui vocauit, sed qui erant vocati, renuisse. Illi profectò suiipsius rei facti sunt. Tanta ergo est Christianorum dignitas. Quin tu perpende, Dominum præparasse illis regnum, & accersere illos vt ingrediatur,

A ipsi verò nolunt. Porrò de munere illo quod consecuturi sunt Christiani, hoc rectè quis dicere possit: nempè, si quisque, ex quo creatus est Adam ad consummationem vsque mundi certaret contra Satanam & perferret afflictiones, magnum nihil perageret, collatione facta cum gloria quam est adepturus, quia regnaturus est cum Christo per infinita secula. Gloria sit illi qui tantopere dilexit talem animam, quia se ipse suamque gratiam contulit & credidit ei. Gloria sit magnificentiæ ipsius. Secundum ea quæ subiacent oculis, ecce nos omnes fratres qui sedemus, vnam gestamus imaginem & vnam faciem, videlicèt Adæ: estne etiam vna omnium voluntas & vnum cor in secretis & penetralibus hominis? nam ita omnes vnum erimus, nempè boni & pij, an potius quidam nostrûm sunt qui cum Christo & Angelis eius commercium habent, alij verò cum Satana & dæmonibus? Omnes quidem, ad instar vnius, simul sedemus vnamque faciem Adæ gerimus. Videsne, quo pacto substantia intellectiua & interior homo, quippiam aliud est quam exterior? Nam omnes quidem tanquam vnus esse apparemus, & nihilominus hi cum Christo sunt & cum Anlis, illi verò cum Satana & spiritibus immundis. Cum ergo cor sit infinitæ profunditatis, ibi sunt triclinia, cubicula, fores, vestibula, ministeria multa, & exitus, ibi est officina tum iustitiæ, tum iniquitatis, ibi est mors & vita, ibi bona negotiatio & contraria. Quemadmodum si palatium magnificum fuerit, quod deseratur & omnis generis fœtore repleatur & cadaueribus multis, sic cor quod erat palatium Christi, omnimoda impuritate refertum est, ac turbis plurimis prauorum spirituum. Quamobrem restaurandum est illud ac reædificandum, suntque præparanda promptuaria & cubicula. Nam rex Christus, cum Angelis & sanctis Spiritibus venit illuc, vt ibi requiescat, habitet & inambulet, regnumque suum collocet. Itaque quemadmodum si nauis apparatu multo fuerit munita, in qua sit gubernator qui regat omnes & moderetur, quibusdam timorem incutiens, alios verò dirigens: eiusmodi est cor, habens mentem pro moderatore, conscientiam arguentem, cogitationes accusantes ac defendentes, Ait enim, *Cogitationibus inter se inuicem accusantibus, aut etiam defendentibus.* Vides quod conscientia non approbet eiusmodi cogitationes quæ obsequuntur peccato, sed confestim reprehendit: neque enim mentitur. Nam illa tanquam perpetuo reprehendens, testificatur quid dictura sit in conspectu Dei, in die Iudicij. Veluti si currus præsto sit, fræna, animalia, & vniuersus apparatus sunt sub vno moderatore, vt quando velit ille velocissimo cursu vehatur, cum velit, retineat illum, & iterum quocumque libuerit conuertat, ac statim sequatur, & eam ob rem totus currus potestati moderantis subiaceat: sic & cor multas habet cogitationes naturales sibi adhærentes, mens autem atque conscientia reprehendit ipsum atque dirigit, & sedat cogitationes naturales in corde nascentes, quia membris multis prædita est anima, licèt vna sit. Ex quo enim Adam transgressus est mandatum, Serpens ingressus, factus est dominus domus, & est cum anima velut altera anima. Inquit enim Dominus, *quicumque sibiipsi non renuntiauerit, & qui non oderit animam suam, non est meus discipulus.* Et, *qui amat animam suam, perdet eam:* quoniam peccatum subingrediens animam, factum est membrum illius, ac ipsi homini corporeo adhæsit, & inde scaturiunt in corde permultæ & immundæ cogitationes. Quapropter qui facit voluntatem animæ suæ, facit voluntatem cordis, quia cum illo perplexa & permixta est anima. Quocirca qui subingat animam suam, ac sibi suisque appetitionibus subirascitur, perinde se habet, vt qui ciuitatem hostium suorum subingat, meretúrque ille bonam mensuram spiritus assequi, ac beneficio virtutis diuinæ homo purus euadit, sitque seipso præstantior.

Cor humanum, est infinitæ profunditatis.

B

C

Rom. 2. c. Cõscientia statim reprehendit peccatum.

D

Cõscientia regit cogitationes. Luc. 14. f Ioan. 12. d.

Victoria sui quanta sit.

Nam talis postea deificatur, & fit Dei filius, accepto in anima sua signo cœlesti. Siquidem Electi Dei inunguntur oleo sanctificante, euaduntque summa dignitate pollentes ac Reges. Eius enim est homo naturæ, vt etiamsi in profundum vitiorum lapsus sit ac peccato deseruiat, ad id quod bonum est, conuerti possit. Et contra, Spiritui sancto deuinctus & rerum cœlestium ebrietate correptus, ad id quod malum est, conuerti potest. Veluti mulier quædam pannosis induta, esuriens ac squalida, multo cum labore peruenerit ad regiam dignitatem, vt purpura & corona exornetur, ac fiat regis sponsa, meminerit ipsa pristinarum sordium, ac velit ad priorem statum regredi (atqui nequaquam optauerit pristino pudore suffundi, hoc enim stolidum esset) Ita qui gustauerunt gratiam diuinam & facti sunt participes spiritus, nisi sibi caueant, dilabuntur & fiunt deteriores quam erant cum essent Mundo dediti: non quod Deus mutationi aut imbecillitati sit obnoxius, aut quod extinguatur Spiritus sanctus; sed propterea quod homines non assentiuntur gratiæ, & ob id auertuntur & in infinita vitia dilabuntur. Nam qui donum illud gustauerunt, vtrumque secum habent, nempè gaudium & consolationem, item timorem ac tremorem, exultationem & luctum, quia lugent seipsos & integrum Adam (quia hominum vna est natura) suntque illis lachrymæ vice panis, & luctus pro suauitate ac delectatione. Quod si fortè videris quempiam extollentem se & superbientem propterea quod gratiam Dei est consecutus, is (etiamsi miracula faciat, & mortuos excitet) non tamen abiecti sit & nihil se facientis animi, nec pauper spiritu ac abominandus, is nesciens surripitur à vitio: & licèt signa faciat, non tamen ei credendum est.

E

F

Hoc enim Christianæ Religionis signum est, vt qui Deo probatus est, homines celare cupiat, &, si vel vniuersos regis thesauros possideat, illos occultare velit ac vbique fateri inquiens; Thesaurus meus non est, sed alius illum apud me deposuit, ego enim mendicus sum, & cum volet ille repetet à me. Si verò quis dicat: diues sum, sufficit, bona possideo, non amplius egeo: ille non est Christianus, sed vas erroris & diaboli. Nam qui fruitur Deo, satietatem nescit, quantoque magis cum gustauerit ac ederit, tantò plus esurit: & qui sunt eiusmodi, irretento erga Deum ardore ducuntur & amore, quantoque maiorem proficiendi ac crescendi diligentiam adhibent, eo magis se existimant egenos, tanquam egentes ac nihil possidentes. Hoc enim dicunt, nempè: non sum dignus vt Sol iste mihi illucescat. Hoc re vera signum est Christianismi, ipsa videlicèt humilitas. At si quis dicat, contentus sum & plenus, errat ille & mentitur. Quemadmodum enim glorificatum est corpus Domini, quando conscendit in montem, & in diuinam gloriam & lumen infinitum transfiguratum: sic & corpora Sanctorum glorificabuntur, & ad instar fulguris micabunt. Quemadmodum enim gloria Christi intus latens, corpus eius circumtexit, & illuxit, eodem modo & in Sanctis, virtus Christi interius habitans, in die illa extra corpora illorum superesfundetur. Nam ex hoc tempore, substantiæ eius ac naturæ sunt animotenus participes: Scriptum est enim, *qui sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno sunt.* Et: *Gloriam quam dedisti mihi, dedi illis.* Quemadmodum ab eodem igne plures accenduntur lucernæ, sic necesse est corpora sanctorum, quæ sunt membra Christi, idem euadere quod ipse Christus est.

Modestia est signũ Christianæ Religionis.

G

Humilitas est signum Christianismi.

H

Heb. 2. c. Ioan. 17. d.

Interrogatio. Quomodo Christiani præstantiores euadunt ipso primo Adam, cum ille immortalis esset & tum anima tum corpore incorruptilis, Christiani verò moriantur & corrumpantur?

Responsio. Vera mors intus consistit in corde & occulta est, vbi mortuus est homo interior. Si quis ergo transierit à morte in vitam occultam, ille re vera viuit in secula, nec moritur. Nam licèt corpora huiusmodi hominum soluantur ad tempus, denuò tamen excitantur in gloria, quia sunt sanctificata. Somnum ergo ac dormitionem esse dicimus, Christianorum mortem. Quod si homo immortalis esset, & corpore tenus incorruptibilis, vniuersus Orbis, conspecta rei nouitate (nempè quod Christianorum corpora

Mors vera quæ sit.

non

A

Arbitrij libertas.

non corrumperentur) necessitate quadam ac non libera voluntate promoueretur ad id quod bonum est. Atqui, vt prorsus appareat & rata sit arbitrij libertas quam ab initio Deus largitus est homini, summa cum dispensatione res illius administrantur, sitque corporum solutio, vt in voluntate sit hominis vt conuertatur ad id quod bonum est aut malum. Neque enim perfectus homo, bono, aut profunde malus & seipsum vas efficiens diaboli per quem totus orbis damnatus est, peccato necessitate quadam adhæret: sed liberum habet arbitrium, vt vas efficiatur electionis & vitæ. Similiter è contra qui diuinitate sunt inebriati, licet pleni sint & adhæreant Spiritui sancto, non tamen vlla necessitate detinentur: sed libera potiuntur libertate, vt conuertantur & faciant quod libuerit in hoc sæculo.

Interrogatio. An vitium paulatim extenuatur & extirpatur, atque ita promouetur homo ad gratiam: an statim vbi promoueri cœperit, vitium euelletur?

B

Homo paulatim proficit in his quæ sunt spiritualia.

Responsio. Quemadmodum in vtero, imperfectus infans, non quamprimum concrescit in hominem, sed paulatim formatur & gignitur, neque mox perfectus homo euadit, sed longo annorum successu augetur & vir efficitur, estque veluti semina tritici aut hordei quæ terræ mandata non statim radicem producunt, sed vbi transeunt hyemes & venti, tum opportuno tempore spicæ nascuntur: itidem qui pirum plantat, non mox fructum percipit: eodem etiam modo in rebus spiritalibus, vbi tanta sapientia est & subtilitas, paulatim augetur homo, euaditque in virum perfectum & plenitudinem ætatis: non, vt quidam aiunt, induere, & exuere. Qui discere literas optat, pergit primum ad ediscenda signa, in quibus cum fuerit primus, migrat ad scholam Latinorum in qua est omnium postremus: denuo cum ibi primus euaserit, proficiscitur ad scholam Forensem, in qua rursum est omnium nouissimus & principiarius: deinde Scholasticus effectus, omnium Causidicorum nouissimus & extremus est: cæterum cum ibi fuerit primus, tum dux euadit, qui vbi magistratum fuerit assecutus, adiutorem sibi sumit assessorem. Si ergo in rebus externis, tot habet homo promotionis gradus: quanto magis cœlestia mysteria multis gradibus atque promotionibus acquiruntur, & tum, qui per multas exercitationes & varia rerum pericula progressus fuerit, perfectus euadit? Nam Christiani qui re vera gustauerunt gratiam, habentes signum Crucis in corde & animo, hi (à Regibus, ad pauperrimos quosque) vt stercora & graueolentiam existimant omnia. Et qui sunt eiusmodi, percipere possunt, vniuersum mundum terrenum regiosque thesauros, opes, gloriam, ac sapientiæ eloquia, superficietenus apparere, nec firmum fundamentum habere, sed præterfluere: & quicquid sub cœlo est, ab eis facile contemnitur. Cur nam? Propterea quod peregrina sunt & admiranda quæ supra cœlos sunt, neque reperiuntur in thesauris regum, aut sapientia verborum, aut præstantia huius mundi. Dignitates autem ac diuitiæ quas illi possident, Dominum & creatorem omnium habentes in intimo homine, sunt possessio quædam permanens ac minimè fluida. Nouerunt enim Christiani animam omnibus antecellere creaturis, quia solus homo ad imaginem & similitudinem Dei factus est. En cœlum, quantum excedit magnitudine, itidem & terra! quam pretiosæ sunt, quæ in illis continentur, creaturæ, quam magna corpora ipsorum! Homo nihilominus est his omnibus pretiosior, eo quod in illo solo complacuit sibi Dominus. Ipsa quoque cete maris, montes, & belluæ (vt apparet) magnitudine vincunt hominem. Perpende igitur dignitatem tuam, quam sis pretiosus! Nam Angelis te Deus effecit præstantiorem, cum ille ipse legationem ac redemptionem tuam subiit in terra. Quandonam Angeli ad te saluandum occurrerunt? Nam Rex, regis Filius consilium iniit cum Patre suo, ac missum est verbum quod occultata suiipsius diuinitate, carnem induit, vt per simile saluaretur quod erat simile. Posuit animam suam in cruce, tanta erat diuina dilectio erga hominem! Elegit propter te, is qui immortalis erat affigi cruci. Attentius ergo considera, quantopere Deus dilexerit mundum? cum vnigenitum Filium suum eius causa donauerit; *quomodo non omnia cum illo nobis donabit?* Et rursum alibi dicit; *Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.* Alibi quoque ostendit, Angelos sanctorum esse ministros: siquidem cum Elias esset in monte, & insurgentibus contra eum alienigenis, puer eius diceret, *multi veniunt aduersum nos, & soli sumus:* Respondit Elias, *non vides ordines & multitudines Angelorum nobiscum, in circuitu nobis opitulantium?* Obserua, Dominum & multitudines Angelorum adesse seruis suis. Quanta igitur est anima? quandum à Deo est honorata? Etenim hanc, tum Deus tum Angeli in consortium suum & regnum accersunt: Satanas autem cum Potestatibus suis ad suas partes illam pertrahere cupit. Quemadmodum in rebus ante oculos positis, rex non vtitur ministerio hominum greges pascentium, sed pulchriorum ac bene educatorum: sic & in cœlesti palatio illi ministrant Regi cœlesti, qui sunt puro corde, sine macula & reprehensione. Et sicut in palatio Regis, formosæ ac speciosæ puellæ quæ nulla macula respersæ sunt, in regiam societatē admittuntur: sic & in spiritali palatio, animæ quæ omnibus bonorum generibus sunt exornatæ, cōmunionem habent cum Rege cœlesti. Itaque in rebus secularib. si qua in domo Principes habitare cœperint, quæ sordes aliquas contraxerit, præparatur illa variisque modis exornatur, ac effunduntur aromata: quanto ampliori, domus animæ in qua Dominus requiescit, ornamento indiget, vt illā ingredi atque ibi habitare possit, qui sordibus omnibus ac reprehensione caret? In eiusmodi enim corde, Deus ac vniuersa cœlestis Ecclesia requiescit. Porro inter ea quæ videmus, si pater quidam possessiones habear ac diademata, ac lapides pretiosos, hæc recondit in armaria, & deponit apud filium suum dilectum, & hæc donat illi: ita etiam Deus possessionē sui cum rebus omnibus pretiosis quas habebat, credidit animæ. In rebus itaque externis, exorto bello, si rex cum exercitu venerit ad dimicandum, sintq; partes eius inferiores aut imbecilliores, statim legationem mittit quærens quæ sunt ad pacem. Si vero gens amplissima cum æquali gente contendat, aut rex cum rege, veluti rex Persarum cum rege Romanorum, oportet omnino vtrumque regem cum omnibus suis copiis ad bellum moueri. Quamobrem attende quāta sit dignitas tua, cum Deus cum omni exercitu suo, Angelorum (inquam) & Spirituum, motus sit ad confligendum cum aduersario, vt redimeret à morte. Tua igitur gratia venit Deus, non aliter quam si rex cuidam mendico membris omnibus lepra laboranti occurrens, sine vllo pudore vulneribus eius medicamenta imponeret, & plagas sanaret, ac illum mensa regia exceptum purpuram indueret, regémque faceret: sic Deus se gessit erga genus humanum. Lauit illius vulnera, sanauit illud; & in thalamum cœlestem introduxit. Summa igitur est Christianorum dignitas, ac tanta vt cum ea nihil conferri possit. Si vero traducatur & surripiatur à vitio, assimilatur ciuitati muris carenti, quam ingrediuntur latrones quacunque parte volunt, absque vllo impedimento, illamque reddunt desertam, ac incendunt. Ita dum negligis, & ipse tibi non attendis, subintroeunt Spiritus nequitiæ, qui denigrant, & desertam faciunt mentem tuam, dispergentes cogitationes tuas in hoc sæculum. Plerique enim circa res externas elaborantes, qui & sciētiam coluerunt, & rectè viuendi curam habuerunt, hunc existimant esse perfectum; non intendentes in penetralia cordis, nec animaduertentes vitia illic animam inuoluētia: quoniam mens interior, vitio infecta, radices mittit in reliqua membra, & latro, hoc est, contraria Potestas domum ingressa est. Igitur aduersaria Potestas etiam intellectualis est. Et nisi quis bellum ineat aduersus peccatum, vitium quod intus latebat, paulatim effusum, præ nimia copia abducit hominem ad manifesta peccata perpetranda. Vitium enim, est veluti fontis scaturigo quacumque parte scaturiens. Quapropter dare debes operā vt cohibeas riuos nequitiæ, ne ruens in mala infinita, quasi attonitus euadas: perinde ac diues quidam nobilis,

Scholasticus: *Schola Latinorum.*

C

D

Anima præstantior cæteris creaturis.

Dei beneficia & charitas in homines.

E

Rom. 8. f.

Matth. 24. d.

Hæc de Elisæo habentur. 4. Reg. 6. d.

F

G

Dignitas humani generis ex beneficiis Christi.

H

A nobilis, sui tamen negligens, quem ministri & apparitores magistratus protrahant, deferentes illum sub his verbis, nempè, delatus es ob crimen aliquod, & supplicio capitali subiaces: subinde metu ex sola fama concepto, omnes animi cogitationes perdit ille, ac velut obstupescit. Sic igitur sentias de Spiritibus nequitiæ. Nam hic Mundus conspicuus, à summis ad infimos, tumultu, perturbatione ac pugna laborat, nemoque nouit causam illorum, nimirum tam apertum malum, quod est stimulus mortis, qui subintroiit propter inobedientiam Adæ. Peccatum enim transgressionis quod accessit, * cum sit substantia, & facultas quædam Satanæ, consistens in animo, vniuersa mala seminauit; quia secreto in hominem interiorem & mentem agit, ac pugnat cum cogitationibus. Ignorant tamen homines, quod aliena vi quadam impulsi hæc agunt, existimantque hæc esse naturalia, & propria animi deliberatione hæc agere. Qui

Miseria huius mundi vnde nata.

**Rite intellige, nō enim Manichao errore peccatum verum substātiā intelligit: sed substantiam vocat metaphoricè, hoc est, opes, robur, facultatē, vires, &c. Sathanæ.*

B verò Christi pacem habent in animo, & ab eo sunt illuminati, norunt vnde procedant huiusmodi. Torquetur enim Mundus affectionibus vitiosis, vel inscius, quæ quidem nihil aliud sunt quam ignis impurus, accendens cor, & ita per omnia membra percurrens, qui prouocat hominem ad petulantias & infinita mala. Qui igitur illecti delectationem capiunt, intus in corde fornicationem committunt, & ita sensim, dum fouetur malum, in stuprum manifestum dilabuntur. Idem puta de auaritia, vana gloria, superbia, inuidia, & ira. Veluti cum quis inuitatus fuerit ad prandium, & huic apponuntur varia ciborum genera, peccatum suggerit, vt de omnibus gustet, & sic anima delectatione capta grauatur. Montes enim grauissimi sunt affectiones illæ, in quarum medio currunt flumina draconum, venenosarum ferarum, ac reptilium. Et sicuti balæna hominem deuorat in ventrem, ita peccatum absorbet animas. Itaque affectiones illæ sunt flammæ ignis ardentes, & tela nequissimi ignea. Inquit enim Apostolus, *vt possitis vos omnia tela Nequissimi ignea extinguere.* Pascitur enim vitium, ac fundamentum iacit circa animam. Prudentes autem, cum affectiones ingruunt, non obtemperant, sed appetitionibus prauis irascuntur, & earum hostes se constituunt. Siquidem Satanas vehementer optat requiescere, & cubile suum in anima collocare, & affligitur ac torquetur, quando non obsequitur anima. Sunt verò nonnulli, qui diuina virtute reguntur, & cum adolescentem cum muliere viderint, licèt quædam cogitent, non tamen polluitur eorum animus, nec vllam interius culpam committit, sed in eo parum est fidendum. Sunt etiam alij in quibus libido prorsus desiit, extincta est & arefacta, sed ij summorum sunt gradus. Itaque sicuti mercatores nudi in profundum maris & mortem aquæ descendunt, vt illic margaritas reperiant quæ prosint ad coronam & purpuram regiam: ita qui solitariè viuunt, nudi egrediuntur hoc Mundo, & in profundum Maris vitiorum & abyssum tenebrarum descendunt, vnde sumunt ac referunt pretiosos lapides qui valeant ad coronam Christi, ad Ecclesiam cœlestem, ad nouum seculum, ad ciuitatem splendidam & populum Angelicum. Quemadmodum ergo varia piscium genera cadunt in sagenam, & qui inutiles inueniuntur, denuò mox in Mare proijciuntur: ita sagena gratiæ super omnes expansa est & requiescere percupit, verum non obsequuntur homines, & ob id in profundum tenebrarum denuò proijciuntur. Sicut enim aurum ab arena copiosa dilutum inuenitur, suntque grana instar milij exigua, ita ex multis pauci probantur. Etenim perspicui sunt qui operibus regno conuenientibus splendent, ac verbum eius exornant. Itidem satis apparent, qui sole cœlesti conditi sunt, & de thesauris Spiritus loquuntur. Manifesta sunt vasa in quibus sibi placet Deus, suamque largitur gratiam. Sunt etiam alij, qui multa cum patientia consequuntur gratiam sanctificatricem & sub varijs modis, quemadmodum Domino visum fuerit. Qui ergo loquitur, nisi dirigatur à lumine & sapientia cœlesti, non potest vniuscuiusque mentem instruere, quia varia sunt hominum studia, quædam bello dedita, alia verò quieti. Veluti cùm

Ephes. 6.c.

C

D

E quispiam desertam ciuitatem instaurare desiderat, in primis ea quæ labuntur & ruunt, prorsus destruit, & ita fodere incipit, & in loco defosso fundamenta ponere, ac tum ædificium collocare, nec mox constituitur domus: eadem ratione qui desiderat in locis desertis & fœtidis hortum construere, primum incipit purgare, claudere, ductus aquæ præparare, tum plantat, & crementum capiunt quæ plantata sunt, vt hoc modo, multo post tempore hortus fructus proferat: ita voluntates hominum post transgressionem incultæ sunt, desertæ ac spinosæ. Dixit enim Deus homini, *spinas & tribulos terra tibi producet.* Multum igitur laboris ac diligentiæ est adhibendum, vt quis peruestiget & collocet fundamentum, donec ignis veniat in corda hominum, qui spinas exurat: & ita incipiant homines sanctificari, gloriam referentes Patri, & Filio, ac Spiritui sancto in secula: Amen.

Gen. 3.c.

F

SPIRITALES HOMINES OBNOXIOS esse tentationibus & afflictionibus, quarum origo est primum peccatum.

HOMILIA XVI.

Omnes intellectu præditæ substantiæ, Angelorum (inquam) animarum ac dæmonum, syncerae & simplicissimæ creatæ sunt, ab Opifice. Quod autem illarum nonnullæ conuersæ sunt ad malum, à libero profectum est arbitrio, quia voluntate propria diuerterunt à recta ratione. Itaque si diceremus, tales ab Opifice creatas esse, Deum esse iudicem iniquum asserimus, qui Satanam in ignem miserit. Porrò sunt quidam hæretici, qui affirmant, Materiam initio carere, eamque esse radicem: & radicem, esse Virtutem Deo potestate parem. Quibus rectè possis obijcere, quænam igitur est facultas superior? Proculdubio potestatem Dei esse oportet. Quamobrem ea quæ succumbit, tempore aut potestate par esse non potest. Qui verò malum minimè subsistere perhibent, nihil sciunt: nam in Deo nullum malum subsistit, cum pati non possit quantum ad diuinitatem. In nobis autem malum operatur cum omni potestate & sensu, obscœna desideria suggerens: non tamen ita permixtum est: sicut aiunt quidam, aquam vino permisceri; sed quemadmodum in eadem regione seorsum situm est frumentum, & separata sunt zizania: sicut & in domo seorsum est latro, & seorsum dominus domus. Reperire licèt fontem, aquam puram emittentem, in quo lutum subiacet: cum verò quis lutum commouerit, totus fons perturbatur: ita & anima quando perturbatur, maculatur & permiscetur vitio, fitque Satanas vnum cum anima, & consentiunt ambo Spiritus in stuprum aut cædem. Quapropter *qui adhæret meretrici, vnum corpus est.* Alia autem hora, seorsum anima subsistit, pœnitentiam agens eorum quæ commisit, luget, precatur, Deumque reuocat in memoriam. Nam si perpetuo anima esset in vitium demersa, quomodo posset hæc agere, cum Satanas expers misericordiæ nolit vnquam homines ad pœnitentiam redire? Itidem & mulier quando viro coniungitur, est vnum cum illo: alio verò tempore separantur, quia sæpenumero vnus eorum decedit, altero superstite. Ita se res habet in societate Spiritus sancti: euadunt in vnum Spiritum, qui enim *adhæret Domino, vnus spiritus est:* quod fit, cum homo absorbetur à gratia. Sed nonnulli sunt qui cum Deum gustauerint, adhuc tamen torquentur ab Aduersario, & ob id obstupescunt, vt qui nondum didicerunt quod post visitationem diuinam, vim suam exerunt cogitationes, ad mysteria Christianæ Religionis implenda: qui verò in eiusmodi consenuerunt, minimè mirantur. Ac velut agricolæ periti (præ multa consuetudine) cum vbertas est annonæ, non planè cura vacant, sed postea famem & sterilitatem expectant, nec è diuerso valde desperant cum fame aut sterilitate premuntur, eo quod vicissitudinem probè norunt: sic est in re spiritali, cum in varias

Damnum lapsus fuit à libero arbitrio.

G

1.Cor.6.d.

H

tenta

A tentationes inciderit anima, non est attonita nec desperat: quia nouit, ex permissione se relictam esse, vt probaretur & erudiretur à malo: nec vicissim, quando diuitiis multis & quiete fruitur, sollicitudine caret, sed mutationem expectat. Similiter & Sol cum sit corpus & opificium, relucens in locis fœtidis, lutosis & impuris, nihilo læditur aut inficitur: quanto minus Spiritus purus & sanctus, qui habitat cum anima quæ adhuc à malo torquetur, inde vitij contrahit? *Etenim lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Cum igitur homo ditescit gratia & nihilominus tentatur, habet adhuc aliquid oleris ad pascendum vitium, verum protectorem habet sibi opitulantem: quare cum quis tribulationibus aut affectionum tempestatibus premitur, minimè desperare debet, nam inde peccatum subintrat & ingrauescit. Vbi quis in Deo spem habuerit perpetuam, leuius redditur quodammodo & exsiccatur vitium. Peccatum igitur in causa est quod quidam paralysi laborant, mutilati sunt, febricitant, & ægrotant: Illud enim est *radix omnium malorum*, & inde procedunt affectiones concupiscentiarum animæ & prauarum cogitationum. Quemadmodum si fons fluat locis humidis circundatus, calore vigente, tam fons ipse quam proxima loca deficcantur: ita seruis Dei accidit, in quibus abundans gratia, non tantum desideria quæ à Diabolo suggeruntur exsiccat, sed etiam naturalia, cum nunc viri Dei præstantiores sint primo Adam. Deus incomprehensus est & incircunscriptus, vbique apparens, in montibus, in Mari, & super abyssum: non migrandi ratione, sicut Angeli descendentes è cœlo in terram, est enim in cœlo, est etiam hîc. Verum dices mihi, quomodo potest esse Deus apud Gehennam, aut in tenebris, aut in Satana, aut in aliis locis graueolentibus? Respondeo, illum passionis esse expertem, & omnia continere, cum circunscribi non possit; Satanas autem cum sit ipsius creatura, ligatur. Ipsum autem bonum nec inficitur sordibus, nec obtenebratur. Quod si negaueris illum continere omnia, tum Gehennam, tum Satanam, ipsum facis circunscriptum: quoad eum videlicet locum, in quo est ille Nequam, vt inde occasio detur inquirendi alium eo superiorem. Necesse enim est, Deum ipsum vbique superiorem esse: sed propter mysterium diuinitatis & simplicitatem eius, tenebræ quæ ab eo capiuntur, non comprehendunt illum: nec quod malum est, potest esse particeps puritatis quæ est apud Deum. Igitur in Deo nihil mali subsistit, quia nullo pacto lædi potest. Nobis vero vitium adiacet, eo quod habitet in corde vbi vim suam exercet, suggerens improbas & obscœnas cogitationes, non sinens puras preces effundere, sed captiuam ducens mentem per hoc sæculum. Induit igitur animas, atque etiam attigit ipsa membra ossea. Quapropter sicut Satanas est in aëre, vbi quoque Deus præsto est nullatenus affectus, sic peccatum est in anima, itidem & gratia diuina, nullo modo læsa. Itaque quemadmodum seruus perpetuo iuxta dominum suum est cum metu, & eius iniussu nihil agens, ita nos debemus cogitationes nostras dedicare & aperire Christo Domino cordium cognitori, & spem ac fiduciam in illum collocare, dicentes, Ipse est gloria mea, ipse pater meus, ipse diuitiæ meæ. Perpetuo igitur gestare debes in conscientia, sollicitudinem ac metum. Si vero quis non fuerit adeptus gratiam diuinam in se plantatam & concretam, noctu diuque laboret, vt quod ad horam ipsum deducebat, excitabat, & dirigebat ad ea quæ bona sunt, tanquam naturale sic adhæreat animæ, vt saltem ille curam gerat, metum ac laborem, tanquam naturalem & immutabilem cordis contritionem perpetuo infixam. Quemadmodum aut apis secreto fauum conficit in alueo: sic & gratia dilectionem suam secreto in cordibus exercet: & quod amarum est, mutat in dulce, quod autem asperum, in planum. Itaque sicut faber argentarius & sculptor quando discum insculpit, aliquatenus operit varia illa quæ sculpit animalia, vbi vero perfecit, tum discum splendentem profert in lucem: ita Dominus, qui verus est artifex, corda nostra insculpit ac mysticè renouat, donec è corpore decedant, & tum eminet dignitas animæ. Qui enim supellectilem aliquam struere proponunt, & in ea animalcula intexere, in primis ceram effigiant, tum ad imaginem illam fundunt, vt opus secundum effigiem illam perficiatur: sic etiam peccatum, cum sit spiritus, imaginem habet, & in varias formas conuertitur. Similiter & homo interior, animalculum quoddam est, imagine & forma præditum, cum sit similitudo exterioris hominis. Est ergo vas præclarum ac pretiosum, quandoquidem ex omnibus creaturis, in eo sibi Dominus complacuit. Itaque bonæ cogitationes animæ, similes sunt lapidibus pretiosis ac margaritis: impuræ vero cogitationes plenæ sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia ac fœtore. Quamobrem Christiani alterius sunt seculi, nimirum cœlestis Adæ filij, germen nouum, filij Spiritus sancti, præclari fratres Christi, spiritalis Adæ patris sui similes, ac referentes splendorem ciuitatis illius, generis, & virtutis. Nequaquam sunt huius Mundi, sed alterius mundi sunt. Nam inquit ille, *non estis de hoc Mundo: quemadmodum nec ego sum de hoc Mundo.* Cæterum sicut mercator post longam moram rediens, post auctam suam mercaturam, mittit ad suos vt ædificent domos & hortos, & præparent indumenta necessaria, & cum peruenerit ad sua, prolatis facultatibus copiosis, summa cum lætitia excipitur à domesticis suis & cognatis: sic & in rebus spiritalibus, cum quidam mercati fuerint opes cœlestes, norunt hoc Conciues (hoc est Spiritus Sanctorum & Angelorum) admiratique dicunt, Fratres nostri qui versantur in terra, ad immensas diuitias peruenerunt. Tales ergo secum habentes Dominum, soluto corpore, cum ingenti gaudio migrant ad cœlestes incolas, & excipiuntur à domesticis Domini; illic præparantibus eis domos, hortos, ac splendida & valde pretiosa vestimenta. Igitur in omnibus opus est sobrietate, ne bona quæ videmur habere, vertantur in perniciem nostram. Siquidem qui natura sunt mansueti, nisi sibi caueant, paulatim à sua probitate subtrahuntur: & præditi sapientia, propter illam surripiuntur. Quare necesse est, hominem omnibus partibus temperatum esse, nempe mansuetudinem cum seueritate permixtam habere, sapientiam cum discretione, sermonem cum opere, ac omnino non in se, sed in Domino fiduciam collocare. Virtus enim conditur variis formis, tanquam cibus quidam necessarius condimento, aliquove alio modo, & hoc non tantum melle, sed etiam pipere: & ita reperitur vtilis. Qui autem negant, peccatum esse in homine, sunt eorum similes qui inundatione aquarum multarum demersi, hoc tamen ipsum minime fatentur: sed aiunt, *Sonum aquarum audiuimus*: sic & illi profundis vitiorum fluctibus absorpti, negant in mente ac cogitationibus suis esse peccatum. Alij sunt igitur qui sermone quidem pollent & eloquuntur, non tamen sale cœlesti conditi sunt, narrantque multa de regia mensa, nihil tamen inde gustantes aut adepti. Alius vero est, qui conspectione Regis fretus, apertis sibi thesauris, ingreditur ac pro hærede gerit, edens & bibens de cibis illis lautissimis. Cæterum quemadmodum mater vnicum habens filium speciosissimum, sapientem, bonis omnibus ornatum, in quo spem omnem collocauerit, vbi contigit hunc ab illa sepeliri, hoc habet accessionis, vt in posterum assiduo labore prematur, ac sine consolatione lugeat: sic mens, quasi quantum ad Deum mortua sit anima, lugere debet & lachrymas fundere, assiduè laborare, contritum habere cor, cum metu & sollicitudine viuere, ipsumque bonum perpetuo esurire ac sitire. Talem postmodum excipit spes & gratia diuina, nec vltra luget, sed gaudio perfunditur, vt thesaurum nactus; quem ne quoquo pacto perdat, denuo intremiscit, quia subeunt latrones. Quare sicut is qui cum in latronum rapinas multas & pericula incidisset, multo cum labore euasit, ac postea ingentes opes & varias facultates consecutus est, iam non amplius damnum metuit

Margin notes: Ioan. 1. a. — B Peccatum ægritudinum causa est. 1. Tim. 6. 10. — C — Vitium homini adiacet. — D — Gratia dilectionem secreto operatur in corde. — F Ioan. 7. c — G Necesse est homini esse temperatum ne in vitia incidat. — H — Perfectiorum metus quando gratiam adepti sunt.

A metuit propter abundantes diuitias: sic & spiritales homines qui tentationes multas & horrenda loca transierunt, deinde gratia & bonis cumulatè freti, non amplius fures extimescunt, eo quod diuitiæ non paucæ suppetunt, non tamen metu carent: metu (inquam) non nouitiorum malos spiritus formidantium, sed timent ac sunt solliciti; quam rectè administrabunt spiritalia dona sibi credita. Porro qui eiusmodi est, humilius de se sentit quam omnes peccatores, talemque præ se fert cogitationem insitam quasi naturalem. Qui quanto maiorem Dei notitiam assequitur, tanto simpliciorem se putat idiotam: & quanto plura didicerit, eo minus se scire existimat. Hæc autem quasi animæ sint innata, peragit, à qua regitur, gratia, non aliter quam si iuuenis infantem portet, quem circunferat quocumque libuerit, sic intima penetrans, gratia rapit animum ac defert in cœlos ad Mundum perfectum & ad oblectationem perpetuam. Verum gratiæ quidam sunt gradus ac dignitates: nam alius est Præfectus militum.

B qui rege familiariter vtitur, alius ducatum gerit. Cæterum veluti domus fumo repleta, effundit illum in externum aëra, ita vitium abundans in anima, redundat exterius, ac fructus suos producit. Et sicut ij qui Consulatus officia vel thesaurum regium adepti sunt, perpetuam gerunt curam ne quoquam pacto Regem offendant: sic & illi quibus aliquod opus spiritale creditum est, semper sunt solliciti, & quiete fruentes, perinde sunt ac si non fruerentur, quia in eo sunt, vt regnum tenebrarum subintrans ciuitatem, (hoc est, animam) ac Barbaros occupantes eius pascua, à se propulsent. Mittit enim rex Christus, qui vicem ciuitatis illius vlciscantur, ac tyrannos in vincula coniicit, exercitumque cœlestem & aciem sanctorum Spirituum illic tanquam in patria propria, stationem habere iubet: in reliquo, Sol in corde lucet, eiusque radij penetrant vniuersa membra, atque ibi summa pax regnat. Certamen autem ac hominis pugna, probatio, & erga Deum beneuolentia, tunc apparet quando subducente se gratia

C viriliter agit homo, & ad Deum clamat. Verum cum audis, quosdam esse fluuios draconum, ora leonum, & Potestates sub cœlo caliginosas, ignem ardentem & perstrepentem in membris (quale nihil terra continet) si ignoras: nisi susceperis sancti Spiritus arrabonem, dum è corpore decedis, hæc comprehendunt animam tuam nec sinunt ad cœlos ascendere. Itidem cum de dignitate animæ audieris, quam præclara sit substantia intellectu prædita, non intelligis, quod Deus non de Angelis sed de natura humana dixit; *Faciamus hominem ad*

Gen. 1. d. *imaginem & similitudinem nostram*: & quod *cœlum & terra transeunt*, tu vero vocatus es ad immortalitatem, vt sis filius, frater, & sponsa Regis. Nam in rebus externis, omnia quæ ad sponsum pertinent, sponsæ quoque sunt: Dominus etiam omnia quæ sua sunt, tibi credidit. Ille enim ipse, tua causa legationem obiit, nimirum, vt te reuocaret: ipse vero nihil intelligis, nec perspicis nobilitatem tuam, meritoque luget casum

D tuum ille spiritu plenus, dicens: *Homo cum in honore*

Psal. 48. c. *esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Gloria sit Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in sæcula: Amen.

DE CHRISTIANORVM Vnctione spirituali, & Gloria.

HOMILIA XVII.

CHRISTIANI perfecti, qui meruerunt ad gradum perfectionis peruenire, & regi proximi fieri, cruci Christi perpetuo consecrati sunt. Quemadmodum enim prophetarum temporibus, vnctio quippiam erat plane pretiosum, cum iij reges & prophetas vngerentur: ita nunc spiritales, qui cœlesti vnctione vncti sunt, per gratiam euadunt Christiani, ita vt ipsi sint reges & prophetæ cœlestium mysteriorum. Sunt etiam ij filij & domini, vincti & captiui Dei, abiectissimi, crucifixi, ac dedicati. Si enim vnctio olei quod ab extrema planta & ligno visibili nascebatur, tantam vim habuit vt qui vngebantur, dignitatem citra contradictionem consequerentur, ratumque erat vt ipsi reges constituerentur: quo etiam Dauid vnctus, persecutiones confestim & afflictiones perpessus, est septennio post rex factus: quanto magis quicumque animotenus & secundum hominem interiorem vncti sunt sanctificante, lætificante, cœlesti, ac spiritali oleo exultationis; signum recipiunt regni illius incorruptibilis ac virtutis æternæ, videlicet arrabonem spiritus, ipsum sanctum ac paracletum Spiritum? (Intellige vero paracletum, vt qui consoletur & gaudio afficiat eos qui premuntur afflictionibus.) Eiusmodi de ligno vitæ IESV CHRISTI & planta cœlesti vncti, merentur gradum perfectionis attingere, regni (inquam)

F & adoptionis. Quippe qui sint Secretarij Regis cœlestis, fiduciam habentes erga omnipotentem, ingredientes palatium ipsius vbi sunt Angeli & spiritus sanctorum, licet adhuc sint in hoc Mundo. Quamuis enim nondum integram hæreditatem sint adepti sibi præparatam in hoc sæculo, certissimi tamen sunt ex arrabone quem modo susceperunt, ac si iam coronati essent & regno potirentur. Neque peregrinum illis videri solet, quod regnaturi sint cum Christo, propter magnam copiam & fiduciam spiritus, quamobrem? propterea quod dum adhuc essent in carne suauitatem illam ac dulcedinem obtinebant, atque efficaciam facultatis illius. Veluti quando contingit aliquem fieri regem & coronari, qui regis amicus erat, & dans operam rei palatinæ secreta cognoscebat, purpuramque videbat regiam, non obstupescit ille neque terretur, quia diuturna exercitatione didicit palatij mysteria. Nec enim fieri solet, vt quispiam è gregariis ac simplicibus hominibus secreta illa ignorantibus accedat ad regnum,

Certa fiducia regnare cū Christo.

G sed ij tantum qui periti sunt & instructi. Sic & Christiani qui regnaturi sunt in illo sæculo, non in stuporem vertuntur, quia iam prænouerunt gratiæ mysteria. Ob id enim quod homo transgressus est mandatum, diabolus vniuersam animam operuit caliginoso velamine, verum postea accessit gratia, & exuitur plane velamen illud: ita vt de cætero anima purificata & propriæ naturæ restituta, (nimirum puræ & irreprehensibili creaturæ) pure, perpetuo, ac puris oculis gloriam veri luminis conspiciat, verumque Solem iustitiæ in ipso corde fulguris instar splendentem. Nam sicut in consummatione perituri Firmamenti, Iusti victuri sunt in posterum in regno, lumine & gloria, nihil aliud spectantes quam quomodo Christus in gloria perpetuo sedeat ad dexteram Patris: sic isti iam abhinc in illud seculum rapti & captiuati, quæcumque sunt ibi præclara & admiratione digna spectant. Nos enim qui sumus adhuc in terra, in cœlis conuersamur secundum mentem & interiorem hominem, vitam agentes & conuersantes

H in illo sæculo. Sicut enim oculus exterior quando purus est, pure semper intuetur Solem, sic & mens exacte purificata semper videt gloriam luminis Christi, & est noctu diuque cum Domino: perinde ac corpus Domini diuinitati coniunctum, perpetuo simul est cum Spiritu sancto. Verum hosce gradus hominibus quamprimum assequi non datur nisi multo cum labore, afflictione, ac contentione. Nam in quibusdam interdum gratia requiescit & vim suam exercet, intus tamen adhuc est etiam vitium: ac duæ conuersandi rationes, nempe lucis ac tenebrarum, in vno corde vim suam exercent. Atqui plane dices mihi: *quæ societas luci cum tenebris?* Vbinam lux diuina offundi tenebris aut perturbari potuit, & quod purum est & impollutum, inquinari? Scriptum est enim, *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Quamobrem non sunt

Ioan. 1. a. hæc vno modo atque eadem ratione intelligenda: quidam enim tanta nituntur gratia Dei, vt etiamsi vitium non absit ab illis, tamen robustiores sunt, sum-

maque

A maque erga Deum deuotione ac oblectatione tenentur, alia tamen hora prauis torquentur cogitationibus, ac surripiuntur à peccato, alioqui nondum gratia diuina destituti. Idiotæ vero ac simpliciores, vbi quid in illis operata fuerit gratia, peccato se vacuos esse existimant. At, qui prudentia ac discretione pollent, asserere non audent, nos qui gratia diuina præditi sumus, turpibus ac obscœnis cogitationibus non affici: cum sæpenumero reperire licuerit quosdam è Fratribus tanta perfusos esse gratia & lætitia, vt affirmare auderent, quinque aut sex annorum spatio concupiscentiam exaruisse, putarentque in posterum ab ea se liberatos, quæ nihilominus vehementius incitata rursus illos & accendit, ita vt admirantes dicerent, Vndenam tanto post tempore prodiit nobis tam acerbum virium? Quapropter nemo sanæ mentis dicere audeat, Prorsus liberatus sum à peccato, quia mecum adest gratia. Atqui duæ personæ suam vim exercent in mente. Cæterum qui rerum sunt imperiti, cum

Sæpius concupiscentia, etiã post multos annos vehementius accenditur.

B modicum quippiam operata sit in illis gratia, se iam vicisse arbitrantur & perfectos esse Christianos. Ego vero sic rem se habere puto. Quemadmodum cum Sol in cœlo lucet per aëra purum, accedentibus circa eum nubibus ac Solem operientibus, crassior efficitur aër, Sol tamen ipse qui interius latet, quantum ad lumen & substantiam suam, nullo modo læditur: hoc se modo habent qui nondum plenè sunt purificati, qui quidem cum gratiam Dei possident, in imis tamen peccato tenentur, habentque motus naturales, licet firmæ sint cogitationes erga Deum, vtpote à parte boni nondum plenè stantes. Sic è diuerso, qui secundum ima bono gratiæ muniti sunt, serui tamen sunt & obnoxij cogitationibus improbis ac parti vitiosæ. Quare permulta discretione opus est, vt experientiæ beneficio cognoscat quispiam hæc ita se habere. Dico autem tibi, quod etiam Apostoli qui paracletum habebant, non erant planè securi. Nam cum gaudio & exultatione,

C aderat timor & tremor ab ipsa gratia procedens, non ex parte vitiosa: sed ipsa gratia protegebat illos, ne vel tantillum diuerterent. Quemadmodum si quis frustulum lapidis in murum proiecerit nullo modo læsit murum aut commouit: aut veluti telum proiectum contra feruentem clibanum, nullatenus offendit ferrum aut corpus, repulsat enim ac repercutit: ita si quid vitij insurgeret in Apostolos, non offendebat eos, cum essent perfecta Christi virtute induti, & ij cum essent perfecti, opera iustitiæ libere poterant peragere. Quoniam igitur aiunt quidam, post gratiam acceptam, nullam animæ superesse sollicitudinem, Deus à perfectis requirit voluntatem animæ in obsequium spiritus, nempe vt assentiantur. Dicit enim Apostolus, *Spiritum nolite extinguere.* Nonnulli igitur illorum, alios grauare nolunt, alij seipsos grauant: alij à Secularibus accipientes, pauperibus distribuunt, quod vtique præstantius est. Quidam enim gratia freti, hoc solum quod suum est, curant; alij vero, aliorum animas iuuare contendunt, & hi illis longè antecellunt. Alij gratia præditi,

1. Thess. 5.c. Gratiæ varij sũt vsus.

D pro nomine Dei, corpora sua contumeliis & tormentis exponunt, qui illis item sunt superiores. Nonnulli virtutis participes gloriari volunt & ab hominibus honorari, dicentes, se Christianos esse & Spiritum sanctum habere. Alij verò seipsos occultare nituntur, ne quemquam hominum obuium reperiant, qui illos longe superant. Videsne, quomodo in ipsa perfectione, beneuolentia erga Deum quæ à voluntate naturali procedit, præstantior reperitur & pluris æstimanda? Quemadmodum si quis vilibus indutus, per visum se locupletem perspexerit, surgens autem è somno, rursum se pauperem & nudum videat: sic & qui sermonem spiritalem loquuntur, commode loqui videntur, verum si non habeant verborum effectum cum quodam gustu, facultate, ac certitudine fidei, in mente firmatum, in opinione quadam subsistunt. Aut veluti si mulier holosericis & margaritis circumornata, prostat in lupanari, sic eiusmodi hominum cor quoddam lupanar est

Qui loquuntur verbum Dei, nec habẽt fidem firmam, & verborũ effectum, somniantibus similes sunt.

E immundorum Spirituum; volunt quidem sermocinari de iustitia, ad quam opere complendam minime se inclinant. Veruntamen quemadmodum sine aqua piscis viuere non potest, nec ambulare quis sine pedibus, aut absque oculis videre lumen, vel loqui cum lingua careat, aut audire sine auribus; sic sine Domino IESV atque efficacia diuinæ virtutis; non potest quispiam cognoscere mysteria aut sapientiam Dei, aut esse diues & Christianus. Nam qui ducuntur & reguntur secundum interiorem hominem à potentia diuina, ij sunt sapientes, milites fortes, & philosophi Dei. Philosophi autem Græcorum, dicendi facultatem ediscunt: Alij sunt imperiti loquendi, sed cum sint viri Deum colentes, lætantur & gestiunt ob gratiam diuinam. Discernamus ergo qui sint præstantiores: *In opere* (inquit) *& virtute est regnum Dei, non in sermone.* Facile est ergo, vt quis dicat panem hunc è frumento confectum esse, verùm dicendum est qua ratione minutim præparetur & pin- 1.Cor.4.d.

F satur. Quare paucis datum est disputare de affectionum vacuitate & perfectione: nam Euangelium concisè loquitur, *ne irascaris, non concupisces, si quis te percusserit in maxillam, præbe & alteram, si quis te vocet in iudicium vt vestem tuam sibi auferat; dato ei & tunicam.* Luc.6.d.
Apostolus autem, qui subsecutus est, docet quomodo paulatim puritatis opus cum patientia & longanimitate impleri debeat, primum lacte nutriens, velut infantes, tum ad incrementum & perfectionem deducens. 1.Cor.3.a.
Nam Euangelium dixit, ex lana vestimentum fieri: Apostolus autem indicauit per minuta, quomodo componatur. Qui ergo non gustantes vsurpant verba spiritalia, sunt eius similes, qui calore vigente desertum agrum perambulat, & sitibundus depingit fontem fluentem, aquam adumbrans seipsum bibentem, cum tamen præ siti qua tenetur, labra eius ac lingua exarescant: aut cum quis de suauitate mellis disputat, qui non nouit vim dulcedinis eius: cum non gustauerit. Sic se habent, qui de perfectione, exultatione, seu affectionum

Qui loquitur nec gustat spiritualia, cui sit similis.

G vacuitate verba faciunt, cum vim ac certitudinem non teneant: certè non omnia sic habent vt loquuntur. Cum enim talis meruerit aliquando gradatim eo peruenire vt opere quippiam compleat, à seipso discernet, inquiens: nimirum non ita reperi quemadmodum existimabam; aliter enim loquebar, & aliter operatur Spiritus. Nam Christianismus, esus est & potus, de cuius suauitate quanto plus quis ederit, tanto vehementius prouocatur animus velut irretentus & inexplebilis, ac sine satietate inquirens & manducans. Aut veluti cum quis sitit, eique proponitur potio dulcis, vbi gustare cœperit, grauius accensus, propius ad poculum accedit. Verum sedari non potest gustus spiritus, vt simile cuipiam comparari debeat. Hæc autem non sunt verba nuda, sed operatio Spiritus sancti mysticè inseruiens animo. At vero nonnulli putant eos iam sanctos esse, qui à muliere abstinent & ab omnibus quæ subiacent oculis: sed hoc non ita est, nam adhuc vitium est in mente, quod viuit in corde & extollitur. Ille vero sanctus est, qui

Quis denuo sanctificatus sit.

H purificatus est & sanctificatus secundum interiorem hominem. Vbi enim veritas recumbit, illic error prælium mouet, & nititur eam vellicare ac perturbare. Itaque cum Iudæi sacerdotio potirentur, ex ea gente multi persecutionem patiebantur & affligebantur: siquidem Eleazarus & Machabæi perstiterunt in veritate. Nunc verò cum à tempore Crucis & Veli scissi recesserit ab eis Spiritus, & inde reuelata sit & operetur apud nos veritas, propterea ex hac natione quidam persecutionem patiuntur, sicut & ex illa gente patiebantur & affligebantur, vt Martyres euadant veritatem colentes. Nam quomodo poterit elucescere veritas nisi habuerit aduersarios, & hos quidem mendaces & aduersus veritatem currentes? Atqui sunt de numero Fratrum, qui perferunt tormenta & afflictiones, qui quidem diligenter obseruare debent, ne labantur. Ex Fratribus enim cum quidam precaretur cum alio, diuina virtute captus & raptus vidit supernam ciuitatem Ierusalem & personas splendidas, lumenque immensum;

Iudæi quidam martyres ante Christum postea nullus. 1.Mac.6.d.

Machabæi Martyres. 2.Mac.7. Matt.27.

Monachi cuiusdã lapsus ex superbia.

atque

A

atque audiuit vocem dicentem, hic eſt locus requietis iuſtorum: ac paulo poſt inflatus, exiſtimans, quod viderat, ad ſeipſum pertinere, repertum eſt eum poſtea in abdita & profundiſſima peccatorum & infinita mala incidiſſe. Si ergo internus homo & ſublimis lapſus eſt, quomodo dicere poteſt quiuis alius: Iam ego ſanctus ſum, quia ieiuno; ac hoſpitalitatem ſector, & bona mea diſtribuo? Nequaquam enim ipſa perfectio eſt, à malis abſtinere, ſed ſi mentem tuam obſcuratam ingreſſus, occideris Serpentem in inferioribus,& profundioribus animi tui cogitationibus latentem, qui in armariis (quæ dicuntur) & apothecis animæ tuæ nidum collocauit, vt te interimat, Ipſum enim cor, eſt abyſſus: Si (inquam) illum necaueris, ac omnem tuam ſpurcitiam expuleris. Omnes enim philoſophi, lex,& Apoſtoli, ac etiam aduentus Saluatoris, circa puritatem laborant. Siquidem omnes homines tam Iudæi quam Græci, puritatem amplectuntur, quam tamen allequi nequeunt. Quamobrem inueſtigandum eſt, quomodo & quibus mediis puritas cordis comparari poſſit. Profecto non aliunde quam per eum qui pro nobis crucifixus eſt: Ipſe enim eſt via, vita, veritas, oſtium, margarita, & panis viuus ac cœleſtis, nec abſque illa veritate quiſquam noſſe poteſt veritatem, & ſaluari. Quemadmodum ergo homini exteriori ac rebus omnibus ſub aſpectum cadentibus renunciaſti, ac bona tua diſtribuiſti, ſic quantum ad ſapientiam ſecularem, ſi forte terum notitia polles aut facultate dicendi, hæc vniuerſa procul abiicere debes ac pro nihilo ducere, vt ita poſſis ſuper ſtultitiam prædicationis ædificari: quæ quidem prædicatio, eſt vera ſapientia, carens faſtu verborum, ſed prædita virtute per ſanctam Crucem operante. Gloria conſubſtantiali Trinitati in ſecula, Amen.

Quis demū ſanctus dici poſſit.

B

Cordis puritas quomodo poſſit cō parari. Etiam ſecularis ſapientia ab renūciādum, perfectionem affectanti.

C

DE THESAVRO CHRISTIANORVM, qui eſt Chriſtus & ſpiritus ſanctus; variis modis exercens eos ad perfectionem aſſequendam.

HOMILIA XVIII.

SI quis in ſæculo valde locuples, ſecretum theſaurum poſſideat, ex eo ac diuitiis quas habet, quæcumque libuerit nanciſcitur: & quaſcumque voluerit in Mundo poſſeſſiones, theſauro fretus, facile comparat, eo quod eius beneficio poſſeſſiones omnes ſibi gratas, nullo negotio conſequitur. Sic qui poſtulant à Deo, inueniunt ac obtinent theſaurum ſpiritus cœleſtem, nempe ipſum Dominum, in cordibus ſuis ſplendentem: omnem iuſtitiam virtutum, ac poſſeſſionem vniuerſam probitatis præceptorum Domini, ex eo theſauro qui in ipſis eſt, Chriſto, perficiunt, ac per eum, ampliores opes cœleſtes coaceruant. Nam beneficio theſauri cœleſtis,

D

omnem iuſtitiæ virtutem opere complent freti copia diuitiarum ſpiritalium quæ ſunt apud eos: implentque perfacilè iuſtitiam omnem ac præcepta Domini, per inuiſibiles diuitias gratiæ quæ eſt in ipſis. Itaque dicit

2. Cor. 4. d. etiam Apoſtolus, *habentes theſaurum iſtum in vaſis fictilibus*: hoc eſt, quem conſequi meruerunt qui manent

1. Cor. 1. d. adhuc in carne, nimirum virtutem Spiritus ſanctificatricem: Et iterum, *qui factus eſt nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio*. Qui igitur reperit ac poſſidet apud ſe cœleſtem hunc theſaurum ſpiritus, eius beneficio, omnem præceptorum iuſtitiam ac virtutum operationem, pure & abſque reprehenſione, facile ac ſine vlla vi perficit. Obſecremus igitur nos quoque Deum, poſtulemus ac deprecemur eum, vt nobis theſaurum ſui ſpiritus elargiri dignetur: vt hoc modo pure & ſine reprehenſione conuerſari poſſimus in omnibus illius præceptis, omnemque ſpiritus iuſtitiam pure ac perfecte complere, beneficio theſauri cœleſtis qui eſt Chriſtus. Nam pauper & mendicus fame labo-

E

rans, nihil in Mundo comparare poteſt, ipſum vrgente paupertate: qui vero theſauro potitur, vt prædictum eſt, omnes perfacile (quas vult) poſſeſſiones ac nullo cum labore conſequitur. Ita etiam Anima nuda, ac ſocietate ſpiritus deſtituta, & ſub duram peccati mendicitatem redacta, nullum poteſt (etiamſi velit) producere verum fructum ſpiritus iuſtitiæ, antequam ſpiritus particeps effecta ſit. Veruntamen compellere ſe quiſque debet, ad poſtulandum à Domino vt accipere mereatur & conſequi theſaurum ſpiritus cœleſtem, poſſitque facile & ſine vllo labore, pure, & abſque reprehenſione, omnia præcepta Domini implere, quæ non poterat antea (etiam adhibita vi) perficere. Pauper enim & communicatione ſpiritus carens, qui poſſet tales poſſeſſiones ſpiritales obtinere abſque theſauro ac ſpiritalibus opibus? Cæterum anima quæ Dominum (verum theſaurum) eſt adepta, per inueſtigationem ſpiritus, fidem, ac multam patientiam, fructus ſpiritus

F

(vt dictum eſt) facile profert: omnemque iuſtitiam ac præcepta Domini quæ Spiritus mandauit, in ſe perficit pure, integre, & ſine reprehenſione. Aut alio rurſum vtamur exemplo. Quemadmodum ſi diues quiſquam ſplendidam cœnam præparet, ex facultatibus ſuis & theſauro quem habet, ſumptus facit, nec pertimeſcit ne quid ſibi deſit, cum opes non modicas poſſideat, ſicque laute ac ſplendide conuiuas reficit quos inuitauit, variis ac recentioribus cibis appoſitis. At pauper diuitiis egens, ſi ſtatuerit quibuſdam cœnam præparare, mutuatur omnia, ſupellectilem ipſam, veſtes, ac reliquas ſpecies: & tum poſtquam cœnauerunt qui erant vocati (vt fieri ſolet in conuiuio pauperis) ſupellectilem argenteam, veſtes, ac reliqua ornamenta cuique reſtituit, vnde mutuo acceperat: quibus omnibus vnicuique redditis, pauper ille nudus remanet, nullas habens ſibi proprias facultates, vnde recreari poſſit. Eodem etiam modo qui Spiritu ſancto locupletes ſunt ac cœleſtes opes re vera conſecuti, habentes in ſe communionem Spiritus, ſi quibuſdam loquantur verbum veritatis, ſi quibuſdam ſpiritalem ſermonem communicent & animas recreare propoſuerint: ex propriis opibus ac peculiari theſauro, quem apud ſe poſſident, loquuntur ſpiritalem ſermonem ac reficiunt animas audientium, nec metuunt ne quid ſibi deſit, quia poſſident apud ſe theſaurum bonitatis cœleſtem, è quo proferunt, & recreant eos qui ſpiritaliter manducant. Egenus autem qui Chriſti diuitiis caret, non habens in anima ſpiritales opes producentes omnem bonitatem ſermonum, operum, cogitationum diuinarum, ac myſteriorum ineffabilium: licet velit is verbum veritatis eloqui ac quoſdam audientes recreare, non tamen habens in ſe verbum Dei ſecundum vim ac veritatem, ſed tantum recolens, recenſens, ac docens ſermones, quos ab vnaquaque ſcriptura mutuo acceperit, aut à viris ſpiritalibus audierit, en videtur quidem ille alios recreare (& profecto fruuntur alij ſermonibus) vbi vero recitare deſierit, vnumquodque verbum ad propria redit vnde ſumptum fuerat, ac tum ille denuo nudus & pauper permanet, nullum habens proprium ſpiritus theſaurum ex quo proferat, iuuet, ac reficiat alios, ac primus ipſe non recreatur, nec ſpiritu exultat. Quapropter conuenit in primis à Deo poſtulare cum cordis contentione ac fide, vt det nobis facultatem aſſequendi diuitias eius, nempe verum Chriſti theſaurum in cordibus noſtris, cum virtute & efficacia ſpiritus: tumque fiet, vt prius in nobiſipſis emolumentum, ſalutem, ac vitam æternam (nempe Dominum ipſum) adepti, poſtmodum alios, quoad fieri & ad eos peruenire poteſt, adiuuemus, ex interiori theſauro Chriſti, proferentes probitatem omnem ſpiritalium ſermonum, ac cœleſtia myſteria enarrantes. Ita enim placuit bonitati voluntatis Patris vt habitaret apud omnem credentem & requirentem ipſum: *qui enim diligit me* (inquit) *diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* Et iterum: *veniemus ego & Pater meus, & manſionem apud eum faciemus.* Ita voluit infinita clementia Ioan. 14. c.

Spiritu Dei debēt eſſe prædīti, qui verba Dei enūciant.

G

H

Patris,

A Patris, ita visum est incomprehensæ charitati Christi, ita promisit ineffabilis bonitas Spiritus sancti. Gloria sit inenarrabili misericordiæ sanctæ Trinitatis. Nam qui meruerunt esse filij Dei ac desursum è spiritu sancto nasci, Christum in se splendentem habentes, ac moderantem eos, variis ac diuersis modis à Spiritu reguntur, ac in cordis abscondito cum spiritali moderatione aguntur à gratia. Personas itaque producamus è conspicuis in Mundo moribus, & exemplis aliqua ex parte attingamus agitationes animæ à gratia. Quandoque enim sic se habent qui gratia ducuntur, vt qui in cœna regia lætantur & exultant exultatione & lætitia inenarrabili: alia vero hora se habent veluti sponsa, quæ in coniugio delectatur cum sponso suo diuina voluptate. Interdum fiunt, velut Angeli incorporei, tantæ sunt leuitatis & simplicitatis cum corpore. Quandoque sicut in ebrietate potus delectantur & spiritu sunt ebrij, ebrietate B diuinorum ac spiritalium mysteriorum. Interdum sunt velut in luctu & lamentatione, gratia generis humani, precantes pro toto genere Adæ, lugentque ac lamentantur, dilectione spiritali ardentes erga genus humanum. Quandoque ad tantam exultationem ac dilectionem accenduntur à Spiritu, vt si fieri posset, omnes homines in sua viscera mitterent, nullo discrimine habito bonorum vel malorum. Quandoque præ spiritus humilitate sic infra hominem omnem demittuntur, vt omnium postremos & minimos se existiment. Aliquando in gaudio ineffabili conseruantur à spiritu: Interdum se gerunt, sicuti robustus quispiam qui sumptis armis regiis descendens in prælium, aduersus hostes fortiter dimicat, & vincit illos, ad hunc enim modum spiritalis homo sumit arma cœlestia spiritus, & irruens in hostes, præliatur ac subiicit illos pedibus suis. Interdum in summo silentio, serenitate, ac pace quiescit anima, vt sola spiritali voluptate, indicibili oblectatione atque incolumitate perfruatur. Interdum intellectu quodam C & sapientia arcana, ac notitia spiritus inscrutabili, à gratia instruitur, ad ea quæ lingua vel ore proferri nequeunt. Aliquando se habet, vt quiuis hominum: ita variè gratia versatur in illis, ac multis modis tractat animam, moderans eam iuxta voluntatem diuinam, variisque modis exercet, vt illam putam, perfectam, ac irreprehensibilem constituat apud Patrem cœlestem. Hæ autem prædictæ spiritus motiones pertinent ad summum gradum eorum qui proximè perfectionem attingunt. Illæ enim variæ de quibus meminerimus, moderationes gratiæ, variis quidem modis exprimuntur, assiduè tamen agunt in homines, actione actioni succedente. Cum enim anima ad perfectionem spiritus euaserit, penitus expurgata ab omnibus affectionibus, & Spiritui paracleto arcana societate vnita, permixtaque spiritui meruerit fieri spiritus, tum fit tota lux, tota oculus, tota spiritus, tota gaudium, tota oblectatio, tota exultatio, tota dilectio, tota viscera, tota bonitas fit & clementia. Sicut enim lapis in profundo Maris vn-D dique circundatur aqua: sic ij omni modo cum Spiritu sancto permixti, Christi similes fiunt, obtinentes in se sine vlla mutatione, virtutes potentiæ spiritus, intus & extra, puri, immaculati, & irreprehensibiles. Cum enim sint per spiritum consummati, qui possunt, extra, fructum vitiosum producere? sed per omnia perpetuò fructus spiritus in ipsis enitescunt. Deprecemur igitur etiam nos Deum, cum fide, spe, ac dilectione summa, vt largiatur nobis cœlestem gratiam doni Spiritus: vt nos ipse Spiritus gubernet & dirigat ad omnem voluntatem diuinam, ac moderetur nos varia moderatione sua, vt moderationis eius beneficio, exercitationis gratiæ, ac promotionis spiritalis, mereamur ad perfectionem plenitudinis Christi peruenire, sicut ait Apostolus: *vt impleamini in omnem plenitudinem Christi.* (Eph. 3. d.) Et rursum; *donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* (Eph. 4. c.) Pollicitus est Dominus omnibus credentibus in se, & in veritate postulantibus, donaturum se mysteria Communionis arcanæ spiritus. Quamobrem nos Domino penitus dedicantes, E ad prædicta bona consequenda festinemus, anima & corpore consecrati, & cruci Christi affixi, æterno regno digni fiamus, gloriam referentes Patri, & Filio, ac Spiritui sancto, in sæcula, Amen.

CHRISTIANVS PROFICERE VOLENS, ad omne id quod bonum est, se vi compellere debet.

HOMILIA XIX.

QVi cupit ad dominum accedere, ac æterna vita dignus haberi, fierique domicilium Christi, ac Spiritu sancto repleri, quo purè & sine reprehensione fructus spiritales producere, & Christi mandata implere valeat: hic in primis hoc sumere debet initium, vt firmiter Domino credat, & se totum tradat mandatis eius, per omnia Mundo renuntians, ne vllo modo mens eius occupetur circa quippiam eorum quæ subiacent oculis. (Veri christiani Officia.) F Ipsum quoque semper in oratione perseuerare oportet, in fide & expectatione Domini, præstolantem assiduè visitationem & auxilium eius, scopum mentis suæ semper eo dirigentem. Tum propter peccatum sibi adhærens; seipsum compellere debet ad omne opus bonum, & ad vniuersa Domini mandata: verbi gratia, humiliare seipsum contendat coram omnibus hominibus, ac se inferiorem & deteriorem existimare, non quærens à quoquam hominum, honorem, laudem, aut gloriam, sicut in Euangelio scriptum est; sed Dominum tantum & mandata eius semper ante oculos habeat, ei soli placere desiderans in mansuetudine cordis, vt Dominus inquit, *discite à me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris.* (Matth. 11. d.) Itidem, assuefactione det operam vt sit misericors, clemens, bene affectus, bonus quoad fieri poterit, vt dixit Dominus, *Estote boni & clementes, sicut Pater vester cœlestis misericors est.* (Luc. 6. c.) Et rursum, *si diligitis me mandata mea seruate.* (Ioan. 14. b.) Et iterum, *contendite intrare per angustam portam.* (Luc. 13. e.) Super omnia humilitatem Domini, eiusque viuendi rationem, clementiam, & conuersationem, tanquàm exemplar, in memoria minimè obliuiosa habeat. Perseueret in orationibus semper orans, ac perdurans in fide, vt Dominus veniens habitet in eo, perficiat & corroboret eum in omnibus mandatis eius: atque etiam ipse Dominus fiat habitaculum mentis eius, & ita, quæ nunc cum vi & inuito corde facit illud libenter aliquando peragat, semper seipsum assuefaciens ad id quod bonum est, Dominum semper habens in memoria & expectans illum cum summa dilectione. Tum Dominus animaduertens talem voluntatem ac probum eius studium, nimirum quomodo contendat, Dominum in memoria habere, & vt semper ad id quod bonum est, ad humilitatem, mansuetudinem, & dilectionem, animum etiam inuitum compellat, quanta cum violentia G facere potest, exercet in eum misericordiam, ac redimit illum ab inimicis & ab inhabitante peccato, replens eum Spiritu sancto, & ita postea sine vi ac nullo negotio verè facit omnia mandata Domini: imò verò Dominus, in eo sua mandata implet, & fructus spiritales pure producit. Primum itaque decet quempiam accedentem ad Dominum, sic ad id quod bonum est cogere seipsum etiamsi repugnet animus, sperantem semper in fide deficiente, misericordiam eius, seque ipsum compellere ad dilectionem si dilectionem non habeat, compellere seipsum ad mansuetudinem si mansuetudine careat, compellere seipsum ad miserandum, & misericordem animum possidendum, compellere seipsum ad contemptum perferendum, & in eo cum animi magnitudine perdurandum, ita vt despectus & inhonoratus non indignetur, iuxta id quod dictum est, *non vosmetipsos vlciscentes, charissimi:* (Rom. 12. d.) compellere seipsum ad preces, si spiritu orandi careat. (Accedentem ad Deum oportet cogere seipsum ad bona.) Sic itaque Deus conspecto eo qui tantopere decertat, & qui repugnante animo, (Vera virtutis omnium.) seipsum

A *Orationis assequendarum ratio.* seipsum vi adigit, veram spiritu precandi rationem concedit, dilectionem veram largitur, veram clementiam, viscera misericordiæ, benignitatem veram; atque vt semel dicam, replet eum fructu Spiritus. Quod si quis cum affectu precandi careat, ad solum orandi desiderium consequendum contendat, neglectis mansuetudine, humilitate, charitate, ac reliquis Domini præceptis, nullamque curam, laborem, aut diligentiam adhibeat vt in illis bene versetur: quandoque pro illius proposito ac libera voluntate conceditur illi precandi gratia cum requie ac lætitia spiritus, idque seorsum iuxta petitionem illius: moribus tamen iisdem est quibus priùs erat, carens mansuetudine, propterea quod in eo non elaborauit nec seipsum præparauit vt talis euaderet, carens humilitate quia non postulauit, nec ad id seipsum compulit, carens dilectione erga omnes, eo quod de ea nihil sollicitus fuit in postulatione Orationis suæ: & in ipso opere perficiendo fidem non habet B nec fiduciam erga Deum, quia seipsum non nouit; nec se fide carere didicit, neque cum afflictione contendit impetrare à Domino vt fidem firmam ac veram fiduciam in illum consequeretur. Necesse est enim vt vnusquisque quemadmodum seipsum compellit & adigit ad orandum; etiamsi mens repugnet, ita seipsum cogat ad fiduciam habendam, ita ad humilitatem, ita & ad charitatem, ita ad mansuetudinem, sinceritatem, & simplicitatem; ita ad omnem patientiam & longanimitatem præparatus sit cum gaudio: ita conniti debet, vt seipsum nihili faciat, mendicum & extremum existimet, vt non loquatur quæ sunt inutilia, sed quæ Dei sunt, semper meditetur & enuntiet ore & corde, non moueatur ira, neque clamitet, sicut dictum est, *omnis amaritudo, ira & clamor tollatur à vobis cum omni malitia:* Vt omnibus Domini moribus imbuatur, omni virtutis exercitatione, bonaque & præclara viuendi ratione, omni conuersatione probitatis, omni mansuetudinis humilitate, vt non extollatur nec altum sapiat, C aut inflетur, vel cuipiam detrahat. Ad hæc vniuersa contendere debet qui probari cupit & placere Christo, vt hoc pacto Dominus attendens promptitudinem animi atque alacritatem eius qui sic seipsum compellit & vi adigit ad omnem probitatem, simplicitatem, mansuetudinem, humilitatem, charitatem, ac precationem, se totum Dominus illi donet, hæc vniuersa implens in eo vere, pure, sine vi & labore, quæ ne vi quidem adhibita poterat antea obseruare, propter inhabitans in ipso peccatum. Et hæc omnia virtutum officia, fiunt illi veluti naturalia, nam in posterum Dominus adueniens & versans cum eo, & ille cum Domino, nullo negotio sua mandata perficit in eo, replens illum fructu spirituali. Si vero ad precationem duntaxat quis seipsum cogat donec hanc à Deo gratiam duntaxat adeptus fuerit, ad cætera vero quæ prædicta sunt, non contendat nec seipsum compellat aut assuefaciat, hæc vere, pure, ac sine reprehensione nequit adimplere: sed conuenit ita seipsum præparare pro viribus ad id D quod bonum est: nam interdum, deprecanti ac petenti datur à diuina gratia, quia bonus & clemens est Deus, petentibusque se, largitur postulata. At qui prædictis caret, nec tamen ad ea se assuefacit aut præparat, si forte gratiam acceperit, perdit eam & labitur præ superbia, aut nihil promouet vel augetur in gratia sibi concessa, quia deliberata voluntate se non tradiderit mandatis Domini. Siquidem domicilium & requies Spiritus sancti est humilitas, charitas, & mansuetudo & reliqua Domini mandata.

Orantis animus qualis esse debeat.

Eph. 4. g.

Ratio assequendæ gratiæ cœlestis. Psal. 118. b. Quicumque igitur optat vere Deo placere, & ab eo consequi cœlestem spiritus gratiam, & crescere ac perfici in Spiritu sancto, debet ad omnia præcepta Dei seipsum compellere, & vel inuitum animum subiugare quemadmodum dictum est; *propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.* Quemadmodum enim quispiam se compellit & cogit ad perseuerandum in impetrando precandi desiderio, donec id obtinuerit, eodem modo, si volet ad omnia virtutum officia seipsum adiget & vigebit, assuetudinem bonam induens: & ita vbi postulauerit assiduè Dominum deprecatus, & postulata consecutus Deum gustare cœperit, ac Spiritus sancti particeps fuerit, ille ipse Spiritus largietur, vt crescat, impleat, & foueat gratiam sibi donatam, requiescentem in humilitate, charitate, & mansuetudine eius, docebitque eum veram peccandi rationem, veram dilectionem, ac veram mansuetudinem, ad quæ prius vi ferebatur, quærebat cum sollicitudine, & meditabatur, quæ denique donata sunt ei: & ita auctus & consummatus in Deo, hæres esse regni meretur. Nunquam enim humilis labitur; nam vnde labi posset qui sub omnibus est? Itaque eleuatio sui, summa est humilitas: humilitas autem, magna est exaltatio, existimatio, & dignitas. Quamobrem vim nobis inferamus, & compellamus ipsi nos ad humilitatem (vel inuito animo) ad mansuetudinem & charitatem, deprecantes atque obsecrantes Deum in fide, spe, & charitate, assidue tali expectatione ac scopo fieri, vt mittat Spiritum suum in corda nostra, quo precemur & adoremus Deum in Spiritu & veritate. Ipse enim Spiritus docebit nos veram precandi rationem, quam nunc (etiam vi) non possumus implere. Docebit quoque viscera misericordiæ, nempe benignitatem, ac quomodo vniuersa Domini præcepta re vera exequi possimus sine vi ac molestia, sicuti nouit Spiritus ille nos replens fructu suo. Hocque modo mandatis Dei à nobis impletis beneficio sui Spiritus qui solus nouit voluntatem Domini, & nos consummat in se, ac consummatus in nobis purificatis ab omni inquinamento & luto peccati, animas nostras puras & immaculatas, tanquam præclaras sponsas, exhibebit Christo: ac requiescemus cum Deo in regno ipsius, & Deus requiescet in nobis per infinita sæcula. Gloria sit misericordiæ, & charitati eius, quod tanto honore & gloria dignatus sit genus hominum, eosque dignos fecerit quos vocaret Patris cœlestis filios ac proprios fratres. Ipsi gloria in sæcula, Amen.

E *Humilis nunquam labitur.* F G

SOLVS CHRISTVS SANAVIT animam, quam ornamento gratiæ suæ vestiuit.

HOMILIA XX.

SI quis nudus est, carens diuino ac cœlesti indumento quod est potentia spiritus, quemadmodum dictum est, *Si quis autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius:* defleat & deprecetur Dominum, vt de cœlo spiritale consequatur indumentum quo induat animam virtute diuina denudatam: nam qui vestimento Spiritus caret, multis pudendis & infamibus affectionibus obruitur. Quemadmodum enim in rebus externis si quis nudus fuerit, summo pudore atque dedecore afficitur, & amici, nudos auersantur amicos, & germani, suos; filij quoque videntes nudatum patrem, facies suas auerterunt ne nudum patris corpus aspicerent, & retrogradientes operuerunt eum, & sic vultum auerterunt: ita Deus auersatur animas non ornatas indumento sancti Spiritus cum certitudine fidei, eos inquam, qui non induerunt Dominum IESVM CHRISTVM in virtute & veritate. Quandoquidem ille primus Homo se nudum conspiciens, erubuit: tantam habet nuditas annexam ignominiam? Si ergo in rebus corporeis tantum pudoris facit nuditas, quanto maiore pudore ac ignominia affectionum circundata est anima, diuina virtute nudata, non gestans nec induta arcanum, incorruptibile, ac spiritale indumentum (nempe Dominum IESVM CHRISTVM) in veritate? Itaque quicumque vacuus est gloria illa diuina, illum ita sui pudere debet, atque ignominiam suam agnoscere, sicut Adam corpore nudus cum esset, etsi è foliis ficus vestimentum sibi aptauit, pudore tamen ducebatur, animaduertens

Rom. 8. 2. Gen. 9. 83. H Gen. 3. 7.

mendici

A

mendicitatem suam ac nuditatem. Quapropter eiusmodi anima postulet à Christo qui largitur & induit eam gloria in lumine ineffabili; neque decepta opinione propriæ iustitiæ, aut existimans se habere vestimentum ipsius Salutaris, consuat sibi vestem vanarum cogitationum. Qui enim in sua tantum iustitia atque redemptione persistit, temerè & frustra laborat: nam omnis opinio iustitiæ ipsius in extrema die, sicut pannus menstruatæ apparebit, vt ait Esaias Propheta, *facta est vniuersa iustitia nostra tanquam pannus menstruatæ.* Deprecemur ergo Deum & postulemus vt induamur ipsius Salutaris amictum, nimirum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, lumen arcanum: quem gestantes animæ, non expoliabuntur in sæculum, sed in resurrectione corpora quoque ipsarum illustrabuntur à gloria luminis, quo etiam nunc ornatæ sunt fideles & nobiles animæ, vt inquit Apostolus: *qui suscitauit Christū à mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra, propter inhabitantem spiritum eius in nobis.* Gloria sit inenarrabili benignitati & ineffabili misericordiæ ipsius.

(Margin: [Es]a.64. — [R]om.8.)

B

Rursum, vt mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur, verè credens, posteaquam tetigit fimbriam vestimenti Domini, statim sanitatem est adepta & exiccatus est fluxus fontis impuri illius sanguinis: ita omnis anima percussa incurabili vulnere peccati, habénsque fontem prauarum & immundarum cogitationum, si accesserit ad Christum & verè credens deprecata fuerit, sanitatem salutarem consequitur ab incurabili affectionum fonte, ac deficiens exiccatur fons ille qui cogitationes immundas producebat, per virtutem IESV solius, nec est in alterius cuiuspiam facultate, vt hoc vulnus sanare possit. Ita enim fortiter se gessit hostis in trāsgressione Adæ, vt vulnerauerit & tenebris offuderit interiorem hominem, mentem videlicet, hominis ducem, quæ Deum spectabat: vnde postea oculi eius à bonis cœlestibus auersi, intueri cœperunt vitia & affectationes. Tam grauiter ergo læsus est, vt nullus præter solum Dominum sanare possit: huic soli possibile est.

(Margin: [M]atth. 10. — Solus [C]hristus [cu]rat [a]nimam [p]rauis [co]gita[ti]onibus.)

C

Nam ipse veniens abstulit peccatum mundi, hoc est, impurum fontem illum cogitationum animæ exiccauit. Sicut enim illa fluxu sanguinis affecta, cum omnia sua bona erogasset in medicos, à nullo tamen eorum curata donec accessit ad Dominum, & credens in veritate tetigit fimbriam vestimenti eius, & ita mox sanatam se sensit, stetitque fluxus sanguinis: sic & animam incurabili vitiosarum affectionum vulnere ab initio sauciatam, nullus iustorum Patrum, Prophetarum, aut Patriarcharum curare potuit. Venit quidem Moses, sed planè non potuit sanitatem conferre, sacerdotes, munera, decimationes, sabbatismi, neomeniæ, ablutiones, sacrificia, holocausta, & vniuersa reliqua iustitia celebrarur in lege, nec tamen anima sanari aut mundari potuit ab impuro vitiosarum cogitationum fluore: nec potuit vniuersa illius iustificatio ipsam curare, donec venit Saluator verus medicus, qui gratis sanat. Qui quidem seipsum in pretium generis humani tradens, solus ipse magnificam & salutarem redemptionem ac sanitatem animæ operatus est.

(Margin: [L]ex non [po]tuit [c]urare [v]ulnera[...] [...]m ce[...] [...]i-atio[...] [...]ibus [a]nimarum.)

D

Hic liberauit eam à seruitute, & eduxit è tenebris illustrans eam suo lumine. Hic arefecit in illa fontem immundarum cogitationum, *Ecce enim (ait) Agnus Dei, qui tollit peccata Mundi.* Non enim sua terrena medicamenta (hoc est, suæ iustificationes solæ) potuerunt curare & sanare illam à tanta plaga inuisibili: sed per cœlestem ac diuinam naturam, hoc est, dono Spiritus sancti: huius solius medicamenti beneficio potuit homo consequi sanitatem, & purificatum habens cor per Spiritum sanctum, ad vitam peruenire. Porro quemadmodum ibi mulier, etsi vulnerata erat nec sanari poterat, pedes tamen habebat quibus veniret ad Dominum, & veniens sanaretur: itidem & cæcus ille quanquam incedere non poterat & ad Dominum venire, propterea quod visu careret, vocem tamen emisit nuntiis velociorem; dicebat enim; *Fili Dauid miserere mei:* & ita, credens sanitaté est adeptus, ad illum accedente Domino, & visum illi restituente: ita etiam anima licet vulnerata sit obscœnarum affectionum vulneribus, & tenebris peccati obcæcata; nihilominus prædita est voluntate clamandi & inuocandi IESVM, vt ipse veniens æternam redemptionem conferat animæ.

(Margin: [I]oan.1. — Marc. 10. — Debet homo facere quod in se est.)

E

Sicut enim cæcus ille nisi clamasset, & mulier sanguinis fluxu laborans nisi Dominum adiisset, non fuisset sanata: sic nisi quis propria sponte ac voluntate integra venerit ad Dominum, & deprecatus eum fuerit cum plenitudine fidei, sanitatem non consequitur. Cum enim illi credentes quamprimum sanabantur, nos autem re vera nondum visum recepimus, nec sanati sumus ab occultis affectionibus? Atqui maiorem habet curam Dominus, immortalis animæ quam corporis. Quæ quidem anima vbi visum receperit, ex sententia eius qui dicit; *Reuela oculos meos,* nunquam excæcabitur: & sanata, nunquam vulnerabitur. Si enim Dominus veniens super terram, de corporibus corruptibilibus sollicitus fuit, quantò magis sollicitus erit de anima immortali & ad imaginem eius condita?

(Margin: Ps.118.c)

F

Verùm propter incredulitatem nostram & discordias nostras, & quia non diligimus illum ex toto corde, neque verè credimus illi, nondum sanitatem spiritalem ac salutem sumus adepti. Quamobrem credentes in eum accedamus in veritate, vt breui sanitatem veram nobis conferat: nam donare promisit postulantibus ab eo Spiritum sanctum, ac pulsantibus apertum iri, & inuentum iri à quærentibus, nec mendax est, qui promisit. Ipsi gloria & imperium in sæcula. Amen.

HOMINI CHRISTIANO DVPLEX INCVMBIT bellum, externum & internum.

HOMILIA XXI.

QVicumque verè Deo placere desiderat, & apertum hostem aduersariæ partis vitiorū se cōstituit, huic, duplici conflictu, ac certamine duplici, dimicandum est: tum in apertis rebus ad hanc vitam pertinentibus, abstinendo scilicet à distractionibus terrenis, & ab amore vinculorum secularium & affectionum peccati:

G

tum in secretis, certando contra Spiritus nequitiæ, de quibus Apostolus dicebat: *non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes & Potestates, aduersus mundi Rectores tenebrarum huius seculi, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus.*

(Margin: Ephes.6. b.)

Nam homo post transgressionem mandati, duobus modis & vinculis se alligauit, exterminatus paradiso: Deuinctus est enim in hoc sæculo, rebus ad vitam pertinentibus, & amore huius Mundi, nempe voluptatum carnis & affectionum, diuitiarum, gloriæ possessionum, vxoris, liberorum, consanguinitatis, patriæ, locorum, & indumentorum, ac vt semel dicam, omnium quæ sub aspectum cadunt. A quibus verbū Dei præcipit ipsum exolui propria voluntate (quia sponte quisque omnia quæ sunt ante oculos, amplectitur) vt ab iis omnibus se eximens atque liberans, perfectè possit mandatò subiici.

H

Intus verò, anima intricata est & inclusa, mutis circūdata, & catenis tenebrarum alligata per Spiritus nequitiæ, ita vt nequeat, sicut optat, Dominum diligere, nec sicut vult, credere, nec vt cupit, deprecari. Siquidem à transgresso mandato per primum hominem, prorsus in nos insurrexit contrarietas, tam in apertis rebus quam abditis. Si ergo verbo Dei audito, certauerit, ac proiecerit res ad hanc vitam pertinentes, & mundi laqueis, ac vniuersis carnis voluptatibus renuntiauerit, iis se liberans: tum vt perseuerauerit operam dare domino, animaduertere poterit, esse quandam aliam colluctationem in corde, aliam contrarietatem occultam, aliud bellum cogitationum & spirituum nequitiæ, aliud denique certamen imminere: deinde in Domino inuocando perseuerans in fide indeficiente ac multa patientia, & ab hoc consecutus auxilium, poterit inde nancisci liberationem interiorem à vinculis, tricis, vallis, & tenebris spirituum nequitiæ, quæ quidem sunt occultarum affectionum operationes. Hoc autem bellum per gratiam & virtutem Dei dissolui potest. Nam à contrarietate &

(Margin: Anima non est libera in corporis ergastulo. — Eph. 6 c. Bellum spiritale per gratiam sedatur.)

A errore cogitationum, ab affectionibus inuisibilibus, à machinis nequissimi illius, per se quispiam liberari nequit. Quod si quis quantum ad hæc exteriora, detinetur huius mundi rebus & variis vinculis terrenis implicatus est, & affectionibus vitiosis ducitur, minimè perspicit, aliam esse luctam, pugnam, & bellum intestinum. Nam ita fit, vt quis certando se eximat & liberet ab his externis vinculis secularibus, ac rebus materialibus, & voluptatibus carnis, incipiatque Domino adhærere, spolians se hoc sæculo, tunc vtique dignoscere poterit affectionum pugnam intus castra tenentem, interius bellum, & prauas cogitationes. Nisi enim, vt prædiximus, certando mundum abnegauerit, & seipsum exemerit ex toto corde à desideriis terrenis, totusque penitus adhærere Domino voluerit, non cognoscit circumuentionem spirituum nequitiæ latentium, & occultas vitiorum affectiones: sed abalienatus est à se: quia non animaduertit vulneta, nec se ignorantem
B affectionibus occultis teneri: præterea rebus externis deditus est, ac secularibus occupationibus volens detinetur. Cæterum qui mundum verè abnegauerit, ac decertando terrenum pondus à se procul abegerit, & à vanis appetitionibus & voluptatibus carnis, gloriæ, principatus & honorum humanorum seipsum exemerit, omnibus votis inde se abducens, propterea quod in hoc aperto certamine, Dominus secreto fert suppetias pro modo voluntatis mundum abnegantis: ob id quoque ille persistens in cultu Domini, ac totus planè, corpore inquam & anima perseuerans, discernit repugnantiam & occultas affectiones; laqueos inuisibiles, latens bellum, certamen & conflictum intestinum. Et ita deprecatus Deum, de cœlo sumit arma spiritus, (Eph. 6. c.) quæ quidem recenset beatus Apostolus, *thoracem iustitiæ & galeam salutis, scutum fidei, & gladium spiritus*, quibus armatus stare poterit aduersus occultas insidias diaboli nequitiis inuolutas. Quæ quidem arma per omnem orationis, perseuerantiæ, obsecrationis,
C & abstinentiæ speciem, imo per fidem omnia comparans; bellum aduersus principatus, potestates, ac mundi rectores conficere poterit: & sic deuictis per Spiritum sanctum cooperantem, ac virtutum illius studium, potestatibus aduersariis, æterna vita dignus euadet, glorificans Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, cui gloria & imperium, in sæcula, Amen.

DE DVPLICI STATV decedentium.

HOMILIA XXII.

CVm anima decesserit è corpore hominis, tunc magnum quoddam peragitur mysterium. Nam si fuerit illa peccati rea, accedunt chori Dæmonum & Angeli sinistri ac potestates tenebrarum, apprehendunt
D animam illam, & imperio suo subiugatam, in suas partes pertrahunt. Nec debet hoc videri cuipiam insolens. Si enim dum viueret homo, & in sæculo ageret, subditus fuit, obtemperauit, & inseruiuit illis, quanto magis cum egreditur ex hoc mundo, detinetur ac possidetur ab ipsis? quod autem res ita se habeat, ex ea parte potes intelligere, quæ felicioris est conditionis. Siquidem ex præsenti tempore sanctis Dei seruis assistunt Angeli, ac sancti Spiritus circumdant eos & custodiunt. Cumque exierint è corpore, chori Angelorum assumunt animas in suam partem, in sæculo puro: & sic adducunt eas ad Dominum. (*Angeli fidelibus assistunt etiam in hoc sæculo.*)

HI SOLI DIADEMA REGIVM gestare possunt, qui sunt è semine Regio.

HOMILIA XXIII.

E INsignis illa pretiosa ac regia margarita, quæ facit ad diadema regium, soli regi conuenit, solusque rex illam gestare potest, nec licet vlli talem ferre margaritam. Ita nisi quis natus fuerit è regio ac diuino Spiritu, & de genere cœlesti & regio, fiat & filius Dei, quemadmodum scriptum est: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*: (Ioan. 1. b.) cœlestem & pretiosam margaritam, imaginem luminis, luminis inquam ineffabilis, quæ est Dominus, portare non potest, cum non sit regis
F filius. Nam qui habent & gerunt margaritam, vnà viuunt & regnant cum Christo in sæcula. Sic enim ait Apostolus: *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* (1. Cor. 15. f.) Quemadmodum enim equus quamdiu pascitur in syluis cum agrestibus animalibus, non est subditus hominibus: si vero tenearur, vt mansuefiat, circumponitur illi graue frenum, donec rectè & compositè gradiatur: tum exercetur à sessore perito, vt etiam idoneus sit ad bellum: deinde ornant illum armis, thorace inquam & caraphractis, ac fræno priore suspenso & agitato ante oculos ipsius, assuefaciunt ne terreatur: & tandem ab insidente instructus, nisi etiam didicerit, præliari non potest, vt vbi didicerit, & bello fuerit assuefactus, cum senserit & audierit sonum bellicum, promptè progreditur in hostes, vt sola voce terrorem incutiat hostibus: ad eundem modum anima, à tempore transgressionis, agrestis & indomita, in deserto huius mundi incedit cum feris nequitiæ spiritibus, inseruiens peccato. Vbi verò audierit verbum Dei, & crediderit, refrænata per Spiritum san-
G ctum, deponit mores agrestes, & animum carnalem, à sessore Christo gubernata: tum accedit ad afflictionem, angustiam, ac edomandi iugum, vt probetur, & paulatim à spiritu mansuefiat, sensim deficiente in illa & exolescente peccato. Sic itaque anima thoracem induta iustitiæ, & galeam salutis ac scutum fidei, & gladio spiritus munita, docetur confligere cum hostibus suis: armataque Spiritu Domini certat contra spiritus nequitiæ, & tela nequissimi ignea extinguit. Nam absque armis spiritus non progreditur in aciem: armis autem Domini munita, cum audierit & senserit vehementia bella, cum impetu & clamore proficiscitur, sicut in libro Iob dictum est, quod etiam ipsa voce orationis occumbunt inimici. Et bello confecto, partaque victoria beneficio spiritus, cum plena fiducia refert victoriæ coronas, & ita cum cœlesti rege quiescit. Cui gloria & imperium in sæcula: Amen.

CHRISTIANORVM STATVS mercaturæ & fermentationi similis est.

HOMILIA XXIV.

H CHristiani sunt mercatorum similes, qui quæstum ingentem è mercatura faciunt; quemadmodum enim hi cumulant è terra lucra terrena: sic illi cogitationes cordis sui per hoc seculum dispersas, virtutum omnium beneficio ac vi Spiritus sancti colligunt ex vniuersa terra, quæ maxima & vera est negotiatio. Hic enim mundus superiori mundo aduersatur, & hoc sæculum opponitur sæculo superiori. Quamobrem necesse est, Christianum ex sententia Scripturarum sanctarum hoc Mundo repudiato, in quo à tempore transgressionis Adæ iacet, & illecebris animus detinetur, inde mente

A transferri in sæculum alterum, & intellectu versari in [Phil.3 d.] superiori & diuino mundo, sicuti dictum est: *Nostra autem conuersatio in cælis est.* Hoc autem nequaquam assequi potest, nisi crediderit anima ex toto corde Domino, hoc sæculo abnegato: virtusque diuini Spiritus cor per vniuersam terram dispersum, sub dilectionem Domini coegerit, & in mundum æternum traduxerit intellectum eius. Nam ex quo transgressus est Adam, cogitationes animæ dispersæ sunt procul à dilectione Dei, crassis ac terrenis cogitationibus per hoc seculum permixtæ. Sed quemadmodum Adam prætergressus mandatum, recepit in se fermentum affectionum vitiosarum: itidem & participatione quadam qui ex eo nati sunt, ac vniuersum genus Adæ fermenti illius particeps effectum est. Vnde tantum promouerunt & creuerunt in hominibus affectiones peccati, vt ad adulteria vsque, ad petulantias, idolorum culturas, cædes & alia absurda deuenerint, donec humanitas vitio esset fermentata. Quod B quidem apud homines ita inualuit, vt ne Deum quidem esse putarent, sed adorarent lapides anima carentes, neque possent intellectu Deum capere, tam profundè fermentum illud nequitiæ affectionum consperserat progeniem veteris Adæ. Ad eundem modum placuit Domino in aduentu suo pati pro omnibus, & eos proprio sanguine redimere, ac fermentum cæleste bonitatis fidelibus animis infundere, quæ sub peccatum redactæ fuerant: & ita promotione ac cremento omnem mandatorum iustitiam ac virtutes vniuersas in eis complere, donec in bono fermentarentur in vnum, & cum Domino euaderent in vnum Spiritum, iuxta Pauli verbum: ita vt ne ad cogitationem quidem animæ Spiritu diuino plane fermentatæ vitium aut nequitia peruenire posset: sicuti [1.Cor.13 b.] dictum est: *Charitas non cogitat malum,* & quæ sequuntur. Porro impossibile est absque fermento cælesti, quod est virtus diuini Spiritus, animam conspergi bonitate Domini, & ad vitam peruenire. Sicuti nec genus Adæ conuerti poterat ad tantum vitium & nequitiam, nisi C fermentum nequitiæ, quod est peccatum & facultas quædam animi Satanæ intellectiua, subintroiisset in illud. Non aliter ac si quis farinam pinsat non immisso fermento, quantumuis elaborare, mutare, ac tractare videatur, expers est fermenti conspersio, & esui inutilis: vbi vero fermentum inijcitur, trahit ad se totam farinæ conspersionem, totamque reddit fermentatam: sicuti [Matth. 13.c. Luc.13.d.] Dominus regnum assimilauit, dicens: *Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum.* Aut veluti si quis carnes diligenter conseruare volens, non condiat eas sale, quod vermes interimere solet, & grauem odorem abolere: proculdubio carnes illæ grauiter olent & corrumpuntur, ac inutiles fiunt hominibus: eodem modo si ponas omnem humanitatem carnes esse, aut conspersionem expertem fermenti, sal autem ac fermentum, nempe naturam diuinam sancti Spiritus intelligas alterius esse sæculi. Igitur nisi sal diuinitatis sanctum ac bonum, fermentumque spiritus cæleste quod sæculi illius, & illius D patriæ est, permixtum fuerit & immissum in naturam hominum humiliatam, non deponet anima pristinum fœtorem malitiæ, nec exuet grauitatem, fermenti vacuitatem ac nequitiam. Quæcumque enim videtur anima per [*Sine Spiritu sancto nemo potest agere.*] se agere, elaborare atque exequi solis viribus suis freta, existimans se posse opus perfectum edere à seipsa, non cooperante spiritu, procul aberrat. Neque enim est apta locis cælestibus, nec pertinet ad regnum, quæ à se, & per se solam sine Spiritu sancto existimat perfectam puritatem efficere. Nisi enim homo, qui affectionibus torquetur, accesserit ad Deum, repudiato mundo: & in spe ac patientia credat se suscepturum quoddam bonum aliud à sua natura, quod est virtus Spiritus sancti, ac desursum Dominus impresserit animæ vitam diuinam: talis nequaquam percipiet veram vitam, neque resipiscet ab ebrietate materiæ, nec splendescet in anima obtenebrata fulgor Spiritus, aut diem sanctam in ea illustrabit, nec à somno ignorationis profundissimo illam expergefaciet, vt hoc modo per virtutem Dei & efficaciam gratiæ verè

E Deum agnoscat. Itaque nisi meruerit homo sic per fidem assequi gratiam, inutilis est, nec aptus regno Dei. Contrà verò, qui gratiam Spiritus acceperit, nullatenus auersus aut per negligentiam, aut delictum, gratiam contumelia afficiat, & ita temporum successu decertans, Spiritum sanctum non contristet, vitam æternam consequi poterit. Quemadmodum enim sentit quispiam operationes vitiosas, ex ipsis affectionibus: ira, inquam, concupiscentia, inuidia, torpore, prauis cogitationibus, & reliquis absurdis affectionibus: ita debet sentire gratiam & vim diuinam in virtutibus, nempe charitate, benignitate, bonitate, gaudio, simplicitate, & exultatione diuina, vt similis esse possit, & contemperari cum bona & diuina natura, cum benigno & sancto gratiæ instinctu. Intentio verò, quæ promotione & cremento in temporum spatio ac opportunitatibus probata fuerit, si gratiæ semper fuerit coniuncta, & grata inuenta, promouendo tota prorsus euadit spiritalis, ac deinceps per spiritum sancta & F pura reddita, regno digna efficitur. Gloria & adoratio immaculato Patri, & Filio, & Spiritui S. in secula; Amen.

PER INOBEDIENTIAM REDACTI *sumus in seruitutem, à qua per mysterium Crucis liberamur: item de lachrymarum & ignis diuini efficacia.*

HOMILIA XXV.

SI quibus inest diuina lex scripta, non atramento aut literis, sed in cordibus carneis plantata: habentes oculos intellectus illuminatos, perpetuoque desiderio capti spei non sensibilis aut apparentis, sed inuisibilis & intellectualis, per inuictam virtutem nequissimi scandala valent superare: Qui verò non sunt ornati verbo Dei, nec in lege diuina eruditi, frustra inflati putant proprio libero arbitrio abdicare occasiones peccati, quod [*Liberum arbitrium.*] quidem per solum mysterium in Cruce celebratum, damnatum est. Illa enim libertas, quæ est in facultate ho- G minis, sita est in eo, vt diabolo resistere possit; non autem vt possit planè dominari affectionibus: nam, *nisi Dominus ædificauerit domum,* inquit, *& custodierit ciuitatem,* [Psal.126. a.] *frustra vigilat, qui custodit, & frustra laborat, qui ædificat.* [Psal.90.] Impossibile enim est, eum *ambulare super aspidem & basiliscum, & conculcare leonem & draconem,* qui priùs quatenus homini possibile est, non expurgatus fuerit & roboratus ab eo, qui dixit Apostolis: *Ecce dedi vobis* [Luc.10.c] *potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.* Si enim posset humana natura absque armatura sancti Spiritus, stare aduersus insidias diaboli, minimè dictum fuisset ab Apostolo: *Deus autem* [Rom.16] *pacis conteret satanam sub pedibus vestris breui.* Er rursum: [1.Thes.2.b.] *Quem Dominus interficiet spiritu oris sui.* Quapropter etiam iussi sumus sic deprecari Dominum: *Ne nos indu-* [Matt.6.b] *cas in tentationem, sed libera nos à malo.* Nisi enim beneficio præstantioris auxilij ab igneis telis Nequissimi liberati, consecuti fuerimus adoptionem filiorum, nullius est momenti conuersatio nostra, vt qui procul absimus H à virtute diuina.

Quicumque ergo desiderat fieri particeps gloriæ diuinæ, & in principe sui animi facultate tanquam in speculo, Christi formam intueri, debet insatiabili amore atque inexplebili desiderio ex toto corde & virtute, nocte ac die implorare potentissimum Dei præsidium, quod nemo consequi potest (vt antea dixi) nisi priùs abstineat à deliciis huius mundi, & desideriis, quæ suggeruntur ab aduersaria potestate, quæ lucis est expers, effectrix nequitiæ, ad benè agendum minimè conueniens ac prorsus aliena. Quamobrem si discere cupis, qua de causa, cùm essemus in honore creati, & in paradiso constituti, randem comparati sumus cum iumentis insipientibus, & illorum similes facti, ab immaculata gloria lapsi: scito, quòd per inobedientiam, serui affectionum carnis effecti, exclusimus nosipsos à beata regione viuentium, & in captiuitatem redacti sedemus adhuc iuxta flumina Babylonis: & quia detinemur adhuc in Ægypto, nondum hæreditario

A iure poſſidemus terram promiſſionis fluentem lac & mel.
Nondum compiſti ſumus in fermento ſinceritatis , ſed
verſamur adhuc in fermento nequitiæ : nondum cor no-
ſtrum aſperſum eſt ſanguine diuino, adhuc enim tenetur
vinctum inferni laqueo & hamo malitiæ. Nondum ac-
cepimus exultationem ſalutaris Chriſti; nam adhuc in
nobis radicatus eſt aculeus mortis. Nondum induimus
nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in
ſanctitate; quia nondum exuimus veterem hominem,
qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Nondum
geſtantes imaginem cœleſtis conformes facti ſumus glo-
riæ illius : nondum adorauimus Deum in ſpiritu & veri-
tate, quia peccatum regnat in mortali corpore noſtro.
Nondum contemplati ſumus incorruptibilis diuinitatis
gloriam, quia torquemur adhuc tenebroſa nocte. Non-
dum induimus arma lucis, quia nondum exuimus arma,
tela, & opera tenebrarum. Nondum per mentis reno-
uationem transformati ſumus ; adhuc enim configura-
B mur huic ſeculo per mentis vanitatem. Nondum cum
Chriſto glorificati ſumus, quia non comparimur cum il-
lo. Nondum illius ſtigmata portamus in corpore noſtro,
verſantes in myſterio crucis Chriſti, adhuc enim viui-
mus in affectionibus & appetitionibus carnis. Nondum
hæredes Dei & Chriſti cohæredes euaſimus : quia ſpiri-
tus ſeruitutis, & non adoptionis, viget adhuc in nobis.
Nondum facti ſumus templum Dei & habitaculum Spi-
ritus ſancti ; quia ſumus adhuc templum idolorum, &
receptaculum ſpirituum nequitiæ, propter animi impe-
tum ad affectiones procliuem : re enim vera nondum
adepti ſumus ſinceritatem morum & ſplendorem animi.
Nondum digni ſumus habiti rationali ac ſine dolo lacte,
& intellectus cremento, necdum illuxit dies, aut Luci-
fer ortus eſt in cordibus noſtris. Nondum potimur Sole
iuſtitiæ, nec adhuc illius radiis fulgemus. Nondum ſimi-
litudinem Domini accepimus, nec participes diuinæ na-
turæ ſumus facti. Nondum euaſimus in veram purpu-
ram regiam, nec in germanam imaginem diuinam. Non-
C dum vulnerati ſumus amore diuino, nec ſpiritali charita-
te Sponſi percuſſi. Nondum ſocietatem indicibilem co-
gnouimus, nec virtutem & pacem ſanctimonia prædi-
tam perſpeximus. Et vt omnia concludam, nondum ſu-
mus genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, po-
pulus peculiaris ; quia ſumus adhuc ſerpentes & genimi-
na viperarum. Quomodo enim ſerpentes non eſſemus,
qui reperimur adhuc in inobedientia per ſerpentem in-
uecta, & non in obedientia Dei ? Propterea quomodo
calamitatem pro dignitate lugeam, non inuenio: & quo
pacto cum lachrymis inuocare debeam illum, qui poteſt
habitantem in me errorem abigere, ignoro ? Quomodo
verò cantabo canticum Domini in terra aliena ? Quo-
modo deflebo Ieruſalem ? Quomodo ſeruitutem duram
Pharaonis effugiam? quomodo relinquam incolatum ob-
ſcœnum? quomodo diram tyrannidem repudiabo ? quo-
modo egrediar ex Ægypto ? Quo pacto tranſibo mare
rubrum? quomodo deſertum ingens peragrabo? quomodo
non interibo, morſus à ſerpentibus ? quomodo alienige-
nas ſuperabo ? quomodo delebo gentes habitantes apud
D me ? quomodo excipiam in tabulis meis eloquia diuinæ
legis ? quomodo ſpectabo veram columnam lucis ac nu-
bis manantis à Spiritu ſancto ? quomodo veſcar manna
deliciarum æternarum ? quomodo bibam aquam è petra
viuifica ? quomodo Iordane tranſmiſſo, terram promiſ-
ſionis opimam ingrediar ? quomodo videbo principem
exercitus Domini, quem conſpiciens IESVS filius Naue
proſtratus confeſtim adorauit ? Niſi enim verſatus in his
omnibus, habitantes in me gentes deleuero, nequaquam
ingreſſus quieſcam in ſanctuario Dei, nec particeps fiam
gloriæ regis. Quamobrem elabora diligenter, vt filius
Dei reprehenſione carens efficiaris, & in illam requiem
ingrediare, quò pro nobis præcurſor Chriſtus introiit.
Elabora, vt deſcribaris in Eccleſia cœleſti cum primo-
genitis, vt inueniaris in dextra magnificentiæ Altiſſi-
mi. Elabora, vt intres in ſanctam ciuitatem pacis ple-
nam, & ſupernam Hieruſalem, vbi etiam eſt paradiſus.
Nam admirandis ac beatis ſpeciminibus non aliter di-
gnus exiſtimabere, niſi noctu diuque lachrymas emit- E
tas, ſecundum opinionem illius qui dicit : *Lauabo per* Pſal.6.b.
ſingulas noctes lectum meum, & lachrymis meis ſtratum Pſal.125 a.
meum rigabo. Non enim ignoras, quòd hi, *qui ſeminant* Pſal.38.b
in lachrymis, in exultatione metent. Propterea fidenter in- Pſal.55.b
quit Propheta : *Lachrymas meas ne ſileas.* Et iterum : *Po-* Pſal. 41. a.
ſuiſti lachrymas meas in conſpectu tuo, ſicut & in promiſſio- Pſal.110 b.
ne tua. Et illud : *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panis die ac*
nocte. Et in alio pſalmo : *Potum meum cum fletu miſce-*
bam. Nam lachryma, quæ verè ex ſumma contritione
& anguſtia cordis effunditur per agnitionem veritatis,
cum ardore viſcerum, cibus eſt animæ, qui paratur ex
pane cœleſti. Cuius, ex teſtimonio Saluatoris, maximè
particeps fuit Maria, quæ ſedit iuxta pedes Domini plo-
rans. Inquit enim: *Maria optimam partem elegit, quæ* Ioan.10. Luc.10 g
non auferetur ab ea. O pretioſas illas margaritas in de-
fluxione beatarum lachrymarum! O rectum illum & ob-
ſequioſum auditum ! O virilem ac ſapientem animum !
O acumen ſpiritus diuini, erga Sponſum immaculatum F
vehementer affecti ! O ſtimulum deſiderij animæ erga
Deum Verbum ! O ſocietatem arctam Sponſæ erga
Sponſum cœleſtem! Imitare hanc, ô fili, imitare, inquam, Luc.12 f.
nihil aliud ſpectans præter eum ſolum, qui dixit : *Ignem*
veni mittere in terram, & quid volo ſi iam accenſus eſt ? Eſt
enim ardor ſpiritus viuificans, & accendens corda. Et
ob id, ignis ille diuinus & expers materiæ illuminat ani-
mas, & eas probare conſueuit tanquam genuinum au-
rum in camino, vitium autem conſumere veluti ſpinas
& ſtipulam. Nam *Deus noſter ignis conſumens eſt*, dans Deut. 4 d.
vindictam in flamma ignis iis, qui non nouerunt eum, Heb. 12 d.
nec obediunt Euangelio eius. Ille ipſe ignis vim ſuam 2.Theſſ. 1.c.
exercuit in Apoſtolis, quando loquebantur linguis. Ignis Exod. 3.
ille, per vocem lumine Paulum circumdans, mentem 4.Reg.2.
quidem illius illuminauit, ſenſum autem viſus eius he-
betauit, neque enim ſine carne conſpexit vim luminis
illius. Ignis ille viſus eſt Moſi in rubo. Ignis ille in ſpe-
cie currus rapuit Eliam à terra. Huius ignis efficaciam
quærens beatus Dauid dicebat : *Proba me Domine, &* Pſal.25 a
tenta, vre renes meos & cor meum. Ignis ille cor Cleo- Luc.24 G
phæ ac ſocij eius inflammabat, cùm Saluator colloque-
retur cum illis poſt reſurrectionem. Vnde Angeli quo-
que ac miniſtratorij ſpiritus huius ignis ſplendore ſunt Pſal.103 a.
præditi, ſecundum id quod dictum eſt : *Qui facit Ange-* Heb.1.b.
los ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem. Ille idem Pſal.118. c.
ignis trabem interioris oculi conſumens, purum reddit
animum, vt recepta naturali facultate videndi, perpetuò
conſpiciat mirabilia Dei, ex eius ſententia qui ait : *Re-*
uela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Ille
itaque ignis fugat dæmones, tollit peccata, reſuſcitandi
vim habet, confert immortalitatem, ſanctas animas il-
luminat, ac firmat facultates rationales. Hunc igitur
ignem deprecemur, vt ad nos perueniat, quo ſemper in
lumine ambulantes, nunquam vel tantiſper offendamus
ad lapidem pedem noſtrum, ſed tanquam luminaria in
mundo apparentia, verbum vitæ æternæ retineamus, vt
bonis diuinis fruentes cum Domino in vita requieſca-
mus, glorificantes Patrem, & Filium, & Spiritum ſan- H
ctum : cui gloria in ſæcula, Amen.

DE DIGNITATE, FACVLTATE, ET *operationibus animæ, & qua ratione teneatur à diabolo, & ab eo liberetur.*

HOMILIA XXVI.

NE perfunctoriè, dilecte, perpendas intellectiuam animæ ſubſtantiam : Vas quoddam pretioſum eſt anima immortalis. Specta, quantum ſit cœlum, quantave terra : non tamen in eis acquieuit Deus, ſed in te duntaxat. Intuere dignitatem ac nobilitatem tuam: nempe Dominum non per Angelos, ſed in ſua ipſius perſona veniſſe, pro te legatione fungentem, vt te vulneratum ac perditum reuocaret, primamque tibi formationem

Adami

A Adami puri redderet. Nam homo dominus erat omnium inferiorum, quæ sub cœlo sunt, facultatem habens affectiones discernendi, alienus à dæmonibus; purus à peccato & vitiis, eratque similitudo Dei, sed per transgressionem interiit, vulneratus ac morti traditus (satanas enim mentem tenebris obduxit) aliquatenus ita se habet, aliquatenus viuit, discernit, ac voluntate præditus est.

Interrogatio. Nonne Spiritu sancto adueniente, naturalis etiam appetitio extirpatur vnà cum peccato?

Responsio. Antea dixi simul euelli peccatum, hominemque recipere primam formationem Adami puri: Hic tamen per virtutem Spiritus ac regenerationem spiritalem progreditur ad excellentiam Adami primi, eoque præstantior euadit quòd deificatur homo ille.

Interrogatio. An satanas ad certum modum laxatur, an pro libidine impugnat?

B *Responsio.* Impetus illius non solùm fertur aduersus Christianos, sed etiam in idololatras ac vniuersum mundum. Ideoque si concederetur ei bellum inferre pro voluntate, omnes equidem deleret. Cur? nempe quòd in eo versatur eius opus ac desiderium. Itaque si figulus vasa missurus in fornacem, temperatè illam accendit, non intensè, ne cocta plusquam decet, elidantur, nec temisse, ne cruda dissoluantur: itidem si argentarius atque aurifex ad certum modum ignem mittit. (Si enim excedat ignis, soluitur aurum, & argentum liquefit & perit) si denique mens humana nouit seruata proportione adaptare onera iumento, camelo, aut alij cuipiam animali, quatenus ea ferre potest: quantò magis Deus, qui nouit hominum vasa, variis modis laxat aduersariam potestatem? Quemadmodum verò terra cùm sit vna, hæc tamen est saxosa, illa verò pinguis, & alia quidem idonea est ad plantandas vites, alia ad ferendum frumentum & hordeum: ita varia sunt hominum corda atque voluntates: Hunc etiam in modum charismata desursum conferuntur: huic quidem donatur administratio verbi, illi verò discretio, alij gratiæ sanitatum. No-
C uit enim Deus, qua ratione quis possit dispensare, & ita diuersa confert charismata. Itidem ad bella certo modo, & quatenus homo suscipere potest ac sustinere, hactenus laxatur aduersaria potestas.

Nisi cohiberetur satanas, deleret totum mundū. Deus sa eundem quod possumus, laxat satanam.

Interrogatio. Manetne in sua, qui diuinam virtutem suscepit, ac in parte mutatus est?

Responsio. Quò post acceptam gratiam probetur voluntas, quò tendat, cuive consentiat, natura remanet eadem: durus in duritia, leuis in leuitate. Accidit porro plebeium quempiam spiritaliter regenerari ac mutari in virum sapientem, cui innotescant vel occulta mysteria, natura tamen imperitus est. Alius natura durus, suam ipsius voluntatem confert ad cultum diuinum, qui recipitur etiam à Deo; à natura vero suam seruat duritiem, cùm tamen sit Deo gratus. Alius est bonis moribus æquus, probus, qui seipsum deuouet Deo, hunc quoque Dominus excipit, illum verò gratum non habet, qui bonis in operibus non perseuerat. Quandoquidem Adæ
D tota natura mutabilis est tum in bonum, tum in malum, susceptiua mali, quæ tamen si velit, non perficiat. Veluti membrana, in qua scribitur, variè vt libuerit in ea scripseris ac rursum deleueris, recipit enim membrana quamcumque scripturam: sic etiam durus voluntatem suam contulit in Deum, conuersus est ad bonum, susceptus est à Deo.

Deus enim, vt suum intimum affectum demonstraret, omnes recepit, omnemque voluntatem. Apostoli quamcumque ciuitatem ingressi erant, aliquantum temporis in ea morabantur, & ex malè habentibus quosdam sanabant, quosdam verò non. Optabant tamen ipsi Apostoli cunctos eorum mortuos ad vitam reuocare, & ægrotos ad sanitatem perducere, at non per omnia fiebat, quod volebant, non enim concedebatur eis peragere quæcunque libebat. Ad eundem modum Paulus cùm detineretur à præfecto gentium, si placuisset gratiæ, qua præditus erat, effecisset, vt tam præfectus quàm muri effracti essent (vtpote vir habens Paracletum) veruntamen demissus est per sportam Apostolus. Et vbi virtus diuina, qua
E fretus erat? Cum dispensatione fiebant isthæc, vt quibusdam in rebus signa & miracula ederent, ipsi in aliquibus facultate carerent, vt in hisce discerneretur fides credentium & non credentium, liberumque probaretur arbitrium, ac liqueret, num qui scandalizarentur ob ipsorum in quibusdam infirmitatem. Nam si quæcumque desiderabant, egissent Apostoli, vi quadam compulsum promouissent homines ad cultum diuinum per miracula: & arbitrij libertatem non iam fides aut infidelitas fuisset sequuta; Christianismus enim lapis est offensionis, & petra scandali. Illud porro non leuiter scriptum est de Iob, quo pacto satanas exposcebat illum, nihil enim à seipso perpetrare poterat sine permissu. Sed quid dicit Domino diabolus? *Da mihi illum in manus, nisi in faciem tibi benedixerit.* Hac itaque ratione nunc est idem Iob, idem Deus, idem diabolus. Eo igitur tempore, quo fruebatur auxilio diuino, atque alacris erat, & gratia feruens, ex-
F poscebat eum satanas, ac dicebat Domino: *Quia iuuas illum, & succurris ei, seruit tibi; dimitte illum, & trade mihi, nisi in faciem tibi benedixerit.* Superest, vt, quoniam consolatione recreatur anima, subtrahatur gratia, & tradatur anima tentationibus. Accedit ergo diabolus inferens infinita mala, desperationem, abrenunciationem, cogitationes prauas, affligens animam, vt obscuraret & abalienaret eam à spe, quam habebat in Deum. Sagax autem anima existens in his malis & afflictione, minimè desperat; verùm quod tenet, retinet, perseteníque omnia. quæ per infinitas tentationes ei fuerant illata, ait: *Etiamsi moriar, ab eo non deficiam:* tumque si sustineat homo vsque in finem, incipit Dominus disputare cum satana: Vides, inquit, quanta mala quantasve afflictiones intulisti ei, nec tamen obtemperauit tibi, sed mihi seruit, ac me reueretur? tum pudore suffunditur diabolus, nec habet vltra quod dicat. Etenim in Iob, si nosset, eum in tentationes incidentem perlaturum esse, nec superatum iri, nunquam expoposcisset eum, ne obrueretur verecundia: Ita nunc
G etiam, quoad eos, qui sustinent afflictiones & tentationes, pudore suffunditur satanas, ac pœnitudine ducitur, quòd nihil perfecerit, quia statim Dominus incipit ei dicere: Vide, concessi tibi & permisi tentare illum, numquid præualuisti? numquid obsecutus est tibi?

Cur Apostoli quosdam sanabant, alios non. Act. 9. 25

Iob. 1. b.

Anima sagax habitus in tentationibus.

Iob. 27.

Interrogatio. An vtique cunctas hominis cogitationes & consilia nouit satanas?

Responsio. Si versatur homo cum homine, & nouit, quæ ad eum pertinent, tuque natus annos viginti, nosti quæ sunt proximi: numquid igitur satanas, qui tecum versatur à natiuitate, cogitationes tuas ignorat? Iam enim ætatem habet annorum sexies mille. Non quòd dicamus eum scire, quid homo facturus sit, antequam tentauerit illum, tentat enim tentator, nescit tamen, obtemperaturusne sit an non, donec anima voluntatem ei seruam tradat. Neque item dicimus, diabolum nosse vniuersas cordis cogitationes & conceptiones: nam quemadmodum arbor multos habet ramos & membra multa: ita cogitationum & consiliorum sunt quidam rami, quos comprehendit satanas: aliæ sunt cogitationes & consilia, quæ non comprehenduntur à satana. Etenim quadam in re potentior est pars nequam, ad producendas cogitationes: rursum in re quapiam hominis cogitatio vincit, auxilium ac redemptionem accipiens à Deo, & contradicit vitio, & quadam in re succumbit, in quadam voluntatem habet: Interdum enim feruens accedit ad Deum, scitque satanas, & intuetur eum contra se niti, neque potest hominem cohibere. Quamobrem? quia voluntatem habet inuocandi Deum, habet fructus naturales, nempe vt Deum diligat, vt credat, vt inquirat, & tandem illum adeat. Quandoquidem in rebus conspicuis agricola terram exercet: ita se habet in re spiritali; sub duplici persona intelliguntur omnia. Oportet igitur hominem à voluntate sumpto initio, excolere terram cordis sui, & elaborare: Requirit enim Deus ab homine laborem, fatigationem, ac operationem, nisi tamen desursum apparuerit nubes cœlestis & pluuiæ gratiæ, nihil iuuabit labor coloni. Cæterùm Christianismi hoc est indicium: cùm quis elaborauerit, aut quascum

Ætas satanæ quæ sit.

Humanarum cogitationum quædam sciuntur à dæmone, quædam verò ignorantur.

Deus laborem ab homine requirit. Christiani hominis signū.

A quascunque iustitias peregerit, ita affectum esse, ac si nihil egisset. Cùm ieiunauerit, dicere, non ieiunaui: cùm precatus fuerit, non sum precatus: cùm in oratione perseuerauerit, non perseueraui, nunc adhuc exercere me ac elaborare incipere debeo. Ac licet iustus sit apud Deum, dicere debet: non sum iustus, neque laboraui, sed incipio quotidie. Per singulos autem dies spem habere debet, gaudium ac fiduciam de regno futuro & liberatione, dicens: Si non liberatus sum hodie, cras liberabor. Vt enim qui plantat vineam, priusquam aggrediatur laborem, gaudio ac spe ducitur apud se, describitque in animo vindemias, ac reditum supputat nondum nato vino, & hac ratione laborem suscipit: Spes enim atque expectatio reddunt illum alacrem ad laborem, tam diuque è re familiari sumptus non paucos facit. Itidem qui domum ædificat, aut terram excolit, de suo multa primùm erogat, spe futuri reditus. Non aliter hic fit, nisi quis præ oculis habeat gaudium ac spem;
B nempe, consecuturus sum redemptionem ac vitam, perferre nequit tribulationes, neque pondus, nec angustam viam suscipere. Spes enim & gaudium si adsint, efficiunt, vt ipse laboret ac toleret afflictiones, pondusque & angustam viam suscipiat. Porro quemadmodum torris non facilè fugit ignem: ita nec anima vitat ignem mortis, nisi summo labore. At verò sæpenumerò satanas quasi sub prætextu bonarum cogitationum, ex eo scilicet potes placere Deo, suggerit animæ, ac furtim eam deducit ad leuia, & in speciem probabilia consilia, quæ clàm deducta discernere nescit, & ita delabitur in laqueum & exitium diaboli. Athletæ autem & decertantis arma commodissima sunt, vt ex animi proposito bellum gerat aduersus satanam, seipsum oderit, abneget animam suam, ei succenseat, & conterat eam, adhærentibus cupiditatibus resistat, reluctetur cogitationibus, ac secum pugnet. Quòd si exterius corpus tuum conserues à corruptione & stupro; intus autem in cogitationibus tuis adulterium aut stuprum committas, adulter es apud Deum, neque tibi confert, corpus habere virgineum. Verbi gratia,

Vera Christianorum arma cōtra satanam.

C si iuuenis adolescentulam fraudulentis illecebris deliniens corrumpat, posthac execrabitur eam sponsus, eò quòd adulterata sit: sic & anima corporis expers si societatem ineat cum internum adulterium committente serpente, hoc est, cum spiritu nequam, quoad Deum, mœchatur. Scriptum est itaque: *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.* Est enim stuprum, quod ministerio corporis admittitur; est etiam stuprum animæ cum satana coeuntis. Nam eadem anima vel dæmonum vel Dei & Angelorum socia est & soror, quæ si postea adulteretur cum diabolo, non est idonea Sponso cœlesti.

Matt. 5. d.

Adulterium duplex.

Interrogatio. Quiescitne satanas interdum, ac homo liberatur bello, an quamdiu viuit, bello non caret?

Responsio. Satanas bellum gerere nunquam desinit, & quamdiu quis viuit in hoc seculo, & carnem gestat, attentatur bellum. At vbi tela nequam illius ignita fuerint

D extincta, in quo posthac illis lædere possit hominem? Et si veniat satanas in iudicium, homo est amicus regis, controuersiam habens cum aduersario illius: cùm igitur habeat regem sibi propitium & amicum, qui ferat opem ei, nullatenus offendetur. Cùm enim quis penetraris omnibus ordinibus & gradibus transmissis, regi familiaris euasit, hic in posterum à quonam læderur? In rebus ante oculos positis, sunt vrbes, quæ dona & annonas à rege accipiunt, si ergo in obeundis muneribus sumptum exiguum faciant, nihil damni patiuntur, cùm à rege tanta accipiant & suscipiant: ad eundem modum, Christiani licet bello petantur ab hoste, diuertunt ipsi ad diuinitatem, induuntque virtutem ex alto ac requiem, neque de bello sunt solliciti. Vt enim Dominus, relicto omni principatu ac potestate, corpus induit; ita Christiani induuntur Spiritu sancto, & requiete fruuntur. Quòd si bellum etiam ingruat, exteriùs ferit satanas: ipsi verò tuti sunt interiùs, potentia Domini, nec satanam curant. Sicut tentauit ille Dominum in deserto quadraginta dies, quid illi nocuit, quod exteriùs aggressus est corpus illius? Intus enim Deus erat.

Amici Dei extrinsecus tantum patiuntur.

E Ad hunc modum Christiani, licèt exteriùs tentationem patiantur, nihilominus interiùs pleni sunt diuinitate, nec damni quicquam sentiunt. Ad hos verò gradus si quis peruenerit ad perfectam dilectionem Christi, & plenitudinem diuinitatis occurrit: at qui non est eius generis, interiùs adhuc bellum patitur: hora quadam quiescit in oratione, alia hora positus est in tribulatione & bello: ita enim vult Dominus, eò quòd sit adhuc pusillus, exercet illum ad prælia, ac duæ personæ scaturiunt ab interioribus, lumen & tenebræ, quies & afflictio: precantur in quiete, alia quoque hora afficiuntur perturbatione. Non audis quid ait Paulus? *Si habuero omnia charismata, si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, si linguis Angelorum loquar, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Nam huiusmodi charismata exhortatoria sunt: qui verò in his consistunt, etsi sunt in luce, tamen pusilli sunt. Plures enim è Fratribus ad hos gradus accesserunt, F habueruntque gratiam sanitatum, reuelationem, prophetiam, quia tamen ad integram charitatem non peruenerunt, in qua vinculum est perfectionis, prosiliit in eos bellum: & cùm negligerent, occubuerunt. Si quis autem peruenerit ad perfectam dilectionem, hic posthac vinctus est, & sub gratiam captiuus redactus. Sin paululùm charitatis mensuram attingat, nec eò peruenerit, vt eius vinculis detineatur, talis adhuc obnoxius est timori, bello & casui, ac nisi confirmetur, prosternet eum satanas.

1. Cor. 13

Hac enim ratione permulti aberrarunt à gratia, qua donati erant; existimantes enim se perfectionem assecutos, dicebant: Sufficit nobis, non egemus, cùm tamen Dominus finem non habeat, nec comprehendatur. Neque etiam audent dicere Christiani, se comprehendisse, sed diu noctuque permanent humiliati. Inter ea quæ subiacent oculis, literæ perfectionem assequi nequeunt: quod nemo scit, nisi scholasticus mediocriter in literis eruditus: ita etiam hic, Deus nulli incomprehensibilis est & immensus, præterquam iis, qui ex eo ipso gustauerunt, quem susceperunt; ac imbecillitatem suam agno- G scunt. Itaque si quis parùm doctus, rus abeat, vbi sunt idiotæ, existimatur ab illis scholasticus, quia rustici sunt planè, qui diiudicare nesciunt. Ipse verò qui paucas didicit literas, si se conferat in vrbem, vbi sunt oratores & scholastici, ante eos comparere non audet, nec verbum emittere, quia veluti rusticus censetur à scholasticis.

Christianus nunquam præsumit, se assequutū esse veram Dei charitatem.

Interrogatio. An quis in bello constitutus, & in anima duplicem personam gerens, peccati nempe & gratiæ, transferatur ex hoc mundo, quo pergit, à duabus partibus detentus?

Responsio. Illuc tendit, vbi sitam habet animus intentionem, ac vbi collocauit amorem. Debes duntaxat, si tibi obueniat afflictio & bellum, contradicere, ac odio prosequi: non enim tuum est, vt eueniat bellum; odisse tamen tuum est. Tumque Dominus intuens animum tuum, teque decertantem ac diligentem illum ex tota anima, hora vna segregat mortem ab anima tua (non enim hoc est ei difficile) & assumit te in si- H num ac lucem. Eripit te horæ momento è faucibus tenebrarum, teque mox traducit in regnum suum: nam Deo facile est horæ momento omnia peragere, modò vnicè diligas eum: etenim Deus indiget opera humana, quia socia diuinitatis est anima. Et, vt sæpè diximus in parabola coloni, qui laborat ac semen mittit in terram, debet desursum accipere pluuiam, alioqui nisi nubes emerserint ac flauerint venti, agricolæ inutilis est opera, quia nudum granum subiacet: hoc ipsum in rem spiritalem assume. Si sua tantùm operatione contentus sit homo, nec quicquam suscipiat à sua natura extraneum, non potest domino dignos fructus reddere. Quid porrò est hominis operatio? Abrenunciare, egredi ex hoc mundo, sustinere in oratione, vigilare, Deum ac fratres diligere, hoc proprium est eius. Si autem in sua ipsius actione maneat, nec aliud quippiam speret suscipere, neque animam afflauerint venti Spiritus S. vel apparuerint nubes cœlestes, ac descenderit è cœlo pluuia, quæ irriget animā, non potest homo dignos fructus reddere Domino. Itaque

A Ioan.15.a. *Omnia Deo accepta ferenda sunt.*

scriptum est: *Agricola cùm viderit palmitem ferentem fructum, purgat eum, vt copiosiorem fructum afferat: at non ferentem fructum euellit, & exurendum tradit.* Cæterùm hoc incumbit homini, vt siue ieiunet, siue vigilet, siue precetur, siue boni quippiam agat, cuncta Domino adscribat, & vtatur his verbis: Nisi Deus corroborasset me, non potuissem ieiunare, aut precari, aut hoc mundo egredi. † Et, ita Deus spectans bonum propositum tuum, nempè, ea te Deo tribuere, quæ natura geris, ipse vicissim sita, quæ spiritalia, diuina, & cœlestia sunt, ipsa tibi liberaliter confert. Quinam verò sunt fructus spiritus? Exultatio & lætitia.

† Cautè lege, nam prolabi videtur Auctor in Pelagianum errorem, antecedere in nobis bonum propositum, amorem, fidem, precationem, tanquam bona naturalia, ob quæ Deus nobis suam gratiam largiatur. Nisi locus manu Pelagiana sit temeratus, forsan intelligit anteire illa in nobis à vitali & naturali potentia liberi arbitrij elicita; sed tamen ex speciali gratiæ auxilio, ob quæ ritè disposita nostra anima sequatur fortius & præsentius auxilium diuinum, & tandem gratia iustificans.

B

Interrogatio. Sed cùm amor, fides, precatio, sint fructus naturales horum similes, edissere nobis, quemadmodum se habent naturalia, ac item spiritualia?

Responsio. Tua quæ ipse geris, bona quidem sunt & Deo grata, sed non pura. Verbi gratia, diligis Deum, non tamen perfectè: accedit Dominus, largitur dilectionem immutabilem, nempè cœlestem: precaris naturaliter, non sine distractionibus ac cogitationibus: confert tibi Dominus precationem mundam in spiritu & veritate. In rebus autē oculos positis, vt plurimum terra profert ex seipsa spinas, colonus autem fodit, excolit diligenter ac seminat; spinæ tamen etiam non satæ nascuntur & multiplicantur (dictum est Adamo, postquam transgressus est: *Tribulos & spinas producet tibi terra*) denuò colonus exercet terram, effodit spinas, quæ nihilominus adhuc multiplicantur. Istud spiritaliter accipe: nam post transgressionem terra cordis producit spinas ac tribulos, operatur homo, elaborat, adhuc tamen spinæ improborum spirituum renascuntur, deinde sanctus ille Spiritus succurrit infirmitati humanæ, Dominusque mittit in terram cordis semen cœleste, ac excolit eam, iacto semine renascuntur adhuc spinæ & tribuli: iterum Dominus, ipse nec non homo exercent terram animæ, septemque spiritus nequam ac spinæ oriuntur illic & repullulant, donec æstas accedat & excellat gratia, ac deficentur spinæ ab ardore Solis. Etsi enim vitium inest naturæ, non tamen vsque adeò dominatur in eam, vt imperium in eam obtinet. Nam zizania tenellas herbas frumenti suffocare possunt; at vbi per æstatis accessum fructus deficcati fuerint, zizania frumento nihil nocent.

Gen.3.e *Cultura agri spiritualis, scilicet animi, qua fit.*

C

Matt.12.d.

Itaque si euenerit, vt sint frumenti puri modij triginta, zizaniorum aliqua permixtio, vix apparet velut pars aliquota sextarij: obruta sunt enim ob maiorem copiam frumenti: ita fit in gratia, cùm donum Dei & gratia excelluerit in homine, isque ditescat in Domino, aliqua tamen in parte non absit vitium, non potest illud hominem offendere, neque vim vllam habet in eum, aut præfecturam, quoniam aduentus Domini & prouidentia hanc ob rem est vt vitio seruientes, obnoxios & subiugatos liberaret, ac peccati victores efficeret ac mortis. Non debent ergo fratres peregrinum quippiam existimare, si à quibusdam affligantur, vt vindicentur à vitio. Etenim quondam Moses & Aaron, cum obtinerent Sacerdotium, multa pertulerunt: Caiphas autem eorum cathedram tenens, persecutus est & condemnauit Dominum: Dominus tamen habens in honore Sacerdotium, hoc fieri permisit. Itidem Prophetæ passi sunt à gente sua persecutionem. Postea Mosi successit Petrus, qui nouam Ecclesiam Christo, verumque Sacerdotium creauit: Iam enim est baptisma ignis ac spiritus, & circumcisio quædam, quæ fit in corde; diuinus enim & cœlestis Spiritus commoratur in mente. At hi cùm essent perfecti, quamdiu versabantur in carne, non carebant sollicitudine, propter arbitrij libertatem, sed

D *Iustorum afflictionibus purgantur peccata.*

Petrus successor Mosi, nouam Ecclesiam Christo creauit.

E

cum metu agebant, ideoque tentari permittebantur. Vbi verò peruenerit anima ad ciuitatem illam sanctorum; tum demum affectione tentationibusque carebit. Illic enim non iam est cura, vel afflictio, vel labor, vel senectus, vel satanas, vel bellum, sed requies, gaudium, pax, & salus: nam in medio eorum est Dominus, qui cognominatur Saluator, quia liberat captiuos: cognominatur medicus, eò quòd cœlestem diuinamque præbeat medicinam, & affectiones animæ curet, quæ aliquatenus dominantur homini. Atque vt vno verbo dicam: Iesus est rex & Deus, satanas autem tyrannus & princeps nequam: quod reliquum est, Deus & Angeli eius hominem istum vt peculiarem vendicare volunt in regnum suum: itidem diabolus & Angeli eius optant illum sibi appropiare: quocirca media est anima inter duas hypostases, ac vtram in partem inclinauerit voluntas animæ, ad eam pertinebit, eiusque filius erit. Quemadmodum autem si pater quispiam mittat filium suum in regionem peregrinam, in qua occurrant ei bestiæ in via, denturque ei pharmaca & antidota, vt, si insiltant in eum belluæ aut dracones, iniecto pharmaco interimat illa. Hunc in modum vos quoque date operam, vt accipiatis cœleste pharmacum, quod curatiuum est & antidotum animæ, vt eo perimatis venenosas bestias immundorum spirituum. Non est enim facilè possidere cor mundum, nisi multo cum certamine & labore, vt homo conscientiam & cor purum habeat, vtque penitus extirpetur vitium. Accidit enim, vt quis habeat gratiam, cuius tamen cor non sit purificatum. Hanc itaque ob causam ceciderunt, qui lapsi sunt, quòd non crediderunt, post acceptam gratiam superesse cum illis caliginem ac peccatum. Omnes porrò iusti per angustam viam & afflictionis plenam vsque in finem Deo placuere. Abrahamcùm esset diues, tum secundum Deum, tum secundum mundum, seipsum terram ac puluerem nominabat. Et Dauid, *Opprobrium hominum,* inquit, *& abiectio plebis.* Et, *vermis, & non homo.* Similiter omnes Apostoli & Prophetæ, dum malè tractarentur, contumeliis afficiebantur. Dominus ipse, qui via est & Deus, cum non propter seipsum, sed propter te venisset, vt vniuersi boni tibi exemplum fieret, attende, quam in humilitatem se demisit, formam serui accipiens, cum sit Deus, Filius Dei, Rex, filius Regis, donans quidem ipse curatiua pharmaca, sanansque vulneratos, cùm tamen exterius velut vnus vulneratorum appareret. Cæterùm ne spernas dignitatem diuinam, dum intueris eum extrinsecus humiliatum, vt nobis similem: non sua causa, sed nostra sic apparuit. Perpende, quàm pro omnibus humiliatus erat, ea hora, qua vociferabatur: *Crucifige, crucifige eum:* ac turba concurrebat! Velut in rebus conspicuis, si quis improbus à magistratu sententiam acceperit, post hæc ab vniuerso populo aspernabilis & abiectus habetur: ita Dominus hora crucis, tanquam homo moriturus vilipendebatur à Pharisæis. Quando rursus conspuerunt vultum eius, & imposuerunt spineam coronam, & colaphis eum ceciderunt: quam humilitatem non superauit? Scriptum est enim: *Dorsum meum dedi flagellantibus, nec à turpitudine conspuentium auerti faciem meam, nec genas meas à percutientibus.* Quòd si Deus tot contumeliis, passionibus, ac humilitati se subiecit, tu, qui natura cœnum es, & mortalis naturæ, quantumcumque fueris humiliatus, nihil cum Domino tuo par feceris. Deus tui gratia seipsum humiliauit, tu verò tua ipsius causa non deprimeris, sed extolleris ac superbis. Venit enim, vt afflictiones tuas & onera sumeret, & requiem suam tibi conferret: tu verò perferre labores ac pati recusas, quo possint hac ratione tua vulnera sanitatem consequi. Gloria sit patientiæ & longanimitati ipsius in secula, Amen.

F

Cor mundum habere difficile est.

Abraham diues.

Ps.21.a. Gen.18.27.

G

Luc.23.c.

H *Christus omnem humilitatem superauit.* Esa.51.c.

A

DIGNITATEM ET STATVM hominis Christiani prosequitur, eiusque liberum arbitrium, permixtis interim vtilibus quæstionibus.

HOMILIA XXVII.

AGnosce nobilitatem tuam, ô homo, tuamque dignitatem, quàm pretiosus sis, frater Christi, Regis amicus, Sponsa Sponsi cœlesti. Nam qui potuerit ingenuitatem animæ suæ perspicere, hic potentiam ac mysteria diuinitatis cognoscere potest, & inde humilior euadere; quoniam virtute diuina suum ipsius lapsum quis intuetur. Porrò quo pacto transiit ille per passiones ac crucem, & ita gloria donatus est, & sedet in
B dextera Patris: sic te compati necesse est, simulque crucifigi, & inde resurgere & vnà sedere, & coniungi corpori Christi, & in illo sæculo perpetuò simul regnare:
Rom. 8. d *si tamen compatimur, vt & glorificemur.* Quicumque enim ipsius vitij propugnacula superare ac transilire potuerint, ingrediuntur in ciuitatem cœlestem, tranquillitatis multorumque bonorum plenam, vbi spiritus iustorum requiescunt. Huius ergo gratia summopere laborandum est ac decertandum, quia non est æquum, Sponsum ipsum tua causa venientem, passum & crucifixum esse: sponsam verò, cuius gratia venit, gloriari & distrahi. Nam sicut in rebus ob oculos positis, si meretrix quæpiam seipsam turpiter omnibus prostituat: ita etiam anima, cuicumque dæmoni se tradit, corrumpitur ab ipsis spiritibus. Quandoquidem sunt qui peccato vitioque laborant, ex proposito: quidam autem præter propositum. Quid verò sibi volunt ista? Ex proposito vitiosi sunt hi, qui suam ipsorum voluntatem vitio tradiderunt, delectantur cum illo, amicitiamque contrahunt: huiusmodi cum Satana pacem habent, nec in cogitationibus bellum gerunt cum diabolo. Qui verò præter propositum, hi habent quidem apud se peccatum ex aduerso pugnans in membris eorum, secundum
Rom. 7. d Apostolum, estque nebulosa vis & caligo præter votum, non tamen consentiunt in cogitationibus, nec condelectantur aut obtemperant, sed contradicunt faciuntque & sibi succensent: qui longè præstantiores ac digniores sunt apud Deum, quàm illi, qui proprio consilio voluntatem suam vitio dedunt & vnà delectantur. Perinde ac si fuerit rex, qui nactus puellam quandam pauperem, pannosis indutam, non erubescat, sed ablatis sordidis illius indumentis, & nigredinem eius abluat, & splendidis eam induat vestimentis, quam etiam sociam regis constituat, mensæque ipsius & conuiuij participem efficiat. Ad hunc quoque modum Dominus animam vulneratam ac cæsam offendit, præbuit ei medicinam, exuit eam atris vestimentis ac turpitudine vitiorum, induitque illam regiis, cœlestibus, fulgidis, ac gloriosis
D vestimentis diuinitatis, imposuit ei coronam, & mensæ regiæ sociam fecit, in gaudium & exultationem. Ac veluti si fuerit hortus, in quo sint arbores fructiferæ per omnia benè olentes: sint etiam ibi loca variis modis amœna, planè pulchra, bonique odoris ac quietis plena, in quem quicumque fuerit ingressus, lætetur & quiescat: sic in regno se habent animæ, cuncti perfunduntur gaudio, lætitia & pace, reges & domini sunt ac dij. Scri-
1. Cor. 6. c. ptum est enim: *Rex regnantium, & Dominus dominantium.* Quare Christianismus non est quippiam vulgare, mysterium enim hoc magnum est. Ideoque perspice nobilitatem tuam, te vocatum esse ad regiam dignitatem, genus electum, Sacerdotium, & gentem sanctam. Mysterium enim Christianismi alienum est ab hoc mundo, & gloria regis, quæ nunc apparet, ac diuitiæ, terrena sunt, quæ corrumpuntur & prætereunt: regnum autem illud & opes, sunt res diuinæ, res cœlestes & gloriosæ, quæ nunquam prætereunt aut dissoluuntur. Regnant enim in cœtu cœlesti cum Rege cœlesti, ipseque

Peccatorum alia sunt ex proposito, alia præter propositum.

Christianismi dignitas.

C

E primogenitus est ex mortuis, nec non illi primogeniti. Porrò cùm tales sint electi & probati apud Deum, apud se tamen minimi sunt ac valdè reprobati, quod illis est velut naturale ac concretum, vt de seipsis nihil sentiant.

Interrogatio. Ignorant ergo se accessionem aliquam adeptos esse, ac præter naturam suam aliquid, quod non habebant, possidere?

Responsio. Ego verò dico tibi, illos non esse probatos, nec esse in progressu, ac ignorare, se possidere quod non habebant: sed licèt tales sint, accedens gratia docet eos, qui promouentur adhuc, nullo in pretio habere animas suas, sed abiectos natura seipsos existimare debere. Itaque cùm apud Deum præclari sint, apud seipsos non sunt: cumque sint in progressu & notitia Dei, perinde sunt, ac si nihil scirent: apud Deum, cum sint locupletes, sunt apud se pauperes. Vt autem Christus sumpta serui forma, per humilitatem vicit diabolum: sic initio serpens per arrogantiam ac superbiam Adamum F profligauit: nunc quoque ille ipse serpens, intus latens in cordibus, per superbiam destruit ac dissoluit genus Christianorum. Quemadmodum enim si quis liber & ingenuus more seculi ac valde locuples, reditum insuper cogat & fructus inferat, ille arrogans est, ac sibiipsi fidit, cumque sit intolerabilis, omnes calcitrat & colaphis afficit: ita sunt quidam nulla discretione præditi, qui, cùm paululum quietis precationisque fuerint adepti, extolli incipiunt, rebelles esse, atque de aliis iudicium ferre, & hoc pacto delapsi sunt in profundissima terræ. Serpens enim ille, qui deturbauit Adamum per arrogantiam, dum diceret: *Eritis sicut dij*, ipse nunc quoque in cordibus suggerit arrogantiam his verbis: Perfectus es, sufficit tibi, factus es locuples, nullius indiges, beatus es. Sunt porrò alij in morem sæculi pollentes opibus, quas dum cumulant è fructuum copia, continent seipsos in discretione, non gloriantur neque extolluntur, sed sunt æqui, quia norunt (post vbertatem) venturam sterilitatem. Et contrà, cùm in damnum & sterilitatem inciderint, non anguntur, sed æqui manent, quoniam sciunt denuò successuram vbertatem, & in his plurimum exercitati non obstupescunt, neque de prouentu aut fertilitate superbiunt, neque si damnum occurrat, sunt attoniti. Igitur Christianismi ratio est huiusmodi, gustare veritatem, edere ac bibere de veritate, quod quidem facere licèt pro viribus & facultate. Quemadmodum si quis sitibundus de fonte bibere incipiat, & inter potandum à quopiam abstrahatur, qui non permittat impleri, quantum velit, postea vehementius inardescit, quia gustauit aquam, ac studiosiùs experit: sic & in re spiritali gustat quis ac sumit de cibo cœlesti, tum inter gustandum subtrahitur, nullusque dat ei vt satietur.

Diuitum duo sunt genera.

Gen. 3. a.

G

Interrogatio. Quam ob rem impleri non conceditur?

Responsio. Nouit Dominus imbecillitatem hominis, nempè confestim extolli solere, propterea subtrahit, & hominem exerceri iactarique permittit. Nam si te modicùm accipientem tolerare nemo potest, sed intumescis, quantò magis si quis tibi concederet prorsus ad satietatem, nemo te ferret? Atqui Deus perspectam habens infirmitatem, te cum moderamine tribulationibus exponit, vt humilis euadas, ac studiosior inquirendi Dei. Etenim iuxta morem seculi, mendicus quidam cùm reperisset marsupium aureis plenum, præ leuitate proclamare cœpit; Inueni marsupium, diues sum: tum audiuit ex rumore, qui perdiderat, ac recepit illud. Diues alius arrogans factus est, & calcitrare cœpit, omnesque contumeliis afficere, & super quosdam efferri: quod cùm audisset rex, facultates eius publicauit. Ita se habet in re spiritali, vbi nonnulli modicum quietis acceperint, administrare nesciunt, sed perdunt etiam id, quod adepti sunt: tentat enim eos peccatum, ac tenebris obducit animum eorum.

H

Interrogatio. Qua ratione nonnulli, postquam sunt à gratia visitati, labuntur? Nonne satanas multò imbecillior demonstratur? nam vbi dies, qui potest nox esse?

Responsio.

A *Responsio.* Non quòd extinguatur gratia, vel infirmetur, sed vt liberum arbitrium tuum ac libertas probetur, quò vergat, permittit te vitio, tuque rursus voluntate appropinquans Domino, admoneris, vt perpendas gratiam. At quo pacto scriptum est: 1. Thess. 5.c. *Spiritum nolite extinguere*, si ipse inextinguibilis est & lucidus? Tu verò voluntate tua negligens ac non consentiens, extingueris à spiritu. Eodem modo dicit: Ephes. 4. g. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Arbitrium liberum. Vides, in tua voluntate positum esse ac libero tuo arbitrio, vt honore afficias Spiritum sanctum, & non angas. Ego verò dico tibi, etiam perfectis Christianis, qui captiuati sunt & inebriati in bonum, inesse arbitrij libertatem, vnde infinitis malis examinati conuertuntur ad bonum. Sicuti cùm fuerint quidam dignitate, opibus ac nobilitate pollentes, qui propria voluntate atque proposito, relictis facultatibus, nobilitate ac dignitatibus suis abeant, & induant sordida & vilia vestimenta, & ignominiam pro gloria, sintque calamitosi B & abiecti, hoc relictum est ipsorum propriæ voluntati. Ego autem tibi dico, vel ipsos Apostolos, qui consummati erant in gratia, non fuisse prohibitos à gratia, quo minus agerent quæ vellent, etiamsi illi ipsi committere voluissent, quæ gratiæ displicebant. Nam boni malique capax est natura nostra, ac potestas aduersaria exhortandi vim habet, non cogendi: in reliquo liberum habes arbitrium inclinandi quò libuerit. Non animaduertis, Petrum reprehensum fuisse, Paulumque abeuntem, arguisse illum, qui quamuis talis esset, adhuc reprehensibilis erat? Galat. 2. Paulus quoque spiritalis cùm esset, propria voluntate altercationem iniit cum Barnaba; Act. 15. 39. ac exacerbati discesserunt ab inuicem. Itaque, inquit idem, Gal. 6. a. *Vos qui spiritales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Ecce tentantur spiritales, quia superest adhuc arbitrij libertas, instantque aduersarij, quamdiu fuerint in hoc seculo.

C *Interrogatio.* Non poterant Apostoli peccare, si voluissent, an etiam ipsa voluntate potentior erat gratia?

Responsio. Peccare quidem non poterant, quia non extollebantur cùm essent lumine ac tali gratia præditi. Non tamen dicimus, in illis infirmam fuisse gratiam, verùm dicimus, gratiam vel ipsis spiritalibus perfectis permittere, vt habeant suas voluntates, ac facultatem agendi quæ libuerint, & quò voluerint inclinandi. Ipsa quoque natura humana, licèt infima, etiamsi illi bonum insit, facultatem habet versatilem.

Quemadmodum si quidam omnimodam armaturam, thoracem & arma fuerint induti, quod ad reliquum attinet, intus sunt protecti, nec irruent in eos hostes, aut si irruerint, in eorum voluntate situm est, vt vtantur armis, decertent ac reluctentur hostibus, & victoriam referant, aut cum hostibus oblectentur, & pacem ineant, ac non dimicent, licèt habeant arma: sic etiam Christiani, perfectum robur induti, armaque cœlestia habentes, si velint, delectantur cum satana, & pacem cum D eo contrahunt, nec præliantur. Versatilis enim est natura, ac si quis velit, euadit Filius Dei: sin contra, filius perditionis, eò quòd permaneat liberum arbitrium. Aliud est de pane & mensa verba facere, & aliud, edere ac sumere dulcedinem panis, vt inde corroborentur omnia. Aliud est, verbotenus disputare de potu suauissimo, & aliud, abire, & ex ipso fonte capere, ac ipso gustu suauissimi potus impleri. Aliud est, sermonem habere de bello, strenuis athletis ac bellatoribus, & aliud, abire quempiam in aciem bellicam & cum hostibus committere, ingredi, egredi, accipere, dare, & victoriam referre. Ad hunc modum se res habet in spiritalibus. Aliud est, notitia quadam & intellectu sermones explicare, & aliud in hypostasi, opere, certitudine, & in interiori homine & animo habere thesaurum, gratiam, gustum & efficaciam sancti Spiritus: nam qui verba nuda proferunt, ducuntur imaginationibus, & intumescunt animo suo. 1. Cor. 2. a. *Sermo enim meus*, inquit, *& prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.* E Et iterum alibi dicit: 1. Tim. 1. a. *Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Qui talis est, non labitur; multis enim qui Deum inquisierant, aperta est ianua, qui viderunt thesaurum, & introierunt in illum. Et cùm exultarent, dicentes, reperimus thesaurum, clausit illis fores, cœperunt vociferari, lugere, & indagare, Thesaurum nacti sumus, ac perdidimus. Quandoquidem cum dispensatione subducit se gratia, vt maiore studio inquiramus. Patefit enim thesaurus pro modo indagantis.

Interrogatio. Cùm dicant nonnulli, post acceptam gratiam transire quempiam à morte in vitam, potestne quis illuminatus habere sordidas cogitationes?

Responsio. Scriptum est, Gal. 3. a. *cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini.* Iterum autem ait, Eph. 6. d. *Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* Ex eo sermone duo sunt loca, tum vbi erat, cum induit arma, tum vbi est, cum bellum gerit aduersus principes & potestates: in lumine nempè, an in tenebris? F Et, Ephes. 6. c. *vt vos possitis tela Nequissimi ignea extinguere.* Ac rursum, Ephes. 4. g. *nolite contristare Spiritum sanctum.* Iterumque He. 6. a. *Impossibile est, eos qui semel sunt illuminati & gustauerunt donum Dei ac participes facti sunt Spiritus sancti, & ceciderunt, renouari.* En, qui sunt illuminati & gustauerunt, ruunt! Vides, hominem habere voluntatem consentiendi spiritui, voluntatem etiam contristandi? Planè enim arma sumit vt prodeat in bellum, & certet cum hostibus: planè illuminatus est, vt militet aduersus tenebras.

Interrogatio. Qua ratione dicit Apostolus, 1. Cô. 13. a. *Si habuero omnem scientiam & omnem Prophetiam, ac loquar linguis Angelorum, nihil sum?*

Responsio. Non ita debemus intelligere, quasi nihil sit Apostolus, sed ista, si conferantur cum charitate perfecta, esse perexigua. Itaque qui assecutus hæc fuerit, cadere potest, qui verò charitatem habuerit, labi nequit. Spiritualium virorum illustres lapsus. G Ego verò tibi profiteor, me vidisse viros omni charismatum genere præditos ac Spiritus participes, qui propterea quod non peruenerant ad perfectam charitatem, lapsi sunt. Quidam enim è nobilibus cum renuntiasset, prudens & sanæ mentis bona sua vendidit, ac seruos libertate donauit, splendore vitæ alioqui celebris: interea de seipso quippiam sentire cœpit, & arrogantia laborare, tandem in flagitia & infinita mala delapsus est. Alius, tempore Persecutionis, corpus suum tradidit, & cum esset Confessor, inita pace postea solutus est: eratque nomine insignis, vtpotè cuius offuso fumo palpebræ offensæ fuerant. Hic alioqui gloria illustris, cum vocaretur ad preces, accipiebat frumentum quod dabat puero suo, eoque redacta est mens eius, ac si nunquam audisset verbum Dei. Alius, persecutionis tempore corpus suum præbuit, ac cum suspensus esset & efferbuisset, postea coniectus est in carcerem. Huic igitur ministrabat quædam iuxta fidem canonica, cum qua familiaritate contracta, existens adhuc in carcere, lapsus est in stuprum. H Animaduerte, quo pacto ceciderunt tum diues qui facultates suas vendiderat, tum is qui corpus suum tradiderat in martyrium. Alius sagax pugil qui mecum domi manebat & mecum precabatur, vsque adeò gratia locuples erat, vt inter orandum iuxta me compungeretur: feruebat enim in illo gratia: Ipsi quoque donata erat gratia sanitatum, nec dæmones duntaxat expellebat, sed manibus & pedibus vinctos, & grauibus morbis affectos per impositionem manuum curabat: postea cum negligenter se gereret, gloria celebratus à Mundo cum quo se oblectabat, in superbiam elatus est ac delapsus est in ipsa profundissima peccati. Attende, eum qui etiam gratia sanitatum pollebat, cecidisse! Vides quomodo ruant, antequam ad mensuram charitatis perueniant! Qui enim charitatem assecutus vincitur & inebriatur, hic absorbetur & captiuatur in alium Mundum, quasi naturam propriam non sentiat.

Interrogatio. Quid est, *quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt?*

Responsio.

A

Respons. Illo tempore, Magnates, Iusti, Reges & * Prophetæ nouerant venturum esse Redemptorem: at passurum esse, crucifigendum, ac sanguinem in cruce fusurum non norant nec audierant, neque in animum eorum ascenderat, baptisma futurum ignis ac Spiritus sancti: item offerendum esse in Ecclesia panem & vinum exemplar exhibens carnem ipsius & sanguinem, sumentesque de pane visibili, † spiritaliter carnem Domini edere: Apostolos quoque & Christianos suscepturos Paracletum, & induendos virtute ex alto, ac deitate implendos, animas etiam compinsendas esse cum Spiritu sancto hoc ignorabant Reges & Prophetæ, nec in cor eorum ascenderat. Nunc enim Christiani aliter ditescunt, ac desideriis feruntur in deitatem: at licèt tali gaudio perfundantur & consolatione, sub timore tamen degunt ac tremore.

Interrogatio. Sub quo metu ac tremore?

Responsio. Ne aberrent in aliquo, sed consentiant gratiæ. Quemadmodum si quis habens thesauros, proficiscatur ad loca in quibus sunt latrones, gaudet quidem propter opes & thesaurum, nihilominus metuit ne quo pacto latrones irruant ac deprædentur illum: Itaque perinde est ac si manibus suis proprium corpus gestet. Ecce enim quantum ad ea quæ videntur, omnes renuntiamus, peregrini sumus, nihil possidemus, priuati sumus societate carnali, in reliquo vide corpus ad orationem collocatum esse, debent Fratres attendere num mens etiam cum corpore consonet: sicut in Mundo, artifices & architecti habent vt plurimum corporis itidem & animum alligatum ad artem noctu diuque. Tu ergo qui peregrinum habes corpus ab hoc Mundo, perpende teipsum, num etiam mentem habeas alienam ab hoc seculo, ac non occuperis in Mundo. Quilibet enim secularis miles aut mercator, vbi corpus habet, ibi quoque mentem habet illigatam, ibique thesaurus eius est, quia scriptum est, *vbi thesaurus, ibi etiam cor.* Reliquum est, quali thesauro deditus sit animus tuus, an totus planè Deo, necne? sin minus est, dicatis mihi, quid obsit. Profectò Satanas & dæmones sunt spiritus nequam qui occupant animum, & animam inuoluunt. Perplexus enim diabolus habens machinas, fores triplices, ac versutiam non paucam, animæ pascua cogitationesque occupat, nec permittit rectè precari & accedere ad Deum. Nam ipsa natura potest esse particeps dæmonum ac Spirituum nequitiæ, itidem Angelorum ac Spiritus sancti, templum est Satanæ, & templum sancti Spiritus. Superest, vt animum vestrum expendatis, Fratres, cuiusnam estis participes, Angelorum an dæmonum: cuius templum & domicilium estis, Dei, an diaboli: quali thesauro cor fit plenum, gratiæ, an Satanæ. Idcircò tanquam domum fœtoris & stercoris plenam, illud purgari planè conuenit & exornari, quouis odore bono & thesauris impleri, vt pro Satana, veniat Spiritus sanctus ac requiescat in animis Christianorum. Cæterum non statim vt quis audiuit verbum Dei, quamprimum fit bonæ partis. Si enim audiendo simul efficeretur partis bonæ, nequaquam extitissent certamina, aut bellorum occasiones, aut cursus, sed sine labore, modo audisset, peruenisset ad quietem ac mensuram perfectam. At non ita se res habent: tollis enim hominis voluntatem, dum hoc inquis, & negas repugnantem facultatem esse, quæ luctatur cum animo. Nos autem dicimus, eum qui verbum audit, venire in compunctionem: deinde per dispensationem subducente se gratia, ad vtilitatem hominis, in exercitationem & disciplinam militarem ingredi, tum luctari & inire certamen aduersus Satanam, ac multò cursu pugnaque reportata victoria Christianum fieri. Nam si quis ex auditu solo, sine labore ad bonam partem pertineret, etiam qui spectaculis theatralibus oblectantur, & scortatores irent in regnum & vitam, quam profectò nemo dabit illis citra laborem & pugnam quoniam angusta via est & afflictionis plena. Per hanc duram viam incedere, sustinere, & affligi necesse est, & ita viam ingredi: nam si absque labore fœliciter agere liceret, Christianismus vltra non esset lapis offensionis & petra scandali, nec fides, & infidelitas. Præterea constituis etiam hominem immutabilem tum ad bonum, tum ad malum. Etenim ei qui mutari potest in vtramque partem, liberumque arbitrium habenti, lex data est, vt bellum gerat aduersus contrariam Potestatem: fixæ enim & immutabili naturæ, lex non imponitur, quandoquidem Sol, cœlum, terrave, nulla lege tenentur, quia creaturæ sunt ligatæ naturæ, vnde nec præmio nec supplicio sunt obnoxiæ. Honor & gloria præparata est ei quòd conuerti potest ad bonum, contra verò Gehenna suppliciumque præparatum est eidem mutabili naturæ, quæ potest vitare malam & vergere ad bonam & dexteram partem, ecce, illum ais esse ligatæ naturæ! Insuper, virum bonum non facis laude dignum: nam natura mansuetus & bonus, non est dignus laude quamuis sit optatus: non enim laudabile est, quod non est ex proposito bonum, licèt sit gratum. Ille siquidem laude dignus est, qui cum liberam habeat voluntatem, proprio studio, non sine certamine pugnaque amplectitur quod bonum est. Veluti si ex acie Persarum atque Romanorum, duo prodeant adolescentes pennati, viribus æquales, qui luctentur: ita aduersaria Potestas & Mens, in sese pollent æqualiter, paremque facultatem habet Satanas adhortandi & illiciendi animam ad voluntatem suam, ac ex aduerso anima repugnandi & in nullo obsequendi. Exhortari enim possunt ambæ facultates, tum ad bonum tum ad malum, non tamen necessario compellere. Huic igitur arbitrio diuina datur remuneratio, potestque certando arma de cœlo sumere quibus extirpabit & vincet peccatum. Nam contradicere quidem peccato potest anima, sine Deo verò superare & euellere vitium nequit. Cæterum qui aiunt peccatum esse veluti strenuum gigantem, animam autem velut pusionem, non rectè dicunt. Si enim res essent adeò dissimiles, vt peccatum sit gigas, anima verò pusio, iniquus esset Legislator qui sanciuit vt homo certamen ineat aduersus Satanam. Hoc porrò fundamentum est viæ ducentis ad Deum, in patientia multa, in spe, in humilitate, in paupertate spiritus, in mansuetudine viam vitæ peragere: & per hæc potest quis in seipso consequi iustitiam, dicimus autem iustitiam, ipsum Dominum. Hæc enim præcepta quæ iubent in hunc modum, sunt tanquam lapides miliares fixi, & signa viæ regiæ quæ deducit inambulantes ad ciuitatem cœlestem. Ait enim, *Beati pauperes spiritu, Beati mites, Beati misericordes, Beati pacifici:* hunc dicito esse Christianismum. Quod si quis hac vita non ambulet, errat per deuia, maloque fundamento vtitur. Gloria miserationibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti in sæcula: Amen.

Cauté ista legenda: nam etsi non omnes Prophetæ cuncta Christi mysteria nouerint, at mortem, & crucem Christi, Baptismum, Eucharistiæ Sacrificium, sanctificationem hominum &c. illi Prophetæ, qui B suis vaticiniis ista prædixerant, quorum plurima in Scripturis extant, certum est omnia illa præcognouisse, quamuis non ita plenissimè & quoad omnes circumstantias, C vt tempore quo expleta sunt, cognita ab Apostolis, & Christiana Ecclesiæ Doctoribus fuere.

† id est, non visibili modo & eo quo editur alia caro, sed spirituali & inuisibili.

D

E

F *Anima & Satana par est potestas in certamine spirituali.*

Anima Satanam vincere sine Deo nō potest.

G *Fundamentum viæ ducentis ad Deum. Lapides Miliares.*

Matth. 5. 1.

DESCRIBIT AC DEPLORAT *calamitatem animæ, in qua propter peccatum non habitat Christus.*

HOMILIA XXVIII.

H

QVemadmodum Deus olim infensus Iudæis, tradidit Hierusalem hostibus in spectaculum, & dominati sunt eis qui oderant illos, nec erat ibi amplius festum neque oblatio: sic etiam iratus in animam ob transgressionem mandati, tradidit eam hostibus, dæmonibus & affectionibus: qui cum seduxissent eam, penitus deleuerunt, nec illic agebatur vltra dies festus, nec incensum aut oblatio Deo offerebatur, plenaque in viis erant eius insignia diris bestiis, ac spiritus reptiles, nequitias in ea dissoluebant. Ac veluti domus, nisi dominum inhabitantem habeat, tenebrosa, vilis & probrosa redditur, & impletur sordibus atque stercoribus: ad eundem quoque modum anima quæ non habet in seipsa Dominum suum cum Angelis exultantem, tenebris peccati, affectionum turpitudine, & omnimoda ignominia repletur. Væ viæ in qua nemo ambulat, nec audit in ea vocem hominis, quia receptaculum est bestiarum! Væ animæ, cum in ea non incedit Dominus, vt ex ea excutiat voce sua spiri-

tuales

A tuales bestias nequitiæ! Væ domui in qua non habitat Dominus! Væ terræ cum non habuerit colonum qui exerceat illam! Væ naui, gubernatore carenti, quoniam à fluctibus & tempestate Maris agitata perit! Væ animæ, cum verum gubernatorem Christum in se non habuerit, quoniam in acerbissimo Mari tenebrarum versatur, & ex procellis affectionum fluctuans, & à Spiritibus nequissimis, velut tempestate iactata tandem consequitur interitum! Væ animæ, cum non habuerit Christum qui accuratè excolat illam, vt bonos fructus spiritus referre valeat, quia, cum sit deserta, spinis ac tribulis referta, tandem exustionem ignis pro fructu decerpit. Væ animæ, cum Dominum suum Christum habitantem in seipsa non habuerit, quia cum sit deserta affectionumque fœtore repleta, tabernaculum existit vitiorum! Sicut enim agricola qui se confert ad excolendam terram, tunc instrumenta ad culturam necessaria sumere debet: ita Christus rex cœlestis & verus agricola, B accedens ad humanitatem per vitium desolatam, corpus induit, ac pro instrumento Crucem portauit, quibus excoluit animam desertam, ex ea spinas & tribulos prauorum Spirituum excerpsit, & euulsit zizania peccati, omne denique fœnum peccatorum eius igne exussit: cumque sic exercuisset illam ligno crucis, plantauit in ea hortum spiritus pulcherrimum, omnis generis fructum suauissimum & gratissimum Deo veluti domino referentem. Et sicut in Ægypto quando triduum factæ sunt tenebræ, patrem filius non videbat, neque frater fratrem, nec amicus germanum amicum, velantibus eos tenebris: sic ex quo Adam transgressus est mandatum, & à pristina gloria decidit, spiritui Mundi subditus, velamine quoque tenebrarum (eius opera) veniente in animam ipsius, vel ad postremum Adamum, nempè Dominum, non videbat verum patrem, scilicèt cœlestem, bonam ac benignam matrem, gratiam Spiritus sancti, dulcem ac desideratum fratrem, Dominum, amicos & germanos, C sanctos Angelos quibuscum gaudebat choreas agens & celebrans festa. Atqui non solum ad postremum vsque Adamum, sed hoc quoque tempore, hi quibus non exortus est Sol iustitiæ Christus, quorumque oculi animæ non sunt aperti, à verò lumine illuminati, sub iisdem adhuc manent tenebris peccati, eandem voluptatum energiam habentes, eidem supplicio obnoxij, non habentes oculos qui Patrem videant. Hoc autem quisque nosse debet, esse oculos interiores istorum oculorum, & interiorem auditum huius auditus. Et qua ratione oculi isti sensibiliter intuentur & cognoscunt faciem amici aut dilecti, sic præclaræ & fidelis animæ oculi diuino lumine spiritaliter illustrati, vident & intelligunt verum amicum, ac suauissimum optatissimumque sponsum Dominum ob illuminatam animam ab adorando Spiritu. Itaque dum ea sic intellectu videt gratam ac solam ineffabilem pulchritudinem, vulneratur amore diuino, atque ad omnes Spiritus virtutes dirigitur: quo fit, vt indefinitam & indeficientem dilectionem adipiscatur D erga sibi optatum Dominum. Quid enim beatius illa voce perpetua Ioannis, monstrantis ob oculos Dominum, his verbis? *Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata Mundi?* re vera *inter natos mulierum nullus maior Ioanne Baptista*, complementum enim est omnium Prophetarum: ac omnes quidem vaticinati sunt de Domino, procul ostendentes eum venturum: ille verò dum de Saluatore prophetaret, demonstrabat ante omnium oculos, clamans ac dicens, *Ecce Agnus Dei.* Quid erat suauis & præclara vox recta monstrantis eum quem prædicabat? *nullus inter natos mulierum maior Ioanne, qui autem minor est in regno cœlorum, maior est illo.* Apostoli qui desursum ex Deo nati sunt, & primitias acceperunt Spiritus paracleti, quandoquidem hi meruerunt vt vnà Iudices essent & throni participes, hi redemptores hominum facti sunt. Reperis eos scindentes Mare prauarum Potestatum, ac deducentes fideles animas. Reperis eos colonos, animæ vineam excolentes. Reperis eos paranymphos, despondentes animas Christo: *despondi enim*, inquit, *vos vni viro.* Reperis eos dantes vitam hominibus, & vt semel

Exod. 10. a. 1.

Ioan. 1. d.

Matth. 11. b.

Apostoli, redemptores hominum facti sunt. 1. Cor. 11. a.

E dicam, reperis eos variis ac multis modis ministrantes Spiritui sancto. Hic igitur est ille paruus qui maior est Ioanne Baptista. Qua enim ratione agricola iugum boum regens exercet terram, eodem etiam modo Dominus Iesus qui insignis & verus est agricola, binos Apostolos copulans emisit, colens cum illis terram audientium. Verumtamen hoc quoque dictu dignum est, non in solo auscultationis verbo consistere regnum Dei & Apostolorum prædicationem, veluti si quis dicendi peritus apud alios oret: sed in virtute & efficacia Spiritus regnum positum est. Hæc enim Israëlitarum filiis euenerunt, qui versantes assiduè Scripturas, quasi verò de Domino meditarentur, eò quod veritatem ipsam non susceperunt, aliis eandem hæreditatem tradiderunt: ita qui sermones spiritales aliis enarrant, cum ipsi verbum cum virtute non possideant, aliis tradunt hæreditatem. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in secula. Amen. F

Iudæi similes sunt qui verbum cum virtute non possident.

DVPLICI RATIONE GRATIAM *suam largitur Deus, cuius fructum tandem iusto iudicio repetit.*

HOMILIA XXIX.

Sapientia Dei cum sit infinita & comprehendi nequeat, incomprehenso & inperuestigabili modo dispensationes gratiæ variè exercet erga genus humanum, ad probandam liberi arbitrij voluntatem, vt manifesti fiant, qui Deum ex toto corde diligunt, & periculum omne laboremque illius causa perferunt. Nam quos charismata & Spiritus sancti dona præoccupant: hi statim vt accesserunt cum fide & postulatione, citra labores, sudores & fatigationes interdum in Mundo versantur. G Præterea confert gratiam illam Deus non otiosè, non temerè, neque fortuitò, sed secreta quadam & incomprehensibili sapientia, probandi voti gratia liberæque voluntatis eorum qui confestim gratiam diuinam consequuntur, an senserint beneficium, benignitatem, ac dulcedinem à Deo sibi exhibitam, iuxta proportionem gratiæ sine propriis laboribus collatæ: qua dignati, debent studium, cursum, conatum ac dilectionis fructum à voluntate & proposito nascentem emittere, vicemque charismatum rependere: hoc est, se totos ac deuotos in dilectionem Domini conferre, solam illius voluntatem peragere, & ab omni carnali desiderio prorsus recedere. Quibus verò, licèt à Mundo segregati sint & ex Euangelij sententia renuntiauerint huic sæculo valde perseuerantes in oratione, ieiunio, ac reliquarum rerum probatarum studio, non donat quamprimum Deus gratiam, requiem, & exultationem Spiritus, longanimiter agens illorum caussa, donumque retinens: hoc quoque non otiosè, non temerè, neque fortuitò facit, H sed occulta quadam sapientia, ad probandam liberi Arbitrij voluntatem: vt videat an fidelem veracemque Deum existimauerint, qui pollicitus sit daturum petentibus, & pulsantibus vitæ fores aperturum: vt cognoscat, an verè credant verbo suo, & ad finem vsque permaneant in integritate fidei studiique postulantes ac quærentes, an non afflicti & remissi auertantur, ac diffidentes & desperantes contemnant, non perferentes vsque in finem, propter interiectum tempus & probatam voluntatem atque propositum. Qui enim per dilationem & longanimitatem diuinam non celeriter accipit, magis accenditur, & vehementius appetit bona cœlestia: & desiderium, studium, cursum, certamen, omnem virtutis statum, esuriem & sitim, ad bonum quotidie cumulatius addit, non remissior effectus à vitiosis cogitationibus cum animo existentibus, & in contemptum, impatientiam, & desperationem conuersus, aut contra (prætextu longanimitatis) socordiæ seipsum dedat, hac vtens cogitatione: nempè, quando gratiam Dei consequar? inde per vitium subtractus ad negligentiam. At verò quanto

Cur Deus gratiam suam non statim largiatur bonis.

Quanto magis Deus differt dona sua, tanto ardentius debemus expetere.

A magis ipse Dominus differendo patienter agit illius gratia, probans fidem & dilectionem voluntatis eius, tantò ardentius & accuratius citra penuriam & fatigationem quærere debet donum Dei, semel credens ac certò sibi persuadens, Deum non mentiri, sed veracem esse qui pollicitus est se daturum *gratiam* suam *petentibus in fide* cum omni patientia vsque in finem. Fideles enim animæ, Deum fidelem ac veracem existimant, & *signauerunt quia verax est*, vt sermo verus habet. Consequenter igitur ad eam de qua ante dictum est fidei notitiam, examinant seipsas: quorundam, quantum possunt, labore, pugna, studio, fide, dilectione, aut reliquo virtutum ordine penuriam patiuntur, & cum omni subtili diligentia se discutiunt, seipsas compellunt pro viribus & vim inferunt, vt Domino sint gratissimæ: quia semel crediderunt, Deum (vtpote veracem) non priuaturum illas dono Spiritus si permanserint vsque ad finem in cultu & expectatione ipsius cum omni diligentia: sed gratiam cœlestem merebuntur vel adhuc in carne existentes, & vitam æternam consequentur. Quo fit, vt omnem dilectionem suam erga Dominum moueant, renuntiantes omnibus, hunc solum summo cum desiderio, esurie, & siti sperant: recreationem & consolationem gratiæ semper expectantes, in nulla re huius Mundi libenter consolationem accipiunt, requiescunt, aut deuinciuntur: verum crassis cogitationibus perpetuò repugnãtes opem & remunerationem Dei duntaxat expectant, cum animis, huiusmodi studio, proposito, & patientia præditis, iam occultè præsens sit Dominus, opituletur, conseruet & suffulciat omnem virtutis fructum: ac licèt in labore sint & afflictione, in cognitione veritatis & illustratione animæ, nondum tamen acceperunt gratiam Spiritus ac recreationem doni cœlestis, nec plenè senserunt eam, propter secretam sapientiam ac inenarrabilia iudicia Dei qui variis modis probat fideles animas, & dilectionem à voluntate & intentione proficiscentem, diligenter considerat. Nam intentionis liberæ spontaneique amoris ac studij quantum datur, erga omnia sancta eius mandata, quidam sunt termini, mensuræ, ac trutinæ. Itaque animæ quæ amoris atque officij sui mensuram implent, regnum & vitam æternam merentur: Iustus enim est Deus, & iusta iudicia eius, neque personarum acceptio est apud illum, sed pro modo beneficiorum collatorum tam corporis quam spiritus, siue scientiæ, siue intellectus aut discretionis, quæ etiam variè Deus indidit humanæ naturæ, indicaturus vnumquemque, virtutis fructus exiget, ac pro dignitate cuique iuxta opera eius, *potentesque potenter tormenta patientur*: minimus siquidem, misericordia veniaque dignus est, ait enim Dominus: *seruus qui cognouit voluntatem Domini sui & non fecit, vapulabit multis, qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*: Et, *cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Scientiam autem & intellectum diuerso modo intelligit, tam secundum gratiam & donum cœleste spiritus, quàm secundum naturalem progressum intellectus, discretionis, aut è Scripturis diuinis sumptæ eruditionis. Siquidem ab vnoquoque exigentur fructus virtutis, habita ratione beneficiorum à Deo sibi collatorum, seu naturalium, seu gratia diuina donatorum. Quare inexcusabilis est omnis homo apud Deum in die Iudicij: à quolibet enim (prout nouit) fructus fidei, charitatis, omnisque sibi donatæ virtutis, habita voluntatis & intentionis ratione, reciproca petetur restitutio, siue per auditum nactus sit, siue nunquam audierit verbum Dei. Nam fidelis & veritatis amans anima quæ perpendit æterna bona Iustis reposita, beneficiumque ineffabile venturæ gratiæ diuinæ, seipsam suumque studium, laborem & fatigationem, indignam ducit arcanis promissionibus spiritus. Hic pauper est spiritu, quem Dominus beatum prædicat, hic esurit & sitit iustitiam, hic contritus est corde. Qui tale suscipiunt propositum, studium, laborem, desideriumque virtutis, & in eo ad finem vsque permanent, vitam ac regnum perpetuum consequi verè poterunt. Ne quis igitur Fratrum extollatur aduersus fratrem, neve seductus à vitio, existimatione sui offendat, inquiens, en, ego nempè donum spiritale nactus sum! Non decet hæc animo versare Christianos: nam quid ei allatura sit crastina dies, ignoras, nescisque quis illius finis, & quis tuus futurus sit. Verum quisque sibiipsi attendens, propriam conscientiam assiduè discutiat, ac probet opus cordis sui, quo studio, quove erga Deum conatu sua mens affecta sit: & expendens perfectum scopum libertatis, vacuitatis affectionum & quietis spiritalis, sine intermissione & socordia currat, nullo in dono aut iustificatione, collocata fiducia. Gloria & adoratio Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in sæcula: Amen.

[Margin notes, left: Luc. 11. 13. — Ioan. 3. d. Sermo vtrius pro Ioannis Euangelio. — B — C — Animæ, quomodo vitam æternã mereantur. — Sap. 6 a. — Luc. 12. — Pro ratione donorum naturalium & gratuitorum, D Deus exigit ab homine fructus spirituales. — Pauper spiritu, quis sit. Matth 5. Right: E Superbia, ex spiritualibus donis fugienda est homini Christiano. Conscientia sua vnicuique assiduè discutienda est.]

EX SPIRITV SANCTO RENASCI debet anima, Dei regnum ingressura, & quî hoc fiat?

F

HOMILIA XXX.

DEbent qui verbum audiunt, in suis ipsorum animis opus verbi demonstrare. Nam verbum Dei non est otiosum, sed habet opus quod peragitur in anima, proinde appellatur opus, vt opus quoque apud eos inueniatur, qui audiunt. Præstat ergo Dominus opus veritatis audientibus, vt verbum in nobis fructuosum reperiatur. Quemadmodum enim vmbra præcedit corpus, vmbra verò corpus indicat, at veritas est ipsum corpus: ità verbum, est velut vmbra veritatis Christi, porrò verbum antecedit veritatem. Patres qui degunt in terra, è sua ipsorum natura, è corpore suo & anima gignunt liberos, natosque totis viribus vt filios suos diligenter erudiunt, donec perfecti viri euadant, successores etiam ac hæredes. In primis enim, patrum scopus omneque studium in eo versatur vt procreent liberos & hæredes habeant: qui si non genuerint, summo dolore afficiuntur ac mœrore, sicuti contra lætantur, vbi filios habuerint, gaudent etiam cognati & vicini: Ad eundem modum Dominus noster IESVS CHRISTVS de humana salute solicitus, dispensationem omnem studiumque à principio, patrum, patriarcharum ministerio peregit, postremo etiam ipse veniens, spretâ Crucis ignominia mortem pertulit, totusque labor ille & studium eius in eo fuit, vt ex seipso, è sua ipsius natura procrearet filios è Spiritu superno, pergratum habens si nascerentur è sua deitate. Et quo modo patres isti, nisi genuerint anguntur, sic etiam Dominus qui dilexit hominum genus vt proprium sanguinem, voluit eos ex ipso semine diuino producere. Si qui ergo venire recusauerint ad talem generationem, & de ventre Spiritus diuini nasci, dolorem non modicum suscipit Christus qui illorum causa passus est, ac pertulit vt eos seruaret: Omnes enim homines vult Dominus hanc natiuitatem adipisci, quia mortuus est pro omnibus, omnesque vocauit ad vitam. Vita autem est, desuper ex Deo generatio, sine qua viuere nequit anima: vt inquit Dominus: *nisi quis renatus fuerit desuper, non potest videre regnum Dei*: Vt è diuerso: quicumque Domino crediderint, & accedentes natiuitatem hanc consecuti fuerint, gaudium & exultationem summam in cœlis ingerunt Parentibus qui genuerunt eos. Cuncti denique Angeli sanctæque Virtutes lætantur de anima quæ de Spiritu nata est & effecta Spiritus. Hoc enim ipsum corpus, est animæ similitudo, anima verò, imago spiritus existit. Ac sicuti corpus absque anima mortuum est, non habens facultatem aliquid agendi: sic etiam anima, sine anima cœlesti, absque spiritu diuino, quoad regnum mortua est, nec potest agere quicquam eorum quæ pertinent ad Deum, citra spiritum. Qua enim ratione statuarius attendit faciem regis, cum pingit: ac si ex aduerso sita sit facies Regis intendens in ipsum pictorem, facilè pulchreque illam faciem depingit ad viuum: sin autem vultum auertat, nequit pingere, quia fixis oculis pingentem non intuetur: ita pictor insignis Christus, credentibus ei fixeque prorsus intendentibus in eum, confestim ad imaginem

[Margin notes, right: Verbum Dei non est otiosum sed efficax. — Christus de hominibus solicitus, vt de filiis solent Patres. G — Ioan. 3 a. H — Christus Pictori similis in spirituali homine formãdo.]

[A] ginem suam depingit hominem cœlestem, ex ipso spiritu, ex hypostasi ipsius luminis ineffabilis pingit imaginem cœlestem, cui donat præclarum & bonum illius Sponsum. Si quis ergo spretis omnibus non obnixè intueatur illum, nequaquam Dominus suo ipsius lumine pinget imaginem suam. Quapropter oportet nos qui credimus & diligimus illum, & abiectis omnibus attendimus illi, immotis oculis eum intueri, vt suam ipsius imaginem cœlestem pingat & insculpat animis nostris: quo sic gestantes Christum adipiscamur vitam æternam, & iam ex hoc seculo certiores facti quiescamus. Veluti moneta aurea, nisi insculptam habuerit imaginem regiam, non expenditur in mercaturam, nec reconditur in thesauros regios sed reiicitur; ita quoque anima quæ non habuerit imaginem spiritus cœlestis in lumine arcano, Christum in se insculptum, non est idonea thesauris supernis & repellitur à mercatoribus regni, præclaris Apostolis: etenim qui inuitatus fuerat, non indutus [B] veste nuptiali, tanquam alienus expulsus est in tenebras exteriores, eo quod non gestaret imaginem cœlestem. Illud enim est signum Domini impressum animis, nempè Spiritus arcani luminis. Et quemadmodum mortuus inutilis est, nec iuuat prorsus eos qui hîc viuunt, proinde efferunt illum extra vrbem & mandant humo, sic anima quæ non gerit cœlestem diuinæ lucis imaginem, vepotè vitam animæ, reproba fit & planè reiectitia: Anima siquidem mortua quæ non gestat lucidum ac diuinum Spiritum, Ciuitati illi sanctorum non est idonea, quia sicut in Mundo vita corporis, est anima; sic & in perpetuo cœlestique Mundo, Spiritus diuinus est animæ vita. [*Spiritus Dei, est animæ vita.*] Quocirca conuenit, indagatorem credere & accedere ad Dominum, & inuocare vt ex hoc sæculo consequatur Spiritum diuinum cum ipse sit animæ vita, eaque de causa Dominus venerit, vt hinc animæ vitam conferret Spiritum suum: *Dum enim lucem habetis*, inquit, *credite in lucem, venit nox, quando nemo potest operari.* [Ioan. 12. c. Ioan. 9. c.] Si quis ergo [C] non exquisierit hinc & adeptus fuerit vitam animæ, diuinum lumen spiritus, migrans è corpore, iam segregatur in sinistra tenebrarum loca, in regnum cœlorum non ingrediens, sortitus finem in Gehenna cum diabolo & Angelis eius. [*Quinam, viuis decedentes, saluantur.*] Aut sicut aurum vel argentum iniectum igni, purius & probatius efficitur, nec à quacumque re mutatur vel ligno vel herba, omnia enim quæ applicantur ei, absumuntur, quia vertuntur in ignem: eodem quoque modo anima, in igne spiritus & lumine diuino volutata, nihil damni patitur à quoquam improborum Spirituum: quod si quid accedat ad illam, consumitur ab igne cœlesti Spiritus. Aut veluti volucris quæ in altum volauerit, secura est, aucupes aut nocentes bestias nihil metuens: quia, cum supra sit, omnes habet risui: sic anima alas spiritus adepta, ac in sublimes cœli partes euolans, cum sit excelsior omnibus, omnia deridet. Itaque [Exod. 15.] Israëlitæ quidem secundum carnem, cum tunc Moses scidisset Mare deorsum traiecerunt: hi verò, cum sint filij Dei, sursum deambulant super acerbissimum mare Potestatum [D] peruersarum; nam illorum corpus & anima, facta sunt domus Dei. [Gen. 3. 8.] Die illa qua lapsus est Adam, *accessit Deus deambulans in paradiso*: luxit (vt ita dicam) vbi vidisset Adamum, ac dixit, quibus è bonis talia excitasti mala? Ex qua gloria, talem geris ignominiam? cur tenebrosus es modo? cur aspectu teter? cur exoletus? quali ex lumine tales te obuelauerunt tenebræ? Cum itaque cecidisset Adam, & à facie Domini mortuus esset, luxit illum Creator, Angeli, Virtutes omnes, Cœli, terra, cunctæque creaturæ luxerunt mortem & casum illius, quia viderunt eum qui rex erat datus illis, factum esse seruum aduersariæ peruersæque Potestatis. Suam igitur ipsius animam tenebris induit, tenebris (inquam) acerbis ac [Luc. 10.] diris, cum regi cœperit à Principe tenebrarum. Is erat qui descendens ab Hierusalem in Iericho, vulneratus est [Ioan. 11.] à latronibus ac semimortuus relictus. Quinetiã Lazarus excitatus à Domino, fœtore non modico plenus, ita vt monumento nemo appropinquare posset, erat Adami figura, qui grauis odoris multum asciuit animæ, & caligine tenebrisque obrutus fuit. Porrò tu cum audieris de [E] Adamo, de Vulnerato, & de Lazaro, ne velut in montes dissoluas animum tuum, sed intus in anima tecum habita, quia tu quoque eadem gestas vulnera, fœtorem eundem, ac easdem tenebras. Omnes enim filij sumus obscuri illius generis, omnesque eiusdem grauis odoris participes sumus. Qua igitur affectione laborauit Adam, eadem omnes affecti sumus, qui ex illius semine descendimus. Talis enim contigit affectio, vt Esaias inquit: [Esa. 1, 2.] *Non est vulnus, non est cicatrix, non est plaga quæ saniem emittat, non datur fomentum apponere, vel oleum, nec obligaturam facere*, vulnere vsqueadeò incurabili sauciati fuimus, quod solus Dominus curare potuit. Hanc enim ob causam ille ipse venit, quia nemo ex antiquis, nec lex ipsa, neque prophetæ sanare potuerunt illud: solus ille veniens curauit plagam illam animæ non curabilem. Quare ergo non suscipimus ipsum Deum ac Dominum, medicum verum, qui solus accedēs sanare potest animas nostras, quique nostra causa laborauit vehementer. Pulsat enim perpetuo fores [F] cordium nostrorum, vt aperiamus ei qui ingressus requiescat in animis nostris, cuius etiam pedes abluamus & vngamus, qui mansionem quoque faciet apud nos: siquidem illic exprobrauit Dominus ei qui non lauerat pedes illius: [Luc. 7. 40.] Et iterum alibi dicit, *Ecce, sto ad ostium & pulso, si quis aperit mihi, intrabo ad illum*. [Apoc. 3. d.] Nam propterea multa perpeti voluit, suo ipsius corpore morti tradito nobisque redemptis à seruitute, vt veniens commoraretur apud animam nostram. Quocirca Dominus ait illis qui stantes à sinistris in iudicio, mittuntur ab eo in Gehennam cum diabolo: [Matth. 25. d.] *hospes eram, & non collegistis me, esuriui, & non dedistis mihi manducare, sitiui, & nō dedistis mihi potum.* Esca enim, potus, indumentum, domicilium, & requies eius est in animis nostris, quapropter assiduè pulsat, volens ad nos ingredi. Excipiamus ergo illum, & intra nos introducamus, quia ipse quoque noster est cibus, vita, potus, & vita æterna. Quæcumque itaque anima non susceperit illum intus modò, ac requieuerit, imò potius in ipso refocillata fuerit: hæreditatem in regno [G] cœlorum cum Sanctis non consequetur, nec potest in Ciuitatem cœlestem ingredi. Ipse verò Domine IESV CHRISTE introducito nos in illam gloriam prosequentes nomen tuum, cum Patre & sancto Spiritu, in sæcula; Amen.

FIDELIS ANIMO MVTARI DEBET, & in Deum colligere cogitationes omnes, à quibus verè dependet obsequium diuinum.

HOMILIA XXXI.

CRedentem, à Deo postulare conuenit vt immutetur, intentione sua per mutationem cordis ab acerbitate in dulcedinem immutata: ac in memoriam reuocare quo pacto sanatus est Cæcus, itidem quæ sanguinis fluxum patiebatur, tacta fimbria vestimenti, sanitatem est adepta, [Ioan. 9. Matth. 9.] [H] leonum natura mansuefacta est, & ignis extincta natura. Nam Deus summum bonum est, in quem, mentem & cogitationes colligere debes, aliudque nihil animo complecti quam expectationem eius. Sit igitur anima, veluti quæ filios errantes cogit, & castigans cogitationes per peccatum dissipatas, inducat in domum corporis sui, semper expectans Dominum cum ieiunio & dilectione, quando veniens verè colligat eam. Cum autem futurum sit incertum, eo amplius speret, in Gubernatore spe rectè collocata: ac recordetur quomodo Raab cum Alienigenis agens, credidit Israëlitis eorumque societate dignata est, Israëlitæ verò desiderio reuersi sunt in Ægyptum. [Iosu. 2.] Quemadmodum ergo ipsi Raab nihil nocuit habitare cum Alienigenis, sed fidelem eam reddidit idoneam partibus Israëlitarum, ita peccatum minimè lædit eos qui in spe & fide Redemptorem expectant, qui veniens immutat cogitationes animæ easque facit diuinas, cœlestes, & probas, ac docet animam veram precandi rationem, non distractam, nec errabundam. [Esa. 45. a.] *Ne timeas*, inquit, *ego ante te ibo, & montes adæquabo, portas æneas*

A *conteram, & vectes ferreos confringam.* Et rursum, *Attende tibi ipsi* (ait) *nequando verbum absconditum in corde tuo fiat iniquitas, ne dicas in corde tuo, Gens hæc numerosa est & potens.* Si non teneamur ignauia nec pabula præbeamus inordinatis vitiorum cogitationibus, sed sponte nostra trahamus animum, compellamus cogitationes ad Dominum, proculdubio Dominus sponte sua veniet ad nos, & re vera nos ad seipsum colliget: omnis enim animi gratitudo atque obsequium consistit in cogitationibus. Quare da operam vt placeas Domino, continenter expectans eum interius. Quærito illum in cogitationibus, & vi adigas & compellas tuam ipsius voluntatem & intentionem in illum semper dirigere, ac perpende, qua ratione venit ad te & mansionem apud te facit. Siquidem quantò diligentius colligis mentem tuam ad inquirendum eum, tantò vehementius illius plena miserationum affectio atque benignitas eum cogit vt veniat ad te, & te reficiat: nam fixus intuetur animum tuum,

Obsequiū diuinum pendet à cogitationibus.

B cogitationes, ac meditationes, considerans quo pacto quæras eum, an ex tota anima tua, an non segniter, an non negligenter. Qui cum perspexerit studium quo duceris ad inuestigandum illum, tum emergit & apparet tibi, opem suam impertit, victorem te constituit ac liberat ab hostibus tuis. Inspecto enim prius tuo quærendi illum desiderio, & vt in illo totam fiduciam sine intermissione collocas, docet ille suppeditatque veram precandi facultatem, veram charitatem, qui est ipse apud te factus omnia, paradisus, lignum vitæ, margarita, corona, architectus, agricola passibilis, impassibilis, homo, Deus, vinum, aqua viuens, ouis, sponsus, bellator, arma, omnia in omnibus Christus. Itaque, sicuti pusillus seipsum curare vel ornare non nouit, sed flens dumtaxat oculos in matrem conuertit, donec misericordia mota excipiat illum, ita fideles animæ soli Domino perpetuo fidunt omnem illi tribuentes iustitiam: quia sicut sine vite palmes arescit, eodem etiam modo, qui citra Christum vult

Ioan 10. iustificari. Et quo modo *fur est & latro, qui per ingressum*

C *non intrat, sed ascendit aliunde*; ita, qui sine iustificante seipsum iustificat. Proinde tollamus corpus nostrum, ac ædificemus altare cui superimponamus omnes cogitationes nostras, rogemusque Dominum vt è cœlo mittat inuisibilem & summum ignem qui absumat tum altare, tum omnia quæ in eo sunt, cunctique Sacerdotes Baal (quæ sunt aduersariæ Potestates) ruant. Ac tum sentiemus spiritalem pluuiam velut hominis vestigium venientem in animam, ita vt impleatur in nobis diuina pro-

Amos 9. missio qua dictum est apud Prophetam, *Erigam & reædificabo tabernaculum Dauid, quod collapsum est, & diruta eius reædificabo:* vt sua benignitate Dominus illustret animam in nocte, in tenebris, in ebrietate denique ignorationis agentem, quæ expergefacta, sine offendiculo ambulet peragens diei vitæque opera. Ibi siquidem alitur anima, vbi edit, siue de hoc ipso seculo, siue de spiritu diuino: ibique Deus enutritur, viuit, requiescit, & versatur. Cæterùm si velit, quisque probare seipsum potest, vnde nutriatur, vbi viuat, & apud quos degat, vt hac ra-

D tione, cum intellexerit & exactam discernendi facultatem fuerit adeptus, toto feratur impetu ad id quod bonum est. Porrò dum precaris, attende tibiipsi, maturè obseruans cogitationes & operationes, vndenam sint, à Deo, an ab Aduersario: quisve cordi præbeat alimentum, Dominus an Principes Mundi & seculi huius, Et vt probaueris & cognoueris, ô anima, postula à Domino cum labore & desiderio, cibum cœlestem, incrementum & operationem Christi, iuxta id quod dictum est:

Phil. 3. d. *nostra autem conuersatio in cœlis est*, non est in typo & figura, vt quidam existimant. Nam ecce animus & intellectus eorum qui solam pietatis speciem habent, similis est Mundo: ecce concussio & perturbatio voluntatis eorum, inconstans animus, timiditas, metus, non procul

Gen. 4. b. ab eo dicto, *In angustia & tremore eris super terram.* Siquidem infidelitate & inconstantium cogitationum confusione, quanto tempore perturbantur, vt reliqui omnes homines? Specie tenus dumtaxat & homines externi corporea prosperitate, non etiam animi sententia,

E discrepant à mundo, cum cordis & animi voto volutentur in Mundo, & laqueis terrenis inutiliumque curarum detineantur, pacem cœlestem non habentes in corde quemadmodum Apostolus ait, *& pax Dei exultet in* Col. 3. c. *cordibus vestris:* quæ regnat ac renouat Fidelium animos in dilectione Dei & omni fraternitate. Gloria & adoratio Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in secula: Amen.

GLORIA CHRISTIANORVM MODO *latet in animis eorum, quæ resurrectionis tempore emerget, & illustrabit corpora, pro suo quæque modo.*

HOMILIA XXXII.

Variæ sunt huius Mundi linguæ. Quilibet enim populus propriam linguam habet: Christiani verò vel nunc vnam linguam ediscunt, cunctique sub vna sapientia erudiuntur, nempè sapientia Dei, non huius Mundi neque huius seculi prætereuntis. Ac licèt in hoc Mundo creato ambulent Christiani, surrepta tamen ab his conspicuis occasione, incidunt in nouas visiones cœlestes, in gloriam, & in mysteria. Mansuetorum animalium genera sunt, equus & bos: horum vnumquodque proprium habet corpus & propriam vocem. Idem in bestiis: leo proprium corpus habet, vocem propriam, itidem & ceruus: In reptilibus quoque diuersitas non parua: necnon in Volatilibus & multiplicia sunt corpora. Aliud corpus & vox est aquilæ, & aliud corpus & vox † oxypteri. Eadem reperiuntur in Mari corpora multa inter se dissimilia. In terra etiam multa sunt semina, nihilominus vnumquodque semen, habet peculiarem fructum. Cumque sint arbores permultæ, sunt tamen altiores quædam arbores, aliæ verò humi-

F

† Genus est accipitris.

G liores. Ipsi quoque fructus Autumni multum discrepant, cum eorum quilibet suum habeat gustum. Sunt & inter herbas discrimina multa: hæ quidem conferunt ad sanitatem, illæ verò dumtaxat ad odoris suauitatem. Porrò arborum vnaquæque gestat intus quæ videmus, indumenta, folia, flores, & fructus, itidem semina gerunt interius, ornamenta conspicua. Lilia quoque ferunt intrinsecus tegmina, & exornant herbam. Ad eundem modum è numero Christianorum quicumque iam hinc consequi meruerint cœlestem amictum, illum habent in animis suis commorantem. Et quoniam præfinitum est à Deo, vt dissoluatur hæc creatura, atque cœlum & terra transeant, amictus cœlestis ex hoc iam tempore tegens & illustrans animam, quem quidem in corde possidet, ille etiam nuda corpora quæ resurgent è sepulchris in illa die cum excitabuntur corpora, illa videlicèt circumdabit gloria: illud inquam donum & indumentum inuisibile ac cœleste, quod hinc modo consequuntur Christiani. Quemadmodum au-

H tem oues aut cameli nacti fœnum, voraciter & celeriter accedunt ad pabulum, alimentumque sibi recondunt, & dum esuriunt, illud ipsum è ventriculo reuocant ac ruminant, habentque alimenti vice quod anteà recondiderant, ita nunc etiam quicumque regnum cœlorum rapuerunt, & viuentes in spiritu gustauerunt escam cœlestem, resurrectionis tempore, eundem habent regentem & fouentem illorum omnia membra. Sicut ergo diximus, inter semina discrimen esse: quia semina multiplicia in eandem terram missa, diuersos referunt fructus nullatenus inter se similes, itidem de arboribus, quasdam esse proceriores, alias minores, vnam autem terram radices omnium complecti: sic Ecclesia cœlestis, cum sit vna, numerari nequit, quisque verò peculiariter exornatur à gloria Spiritus. Nam sicut aues, pennarum indumenta producunt è corpore suo, quæ alioqui multum inter se differunt, eo quod quædam propius terram volant, aliæ petunt aëra: aut sicuti cœlum vnum est, multas in seipso habens

stellas,

A ftellas, quafdam fplendidiores, alias maiores, alias autem minores, vniuerfæ tamen in cœlo fixæ funt: ad hunc modum, Sancti in vno cœlo diuino, & inuifibili terra variis modis plantati funt. Similiter quæ obueniunt Adæ cogitationes diuerfæ funt: at fpiritus ad cor accedens, cogitationem vnam & vnum cor efficit, quia qui furfum funt, & qui deorfum, ab vno reguntur fpiritu. Quid verò fibi volunt animalia vngulam diuidentia? *Leu. 11.* Siquidem duobus vnguibus celeriter viam conficiunt, pofita funt in figuram eorum qui in Lege rectè ambulant. At quomodo corporis vmbra hortum habet ab ipfo corpore, carnis tamen officium implere nequit, nam alligare vulnera, efcam præbere, vel loqui non poteft vmbra, etfi manat à corpore, præcedenfque declarat corporis præfentiam: eodem modo lex vetus eft vmbra noui Teftamenti, prænunciat autem vmbra veritatem, non tamen fuppeditat fpiritum. *Lex vetus eft vmbra noui Teftamenti.* Non poterat enim Mofes carnem indutus, penetrare cor & auferre fordida veftimenta tenebrarum, fed fpiritus dumtaxat, à fpiritu, & ignis, ab igne tollit vim peruerfæ caliginis. B Itaque Circumcifio quæ vigebat in vmbra Legis, innuit appropinquantem veram cordis Circumcifionem: & Baptifma Legis, eft vmbra rerum verarum, quoniam illud abluebat corpus, hoc autem Baptifma fpiritus & ignis purgat, & abluit fordibus infectum animum. Illic Sacerdos circundatus infirmitate, ingrediebatur in Sancta, offerens hoftias, tum fuiipfius, tum populi caufa, hic autem verus Pontifex Chriftus femel ingreffus eft in tabernaculum non manufactum, & fupernum altare, paratus eos purgare, qui poftulauerint ab eo, & inquinatas confcientias: Inquit enim, *vobifcum fum vfque ad confummationem feculi.* *Matt. 28 d.* Habebat in pectore Pontifex duos lapides pretiofos continentes nomina duodecim Patriarcharum: *Exo. 39. 10.* quod illic fiebat, eft figura, quia fic etiam Dominus duodecim Apoftolis amictus, mifit eos vt Euangeliftas & præcones vniuerfi mundi. Vides, quemadmodum vmbra, proximè veritatem indicet? C Porrò ficut vmbra nihil confert, nec medetur laboribus, fic antiqua lex, animæ vulnera moleftiafque fanare non potuit, quia vitam non habebat. Duæ enim res copulatæ, rem quampiam perfectam reddunt: verbi gratia, duo Teftamenta. *Binarij numeri perfectio.* Homo factus eft ad imaginem & fimilitudinem Dei, duos habet oculos, duas nares, duas manus, & duos pedes: cui fi contingat monoculum effe vel mancum, vel altero pede carere, quafi culpandus habetur. Aut veluti volucris vnicam habens alam, hac fola volare non poteft: fic etiam natura humana fi nuda per fe maneat & non mifceatur ac particeps fiat naturæ cœleftis, nihil præclarum efficit, fed nuda manet in fua natura & fordibus multis, reprehenfioni obnoxia. Ipfa enim natura, Dei templum ac domicilium & fponfa Regis denominata eft. Siquidem ait, *Inhabitabo in illis & inambulabo*: *Leu. 26. b 2. Cor. 6. d.* ita Deo placuit, vt defcendens è cœlis fanctis naturam tuam rationalem affumeret carnemque terrenam, quam cum fpiritu fuo diuino contemperauit, quo tu quoque terrenus animam cœleftem fufciperes; D cumque anima tua fpiritui copulata, & anima cœleftis animam tuam ingreffa effet, tum homo perfectus in Deo, hæres, & filius effes. *Quomodo homo perfectus euadit.* At verò quomodo maieftatem Dei incomprehenfamque naturam eius, neque fuperiora fecula capiunt, neque inferiora, ita humilitatem Dei, quaue ratione cum fimplicibus & paruis fe demittit, nec fuperiores nec inferiores Mundi confequi poffunt: vt enim magnitudo eius non comprehenditur, ita nec humilitas eius. Contingit itaque, vt fi Deus cum difpenfatione permittat te fubiici tribulationibus, paffionibus, & ftigmatibus, aliifve quæ putas aduerfa, hæc animæ tuæ gratia fiant. Si in mundo verfari conftituas & ditefcere, omnia tibi fuccedunt infeliciter, tum incipis apud teipfum ratiocinari: quia non fui voti compos in Mundo, decedo ac renuntio, Deoque inferuiam. Deinde cum huc perueneris, audis præceptum quo dicitur, *Vende quæ habes*: *Matth. 19. c.* odio profequitor carnale commercium, inferuito Deo. Tum incipis gratias agere de aduerfa fortuna quam paffus es in Mundo, inquiens: Sanè illius occafione reperior obfequi mandato Chrifti. E Supereft, vt cum ex parte mutaueris animum tuum quantum ad res externas, relicto Mundo & focietate carnali, ita quoad ea quæ fpectant ad animum, immuteris à fapientia carnis in cœleftem fapientiam. Deinceps ex eodem auditu difcretione pollere incipies, nec vltra quiefces, fed hoc curabis folum & elaborabis, vt confequare quod audieris. Cum exiftimaueris te peregiffe omnia, quia renuntiaueris: loquetur tecum Dominus: quid gloriaris? nonne corpus tuum & animam ego creaui? quid tu fecifti? Incipiet anima confitendo deprecari Dominum, ac dicere: nempè tua funt omnia, domus in qua habito tua eft, indumenta mea, tua funt, beneficio tuo nutrior & abs te gubernor, provt omnino expedit. Tum ad hæc dicere Dominus incipiet: habeo tibi gratiam, opes tuæ funt, voluntas bona tua eft, ob tuum in me amorem: quoniam ad me confugifti, accede, dabo tibi præterea quæ nec tu hactenus poffedifti, nec habent qui fuper terram funt homines: accipito me Dominum tuum tum anima tua, vt perpetuo mecum lætetur & exultet. F Nam ficut mulier viro defponfata, præ fummo amore, omnes facultates fuas dotemque vniuerfam offerens, proiicit in manus viri, hifce verbis, Nihil habeo, quod fit meum, quæcumque poffideo, tua funt, etiam dos eft tua, & anima mea itemque corpus meum tuum eft: *Mulier nuptura abrenunciat facultatibus fuis.* ita temperans anima, eft virgo Domini, focietatem habens cum fancto eius Spiritu. *Difciplina militia Chriftiana.* Verum qua ratione cum veniffet ille fuper terram, paffus eft & crucifixus, fic te fimul pati conuenit. Itaque vbi receffcris à Mundo, ac cœperis quærere Deum & difcernere, reliquum eft vt pugnes cum natura tua, cum antiquis moribus, cum innata tibi confuetudine. Ac dum luctaberis aduerfus confuetudinem, reluctantes tibi inuenies cogitationes, repugnantes animo tuo, quæ quidem cogitationes trahent te, & euagari te facient circa ea quæ fubiacent oculis vnde exiuifti. *Cogitationum pugna in his qui feculo abrenuntiauerunt.* Tum incipies certare ac bellum gerere, cogitationes mouens aduerfus cogitationes, mentem contra mentem, animam aduerfus animam, fpiritum contra fpiritum. G Illic etiam æterna præfto eft anima: latet enim occulta quædam & fubtilis facultas Tenebrarum, infidens cordi. *Deus fpiritualis hominum certaminis fpectator.* Dominus quoque non procul exiftens ab anima & corpore tuo, fpectator eft certaminis tui: qui fecretas cogitationes cœleftes ingerit tibi, & clam te refocillare incipit, dimittit autem te, donec erudiaris, & in ipfis afflictionibus gubernat te gratia, quæ vbi quieueris à pugna, tibi feipfam aperit, & declarat fe commodi tui gratia permififfe, vt exercearc. Veluti cum locupletis viri puer habuerit pædagogum, tamdiu loris cædit ille puerum, caftigatioque, vulnera, & plagæ grauia illi videntur donec euadat in virum, quo tempore, pædagogo gratias agere incipit: haud aliter gratia cum difpenfatione inftruit, donec ad annos perfecti viri peruenias. Agricola femen in quamcumque partem iacit: & qui plantat vineam, defiderat vt tota fructum afferat, pofthæc ergo allata falce fi non reperiat fructum, angitur: H eadem ratione Dominus verbum fuum feminari vult in cordibus hominum: & quo modo mœret colonus ob agrum inanem, ita molefte fert Dominus, fi cor inane & fructibus vacuum inuenerit. Vt venti perflant vbique cunctas creaturas, Sol item vniuerfam terram illuftrat: haud fecus vbique Deus eft, & vbique reperitur. Si quæras illum in cœlis, illic inuenitur in animis Angelorum: fin illum quæras in terra, hic quoque reperitur in cordibus hominum. Cæterum è multis pauci reperiuntur Deo grati Chriftiani. Gloria & magnificentia Patri, & Filio, & Spiritui fancto, in fecula: Amen.

A

QVAM ATTENTE DILIGENTERQVE precandum sit.

HOMILIA XXXIII.

PRecari debemus, non ex ritu corporeo, neque pro more vociferandi, aut ex consuetudine tacendi, genuave flectendi, sed diligenter animum attendentes, expectare debemus Deum, quando aderit & visitabit animam per omnes egressiones, per semitas eius, ac sensuum organa: & ita doceat quando tacendum sit, quando clamandum & cum vociferatione deprecandum, modo mens sit in Deum firmata. Vt enim corpus cum operatur quippiam, totum prorsus occupatum incumbit operi, cunctaque ipsius membra se mutuo iuuant: eodem modo anima tota penitus deuoueatur Domino, postulationi, & charitati, quæ non vagetur, neque circumferatur cogitationibus, & spem in Christo collocatam habeat. Tum illucescet ille, veramque docebit petendi rationem, & suppeditabit orationem putam, spiritalem, & Deo dignam, & quæ sit in spiritu & veritate adorationem. Porrò sicut is qui mercatoriam artem elegit, non vnicum dumtaxat lucrandi genus excogitat, sed qua ratione vndecumque augeat & cumulet, & ab hac in aliam traducitur industriam, & inde aliud iter arripit, ac transiliens semper ab eo quod nihil confert, currit ad id quod est quæstuosius: haud secus etiam nos animam nostram variè necnon artificiosè præparabimus, quo verum ac magnum lucrum consequamur, nempè Deum, qui doceat nos in veritate precari. Hoc enim pacto requiescit Dominus in bono animæ proposito, constituens illam thronum gloriæ, insidens & conquiescens in ea. Nam hoc ipsum etiam apud Ezechielem Prophetam audiuimus, de spiritalibus animalibus Currui Dominico subiugatis quæ tota oculata se nobis exhibent, cuiusmodi est anima quæ Deum portat, imò potius quæ portatur à Deo, fit enim tota, oculus. Ac veluti domus quæ præsentem habet Dominum, per omnia benè composita est, pulchra & decora: sic anima quæ Dominum suum apud seipsam habet, & in se manentem, omni genere pulchritudinis & decoris abundat, quippè quæ Dominum cum spiritalibus eius thesauris inhabitantem habeat & aurigam. Væ domui, à qua peregrinatur, cuive non adest Dominus, quia deserta est, diruta, omni immunditia & perturbatione plena, eo quod illic, ex sententia Prophetæ, Sirenes habitent & dæmonia. Siquidem à domo deserta, feles, canes, & omne genus sordium non abest. Væ animæ quæ à graui lapsu suo non resurgit, & habet intra se qui suadeant ei & compellant eam à suo ipsius Sponso diffidere, qui etiam velint eius animi sensa de Christo corrumpere. Cum autem Dominus viderit eam sese pro viribus colligentem, semper Dominum quærere, noctu diuque expectare, inuocantem ipsum in omni negotio, sine intermissione (quemadmodum iussit) deprecari, vindicabit illam vt pollicitus est: & cum expurgauerit eam ab omni vitio eius, irreprehensibilem & immaculatam sponsam ipse sibi constituet illam. Porrò si credis hæc esse vera, sicuti certè sunt, ipse te consule num anima tua lumen illud diligens, eam nacta sit veram escam & potum qui quidem est Dominus: quem si non habes, quærito noctu diuque, vt consequare. Cum ergo solem spectaueris, verum Solem indagato, cæcus enim es. Cum lumen inspexeris, animam tuam examinato an verum & bonum lumen adeptus es: nam omnia ante oculos posita, sunt vmbra rerum verarum ad animam pertinentium. Quia præter hunc hominem conspicuum, est alius interior homo, & alij oculi, quos excæcauit Satanas, & aures, quas surdas effecit: Itaque venit Iesus, ad sanandum hunc interiorem hominem. Cui gloria & imperium cum Patre, & Spiritu sancto, in sæcula: Amen.

B

Anima saluandæ ratio, negotiationi similis.

Ezech. 1. & 10.

C

D

Res sensibiles sunt vmbra rerum spiritualium.

E

DE GLORIA CHRISTIANORVM illis non ignota.

HOMILIA XXXIV.

QVemadmodum oculi corporei clarè cernunt omnia: ita Sanctorum animis manifesta sunt & conspicua diuinitatis ornamenta, quibus permixti Christiani sapiunt. Verum illa gloria latet oculos corporeos; credenti verò animæ perspicuè reuelatur, quam Dominus morti traditam suscitat à peccato, non aliter quam excitat corpora mortua: præparatque illi cœlum nouum, terram nouam, ac Solem iustitiæ, & è sua diuinitate cuncta illi largitur. Ipse est Mundus vetus, terra viuens, vitis fructifera, panis vitæ, & aqua viuens, vt scriptum est; *Credo videre bona Domini, in terra viuentium.* Et iterum; *Orietur timentibus Dominum Sol iustitiæ & sanitas in alis eius.* Dominus etiam inquit, *Ego sum vitis vera:* Et iterum, *Ego sum panis vitæ:* Et rursum, *Qui biberit ex hac aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Aduentus enim Domini fuit prorsus in gratiam hominis qui mortuus iacebat in sepulchro tenebrarum, peccati, spiritus impuri, & peruersarum Potestatum: vt nunc in hoc seculo resuscitet ac viuificet hominem, expurget ab omni nigredine, illuminet eum suo lumine, & operiat eum suiipsius diuinis & cœlestibus indumentis. Quando verò corpora resurgent, quorum ante resurrexerint & illustratæ gloria fuerint animæ, tunc illorum etiam corpora pari dignabuntur gloria, & illustrabuntur cum anima quæ ex hoc iam tempore lumine splenduerit & gloria. Dominus enim est illorum domus, tabernaculum, & ciuitas: domicilio cœlesti, non manufacto protecti sunt, vtpotè gloria luminis diuini, vt filij lucis effecti. Non sese prauo spectabunt oculo, quia sublata est nequitia. *Non est illic masculus, & fœmina, seruus, & liber:* nam omnes in naturam diuinam transmutantur, benigni, Dij, & filij Dei facti. Ibi frater cum sorore sine vllo pudore tunc pacificè loquetur, omnes enim vnum sunt in Christo, & omnes in vno lumine conquiescunt. Attentus erit alter in alterum, & interea confestim in veritate fulgebunt, in vera contemplatione luminis arcani, adeò multiplicibus figuris, multis & variis splendoribus diuinis ornatos sese mutuò intuebuntur. Obstupescet vnusquisque, animaduersa alterius gloria, & exultatione indicibili exultabit. Vides, quo pacto gloria Dei, quæ est luminis arcani, æternorum mysteriorum & bonorum innumerabilium verbis explicari aut comprehendi nequit? Non aliter quam in rebus conspicuis, plantas, semina, & flores terræ varios, numero consequi nemo potest: neque fit, vt quis metiri possit aut scire cunctas opes terræ: aut velut auium per aëra volantium numerum, genera, aut varietates nosse non conceditur: aut qua ratione, cœli magnitudinem, vel situm stellarum, aut cursum earum consequi non possumus, ita fieri nequit, vt enarrentur verbis aut explicentur infinitæ & incomprehensæ Christianorum diuitiæ. Nam si creaturæ istæ tanto & hominibus incomprehensæ sunt in numero, quanto magis qui creauit & condidit illas? Debet igitur quispiam exultare vehementius & lætari de tantis opibus, tantaque hæreditate Christianis præparata, nempè quæ nemo recensere possit aut enarrare. Porrò omni studio atque humilitate accedendum est ad Christianorum certamen, vt inde consequi possimus diuitias illas, siquidem hæreditas & pars Christianorum est ipse Deus: *Dominus*, enim (ait) *pars hæreditatis meæ & calicis mei.* Gloria sit ei qui seipsum donat, suamque sanctam naturam permiscet animis Christianorum, in secula: Amen.

G

Ps. 26. d.
Mal. 4. a.
Ioan. 15. a.
Ioan. 6. d
Ioan. 4. b.

Corporum gloria post Resurrectionem.

Gal. 3 d.

H

F

Ps. 15. b.

A

DE SABBATO ANTIQVO & Nouo.

Auctor in hac homilia, & aliis locis videtur inducere apathiam illam, quando anima vi gratiæ Dei ad eam peruenit impassibilitatem, vt nullo vnquam afficiatur sensu fomitis, seu passione aliqua appetitus, quasi in ipsa nullus vnquam exurgat motus, nullus conflictus carnis, & spiritus, prorsus sopito, vel extincto peccati fomite. Quem errorem in Euagrio, Pontico, Ruffino, Iouiniano, & aliis Origenistis, & Pelagianis sæpissimè damnat S. Hieronymus, *Vide quæ notamus infrà in hoc sæculo in Euagrio.* Verum si homiliæ istæ genuinæ sunt Macarij, nec ab Hæreticis Origenistis, vel Pelagianis deprauatæ: dicemus planè S. Macarium non stabilire apathiam simpliciter; sed quantum pro ratione huius vitæ nostræ, & status viatorum fieri potest: nempè esse quosdam viros, qui exercitio præstanti virtutum continenter carnem domant, ac validè frænant, exurgentesque rebelles appetitus motus compescunt, vt nunquam (præuia Dei gratia) ad consensum lethalis criminis pertrahantur, eam quandoque tranquillitatem adepti, vt paucissimi in ipsis inordinati impulsus excitentur. Et hoc esse mysticum animæ Sabbatum, quod virtute Christi in hac vita, & sub lege Euangelica

B

inchoatur, in beata verò Gloria plenè complebitur. Nam simpliciter in aliquo Sancto sopiri, vel largiri, vel extingui peccati fomitem, vt nunquam, nec venialiter peccent, esse singulare Dei priuilegium, nec vlli nisi B. Deiparæ concessum e summo consensu docent Theologi, & contrarium asserere, nisi forsan de S. Præcursore, temerarium, & erroneum censent, *Vide S. Thomam. 1.2. q.109. art.8. eiusque interpretes.* Regreditor ad ea quæ notauimus initio harum homiliarum.

HOMILIA XXXV.

Exod.16. Deut.5. *Sabbatű Animæ.*

IN vmbra legis per Mosem datæ, iussit Deus vnumquemque Sabbato quiescere, ac nihil agere: hòc autem præfe ferebat figuram & vmbram veri Sabbati quod animæ donatur à Domino. Nam anima quæ liberari meruit ab obscœnis & sordidis cogitationibus, verum Sabbatum celebrat, & veram quietem requiescit, otium agens & liberata à cunctis operibus tenebrosis. Siquidem illic; etsi corpore quiescebant vt Sabbatum typicum celebrarent, animæ tamen erant nequitiis ac vitiis illigatæ. Hoc autem verum Sabbatum est, vera requies animæ quæ vacua est & expurgata à cogitationibus Satanæ conquiescit in perpetua quiete & lætitia Domini. Quemadmodum itaque cum edixit, vt vel ipsa animalia ratione carentia quiescerent Sabbato; ne bos sub iugum necessarium traheretur, neve asinus grauaretur oneribus (siquidem etiam ipsa animalia quiescebant à duris operibus) ita Dominus cum venisset, & verum æternumque contulisset Sabbatum; recreauit animam grauatam & onustam oneribus iniquitatis & immundarum cogitationum; quæ iniqua necessariò admittebat opera, veluti sub acerborum dominorum seruitutem redacta: & leuauit eam oneribus ægrè tolerabilibus, vanis & sordidis cogitationibus, sub lato graui iugo iniustorum operum, ac refecit eam, impuris cogitationibus laborantem: Vocat enim Dominus hominem, ad recreationem, dum ait, *venite omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Quæcumque itaque animæ credunt, & accedunt, recreat eas ab his molestis, grauibus & immundis cogitationibus: quæ omni iniquitate vacuæ celebrant Sabbatum verum, deliciarum plenum & sanctum, peragunt festum spiritus lætitiæ & exultationis inenarrabilis & ex puro corde seruiunt mundum & Deo gratum seruitium. Istud est verum ac sanctum Sabbatum. Quare nos quoque inuocemus Deum, vt ingrediamur in illam requiem, vt desistamus à fœdis, peruersis & vanis cogitationibus: quo sic possimus ex mundo corde seruire Deo, festumque Spiritus sancti celebrare. Beatus ergo, qui ingressus est in illam requiem. Gloria Patri, cui sic visum est, & Filio, ac Spiritui sancto, in secula: Amen.

C

Matth. 11.5.

D

E

DIVERSA EST RESVRGENTIVM Gloria.

HOMILIA XXXVI.

ANimarum mortuarum resurrectio fit ex præsenti tempore, resurrectio vero corporum, in illa die. Atqui sicut in cœlo quæ sunt stellæ; non sunt omnes æquales, sed vna differt ab altera, splendore ac maiestate: sic in rebus spiritualibus, pro modò fidei süt promotiones in ipso spiritu, vnusque altero locupletior est. Scriptura etiam ait: qui loquitur lingua, Spiritu Deo loquitur: hic qui cum Deo loquitur, spiritalis est: Qui verò Prophetat, Ecclesiam ædificat: iste abundantiam adeptus est gratiæ, Ille enim seipsum dumtaxat ædificat, hic autem seipsum & Proximum. Hoc porrò se habet, vt granum frumenti terræ mandatum: Idem ex vno corde, plura diuersaque grana producit. Item ex ipsis spicis, aliæ ampliores, aliæ tenuiores, vniuersæ tamen in vnam congregantur aream & horreum: ac licèt discrepent, ex ipsis conficitur vnus panis. Aut sicut in ciuitate sunt hominum multitudines: nonnulli sunt pueri pusilli, alij autem viri vel adolescentes, cuncti vero bibunt aquam ex eodem fonte, vno pane vescuntur, vnum spirantes aërem. Aut velut inter lucernas, hæc habet duo luminaria, illa verò septem, & alicubi maior est copia lucis, & aliter illuminat: ita qui sunt in igne & lumine, in tenebris esse nequeunt, plurimum tamen inter se discrepant. Nonaliter, quam si pater quidam duos habeat filios: vnum puellum, alterum adolescentem: hunc quidem in vrbes & regiones mittit, pusillum autem semper tuetur, qui nihil potest agere. Gloria Deo: Amen.

1.Cor.14. a.

F

Homiliam 37. cuius Argumentum est, de Paradiso & Lege spiritali, hoc loco prætermisimus quod integra habeatur inter Marci Eremitæ Opuscula.

G

EXACTO OPVS EST IVDICIO IN discernendis veris Christianis, & quinam sint illi.

HOMILIA XXXVIII.

EXistimantur multi esse Christiani, quod appareant iusti: sed artificum est peritorum, iudicare num tales verè signum & imaginem Regis habeant, an quoquo modo adulterata sint artificum opera, an admirentur artifices & redarguant. Quod si defuerint eius artis periti, dolosi fabricatores argui non poterunt: nam ipsi quoque solitariè viuentium seu Christianorum habitum gerunt. Siquidem Pseudoapostoli pro Christo patiebantur, & regnum cœlorum annuntiabant: propterea inquit Apostolus: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum:* volens ostendere, se grauiora passum esse, quam ipsi. Aurum facilè reperitur, margaritæ verò & lapides pretiosi, qui faciant ad diadema regium rarius inueniuntur, frequenter enim ex eis non reperias qui conferant: eodem etiam modo, Christiani in construenda corona Christi, vt animæ illæ sanctorum euadant sociæ. Gloria sit ei qui vsque adeò dilexit ipsam animam, & pro illa passus est, illamque suscitauit a mortuis. Quemadmodum vultui Mosis iniiciebatur velamen, ne populus intendere posset in faciem eius, ita nunc cordi tuo superpositum est velamen, ne possis intueri gloriam Dei: cum autem illud ablatum fuerit, tum apparet ac manifestat seipsum Christianis, & iis qui diligunt illum & exquirunt in veritate, vt inquit: *manifestabo ei meipsum, & mansionem apud eum faciam.* Omni igitur studio accedamus ad minimè mendacem Christum, vt consequamur promissionem & nouum testamentum quod per crucem & mortem renouauit Dominus, effractis Inferni peccatique foribus: & eduxit animas fideles quibus donauit interius Paracletum,

Pseudoapostoli patiebantur pro Christo.

H

2.Cor. 11.c.

Exod.34 2.Cor 3.

Ioan.14. c.

A & reduxit eas in regnum suum. Regnemus ergo cum illo in Hierusalem ciuitate ipsius, in Ecclesia cœlesti, in choro sanctorum Angelorum. Fratres autem qui ex longo tempore exercitati sunt & probati, possunt opem ferre rudibus & compati: quidam enim seipsos securos existimarunt, & Dei gratia permoti, adeò sanctificata membra sua repererunt, vt cupiditatem in Christianum cadere nullo modo putarent, sed cum castam & puram obtinere mentem, in reliquo interiorem hominem à diuinis & cœlestibus pendere, ita vt arbitrarentur, talem perfectam mensuram iam attigisse & ad portum tranquillum appulisse. Porrò insurrexerunt fluctus in eum, vt denuò inuentus sit in medio pelago illucque delatus, vbi mare, cœlum & mors instabant, adeò peccatum ingressum produxerat omnem malam cupiditatem. Rursum verò tales aliqua dignati gratia, & (vt ita dicam) è profundo maris, quibusdam guttulis irrorati, hoc ipsum singulis horis repériunt: tantamque quotidie & tam admirandam operationem fieri, vt qui eam experitur, ob inopinatam, peregrinam, & diuinam effectionem obstupescat & admiretur qua ratione deceptus sit. Cæterum gratia (per omnia) diuina cœlestisque ipsum illuminat, deducit, placatum reddit, & amplificat, vt reges, potentes, sapientes, & qui pollent dignitatibus, si conferantur cum illo, minimi vilesque putentur. Aliquanto verò post tempore vel hora, res immutantur, vt is seipsum re vera grauiorem peccatorem omnibus hominibus arbitretur: alia rursus hora seipsum videat veluti regem maximum & ingentem, aut potentem Regis amicum, è diuerso, alia hora seipsum infirmum & pauperem spectet. Præterea labitur in perplexitatem animus, quamobrem sic, & rursum sic, quia Satanas cum oderit quod bonum est, mala suggerit his qui virtutem spectantur, & conatur eos auertere: hoc enim illius est opus. Tu verò illi ne subiicitor, sed versare circa iustitiam quæ in interiori homine perficitur, in quo altare Christi consistit cum impolluto Sanctuario, vt testimonium conscientiæ tuæ glorietur in cruce Christi qui emundauit conscientiam tuam ab operibus mortuis, vt spiritu tuo seruias Deo, vt noris quid adoras, ex sententia eius qui dixit, *Nos adoramus quod scimus.* Confide dirigenti te Deo: cum Deo consortium habeat anima tua, vt sponsa consuetudinem habet cum sponso. *Mysterium enim* hoc *magnum est* (ait) ego verò dico, inter Christum & animam immaculatam: Cui gloria in sæcula: Amen.

Quidam adeo mortificati, vt putarint cupiditatem non cadere in Christianum.

B

C

Ioan. 4. c.

Ephes. 5. g.

AD QVID SCRIPTVRA DIVINA nobis donata est à Deo.

HOMILIA XXXIX.

QVemadmodum Rex qui scribit literas ad eos quibus codicillos & peculiaria munera largiri desiderat, edicit omnibus: nempè. Satagite quamprimum ad me venire, vt accipiatis à me regia dona, qui nisi venerint & acceperint, nihilo melioris conditionis erunt quod has legerint epistolas, imò potius capitali supplicio tenebuntur, quod venire neglexerint, & à manu regia honorarium consequi. Hunc in modum, Rex Deus misit hominibus Scripturas diuinas, velut epistolas, quibus significauit, vt inuocantes Deum & credentes postulent & accipiant donum cœleste, ex hypostasi diuinitatis eius. Scriptum est enim, *quo fiamus diuinæ consortes naturæ.* Quod si non venerit homo, non poposcerit, nec acceperit, nihil iuuabit quod legerit Scripturas: quinimò plectendus est morte, quod à Rege cœlesti donum vitæ capere noluerit, sine quo vitam immortalem consequi nemo potest, quæ est Christus, cui gloria in secula: Amen.

Scripturã sacram legisse nil iuuat, D nisi salutem petamus & accipiamus à Deo.

2. Pet. 1. a

E

VIRTVTVM INTER SE COLLIGATIO, itidem vitiorum.

HOMILIA XL.

DE exteriori exercitatione quodnam institutum sit potius & primum, hoc scitote (dilecti) virtutes omnes inter se colligatas esse, tanquam enim catena quædam spiritalis, vna dependet ab altera: precario à dilectione, dilectio à gaudio, gaudium à mansuetudine, mansuetudo ab humilitate, humilitas ab obsequio, obsequium à spe, spes à fide, fides ab auditu, auditus à simplicitate: haud secus quam in aduersaria parte, vitia dependent vnum ab altero, odium ab ira, ira à superbia, superbia à vana gloria, vana gloria ab infidelitate, infidelitas à duritia cordis, duritia cordis à negligentia, negligentia ab ignauia, ignauia ab acedia, acedia ab impatientia, impatientia à voluptate, & reliqua vitiorum membra inuicem dependentia. Ita etiam circa bonam partem, virtutes à se mutuo manent & dependent: Caput autem totius boni instituti ac vertex honestarum actionum, est perseuerare in oratione, cuius beneficio reliquas etiam virtutes, postulantes à Deo, quotidiè obtinere possumus. Nam inde nascitur his qui digni habentur, communicatio diuinæ sanctimoniæ spiritalisque energiæ, & conuexio affectionis animi per dilectionem arcanam cum Domino. Qui enim se compellit quotidiè ad perseuerandum in Oratione, à spiritali dilectione accenditur in amorem diuinum & desiderium ardens erga Deum, & gratiam perfectionis Spiritus sanctificantis suscipit.

Virtutũ catena.

Vitiorum catena.

F

Orationis beneficio possumus obtinere virtutes omnes.

Interrogatio. Cum quidam vendant facultates suas, seruos manumittant, & obseruent mandata, non tamen quærant accipere Spiritum in hoc mundo, an qui sic viuunt, non abeunt in regnum cœlorum?

Orationis perseuerãtia, Dei charitas augetur.

Responsio. Disputatio hæc subtilis est: quia nonnulli † vnicum regnum, & vnicam Gehennam esse aiunt: nos autem, multos gradus & differentias atque mensuras esse dicimus, tum in ipso Regno tum in ipsa Gehenna. Itaque quo pacto anima, cum sit vnica in omnibus membris, sursum in cerebro vim suam exerit, ac deorsum agitat pedes: ita etiam diuinitas continet omnes creaturas, tam cœlestes quam quæ subiacent abysso: & vbique plenè est in Creaturis, quamuis aliena sit ab eis, vtpotè dimensionis & comprehensionis expers. Considerat igitur homines ipsa diuinitas, & cum ratione gubernat omnia. Et quia nonnulli precantur, ignorantes quid quærant, quidam ieiunant, alij perdurant in ministerio, Deus qui iustus est iudex, vnicuique pro modo fidei reddit mercedem. Quæ enim faciunt, metu Dei agunt, at non omnes isti sunt filij, reges, aut hæredes. Porrò in seculo alij sunt homicidæ, alij stupro dediti, alij raptores, contra nonnulli sua pauperibus erogant: hos & illos pensat Dominus, ac benè agentibus quietem & præmium largitur. Siquidem sunt superfluentes mensuræ, sunt & exiguæ. Ac in ipso lumine & gloria sunt discrimina. Item in ipsa Gehenna & supplicio inueniuntur venefici, alij latrones, & alij qui leuius deliquerunt. Qui verò vnicum inquiunt esse Regnum, & vnicam Gehennam, nec vllos esse gradus, malè dicunt. Quot enim modò seculares spectaculis hærent, & aliis rebus inhonestis? quot item nunc sunt, qui deprecantur ac metuunt Deum? hos igitur & illos attendit Deus? & tanquam iustus iudex præparat his quietem, illis vero supplicium. Porrò sicut homines qui aptant equos curribus, agitant habenas, & in se mutuò impellunt (nam quisque contendit, quo pacto prosternat & superet aduersarium) ita se habet in corde certantium, spectaculum improborum Spirituum cum anima luctantium, Deo & Angelis certamen spectantibus. Itaque singulas in horas interius tum ab anima tum à vitio procreantur multæ recentes cogitationes: etenim anima reconditis abundat cogitationibus, quas ad horam ipsam producit & gignit.

G

† Vnicum accipe pro vniformi & pari.

H

Beatitudinis & Gehennæ plures sunt gradus.

Noua in singulas horas in Anima nascuntur cogitationes.

A Itidem ipsum virium permultas habet cogitationes & studia, quin ad horam nouas molitur cogitationes aduersus animam, quia mens est auriga quæ aptat currum animæ, tenens cogitationum habenas: & currit illuc contra currum Satanæ, vbi etiam ipse currum iunxit aduersus animam.

Interrogatio. Si quies est anima, quo pacto dicunt aliqui non posse nos orare, nec permanere in oratione?

Responsio. Requies ipsa si affluat, affectum misericordiæ aliaque obsequia suppeditat: verbi gratia, visitandi fratres, inseruiendi verbo. Ipsa quoque natura desiderat progredi, & fratres inuisere, necnon loqui verbum. Siquidem nihil est, quod in ignem proiectum, naturam suam seruet: sed ipsum in ignem verti necesse est. Veluti si lapillos mittas in ignem, modicum viuæ calcis oritur. Sin mittas in mare quempiam, accidit frequenter, vt demergatur & abeat in medium mare, vndisque obruatur, nec vltra appareat. Qui verò gradatim ingre-
B ditur, iterum ascendere cupit, adnauigare, & ad portum regredi, vt inuisat in terra degentes homines. Non aliter in re spirituali, si quis ingrediatur profundum gratiæ, adhuc tamen meminit sociorum suorum. Quinetiam ipsa natura desiderat ad fratres accedere, implere charitatem, & confirmare verbum.

Interrogatio. Quî possunt duæ personæ, gratia & peccatum, in corde consistere?

Responsio. Quemadmodum igni circa vas æneum exterius apposito, si subieceris ligna, accenditur: & quod intra vas est, coquitur & feruet, igne extrinsecus accenso: sin minus ligna submittas, incipit ignis tepescere & propemodum extingui: ad hunc modum gratia, quæ est ignis cœlestis, intra te est: postmodum si precatus fueris, & contuleris cogitationes tuas ad diligendum Christum, quodammodo ligna subiecisti: & cogitationes tuæ conuertuntur in ignem, & desiderio Dei tinguntur. Quod si subtrahat se spiritus, quamuis sit extra te, nihilominus etiam est intra te, & extra te apparet. At
C verò si quis ignauia laborans, paulatim rebus secularibus & occupationibus seipsum trahat, denuo vitium accedit, & complectitur animam, totumque hominem incipit affligere. Memor ergo anima requieris pristinæ, angi incipit, & diutius lugere calamitatem suam. Iterum intendit animus in Deum, prior quies illi cœpit appropinquare, vehementius inquirere occipit, Deprecor te domine, ait: paulatim additur ei ignis accendens & recreans animam: ac velut hamus è profundo piscem paulatim extrahit. Nisi enim hoc fieret, ac gustaret amaritudinem & mortem, quî discernere posset amarum à dulci, & mortem à vita, & gratias agere viuificanti Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in sæcula, Amen.

QVAM PROFVNDA SINT ANIMÆ Penetralia, quæ paulatim incrementa gratiæ, aut vitiorum accipit.

D

HOMILIA XLI.

Eccl. 42. c. PRetiosum vas animæ multa profunditate constat, vt quodam loco ait, *Abyssum & cor ipse scrutatur.* Nam vbi homo diuerterit à mandato, & iræ sententiam incurrerit, peccatum abripit illum captiuum, quod cum sit velut abyssus quædam acerbitatis, subtiliter & profundè penetrans, ingressum, intro animæ pascua occupat vsque ad ima eius receptacula. Hunc autem in modum assimilabimus animam permixtumque peccatum, veluti si fuerit arbor amplissima, quæ multos habeat ramos, & radices intima terræ penetrantes: ita cum intimorum animæ loculorum pabula penetrans peccatum occupauit, in consuetudinem vertitur & præoccupationem, ac simul ab infantia cum vnoquoque capit incrementum, conuersatur, & vitia edocet. Quando ergo diuinæ gratiæ operatio pro mensura fidei cuiusque obumbrauerit animæ, ac è superis auxilium ceperit, adhuc aliqua in parte adumbrat gratia. Quamobrem ne E quis existimet, animam totam illustratam esse, multum adhuc vitij pabulum intus adest: nec modico opus habet homo labore fatigationeque æquali cum sibi collata gratia. Hac enim de causa incipit gratia diuina particulatim in animam aduentare, quæ alioqui potest horæ momento hominem, cum expurgarit, perfectum reddere: sed vt probet intentionem hominis, an integram erga Deum dilectionem seruet, nullum habens cum improbo commercium: sed seipsum prorsus gratiæ deuoueat: hocque modo pro tempore & opportunitate probata anima, vt quæ nulla in re gratiam dolore vel contumelia affecerit, à modico sumpto initio adipiscitur auxilium. Quinetiam ipsa gratia pascitur in anima, & ad profundissimas vsque partes & cogitationes eius mittit radices: postquam anima multis occasionibus oblatis proba habita est, & gratiæ consentanea: donec ipsa tota absorpta est à cœlesti gratia, in ipso vasculo in posterum regnante. Cæterum nisi quis multæ fuerit humili- F tatis, traditur ille Satanæ, & gratia diuina sibi collata spoliatur, nec paucis torquetur afflictionibus: tumque perspicitur illius existimatio, nempe nudum & miserum esse. Proinde qui ditescit gratia Dei, in multa debet humilitate & cordis contritione degere, ac seipsum vt pauperem & nihil habentem arbitrari: quod habet, alienum esse, aliumque sibi dedisse, qui quando volet, auferet illud. Qui hunc in modum seipsum humiliat, tum apud Deum, tum apud homines, sibi donatam gratiam conseruare potest: vt ait, *Qui seipsum humiliat, exaltabitur.* Ac licet sit electus Dei, apud se reprobatus esto: quamuis sit fidelis, tanquam indignum seipsum existimato. Tales enim animæ Deo sunt gratissimæ, & viuificantur per Christum. Cui gloria & imperium, in sæcula, Amen.

Humilitas conseruat in homine gratiam Dei.

Matt. 23. b
Luc. 14. b

NON EXTERNA SED INTERNA promouent aut lædunt Hominem: veluti spiritus gratiæ, aut spiritus nequitiæ.

G

HOMILIA XLII.

QVemadmodum si fuerit vrbs ingens, eaque deserta, nempe dissolutis muris, quæ capta sit ab hostibus, magnitudinis nulla est vtilitas: proinde præter magnitudinem expetendum est, vt etiam munita sit optimis muris, ne possint hostes ingredi: ita proculdubio animæ scientia & intellectu exornatæ, nec non acutissimo ingenio, sunt instar magnarum vrbium. Superest vt quæramus, an illæ munitæ sint virtute spiritus: nequando hostes ingressi deuastent eas. Nam sapientes huius mundi, Aristoteles, Plato, vel Socrates, qui rerum notitiam callebant, non aliter se habebant, quam vrbes amplæ: at erant ab hostibus vastati, quia carebant spiritu diuino. Quicumque verò idiotæ sunt participes gratiæ, sunt tanquam vrbes exiguæ, virtute Crucis pro- H tectæ. Cæterum duplicem ob causam à gratia excidunt & pereunt: vel quod illatas afflictiones non perferunt, vel quod voluptatibus peccati deliniri se patiuntur. Nequeunt enim qui transeunt, citra tentationes transire. Itaque sicut in partu, paupercula & regina iisdem laborant doloribus: itidem terra diuitis ac pauperis, nisi conuenientem acceperit imbrem, non potest alicuius pretij fructus ferre: haud secus in operatione animæ, non sapiens, non locuples regnat in gratia, nisi per patientiam, afflictiones, & labores frequentes. Siquidem Christianorum vita vel imitari debet: quod cum sit dulce, acerbi aut venenosi nihil admittit. Ad hunc modum, isti quæcumque obuenerint, siue prospera, siue aduersa, benigni sunt, vt inquit Dominus, *Estote benigni, sicut pater vester cœlestis. Quod enim lædit & inquinat hominem, intus est. Nam de corde exeunt cogitationes malæ,* sicut ait Dominus. Quoniam interna sunt,

Luc. 7. c.
Matt. 15. b.

A quæ inquinant hominem. Intus igitur eſt in anima reptans & progrediens ſpiritus nequitiæ rationalis impulſiuus: quod eſt velamen tenebrarum, & vetus homo: quem exuere debent, qui confugiunt ad Deum: & induere cœleſtem & nouum hominem, qui eſt Chriſtus. Nihil igitur extraneum offendere poteſt hominem, præter ſpiritum tenebrarum, qui viuit, agit & habitat in corde. Quare cuique conuenit inire certamen cum cogitationibus, vt eius cordi illuceſcat Chriſtus. Cui gloria in ſecula, Amen.

DE PROGRESSV VIRI CHRISTIANI, *cuius tota vis dependet à corde, vt hic variè deſcribitur.*

HOMILIA XLIII.

B

QVemadmodum ab igne accenduntur multæ lucernæ & lampades ardentes, cunctæ verò lampades ac lucernæ ab vnica natura accenduntur & lucent: haud aliter etiam Chriſtiani accenduntur & ſplendent ab vnica natura ignis diuini, filij Dei: habentque lampades ardentes in cordibus ſuis: & agentes in terra lucent in conſpectu eius, ſicut & ipſe. Ait enim, *Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ.* (Pſal. 44. b.) Idcircò cognominatus eſt Chriſtus, vt eodem oleo quo ipſe vnctus eſt, nos etiam vncti, fiamus Chriſti eiuſdem, vt ita dicam, ſubſtantiæ, vniuſque corporis. Inquit enim, *Qui ſanctificat, & qui ſanctificatur, ex vno omnes.* (Heb. 2. c.) Quare ſimiles aliquatenus ſunt Chriſtiani lucernis habentibus in ſe oleum, hoc eſt, fructus iuſtitiæ: ac niſi accendantur in eis lucernæ à lucerna numinis diuini, nihil ſunt. Dominus erat ardens lucerna, propter ſpiritum diuinitatis ſubſtantialiter in ipſo manentem, & incendentem cor illius ſecundum naturam humanam. Siquidem vt putre marſupium margaritis plenum: ita Chriſtiani, quoad hominem exteriorem,

C

humiles eſſe debent & contemptibiles: intus verò in homine interiori pretioſam margaritam obtinent. Sunt nihilominus alij ſepulchris dealbatis ſimiles, exterius quidem depicti & ſpecioſi, intus autem pleni oſſibus mortuorum, odore graui multò, & ſpiritibus immundis, mortui à facie Dei, omnem turpitudinem, ſordes & aduerſarij tenebras induti. Apoſtolus ait, *Puer quandiu paruulus eſt, ſub tutoribus & curatoribus ſpirituum immundorum agit:* (Gal 4. a.) qui quidem ſpiritus nolunt puerum creſcere: ne, cum euaſerit in virum perfectum, quærere incipiat quæ pertinent ad familiam, & dominium vendicare. Chriſtianus Deum in memoria perpetuo debet habere. Scriptum eſt enim, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo:* (Deut. 6. a.) ne Dominum duntaxat diligat, quando oratorium ingreditur, ſed etiam inambulans, colloquens & edens, meminerit Dei, diligat & vnicè complectatur illum: Siquidem ait, *Vbi mens tua, ibi & theſaurus tuus.* Cui enim rei alligatum eſt cor alicuius, quove trahit illum cupiditas, hoc eſt illi Deus. (*Illud eſt Deus quod diligitur.*)

D

Si cor Deum ſemper expetat, ipſe Dominus eſt cordis eius. Abrenuntiauit quiſpiam, priuauit ſe facultatibus & vrbe, dans operam ieiunio, ſuiipſius homine adhuc tenetur, aut rebus ſecularibus, aut familiaribus, aut parentum amore: itaque vbi corpus ipſius fuerit alligatum & mens captiuata, illud eius eſt Deus: & inuenitur quidem per amplam portam è ſeculo deceſſiſſe, per oſtiolum autem ingreſſum in mundum incidiſſe. Velut ſarmenta in ignem proiecta, facultati ignis reſiſtere nequeunt, ſed ſtatim exuruntur: ita dæmones qui bellum inferre volunt homini ſpiritum ſanctum adepto, vruntur & abſumuntur ab ignis diuina potentia: modò homo Domino ſemper adhæreat, fiduciam & ſpem habens in eum. Ac ſi fuerint dæmones robuſtis montibus fortitudine pares, tanquam ab igne cera, comburentur ab oratione. Interea tamen certamen & bellum ingens intercedit animæ cum illis. Sunt illic draconum fluuij, ora leonum, ignis incendens animam. Quo

E

itaque modo conſummatus in nequitia, ſpiritu erroris inebriatus, deditus cœno vel adulterio, perperam agendi ſatietate non capitur: hunc in modum Chriſtiani in ſpiritu ſancto baptizati, expertes fiunt vitij. Qui verò gratiam nacti permiſcentur peccato, adhuc tenentur timore, & per metuendum locum incedunt. Sicut enim mercatores inter nauigandum, etiamſi ventum propitium & mare tranquillum nacti ſint, necdum ad portum peruenerint, metuunt ne quomodo repentè contrariò vento excitato fluctibus æſtuet mare, & nauis periclitetur: ſic & Chriſtiani licet habeant in ſe flantem proſperum ventum ſancti Spiritus, adhuc tamen formidant, ne ventus aduerſariæ poteſtatis inſurgat, qui flet, & tempeſtatem fluctuſque moueat in animis eorum. Quamobrem ſummoperè curandum eſt, vt perueniamus ad portum quietis, ad mundum perfectum, ad vitam & delicias perpetuas, ad ciuitatem ſanctorum, ad Hieruſalem cœleſtem, ad Eccleſiam primogenitorum. Verum niſi quis manſuras illas tranſierit, non mediocriter extimeſcit, ne fortè peruerſa poteſtas in medio curſu excidium aliquod moliatur.

F

Itaque ſicut mulier quæ concepit, infantem ſuum intus habet in tenebris, vt ita dicam, & denſo loco: qui ſi contingat eum opportuno tempore egredi, ſpectat nouam creaturam cœli, terræ, Soliſque, quam nunquam viderat: hunc amici & cognati confeſtim hilari vultu excipiunt in vlnas. Quod ſi quadam ordinis naturalis perturbatione, puerum è penetralibus extrahi contingat, neceſſario ſupereſt, vt ad hoc conſtituti medici vtantur gladio, ſitque poſtea, vt puer à morte pergat in mortem, & à tenebris in tenebras. Ad hunc modum accipe circa rem ſpiritualem. Quicumque ſemen diuinum ſuſceperunt, hi modo inuiſibili poſſident illud, & propter cohabitans peccatum in obſcuris & metuendis locis, abſcondunt. Si ergo collectis viribus ſuis conſeruauerunt ſemen, opportunè emittunt in lucem, deinceps in diſſolutione corporis, Angeli omneſque ſuperni Chori, læto vultu excipiunt illos.

G

At verò ſi quis ſuſceptis ad viriliter pugnandum armis Chriſti, ignauiter egerit, is tempore diſſoluendi corporis, quamprimum traditur hoſtibus, & à tenebris tunc illum obruentibus ſe confert ad tenebras alias moleſtiores, & interitum. Porrò veluti ſi fuerit hortus arboribus fructiferis & aliis bene olentibus plantis conſitus, & per omnia bene excultus & exornatus, (*Mens humana, horto ſimilis eſt.*) qui etiam ſit munitus exiguo pariete, pro ſepto & vallo, iuxta quem contingat flumen rapidum tranſcurrere: licet aqua modica illidat parieti, corrumpit fundamentum; ſumit eductionem & paulatim fundamentum diſſoluit, & ingrediens effringit & extirpat omnes plantas, vniuerſam culturam delet, & fructibus ferendis inutilem reddit: ita ſe habet cor hominis, quod non caret cogitationibus honeſtis, at inſtant cordi perpetuò vitiorum fluuij, volentes illud diruere & ſibi vendicare. Itaque ſi leuis paululum fuerit animus, & labatur in cogitationes impuras, en Spiritus erroris pabulum acceperunt, & ingreſſi euerterunt quæ illic ſplendebant, deletiſque probis cogitationibus, animam deſertam reddiderunt.

H

Sicut oculus, omnium corporis partium eſt minimus, & ipſa pupilla oculi cum ſit exigua, tamen eſt vas ingens, (*Mens ſimilis eſt oculo.*) quoniam intuetur vna cœlum, aſtra, Solem, lunam, vrbes, & alias creaturas: & eodem modo quæ conſpiciuntur, in illa parua pupilla oculi, ſimul & eodem momento formantur & effinguntur: hoc pacto ſe mens habet in corde: ipſumque cor eſt vas quoddam exiguum: ibi nihilominus dracones, ibi leones, ibi beſtiæ venenoſæ, ibi vitiorum cuncti theſauri, ibi aſperæ & ſalebroſæ viæ, ibi præcipitia: itidem ècontra, ibi Deus, ibi etiam Angeli, ibi vita & regnum, ibi lumen & Apoſtoli, ibi cœleſtes vrbes, ibi theſauri gratiæ, ibi ſunt omnia. Vt enim ſe habet caliginoſa nebula ſuper vniuerſam terram extenſa, & homo non videt hominem: non aliter ſe habent huius ſeculi tenebræ, ſuper omnem creaturam, vniuerſam etiam naturam humanam ſitæ à tempore tranſgreſſionis, vnde homines tenebris adumbrati

A fiunt in nocte, & in locis horrendis. Et quemadmodum in domo quapiam, est copia fumi: sic etiam peccatum cum suis cogitationibus sordidis insidet, & serpit in cogitationes cordis, necnon infinita multitudo dæmonum. Itaque vt in rebus ante oculos positis, dum committitur bellum, non eo proficiscuntur sapientes aut primates, sed mortem extimescentes resident, obiiciuntur autem tyrones, pauperes & plebeij: & accidit vt parent victoriam aduersus hostes, quos persequentes expellunt è limitibus, & victoriæ præmia coronasque à rege accipiunt, & promouentur ad dignitates, illi verò magni reperiuntur his posteriores. Ad hunc modum se habet res spiritalis: simplices, initio, verbum amanti veritatis intellectu audientes, ipsum opere exprimunt, & gratiam spiritus à Deo accipiunt: sapientes autem & qui subtilitatem in verbo quærunt, fugiunt bellum nec proficiunt, sed his qui dimicarunt & vicerunt, posteriores inueniuntur. Vt autem Venti vehementer flantes, mouent omnes creaturas quæ sunt sub cœlis sonitumque edunt non modicum: sic hostis potentia pulsat, ferit cogitationes, profunda cordis concutit pro suo ipsius arbitrio, & in sui ministerium dissipat cogitationes. Veluti publicani sedent iuxta vias angustas, & retinent atque concutiunt prætereuntes: ita dæmones obseruant, & detinent animas, quas (nisi plenè fuerint expurgatæ) dum decedunt è corpore, non sinunt ad cœli mansiones ascendere, & occurrere Domino suo, quia deturbantur à dæmonibus aëriis. Qui verò degunt in carne, nihilominus summo labore atque contentione gratiam ex alto consequentur à Domino: nempe hi proficiscentur ad Dominum, cum illis qui per studiosam conuersationem quieuerunt, vt ipse pollicitus est, *Vbi sum ego, illic & minister meus erit:* Et per infinita secula regnabunt cum Patre, & Filio, & Spiritui sancto, nunc & semper, in secula, seculorum, Amen.

Sapientes non proficiscuntur ad bellum sed Tyrones.

B

Publicani similes dæmonibus.

Animæ, nisi ad plenum expurgata non ascendũt in cœlũ: Dæmones aërij.

Ioan. 12. d.

C

QVANTAM IN HOMINE CHRISTIANO mutationem ac renouationem faciat Christus, qui morbos animæ sanauit.

HOMILIA XLIV.

QVi accedit ad Deum, & re vera cupit assessor esse Christi, huius intentionis gratia debet accedere, vt mutetur ipse & transmutetur à pristino statu & conuersatione, & probum & nouum hominem præseferat, qui nihil gestet Veteris hominis. *Si qua* (inquit) *in Christo noua creatura:* nam ideo venit Dominus noster IESVS CHRISTVS, vt naturam conuerteret, transmutaret & renouaret, necnon hanc animam propter transgressionem affectionibus inuolutam reformaret, contemperans eam cum suo spiritu diuino. Venit itaque vt nouam mentem, nouam animam, nouos oculos, nouas aures, nouam linguam spiritalem, & (vt semel dicam) nouos homines ei credentes efficeret, ceu nouos vtres, vngens eos suo ipsius lumine cognitionis, vt illis vinum nouum (nempe spiritum suum) immitteret. *Vinum* enim (ait) *nouum in vtres nouos* mittendum est. Quo enim modo, Hostis subiugatum sibi hominem nouum in sui gratiam effecit, vitiosis affectionibus circumuoluit, & in ipsum, spiritu peccati vinctum, vinum omnis iniquitatis & vitiosæ doctrinæ iniecit: hunc in modum Dominus, cum redemisset illum ab hoste, nouum reddidit: & cum vnxisset suo ipsius Spiritu, vinum vitæ & nouam spiritus doctrinam infudit in eum. Qui enim naturam quinque panum, in naturam copiosam mutauit, & Asini naturæ facultate loquendi destitutæ, vocem dedit, meretricemque conuertit ad temperantiam: & ignis vstiuam naturam, ad irrigandos in camino existentes aptam reddidit, qui leonum agrestium bestiarum naturam, Danielis gratia mansuefecit: is quoque potest animam desertam, & à peccato agre-

2. Cor. 5 d.

D

Matt. 8. b

Matt. 14. Num. 22 28. Luc. 7. 37 Dan. 3. Dan. 6.

E stem effectam, in suam ipsius bonitatem, mansuetudinem & pacem conuertere, promissionis sancto bonoque spiritu. Siquidem vt pastor ouem scabiosam curare potest, & à lupis conseruare, ita verus pastor Christus veniens, solus, ouem perditam & morbosam (hoc est, hominem) sanare & conuertere potuit, à scabie & lepra peccati. Priores enim sacerdotes, leuitæ atque magistri, Oblationibus munerum & sacrificiorum, atque aspersionibus sanguinis animam curare non potuerunt, cum ne se quidem ipsi curare quiuerint: erant quippe, etiam infirmitate circumdati. *Impossibile enim est,* inquit, *sanguine hircorum & taurorum auferri peccata.* Atqui Dominus, indicans illorum qui tum erant medicorum infirmitatem, aiebat: *Vtique dicetis mihi hanc similitudinem, Medice, cura teipsum:* pro eo, non sum ego eorum similis, qui seipsos curare nequeunt. Ego sum verus medicus, *& bonus pastor qui pono animam meam pro ouibus,* habens facultatem curandi omnem morbum & omnem animæ molestiam. Ego sum ouis immaculata, semel oblata: & venientes ad me curare valeo, vera enim sanitas animæ proficiscitur à Domino solo, *Ecce enim,* inquit, *Agnus Dei, qui tollit peccatum Mundi:* animæ scilicet credentis ei, & diligentis eum ex toto corde. Bonus igitur pastor, ouem scabiosam curat, ouis autem ouem curare nequit, ac nisi curata fuerit ouis rationalis, quæ est homo, in Ecclesiam Domini cœlestem non ingreditur. Ita enim dictum est in Lege, sub vmbra & imagine: siquidem hæc demonstrans Spiritus, obscurè loquitur de leproso: *& maculam habens non ingredietur in Ecclesiam Domini.* Sed præcepit leproso, vt sacerdotem adeat, quem multis precibus adducat in domum tabernaculi sui, & is imponat manus suas super lepram, hoc est, locum tactu lepræ notatum, & curet. Eundem in modum Christus verus Pontifex futurorum bonorum, incuruatus ad animas lepra peccati laborantes, ingreditur tabernaculum corporis illarum, & curat ac sanat affectiones. Et hac ratione introire poterit anima in cœlestem Ecclesiam sanctorum Israëlis veri. Nam quæcumque anima, lepra affectionum peccati laborans, non accesserit ad Pontificem verum, & non fuerit curata, in seriem sanctorum & Ecclesiam cœlestem nequaquam ingreditur, quia cum immaculata sit & pura, immaculatas & mundas quærit animas: *Beati enim,* inquit, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Quandoquidem oportet animam Christo verè credentem, transferri mutarique ab hoc statu peruerso in alium bonum statum, & ab hac abiecta natura in aliam, naturam diuinam, ipsam denique virtute sancti Spiritus nouam effici, & hoc pacto poterit ad regnum cœleste pertinere. Nostrum autem est, ista consequi, qui credimus, qui verè diligimus illum, & in omnibus sanctis mandatis eius conuersamur. Si enim tempore Elisæi, lignum quod est natura leue, missum in aquam extulit ferrum natura graue, quanto magis Dominus mittit hunc Spiritum suum leuem, subtilem, bonum & cœlestem, quo animam in profundis aquis nequitiæ demersam extollat, eleuet, ac euolare faciat ad alta cœlorum, & transmutabit & conuertet eam à sua natura? Atque vt in rebus conspicuis, per se nemo potest traiicere nec transire Mare, nisi leuem & tenuem naniculam è ligno constructam habeat, quæ sola potest super aquas incedere, quia demergitur & interit quis, si ambulet in Mari: itidem nequit anima per seipsam transgredi, superare aut transmittere acerbum Mare peccati, & difficilem abyssum improborum Spirituum caliginis affectionum, nisi susceperit subtilem, cœlestem & volatilem Christi spiritum ambulantem & incedentem super omnem nequitiam, cuius beneficio, recto & breui cursu ad cœlestem quietis portum, ad ciuitatem regni peruenire poterit: sicut autem qui sunt in naui, non hauriunt aut bibunt è mari, nec ex eo victum aut vestitum sumunt, sed aliunde important in nauem: hoc modo, Christianorum animæ, non è seculo isto sed desuper è cœlo cibum cœlestem & indumenta capiunt spiritalia, & inde viuentes, in Naui boni viuificique Spiritus incedunt, & transgrediuntur aduersarias Principum & Potestatum diras facultates. Et

Heb. 10. 2.

Luc. 4. d.

Ioan. 10 15.

F

Ioan. 1. d.

Leu. 21. c

G

Matt. 5. a

4. Reg. 6 b.

H

A quemadmodum ex vna ligni natura, naues omnes construuntur, quibus molestum Mare poterunt homines traiicere: sic omnes animæ Christianorum vnica diuinitate lucis cœlestis, variis gratiarum donis vnius Spiritus confirmatæ, omnem præteruolant nequitiam. At cum ad feliciter nauigandum, opus habeat Nauis gubernatore, & temperato amœnoque vento; hæc omnia est ipse Dominus, agens in anima fideli: quam, fortiter, feruenter, scitéque (vt ipse nouit) transgredi facit graues procellas, & feroces malitiæ fluctus, ventorumque peccati violentorum impetus, eorum tempestate dissoluta. Siquidem absque cœlesti gubernatore Christo, non datur cuiquam Mare nequam potestatum caliginis, & molestatum
Psal 106. c. afflationes tentationum transire: *ascendunt* enim (inquit) *vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos.* Omnem porro nouit artem gubernandi, necnon bellorum atque
Heb. 2. 1. tentationum, calcans pedibus, fluctus immites: *Ipse* enim (ait) *tentatus, potens est & eis qui tentantur, auxiliari.* Quá-
B obrem conuerti oportet ac transmutari animas nostras à præsenti conditione in alterum statum & diuinam naturam, è veteribus nouos fieri: hoc est, è truculentis & infidelibus, bonos, benignos, atque fideles, & sic idoneos
Philip. 3. c. regno cœlesti constitui. Beatus enim Paulus de sua conuersione & assumptione, qua comprehensus est à Domino, scribit ista: *Sequor autem, si comprehendam, in quo & comprehensus sum à Christo.* Quo igitur pacto comprehenditur à Deo? Quemadmodum si tyrannus captiuos quosdam abducat, quos rapuerat, deinceps autem recuperentur à vero Rege, ita quoque Paulus cum à tyrannico spiritu peccati torqueretur, persequebatur & deuastabat Ecclesiam: at quoniam non odio Dei, sed per ignorationem hoc agebat, tanquam certans pro veritate, non est neglectus: sed apprehendit eum Dominus, cœlestis rex & verus, vbi circumfulsisset arcano modo, illumque voce sua dignatus, in faciem percussum, vt seruum liberauit. Vide bonitatem & conuersionem qua vtitur Dominus, quo pacto mutare potest animas vitio adhærentes, & fe-
C roces effectas, & horæ momento in suam ipsius bonitatem & tranquillitatem traducere! Cuncta enim sunt apud
Luc. 23. eum possibilia, vt in Latrone contigit, qui horæ momento per fidem conuersus est, & translatus in Paradisum.
2. Pet. 1. 4. Idcirco venit Dominus vt immutet ac reformet animas nostras, illasque faciat (vt scriptum est) *diuinæ consortes naturæ*, & in animam nostram confert animam cœlestem, hoc est, spiritum diuinum, deducentem nos in omnem virtutem, quo viuere possimus vitam perpetuam. Debemus ergo nos ex toto corde, inenarrabilibus eius credere promissionibus, quia verax est qui promisit. Ideoque diligendus est Dominus, ac danda planè opera omni virtutum generi, necnon cum perseuerantia & sine intermissione petendum vt integrè perfectéque consequamur spiritum eius promissum, quo viuificentur animæ nostræ, quoniam adhuc in carne sumus. Nam nisi summa fide atque obsecratione suscipiat anima in hoc seculo sanctificationem spiritus, fiatque particeps diuinæ naturæ, temperata cum gratia cuius beneficio purè ac sine vlla repre-
D hensione possit omnia mandata peragere, non est apta regno cœlorum. Quicquid enim boni quis iam hinc obtinuerit, hoc ipsum in illa die erit illius vita, per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, in secula, Amen.

NVLLIS ARTIBVS AVT OPIBVS huius mundi, sed solo Christi aduentu sanatum esse hominem, cuius magnam cum Deo cognationem refert hæc Homilia.

HOMILIA XLV.

Qui solitariam vitam elegit, cuncta quæ vertuntur in hoc Mundo, à se aliena atque peregrina existimare debet. Nam qui reuera crucem Christi prosequitur, omnibus abnegatis, vel sua ipsius anima, mentem debet habere fixam in amorem Christi: vtpote an-

E teferens Dominum parentibus, fratribus, vxori, liberis, cognatis, amicis, ac facultatibus. Hoc enim disertè Dominus expressit, his verbis: *quicumque non dimiserit patrem, aut matrem, aut fratres, aut vxorem, aut liberos, aut agros, & me secutus non fuerit, non est me dignus:* In nullo enim alio inuenitur hominum salus & requies, vt audiuimus. Quot siquidem Reges emerserunt è genere Adæ, qui terram vniuersam obtinebant & de regia potentia gloriabantur? quorum tamen nullus ex ea rerum copia perspicere potuit vitium è transgressione primi hominis accedens animæ, à quo sic obtenebrata est vt minimè mutationem agnosceret: nempe, mentem anteà cùm esset pura & in dignitate constituta, vidisse Dominum suum, modò vero propter lapsum indutam esse pudore, excæcatis cordis oculis ne possint intueri gloriam illam quam spectabat Adam pater noster antequam obaudiuisset. Porrò sapientes in Mundo fuere diuersi generis: quorum alij virtutem philosophiæ demonstrabant, alij, admirationi sunt habiti quod sophisticam exercerent, alij vim in dicendi facultate positam docebant, alij grammatici cum essent & poëtæ, pro instituto scribebant historias. Varij quoque fuerunt artifices qui sparsas per Mundum artes exercuerunt: quorum alij tornantes ligna, auium & piscium genera, imagines etiam hominum expresserunt, in illis suam industriam ostendere conati: alij, in ære similitudines & statuas aliaque nonnulla sculpere tentauerunt: alij ingentia & splendida fabricauerunt ædificia: alij fodientes terram, argentum & aurum quod corrumpitur, referunt: alij pretiosos lapides; alij verò specie corporis exornari, cùm de forma vultus efferrentur, à Satana magis illecti lapsi sunt in peccatum. Atqui hi omnes quos antè commemorauimus, artifices; ab intus habitante Serpente occupati, & non cognoscentes secum habitare peccatum, captiui seruique facti sunt peruersæ Potestatis, à scientia & arte sua nihil adiuti. Quare mundus omni rerum variarum genere plenus, similis est locupleti viro domos splendidas & amplas habenti, aurum item & argentum, ac possessiones varias, familiamque cuiusuis generis copiosam: cui, cum toto corpore morbis & doloribus detineretur, adfuerunt omnes cognati cum opibus omnimodis, qui tamen ipsum ægritudine liberare nequiuerunt. Nulla ergo diligentia eius qui versatur in mundo, non fratres, non diuitiæ, non robur, non alia quæcumque antè commemorata sunt, animam immersam peccato & quæ purè perspicere nequit, eripiunt à peccato, excepta sola Christi præsentia quæ potest animam & corpus expurgare. Quamobrem omni huius vitæ sollicitudine liberati, demus operam Domino, clamantes ad illum noctu diuque: quia Mundus hic conspicuus & quæ datur in eo requies, quantò suauius fouere corpus videntur, tanto grauius animæ dolores exacerbant & augent eius ægritudinem. Itaque vir quidam non insipiens cùm instituti curam agere peroptaret, conatus est experiri omnia quæ volutantur in hoc seculo, si quo tandem modo fructum aliquem consequi posset, accessit ad reges, potentes, & principes, nec inde nactus est medelam salutarem, quam adferret animæ, diuque cum illis conuersatus, nihil profecit: denuò se contulit ad sapientes huius Mundi & oratores, quos itidem reliquit nullum referens lucrum: transiit per pictores, & eos qui aurum & argentum educunt è terra, denique per omnes artifices, nec vllam curam vulneribus suis inuenire potuit. Tandem cùm ab his recessisset, implorabat sibi Deū qui sanat affectiones & morbos animæ: at cùm seipsum perpenderet, & hæc ratiocinaretur; accidit, vt mens eius res illas odisse cœperit à quibus antè occupata planè recesserat. At verò sicuti mulier quæpiam in Mundo locuples, licet pecunias non paucas habeat & domum splendidam, caret tamen Auctoritate: in quam si insurgant multi vt ei noceant ac domicilia deuastent; illa non ferens iniuriam, obambulat quærens virum potentem, idoneum, & in omnibus eruditum, cumque multis laboribus exhaustis talem virum nacta fuerit, exultat illius causa, & habet illum pro muro valido: haud aliter

Philosophorum, olim multa fuerūt genera. F

Mundus, diuiti ægroto, olim similis. G

H

Anima locupleti viduæ similis.

anima

A anima post transgressionem ab aduersaria potestate grauiter afflicta, & in magnam vastitatem delapsa, vidua & desolata propter transgressionem mandati, à Viro cœlesti relicta, & omnibus hostilibus potestatibus effecta ludibrio (illam enim sua mente destituerunt, atque deturbauerunt ab intellectu cœlesti, ne videat quæ in ipsam perpetrantur ab illis, sed ab initio ita contigisse existimet) deinceps vt percepit auditu viduitatem suam ac desolationem, in conspectu humanissimi Dei deplorauit, ac vitam reperit & salutem. Quamobrem? quia reuersa est ad cognationem suam: nulla enim talis est familiaritas atque opitulatio; qualis est animæ erga Deum, & Dei erga animum. Nam creauit Deus auium diuersa genera: quasdam vt nidulentur in terra, & in ea pascantur & quiescant, statuit alias nidificare sub aquis, & inde viuere: duplicem quoque Mundum fabricauit, vnum superiorem administratoriorum Spirituum causa, quos illic conuersari constituit; alterum inferiorem sub hoc aëre, hominum gratia. B Creauit etiam cœlum & terram, solem & lunam, aquam, arboresque fructiferas, necnon cuiuscumque generis animalia, in nullo tamen horum requiescit Deus. Vniuersa creatura potitur ille, non tamen in illis thronum fixit, neque contraxit societatem nisi cum homine: cum illo dumtaxat placuit ei societatem habere, & in illo conquiescere. Videsne cognationem Dei cum homine, & hominis cum Deo? Quapropter sagax & prudens anima cunctas percurrens creaturas, sibi quietem ipsa non reperit nisi in Domino solo, nec domino complacuit in vllo, præterquam in solo homine. Si explices oculos ad Solem, circulum eius reperis in cœlo, lumen autem & radios in terram vergere, & ad terram tendere vim omnem lucis & splendorem: sic etiam Dominus sedet à dextris Patris supra omnem principatum & potestatem, oculum autem suum extensum habet in corda hominum in terra degentium: vt auxilium eius excipientes, illuc vbi ipse est, extollat. C *Quoniam* (inquit) *vbi sum ego, illic & minister meus erit:* Et iterum Paulus: *Conresuscitauit & considere fecit ad dextram suam in cœlestibus.* Cæterùm animalia ratione carentia, sunt multo sagaciora quàm simus. Etenim horum vnumquodque cum his quæ sunt eiusdem naturæ conuenit, agrestia cum agrestibus, & oues cum sua specie: Tu verò minimè reuerteris ad cognationem tuam cœlestem, quæ est Dominus, sed cogitationibus tuis te tradis, & assentiris cogitationibus vitiosis, factus adiutor peccati, cuius ministerio tecum ipse bellum geris, & ita teipsum hostis pabulum constituis, perinde ac si deuoretur auis ab aquila rapta, aut ouis à lupo, aut puer ignorans Serpenti manum porrigat, à quo depastus incendatur: similitudines enim gerunt velut effigiem rerum spiritalium. Quo autem pacto virgo locuples desponsata viro, quæcumque dona acceperit ante coniunctionem, siue pertineant ad mundum, siue ad vestitum, seu ad supellectilem pretiosam, non quiescit in illis, donec tempus nuptiarum accesserit & societatem adepta fuerit: D ad hunc modum Anima cœlesti Sponso in sponsam aptata, arrabonem spiritus accipit, siue gratiam sanandi, siue scientiæ aut reuelationis, non tamen in illis conquiescit, donec plenam societatem consequatur, nempe dilectionis, quæ quidem non mutatur nec excidit, & impassibiles ac immotos reddit illos qui tenentur eius desiderio. Aut velut infans circundatus margaritis & indumentis pretiosis, vbi esurierit, nihili facit quæ gestat; sed neglectis illis, omnem sollicitudinem habet sitam in alimenti mamilla, quo pacto lac sumat: idem putato mihi etiam in muneribus spiritualibus à Deo collatis, cui gloria in secula, Amen.

Dei, & hominis summa est coniunctio.

Deus creauit duplicem mundum.

Ioan. 12 d.

Eph. 2. a

Anima, virgini desponsatæ similis est.

Anima esurienti puero similis.

DE DIFFERENTIA INTER *Verbum Dei; & verbum Mundi; & inter filios Dei, & filios huius Mundi.*

HOMILIA XLVI.

E Verbum Dei Deus est; & Mundi verbum, Mundus. Magnum verò discrimen est & interuallum inter verbum Dei & verbum Mundi, ac inter filios Dei & filios Mundi: vtraque enim propago, parentum suorum similis est. Quapropter si filius spiritus verbo Mundi tradere se velit, & negotiis terrenis atque gloriæ huius seculi, enecatur & perit, nec potest assequi veram vitæ quietem, quoniam eius requies ibi sita est vnde prognatus est. F Suffocatur enim (vt inquit Dominus) & infructuosus redditur quoad verbum diuinum, qui secularibus curis detinetur, & illigatur vinculis terrenis. Itidem qui carnali occupatus est intentione (hoc est; homo mundanus) si velit audire verbum Dei; suffocatur, & veluti quispiam rationis expers efficitur. Siquidem illecebris vitiorum assuefacti, cùm quid de Deo audierint, tanquam molesto sermone perturbati; infestantur animo. Paulus quoque ait: *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus, stultitia enim est illi.* Dicit etiam Propheta, *factus est illis sermo Dei, quasi vomitus.* Vides, non dari vt viuatur alibi quàm ea qua quisque natus est ratione? Quinetiam aliter de hoc est audiendum. Si carnalis homo seipsum denoueat, vt immutetur, illic prius moriatur oportet, ac inutilis fiat illi pristinæ flagitiosæ vitæ. Itaque veluti si quis morbo aut febre detineatur, etsi corpus iacet in cubili nullam habens facultatem opus terrenum perficiendi, non tamen quiescit animus, sed circumfertur & curat quæ sunt agenda, & exquirit medicum, missis ad illum amicis: non aliter etiam anima, à transgressione præcepti, affectionum ægritudine laborans & remissior effecta, vbi accedit ad Dominum & credit, ab eo remunerationem accipit: & abnegato genere prioris vitæ pessimæ; licet antiqua infirmitate decumbat, & opera vitæ verè peragere nequeat, habet nihilominus & potest curare diligenter quæ pertinent ad vitam, deprecari Dominum, & verum medicum indagare. Neque, vt aiunt quidam praua doctrina seducti, prorsus mortuus est homo, vt nihil planè boni possit agere: nam Infans, etsi quicquam agere nequit, aut propriis pedibus ad matrem pergere imbecillitate impeditur, voluitur tamen, clamat, & flet, inquirens matrem: in quo intimè afficitur mater, & gaudet de pusione, cùm labore & clamore illam inquirente, & cùm ad eam venire non possit, nihilominus ipsa mater amore pueri capta, ob multam eius explorationem abit ad illum, amplectitur, circumfouet, & intima cum dilectione alimentum præbet. H Hoc ipsum etiam benignus Deus præstat, accedentis & ipsum desiderantis animæ gratia: imò multo magis ipse interno ductus amore & propria benignitate, adhæret intellectui ipsius, & in vnum cum illa spiritum euadit, iuxta sermonem Apostolicum. Cùm enim adhæreat anima Domino, & Dominus misericordia & charitate motus se conferat ad illam & adhæreat ei; intellectus adhæc continenter perseueret in gratia Domini, anima Dominusque fiunt vnus spiritus, vnum temperamentum, & vnus intellectus: cumque corpus animæ illius, humi iaceat; tota mens eius planè versatur in Hierusalem cœlesti, ascendens vsque in tertium cœlum; vbi adhærens Domino, ministrat ei: ipse verò in throno magnificentiæ sedens in excelsis in ciuitate cœlesti, penitus est cum illa in corpore eius, quoniam imaginem illius in cœlesti sanctorum ciuitate Hierusalem sursum collocauit, suam verò luminis arcani atque diuinitatis suæ imaginem

Matt. 13.

1. Cor. 2. d.

Homo non est planè mortuus ad bene agendum.

Dei, Matri, Homo in fanti est similis.

Vnio Dei & Animæ beatè agentis.

constituit

A constituit in illius corpore, ipse ministrat ei in ciuitate corporis. Ipsa verò inseruit illi in ciuitate cœlesti: hæc illum in cœlis hæreditario iure possidet; ille, contra, hæreditatis nomine possidet illam in terra. Dominus enim fit hæreditas animæ, anima quoque fit hæreditas Domini. Nam si peccatorum in tenebris agentium intellectus & mens tam procul esse potest à corpore, longius peregrinari, & horæ momento in regiones longinquiores abire, ac sæpenumero in terra relicto corpore in aliena patria cum dilecto vel amica degit, & illic seipsum quasi commorantē spectat: si igitur peccatoris anima est adeò subtilis & volatilis, vt mens illius non arceatur à remotioribus locis; quantò magis anima, à qua velamen tenebrarum ablatum est virtute sancti Spiritus, (Ephes. 3. d.) & lumine cœlesti illustrati sunt intellectuales eius oculi, perfectéque vindicata ab obscœnis affectionibus, ac munda per gratiam effecta, tota spiritu Domino ministrat in cœlis, & tota in corpore seruit illi, tantúmque extenditur intellectu, vt ipsa sit vbiuis; & vbi & quando libuerit, B Christo ministret? Hoc dixit Apostolus; *vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Perspicito secreta mysteria animæ, à qua Dominus aufert infitas tenebras (reuelat eam, & reuelatur ei) quo pacto dilatet & extendat scientiam mentis illius in latitudines, longitudines, profunda, & sublimia vniuersæ visibilis & inuisibilis creaturæ. Magnum ergo reuera diuinúmque opus & admirandum est, anima, vtpote quam dum conderet Deus, talem creauit vt cum illius natura nihil admisceret vitij; sed ad imaginem virtutum spiritus fecit illam, & in ea locauit leges Virtutum, discretionem, scientiam, prudentiam, fidem, dilectionem, & reliquas virtutes, ad imaginem spiritus. Siquidem adhuc in ea nunc reperias scientiam, prudentiam, dilectionem & fidem, eique manifestatur Dominus: C in illa posuit intellectum, cogitationes, voluntatem, ac mentem ducem præcipuam. Constituit etiam in ea multiplicem aliam subtilitatem, fecit illam valde mobilem, volatilem, & indefessam. Donauit illi, vt momento ire redireque possit, & mente inseruire Domino, prout dictauerit spiritus. Atque (vt semel dicam) talem creauit illam, vt ipsa sponsa sit eius & socia, vt contemperetur cum illa, & cum eo fiat vnus spiritus, quemadmodum ait, *qui adhæret Domino, vnus spiritus est: Cui gloria, in sæcula sæculorum: Amen.* (1 Cor. 6. 17.)

Anima, qualis à Deo creata sit.

EXPLICATIO ALLEGORICA QVORVNDAM *sub lege factorum.*

HOMILIA XLVII.

Exod. 34. 33. QVam gerebat Moses gloriam in facie, typus erat
veræ gloriæ. Nam quemadmodum illo tempore,
D Iudæi non poterant fixis oculis vultum Mosis intueri,
ita nunc gloriam illam lucis recipiunt in anima Christia-
ni, cuius lucis splendorem tenebræ non ferentes fugan-
2 tur obcæcatæ. Illi præterea ex circuncisione agnosce-
bantur esse populus Dei: modò verò populus Dei, pecu-
liaris, intus notam circuncisionis cordi suo insculptam
suscipit. Gladius enim spiritalis superfluitatem mentis
3 amputat; hoc est, impurum præputium peccati. Apud
illos, baptisma sanctificabat carnem, apud nos autem est
baptisma sancti Spiritus & ignis: hoc enim Ioannes præ-
Matth. 3. c. dicauit: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.* Ibi
erat tabernaculum exterius & interius: *In prius Taberna-*
4 *culum semper introibant sacerdotes, sacrificiorū officia con-*
Heb. 9. 7. *summantes, in secundum autem, semel in anno solus Pon-*
tifex cum sanguine, hoc significante Spiritu sancto, nondum
propalatam esse sanctorum viam: Hi verò, qui digni sunt,
ingrediuntur in tabernaculum non manufactum, quò
Heb. 6. 20. *præcursor pro nobis introiit Christus.* Scriptum est in Lege,
vt sacerdos accipiat duas columbas, quarum alteram
5 mactet & illius sanguine viuam aspergat, quam liberam

E euolare dimittat. At quod agebatur, typus erat & vmbra veritatis; etenim immolatus est Christus, cuius sanguis nos aspergens fecit, vt produceremus pennas, quia dedit nobis alas Spiritus sancti, vt sine impedimento volemus in aëra diuinum. Illis data est lex scripta in tabulis lapideis; nobis verò leges spiritales scriptæ in Tabulis cordis carneis: Ait enim, *dans leges meas in cordibus illorum, & in mentibus eorum inscribam eas.* (Iere. 31. f.) Et illa quidem omnia abolebantur, & erant temporanea, nunc autem cuncta verè perficiuntur in interiori homine, quia testamentum etiam est intrinsecus. Atque, vt in summa dicam: *quæcumque contingebant illis, in figura fiebant, scripta sunt autem ad correptionem nostram.* (1. Cor. 10. c.) Quandoquidem Abrahæ Deus prædixit futurum: nempe; *Semen tuum erit incola in terra non sua, & affligent illud, ac in seruitutem redigent quadringentos annos:* (Gen. 15. c.) hoc implebat imaginem vmbræ; nam incola fuit populus, & seruituti subditus ab Ægyptiis, afflictus in luto & latere: constituebat enim illis Pharao præfectos & stimulatores operis, (Exod. 1.) F vt compellerentur opera sua peragere, cumque ingemiscerent filij Israël ab operibus suis ad Deum, tum per Mosem visitabat eos, cæsisque (multis plagis) Ægyptiis, Mense florum, quando primùm ver amœnissimum emergit, hyemis prætereunte mœrore, eduxit eos ex Ægypto. Dixit autem Moysi Deus, vt acciperet agnum immaculatum, & immolaret, cuius sanguine limina & fores vngeret, ne qui perdebat Primogenita Ægyptiorum, tangeret eos. (*Ægyptij verè afflicti à Mose.*) Videbat enim eminus, & Angelus qui missus erat, notam sanguinis, & recedebat: (Exod. 12.) In domos autem non signatas ingressus, interficiebat omne primogenitum. Iussit præterea fermentum è cunctis domibus aboleri, agnúmque qui mactabatur, cùm azimis & lactucis agrestibus manducare præcepit, idque renibus circumcinctis, & pedibus sandaliis calceatis, baculos tenentes manibus: & ita cum omni festinatione ad vesperam edere mandat Pascha Domini, osse nullatenus à G facie Domini comminuto: *eduxit autem eos cum argento & auro,* (Ps. 104. 37. Exod. 12. 36.) cùm iussisset vnumquemque mutuo accipere à vicino suo Ægyptio aurea vasa & argentea. Porrò egressi sunt ex Ægypto, quando Ægytij primogenita sepeliebant: lætantes illi quòd à squalida seruitute essent liberati, his verò lugentibus & plangentibus interitum Liberorum: Idcirco dixit Moses, *hæc est nox in qua pollicitus est Deus se redempturum nos.* Hæc autem omnia sunt mysterium animæ, per aduentum CHRISTI redemptæ; nam Israël interpretatur, animus videns Deum: liberatur ergo à seruitute tenebrarum & spiritibus Ægyptiacis. Cùm enim per inobedientiam homo mortuus esset graui morte animæ, & maledictionem accedentem maledictioni suscepisset (*Tribulos & spinas producet tibi terra:* & mox, *coles terram, & non addet vt prabeat tibi fructus suos*) (Gen. 3. c.) creuerunt & exortæ sunt in terra cordis eius tribuli; dolo eripuerunt hostes gloriam eius, & induerunt eum pudore, priuatus est lumine suo, & indutus tenebris, interfecerunt animam eius, dissipatis ac diuisis H illius cogitationibus, deturbarunt ab alto mentem eius, & factus est Israël homo inseruiens vero Pharaoni, & constituerunt ei præfectos & stimulatores operis, Spiritus nequitiæ cogentes eum volentem nolentem flagitiosa sua opera cōmittere, ac luti laterísque constructionem implere. Qui etiam dimouentes eum à sapientia diuina, abduxerunt ad crassa, terrena, lutosaque opera, dura ad sermones, conceptiones & cogitationes vanas. Vbi enim à sua maiestate excidisset anima, nacta est infestum homini regnum, principes seueros qui compellant eam vitij peccatique vrbes construere. At verò si suspiret, & ad Deum clamet anima, mittit ei spiritalem Mosem qui redimat eam ab Ægyptiorum seruitute: priùs tamen clamat & ingemiscit, tum redemptionis consequitur initium. Ipsa quoque redimitur tempore Verno, mense florum recentium, cùm animæ terrā potest emittere pulchros, & florentes ramos iustitiæ, præterita graui hyeme ignorantiæ tenebrarum, & ingenti prouentu obscœnarum actionum & peccatorum. Adhæc præcipit tum è singulis domibus omne fermentum antiquum expelli;

nempe

A nempe actiones & consilia Veteris hominis qui corrumpitur, & peruersas cogitationes & conceptiones sordidas (quoad fieri potest) abiicere. Mactari decet
Exo. 12. 5. agnum & immolari, eiusque sanguine fores inungi: Christus enim verus, bonus, & immaculatus agnus mactatus est; cuius sanguine vncta sunt limina cordis, vt sanguis Christi effusus in cruce, animæ quidem cedat in vitam & redemptionem, dæmonibus autem Ægyptiacis in luctum & mortem. Re enim vera sanguis agni immaculati, luctus est illis; gaudium autem & exultatio, animæ. Deinde post vnctionem iubet, ad vesperam edere Agnum & azyma cum lactucis agrestibus, cinctos renibus, calceatos, & habentes baculos in manibus. Nisi enim prius ex omni parte per opera bona (quantum in ipsa est) præparata sit anima, non conceditur illi vt edat de agno: etenim licet suauis sit agnus, & azyma bona, lactucæ tamen amaræ & asperæ. Quocirca cum summa afflictione & molestia, de
B Agno & gratis azymis edit anima, illam affligente,
Exod. 12. 8. quod secum habet, peccato. Et ait, vt *ad vesperam* edatur; hora autem vespertina, media est inter lucem & tenebras: sic est anima in ipsa redemptione, inter lucem & tenebras intercedit, assistente virtute diuina quæ non sinit tenebras in animam insurgere illamque absorbere. Ac sicuti Moses dixit, *hæc est nox promissionis Dei*: ita Christus in synagoga cùm illi datus esset
Luc. 4. liber (vt scriptum est) appellauit *annum Domini acceptabilem*, & diem redemptionis. Ibi erat nox restitutionis, hic dies redemptionis, & meritò. Omnia enim illa, erant figura & vmbra veritatis, & mysticè præfigurata, describebant obscurè veram salutem animæ tenebris inclusæ, in infimo lacu clam compeditæ ac reclusæ portis æneis, vtpote quæ liberari non poterat absque redemptore Christo. Educit igitur animam ab Ægypto, & à seruitute qua premebatur in ea, interfectis in egressu, primogenitis eius. Iam enim pars quædam potentiæ veri Pharaonis occidit; luctus occupat
C Ægyptios; quoniam ingemiscunt, egrè ferentes Captiuorum salutem. Mutuari præcipit ab Ægyptiis vasa aurea & argentea, & cùm acceperint, egredi: quia dum exit è tenebris anima, argentea & aurea vasa accipit, nempe suas probas cogitationes septuplò ardentiores, quibus inseruitur Deo, & Deus conquiescit in illis: occuparant enim qui priùs erant eius vicini dæmones, ac dissipauerant illius cogitationes. Beata anima, quæ redempta est è tenebris! Et væ animæ quæ non clamat, nec suspirat ad eum qui liberare potest illam à molestis & acerbis illis operum Exactoribus! Pòst celebratum Pascha, Filij Israël abeunt: proficit anima quæ vitam sancti Spiritus accepit, de agno gustauit, eius sangui-
Exo. 13. 21. ne vncta est, & verum panem (Verbum viuum) manducauit. Columna ignis & columna nubis conseruans præcedit illos; hos Spiritus sanctus confirmat, fouens & sensim deducens animam. Animaduertens Pharao
Exo. 14. 5 cum Ægyptiis fugam populi Israëlitici, seque seruitio eorum priuatum esse; etiam post Primogenitorum cæ-
D dem persequi ausus est: Iunctis itaque diligenter cur-
Exod. 14. 19. ribus suis, ad eos delendos cum toto populo ferebatur, cumque futurum esset vt permisceretur illis, intercessit nubes quæ Ægyptios quidem impediebat & obtenebrabat, Israëliticis autem lucem adferebat & confirmabat eos. Et ne totam euoluens historiam, protraham sermonem; sumito mihi per omnia similitudinem cum spiritalibus. Cùm primùm enim anima effugit Ægyptios, accedens potentia diuina fert opem, & deducit eam ad veritatem: at vbi spiritalis Pharao (rex tenebrarum peccati) nouit animam ab ipso deficere, & vitare cogitationes quibus olim detinebatur in regno suo (si quidem hæ sunt facultates illius) arbitratus est ac sperauit truculentus ille, denuò illam ad eum redituram: qui cùm intelligeret, animam omnino tyrannidem eius fugere; impudentius clade primogenitorum & furto cogitationum accurrit, veritus ne forsan anima prorsus effugiente, nemo inueniatur qui voluntatem & opus eius perficiat: idcirco afflictionibus, ten-

Israëlitarum de Ægypto exitus, mystica de Anima in spiritualibus rebus proficiente, interpretatio.

E tationibus, bellisque non conspicuis illam prosequitur. Hic probatur, hic tentatur, hic perspicitur amor quo complectitur eum qui eduxit illam ab Ægypto, quia probanda traditur, & quouis modo tentanda. Vides tu quidem Hostis facultatem aggredi volentem & interficere, quæ tamen non possit, eò quod inter animam & spiritus Ægyptiacos Dominus stet intermedius. Spectat autem ab anteriori parte, amaritudinis, tribulationis ac desperationis Mare, nec retrocedere potest cum videat hostes paratos, nec in anteriora progredi, cum metus mortis, graues & variæ afflictiones quibus premitur, mortem illi ponant ob oculos. Igitur de seipsa desperat anima, habens in se sententiam mortis propter circundantem illam malorum multitudinem. Cùm autem Deus animam metu mortis penè labi animaduerterit, hostemque paratissimum ad deuorandam eam; tum exiguum præbet auxilium, longanimiter agens cum anima & probans eam, an stet in fide & an diligat eum. F
Talem enim viam statuit Deus, quæ deducit ad vitam, degere in tribulatione & angustia, in probatione multa & tentationibus acerbissimis, vt inde posteà occurrat anima per afflictionem ingentem & mortem ante oculos positam: tunc manu valida & brachio excelso, per illustrationem sancti spiritus frangit vires tenebrarum, & transit anima fugiens per horrenda loca, traiicit Mare caliginis & ignis omnia deuorantis. Hæc sunt animæ mysteria quæ verè complentur in homine qui studet ad promissam vitam peruenire, quive redemptus est è regno mortis & accepit arrabonem à Deo, particeps effectus Spiritus sancti. Deinceps liberata ab hostibus suis anima, acerbo Mari virtute diuina traiecto: vbi prospicit hostes quibus nuper inseruiebat, ante oculos interiisse; accepta à Deo consolatione exultat indicibili & glorioso gaudio, & requiescit in Domino. Tum spiritus quem accepit, canit Deo canticum nouum; tympano, nempe corporis: & cytharæ G
siue animæ chordis rationalibus, cogitationibusque subtilissimis, ac plectro gratiæ diuinæ, & ad Christum viuificum, hymnos transmittit. Nam quemadmodum Spiritus transiens per fistulam vocem emittit, ita per sanctos & spiritu præditos homines, Spiritus sanctus mundo corde laudat, psallit, & precatur Deum. Gloria sit ei qui liberauit animam à seruitute Pharaonis, & constituit illam suum thronum, domicilium, templum & sponsam mundam, eamque adhuc in hoc Mundo existentem introduxit in regnum æternæ vitæ. In Lege, animalia ratione carentia offerebantur in sacrificium, quæ nisi mactarentur, gratæ non erant oblationes: modo quoque nisi occidatur peccatum, oblatio non est accepta apud Deum, & vera. Venit populus in
Maran, vbi fons erat aquam emittens amaram & ad bibendum inutilem: Iubet ergo Deus, Mosem hæsitantem proiicere lignum in aquam amaram, lignoque sic immisso facta est aqua dulcis, & ab amaritudine mutata, Exod. 15. 23. Num. 33. 8.
vtilis & potabilis effecta est populo Dei. Ad hunc quoque modum anima quando bibit vinum Serpentis, amaritudinem contraxit, & facta est similis eius amaræ H
naturæ, ac peccatrix euasit: propterea Deus immittit lignum vitæ in ipsum fontem cordis amarum, qui ab amaritudine transmutatus & contemperatus, cum spiritu Christi, dulcedinem recipit, & hac ratione fit idoneus, & cedit in obsequium Domini sui, quia fit spiritus gestans carnem. Gloria sit ei qui nostram amaritudinem mutauit in dulcedinem & probitatem spiritus; Væ illi, in quem lignum vitæ non est iniectum, quia non potest aliquam mutationem idoneam obtinere! Virga Mosis duplicem gerebat imaginem, nam hostibus occurrebat, vt Serpens mordens & enecans, at Israëlitis erat vice baculi quo nitebantur; sic etiam verum lignum crucis, quod est Christus; hostium quidem Spirituum nequitiæ mors est, animarum verò nostrarum baculus, tuta sedes, & vita, in qua conquiescunt. Siquidem antè figuræ fuerût & vmbræ, quam hæ res veræ; quia cultus antiquus, est vmbra & imago cultus præsentis. Item Circuncisio, Tabernaculum, Arca, Vrna, Manna, Sacerdotium,

Exod. 4. 10. Exod. 9. 15.

Testamenti veteris omnia, propter animam, scripta sunt & instituta.

A dotium, Incensum & Ablutiones, atque (vt semel dicam) quæcumque fiebant apud Israëlitas in lege Mosaica & temporibus prophetarum, ipsius animæ causa facta sunt, quæ ad imaginem Dei creata, sub iugum seruitutis cecidit, ac sub regnum grauium tenebrarum. Cùm hac enim Deus societatem inire voluit, & hanc aptauit sibi in sponsam regiam; hanc purgat sordibus, & abluens nigredinem eius & turpitudinem, splendidam reddit, mortalitatem viuificat, contritioni medetur & placat eam, inimicitiis eius conciliatis. Etenim cùm sit creatura, in sponsam Filio Regis aptata est; eamque propria virtute Deus suscipit, paulatim immutans donec ad suum incrementum perduxerit eam. Extendit enim eam, & crescere facit ad infinitum & immensum augmentum; donec immaculata & eo digna sponsa fiat. Primùm enim gignit illam apud semetipsam, ac per seipsum auget, donec integram assecuta fuerit dilectionis eius mensuram. Nam cùm ipse sit B sponsus perfectus, assumit eam sponsam perfectam, in sanctam, mysticam, & impollutam nuptiarum societatem; tumque regnat cum illo per infinita sæcula.

Anima paulatim proficit in spiritualibus.

DE PERFECTA FIDE in Deum.

HOMILIA XLVIII.

Dominus volens suos discipulos ad perfectam fidem adducere, dicebat in Euangelio; *qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est, & qui fidelis est in minimo, in maiori fidelis est.* Quid est modicum illud, quidve magnum? Modicum, sunt promissiones ad hoc sæculum pertinentes, quibus pollicitus est se præstaturum credentibus in eum (verbi gratia) victum, vestitum, & reliqua quæ faciunt ad prosperum statum & C valetudinem corporis: de quibus præcepit ne quis omnino sit sollicitus; sed per fiduciam quam concepit de eo, credat Dominum per omnia prouidere his qui perfugiunt ad illum. Magnum autem, sunt æterni atque incorruptibilis sæculi dona quæ promisit se collaturum credentibus ei, quique de illis sine intermissione sunt solliciti, & poscunt ab eo, quia præcepit: *Vos autem* (inquit) *primùm quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis:* vt ex his modicis & temporaneis quisque probetur an credat Deo qui promisit se daturum modò nos talia nihil curemus, sed de futuris dumtaxat æternis solliciti simus. Itaque tunc perspicuum est, illum habere fidem de incorruptibilibus, & re vera quærere perpetua bona, si de iam dictis sanam conseruet fidem. Debet enim quisque eorum qui obtemperant verbo veritatis, probare seipsum ac discutere vel à spiritalibus viris discerni atque examinari, quo pacto credidit ac dedicauit seipsum Deo: an certo in veritate iuxta verbum eius, an opinione iustificationis & fidei quam habet apud se, credere se existiment. Nam D an in modico quisque sit fidelis, ex momentaneis (inquam) iudicatur & arguitur: quo verò modo, audi: Aisne te credere dignum haberi regno cœlorum, & natum desuper esse filium Dei, & cohæredem Christi; teque regnaturum cum illo per omnia sæcula, ac deliciis fruiturum in lumine arcano, sæculis infinitis & numero carentibus, quemadmodum & Deus? Vtique dices, proculdubio. Propter hanc enim causam à Mundo recedens, meipsum Domino deuoui. Te igitur ipsum discutito, num fortè curis terrenis adhuc detineare, sitque tibi sollicitudo non parua de alimento corporis & amictu, necnon de reliquis studiis & recreatione, quasi tua facultate possis & prouideas tibiipsi de quibus mandatum est (quantum ad te attinet) non esse prorsus sollicitum. Si enim accepturum te credis quæ sunt immortalia & perpetua, quæ permanent & non corrumpuntur, quantò magis hæc prætereuntia & terrena credere debes Dominum tibi donaturum, quæ vel

Luc.16.d.
Luc.12.
Mat.6 d.

E impiis hominibus, bestiis ac volucribus largitus est? vt præcepit horum curam omnino non gerere, dicens, *ne solliciti sitis quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini, hæc enim omnia gentes inquirunt.* Sin de istis adhuc es sollicitus, & non credis teipsum totum verbo illius: scito te non credere æterna bona, quod est, regnum cœlorum te esse accepturum: sed fidem habere te putas, qui in exiguis & corruptibilibus incredulus adhuc inueniris? Et iterum: *sicuti corpus plus est quam vestimentum, sic anima plus est quam corpus.* Credis ergo à perpetuis & incurabilibus apud homines vulneribus, hoc est, ab ignominiosis affectionibus, per Christum animam tuam sanari, cuius gratia Dominus etiam huc venit, vt nunc Fidelium animas curet à non sanabilibus affectionibus, & expurget à sordibus lepræ vitiorum, qui solus est verus medicus, & curator? Dices planè; Credo! in hoc enim consisto, spemque talem habeo: Idcircò, teipso discusso agnosce num F aliquando morbi corporei te deducant ad medicos terrenos, quasi Christus, cui credidisti curare te nequeat! Vide, quo pacto teipsum decipias quia te fidem habere putas qui nondum verè credis quemadmodum oportet! Si enim immortalis animæ perpetua & incurabilia vulnera affectionesque vitiosas credidisses à Christo curari, crederes etiam eum sanare posse corporis morbos & affectiones temporaneas: atque ad ipsum duntaxat confugeres, contempta medicorum industria & curandi facultate. Nam qui creauit animam, ipse quoque corpus fecit: & qui illam immortalem sanat, non minus corpus à momentaneis affectionibus & morbis curare potest. Atque hæc vtique mihi dices: curandi corporis causa dedit Deus herbas terræ, & pharmaca, medicorumque officia præparauit ad morbos corporis, dispensans, vt corpus è terra sumptum, variis è terra rebus curetur! Confiteor & ego, hæc ita se habere. Verum attende; & modum intelliges, quibus hæc Deus dederit, & quibus per summam & infinitam beneuolentiam & benignitatem concesserit. Cùm G excidisset homo à mandato quod acceperat, & in sententiam iræ incurrisset, à deliciis paradisi exterminatus, in hunc Mundum tanquam in captiuitatem & infamiam & in officinam cuiusdam metalli sub potestatem Tenebrarum redactus, ac affectionum errore factus infidelis, delapsus est in affectiones & morbos carnis, qui prius erat impassibilis & expers morbi. Perspicuum porrò est, omnes quoque homines ex eo natos, iisdem affectionibus esse factos obnoxios. Quocirca Deus ingenti clementia motus, nolens penitus interire peccans hominum genus, ista concessit infirmis & incredulis. Sed ad demulcendum, sanandum & curandum corpus; hominibus huius Mundi cunctisque extraneis contulit pharmaca, quibus etiam vti permisit eos qui nondum per omnia, Deo seipsos credere possunt: Tu verò qui vitam agis solitariam, qui ad Christum accessisti & Dei filius esse desideras ac desursum è Spiritu nasci, qui sublimiores & grandiores quàm primus H homo impassibilis promissiones stipulatus es (nempe gratissimum aduentum Domini) qui peregrinus in hoc Mundo factus es; recentiorem quandam & inauditam fidem, intellectum, & conuersandi orationem præter omnes huius Mundi homines, obtinere debes. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in secula, Amen.

Matt.6 d
Matt.6.c
Pro valetudine corporis, ad Deum potius quam ad medicos confugiendum.
Medicina à Deo concessa infirmis in fide.
Monachus recentiorē & inauditam fidē debet ostendere.

NON SATIS EST, HVIVS SÆCVLI delicias reliquisse, nisi quis alterius sæculi beatitudinem consequatur.

HOMILIA XLIX.

Si quis Domini gratiâ à propriis decesserit, abrenunciarit huic Mundo, relictis sæculi deliciis, possessionibus, patre, matreque, & seipsum crucifigens, peregrinus,

pauper,

A pauper, & egenus fiat, at pro quiete sæculi, requiem diuinam in seipso non inueniat, pro deliciis temporaneis, spiritus delicias in sua ipsius anima non sentiat; loco vestimentorum corruptibilium, diuinæ lucis amictu non induatur in interiori homine; loco pristini & carnalis huius commercij, societatem cœlestem in anima sua certissimè non agnoscat, pro gaudio huius Mundi conspicuo gaudium spiritus intus non habeat, & consolationem gratiæ cœlestis atque satietatem diuinam in anima non consequatur ita vt appareat ei gloria Domini, quemadmodum scriptum est: denique (vt in summa dicam) vice momentaneæ voluptatis huius, optatam oblectationem incorruptibilem in sua ipsius anima modo non obtineat: hic, sal insipidum factus est, hic miserabilior est cunctis hominibus; hic, & secularibus priuatus est & non fruitur diuinis: mysteria enim diuina per operationem sancti Spiritus in homine interiori non sensit. Hanc enim ob causam quispiam fieri solet alie-

B nus à Mundo, vt anima ipsius, intellectu migret ad alium Mundum & sæculum, ex Apostoli sententia, *nostra autem conuersatio* (ita) *in cœlis est*: Et iterum; *In carne ambulantes, non secundum carnem militamus.* Quapropter abnegantem hunc Mundum firmiter credere conuenit, iam nunc animo per spiritum ad alterum sæculum transeundum esse, ibique conuersari ac deliciis affluere, spiritalibus frui bonis, & è spiritu hominem interiorem nasci, vt dixit Dominus; *qui credit in me, transit à morte in vitam.* siquidem est alia mors præter eam quam conspicimus, & alia vita præter eam quæ subiacet oculis. Ait enim Scriptura; *quæ in deliciis est, viuens mortua est*: Et; *sine, vt mortui sepeliant mortuos suos*: quia *non mortui laudabunt te Domine, sed nos qui viuimus benedicimus Domino.* Nam quemadmodum Sol super terram oriens, totus est in terra, cùm autem occiderit, cunctos cogit radios suos, se recipiens domum suam: hac etiam ratione, anima quæ desursum è spiri-

Philip.3. d.
2.Cor.10 a.
Ioan.5.d.
1.Tim.5. a.
Luc.9 g.
Psal.113. d.

C tu tenata non fuerit, tota cogitationibus suis & consiliis versatur in terra, ac super terram extenditur vsque ad limites eius: cùm autem meruerit habere cœlestem natiuitatem Spiritus ac societatem cunctas cogitationes suas secum habens collectas, ingreditur ad Dominum, in domicilium cœleste non manufactum; omnesque cogitationes eius cœlestes, mundæ, sanctæque euadunt, migrantes ad aërem diuinum. Anima siquidem è carcere Tenebrarum erepta, improbique Principis spiritus sæculi; puras & diuinas nancifcitur cogitationes, quia Deo placuit hominem naturæ diuinæ participem facere. Quare si recesseris à cunctis rebus quæ sunt in vita, & perseueres in precibus tuis; operam hanc, quietis plenam potiùs arbitrabere, & modicam afflictionem atque laborem gaudio & remissione maxima refertum existimabis. Etenim si tantorum bonorum nomine, tum corpus tuum tum anima tua, per totum vitæ cursum in singulas horas absumeretur, quidnam hoc esset? O ineffabilem pietatis affectum Dei, qui dono seipsum largitur credentibus, vt intra modicum tem-

Pietas diuina erga hominem.

D pus, hæreditatis iure Deum consequatur, vt in corpore hominis inhabitet Deus, ac pro speciosa domo, hominem habeat Dominus! sicut enim Deus creauit cœlum & terram, vt incolantur ab homine, ita etiam creauit corpus & animam hominis, in domicilium suum, vt habitet & requiescat in corpore tanquam in domo sua, habens pro sponsa præclara dilectam animam factam ad imaginem suam. *Despondi enim vos* (inquit Apostolus) *vni viro, virginem castam exhibere Christo*: Et iterum: *cuius domus sumus nos.* Quo enim pacto, vir in domo sua, summo studio thesaurizat omnis generis bona: non aliter Dominus domum suam (nempe in animam & corpus) recondit & thesaurizat diuitias cœlestes spiritus. Cæterùm nec sapientes sapientia sua, neque prudentia sua prudentes, subtilitatem animæ consequi potuerunt, aut de illa dicere quemadmodum se haberet, exceptis quibus reuelatur per Spiritum sanctum: ab his duntaxat comprehenditur anima, & exacta eius cognitio perspicitur. Verùm hic contemplare,

2.Cor.11 a.
Heb.3 b

Philosophi non cognouerūt Animæ naturam.

E discernito, & intellige, quo pacto. Audi: hic, Deus est, illa non est Deus, hic dominus, illa ancilla, hic Creator, illa creatura, hic Opifex, illa figmentum, inter huius & illius naturam nihil est commune. At per infinitam, indicibilem, & intellectu non comprehensam eius chariratem ac pietatem intimam placuit illi inhabitare in hoc ipso figmento & creatura intellectiua, præstantique & electo opere, vt ait Scriptura: *vt simus nos initium aliquod creaturarum eius*, in sapientiam & societatem eius, in proprium illius habitaculum, in propriam ac mundam sponsam. Quare cum talia proponantur bona, cùm huiusmodi sint emissæ promissiones, cùm tanta sit erga nos Domini beneuolentia, ne contemnamus (ô filij) néve cunctemur ad vitam æternam proficisci, ac nosipsos beneplacito Domini penitus deuouere. Quocirca Dominum inuocemus, vt sua diuina potentia redimat nos è carcere tenebroso affectionum obscœna-

Iac.1.e.

F rum, & imaginem suam & figmentum vindicatum splendidum reddat, saluam ac puram efficiat animam, & hac ratione digni habeamur societate Spiritus, gloriam tribuentes Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in sæcula, Amen.

DEVS EST QVI PER SANCTOS *suos & creaturas edit miracula.*

HOMILIA L.

QVis clausit portas cœlorum? Elias. An Deus erat in eo qui imperabat etiam pluuiæ? Qui potestatem habet in cœlum; is (vt arbitror) insidebat in animo illius; verbumque diuinum per linguam ipsius prohibebat, ne descenderet pluuia super terram. Iterum locutus est, & apertæ sunt portæ cœlorum, ac descendit pluuia. Itidem etiam Moses ponebat virgam, & fie-

3.Reg.17 a.
Exod. 8.

G bat Serpens, & rursum cùm loqueretur, erat virga. Accepit cinerem è camino, quem dispersit, & producebantur vlcera. Et iterum percussit, & exorti sunt ciniphes & ranæ. Hæcne poterat edere natura humana? Locutus est Mari, & diuisum est, fluuio, & conuersus est in sanguinem. Atqui clarum est, quòd in mente ipsius habitabat potentia diuina, ac per Mosem edebat hæc signa. Qui poterat Dauid absque armis committere bellum cum tali Gigante? Itaque quando Dauid manu proiecit lapidem in Alienigenam; manus Dei dirigebat lapidem, ipsaque potentia diuina interemit illum & parauit victoriam: non enim potens erat Dauid, cùm esset imbecillo corpore. IESVS filius Naue cùm venisset Iericho, obsedit septem dierum spatio, cùm suapte natura nihil efficere posset: at vbi iussit Deus, muri sua sponte corruerunt. Et cùm ingressus est terram promissionis, dixit ei Dominus, *proficiscere in bellum*: respondit IESVS; *viuit Dominus, non procedam sine te.* Portò quis in conflictu belli mandauit Soli vt duas alias horas subsisteret? Soláne ipsius natu-

1. Reg. 17.

H ra, an quæ illi assistebat potentia? Moses etiam in bello quod gerebatur aduersus Amalechitas, quando manus in cœlum extendebat ad Deum, vincebat Amalechitas: cùm autem demitteret manus, Amalech superior erat. Tua verò (qui audis hæc gesta) mens ne procul abeat, sed cùm illa rerum verarum figura fuerint & vmbra, eadem tibi ipsi adapta. Nam quandocumque animi tui manus & cogitationes extenderis in cœlum Dominoque adhærere volueris, cogitationibus tuis Satanas inferior erit. Et quo pacto diuina potentia ruerunt muri Iericho; ita nunc etiam vitiorum muri, qui mentem tuam impediunt, vrbesque Satanæ, hostes denique tui, virtute diuina perdentur. Hunc in modum vmbra legis vigente, virtus diuina continenter aderat Iustis quæ manifesta peragebat miracula, & interiùs apud eos habitabat diuina gratia. Nec aliter operabatur in prophetis, quorum animis suppeditabat spiritum prophetandi dicendique Mundo res insignes, cùm exigeret vtilitas.

Prophetæ nō passim loquebantur.

A Siquidem non passim loquebantur, sed quando placebat ei qui in ipsis erat Spiritui, facultas nihilominus semper aderat. Quocirca si tam copiosè effusus est in vmbram Spiritus sanctus, quantò vberius in nouum Testamentum, in crucem, in aduentum Christi, quando facta est effusio & ebrietas Spiritus? *Effundam* enim (ait) *de spiritu meo super omnem carnem.* Hoc est, quod ipsemet Dominus inquit; nempe: *vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Omnis* enim *qui quærit, inuenit.* Si enim *vos* (ait) *cùm sitis mali, nostis bona dona dare filiis vestris, quantò magis Pater vester qui in cœlis est, dabit Spiritum sanctum petentibus se,* cùm virtute & certitudine summa secundùm Apostolum? Cæterum ista, modo, tempore, labore non modico, patientia, atque erga Deum dilectione comparantur, dum (vt diximus) organa animæ sensitiua exercentur ad bonum & malum, nempe tam machinis; circumuentionibus ac multiplicibus circunstantiis & insidiis B vitiorum, quàm diuersis gratiarum donis, variisque subsidiis opera & virtute Spiritus accedentibus. Nam qui perspicit cicatrices vitiorum, affectionibus pollucntes interiorem hominem, & non agnoscit in se opitulationem sancti Spiritus veritatis, corroborantem infirmitatem suam, ac renouantem animam in exultatione cordis, hic sine discretione graditur, ignorans planè multiformem dispensationem gratiæ pacisque diuinæ. Et è diuerso, qui adiuuatur à Dominó, & affluit lætitia spiritali ac donis cœlestibus, si arbitretur se non amplius obnoxium peccato, occultè decipitur vt qui non habeat facultatem discernendi subtilitatem vitiorum, nec intelligat incrementum pueritiæ atque perfectionem in Christo paulatim fieri, vtpote ministratione sancti diuinique Spiritus. Gloriam tribuamus Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in secula, Amen.

Ioël.2.g.

Act.2.
Matt.28.d.
Mat.7.b.

C

SANCTI SERAPIONIS Episcopi Thmueos aduersus Manichæos Liber.

INTERPRETE *FRANCISCO TVRRIANO Societatis* IESV.

SANCTVS HIERONYMVS Lib. de Viris illustribus.

SERAPION Θμούεως *Ægypti vrbis Episcopus, qui ob elegantiam ingenij, cognomen Scholastici meruit, carus Antonio Monacho, edidit aduersum Manichæum egregium librum, & de Psalmorum titulis alium, & ad diuersos vtiles Epistolas: & sub Constantino principe etiam in confessione inclytus fuit.* D

MARTYROLOGIVM ROMANVM Die XXI. Martij.

A*LEXANDRIÆ B. Serapionis anachoretæ & Episcopi Thmueos, magnarum virtutum viri, qui Arianorum furore in exilium actus migrauit ad Dominum. In quæ verba Illustriss. Card. Baronius. De eodem Serapione Beda, Vsuardus, Ado, & alij, licet eum tantum dicant Anachoretam, verum insignem illum Serapionem ab Athanasio fuisse ordinatum Episcopum, constat ex Epistola eiusdem Athanasij ad Dracontium. Exstat de eo Alexandri Episcopi Thessalonicæ ad Athanasium Epistola, quam intexuit idem Athanasius in Apologia secunda.* E *Agit de eodem S. Hieronymus lib. de Script. Ecclesiast. & in Epist. ad Magnum 84. Ad hunc Serapionem exstat Epistola insignis eiusdem S. Athanasij aduersus eos, qui mussitare incipiebant, Spiritum sanctum esse creaturam: Item commentarius de blasphemia in Spiritum sanctum, & Epistola alia de morte Arij, & statu illius temporis.*

Fuit autem Serapion noster Episcopus Thmueos, sic dicta ciuitas in Ægypto ab hirco, vt testatur S. Hieronymus contra Iouinianum lib. 2. Thmuis, inquit, interpretatur hircus: Meminit eiusdem ciuitatis Cassianus Collat. 14. cap. 5. & Collat. 16. cap. 1. Posita hæc ciuitas erat in ea Prouincia Ægypti, dicta Scethi, quæ & à Scythis Orientalibus Scythia appellata sæpius reperitur: à Scythis enim Ægyptios fuisse debellatos, auctor est Iustinus hist. lib. 2. de eremo Scethi, quæ & Scythia dicitur, frequens est mentio apud Pallad. in Lausiacis, Euagr. Cassian. Sozomen. Nicephor. & alios. De vrbe Scethi & Scythiaca regione meminit Ptolemæus lib. 4. Quod dicta ciuitas Thmueos in F *Scethi fuerit, constat ex Epistola S. Germani Capuani Episcopi, & aliorum legatorum ad Hormisdam Papam, quam habemus nos M. S. in qua leguntur de Monachis Scethi seu Scythiæ: Isti de sua prouincia Episcopos accusant, inter quos est Thmuitanæ ciuitatis Antistes, &c. Hæc Baronius. Quæ sequuntur, Ortelius in Thesauro suo Geographico. Thmuis Ægypti vrbs Metropolis Stephano & Ptolomæo, atque in oraculis Sibyllinis. Item apud D. Athanasium. Thmui legit Ammianus: & Thmuis Antoninus. Thmois liber Notitiarum.* Θμοῦις. *Nomus puto legi apud Herodoti Euterpen pro* Θμούιτης. *Non est in Scythiaca regione, vt quidam vir doctus vult. Consule nostram Ægypti veteris tabulam. Ita Ortelius.*

EX BELLARMIN. DE SRCIPT. Ecclesiasticis.

S*Erapion Episcopus Thmueos à S. Athanasio ordinatus.* G *Vir fuit S. Antonio charus, vt scribit S. Hieronym. in lib. de Scriptor. Eccles. scripsit,* librum contra Manichæos, *qui extat tomo 5. antiq. lect. apud Henric. Canis. scripsit etiam* de Psalmorum titulis, & epistolas ad diuersos, *teste S. Hieronym. in lib. de script. Eccles. sed non videntur extare.*

SERAPIONIS EPISCOPI Thmueos aduersus Manichæos Liber.

SOLVIT errorem veritas, & extinguit fallaciam, & omnis mendacij ortum intercipit, ac prohibet. Obsecremus igitur Dominum IESVM, qui est veritas, vt illuminet mentem nostram, vt neque fallacia mentem capere possit, nec error vincere, neque si ceperit, aut vicerit, firmam, & stabilem victoriam H obtineat. Solummodo enim si apparuerit, & radios veritatis suæ emiserit, fallaciam quidem inductam dissipabit, mentem vero extra errorem conseruabit. Ipse enim clamat, ego sum via, veritas, & vita. Ipse præcipit: attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces. Quia enim illorum modus fraudulentus erat, & mores simulati, non celauit eos veritas, sed nudauit, permittens, vt quod in mente latet ab eo, quod extrinsecus fictum & simulatum est, tegatur, vt ipsa fallacia deprehensa infirma fiat in eorum argumentis, itavt neminem irretire queat.

Est igitur malitia multiformis, & multipartita, in varias argumentationes fusa. Cuius partes quædam nocentiores sunt, & magis mortiferæ, quamobrem neque minora tacenda sunt, neque maioribus parcendum, cum sciamus minores quidem partes vitij minora damna

A parere, maiores vero magna. Qui enim in grauioribus labitur, grauioribus pœnis punitur: & qui à maiore deceptus est, maius supplicium sustinet. Ponderantur enim fallaciæ, ponderantur etiam peccata, & qui ponderatur, pro grauitate ponderis supplicium reportat, neque quicquam qui iudicat, non ponderatum relinquit. Quin etiam vniuscuiusque, qui fefellit, fallaciam & facilitatem eius, qui deceptus est, demensus pœnam decernit: quocirca studendum est, vt ne minima quidem fallacia capiamur, siquidem minima fallacia instar scintillæ, nacta materiam, assensionem animæ, incendium magnæ flammæ efficit: multi enim principio ex paruo errore cepto, in pelagus erroris delapsi, & effusi sunt.

Idcirco curandum est, vt ne minimo quidem errore labi contingat, pulcherrimo animæ propugnaculo ædificato, ne maiore capiamur. Qui enim in paruis labitur errore, labetur aliquando in maioribus, & qui non

B est seductus à paruis, erit ita contra maiora munitus, & tutus, vt ei resisti non possit. Quia igitur si multi lupi pelles ouium induti, gregem inuaderent, non sileret pastor, sed gladium vibraret, vt in tuto gregem collocaret, nudans, & patefaciens conatum ferarum: Ecce multi sunt, qui exierunt, & hic, atque illic errant, pro pellibus ouium nomen Christi induti, qui se quidem dicunt, quod non sunt, quod autem sunt, dici nolunt, sed suam improbitatem amictu nominis tegunt, qui commune quidem habent nomen, student vero, vt nomen Christi funditus deleant, qui contra IESVM militant; & IESVM inuocant. Hæc est difficillima omnium improbitas, nomine Christi, appellari, & Christum oppugnare. Etenim quia non potuit peruersitas contra Deum bellum gerere, vsa est nomine, vt vsu nominis opinionem imprudentibus iniiciat, vt quasi Christi familiaris hic, & illic, vt libet, eos, qui in Saluatorem crediderunt, perdat. Sic Valentinus exiuit, sic Marcion, sic Sitianus. Aliunde vero etiam Phanius. Postrema (*fort. Scythianus.*)

C abortio improbitatis, quæ omnes aliorum improbitates extenuauit, & maiore improbitate aliorum improbitates in secundis posuit, furor Manichæi est: & in Prophetis scriptum est, propter nimiam negligentiam Hierusalem, *iustificata est ex te Sodoma*. Multæ quidem paulo ante opiniones absurdæ, & falsæ extiterunt, quæ cum magnitudine prauæ opinionis Manichæorum comparatæ, moderatæ sunt, cum sint alioqui in pelagus inundantis prauitatis demersæ. (Ezech. 16)

Et vt non leuiter absurda refellere aggrediamur, & nominibus eorum tantum vsi videamur sine conclusione argumenti, quæ est ἀπόδειξις, ad eorum accusationes accedere, age, conferamus nos ad rationem demonstrantem vt illorum errores soluamus, & veritatem in medium producamus. Est igitur vitium expers substantiæ, & non per se existens, actio potius, quam essentia, sine substantia & actio, ex electione proficiscens eorum, in quibus electio ægrotat atque actio, quæ accidit quidem, facile vero ab iis qui ægrotauerunt, abscedit. Sin vero accidisset quidem, sed non abscederet,

D dici posset, non esse quidem per se vitium, neque posse tamen substantiam esse vnquam absque vitio. Quod si accidit electio, facile autem separatur, vt rursus quod vitio subiectum erat, purum reddatur, neque vitij signa, ac vestigia habeat, erit vitium neque per se nihil, neque aliquid quod per se esse queat, neque quod semper sit, sed potius deletur, & dum deletur, conuincitur non posse per se esse, & quandoque non fuisse, quin potius paulo ante ex electionis inualetudine prodiisse. Quod autem non reperiatur anima secundum substantiam mala sic natura facta, neque corpus per se, substantia malum, testantur rationes & actiones: Etenim si temperantia virtus est, corpus verò substantia malum, non posset reperiri corpus temperans, ne corpus, quod substantia turpe & vitiosum est, corpus virtutis efficiatur. Cum enim corpus se temperat, corpus virtutis factum est, & corpus virtutis est, & quia corpus virtutis est, potest esse templum. Si enim omne

E corpus libidini deditum esset, & non posset reperiri in corporibus temperantia, potuissemus attribuere substantiæ corporum, substantiale malum. Sin verò vsque eo processerunt corpora, & tantopere honorata sunt, ac tantam temperantiam induerunt, vt domus fiant auctoris & conclaue Domini, vt pater & filius ad ea veniant, & in eis habitare velint, quomodo non est absurdum, & ridiculum quod aiunt.

Ecce enim Paulus alicubi ait: *an nescitis, quod corpora vestra templum sunt Spiritus sancti*. Deus autem per Propheram promittit, inquiens: *habitabo in eis, & inambulabo, & ero ipsorum Deus*. Hæc scriptura & mente suadet, & corporibus attestatur, & substantiale malum expellit: Studium vero actionis rem efficit, cum enim idoneam vitam & aptam reddit, tunc talis fabrica in corporibus redditur, vt possint corpora Spiritui sancto deseruire, deseruire item rationi. Quomodo igitur potest lingua cogitatis inseruire? Si enim lingua ma- (Ioan. 14. 1. Cor. 3.)

F la est, mens autem bona, quomodo potest societatem cum cogitatis habere, notiones in lucem interpretatione proferens? Sicut enim ex libidine non gignitur temperantia, sic fieri non potest, vt ex malo secundum substantiam aliquid honestum proficiscatur. Cum igitur singula membra consideraueris, auditum, aspectum, linguam, alia membra, & videris facta esse instrumenta præceptorum, quæ didicimus, tunc corpus quidem laudabis, & non vituperabis, videbisque facta esse, hæc esse pura, ac munda, execraberis autem fraudulentum veritatis inimicum.

Quod si quæ partes corporis semper essent temperantes, nunquam in pigritia, aliæ vero semper pigrantes, nullam partem temperantiæ amplectentes, dici posset, diuisionem esse in corporibus, & partes quasdam sic natura factas esse, quasdam verò aliter, essetque in hoc ratio eorum infirma, non enim iam de totis corporibus eorum disputatio esset si tali hypothesi vterentur. Sed facile rursus sic redarguuntur: Quomodo enim pos-

G sunt corporum eiusdem substantiæ duæ contrariæ naturæ ab eadem substantia subsistere? eademque substantia in naturas duas diuidi? vt hæc pars sit semper mala, altera verò semper bona, & vt se recipere non possint, secum pugnent, à se interceant, in vsu atque exercitatione se interimant, cum alioqui substantia nunquam secum pugnet, seque tollat, si talia inquirantur, rursus ipsorum quæstio negatoria, & fatua apparebit.

Sin verò non sic sunt corpora, nec alia quidem semper sunt in virtute temperantiæ, alia verò semper in pigritia, sed metus est de temperantibus, ne quando propter negligentiam temperare pigrentur: Multa enim iam corpora ob virtutem temperantiæ clara, capta sunt, & ea æstus libidinis absorbuit: sed rursus spes est de impudicis, & libidinosis corporibus: siquidem multa iam quæ in pigritia & ignauia fuerunt, tantos progressus in continentia fecerunt, vt neque signa veteris incontinentiæ retineant: & ab omni ruga, & macula vetere propter reditum ad meliorem vitam liberata sint.

H Cum igitur ait Euangelium, quod publicani & meretrices præcedunt vos in regnum cælorum, & cum Paulus: fide Rhaab meretrix non periit cum incredulis, cuius substantiæ vel naturæ erant corpora? si enim bonæ, quomodo fuerunt pigra, si malæ quomodo temperata? si verò à pigritia ad temperantiam translata sunt, & aliquando quidem fuerunt pigra, quandoque verò temperata, & potuerunt pigrari, & potuerunt temperare, id est, quod restantur mutationes. Soluta est natura. Ostensa est electio, & non est corpus substantia malum, quin potius electioni deseruiens, & minister electionis, & non naturæ, idque futurum, quod electio dederit, vt sit. (*scil. corpus virtutis, aut corpus vitij.*)

Cum enim mens disciplinis susceptis, amore disciplinarum teneri cœpit, tunc corpus à moribus, qui illiciunt, & prouocant, solutum & expeditum, tranquillitatem magni facit, & quin actionibus deseruiat, non repugnat cum vero desidia, & mollities animum illicit, &

A tanquam dissolutio, & mollitia mentis existit, tunc perturbatio corpori adscribitur, & nihil aliud inter vtrumque intermedium cernitur: estque verum quod scriptum est, *ecce posui coram te mortem, & vitam, elige, quod vis*, vt quod iustum est, qui elegerit ad vtendum, de eo ratio in iudicio ab eo reposcatur; & non coactus ad aliquid, excuset vim & necessitatem in eo, quod egit, neque sic natus, extra querelam & culpam sit, quia naturæ repugnare non potuit. Cumque vtrumque in potestate habeat, & ad eligendum Dominus sit, iudicij proprij rationem reddat, & se defendat, quod enim elegit, volens elegit. Idcirco de voluntario iudicium subit, qui voluntate sua se ad actionem rerum applicauit. Si hæc non ita sunt, frustra sancti coronabuntur, frustra mali cruciabuntur, si actionis causa non adscribitur facientibus.

Ier.21.8. Eccl.15.18.

Quid igitur Manichæos mouit ad inferendum corporibus accusationes, & vituperationes? quos tum quæ scripta sunt, tum quæ à priscis dicta, abunde accusant, temperantia enim, quæ in actione posita est, testimonium tribuit corpori temperanti. Scriptura autem, quæ clamat: *exhibite corpora vestra hostiam viuentem, Deo placentem*, satis argumentum concludit, non enim Deus, quod non est suum, approbat, & amplectitur, neque quod ab alio fictum & simulatum est, requirit, ne qui alios de violentia accusat, ipse violentus existat, & ne quid desideret, quasi ipse facere non possit. Si enim vult, id quod honoratum est, vt corpora sint in virtute temperantiæ, quomodo non fecit, quod volebat? Sin verò fecit quidem non ipse, sed sic sunt natura facta, vt essent mala, quomodo naturam commutauit, vt non amplius haberent naturam propriam, nec essent mala, sed essent honesta? Si autem potest natura verti, ac mutari, quomodo est natura, quæ variatur? quod enim variationes, & mutationes capit, nondum finibus, terminisque naturæ continetur, mutatur autem corpus, & variatur, & quod fuit in pigritia & ignauia, temperat, & clamant præcepta, non fornicaberis; clamant, non adulterabis, & præcipiendo tollunt facultatem faciendi, & quod perfici poterat, hortando cohibent, & adiungendo rationem ad iudicium, vt mens in virtutem propensa, corpus etiam ad virtutem attrahat.

B Rom.12.1.

C

Sane quidem corpora Sanctorum tantum in virtute progressa sunt, vt honorata fuerint, & non facta vacua ab operatione, & vi diuina. Mortuum iacebat corpus Elisæi, & cum iaceret mortuum, suscitauit mortuum: expulit mortem, liberauit ab obitu, reuocauit ad viuos vita defunctum, excitauit à mortuis, corpus à Deo factum. Quod si Manichæi contra hoc furentes, etiam scripturam accusant, neque legem honorant, deterreat eos simile exemplum, faciat vmbra Petri, vt ipsos pudeat: vmbra enim erat corporis, quæ cum corpora ægrotum inumbrabat, eorum morbos depellebat.

4.Reg.13

Actor.5

Cum tales ergo sint nostræ rationes demonstratiuæ, & talis sit actio item demonstratiua, quomodo non sint absurdi, qui quæ aptari, & colligari non possunt, verbis aptare & colligare student: aiunt enim Manichæi. Corpus Satanæ gestauimus, anima vero Dei est, ac corpus quidem sic natura factum est, malum ex malo, anima vero natura facta est bona, ex bono originem trahens. Sunt igitur duo principia, & duæ substantiæ, & duo principia sunt causæ, altera quidem corporis mali, altera verò animæ bonæ. Bona igitur est anima, & corpus malum, & quomodo corpus quidem temperans est, anima verò sæpè pigra? quomodo vtrumque non manet in ordine suo: sed contra potius quod erat diaboli, fit Dei, & quod Dei, diaboli, & dissoluta est vulgata inimicitia, & facta amicitia, & fœdus, Deo animam dimittente, vt inseruiat diabolo, & contra diabolo corpus vt inseruiat Deo. Inseruit enim Deo, cum est temperans. Hoc autem Dei est, sicut rursus inseruit anima diabolo, cum non credit, & loquitur blasphema.

D

Quomodo igitur non merito moueat prudentibus risum & cachinnos, tam absurdum & ridiculum ipsorum dogma, quod introducere studuerunt? Quod autem ea vis animorum, quæ posita est in ratione, capta est vitio intemperantiæ, potuit autem rursus, & potest intemperantiam illam, qua tenebatur deserere, satis probat illa de filio adolescentiore apud patrem ignauia: reliquit patrem, profectus est ad voluptates: commoratus est in luxuria, tandem rediit ad se, reuertitur ad patrem, dimittit turpitudinem: procedit supplex ad preces, consequitur veniam, præcepta enim magni pretij, quæ didicit, obiecit, quibus fletum, quem peccatum parit, deleuit, & celebritatem lætam rationi consentaneam, & diuinam pro fletu reddidit. E Luc.15.

Nescio an Apostolum criminantur, & in Apostolis munerant propter noua. Si noua laudant, quid aiunt de eo propter vetera? Non enim priora cum posterioribus conueniunt. Lupus erat Paulus, & repertus est pastor, mactabat, & hodie scutum, & tanquam propugnator sanguinem gregis fundere voluit, ad extremum periculis se obiicit, & sanguinem suum profundere studuit, non enim recens natus, & cum dolore partus ex vtero editus, vsque ad tempus sepulturæ in eodem statu perseuerauit, sed potius variis mutationibus ac conuersionibus vsus est. Faustum quidem finem nactus, vitæ vero institutione superiori contraria vsus, non erubescit, neque tacet vetera. Laudem vitæ nouæ putauit esse, quod ex tanta peruersitate egressus, ad tantum culmen virtutis reuersus est, & clamat: *propter hoc, Christus venit in mundum, vt peccatores saluos faceret, quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem illorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam.* F 1 Tim.1.

Cum autem chorum Apostolorum contemplabimur, intelligemus ex peccatoribus, & profanis hominibus fuisse collectum, qui multa olim peccauerant, & non sunt amplius errore lapsi: in quibus duo fuerunt, lapsos fuisse, & non iam lapsos esse: Quod si mala natura præditi fuissent, semper peccassent, rursus, si bona natura, nunquam peccassent, si vero in multis lapsi, & cum multa peccata commisissent, eo euaserunt, vt non peccarent, & ad vitam ab erroribus liberam deuenerunt, constat naturam animæ liberi arbitrij ac voluntaris esse, non ad aliquid natura factam, sed electione mutationes capere, quocunque vult, se vertere & redire, quo reditum eligit, & interdum sic degere, interdum sic, vt vult, faciens voluntatem suam normam suarum rerum, norma enim actionis est voluntas facientis. Si autem quæ oderant, dilexerunt, & quæ dilexerant, oderunt, & non fuit sententia fixa in odio, sed instar volucris leuiter se transfert, quo desiderat, vbi est natura? oportet enim naturam quæ semper odit, semper odio habere quod odit, & quæ semper amat, semper amare quod amauit, & non iam amare, quæ odio habuit, neque quæ amauit, odio habere; vbi autem sententiæ mutantur, & tot mutationes capiunt amicitiæ, quid aliud res est, quam certamen? G γνώμη H

Habebatur aliquando Iesvs odio à Paulo, & magnopere amatus est ab eo qui oderat, amabatur latrocinium à latrone, & odio erat virtus, & tantam mutationem mens cepit, vt quod valde oderat, magnopere amaret, hoc enim proprium est eius qui studio virtutis tenetur, amare quidem quod odio prosecutus fuerat, & odio habere, quod prosecutus amore. Quinimò adolescentes voluptates adamarunt, & honesta odio habuerunt. Hodie cernimus eos esse in scientia & cognitione, idcirco nec agnoscuntur, idcirco secum certauerunt, idcirco nec imaginem veterem sumunt, at homines sunt, & iidem sunt, non desierunt esse homines, manente alioqui substantia, non manent mores. Substantiæ non sunt solutæ, mores sublati sunt, vniuscuiusque substantia existit hominis substantia, sed non iam hominem agnosco: erat libidinosus, & factus est pudicus: latro erat, & vitam benigni & benefici imitatus est, non figuram

personæ

A personæ deleuit, permanent lineamenta aspectus, non abstulit aspectum naturæ.

Cum hominem video, agnosco, qualis est: cum verò mores contemplor, admiror, non amplius agnosco, morum translatio admirationem attulit. Substantiæ quidem non sunt mutatæ, corpus enim in substantia corporis perseuerat, non aliud factum, nec enim corpus in incorporeum translatum est, nec anima alia extitit secundum substantiam. Quin potius manentibus substantiis, non permanserunt studia.

Quid igitur dicemus? si manentibus substantiis non permanserunt studia, non insunt in substantia studia. Si enim in substantia inessent, simul cum substantiis permanerent, & non mutarentur. Quod si substantiæ in natura* sua perseuerauerunt, non autem perseuerauerunt studia, sed potius oculus, qui olim voluptate capiebatur, temperantiam pro claustro habuit, lingua, quæ olim prompta, & præceps fuit, & consilia præcurrens, iam
B fræno rationis obtemperat, & confitetur, & quæ errore carent, loquitur, corpus verò paulò ante erat in metu, quiescebat, erat contractum, & postea temperatè viuit: sequitur, naturam oculi non esse appetitum, neque linguæ naturam petulantiam, neque corporis naturam pigritiam, & ignauiam. Quod si oportet in naturalibus persistere, & non hæc tacere, oculi erat videre, non quomodo videret, & linguæ item loqui, non quomodo loqueretur, qualitas enim motuum posita est in electione. Simplex autem*, & non periculosa rerum mo-
γνώμη ἢ μαθημάτων, κίβδηλα. rio membris attribuitur. Periculo igitur vacat simplex motus: incerta verò est mutatio, ac iudicium quidem & disciplina præceptionum, cum tanquam duces oculis præeunt, rectus & diuinus est aspectus vsque ad ea, quæ aspectu digna sunt porrectus. Cum verò negligentia dominatur, turpes, & fucatæ sunt res. Sic etiam corpus, sic omne membrum actionem honorat, actionem imitatur: bonum est, quod formatum est, potest enim deseruire virtuti. Sanctæ sunt leges, curant enim
C vt diligentiam adhibeat, quod formatum est. Misce cum formatione legem, & videbis quod formatum est, similitudinem eius, qui formauit, habere, imitabiturque eum; sin verò formatus es, sed lineamenta formationis non reddis formato, ferè accusas, & calumniaris auctorem, & cum videris contumeliosus esse in id quod factum est, contumeliam infers ei, qui fecit.

Quandoquidem verò aliqua est animæ substantia, & non est soluta, neque soluetur substantia* eius; sæpè autem soluti, & sublati sunt mores, quid quod solui potest, tanquam solui non possit, substantiale esse confiteris? Sunt sæpenumerò animæ captæ quidem imprudentia, postea verò prudentiam amplexæ sunt. Et rursus sæpè prudentia illustres, quandoque in imprudentiam ceciderunt. Sæpè audiuit, homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & simi-
Psal 48. lis factus est illis, clamauit etiam Paulus: stulta mundi
1. Cor. 1. elegit Deus, vt sapientes confunderet: igitur qui erant
D in stultitia, ad prudentiam deuenerunt, & qui erant in prudentia, ad stultitiam, & segnities quidem mentem cœpit ægritudine prudentiæ captam, disciplina verò mentem insipientem recuperauit, & eiecta ægritudine imprudentiæ propriam valetudinem reddidit. Vitia ergo & virtutes mutationes cœperunt, comparari possunt, & amitti: habes, & non habes, inuenisti & amisisti, habes, quod inuenisti, non habes quod amisisti, inter eos, qui inueniunt, & perdiderunt, numeraris, aliud est, quod inuenitur & amittitur, hoc enim est virtus & vitium. Qui verò inuenit, & perdit, is est, qui virtuti & vitio operam dat, & vitium quidem nihil; propriè enim nihil est, non enim potest per se esse vitium, actionem verò mollitie affectionis consistentem, & voluntatis studio consultæ intereuntem sume scilicèt ex iis, quæ addiscuntur, & ex motibus considera quæ foris sunt, contemplare, quæ intus, perspice cogitationes: cum sentis turbidum motum, & tumultum quendam, cum voluptas titillat, cùm iam sic in periculo versans, præsentia & præsidio paruæ disciplinæ tranquillitatem; & multam constantiam in E anima vides, idque fit in eodem, neque multo interuallo temporis, quin potius sæpenumerò puncto temporis.

At sæpè cum anima aliquid turpe appetit, & statim se cohibet, & sedationem perturbationis sibi affert, ac continuò quæ ad temperantiam pertinent, legit; cum hoc, inquam, fit, quomodo non est admirandum? quomodo non est dicendum, nihil esse proprium animæ? seu potius proprium ab anima fieri id, ad quod se vult applicare, nullamque turpitudinem per se esse, quin imò tunc videri esse, cum cogitatione fingitur. Non sunt igitur turpia per se, sed cum mens ad ea deflexit, & facta est propensa, tunc consistunt, vnde scholis indiguit anima, à quibus acumen, & splendorem caperet. Ex quo fit, vt sæpè secum loquatur seipsam excitans, aut ab alio excitata audit: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ* Ps. 102.
intra me sunt, nomini sancto eius: &, *Lauda anima mea* Ps. 145.
Dominum, aut enim rationibus excitata, & commota F fortior facta est, aut alterius monita perfectum statum ei tribuunt. Sæpius verò se ad turpitudinem incitat & hortatur, & quæ sunt absurda, sibi concedit, & clamat: *anima habes bona posita in multos annos, comede, bibe,* Luc. 12.
lætare.

Si animæ, quæ sibi suggerunt inhonesta, aliæ essent, 1. Tim. 6.
ac per se essent, aliæ verò, quæ honesta, & temperata, dici posset esse duo genera animarum, & rursus eos, qui hoc dicerent, rideremus, essetque valdè pudendum opinioni Manichæorum, qui insaniam in duo genera diuidunt, quique sibi repugnantia loquuntur, & non tenent cum honore opinionis suæ absurdæ consensionem. Quod si eædem sunt animæ, & anima, quæ paulò ante turpia sibi suadebat, suadebit sibi aliquando honesta, & quæ paulò ante ad honestatem se excitabat, quandoque se in turpitudinem proiiciet, & quæ aliquando honesta amplexa est, & honore prosecuta, aliquando illa deseruit, ipsa mutatione conuincetur liberæ voluntatis esse. G

Erat Demas cum Paulo, cum consuetudinem eius & 2. Tim.
familiaritatem magnifaciebat. Captus est cupiditate dia- 4.
bolica, reliquit consuetudinem Apostoli, & factus fugitiuus, ad gloriam sæculi properabat; *Demas*, inquit, *me reliquit, diligens hoc sæculum & profectus est Thessalonicam:* sequebatur aliquando Giezi Elisæum, & ad inseruiendum ei se attemperabat, & ostensa opportunitate habendi pecunias, dimisit diuina, & acceptis nummis, mentem suam vendidit, & pecuniis addixit. Iudas è numero Apostolorum erat, expellebat aliquando febres, militauit contra dæmones, vnus erat ex iis, qui aiebant: *Domine ecce dæmonia subiiciuntur nobis*, & qui dæmones verberauit, paulo post hamo cupiditatis captus est: atque hi quidem tales fuerunt participatione liberæ voluntatis ad res turpes traducti.

Quid de Petro & Thoma dicitur? erat aliquando piscator Petrus, & malus erat, non enim erat expers peccati, homo siquidem erat, reliquit sagenas, & pisces, & relictis omnibus sequebatur, vt solum Iesum haberet: & H relictis primis, non desiderio suo frustratus, reperit, quod quæsiuit, & quovsque progressus est, vt audiret: *Tu es* Matth.
Simon filius Ionæ; tu vocaberis Cephas, quo nomine signi- 16.
ficat Petrum, vt audiret: *tibi dabo claues regni cælorum*, vt testimonium ei tribueretur, *caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus, qui est in cælis.* Postea lapsus est in verbo petulanti, & cum ad increpandum processisset, nec ab increpatione fugeret, audiuit: *vade post me Satana, scandalum mihi es, quia non sapis, quæ Dei sunt, sed quæ hominum:* paulò ante claues acceperat, & pater in eo loquebatur, Petrus pro Simone appellatus; sed pro remuneratione increpationem elegit, verumtamen facta est lapso medicina, & factus est melior, facta est increpatio Domini remedium, & mens curationem amplexa est, & magnus, ac diuinus erat Petrus, & qui lapsum curauerat, nihil damni in eo, quod prius dictum est, fecerat, vt autem Dominus traditus est, & ducebatur ad atrium Pontificis, prodidit se, timori

A ſuccubuit, ille fortis Petrus tremefactus eſt, qui claues
acceperat, periculum fugit, ne extra ianuam veritatis
verum diceret: periculum fugit, ne ſe verè faceret ana-
thema, cum munitus eſt: exinaniuit mentem, qui plenus
erat, ab vna puella victus eſt, ancillam metuit, non po-
tuit ſeruæ reſiſtere: cecidit formidine conſternatus, ille
in Deum pius, Deo charus, ille qui illa inſignia nouit,
qui Dominum vidit: cum hæc dico, non vt eum accu-
ſem, dico: confidit enim me hæc dicere, vt veritas ca-
lumniam non ſubeat, pro defenſione veritatis loquor,
ſeruum veritatis adhibeo, ne mendacium vincat: mini-
ſtrum veritatis produco; vt quia volunt Manichæi na-
turas eſſe in culpa, & in naturæ rationem inſaniunt, Pe-
trus à me productus naturam demonſtret: demonſtrant
enim multæ eius mutationes ea, quæ libera voluntas
efficit, & euaneſcet ortus rumor, ſiquidem libera vo-
luntas præmia iudicij conficit, electione enim (id eſt,
ratione & voluntate) viuimus: electioni reſeruamus
B officia.

Illa dicit, quæ confeſſus eſt à Deo reuelata, tu es Christus filius Dei viui.

Idcircò formido, ne in negligentia ſimus, ſi quid la-
boramus: vt cum non videmur muniti eſſe, derepente
propter negligentiam in interitum cadamus. Propter
nos dicit: *caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne
cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar*: rationem
de reprobo metuo, agnoſco quod eſt in electione lubri-
cum, & præceps: diligentia & accuratione procliuita-
tem præmunio. Sepio facilitatem liberæ voluntatis la-
bore meditationis. Atque hæc quidem Petrus, & loqui-
tur, & ſcribit, & gaudet, quod & peccata ipſius, & vir-
tutes ſint explanatio dogmatum. Ob hanc cauſam pec-
cata Sanctorum prodita ſunt. Quid enim eis doleret, ſi
eorum peccata tacita fuiſſent? Quis illa ſcripſit? an
mali non accuſauerunt bonos? an boni peccata bono-
rum non narrauerunt? alij verò ſua? Paulus ſua. Ioan-
nes Petri peccata, deinde Thomæ, & alius aliorum. Si
enim mali accuſaſſent, * reprehenderemus odium, & de
C inuidentia atque liuore quereremur, quod iſta dixe-
runt, qui oderant. Sin verò ipſi ſua, aut boni bono-
rum lapſus prodiderunt, quin potius Spiritus ſanctus,
qui in Sanctis locutus eſt, & ipſe Dominus delicta ſer-
uorum ſuorum expoſuit, & non ſilentio diſſimulauit,
cauſam quærimus: non enim ea dixerunt, vt crimina-
rentur, criminationem enim eiecerunt & repudiarunt,
ſed ſi illorum peccata tacita fuiſſent, fuiſſe natura à pec-
catis alienos, ſuſpicio eſſet. Pro veritate igitur comme-
morata ſunt, & narratio peccatorum veritatem docet
& explanat.

προαιρέσει γὰρ ζῶμεν. 1. Cor. 9.

O rem communem mirabilem! Scripta ſunt Sancto-
rum peccata, vt ſciatur veritas, quod ex ſimilibus nati,
& ſimiliter orti, ſtudio virtutis excelluerunt, qui non
natura vicerunt, ſed virtute claruerunt: quod ſi apud
Petrum & alios Apoſtolos non natura, ſed libera vo-
luntas virtutem definit, apud quoſnam naturam peccati
expertem inuenire poſſumus, ſi apud Apoſtolos non
D potuimus? vbi indagare poterimus? fruſtra & vanè quæ
non ſunt, curioſè inquirimus: en, Petrum interrogo,
en, Thomam excutio, non loquor vetera: non com-
memoro Dauid, tametſi debebam, vt à quibus optant
ignorantes, inde accuſationes ferant, vt de quibus li-
benter diſſerunt, ab illis redarguantur: quia enim
Euangeliis ſtuduerunt, ex Euangeliis protulimus, vnde
conuincantur. Idcircò enim legem ſine lege loquun-
tur, μὴ φιλολογοῦντες, idcircò ſcientiam Euangeliorum
non tenent, qui initium Euangeliorum non ſuſcepe-
runt, initium Euangelij IESV CHRISTI, ſicut ſcriptum
eſt in Eſaia Propheta: hi principium diſciplinarum repu-
diauerunt facto principio telarum, quæ in malitia ab
ipſis texuntur.

ἔχει τὸ οἰκεῖον.

Qui beneficium ſuum in anima recondit, hic ſi ingre-
diatur, & intus ſit, diuini conuentus fiunt in ea, & cele-
britates, quæ Sanctos decent, & chori, qui ſermone ex-
promi non poſſunt, & lætitia, quæ ſilentio honoratur.
Statim enim iſte mentem erigit, atque animam reddit
aligeram & ſublimem ad meliora efficit. Sanè quidem,
ſiquis illum videret, non iam ſeipſum aſpiceret, ſed pul-

Hoc dicit, quia negant Manichæi vetus teſtamentum, quod eſt noui fundamentum.

E chritudinem, quam contemplaretur obſtupeſceret: cæ-
tera omnia fœda duceret. Propter illius decorem clamat,
vanitas vanitatum, & omnia vanitas: omnia exiſtimo
ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. Si verò hic pulſet, &
mens cunctetur, ac ſomno ſe dedat, ſicque ipſe tarditatis
cauſa, emittit vocem, aperi mihi ſoror mea, ſponſa, quo-
niam caput meum impletum eſt rore, & cincinni mei
guttis noctis: hæc dicit, vt amicitiam declaret, & curam
prouidam ſignificet, & quod ratio excluſa tolerat, &
cum foris eſt, ſuſtinet, & non recedit, donec continua
petitione, & pulſu ſeipſam mens aperiat, præbens locum
pulſanti.

Circumeunt autem præſtigiatores, & pſeudopro-
phetæ, ac pſeudochriſti, partim pulſantes, partim fo-
dientes, ac pulſu quidem molliore vtentes, & verum
pulſum imitantes, vt ſimilitudine pulſus fortaſſe mens
decepta, tanquam domeſtico, & noto aperiat: qui
non recuſant parietes labefactare, imò ſtudent perfode-
re, vt per fallaciam, aut per vim mentes capiant: & F
verò alios quidem vi, alios præſtigiis fraudulentis fe-
fellerunt. Quamobrem ſapientes & honeſti cuſtodes
clauium ſcientiam cum vigilantia miſcent, vt quia vi-
gilant, non perfodiantur parietes, quia ſapientes ſunt,
non fallantur. Sapientia enim non præbet locum præ-
ſtigiis, neque vigilantia perfodientibus, quocirca ho-
neſti, & honeſtæ qui ſumus, mentes noſtras claue cu-
ſtodiamus, ſcientia quidem fraudem vincentes, vigilia
verò nos ipſi à direptione ſeruantes.

IVLII FIRMICI MATERNI, V. C. de Errore Profanarum Religionum, ad Conſtantium & Conſtantem Auguſtos Liber. G

*EAdem ætate (imperantibus ſcilicèt magni
Conſtantini filiis) florebat Iulius Firmicus
Maternus Iunior, Siculus, Mathematicus, Ge-
netbliacus, cuius extant opera. Vnde iſtum noſtrum
Firmicum paulò ſeniorem quam illum, & eiuſdem
gentis veriſimile eſt.*

*Hæſitat Baronius Tomo 3. Annal. num iſte Iu-
lius Maternus ſit illemet Iulius Epiſcopus Medio-
lanenſis, qui interfuit Concilio Romano ſub Iulio
primo, & in Romano Martyrologio 18. Iuly
Maternus appellatur, ſanctitatis & eruditionis
laude clarus. Ipſum conſule anno Chriſti 337.
num. 74.* H

BELLARM. DE SCRIPT. ECCLES. hæc habet.

IVLIVS Maternus Firmicus floruit tempore filio-
rum Conſtantini Magni, ad quos ſcripſit egregium
librum *de myſteriis & erroribus profanarum Religionum.*

* * *

quod in fabricatione hominis artifex fecit, vt antea di- *Deeſt principiū.*
ximus, annuis perditorum commonitionibus ac commu-
nicationibus ſpecialiter retexenda ſunt, in teſtificatio-
nem veritatis, manifeſtis rationibus exemplorumque te-
ſtimoniis diuinationem probabimus per diabolum eſſe
inuentam & perfectam, vt per hoc ſpiritus maculata
cogitatione ſpe fluxæ felicitatis, peruerſa diſcretione
peruerteret miſeros homines perpetuis calamitatibus
implicitos. *

A

CAPVT I.

Elementa nō esse Deos, sed Dei opera.

QVatuor Elementa esse principia creaturarum nemo est qui dubitet (id est, ignem, aquam, aërem & terram.) Sed hæc Elementa diuersa sunt, vel in potestate contraria. In errore sunt itaque gentes, quæ cum elementis tribuant principatum, adhuc deputant ignem quasi summum Deum, quasi cætera ex ipso habeant substantiam calore: nescientes, quod omnia Elementa ex ipsa sint sua contrarietate coniuncta, & quòd & ipsa habeant fabricatorem Deum, qui singula suis locis ordinibusque constituens creauit, quod aut mente, aut cogitatione colligimus aut certè quòd oculis cernimus diuina verbi sui societate compositum, æquata corporum moderatione in hoc toto.

CAPVT II.

B

Contra Ægyptiorum sacra Isiaci non physicā rationem quidem, sed mala & idololatrica exempla Osiris à Typhone occisus.

ÆGypti incolæ aquarum beneficia percipientes, aquam colunt, aquis supplicant, aquas superstitiosa votorum continuatione venerantur. Sed in sacris suis (quæ mysteria vocant) addunt tragica funera & funesta calamitatis metuendæ certamina. Incestum cum sorore adulteriumque aiunt commissum, & hoc facinus seueris mariti animaduersionibus vindicatum. *Isis soror est, Osiris frater, Typhon maritus, is cum comperisset Isidem vxorem incestis fratris cupiditatibus esse corruptam*, occidit Osirim, artuatimque lacerauit, & per omnes Nili fluminis ripas miseri corporis palpitantia membra proiecit. Isis repudiato Typhone, vt & fratrem sepeliret & coniugem, adhibuit sibi Nephthen sororem sociam, & Anubim venatorem. Cui ideo caninum caput impositum est, quia lacerati corporis partes artificio canis vestigantis inuenit. Sic inuentum Osirim Isis tradidit sepulturæ. Fuerant sanè hi apud Ægyptum reges pariter ac tyranni, sed Osiris iustus, præter illud, quod cum sorore commisit. Typhon furiosus, impotens ac superbus. Ideo ille colitur, iste vitatur. Hæc est Isiaci sacri summa.

C

Isiacum sacrum

In adytis habent idolum Osiridis sepultum: hoc annuis luctibus plangunt, radunt capita, vt miserandum casum regis sui turpitudine dehonestati defleant capitis, tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum rescindant cicatrices, vt annuis luctibus in animis eorum funestæ ac miserandæ necis exitium renascatur. Et cum hæc certis diebus fecerint, tunc fingunt se lacerati corporis reliquias reperire, & cum inuenerint, quasi sopitis luctibus, gaudent. O misera & caduca mortalitas! vt regibus tuis per annos singulos funestas mittas inferias, neglecto Deo summo, qui omnia diuini artificij moderatione composuit, & spem tuam perdis & vitam. Nec ostensi tibi luminis splendore corrigeris, nec recuperatæ libertatis quæris insignia, nec spem redditæ tibi salutis agnoscis; nec ex pœnitentia præteritorum criminum indulgentiam postulas. Frustra tibi hanc aquam, quam colis, putas aliquando prodesse. Alia est aqua, qua renouati homines renascuntur.

D

Baptismus.

Hanc aquam, quam colis per annos singulos, vis alia decoctis venarum meatibus siccat, aut certè funestus regis tui sanguis commaculat. Illa, quam despicis, ignita venerandi spiritus maiestate decoratur: vt ex ipsa per veteres conscientiæ cicatrices credentibus hominibus salutaris sanitas irrigetur. Sed in his funeribus & luctibus, quæ verè sunt funera, quæ facta sunt quoque reliquiæ (nam sepulchrum Osiridis hodie in Ægypto est, & cremati corporis reliquiæ cernuntur) defensores eorum volunt addere physicam rationem. *Frugum semina Osirim dicentes esse, Isim terram*, Typhonem calorem: Et quia maturatæ fruges calore, ad vitam hominis colliguntur, & à terræ consortio separantur, & rursus appropinquante hyeme seminantur, hanc volunt esse mortem Osiridis cum fruges redduntur; inuentionem verò cum fruges genitali terræ fomento conceptæ, noua rursus cœperint procreatione generari. Pone hanc veram esse sacrorum istorum rationem, pone propter fruges vota reddi numinibus, quid addis incestum, quid adulterium, quid miserandæ animaduersionis exitium?

E

Quid errantibus hominibus & simpliciter peccare cupientibus de sacris tuis malum monstras exemplum? physica ratio, quam dicis, alio genere celetur. Quid autem celari oportuit, quod omnibus notum est? Cur plangitis fruges terræ, & crescentia lugetis semina? Ad sustentationem generis humani hæc omnia diuina summi Dei liberalitate donata sunt. Agendæ sunt summo Deo gratiæ propter hoc, nec est summi Dei lugenda largitio.

Contra Physicas sacrorū rationes, sacrorum Isidis.

Deflete potius quod erratis, & quod errorem vestrum restauratis semper luctibus plangite. Nolite annuis sacris quærere funus alienum, vestris potius funeribus parate solatia per annos singulos. O miser homo, inuenisse te nescio quid gaudes, cum animam tuam ex istis sacris per annos singulos perdas. Nihil illic inuenis nisi simulachrum, quod ipse posuisti, nisi quod iterum aut quæras aut lugeas. Quære potius spem salutis, quære exordium lucis, quære quod te summo Deo aut commendet aut reddat. Et cum veram viam salutis inueneris, gaude & tunc erecta sermonis libertate proclama, εὑρήκαμεν, συγχαίρομεν, cum ab his calamitatibus post pœnitentiam tuam summi Dei fueris indulgentia liberatus.

F

CAPVT III.

Contra Cybeles sacerdotū Gallorum nō tam physica quā cum turpitudine & impietate omni cō iuncta mysteria.

PHryges, qui Pessinuntem incolunt, circa Galli fluminis ripas terræ cæterorum elementorum tribuunt principatum, & hanc volunt omnium esse matrem. Deinde vt & ipsi annuum sibi sacrorum ordinem facerent, mulieris diuitis ac reginæ suæ amorem, quæ fastus amati adolescentis tyrannicè voluit vlcisci, cum luctibus annuis consecrarunt. Et vt satis iratæ mulieri facerent, aut vt pœnitenti solatium quærerent, quem paulò ante sepelierant, reuixisse iactarunt, & cum mulieris animus ex impatientia nimij amoris arderet, mortuo adolescenti templa fecerunt. Tunc quod irata mulier pro iniuria spretæ fecerat formæ, hoc ordinantes à se pati voluere sacerdotes. Sic annuis factis cum honore

G

terræ istius funeris pompa componitur, & cum persuadetur hominibus quod colant terram, miseri funeris venerantur exitium. Hic quoque, sacratissimi Imperatores, vt error iste celetur, etiam hæc sacra physica volunt esse ratione composita. Amare terram volunt fruges, amatum vero hoc ipsum volunt esse, quod ex frugibus nascitur: pœnam autem, quam sustinuit, hoc volunt esse quod falce messor maturis frugibus facit.

Physica ratio sacrorum Cybeles.

Mortem ipsius dicunt, quod semina collecta conduntur. Vitam rursus, quod iacta semina annuis vicibus reconduntur. Velim nunc mihi inquirenti respondeant, cur hanc simplicitatem seminum ac frugum cum facinore, cum morte, cum fastu, cum pœna cum amore iunxerint? Itáne non erat aliud, quod diceretur? Itáne non erat, quod in agendis Deo summo pro frugibus gratiis faceret misera mortalitas? Vt gratias pro renatis frugibus agas, vlulas? vt gaudeas, plangis? Nec te cum veram rationem videris, hoc aliquando fecisse pœnituit, sed hoc agis, vt annuis luctibus occupatus vitam semper fugias, mortem requiras.

H

Dicant mihi, quid hoc frugibus profuit, vt fletus suos annuis vlulatibus seminent in tristitia, interfecti funeris calamitatibus ingemiscant, quod dicant physica ratione compositum? lugetis & plangitis, & luctus vestros alia ratione celatis. Nouit agricola, quando terram aratro dimoueat, quando sulcis frumenta committat. Nouit quando maturatas solis ardoribus colligat segetes. Nouit, quando tostas terat fruges. Hæc est physica ratio, hæc sunt vera sacrificia, quæ ab sanæ mentis hominibus annuo labore complentur. Hanc simplicitatem diuinitas quærit, vt homines in colligendis fructibus ordinatis temporum legibus seruiant. Cur huic ordini miseræ mortis figmenta quæsita sunt? Cur celatur lachrymis, quod celari non debuit? vnde confiteantur necesse est, hæc sacra non in honorem frugum, sed in honorem esse composita mortis alienæ. Nam quod terram matrem esse omnium Deorum dicunt qui huic elemento tribuunt primas partes, verè Deorum suorum mater est, nec

Terram Deorum Gentiliū verè esse matrem.

abnuimus

A abnuimus aut recusamus. Quia ab hac collectos suos Deos, aut lapideos faciunt semper aut ligneos. Tetram omnem circumfluunt maria, & rursus inclusa Oceani ambientis circulo stringitur. Cœli etiam rotunda sublimitate operitur, perflatur ventis, aspergitur pluuiis, & timorem suum assidui motus tremoribus confitetur. Quid vos maneat, qui hæc colitis considerate, cum dij vestri infirmitatem suam vobis quotidianis professionibus prodant.

CAPVT IV.

Contra Assyriorum & Afrorum effœminata Veneris mysteria.

ASsyrij & pars Afrorum aërem ducatum habere elementorum volunt, & hunc imaginata figuratione venerantur. Nam hunc eundem, nomine Iunonis vel Veneris Virginis, si tamen Veneri placuit aliquando virginitas, consecrarunt. Iunonem sane, ne & huic deesset incestus, Iouis volunt ex sorore coniugem factam. B Effœminarunt sanè hoc elementum, nescio qua veneratione commoti. Num quia aër interiectus inter mare & cœlum, effœminatis eum Sacerdotum vocibus prosequuntur? Dic mihi hoccine est, quod in viro fœminam quærunt, cui aliter seruire Sacerdotum suorum chorus non potest, nisi effœminent vultum, cutem poliant, & virilem sexum ornatu muliebri dedecorent. Videre est in ipsis templis cum publico gemitu miseranda ludibria, viros muliebria pati, & hanc impuri & impudici corporis labem, gloriosa ostentatione detegere.

Publicant facinora sua & contaminati corporis vitium cum maxima † delectationis macula confitentur. Exornant muliebriter nutritos crines, & delicatis amicti vestibus vix caput lassa ceruice sustentant. Deinde, cum sic se alienos à viris fecerint, adimpleti tibiarum cantu, vocant Deam suam, vt nefario repleti spiritu vanis hominibus, quasi futura prædicant. Quod hoc monstrum est, quodve prodigium? Negant se viros esse, & sunt; C Mulieres se volunt credi, sed aliud qualiscumque qualitas corporis confitetur. Considerandum est etiam, quale sit numen, quod sic impuri corporis delectatur hospitio, quod impudicis adhæret membris, quod polluta corporis contaminatione placatur. Erubescite ô miseri, supinitatem! alter vos Deus fecit. Cum cohors vestra ad tribunal iudicantis Dei accesserit, nihil vobiscum afferetis, quod Deus, qui vos fecit, agnoscat. Abiicite hunc tantæ calamitatis errorem, & studia profanæ mentis aliquando deserite. Nolite corpus, quod Deus fecit, scelerata diaboli lege damnare, calamitatibus vestris dum adhuc tempus patitur, subuenite. Misericordia Dei diues est, libenter ignoscit. Relictis nonaginta nouem ouibus amissam quærit vnam. Et reuerso pater prodigo filio vestem reddit, & parat cœnam. Nulla vos desperare faciat criminum multitudo: Deus summus per filium suum IESVM CHRISTVM Dominum nostrum volentes liberat, & pœnitentibus libenter ignoscit, nec † multa exigit vt ignoscat. Fidè tantum & pœnitentia D potestis redimere, quicquid sceleratis diaboli persuasionibus perdidistis.

† Fortè detestationis.

Matt. 18. Luc. 15.

Ibidem.

† Fortè multa.

CAPVT V.

Contra Persarum Magorum ignem perpetuum & mythrica sacra.

PErsæ & Magi omnes, qui Persiæ regionis incolunt fines, ignem præferunt, & omnibus elementis putant debere præponi. Hi itaque Iouem in duas diuidunt potestates, naturam eius ad vtrumque sexum transferentes, & viri & fœminæ simulachro ignis substantiam deputantes, & mulierem quidem triformi vultu constituunt, monstrosis eam serpentibus illigantes. Quod ideò faciunt ne ab autore suo diabolo aliqua ratione dissentiant: sed vt Dea sua serpentibus polluta, maculosis diaboli insignibus adornetur. Virum verò abactorem boum colentes, sacra eius ad ignis transferunt potestatem. Sicut Propheta eius nobis tradidit, dicens: Μικλαϐω μυσάνυ ὁ κλοπίης σύνδιτε πατρὸς ἀγαύυ. Hunc Mithram dicunt. Sacra verò eius in speluncis

Luc. 15.

E abditis tradunt, vt semper obscuro tenebrarum squalore demersi, gratiam splendidi ac sereni luminis, non videant. O cœca numinis consecratio! O nefariæ legis fugienda commenta! Deum esse credis, cuius de sceleribus confiteris. Vos itaque, qui dicitis in his templis ritè sacrificari non magorum ritu Persico, cur hæc Persarum sacra laudatis? Scio hoc Romano nomine dignum putatis, ac Persarum sacris. At Persarum legibus sequatur.

* * * vt * armata clypeo, lorica, thorace, gladio & hasta consecratur. * * * , Tertia etiam pars est, qua in asperis secretisque syluarum agrestiumque ferarum sortiti sunt imperium. Vltima pars tripartitæ istius diuisionis declarat libidinum vias, quæ praua desideria quæque præposteræ cupiditatis monstrant illecebras. Ideò vnam partem capiti assignant, vt hominis iram quodammodò denotare videatur. Aliam in corde statuunt, vt diuersarum cogitationum varietatem, quas multiplici intentione concipimus, in modum syluarum tenere videatur. Tertia pars constituitur in iecore, vnde libido nascitur & voluptas. Illic enim genitalium seminum collecta fœcunditas naturalibus stimulis desiderium cupiditatis exagitat. Quid ergo perficit ista diuisio, diligenter aspicite, vt cernatis, quam facilè commentum ratio veritatis impugnet. Si diuiditur anima, & substantia eius diuerso efficaciæ genere separatur, dissoluto ordine suo, incipit esse quod fuerat. Aliud enim mens est, aliud ira, aliud libido. Animam ergo separatio ista dissoluit, & patitur maximam ex ista partitione iacturam, nec integram sui speciem res ista custodit, quæ per tres contrarias separatim diuiditur, & (vt verum dicam) fit ex ipsa diuisione mortalis. Etenim quod potest diuidi corpus est, quod autem corpus est, necesse est esse mortale. Ergo si anima diuiditur, corpus est. Si corpus est, necesse est sit res mortalis. Egregia erroris istius, ac præclara comitantia. Maximum nobis beneficium ex ista consequentia confertur. Commentis istarum absurditatum animas volunt esse mortales. G

Multa hic desunt.

F

CAPVT VI.

De Bacchanalium mysteriis, causis & ritibus.

SIc sunt, sacratissimi Imperatores, elementa à perditis hominibus consecrata. Sed adhuc supersunt aliæ superstitiones, quarum secreta pandenda sunt Liberi & Liberæ, quæ omnia sacris sensibus vestris specialiter intimanda sunt, vt & in istis profanis Religionibus sciatis mortes esse hominum consecratas. Liber itaque Iouis fuit filius regis scilicèt Cretici. Hic cùm fuisset adultera matre progenitus, nutriebatur apud patrem studiosius, quàm decebat. Vxor Iouis, cui Iunoni fuit nomen, nouercalis animi furore commota, ad necem infantis omnifariàm parabat insidias. Proficiscens peregrè pater, quia indignationes tacitas sciebat vxoris, nequid ab irata muliere dolo fieret, idoneis (sicut sibi videbatur) custodibus tutelam credit filij. Tunc Iuno opportunum H insidiarum nacta tempus, & ex hoc fortius inflammata, quia proficiscens pater, & solium regni puero tradiderat & sceptrum, custodes primum regalibus præmiis, muneribusque corrupit, deinde satellites suos, qui Tytanes vocabantur, in interioribus regiæ locat partibus, & crepundiis ac speculo affabrè facto animos ita pueriles illexit, vt desertis regiis sedibus ad insidiarum locum puerilis animi desiderio duceretur. Illic interceptus trucidatur. Et vt nullum posset necis inueniri vestigium, particulatim membra conscissa, satellitum sibi diuidit turba. Tunc, vt huic facinori aliud facinus adderetur, quia vehementer tyranni crudelitas timebatur, decocta variis generibus pueri membra consumunt, vt humani cadaueris inauditis vsque in illum diem epulis vescerentur. Cor visum sibi soror seruat, cui Minerua fuit nomen, quia & ipsa sceleris fuit particeps, & vt manifestum esset delationis indicium, & vt haberet vnde furentis patris impetum mitigaret. Reuerso Ioui filia ordinem

Iuno Bacchi nouerca.

Tytanes.

Minerua Liberi soror.

A ordinem facinoris exponit. Tunc pater funesta calamitate cladis, & acerba luctus atrocitate commotus, Tytanes quidem vario genere suppliciorum excruciatos necat. Nec prætermissum est in vltione filij, aut tormentum aliquod aut pœna, sed per omnia pœnarum genera bacchatus, necem qualitercumque filij vindicauit, affectu quidem patris, sed tyrannica potestate. Tunc quia diutius pater ferre lugentis animi tormenta non poterat, & quia dolor ex orbitate veniens nullis solatiis mitigabatur, imaginem eius ex gypso, plastico opere perfecit, & cor, ex quo facinus fuerat, sorore deferente, detectum, in ea parte plastæ collocant, qua pectoris fuerant lineamenta formata. Post hæc pro tumulo extruit templum, & pædagogum pueri constituit Sacerdotem. Huic Silenus fuit nomen. Cretenses vt furentes tyranni sæuitiam mitigarent, festos funeris dies statuunt & annuum sacrum trieterica consecratione componunt, omnia per ordinem facientes, quæ puer moriens aut fecit,
B aut passus est. Viuum laniant dentibus taurum, crudeles epulas annuis commemorationibus excitantes, & per secreta syluarum clamoribus dissonis eiulantes fingunt animi furentis insaniam, vt illud facinus non per fraudem factum, sed per insaniam crederetur: præfertur cista, in qua cor soror latenter absconderat, tibiarum cantu, & cymbalorum tinnitu, crepundia, quibus puer deceptus fuerat mentiuntur. Sic in honorem tyranni à seruiente plebe Deus factus est, qui habere non potuit sepulturam. Fuit etiam alius Liber apud Thebas tyrannus, magicæ artis potestate conspicuus. Hic cum mulieres animos venenis quibusdam, & carminibus occupasset, pro arbitrio suo crudelia facinora furentibus imperabat, vt mente captas nobiles fœminas, & libidinum ministras haberet & scelerum. Qui qualia fecerit scelera, vel quantum matri contra filium, vel sororibus contra fratrem imperauerit facinus, in scenis quotidie à tragici carminis autoribus traditur, vt scelerati tyranni facinorosa crudelitas in animis audientium funestis semper
C relationibus renascatur. Hunc Lycurgus, sobria virorum coniuratione protectus, regno exuit, pellit patria. Neque enim effœminatus ille consensum virorum potuit diutius sustinere. Effœminatum enim fuisse, & amatorum seruisse libidinibus, Græcorum gymnasiis decantatur. Nec fuga eius Lycurgus tantum est exilioque contentus, sed timens ne fugiens & ab aliis receptus, ludibriosa scelerum suorum etiam in alia regione conderet semina, succinctus ferro, patriæ dedecus minaci persequitur edicto. Tunc Liber proiectis insulis, quas pampineis coronarum circulis illigabat, cum semiviro comitatu fugiens (soli enim eum sequuti sunt stuprorum & flagitiorum & libidinum socij) per omnes oras vicini maris cum summa trepidatione desperationis errauit. Illic inter ebrias puellas, & vinolentos senes, cum adhuc eum scelerum pompa præcederet, & alter nigro amictu teter, alter ostenso angue terribilis, alter cruentus ore, dum viua pecoris membra discerpit, à Lycurgo
D comprehensus per proximam rupem, quæ immensum præcipitium saxis inuiis fecerat, in mare præcipitatur, vt lacerum corpus marinis diu iactatum fluctibus, errantium populorum animos ad sanitatis ac sobrietatis ordinem seuera animaduersione reuocaret. Hunc finem Liberi Homerus, vt fugam & trepidationem detegeret, & vt ostenderet mortem, ait:

——Διώνυσος δὲ φοβηθεὶς.
Δύσεθ' ἁλὸς κατὰ κῦμα. Θέτις δ' ὑπεδέξατο κόλπῳ
Δειδιότα, κρατερὸς γὰρ ἔχε τρόμος ἀνδρὸς ὁμοκλῇ.

Imitatur te Lycurge, & sobrium tuum institutum sequitur, nec à salutaribus tuis legibus exorbitat etiam consul noster Posthumius. Nam sicut in libris Annalibus inuenimus, Bacchanaliorum scelera Ebutio quodam adolescente deferente, detecta sunt. Erant adhuc in vrbe Roma integri mores, nec quispiam peregrinas superstitiones dissolutis moribus appetebat: tunc nec Senatus Consuli, nec leges Reipubl. nec Consul legibus defuit: Sed inuestigatis omnibus, qui huius sacri scelerata commenta tradebant, contra omnes seruos,

Liber Thebanorum tyrannus.

Lycurgus Thebanus.

Liberi præcipitium.

Iliad. ξ

Bacchanalia Romæ detecta.

E imò Romanos quæstionis examine capitalis pœna de Senatus sententia decreta est. Nec tamdiu vindices gladij Consulis conquieuerunt, quamdiu hoc malum fuisset radicitùs amputatum. O digna Romano nomine animaduersio! O priscæ virtutis laudanda constantia, nec ciuibus suis Consul parcere voluit, cum ob purgandam patriam peregrina vitia corriguntur.

CAPVT VII.

Sequitur hanc sacri contagionem, & imitatur ordinem funeris, à Cerere Hennensi muliere, mors filiæ consecrata. Nam quicquid in Creta pater ob filium fecerat, hoc totum Ceres apud Hennam amissa filia, impatientia materni doloris instituit, quod quatenus factum sit, breui sermone perstringam. Vnicam Cereris filiam, quam Græci Περσεφόνην, nostri immutato sermone Proserpinam dicunt, ad coniugale consortium plures
F petebant. Mater sollicitè de singulorum meritis iudicabat. Et cum adhuc omnibus matris sententia videretur incerta, diues rusticus, cui propter diuitias Πλούτων fuit nomen, temerario cupiditatis ardore, cum moram dilationis ferre non posset, & cum de præposteri amoris conquereretur incendiis, propè Percum inuentam virginem rapit. Percus autem lacus, in Hennæ ciuitatis finibus satis amœnus, & gratus, cuius amœnitas ex florum varietatibus nascitur. Nam per omnem annum vicissim sibi succedentibus floribus coronatur. Illic inuenies quicquid hyacinthi turget in caulem, illic comam narcissi, vel quod auream rosam desuper pingit: illic albæ hederæ per terram molliter serpunt, & cum purpureis violis suauiter rubens amaracus inuenitur: nec coronam istam alba deserunt lilia. Prorsus aptus locus, qui gratia sua, puellares animos & inuitaret pariter, & teneret. In hoc loco, cum à Plutone virgo propè vesperam fuisset inuenta, vi rapitur, & superimposita vehiculo, scissis vestibus, laceratis crinibus ducitur. Nec
G resecati vngues contra amatorem rusticum aliquid profuerunt, nec clamor atque vlulatus adiuuit, nec cæterarum strepitus puellarum. Tunc vna celeri cursu, cum de ciuitate nemo succurreret, facta ex ipso timore velocior, matri raptum virginis nunciat. Contra raptorem indignata mater, armatam manum ducit. Nec Plutonem mulieris fefellit aduentus, sed vt retorsit ad ciuitatem oculos, & infinitos cuneos respexit venire cum matre, funestum cœpit ex desperatione consilium. Quadrigam, quæ vehiculum trahebat, per medium lacum dirigit. Is erat profundis voraginibus immersus, illic cum amara submersus virgine, miserandæ matri de morte filiæ funestum spectaculum præbuit. Hennenses, vt possent maternis luctibus ex aliqua parte inuenire solatium, inferorum regem virginem rapuisse finxerunt. Et vt fides figmentum sequeretur, propè Syracusas eum per alium
H locum cum virgine emersisse iactarunt. Templum sanè & raptori, & virgini accuratè collatis sumptibus faciunt, & annua in templo vota decernunt. Sed nullo genere matris dolor vincitur, nec muliebris impatientiæ tormenta curantur. Sed credens verè filiam propè Syracusas esse visam, Triptolemo villico suo duce, nocturnis itineribus ad Syracusanæ ciuitatis littus cum lugubri veste ac sordido squallore peruenit, nec illi defuit, qui credulam de calamitatibus suis falleret matrem. Tunc ait se Pandarus, nescio quis, vidisse non longè à Pachyno nauem raptorem ascendisse cum virgine. Persuasum est mulieri, quæ quolibet genere viuere filiam cupiebat audire, infinitis dotibus remunerat ciuitatem. Syracusani liberalitate mulieris prouocati, raptum virginis consecrant: & mitigantes dolorem matris pompam miseri funeris excolunt honore templorum. Sed nec hoc sufficit matri, sed ascensa naue per peregrina littora filiam quærit. Sic fluctibus tempestatibusque iactata ad Atticæ vrbis locum peruenit. Illic hospitio recepta, incolis incognitum adhuc triticum diuidit. Locus ex patria & ex aduentu mulieris nomen accepit. Nam Eleusis

De Proserpina raptu à Syracusanis consecrato, & Cerere ab Atheniensibus ob frumentum deificata. Persephone, quæ & Proserpina.

Raptus Proserpinæ.

Plutonis & Proserpinæ misera mors.

Ceres in Atticam venit.

dictus

A diſtus eſt, quod illic Ceres, relicta Henna, venerat. Sicque tùm ipſa diſpenſatio quod attulerat frumenta, tum quod colligendarum frugum tradiderat diſciplinam, poſt mortem ob beneficium, quod ex frugum copia naſcebatur, & ſepulta in eo loco eſt, patitet & conſecrata, & diuino cum filia appellata nomine. Amat enim Græcorum leuitas eos, qui ſibi aliquid contulerint, vel qui conſilio, aut virtute ſe iuuerint, diuinis appellare nominibus. Et ſic ab ipſis beneficiorum gratia repenſatur, vt deos dicant, & deos eſſe credant, qui ſibi aliquando profuerint. Sic de Libero Niſa non dubitat, nec de nouis ambigit Sparta ſyderibus, cremat & conſecrat Herculem triſtis Oëtas, & à vanis Cretenſibus adhuc mortui Iouis tumulus adoratur. Additur tamen, ſacratiſſimi Imperatores, ad huius profani erroris augmentum, quod hos homines, (id eſt, Liberum & Proſerpinam,) maiore quaſi autoritate defendant. Nam Liberum ad Solem volunt referre commenta Græcorum, Proſerpinam verò
B Liberam dicentes Lunam eſſe confingunt. Quod quam abſurdum & quam miſerum ſit, ex ipſa veritatis poſſumus ratione colligere. Quis vidit puerum Solem? quis fefellit? quis occidit? quis lacerauit? quis diuiſit? quis membris eius epulatus eſt? Quis lunam rapuit? quis abſcondit? quis Plutonis coniugem fecit? Sed & errorem iſtum Phyſica rurſum volunt protegere ratione, indiuiſam mentem, & diuiſam, id eſt, τὸν ἀμέριστον, καὶ τὸν μεμερισμένον νοῦν, hac ſe putant poſſe ratione venerari. Dicite mihi, ô vos mortales quid naturalibus rebus additis funera? quid Dei diſpoſitionem crudelium mortium atrocitate polluitis? quid opus erat tam duro crudelique tormento? quid ſibi vult iſta perſuaſio, vt diuinis rebus funeſtæ calamitatis ordo ſocietur? vt naturæ ſydetum, quam Deus ſummus certis legibus fecit, mortalis calamitas luctibus iungeretur? Cui rei prodeſt quod facitis? miſcetis terrena cœleſtibus, caduca ſuperis, tenebroſa lucentibus, dolores ac luctus hominum diuinis honoribus conſecrantes.

C

CAPVT VIII.

Proſopopœiacus ſermo (ſic enim Firmicus appellat) Solis ad idololatras, qui multis modis in eum contumelioſi ſunt.

SI conuocato omni genere humano Sol habita concione loqueretur, deſperationem veſtram hâc forſan oratione percuteret: Quis vos caduci homines & per dies ſingulos ſummo Deo variis generibus rebellantes ad hoc tantum facinus impegit, vt profano nefariæ cupiditatis errore & mori me dicatis veſtro arbitrio & viuere? Atque vtinam vſitato more vel vno genere veſanæ cogitationis veſtræ figmenta procederent. Vtinam ſine contumelia mei ſceleratæ cogitationis veſtræ graſſaretur improbitas. Nunc voſmet per præcipitia iactantes, mihi quoque non parcitis, nec aliquam habet veſter ſermo reuerentiam, ſed cum dedecore meo in exitium veſtrum, mortemque properatis. Alij me apud Ægyptum vndis Nili & rapidis vorticibus obſtinato mentis furore ſubmergunt. Alij amputatis virilibus plangunt:
D Alij crudeli morte cæſum, aut in olla decoquunt, aut ſeptem verubus corporis mei membra lacerata ſubfigunt. Qui paululum mihi placidâ fuerit oratione blanditus, quadriiugi currus aurigam me eſſe confingit. Proiicite aliquando tanti furoris exitium, & ſalutari perſuaſione conuicti, veram ſalutis viam quærite. Inimicus Dei eſt, qui hæc aut cogitauit, aut finxit, nec facinus eius ſimplex aut vſitata pœna comitatur, qui ſacra profanis perſuaſionibus polluit, qui de præclaro opere Dei tanta confingit. Lugete mortuos veſtros, & ipſi ſimili morte morituri. Mittite regibus veſtris, vt vultis inferias, & orbitates eorum alio remediorum genere mitigate. Lugete Liberum, lugete Proſerpinam, lugete Attin, lugete Oſyrin, ſed ſine noſtræ contumelia dignitatis. Nolo me per tumulos eorum fauillaſque ducatis, nolo vt errori veſtro nomen meum fomenta ſuppeditet. Ad lucem diei à Deo factus ſum, hoc mihi ſufficit ſolum. Quid me honeſti muneris dignitate priuatis? Aliud me Deus fecit, aliud eſſe iuſſit, & vos me pro libidine veſtra diuiditis, pro arbitrij veſtri cupiditate laceratis? Quic-

E quid ſum, ſimpliciter Deo pareo, nec aliud volo de me intelligatis niſi quod videtis. Hoc Deo gratum eſt, hoc Deus libenter amplectitur, hoc homines ad ſalutis viam ducit, ſi proiectis erroribus Dei gratiam ſimpliciter ac fideliter audiatis. Hæc quidem ſacratiſſimi Imperatores, proſopopœiaco me ſermone dixiſſe ſufficiat. At ego nunc ſacrarum lectionum inſtitutione formatus, perditos homines Religioſo ſermone conuenio: Si dij ſunt quos colitis, cur eos lugetis? Cur eos annuis luctibus plangitis? Si lachrymis, & luctu digni ſunt, cur eos diuino honore cumulatis? Vnum itaque è duobus facite, aut nolite eos lugere, ſi dij ſunt: aut, ſi luctu eos dignos putatis ac lachrymis, Deos eos appellare nolite, ne luctibus ac lachrymis veſtris, maieſtas diuini nominis polluatur. Sed quia mens perdita, & ſceleratæ cupiditatis laqueis implicata, nulla poteſt ratione reuocari, perſequar cætera, vt publicatis omnibus atque detectis quæ profana conſecrauit improbitas, miſericordia Dei
F in nomine Domini noſtri IESV CHRISTI lapſos erigat, fugientes ad ſe reuocet, dubitantes confirmet, errantes corrigat, & quod eſt potiſſimum, vitam morientibus donet.

Acute contra idololatras.

CAPVT IX.

De fabula & ſacris Adonidis.

IN plurimis Orientis ciuitatibus, licèt hoc malum etiam ad nos tranſitum fecerit, Adonis quaſi maritus plangitur Veneris, & percuſſor eius circumſtantibus, vulnuſque monſtratur. Mars enim in porci ſylueſtris ſpeciem formamque mutatus, vt ſibi primas partes in amore Veneris vindicaret, incautè contra ſe ruentem percutit iuuenem? Si Deus erat Adonis, cur riualis inſidias neſciebat? Si homo, cur cum ſuperiore certabat? Sed & alium audio cum Venere coniugale habuiſſe conſortium. Vulcanus, ni fallor, ab his Deorum cultoribus maritus Veneris eſſe perhibetur. O vanorum hominum ridenda perſuaſio! inter duos maritos adulter poſitus ab vno capitur, alterum vincit. Sed vide, vt adulterum Deus
G maritum vinceret, quod ſibi corpus elegit, porcus eſſe maluit: qui, ſi habebat corporis mutandi poteſtatem, leonis debuit potius ſpeciem formamque ſuſcipere. Sed leonem dicunt, qui naturas animalium norunt, in illa agreſtis animi feritate pudicitiæ ſeruare virtutem. Meritò igitur ab adultero leonis ſpernitur forma, & illa libidinoſi animalis eligitur. Hic iam Euangelicæ traditionis ſecreta tractemus. Eiecto dæmonio Dominus porcorum gregem donat. Nec immeritò, vt cum libidinoſis animalibus per dura præcipitia fluctuſque iactatus, per mortes porcorum varias, digna nece immundus ſpiritus carperetur.

Mars adulter quem rectè apri potius quã Leonis formam ſuſceperit.
Matth. 8.
Luc. 8.
Marc. 5.

CAPVT X.

De Venereis Cypriæ myſteriis Venereis.

AVdio Cyniram Cyprium templum amicæ meretrici donaſſe, ei erat Venus nomen. Initiaſſe etiam Cypriæ Veneri plurimos, & vanis conſecrationibus deputaſſe. Statuiſſe etiam vt quicumque initiari vellet, ſecreto Veneris ſibi tradito, aſſem * in manum mercedis
H nomine Deæ daret. Quod ſecretum quale ſit omnes taciti intelligere debemus, quia hoc ipſum propter turpitudinem manifeſtius explicare non poſſumus. Benè amator Cyniras meretriciis legibus ſeruit, conſecratæ Veneri à Sacerdotibus ſuis ſtipem dari iuſſit, vt ſcorto.

** Vnum.*

CAPVT XI.

De his qui Sebazio Ioui initiantur.

SEBAZIVM colentes Iouem, anguem cum initiantur per ſinum ducunt. Adhuc primi erroris vitia graſſantur, & quicquid hominem perdidit, colitur, & funeſti anguis callida & malitioſa crudelitas adoratur.

CAPVT

A

CAPVT XII.

De sacris Corybantum.

IN sacris Corybantum parricidium colitur. Nam vnus frater à duobus interemptus est, & ne quod indicium necem fraternæ mortis aperiret sub radicibus Olympi mortis à parricidis fratribus consecratur. Hunc eundem Macedonum colit stulta persuasio. Hic est Cabirus, cui Thessalonicenses quondam cruento, cruentis manibus supplicabant. Considerandum itaque est, quale sit numen, quod parricidalis amentia; vt parricidium coleret, inuenit.

CAPVT XIII.

Idololatrarum generalis scopus in omnibus suis omnium Deorum sacrificiis. Iouis disciplina. Deorum Gentilium amplexus.

B

QVapropter quicumque hæc sacra deuotâ mente veneratur, cuicumque placet superstitionis istius metuenda contagio, aut malis suis solatium quærit, aut facinora eorum tacitâ collaudat cogitatione, hoc optans, hoc quærens, hoc vtique magnoperè desiderans, vt & sibi liceat, quod diis suis licuit, vt & se ad consortium talis vitæ morum similitudo perducat. Adulterio delectatur aliquis, Iouem respicit, & inde cupiditatis suæ fomenta conquirit, probat, imitatur, & laudat, quod Deus suus in cygno fallit, in tauro rapit, ludit in satyro, & vt liberalis in flagitiis esse consuescat, quod inclusam regiam virginem auro largiter fluente corruperit. Puerorum aliquis delectatur amplexibus, Ganymedem in sinu Iouis quærat, Herculem videat Hylam impatienti amore quærentem, Hyacinthi desiderio captum Apollinem discat. Chrysippum alius, alius Pelopem videat, vt per Deos suos sibi licere dicat, quicquid hodie seuerissimè Romanis legibus vincatur. Adulteria omnia eorum enumerare difficile est. Quis Amymonem? quis Alopen? quis Menalippen? quis Chionem, Hippothoënque corrupit? Nempè Deus vester hæc fecisse memoratur. Ille, quem volunt seueris oraculis errantium hominum peccata corrigere, Steropen amat, Æthusam rapit, Zeuzippem stuprat, quærit Prothoën, & Arsinoæ adulterâ cupiditate blanditur. Sed ex isto corruptarum mulierum grege vna puella amatorem Deum & vitauit & vicit. Daphnem enim diuinans Deus & futura prædicens, nec inuenire potuit, nec stuprare. Muliebria patitur aliquis, & effœminato corpori solatium quærit? Videat Liberum amatori suo post mortem etiam promissæ libidinis præmia imitatione flagitiosi coitus repræsentantem. Si quis monstruoso cupiditatis ardore in paternæ necis armatur exitium, à Ioue sumat exemplum. Qui fraternum desiderat sanguinem, Corybantum sequatur institutum, & incestum desiderantibus à Ioue sumantur exempla, cum matre concubuit, sororem duxit vxorem: & vt integrum facinus impleret incesti, filiam quoque animo corruptoris aggressus est. Inferiores aliquis æmulo stridore persequitur, & aduersarium cupit crudeli feritate torquere, ab Apolline ex Marsiæ casibus crudelium tormentorum casu discat. Alienum aliquis desiderat & hoc cum morte Domini conatur implere, videat vt Hercules occiso Gerione Iberas abegerit boues. Si quis promiscuâ hominum cæde gaudet, præpostetas Martis cupiditates diligenter inspiciat. Semina penè omnium scelerum à diis suis peccantium turba collegit: Et vt perditus animus impunè facinus posset admittere, ex præcedentibus facinorum exemplis maiori se authoritate defendit. Si stupri præmia corruptor inquirit, si viam optat sollicitationis addiscere, in sinu corruptæ mulieris aurum videat Iouis. Si publicus parricida, commissam sibi regni custodiam nefariâ prodere cupiditate desiderat, respiciat ad eos, qui Saturnum filio prodiderunt. Quatenùs ius læditur hospitij, vel quatenùs amicitiæ iura turbentur, vel quatenùs mensæ conciliatio sancta violetur. Si quis ad iniuriam pronus quærit esse, ordinem scelerum de Tantali casibus discat. O facinorosæ cupiditatis triste solatium! O hominum deflenda persuasio! O infelicis imitationis cruenta meditatio! Scenam de cœlo fecistis, & errantes animos per abruptâ præcipitia crudeli calamitate duxistis, cum hominibus peccare cupientibus facinorum via de Deorum monstratur exemplis. Sed in ista criminum lege, in ista confessione scelerum gratias agamus illis, qui etiam exitia & mortes Deorum istorum nobis nescientibus prodiderunt: vt disceremus omnia per tot distantes. Fuit enim & apud veteres, licèt nondùm terras illuminasset Domini nostri IESV CHRISTI veneranda dignatio, in spernendis superstitionibus Religiosa constantia. Diomedes pudicus ac sobrius Venerem vulnerat, Martem vincit & percutit. Oti & Ephialtæ edicto Mars bellipotens temporali exilio damnatus, ferrea catenarum vincula sustinuit. Sarpedonem filium mortuum in Troia Iupiter plangit. Et mercedem fabricatorum murorum Neptunus à superbo rege non recepit. Alterius regis Apollo greges pascit. Et soli omnia videnti, alius occisarum boüm nuntiat mortes. Castores sepelit Sparta, ardet apud Oëtam Hercules; & Æsculapius alibi fulminatur. Vulcanus à patre præcipitatus pedem frangit. Lycurgum fugiens Liber moritur. Venus in adulterio deprehensa detegitur; & post Dei nuptias Anchisæ hominis cubile sectatur. Saturnus regno timens deuorat filios. Hic ex Creta fugiens in Italia à Spartanis absconditur. Ob amorem Catamiti Iuno spernitur, & ad Endimionem Luna descendit, & contra voluntatem vxoris & filiæ Troianis auxilium ferens deceptus Iupiter dormit. O flagitiosa confessio! ô miserabiles, deflendique cultus! ô duræ seruitutis miseranda conditio! Ad istorum cultum Deorum sanctos homines, & Deum deuotâ mente colentes sacrilegum tyrannorum traxit imperium, & vt huic facinori aliud facinus adderetur, mors est decreta nolentibus. Ad theatrum potiùs templa transferte, vt in scenis Religionum istarum secreta tradantur, & vt nihil prætermittat improbitas, histriones facite Sacerdotes. Alter dignior locus Religionibus istis inueniri non poterit, illic amores Deorum vilis turba decantet, illic casus mortesque saltatores, * * illic Deorum in templis ab impiis & facinorosis magistris meliùs mens perdita & muliebris docetur facinus.

Apollo. C · *Corybantes.* · *Apollinis inuidia & crudelitas.* D · *Hercules latro.* · *Tantalus hospitalitatis iura læsit.* · E · *Diomedes Venerem et dit Mars exul.* · *Sarpedô.* · *Neptunus.* · *Apollo.* · *Sol.* · *Castor.* · F · *Vulcanus præceps.* · *Venus adultera.* · *Saturnus.* · *Iupiter dormit.* · G · *Forte ex Libeant illis, Religiones theatrica.*

CAPVT XIV.

De sera pide.

DIscite etiam, sacrosancti Imperatores, venerandum Alexandriæ numen vnde sumpserit exordium, ac à communi nostra fragilitate detecta, ad veritatis exordium mortalitatis nostræ sermo reuocetur. Cum ingrueret arescentibus frugibus malitiosa fames, Iacobi Religiosi Patriarchæ semine procreatus iuuenis Ioseph, interpretatusque somnium regis, totum, quicquid innuebat, ostendit. Ioseph (est Iacobi filius) qui ob pudicitiam in carcerem missus, ereptus post interpretationem somnij, fuit particeps regni. Nam septem annorum collectis, & seruatis frugibus alterius septenuij egestatem diuinæ manus prouidentia mitigauit. Huic post mortem Ægyptij patrio gentis suæ instituto templa fecerunt: &, vt iustam dispensationis gratiam posteritas disceret, quo modio esurientibus & ementibus frumenta diuiserat capitiis superpositus est. Nomen etiam, vt sanctius coleretur, ex primo authore generis accepit. Nam quia Saræ pronepos fuerat, ex qua nonagenaria Abraham indulgentia Dei susceperat filium, Serapis dictus est Græco sermone, hoc est, Σαρᾶς ἄπο. Sed hoc inuito Ioseph accidit, imò mortuo. Neque enim ad hoc facinus Religiosus animus, & Deo summo dicatus adduci potuisset, vt erroris illecebras ex nomine suo superstitiosis hominibus ipse præberet, præsertim cùm sciret hæc esse in Dei sacrosanctis legibus, ne quis hominum tale aliquid aut veneraretur aut coleret. Hic in Ægypto colitur, hic adoratur, huius simulachrum Neocororum turba custodit, & ad memoriam vetustatis errans populus ordinem sacrorum in honorem integerrimi, ac prudentissimi hominis constitutum, contentiosâ hodie animositate custodit. Sed & in ipso simulachro, sicut in cæteris, ex assiduis sacrificiis

Gen. 4. · *Gen. 39.* · H · *Gen. 21.* · *Ioseph vnde dictus Serapis.*

A

immundi dæmonum spiritus colliguntur. Nihil enim operantur animæ, & cruor ex assidua pecudum cæde profusus, nisi vt dæmonum substantia, qui diaboli procreatione generantur, ex isto sanguine nutriantur. Nam ita esse Porphyrius defensor Stoïcorum, hostis Dei & veritatis in multis sceleratarum impietatum scriptis, manifestis nobis probationibus prodidit. In libris enim quos appellat περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας, maiestatem eius prædicans, de infirmitate confessus est. In primis enim librorum partibus (id est in ipsis auspiciis positus) dixit: *Serapis vocatus, & intra corpus hominis collocatus talia respondit.* Dicant nunc mihi perditi homines, quis potior est, qui vocat & imperat & includit, an qui vocatur & paret? Et cum venerit, in suscipientis hominis corpore, potestate iubentis includitur. Gratias agimus, Porphiri, quod libris tuis Deorum tuorum nobis substantiam prodidisti. Didicimus per te, quatenus dij tui hominibus viuentibus seruiant. Serapis tuus ab homine vocatur, & venit, & cum venerit statim iussus includitur, & loquendi necessitas nolenti forsitan imperatur. Sic apud nos Deos vestros, cum hominibus nocere cœperint, Religiosi sermonis flagella castigant. Sic in corpore hominum constituti dij vestri verbo Dei spiritualium flammarum igne torquentur, & qui apud vos, quasi dij coluntur, apud nos Religiosæ fidei medela Christi gratiâ humano subiacentes imperio, & tormenta repugnantes sustinent, & victi pœnis vltricibus subiugantur.

Cautè lege, nam Firmicus eo tenetur errore dæmones esse corporeos & ex corporea materia generari atque nutriri.

Porphyrij dictum de Serapide.

B

Dæmones in hominum corporibus cruciantur spiritalibus flammis.

CAPVT XV.

PEnates etiam qui sint, explicare contendam, ne quid à me sit prætermissum. Qui nihil aliud putant esse vitam, nisi vescendi & potandi licentiam, hos sibi Deos ex cupiditatis suæ humilitate finxerunt, nutrimenta corporis, quæ ex quotidianis epulis comparantur, hoc nomine pro salute hominum consecrantes. Quia per epulas corporis reficitur infirmitas, alimenta solum esse Deum sanxerunt, nescientes diuini oraculi veritatem. Cum enim Dominus noster IESVS CHRISTVS cum diabolo pro nostra salute sollicitus, diuinâ maiestatis suæ colluctatione certaret, & vt de faucibus eius, quem gerebat hominem liberaret, hâc eum responsione quassauit. Nam cum diceret ei diabolus: *Si filius Dei es, fac vt isti lapides panes fiant.* Respondens ei Dominus dixit: *Non in pane tantum viuit homo, sed in omni verbo Dei:* Nescientes itaque substantiam generis humani, quotidianas epulas hoc nomine consecrarunt. Nam omne quo vescuntur homines penus vocatur, hinc & cella penaria: hinc & pij penates, ab abiectis & prostratis hominibus miserâ sunt cogitatione composita. Vesta autem quid sit discite, ne putetis antiquum aliquid, aut cum summo terrore inuentum. Ignis est domesticus, qui in focis quotidianis vsibus seruit. Quapropter coquos habeat, non miseras Virgines Sacerdotes, quæ contemnentes ignis ipsius famillas, aut prostituto corpore peccare coguntur, aut in virginitate perseuerantes perdunt honestam gloriosi nominis dignitatem.

C

Pagani consecrauerunt epulas nomine Deorum Penatiũ.

Matth 4. Luc. 4.

Penates à penu.

De Vesta.

D

CAPVT XVI.

PAlladij etiam quod sit numen audite. Simulachrum est ex ossibus Pelopis factum. Hoc auarus Scyta fecisse perhibetur: iam quale sit, considerate, quod Scyta barbarus consecrauit. Estne aliud apud Scytas humanâ ratione compositum, & illa effera gens (hominum) & crudeli atque inhumanâ semper atrocitate grassatâ; in constituendis Religionibus rectum aliquid potuit inuenire? Simulachrum hoc Troianus * auarus vendidit, stultis hominibus vana promittens. Vendebatur Deus, vt prodesset emptori, & emptor suppliciter adorabat, quicquid paulò ante viderat subhastatum. Substantia* autem simulachri ipsius ex ossibus Pelopis est. Si humana vis * miseros homines ossa venerari, purioris saltem & castioris hominis reliquias collige. Accedat idolo quod facis, ex hominis virtutibus meritum. Pelops in deliciis amatoris fuit, & diu prostituti pudoris damna sustinuit. Sed nec adulto ei scelus defuit. Is enim cuius filiam petebat, cum fraude proditoris occidit. Proditorem etiam ipsum periuriis aggressus est, & ne promissa redderet præmia, hunc eundem per abrupta præcipitia iactauit. En cuius electa sunt ossa, vt Deus fieret, qui vrbes & regna seruaret. Sed nec seruauit aliquando, nec profuit, & quid se maneat, ex vrbium, in quibus fuit, casibus vidit. Incensa est Troia à Græcis, à Gallis Roma, & ex vtroque incendio Palladium reseruatum est. Sed reseruatum non propriis virtutibus, sed humano præsidio: ab vtroque enim loco homines liberant, & translatum est, ne humano flagraret incendio. Tanto numini humana fuerunt præsidia necessaria, & ne arderet, humanum quæsiuit auxilium. Dilatum est Palladium ab incendio, non liberatum. Stat sententia, manet pœna, ignis iminet, ignis vrget, quem vitare non poterit. Iam parturit flamma cœlestis, iam diuinæ animaduersionis monstratur aduentus, iam futuræ cladis nuntiatur exitium, in hoc incendio Palladium latebras inuenire non poterit, ignis iste scrutatur abdita, quærit abscонsa: & quicquid errantes homines vanis persuasionibus perdidit, rapidâ flammarum populatione complectitur: *Venit enim* (inquit) *dies Domini vt ardens clibanus.* Audisti quid veniat. Nihil est, quod ex te collectum in apothecis Dominicis reponi possit, ardebis vt stipula, cuius inanis vilitas in cineres fauillasque seruatur, quam rapax ignis violentia congeniti spiritus pascitur. Hic est exitus finisque vester: hæc est pœna, quam pro deceptis hominibus Deus statuit, vt perpetuis ardeat flammis, qui contra voluntatem Dei miserum hominem aut decepit aut perdidit. Volo sanè diligenter inquirere, cuius Mineruæ hoc volunt esse signum. Plures enim Mineruas fuisse constat, nec aliquis in ista parte dissentit. Singularum itaque genus, institutum, artem propositumque discamus, vt ex his omnibus inueniri possit, Palladium cuius Mineruæ sit nomine consecratum.

De Palladio. Abaris.

**Abaris.*

** Miserorum hominum.*

E

Meritum Pelopis quale fuerit.

Pelopis ossa.

Troia.

Palladiũ aliquãdo conflagraturum.

F

Malach. 4.

G

CAPVT XVII.

QVinque Mineruas fuisse legentibus nobis tradit antiquitas. Vna est Vulcani filia, quæ Athenas condidit, quam ex agrestibus locis ad vrbanæ conuersationis ordinem rustica turba comitata est. Fuit alia in Ægypto, Nili regis filia, textrinæ artis magistra. Tertia verò patre Saturno genita est. Sed hanc viraginem fuisse commemorant: nam nunquam se intra fœminei sexus verecundiam tenuit, sed arma semper strepitumque pugnarum, & cruenta sequuta est studia bellorum. Quarta Iouis Cretici regis fuit filia, quæ occisum patri detulit liberum. Quinta pallante patre, & Tritonide matre orta est, quæ patris appellata nomine, Pallas est ab hominibus nuncupata. Hæc parricidialis amentia furoris & vesanæ temeritatis instinctu, patrem Pallantem crudeli morte iugulauit. Nec simplici patris morte contenta, vt diutiùs malis suis frueretur, & vt de morte patris crudeliùs triumpharet, exuuiis corporis eius ornata est, vt parricidij facinus ex crudeli ostentatione publicaret. Huius est Palladium, prô nefas! nomine consecratum. Hæc est Pallas quæ colitur, hæc est quæ pontificali lege seruatur, & cuius facinus seueriùs damnari debuerat, eius imago suppliciter adoratur. Apponite ignem, augete flammas, vt quotidianis sacrificiis vestris dicatur ardere. Quid enim meretur aliud parricida, nisi vt perpetuâ mutatione flammarum ante sententiam Dei quotidie flammis vltricibus concremetur. Busta sunt, sacratissimi Imperatores, appellanda non templa. Rogi sunt potiùs dicendi miserorum. Nam in honorem hominum perditorum ædes pro sepulchris miseranda hominum seruitus facit. Hîc crematorum corporum fauillæ seruantur, hîc cineres mortuorum irreligiosâ lege conduntur, vt acerbarum mortium casus quotidiano victimarum sanguine

De pluribus Mineruis. Minerua Ægyptia.

Minerua qua & Pallas

H

Pallas à quo Palladium parricida.

Damnatorum pœna aeterno extremum indicium.

recru

A recrudescat, vt tristis lamentationis exitus renouatus annuis luctibus renascatur, vt sopitos fletus recentior vlulatus exagitet, vt parricidia, vel incesta vel mortes ex sacrorum ritu misera mens hominum & colere discat & facere. Amputanda sunt hæc, sacratissimi Imperatores, penitùs atque delenda, & seuerissimis edictorum vestrorum legibus corrigenda, ne diutiùs Romanum orbem præsumptionis istius error funestus commaculet, ne pestiferæ consuetudinis conualescat improbitas. Quicquid hominem Dei conatur perdere ne diutiùs in terra dominetur. Nolunt quidam & repugnant, & exitium suum pronâ cupiditate desiderant: sed subuenite miseris, liberate pereuntes, ad hoc vobis Deus summus commisit imperium, vt per vos vulneris istius plaga curetur: Facinoris eorum periculum scimus, erroris notæ sunt pœnæ, sed meliùs est, vt liberetis inuitos, quàm vt volentibus concedatis exitium. *Inuiti liberandi.* Ægrotantes contraria delectant, & cum corpus hominis aduersa valetudo possederit, contra salutem suam à laborantibus peruersa poscuntur. Capta mens languoris vitio, morborum semper augmenta B desiderat, & medelas artificum aspernatur ac contemnit, respuit remedium medicinæ, & in exitium suum pronâ animositate festinat. Tunc si malum morbi fortiùs creuerit, maiora remedia quæruntur, & pro salute hominis sollicita fortius se medicina opponit. Asperi cibi, amari potus nolentibus ingeruntur: & si conualuerit malum, & ignis adhibetur & ferrum. *Medicorum exemplum.* Sic homo receptâ sanitate & salute sibi redditâ, quicquid ægrotantis corporis vitio inuitus passus est; hoc totum pro vtilitate sua factum esse, stantis animi iudicio confitetur.

CAPVT XVIII.

De aliqua ratione expositis Deorum nominibus, & eorum interpretatione.

Accipite etiam, sacrosancti Principes, nomina eorum quæ sunt ratione composita, lumen hoc, quod hominibus iussu Dei, fugatis tenebris diem reddit, quod per duodecim horarum spatia cursus sui ordinem dirigit, C solem dici voluerunt, non quia solus est, vt quidam volunt, quia ibi & cœlum est & luna, & alia plurima sydera quæ videmus, ex quibus quædam vnâ serie, & cohærentiâ perpetuâ simulque copulatâ lucent, alia tota sparsa cœlo vagos cursus suis metiuntur erroribus. Sed ideò Sol appellatur, quia cum ortus fuerit, obscuratis cæteris syderibus luceat solus. *Luna quæ & Lucina, & Diana.* Luna etiam hæc eadem Lucina à nocturno lumine nomen accepit. Hanc etiam quidam dici voluerunt Dianam, quod per noctem lucem, hominibus alterum penè diem faciat. *Neptunus.* A natando Neptunum dici voluerunt, ex hoc quod libenter faciebant substantiam nominis figurantes. Terrenam vim omnem atque naturam, Ditem patrem dicunt, quia hæc est natura terræ, vt recidant in eam omnia, & rursus ex ea orta procedant, quæ res opulentiam terræ diuitiasque monstrauit. *Proserpina. Ceres.* Frugum substantiam volunt Proserpinam dicere, quia fruges hominibus, cum seri cœperint, prosunt. Terram ipsam Cererem nominant, nomen hoc à serendis D fructibus mutuatum. *Mauors. Minerua* Ex bellorum casibus Mauors nomen accepit, quasi magna vertat. Minerua similiter bellicum nomen est, quasi aut minuat aut minetur. *Venus. Apollo.* Venustas hominum Venus dicta est. Apollinis nomen ex humanis finxerunt casibus, sermone Græco, quasi omnia commissa sibi, aut amittat aut perdat. Solem etiam quidam Apollinem dicunt, quia quotidie in occasu constitutus splendorem luminis perdat. Perdere autem Græci ἀπόλλειν dicunt. Videtis vt vestros ementitos & fictitios Deos turbulentus error excogitauerit, vt superstitionibus anilibus & formæ vobis traditæ sunt & nomina. Sed hæc omnia veritas detexit, & ratio sanæ mentis inuenit, vt inuestigatis omnibus atque detectis, quæ sacrilegus error absconderat, veritatis semita luceret. *Idololatria occasione, vnde emperit.* Hæc enim omnia cùm essent malè composita terrori primum fuêre mortalibus: dehinc consumptâ nouitate, quasi ex longa ægritudine conualescentibus hominibus, natus est quidam ex admiratione contemptus. Sic paulatim, quod stupebat animus, ausus est diligenter inquirere, & statim in arcana fictarum ac vanarum superstitionum sagax misit ingenium. E Tunc ex assiduis tractatibus latentium ratione collectâ peruenit ad causas, vt profanarum Religionum miseranda commenta humanum genus primum disceret & deinde contemneret, tertiò recusaret.

CAPVT XIX.

De secretis Græcorum in quibusdam mysteriis. Mysteria templi cuiusdam.

Libet nunc explanare quibus se signis vel quibus symbolis in ipsis superstitionibus miseranda hominum turba cognoscat. Habent enim propria signa, propria responsa, quæ illis in istis sacrilegiorum cœtibus diaboli tradidit disciplina. In quodam templo, vt in interiores partes homo moriturus possit admitti, dicit: de tympano manducaui, de cymbalo bibi, & Religionis secreta perdidici. Quod Græco sermone dicitur ἐκ τυμπάνου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γέγονα μυστικός. Male miser homo de admisso facinore confiteris, pestiferum veneni virus hausisti, & nefario furoris instinctu lethale poculum lambis, cibum istum mors sequitur semper, & pœna æterna. F Hoc, quod bibisse te prædicas, vitalem venam stringit in mortem, & sedes animæ contaminatâ malorum re continuatione conturbat. *Christi panis & poculum.* Alius est cibus, qui salutem largitur & vitam, alius est cibus, qui hominem summè Deo & commendat & reddit, alius est cibus, qui languentes releuat, errantes reuocat, lapsos erigit, qui morientibus æternæ immortalitatis largitur insignia. Christi panem, Christi poculum quære, vt terrenâ fragilitate contemptâ, substantia hominis immortali pabulo saginetur. Quis est autem hic panis, vel quod poculum? de quo in libris Salomonis Sapientia magnâ voce præclamat, ait enim: *Venite, & manducate de meis panibus, & bibite vinum, quod miscui*, (Prou. 9.) Melchisedech Rex Salem, (Gen. 14.) & Sacerdos summi Dei, reuertenti Abrahæ cum pane & vino benedictionis obtulit gratiam. Isaac etiam cum Iacob benedixisset, cum hoc idem Esau à patre suppliciter exigeret, respondit ei pater: (Gen. 27.) *Dominum tuum feci illum, & omnes fratres eius feci seruos, tritico & vino confirmaui illum.* Tunc Esau casus suos miserâ lamentatione defleuit, G quia tritici & vini, id est, futuræ felicitatis perdidit gratiam. Quod autem consecratis hominibus à Deo panis diuinus iste præstetur, per Esaiam dicit Spiritus sanctus: (Esa. 65.) *Sic dicit Dominus, Ecce qui seruiunt mihi manducabunt; vos autem esurietis. Ecce qui seruiunt mihi, iucundabuntur; vos confundemini, vos interficiet Dominus.* Non solùm panis iste à Deo summo sacrilegis & impiis denegatur; sed & pœna promittitur, & acerbæ mortis decernuntur exitia, vt esurientibus faucibus diuinæ animaduersionis exitus ingeratur. Sequuntur etiam hæc eadem 33. Psal. veneranda responsa, ait enim per Dauid Spiritus sanctus: (Psal. 33.) *Gustate & videte quoniam dulcis est Dominus, dulce est cœleste pabulum, dulcis Dei cibus, nec habet in se miseræ famis triste tormentum, & de medullis hominum, præcedentis veneni virus excludit.* Hæc ita esse sequentia oraculi responsa declarant, ait enim: *Timete Dominum omnes sancti eius, quia non est inopia eis, qui metuunt eum. Diuites eguerunt, & esurierunt, qui autem inquirunt Dominum, non indigebunt omni bono.* H Qui sic in templo prætextatus incedis, qui fulges purpurâ, cuius caput aut auro, aut lauro premitur, errorem tuum turpis egestas insequitur, & ceruicibus tuis onerosum paupertatis imminet pondus. (Luc. 16.) Illum quem despicis pauperem, largus & diues est, spatium illi Abrahæ in sinu suo præparat. Tunc tu per interiecta flammarum spatia ad mitigandæ conscientiæ tuæ vulnera, tenuem ab eo stillantis aquæ guttulam postulabis, nec tibi volens Lazarus lenimentum doloris tui aut dare poterit aut impetrare. Singulorum enim pari gratia merita pensantur, illi vita confertur, propter huius seculi mala; tibi propter huius seculi bona perpetua tormentorum pœna decernitur. Vt autem manifestiùs diceretur; quinam ille esset panis, per quem miseræ mortis vincuntur exitia, ipse Dominus sancto ac venerando ore signauit, ne per diuersos tractatus spes hominum prauis interpretationibus falleretur. Dicit enim in Euangelio Ioannis: *Ego sum panis vitæ, qui venerit ad me, non esuriet, & qui in me crediderit, non sitiet vnquam.* Item in se-

Castè legi, non videtur innocentes, qui nunc sunt in inferno. potius aqua ab his qui sunt in cœlo. Notauit hunc locum Ioannes Maldonatus in 16. Lucæ versus 3.

A quentibus hoc idem simili modo significat, ait enim: *Si quis sitit veniat & bibat, qui credit in me.* Et rursus ipse, vt maiestatis suæ substantiam credentibus traderet, ait: *Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.* Quare nihil vobis sit cum tympanis, cibo odij miseri mortales, salutaris cibi gratiam quærite, & immortale poculum bibite. Christus vos epulis suis reuocat ad lucem, & graui veneno putres artus, & torpescentia membra viuificat. Cœlesti cibo renouate hominem perditum, vt quicquid in vobis mortuum est, diuinis beneficiis renascatur. Didicistis quid vos facere conueniat, eligite quod vultis, inde mors nascitur, hinc immortalis vita donatur.

Cur Christus ore proprio designauerit veritatem sui corporis.

CAPVT XX.

De altera quadam Paganorum qua in diuersis casibus vtebantur mystica oratione.

DIcis etiam: χαῖρε νύμφιε χαῖρε νέον φῶς. Quid sic miserum hominem per abrupta præcipitas, calamitosa persuasio? Quid illi falsæ spei polliceris insignia? Nullum apud te lumen est, nec est aliquis sponsus qui hoc mereatur audire. Vnum lumen est, vnus est sponsus hominum quorum gratiam Christus accepit. Non poteris B ad te alienæ felicitatis transferre gloriam, nec poteris cœlestis numinis splendore decorari. In tenebras squaloresque proiectus es: illic sordes, squallor, caligo, tenebræ, & perpetuæ noctis dominatur horror. Si vis vt tenuis saltem tibi splendor luminis luceat, erige vultus, & demersos erige oculos, & desertis his ad eum te confer qui dixit: *Ego sum lux mundi,* cuius diuinis præceptis Ioan.8. continemur, vt in hac terrena conuersatione opus nostrum per dies singulos luceat. Lucere autem non potest nisi immaculata nos conscientiæ ornamenta protexerint, nisi integra nos & incorrupta vita commendet, tunc orietur nobis veri luminis gratia: tunc se nobis lucis autor insinuet: tunc verum lumen & accipere possimus & videre. Sed vt sacrilegæ vocis comprimatur improbitas, quis sit verè sponsus sacrarum lectionum oraculis comprobabo, vt probetur sponsum esse Christum, sponsam Ecclesiam: ex quo venerando parti spi- C rituales filij per dies singulos procreantur. In hac probatione arcana Prophetarum veneranda pandamur. Adsistat nobis sanctorum oraculorum fides. Ioël diuino spiritu monente sic dicit: *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, & indicite curationem, aggregate populum, sanctificate Ecclesiam, excipite maiores natu, colligite paruulos lactentes, procedat sponsus de cubiculo suo, & sponsa de thalamo suo.* Hoc idem Ieremias simili ratione significat, ait enim cum Ierosolymæ truci minatur oraculo: *Et auferam de ciuitatibus Iuda, & de vrbibus Ierusalem vocem lætantium, vocem sponsi & vocem sponsæ.* Processum sponsi etiam per Psalmos prædicat Spiritus sanctus. In XLIX. Psalmo hoc inuenimus oraculum, ait enim: *Et ipse velut sponsus egrediens de thalamo suo, exultauit vt Gigas viam currere. A summo cœli profectio eius, & decursio eius vsque ad summum eius, & non est qui lateat à calore eius.* Secretiora pandantur arcana, in Apocalypsi, quis sit sponsus inueniemus, ita enim scriptum est: *Veni osten-* D *dam tibi nouam nuptam vxorem agni. Et duxit me in spiritu in montem magnum, & ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cœlo.* Inuestigandum est, quid etiam nobis de hac ipsa re tradat Euangelica disciplina, inuenienus enim in Euangelio Ioannis ita esse signatum: *Vos mihi testes estis, quoniam dixi eis, qui missi sunt ab Ierosolymis ad me, quia non sum Christus, sed quoniam missus sum ante ipsum. Qui enim habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi est, qui stat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Huius rei mysterium ostensum est, huius sponsi aduentum sapientium Virginum chorus expectat, huic præfert lumina peruigili cura sancta virginitas, expectantibus sponsum seruis fœlicium præmiorum promittitur munus. Inuenimus enim in Euangelio Lucæ: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando veniat à nuptiis. Vt cum venerit, & pulsauerit aperiant illi. Felices serui illi, quos ad-* *ueniens Dominus inuenerit vigilantes.* Ecce venerandorum E responsorum oraculis sponsus ostensus est. Quibus tu tibi in acerbis casibus constitutus beatum nomen imponis? Si vis liberatus lumen sequi sponsi, proiice errores, & peruigili cura sollicitus, præcedentia vitæ facinora Religiosa denotione castiga. Tunc te in nomine suo cum vigilantem inuenerit sponsus, cum fidei tuæ merita cognouerit, dabit maximum præmium, dabit integrum munus, intrabis cum eo cœli thalamum, videbis regna mundi, & vt eorum particeps esse possis, à piissimo & iustissimo Domino immortalitatis tibi gratia conferetur.

Christus & Ecclesia sponsus & sponsa Cap.2. — Cap.16. — Cap.21. — Cap.3. — Matth. 25. — Cap.12.

Fidei merita.

CAPVT XXI.

De 3. quodam gentilium idololatrarum mysterio.

ALterius profani Sacramenti signum est: Θεὸς ἐκ πέτρας. Cur hoc sanctum venerandumque secretum ad profanos actus adulterata professione transferis? Alius est lapis, quem Deus in confirmandis fundamentis promissæ Ierusalem, missurum se esse promisit. Christus nobis venerandi lapidis significatione monstra- F tur. Quid tu ad commaculatas superstitiones furtiua fraude venerandi transfers nominis dignitatem? Lapidem tuum ruina sequitur, & cadentium culminum funesta collapsio. Noster lapis Dei fundatus manu extruit, confirmat, erigit, munit, & restaurati corporis gratiam, perpetuæ immortalitatis splendore condecorat: ait enim de hoc Esaias, innuente Spiritu sancto: *Sic dicit Dominus, ecce ego immitto in fundamenta Sion lapidem pretiosum, electum, summum, angularem, honoratum, & qui crediderit in eum, non confundetur.* In Psalmis etiam simile responsum est: ait enim Spiritus sanctus in CXVII. Psal. *Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* An non factus est iste, & est mirabilis in oculis nostris? Per multos Prophetas Spiritus sanctus nominis istius ordinem monstrat, ait enim Zacharias Propheta: *Ecce ego adduco puerum meum, ortus ei nomen est, quoniam lapis, quem dedi coram Iesu, super lapidem ipsum vnum, septem oculi sunt.* Sed vt manifestius constet, antiquiora venerandarum lectionum secreta pandamus. In Deutero- G nomio ita comprehensum est: *Et scribes super lapidem omnem legem hanc.* Iesus etiam naue iussu diuinitatis hoc specialiter comprehendit, ait enim: *Et accepit lapidem magnum, & statuit eum contra Dominum. Et ait Iesus ad populum: Ecce lapis iste erit mihi in testimonium, quia iste audiuit omnia quæ dicta sunt à Domino quando loquutus est ad vos. Et erit iste nobis in testimonium in nouissimo dierum, quando recesseritis à Domino vestro.* Quod autem per hunc lapidem, id est, per Dominum nostrum Iesum Christum, & dij isti casuri sint, & multitudo templorum, apertè Daniël venerandis oraculis explicauit, ait enim, cùm interpretaretur somnium regis: *Et ecce imagó, imago nimis magna, & contemplatio ipsius imaginis metuenda, elata stabat contra te, cuius caput fuit ex auro bono, pectus & brachia eius argentea, venter & femora ærea, pedes autem ex parte quidem ferrei, ex parte autem fictiles, quoadvsque abscissus est lapis de monte, sine manibus concidentium, & percussit imaginem super pedes ferreos & fictiles, & comminuit eos minutatim, & factum est simul ferrum & testa, & æramentum & argentum, & aurum facta sunt minuta quasi* H *palea, & vt puluis in arida æstate, & ventilauit illa ventus, ita vt nihil remanserit in illis. Et lapis qui percussit imaginem factus est mons magnus, & impleuit totam terram.* Quis locus in terra est, quem non Christi possederit nomen? qua Sol oritur, qua occidit, qua erigitur septentrio, qua vergit auster, totum venerandi numinis maiestas impleuit. Et licèt adhuc in quibusdam regionibus idololatriæ morientia palpitent membra, tamen in eo res est, vt è Christianis omnibus terris pestiferum hoc malum funditùs amputetur. De idololatrarum lapide, de quo dicunt: Θεὸς ἐκ πέτρας quid Prophetarum respondet oraculum? quis autem restitit, vel cui parcit iste lapis? Lapis autem hic sanctus, id est, Christus aut fidei fundamenta sustentat, aut in angulo positus, duorum parietum membra æquata moderatione coniungit, id est, veteris & noui Testamenti in vnum colligit gentes; aut certè

Christus lapis. — Esa.28. — Cap.3. — Cap.28. — Cap.24. — Cap.2.

corporis

A

corporis & animi diuersitatem, inuiolata homini immortalitate consociat; aut legem promulgat, aut contra peccantes testimonium perhibet: aut (quod est potius) imaginem diaboli percutit, vt superato eo atque prostrato, & in cinerem fauillasque conuerso, erecto sublimitatis suæ vertice, purum dominationis imperium habeat. Vos nunc Constanti & Constans, sacratissimi Imperatores, & venerandæ fidei vestræ imploranda virtus est, quæ supra homines erigitur, & à terrena fragilitate separatur, cœlestiumque se rerum societate coniungit, quæ in omnibus actibus suis, prout potest, Dei summi sequitur voluntatem. Modicum tantum superest, vt legibus vestris funditus prostratus diabolus iaceat, vt extinctæ idololatriæ pereat funesta contagio. Veneni huius virus euanuit, & per dies singulos substantia profanæ cupiditatis exspirat. Erigite vexillum fidei, vobis hoc diuinitas reseruauit, cuius fauore eminentes prostratores estis omnium hostium vestrorum; quorum opera Romanum infirmabatur imperium. Signum venerandæ legis erigite, sancite, promulgate quod prosit; Sit faustum fœlixque Reip. quod tot aceruis cæsorum hostium prostrauistis exercitum. Felices vos quoque gloriæ ac voluntatis suæ Deus fecit esse participes, idololatriæ excidium, & profanarum ædium ruinas propitius Christus populo vestris manibus reseruauit. Ille spiritualibus armis malos spiritus, vos mala terrena vicistis. Erigite trophæa victoriæ, & proferatur ingens titulus triumphorum: profanarum rerum strage gaudentes, exultate fortius, exultate fidenter. Fœlicitas vestra cum Dei virtute coniungitur, pro salute hominum Christo pugnante vicistis.

B

CAPVT XXII.

De 4. quodam Religionis profanæ symbolo.

OMnia symbola profanæ Religionis per ordinem suggerantur, vt probemus nequissimum hostem generis humani de sanctis hæc venerandisque Prophetarum oraculis ad contaminata furoris sui scelera transtulisse. Inuenimus enim & ita dici: [illegible] διμόρφα. Deus iste vester non biformis est, sed multiformis. In multas

C

enim species veteratoris forma mutatur. Ipse est basiliscus & scorpio, qui fidelium securis vestigiis premitur: ipse malitiosus anguis, cuius caput quærit decepta mortalitas: ipse tortuosus draco, qui hamo ducitur, qui captiuus includitur: iste Deus vester Lernei anguis crinibus adornatur, videns vt percusso Domino morientium anguium turba succedat. Quid sic renascentibus hydris pullulas? quid te fœcunda scelerum sobole componis? mortis tuæ viam didicimus, scimus quibus remediis artis tuæ venena vincantur. Christi immortalem sanguinem bibimus, nostro sanguini Christi sanguis adiunctus est. Hoc est salutare remedium scelerum tuorum, quod à Dei plebe mortiferum virus excludit. Quis Deum istum, quem plangunt, cum cornibus vidit? quæ sunt ista cornua, quæ habere se iactat? Alia sunt cornua, quæ propheta sancto Spiritu annuente commemorat, quæ tu, diabole, ad maculatam faciem tuam putas te posse transferre. Vnde tibi ornamenta quæris & gloriam? Cornua nihil aliud nisi venerandum signum crucis monstrant. Huius signi vno extenso ac directo cornu mundus sustentatur, terra constringitur. Et è duorum quæ per latus vadunt compagine oriens tangitur, occidens subleuatur, vt sit totus orbis tripartita stabilitate firmatus confixi operis, immortalitatis radicis fundamenta teneantur: hoc secretum nobis venerandum prophetæ oraculum tradidit. Inueniemus enim in Abacuc ita esse perscriptum: *Texit cœlos virtus eius & laude eius plena est terra. Et splendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius erunt. Et illic constabilita est virtus gloriæ eius, & constituit dilectionem suam. Ibit verbum, & præcedet secundum gressus suos.* En veneranda crucis cornua, en sanctæ virtutis immortale fastigium, en gloriosi operis diuina compago? Tu Christe mundum ac terram extensis manibus, tu cœleste sustentas imperium; tuis immortalibus adhæret humeris salus nostra, tu Domine æternæ vitæ baiulas signum, tu venerando instinctu hoc nobis

Iob 40.

Christi sanguinē bibimus.

D

Venerandum signum crucis.

Cap 3.

Crux salus nostra & æternæ vitæ signum.

E

denuntias per Prophetas. Ait enim Esaias: *Ecce natus est nobis, imperium super humeros eius, & vocatum est nomen eius magnæ cogitationis nuntius.* Hæc sunt crucis cornua, quibus omnia & subleuantur pariter & continentur. His cornibus benè hominum nititur vita. Vt Amalech vinceretur extensis manibus Moyses hæc imitatus est cornua, vt facilius impetraret, quod magnoperè postulabat crucem sibi fecit ex virga. Ad hæc cornua humili veneratione confugite. His vos affigant cornibus iustitia, æquitas, pudicitia, misericordia, patientia, fides: vt veneranda præferentes insignia, consecrati fontis maiestate gaudentes, & sepulturæ Christi participes sitis & vitæ.

Cap. 9.

Exod. 17.

Crucis veneratio humilis.

CAPVT XXIII.

De mystica vnctione & oratione quadam idololatrarum.

ALiud etiam symbolum proponamus, vt conamine cogitationis scelera reuelentur, cuius totus ordo dicendus est, vt apud omnes constet, diuinæ dispositionis legem peruersa diaboli esse imitatione corruptam. Nocte quadam simulachrum in lectica supinum ponitur, & per numeros digestis fletibus plangitur. Deinde cum se ficta lamentatione satiauerunt, lumen infertur. Tunc à Sacer-

F

dote omnium qui flebant, fauces vnguntur, quibus perfunctis, Sacerdos hoc lento murmure susurrat:

Θαῤῥεῖτε μύσαι τῶ θεῶ σεσωσμένυ,
Ἔσαι γὰρ ὑμῖν ἐκ πόνων σωτηρία.

Quid miseros hortaris vt gaudeant? quid deceptos homines lætari compellis? quam illis spem, quam salutem funesta persuasione promittis? quid illos falsa pollicitatione sollicitas? Dei tui mors nota est, vita non comparet, nec de resurrectione eius diuinum aliquando respondit oraculum, nec hominibus se post mortem, vt sibi crederetur, ostendit, nulla huius operis documenta promisit, nec se hoc facturum esse præcedentibus monstrauit exemplis. Idolum sepelis, idolum plangis, idolum de sepultura profers, & miser, cum hæc feceris, gaudes. Tu Deum tuum liberas, tu iacentia lapidis membra componis, tu insensibile corrigis saxum. Tibi habeat gratias Deus tuus, te paribus remuneretur donis, & sui velit

G

esse participem, sic moriaris vt moritur, sic viuas vt viuit. Nam quod vnguento perunguntur fauces, quis non facinus istud despecta vanitate contemnat? Habet ergo diabolus Christos suos, & quia ipse Antichristus est, ad infamiam nominis sui miseros homines scelerata societate perducit. Vnguentum hoc reserua mortuis, reserua morituris, vt quos laqueis tuis cœperis, eos venenato vnguento oblitos lugubri ac funesto semper mergas exitio.

Cauiā lege, nam verus Antichristus quia aduersatur Christo. Vide lib. 2. Malueñdę Dominicani de Antichristo cap. 7.

CAPVT XXIV.

De cœlesti & vera Christi vnctione.

ALiud est vnguentum, quod Deus pater vnico tradidit filio, quod filius credentibus diuina nominis sui maiestate largitur. Christi vnguentum immortali compositione conficitur, & spiritualibus pigmentorum odoribus temperatur. Hoc vnguentum à mortali-

H

bus laqueis putres hominum artus exuit, vt sepulto primo homine, ex eodem statim homine homo alius felicius nascatur. Et vt hoc manifestius explicetur, sacrarum lectionum arcana pandenda sunt. Ait enim Dauid, vt huius vnguenti gratiam traderet, *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit tibi in æternum. Accingere gladium tuum circa femur tuum potentissimè. Specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna. Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua Sagittæ acutæ potentissimæ, populi intra te decident in corde inimicorum Regis. Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga recta, est virga regni tui. Dilexisti iustitiam, odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Myrrha & gutta, & casia à vestimentis tuis de ædificiis eburneis, ex quibus te iucunditate affecerũt.* Immortalis vnguenti secreta peruidimus, & diuinæ nobis dispositionis ordo monstratus est. Regnum perpetuum, & cœli diadema Domino nostro cum vnguenti maiesta-

Vnguentū Christi.

Psal. 44.

Vnguentum immortale.

A te collatum est. Quis autem hic sit qui regendi orbis accepit potestatem, qui venerandi nominis maiestate decoratur, aliud nobis monstrat oraculum: ait enim is idem Dauid: *Vt quid fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Quid te sic extollis sacrilega persuasio? quid miseros homines effrænata temeritate circumuenis? vnguentum Christi cœli donat imperium, vnguentum vestrum gehennæ suscitat flammas.

Psal. 2.

CAPVT XXV.

De idololatrarum mysteriis S. parte altera, qua dæmon re- B *surrectionis Christi memoriam imitatur.*

Cautè lege, nam dissonans hæc à placitis vera Theologia, patres enim in limbo erant cõfirmati in gratia, nec desperam, nec merita in hac vita cõparata dimittere poterant.

SEd quod impuro ore Sacerdos iste, & polluta verborum contaminatione componit, libet diligenti inquisitione discutere. Liberato Deo suo, bonum animum gerere socios, fiduciam bonæ spei habere persuadet. O quàm miseris, quàm luctuosis se laqueis inuoluit caduca calliditas! Quis Deum tuum liberat? cui hoc præstitit, quod laborat? Disce, disce quod nescis, disce quod non vides. Christus filius Dei, vt humanum genus à mortis laqueis liberaret, omnia ista sustinuit, vt captiuitatis duræ iugum tolleret, vt hominem patri redderet, vt mitigata offensa hominem cum Deo prospera conciliatione componeret, vt promissæ resurrectionis fructum proprio monstraret exemplo, fecit filius Dei quod ante promiserat, clausit ianuas sedis infernæ, & duræ legis necessitatem calcata morte prostrauit. Per triduum recens ita ab eo iustorum turba collecta est, ne diutius contra eos mortis dominaretur improbitas, ne iustorum meritum ex longa desperatione concideret, fregit claustra perpetua, & ferreæ fores Christo iubente collapsæ sunt: ecce terra contremuit, & fundamentorum suorum stabilitate concussa, præsentis CHRISTI numen agnouit. Ante præfinitum tempus præcipitat diem mundi rotata vertigo; & Sol non completo diurnarum horarum spatio properato cursu vergit in noctem. Ecce veli fastigia summa finduntur, & obscurioribus tenebris orbem terrarum caligo noctis abscondit. Omnia elementa Christo pugnante turbata sunt, tunc scilicèt cum primùm contra mortis tyrannidem humanum corpus armauit. Per triduum ista conflictatione pugnatum est, quamdiu mors superatis malitiæ suæ viribus frangeretur. Quid solita impatientia homo Religiosè, homo Christi desperas & deficis? Tridui moram non fers, sollicitudinem ac desperationem tuam nouis precibus confiteris? Hoc te factutum esse illo die Spiritus sanctus veneranda voce significat, cùm per Dauid dicit: *Æstimati sumus sicut oues occisionis. Exurge quare obdormis Domine, exurge & ne disperdas vsque in finem. Quare faciem tuam auertis? obliuisceris inopiam nostram, & tribulationem: quoniam humiliata est in puluere anima nostra, hæsit in terra venter noster. Exurge Domine opem fer nobis, & libera nos propter nomen tuum.* Ecce post triduum lucidior solito dies oritur, & reddita soli præteriti luminis gratia, omnipotens Deus Christus splendidioribus solis radiis adoratur. Exultat salutare numen, & triumphales currus eius iustorum ac sanctorum turba comitatur. Tunc elato gaudio clamat elata mortalitas: *Vbi est mors aculeus tuus?* Tunc præcurrens salutare numen aperiri sibi cœlestes ianuas præcipit. Aperite, aperite, & immortalia claustra conuellite. Christus Deus calcata morte ad cœlum hominem quem susceperat reuocat. Hoc à venerando Propheta sancta voce præcanitur, & ex ore prophetico vox iubentis auditur, ait enim Spiritus sanctus, vt nobis potentiam Christi iubentis ostenderet: *Tollite portas Principes vestras, & extollite portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Hoc Angelis nescientibus imperatur, neque enim scire potuerunt, quando verbum Dei descendit ad terram, ideò & ipsi sollicita interrogatione respondent: *Quis est iste rex gloriæ?* Quibus quærentibus perspicua Christus numinis sui maiestate respondit: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Cognoscitur statim à custodibus cœli filius Dei, & quicquid illos antè fefellit, agnoscunt. Vident

C Luc. 23. Matt. 27. *Subindicat ni fallor, solemnes illos apud Christianos triduana Christi sepultura sepulchrales & ritus & ceremonias.* Psal. 44.

D 1. Cor. 15. *Christi resurrectio. Sciuerũt quidem Angeli aduẽtum verbi in terras, sed circũstãtias quasdã atque rationes tanti mysterij non nouerũt, nisi forsã aliquas edocente Christo.*

E prostrati hostis exuuias, & recordati primæ dispositionis ordinem, etiam ipsi cum ascendentibus iterata pariter voce conclamant: *Tollite portas qui praestis illis, & extollite vos portæ æternæ & introibit rex gloriæ.* Reuerso filio promissa pater regni sceptra restituit, & sellã regni æqua potestate concedit, vt imperet, vt regnet, vt sceptrum teneat, vt perpetua numinis sui maiestate dominetur. Audi quid de illo Danielem Spiritus sanctus iusserit dicere: *Videbam in visu noctis, & ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniens, venit vsque ad veterem dierum, & stetit in conspectu eius, & qui assistebant obtulerunt eum. Et data est ei potestas regia, & omnes reges terræ & regnum & omnis claritas seruiuit ei. Et potestas eius æterna, quæ non auferetur, & regnum eius non corrumpetur.* Hæc eadem nobis sancta reuelatione monstrantur: inuenimus enim in Apocalypsi ita esse perscriptum: *Et conuersus respexi, vt viderem vocem, quæ mecum loquebatur, & vidi septem candelabra aurea, & in medio candelabrorum similem filio hominis vestitum podere, & erat præcinctus supra mamınas Zona aurea. Caput autem eius & capilli erant albi, velut lana alba, vt nix; oculi eius vt flamma ignis, & pedes eius similes aurichalco, sicut de fornace ignea, & vox eius, vt sonus aquarum multarum, & habebat in dextera sua septem stellas, & ex ore eius gladius, ex vtroque acutus, & facies eius splendebat, vt sol in virtute sua. Et cum vidissem cecidi ad pedes eius tanquam mortuus. Et imposuit dexteram suam super me dicens: Nolite timere, ego sum primus, & nouissimus, & viuus, qui fueram mortuus, & ecce sum viuens in sęcula seculorum, & habeo claues mortis, & inferorum.* Post resurrectionem etiam, cùm discipulis suis daret certa mandata, immortalium mandatorum ordinem ista lege conclusit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Ite ergo & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos obseruare omnia, quæcumque praecepi vobis.* Quod autem Deus pater, participem eum regni faciens, regalis sellæ ei concesserit sedes, hoc docetur oraculo: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, quoadvsque ponam inimicos tuos subpedaneum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon, dominaberis in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ, in claritate sanctorum, & ex vtero antè luciferum genui te. Iurauit Dominus, nec pœnitebit eum.* Hi sunt inimici Dei, sacratissimi Imperatores, qui veritatis ordinem contraria lege conturbant, qui peruersæ cupiditatis instinctu sacrilega vota concipiunt, qui profanæ mentis furore aut lignum semper venerantur aut lapidem. In isto loco positi ordinem debemus sanctæ dispositionis aperire: vt quicquid nobis inuestigantibus sanctum Dei verbum, prophetica tradidit disciplina, ad refutandas profani erroris maculas specialiter explicetur, ne sicut illi, quos diximus, mentiti simus, qui sacrilegia errantibus tradiderunt. Sic à nobis ordo veritatis curiosius requiratur. Suspensis itaque paululum cæteris ad hæc explicanda, quæ vera sunt, transferatur oratio.

Vide S. Thom. 1. p. qu. 57. art. 5. & eius interpretes. Sixtum quoque li. 6. Bibl. annot. 165. 182. 299. 130. Psal. 24. Cap. 7. Cap. 1.

F

Matt. 28.

Psal. 109.

G

CAPVT XXVI.

H

De Christo cur homo factus sit.

VOs, Domini Imperatores, sanctarum aurium vestrarum mihi commodate patientiam, vt totum clementiæ vestræ, quod promittimus, explicemus. Cur Deus, id est, filius Dei, homo passus est fieri, breui ac vera pietati vestræ ratione monstrabitur. Cum hominem primum, id est, Adam, ad imaginem suam Deus faceret, certam illi mandatorum dedit legem. Is per fœminam, id est, Euam deceptus, diaboli persuasionibus, promissæ sibi gloriæ perdidit dignitatem. Lignum erat in paradiso, quo promissorum à Deo præmiorum perdidit gratiam. De Virginis terræ limo homo factus est: nondum enim, vt ait scriptura, supra terram plucrat. Hic contemptis mandatis Dei, humanum genus mortalitatis laqueis afflixit. Oportebat hoc totum & reformari, & corrigi, & reformatio originis debuit reformare primordia. Ex Virginis terræ limo factus Adam præuaricatione propria promissam perdidit vitam. Per Virginem Mariam ac

Gen. 2. 3.

Homo de terra Virgine.

Terra Virgo. Virgo Maria.

A ac Spiritum sanctum Christus natus, & immortalitatem accepit & regnum. Arbor ligni pestiferum deceptis pabulum præbuit: lignum crucis vitam immortali compage restituit. Contempsit Adam, obediuit Deo Christus. Sic diuina dispositione quicquid Adam perdidit Christus inuenit. Nam post multa tempora nouissimis temporum spatiis (id est, nouissima penè seculorum hebdomade) verbum Dei humano se miscuit corpori, vt hominem liberaret, vt mortem vinceret, vt fragilitatem humani corporis cum diuina immortalitate coniungeret. Quid enim faceret tanta turba sanctorum? quæ illis spes salutis? quod meritorum præmium? si sub vna, eademque conditione sortis ineluctabilibus mortalitatis laqueis etiam ipsa obligata teneretur? Nihil, Abel, nihil Enoch, nihil Noë, nihil Sem, nihil Abraham, nihil Isaac, nihil Iacob de Dei sibi misericordia ac maiestate promitterent: irent etiam ipsi post tantum fidei meritum cùm cæteris omnibus pariter addictis, & omnes Dei sanctos vnum mortis exitium exciperet, nec haberet apud Deum B præmium pietas, si vna eadémque omnes conditio mortis hauriret. Sed Deus Abrahæ clarius à cœli syderibus promiserat regnum: ideò ex genere Abrahæ descendens Maria Virgo Deum concipit, vt supradictorum hominum soboles immortalis societatis vinculo iungeretur, & sic humanum genus per hominem pariter & Deum æquata societatis comparatione coniunctum, ad immortalitatis imperium obedientiæ merito perueniret. Quia itaque, sacratissimi Imperatores, curiosis auribus satisfecimus, reliqua prosequamur, vt vel sic pollutarum aurium sordes purificans possit sermo purgare.

Christi & Adã comparatio. *Præmiũ meritorum.* *Fidei meritũ.*

CAPVT XXVII.

Sequitur adhuc aliud symbolum, quod pro magno miserorum hominum credulis auribus traditur: Ταῦρος δράκοντος, καὶ δράκων ταύρου πατήρ. Aliquando nobis signa, diabole, maculati nominis prodidisti, aliquando infame nomen propria voce confessus es. Scio qui fueris, quid ausus sis, scio quid fecerit scelerum tuorum malitiosa persuasio. Hoc erat, quod Euæ, quum eam perderes, C magnopere pollicebaris, cùm ei diceres: *Eritis quasi Dij.* Tunc parabas tibi ac tuis templa, & delubra faciebas, & venenati oris illuuiem nefariis ceremoniis consecrabas. Serpis in templis, & occisarum hostiarum misero pasceris sanguine. Nec venenis tuis cruor defuit, nec semiustæ crematorum corporum partes, humanarum te etiam victimarum frequenter sanguine cruentasti. Et satiaris templi cruore, vel ara Carthaginis rabies tua, & siccarum faucium venena nutrita sunt. Tu hæc faciens hominibus te miseris prodesse iactas, vt crudelitate tua perimas, persuasione decipias, pollicitatione prosternas. Sic tuis prospicis parricida? Fugite ô miseri homines, fugite, & contagionem istam quantacumque potestis celeritate deserite. Draco est, qui colitur. Latere non potest, proprietatem nominis sui ipse confessus est. Confessum reum pœna cõsequitur. Audite quid sanctus Pro- D pheta diuina instigatione denunciet. Oraculum hoc Esaiç nobis fides tradidit, ait enim: *In illa die superinducet Deus gladium sanctum & magnum, & fortem super draconem, serpentem magnum, & tortuosum, & interficiet draconem.* Voluntas Dei perfectio operis † substantia est. Bene draconis lata sententia est: quicquid Deus dixit factum est, morituri draconis hoc solatium est, vt exitium suum frequens perditorum turba comitetur. Si mortis eius dies quæritur, tunc percussus est, cum hominem Deum vidit, cúmque nobis Christi numen apparuit. Post illum diem, qui serpentis huius secutus fuerit institutum, necesse est vt cum serpente moriatur. Deos istos, quos colitis ipse finxit, ipse composuit. Si pertinaces animi vestri in isto errore permanserint, ardebitis etiam vos pariter cum Diis vestris, vt quicquid auctores vestri diuina animaduersione meruerunt, etiam ad vestrum exitium hoc societatis consortio transferatur. Mihi credite, nihil prætermisit diabolus, quod hominem miserum aut debilitaret aut perderet: ideo sese in omnes

De 6. Paganorum symbolo quo dæmon verè se draconem profitetur. Gen. 1. Cap. 27. *Forlè, sub instantia.*

E formas multiplici diuersitate conuertit, ideo se diuersi generis calliditate composuit, vt variis ac multiplicibus fraudibus homines irretitos interimeret.

CAPVT XXVIII.

Sacra sua perditus carnifex, prô nefas! per lignum semper renouari disposuit, vt quia sciebat ita fore, vt ligno crucis affixa vita hominis perpetuæ immortalitatis compagine stringeretur, ideo perituros homines ex ligni imitatione deciperet. In sacris Phrygiis, quæ matris Deum dicunt, per annos singulos arbor pinea cæditur, & in media arbore simulachrum iuuenis subligatur. In Isiacis sacris de pinea arbore cæditur truncus, huius trunci media pars subtiliter excauatur: illis de segminibus factum idolum Osiridis sepelitur. In Proserpinæ sacris cæsa arbor in effigiem virginis formámque componitur, & cum intra ciuitatem fuerit illata, quadraginta noctibus plangitur, quadragesima verò nocte com- F buritur. Sed & illa alia ligna, quæ dixi, similis flamma consumit, nam etiam post annum ipsorum lignorum rogum flamma depascitur. Errasti miser, & vehementer errasti, nihil tibi poterit ignis iste prodesse, frustra tibi ex ista flamma blandiris, hunc ignem commentis tuis semper renouans. Ignis qui de facinoribus tuis exigit pœnas, perpetua tormentorum continuatione grassatur. Diuinis ac liberantis ligni ordinem disce, vt scias nulla tibi posse ratione succurri. De cataclysmo humanum genus arca lignea liberauit. Deinde Abraham ligna vnici filij humeris imponit. De Ægypto recedentem populum Dei plebem lignea virga protexit. Lignum dulcem saporem amaræ myrrhæ fontibus reddidit. Lignea virga ex spirituali petra salutaris vnda profertur. Et, vt Amalech vinceretur, circa virgam Moyses expansis manibus extenditur. Scalæ ligneæ Patriarcha incumbentem Angelum somniat, & per eandem alios ascendere, alios cernit descendere. Et lex Dei arcæ ligneæ creditur, vt his omnibus, quasi per gradus quosdam, ad lignum crucis salus hominum perueniret. G Quapropter lignum crucis cœli sustinet machinam, terræ fundamenta corroborat, affixos sibi homines ducit ad vitam. Lignum diaboli ardet semper & moritur, & ad ima tartari credentes homines cum fauillis suis ducit. Illud etiam quale sit ratione tractetur. Arborem suam diabolus consecrans, intempesta nocte ariete in cæsæ arboris facit radicibus immolari. Quis tibi hoc scelerate persuasit? vnde hoc pestifera cupiditate didicisti? Sempernè te contra Dominum summum nefaria cupiditate componis? ideò de te cœlo seuerum diuinitatis iudicium caduca humilitate præcipitat, ideò tibi Dei sententiâ perpetua pœna decernitur, quod facinoribus tuis per dies singulos nouum semper additur facinus, quod hominem Dei fraudulenta conatis persuasione decipere. Vide quid sibi ludibriosus honestis inuenerit. Abrahæ immolaturo filium iussu Dei aries supponitur, & in vicinæ arboris radicibus alligatur. Liberaturus Deus summus ex Ægyptiorum tyrannide plebem suam, arietem H nocte iussit occidi, & sanguine eius postes liniri præcepit. Ipsum à certo numero hominum per nocturnas epulas confici iubet, & sacrificio ipsi Paschæ nomen imponit. Sed hoc ad imaginem futurorum prouidentia diuinæ maiestatis inuenit, vt per signum, verum Pascha nobis ostenderet. Ideò cùm de passione Domini nostri diuino Spiritu iubente Propheta præcaneret, ait: *Sicut ouis ad victimam ductus est, & sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum. In humilitate iudicium ei sublatum est. Natiuitatem eius quis enarrauit? quoniam auferetur à terra vita eius.* Alius etiam Propheta hæc eadem simili respondit oraculo: *Domine significa mihi & cognoscam, tunc vidi meditationes eorum. Ego sicut agnus sine malitia perductus sum ad victimam. In me cogitauerunt cogitatum dicentes: Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus à terra vitam eius.* Agnum autem appellari Dominum nostrum sancta nobis reuelatione monstratur. In Apocalypsi enim ita inuenimus esse perscriptum:

Christi crucifixi imitationes in sacris idololatrarum. *Sacra Proserpinæ.* *Ignis inferni.* *Lignum diuinum & liberans.* Gen. 7. Gen. 22. Exod. 14. Exod. 15. Exod. 17. Ibid. Gen. 2. Exod. 40. *Ligni crucis figura & laudes.* *Dæmon studio se componit se contra Deum.* Exod. 12. *Pascha.* Isai. 53. Ier. 11. Cap. 5.

A *Et vidi in medio throni & quatuor animalium, & in medio seniorum agnum stantem, quasi occisum habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi per orbem terræ. Et venit & accepit librum de dextera sedentis in throno. Et cum accepisset librum, quatuor animalia & viginti quatuor seniores prostrauerunt se ante agnum, habentes singuli aureas citharas plenas odoramentis supplicationum, quæ erant orationes sanctorum, & cantauerunt nouum canticum dicentes: Dignus es accipere librum, & aperire signa eius, quoniam occisus es, & redemisti nos, Deo sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & nos regnum Deo nostro sacerdotesque fecisti, & regnabimus super terram.* Ioannes quoque filium Dei agni nomine appellat, vt & ipse propheticæ pollicitationi respondeat, ait enim in Euangelio: (Cap. 1.) *Altero die vidit Ioannes Iesum venientem ad se & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui aufert peccata mundi.* Pro salute hominum agni istius venerandus sanguis effunditur, vt sanctos suos filius Dei profusione pretiosi sanguinis redimat: B vt qui Christi sanguine liberantur, maiestate prius immortali sanguinis consecrentur. Neminem apud idola profusus sanguis iuuerit. Et ne cruor pecudum miseros homines aut decipiat aut perdat, polluit sanguis iste, non redimit, & per varios casus homines premit in mortem. Miseri sunt, qui profusione sacrilegi sanguinis cruentantur. Tauribolium vel Criobolium scelerata te sanguinis labe perfundit. Lauentur itaque sordes istæ, quas colligis. Quære fontes ingenuos, quære puros liquores, vt illic te post multas maculas cum Spiritu S. Christi sanguis incandidet.

CAPVT XXIX.

Contra idola. VT autem miseros homines ad sanam mentem reuocet plena persuasio, maiore authoritate opus est, vt curatis ac sanatis mentibus, nullum præcedentis pestilentiæ vestigium relinquatur. *Quid sint idola.* Quid itaque sunt idola, vel quam habeant substantiam, prophetarum oraculis, C ac diuina voce monstratum est, quæ omnia specialiter dicenda sunt, vt hoc non nostra temeritate prolatum, sed diuino magisterio nobis traditum, & cœlesti agnoscatur voce signatum. Quæ sit substantia eius sapientiæ, veneranda voce monstratur, ait enim in libris Salomonis: (Sap. 15.) *Omnia idola nationum æstimauerunt Deos, quibus neque oculorum visus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum. Sed & pedes eorum pigri ad ambulandum. Homo enim fecit illos, & qui spiritum mutuatus est, finxit illos. Nemo autem sibi hominum poterit Deum formare: cum sit enim mortalis, mortuum fingit manibus iniquis.* D *Melior est autem his quos colit, quoniam quidem ipse vixit, illi nunquam.* Quid amplius quærimus, sapientia nos diuina voce conuenit, & quicquid in arcanis Dei viderat, docuit, & quod erat salubre, monstrauit, ne fragilis & caduca mortalitas in exitium suum mortemque properaret. Hoc idem in Psalmis præmonet Spiritus sanctus. Inuenimus enim in Psalm. CXXXIV. ita esse perscriptum: *Idola gentium, argentum & aurum, opus manuum hominum. Os habent & non loquuntur, oculos habent & non vident, aures habent & non audiunt. Neque enim est spiritus in ore ipsorum, similes sunt illis qui faciunt ea.* Si artifex, qui ad ostentationem ingenij simulachrum aut sculpsit, aut fudit diuina maledicti animaduersione percutitur, quid sperare debeat considerandum est, qui quod alter vendidit, Deum dicit: Ieremias etiam cum præcepta Deo iubente plebi (Baruch. 6) daret, hac populum oratione conuenit: *Dicite autem in corde vestro, te oportet adorare Domine. Angelus autem meus vobiscum est, legem autem exquiram ab animabus vestris. Lingua eorum polita fabro, ipsa etiam inaurata, & inargentata falsa sunt, & non possunt loqui: Et sicut virgini hortatu amantis, accepto auro fabricati sunt coronas supra capita Deorum suorum. Est autem quando subtrahent sacerdotes à Diis suis aurum & argentum, & erogabunt illud in semetipsos. Dabunt etiam ex ipso & prostitutis meretricibus, ornabuntque illos vt homines vestimentis, Deos argenteos, & aureos, & ligneos.* E Addit etiam in sequentibus, vt omnem dubitationem trepidationis excutiat: *Supra corpus eius & caput volitant noctuæ & hirundines & aues similiter. Vnde scietis quia non sunt Dij. Non ergo timueritis eos. Aurum est, quod circa se habent ad speciem, nisi aliquis exterserit æruginem, non fulgebit. Neque enim cum conflabuntur sentient, pretio empti sunt in quibus spiritus non est, sine pedibus in humeris portantur.* Addit etiam vt confirmata mens fortius roboretur: *Scientes itaque ex his quia non sunt dij, ne timueritis eos.* Et vt sacerdotum eorum miserum dedecus monstret, addit: *In domibus eorum sacerdotes sedent habentes tunicas scissas, & capita & barbas rasas, quorum capita nuda sunt. Rugiunt autem clamantes contra Deos suos, sicut in gehenna mortui.* Quod autem & reges & gentes hæc de ipsis pronunciaturi sunt, is idem Propheta præsaga voce significat, ait enim: F (Baruch. Cap. 6.) *Scietur postea, quia falsa sunt gentibus vniuersis, & regibus: quia manifestum est, quod non sunt dij, & nullum Dei opus sit in ipsis. Regem regioni non suscitabunt, neque pluuiam hominibus dabunt. Iudicium quoque non discernent, neque regionem liberabunt ab iniuria, quia nihil possunt. Et cum inciderit in domo Deorum ligneorum & inauratorum, & in argentatorum ignis, sacerdotes illorum liberabuntur: ipsi autem sicut trabes in medio comburentur. Regi autem & bello non resistent, quomodo existimandum est, vel recipiendum, quia sunt Dij? Neque à furibus, neque à latronibus se liberabunt Dij lignei, & aurati, & inargentati, quibus hi, qui fortes sunt, aurum & argentum, quo operti sunt, auferent.* Tollite, tollite securi sacratissimi Imperatores, ornamenta templorum. Deos istos aut monetæ ignis, aut metallorum coquat flamma. Donaria vniuersa ad vtilitatem vestram dominiumque transferte. Post excidia templorum in maius Dei estis virtute prouecti; Vicistis hostes, propagastis imperium: &, vt virtutibus vestris gloria maior accederet, mutato ac contempto temporum ordine. G Hyeme (quod nec factum est aliquando, nec fiet) tumentes, ac sæuientes vndas calcastis Oceani sub remis vestris. Incogniti iam nobis penè maris vnda contremuit, & insperatam Imperatoris faciem Britannus expauit. Quid amplius vultis? Virtutibus vestris victa elementa cesserunt. Quod autem Deus iubeat idola non fieri, sacrosanctæ legis scripta declarant. In Exodo enim sic inuenimus esse perscriptum: (Cap. 20.) *Non facietis vobis Deos argenteos, neque Deos aureos.* Et rursus in eodem libro, vocem Dei iubentis (Ibid.) inuenio: *Non facies tibi idolum, nec cuiusquam similitudinem.* (Cap. 42.) Pudorem miseris indicit Spiritus sanctus, quia cupit errantes reuocare, non perdere. Et ait per Esaiam: H *Confundemini confusione, qui fiditis super sculptilia, qui dicitis fusilibus: vos estis Dij nostri.* Dat etiam (Cap. 5.) legem, quam consecratus populus deuota perpetuitate custodiat, & ita mandat: *Dominum Deum tuum adorabis, & ipsi soli seruies.* Et in Deuteronomio similia Dei mandata noscuntur, ait enim: *Non erunt tibi Dij alij absque me.* Addit etiam, vt animis eorum maiestatis (Cap. 32.) suæ pondus insinuet: *Videte, videte quia ego sum, & non est Deus præter me. Ego interimam, & viuere faciam, percutiam & ego sanabo, & non est, qui eripiat de manibus meis.* In Apocalypsi etiam hoc idem sancta reuelatione monstratur, ita enim scriptum est: (Cap. 14.) *Et vidi alium Angelum volantem medio cœlo, habentem Euangelium æternum vt annuntiaret super terram per omnes nationes & tribus, & linguas, & populos, dicentem voce magna: Metuite potius Dominum, & date illi claritatem. Quoniam venit hora iudicij eius, & adorate eum qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.* Dominus quoque noster IESVS CHRISTVS paterna legis instituta custodiens, hoc idem veneranda constitutione promulgat, ait enim: (Matt. 22. Luc. 10. Marc. 12.) *Audi Israël Dominus Deus tuus Deus vnus est, & diliges Dominum Deum tuum de toto corde tuo, & de tota anima tua, & de tota virtute tua, hoc primum est, & secundum simile huic: Diliges proximum tibi tanquam te. In his duobus præceptis*

A *tota lex pendet, & Propheta.* Sequitur autem hoc diuinum venerandumque præceptum immortalis Domini ac sancta conclusio, addit enim, vt manifestius viam salutis ostendat, & ita loquitur: *Hæc est autem vita æterna, vt agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti* IESVM CHRISTVM. Sacrorum mandatorum ordinem scitis, quid sequi, quid fugere debeatis, veneranda atque immortali voce didicistis. Audite rursus, quod maneat contemnentes exitium, quibus illos calamitatibus necessitas veneranda legis astrinxerit: clausula enim venerandorum mandatorum in hæc verba colligit: Exod. 22. *Sacrificans Diis eradicabitur, præter Domino soli.* Si solum sacrilegum hominem metuenda pœna percuteret: si peccanti soli minaretur seueritas legis, bene se ad sacrilegium obstinati furoris temeritate firmaret: nunc etiam stirpi minatur & soboli, & hoc agit ne qua pars nequissimi seminis relinquatur, ne quod profani generis vestigium maneat. *Sacrificans*, inquit, *Diis eradicabitur.*

Idololatrarum pœna etiã in posteros transfũditur.

B Considera quid agas misera ac luctuosa persuasio. Facinus tuum plurimos perdit, & per omnem substantiam generis tui fœcunda pœna diuiditur. Cur autem contra sacrificantes sic sæuiat, ordinatæ legis authoritas in Deuteronomio manifesta significatione monstratur: ita Cap. 31. enim inuenimus esse perscriptum: *Sacrificauerunt dæmoniis, & non Deo.* Ad contaminatos ac pollutos te spiritus ne transferas, ab inferioribus ne speres auxilium; ne his supplices, quibus Dei gratia, iam imperare debes. Ecce dæmon est quem colis, cùm Dei & Christi eius nomen audierit, contremiscit, & vt interrogantibus nobis respondeat trepidantia verba, vix se colligit: adhærens homini laceratur, vritur, vapulat, & statim de commissis sceleribus confitetur. Ne hunc colas, ne huic supplices, ne prostratus huic flectas genua, interdicto venerandæ legis iuberis. Hinc seueritatis pœna, hinc animaduersionis metu metuenda sententia. Quid Dei indulgentia libertate concessa iugum potius eligis seruitutis * * Non desinit Deus summus crimen hoc salutari voce pulsare, sed misericordia eius errantes C homines corrigere frequenti comminatione festinat. Esai. 2. Audi per Esaiam Prophetam vox diuina quid dicat: *Adorauerunt Deos, quos fecerunt digiti eorum, & curuatus est homo, & humiliatus est vir, & non laxabo illis.* Etiam vos, ô profani homines, iratum numen alloquitur, & adhuc errores vestros sacra conuenit voce, ait Esai. 13. enim in sequentibus per eundem Prophetam: *Illis fudistis libamina, & illis imposuistis sacrificia. Super hæc non indignabor, dicit Dominus?* Adhuc indignationem suam salutaris Deus dilatat, seueritatem suspendit, si vos forsitan peccare pœniteat, vt sacrilegæ voluntatis exitium aliquo genere relinquatis. Ecce in ipso indignationis impetu moderata rursus voce, persuadet, & irarum suarum comprimit stimulos, ait enim per Ieremiam Cap. 25. Prophetam: *Nolite ambulare post Deos alienos, vt seruiatis eis, & ne adoraueritis, ne incitetis me in operibus manuum vestrarum, ad disperdendos vos.* Quid hic ad

Homo liber.

D sacrilegium pronus aures tuas obstruis? quid hic obstinati furoris ardore in exitium mortemque festinas? Liberum te Deus fecit, in tua manu est, vt aut viuas aut pereas. Quid te per abrupta præcipitas? in lubrico itinere constitutus, & in ipso lapsu positus, titubantia aliquando suspende vestigia. Ecce sententia depromitur, ecce pœna decernitur, diu criminibus tuis pepercit diuina moderatio, diu facinus tuum cum dissimulatione respexit, peruenis ad illud anceps, vbi spes, vbi vota deficiunt. Et vt manifestius instruaris, animaduersionis exitium disce. Super hac re in Apocalypsi totus Cap. 14. ordo responsi est, ita enim scriptum est: *Si quis adorat bestiam & imaginem eius, & accipit vota in fronte sua, & in manu bibet & ipse de vino iræ Dei, mixto in poculo iræ eius. Et punietur igne & sulphure sub oculis agni, & fumus de tormentis eorum in sæcula sæculorum ascendet. Nec habebunt requiem die ac nocte, quicumque adorant bestiam, & imaginem eius.*

CAPVT XXX.

E *Exhortatio ad Imperatores, vt deleant idololatriam.* Cap. 1.

Sed & vobis, sacratissimi Imperatores, ad vindicandum & puniendum hoc malum necessitas imperatur, & hoc vobis Dei summi lege præcipitur, vt seueritas vestra idololatriæ facinus omnifariàm persequatur. Audite & commendate sanctis sensibus vestris quid de isto facinore Deus iubeat. In Deuteronomio lex ista præscripta est, ait enim: *Quod si negauerit te frater tuus, aut filius tuus, aut vxor tua, quæ est in sinu tuo, aut amicus tuus, qui est æqualis animæ tuæ, latenter dicens: Eamus & seruiamus aliis diis gentium, non consenties ei, & non exaudies eum, & non parcat oculus tuus super eum, & non celabis, annuntians annuntiabis de illo. Manus tua erit super eum in primis interficere eum, & manus omnis populi deinceps. Lapidabunt eum & morietur, quoniam quæsiuit auertere te à Domino tuo.* Nec filio iubet parci, nec fratri, & per amatam coniugem gladium vindicem ducit. F Amicum quoque sublimi seueritate persequitur, & ad discerpenda sacrilegorum corpora omnis populus armatur. Integris etiam ciuitatibus, si in isto fuerint facinore deprehensæ, decernuntur excidia: & vt hoc prouidentia vestra manifestius discat, constitutæ legis sententiam proferam. In eodem libro in integris ciuitatibus pœnam Dominus hac voce constituit, ait enim: *Aut si audieris in vna ex ciuitatibus,* Deut. 13. *quas Dominus Deus tuus dat tibi, inhabitare illic, dicentes: Eamus & seruiamus diis aliis, quos non nostis: interficiens necabis omnes, qui sunt in ciuitate, cæde gladij, & incendens ciuitatem igni, & eris sine habitatore. Non ædificabitur in æternum. Et auertetur Dominus ab indignatione iræ suæ, & dabit tibi misericordiam, & miserebitur tui, & multiplicabit te, si exaudieris vocem Domini Dei tui, & obseruaueris præcepta eius.* Misericordiæ suæ vobis, sacratissimi Imperatores, Deus summus præmia pollicetur, & amplificationis maximæ augmenta decernit. Facite itaque quod iubet, complete quod præcipit. Auspicia vestra maioribus cumulata sunt donis, G initio fidei positæ diuini fauoris incrementa sensistis. Nunquam vos manus Dei veneranda deseruit, nunquam vobis laborantibus denegauit auxilium. Strati sunt aduersantium cunei, & rebellantia ante conspectum vestrum semper arma ceciderunt. Missi sunt superbi sub iugum populi, & Persica vota collapsa sunt. Nec stare diu contra vos poterit malis suis armata crudelitas. Dei virtutem vtrique diuerso sensistis euentu. Vobis cœlestis victoriæ corona collata, & felicitate vestra nostra releuantur incommoda. Hæc vobis Deus summus, sacratissimi Imperatores, pro fide vestra reddidit præmia. His vos interim remuneratos insignibus ad arcana venerandæ legis inuitat. Pura mente, deuota conscientia, incorrupto animo clementia vestra cœlum semper aspiciat, à Deo semper expectet auxilium, Christi venerandum numen imploret, & pro salute orbis terrarum ac vestra, salutari Deo spiritales offerat victimas. Sic vobis feliciter cuncta prouenient, H victoriæ, opulentia, pax, copia, sanitas & triumphi, vt diuina maiestate protecti, orbem terræ felici gubernetis imperio.

HERMIÆ PHILOSOPHI
Gentilium Philosophorum irrisio.

Ex Possevini Apparatu Sacro.

Hermias Philosophus, breuem Tractatum emisit, quem inscripsit, Irrisio Gentilium Philosophorum. *In quo primum ostendit, cur Philosophorum Decreta inter se neque consen-*

tiant,

A dictus est, quod illic Ceres, relicta Henna, venerat. Sicque tùm ipsa dispensatio quod attulerat frumenta, tum quod colligendarum frugum tradiderat disciplinam, post mortem ob beneficium, quod ex frugum copia nascebatur, & sepulta in eo loco est, pariter & consecrata, & diuino cum filia appellata nomine. Amat enim Græcorum leuitas eos, qui sibi aliquid contulerint, vel qui consilio, aut virtute se iuuerint, diuinis appellare nominibus. Et sic ab ipsis beneficiorum gratia repensatur, vt deos dicant, & deos esse credant, qui sibi aliquando profuerint. Sic de Libero Nisa non dubitat, nec de nouis ambigit Sparta syderibus, cremat & consecrat Herculem tristis Oëtas, & à vanis Cretensibus adhuc mortui Iouis tumulus adoratur. Additur tamen, sacratissimi Imperatores, ad huius profani erroris augmentum, quod hos homines, (id est, Liberum & Proserpinam,) maiore quasi autoritate defendant. Nam Liberum ad Solem volunt referre commenta Græcorum, Proserpinam verò Liberam dicentes Lunam esse confingunt. Quod quam
B absurdum & quam miserum sit, ex ipsa veritatis possumus ratione colligere. Quis vidit puerum Solem? quis fefellit? quis occidit? quis lacerauit? quis diuisit? quis membris eius epulatus est? Quis lunam rapuit? quis abscondit? quis Plutonis coniugem fecit? Sed & errorem istum Physica rursum volunt protegere ratione, indiuisam mentem, & diuisam, id est, τὸ ἀμέριστον, καὶ τὸ μεμερισμένον νοῦν, hac se putant posse ratione venerari. Dicite mihi, ô vos mortales quid naturalibus rebus additis funera? quid Dei dispositionem crudelium mortium atrocitate polluitis? quid opus erat tam duro crudelique tormento? quid sibi vult ista persuasio, vt diuinis rebus funestæ calamitatis ordo societur? vt naturæ syderum, quam Deus summus certis legibus fecit, mortalis calamitas luctibus iungeretur? Cui rei prodest quod facitis? miscetis terrena cœlestibus, caduca superis, tenebrosa lucentibus, dolores ac luctus hominum diuinis honori-
C bus consecrantes.

CAPVT VIII.

Prosopopœiacus sermo (sic enim Firmicius appellat) Solis ad idololatras, qui multis modis in eum contumeliosi sunt.

SI conuocato omni genere humano Sol habita concione loqueretur, desperationem vestram hâc forsan oratione percuteret: Quis vos caduci homines & per dies singulos summo Deo variis generibus rebellantes ad hoc tantum facinus impegit., vt profano nefariæ cupiditatis errore & mori me dicatis vestro arbitrio & viuere? Atque vtinam vsitato more vel vno genere vesanæ cogitationis vestræ figmenta procederent. Vtinam sine contumelia mei sceleratæ cogitationis vestræ grassaretur improbitas. Nunc vosmet per præcipitia iactantes, mihi quoque non parcitis, nec aliquam habet vester sermo reuerentiam, sed cum dedecore meo in exitium vestrum, mortemque properatis. Alij me apud Ægyptum vndis Nili & rapidis vorticibus obstinato mentis furore submergunt. Alij amputatis virilibus plangunt:
D Alij crudeli morte cæsum, aut in olla decoquunt, aut septem verubus corporis mei membra lacerata subfigunt. Qui paululum mihi placidâ fuerit oratione blanditus, quadriiugi currus aurigam me esse confingit. Proiicite aliquando tanti furoris exitium, & salutari persuasione conuicti, veram salutis viam quærite. Inimicus Dei est, qui hæc aut cogitauit, aut finxit, nec facinus eius simplex aut vsitata pœna comitatur, qui sacra profanis persuasionibus polluit, qui de præclaro opere Dei tanta confingit. Lugete mortuos vestros, & ipsi simili morte morituri. Mittite regibus vestris, vt vultis inferias, & orbitates eorum alio remediorum genere mitigate. Lugere Liberum, lugete Proserpinam, lugete Attin, lugete Osyrin, sed sine nostræ contumelia dignitatis. Nolo me per tumulos eorum fauillasque ducatis, nolo vt errori vestro nomen meum fomenta suppeditet. Ad lucem diei à Deo factus sum, hoc mihi sufficit solum. Quid me honesti muneris dignitate priuatis? Aliud me Deus fecit, aliud esse iussit, & vos me pro libidine vestra diuiditis, pro arbitrij vestri cupiditate laceratis? Quicquid sum, simpliciter Deo pateo, nec aliud volo de me E intelligatis nisi quod videtis. Hoc Deo gratum est, hoc Deus libenter amplectitur, hoc homines ad salutis viam ducit, si proiectis erroribus Dei gratiam simpliciter ac fideliter audiatis. Hæc quidem sacratissimi Imperatores, prosopopœiaco me sermone dixisse sufficiat. At ego nunc sacrarum lectionum institutione formatus, perditos homines Religioso sermone conuenio: Si dij sunt quos colitis, cur eos lugetis? Cur eos annuis luctibus plangitis? Si lachrymis, & luctu digni sunt, cur eos diuino honore cumulatis? Vnum itaque è duobus facite, aut nolite eos lugere, si dij sunt: aut, si luctu eos dignos putatis ac lachrymis, Deos eos appellare nolite, ne luctibus ac lachrymis vestris, maiestas diuini nominis polluatur. Sed quia mens perdita, & sceleratæ cupiditatis laqueis implicata, nulla potest ratione reuocari, persequar cætera, vt publicatis omnibus atque detectis quæ profana consecrauit improbitas, misericordia Dei in nomine Domini nostri IESV CHRISTI lapsos erigat, fugientes ad se reuocet, dubitantes confirmet, F errantes corrigat, & quod est potissimum, vitam morientibus donet.

Acute contra idololatras.

CAPVT IX.

De fabula & sacris Adonidis.

IN plurimis Orientis ciuitatibus, licet hoc malum etiam ad nos transitum fecerit, Adonis quasi maritus plangitur Veneris, & percussor eius circumstantibus, vulnusque monstratur. Mars enim in porci syluestris speciem formamque mutatus, vt sibi primas partes in amore Veneris vindicaret, incautè contra se ruentem percutit iuuenem? Si Deus erat Adonis, cur riualis insidias nesciebat? Si homo, cur cum superiore certabat? Sed & alium audio cum Venere coniugale habuisse consortium. Vulcanus, ni fallor, ab his Deorum cultoribus maritus Veneris esse perhibetur. O vanorum hominum ridenda persuasio! inter duos maritos adulter positus ab vno capitur, alterum vincit. Sed vide, vt adulterum Deus G maritum vinceret, quod sibi corpus elegit, porcus esse maluit: qui, si habebat corporis mutandi potestatem, leonis debuit potius speciem formamque suscipere. Sed leonem dicunt, qui naturas animalium norunt, in illa agrestis animi feritate pudicitiæ seruare virtutem. Meritò igitur ab adultero leonis spernitur forma, & illa libidinosi animalis eligitur. Hic iam Euangelicæ traditionis secreta tractemus. Eiecto dæmonio Dominus porcorum gregem donat. Nec immerito, vt cum libidinosis animalibus per dura præcipitia fluctusque iactatus, per mortes porcorum varias, digna nece immundus spiritus carperetur.

Mars adulter quem rectè apri potius quã Leonis formam susceperit.
Matth. 8.
Luc. 8.
Marc. 5.

CAPVT X.

De Veneris Cypria mysteriis Venereis.

AVdio Cyniram Cyprium templum amicæ meretrici donasse, ei erat Venus nomen. Initiasse etiam Cypriæ Veneri plurimos, & vanis consecrationibus deputasse. Statuisse etiam vt quicumque initiari vellet, se- H creto Veneris sibi tradito, assem * in manum mercedis nomine, Deæ daret. Quod secretum quale sit omnes taciti intelligere debemus, quia hoc ipsum propter turpitudinem manifestius explicare non possumus. Benè amator Cyniras meretriciis legibus seruit, consecratæ Veneri à Sacerdotibus suis stipem dari iussit, vt scorto.

* Vnum.

CAPVT XI.

De his qui Sebazio Ioui initiantur.

SEBAZIVM colentes Iouem, anguem cum initiantur per sinum ducunt. Adhuc primi erroris vitia grassantur, & quicquid hominem perdidit, colitur, & funesti anguis callida & malitiosa crudelitas adoratur.

A

CAPVT XII.

De sacris Corybantum.

IN sacris Corybantum parricidium colitur. Nam vnus frater à duobus interemptus est, & ne quod indicium necem fraternæ mortis aperiret sub radicibus Olympi montis à parricidis fratribus consecratur. Hunc eundem Macedonum colit stulta persuasio. Hic est Cabirus, cui Thessalonicenses quondam cruento, cruentis manibus supplicabant. Considerandum itaque est, quale sit numen, quod parricidalis amentia, vt parricidium coleret, inuenit.

CAPVT XIII.

Idololatrarum generalis scopus in omnibus suis omnium Deorum sacrificiis.

QVapropter quicumque hæc sacra deuotâ mente venerâtur, cuicumque placet superstitionis istius metuenda contagio, aut malis suis solatium quærit, aut facinora eorum tacitâ collaudat cogitatione, hoc

B

optans, hoc quærens, hoc vtrique magnoperè desiderans, vt & sibi liceat, quod diis suis licuit, vt & se ad consortium talis vitæ morum similitudo perducat. Adulterio delectatur aliquis, Iouem respicit, & inde cupiditatis suæ fomenta conquirit, probat, imitatur, & laudat, quod Deus suus in cygno fallit, in tauro rapit, ludit in satyro, & vt liberalis in flagitiis esse consuescat, quod inclusam regiam virginem auro largiter fluente corrupit.

Iouis disciplina. Deorum Gentilium amplexus.

Puerorum aliquis delectatur amplexibus, Ganymedem in sinu Iouis quærat, Herculem videat Hylam impatienti amore quærentem, Hyacinthi desiderio captum Apollinem discat. Chrysippum alius, alius Pelopem videat, vt per Deos suos sibi licere dicat, quicquid hodie seuerissimè Romanis legibus vincatur. Adulteria omnia eorum enumerare difficile est. Quis Amymonem? quis Alopen? quis Menalippen? quis Chionem, Hippothoënque corrupit? Nempè Deus vester hæc fecisse memoratur. Ille, quem volunt seueris oraculis errantium hominum peccata corrigere, Steropen amat, Æthusam rapit, Zeuzippem stuprat, quærit Prothoën, & Arsinoæ adulterâ cupiditate blanditur.

C

Apollo.

Sed ex isto corruptarum mulierum grege vna puella amatorem Deum & vitauit & vicit. Daphnem enim diuinans Deus & futura prædicens, nec inuenire potuit, nec stuprare. Muliebria patitur aliquis, & effœminato corpori solatium quærit? Videat Liberum amatori suo post mortem etiam promissæ libidinis præmia imitatione flagitiosi coitus repræsentantem. Si quis monstruoso cupiditatis ardore in paternæ necis armatur exitium, à Ioue sumat exemplum.

Corybantes.

Qui fraternum desiderat sanguinem, Corybantum sequatur institutum, & incestum desiderantibus à Ioue sumantur exempla, cum matre concubuit, sororem duxit vxorem: & vt integrum facinus impleret incesti, filiam quoque animo corruptoris aggressus est.

Apollinis inuidia & crudelitas.

Inferiores aliquis æmulo stridore persequitur, & aduersarium cupit crudeli feritate torquere, ab Apolline ex Marsiæ casibus crudelium tormentorum casu discat. Alienum aliquis desiderat & hoc cum morte Domini conatur

D

Hercules latro.

implere, videat vt Hercules occiso Gerione Iberas abegerit boues. Si quis promiscuâ hominum cæde gaudet, præposteras Martis cupiditates diligenter inspiciat. Semina penè omnium scelerum à diis suis peccantium turba collegit: Et vt perditus animus impunè facinus posset admittere, ex præcedentibus facinorum exemplis maiori se authoritate defendit. Si stupri præmia corruptor inquirit, si viam optat sollicitationis addiscere, in sinu corruptæ mulieris aurum videat Iouis. Si publicus parricida, commissam sibi regni custodiam nefariâ prodere cupiditate desiderat, respiciat ad eos, qui Saturnum filio prodiderunt. Quatenùs ius lædatur hospitij, vel quatenùs amicitiæ iura turbentur, vel quatenùs mensæ conciliatio sancta violetur.

Tantalus hospitalitatis iura læsit.

Si quis ad iniuriam pronus quærit esse, ordinem scelerum de Tantali casibus discat. O facinorosæ cupiditatis triste solatium! O hominum deflenda persuasio! O infelicis imitationis cruenta meditatio! Scenam de cœlo fecistis, & errantes animos per abruptâ præcipitia crudeli calamitate duxistis; cum

E

hominibus peccare cupientibus facinorum via de Deorum monstratur exemplis. Sed in ista criminum lege; in ista confessione scelerum gratias agamus illis; qui etiam exitia & mortes Deorum istorum nobis nescientibus prodiderunt: vt disceremus omnia per tot obstantes. Fuit enim & apud veteres, licèt nondùm terras illuminasset Domini nostri IESV CHRISTI veneranda dignatio, in spernendis superstitionibus Religiosa constantia, Diomedes pudicus ac sobrius Venerem vulnerat, Martem vincit & percutit.

Diomedes Venerem cædit Martem.

Oti & Ephialtæ edicto Mars bellipotens temporali exilio damnatus, ferrea catenarum vincula sustinuit. Sarpedonem filium mortuum in Troia Iupiter plangit. Et mercedem fabricatorum murorum Neptunus à superbo rege non recepit. Alterius regis Apollo greges pascit. Et soli omnia videnti, alius occisarum boüm nuntiat mortes. Castores sepelit Sparta, ardet apud Oëtam Hercules, & Æsculapius alibi fulminatur.

Sarpedo. Neptunus. Apollo. Sol. Castor.

F

Vulcanus à patre præcipitatus pedem frangit. Lycurgum fugiens Liber moritur. Venus in adulterio deprehensa detegitur; & post Dei nuptias Anchisæ hominis cubile sectatur. Saturnus regno timens deuorat filios. Hic ex Creta fugiens in Italia à Spartanis absconditur.

Vulcanus præcep. Venus adultera. Saturnus.

Ob amorem Catamiti Iuno spernitur, & ad Endimionem Luna descendit, & contra voluntatem vxoris & filiæ Troianis auxilium ferens deceptus Iupiter dormit.

Iupiter dormit.

O flagitiosa confessio! ô miserabiles, deflendique cultus! ô duræ seruitutis miseranda conditio! Ad istorum cultum Deorum sanctos homines, & Deum deuotâ mente colentes sacrilegum tyrannorum traxit imperium, & vt huic facinori aliud facinus adderetur, mors est decreta nolentibus. Ad theatrum potiùs templa transferte; vt in scenis Religionum istarum secreta tradantur, & vt nihil prætermittat improbitas, histriones facite Sacerdotes. Alter dignior locus Religionibus istis inueniri non poterit, illic amores Deorum vilis turba decantet, illic casus mortesque saltatores, * * illic Deorum in templis ab impiis & facinorosis magistris meliùs mens perdita & muliebris docetur facinus.

G

Potiùs ex labeant illis, Religiones theatricæ.

CAPVT XIV.

De sera fide.

DIscite etiam, sacrosancti Imperatores, venerandum Alexandriæ numen vnde sumpserit exordium, ac à communi nostra fragilitate detecta, ad veritatis exordium mortalitatis nostræ sermo reuocetur. Cum ingrueret arescentibus frugibus malitiosa fames, Iacobi Religiosi Patriarchæ semine procreatus iuuenis Ioseph, interpretatusque somnium regis, totum, quicquid instruebat, ostendit. Ioseph (est Iacobi filius) qui ob pudicitiam in carcerem missus, ereptus post interpretationem somnij, fuit particeps regni.

Gen.4. Gen.39.

Nam septem annorum collectis, & seruatis frugibus alterius septennij egestatem diuinæ manus prouidentia mitigauit. Huic post mortem Ægyptij patrio gentis suæ instituto templa fecerunt: &, vt iustam dispensationis gratiam posteritas disceret, quo modo esurientibus & emtentibus frumenta diuiserat capitiis superpositus est. Nomen etiam, vt sanctius coleretur, ex primo authore generis

H

accepit. Nam quia Saræ pronepos fuerat, ex qua nonagenaria Abraham indulgentia Dei susceperat filium, Serapis dictus est Græco sermone, hoc est, Σαρᾶς ἀπό. Sed hoc inuito Ioseph accidit, imò mortuo. Neque enim ad hoc facinus Religiosus animus, & Deo summo dicatus adduci potuisset, vt erroris illecebras ex nomine suo superstitiosis hominibus ipse præberet, præsertim cùm sciret hæc esse in Dei sacrosanctis legibus, ne quis hominum tale aliquid aut veneraretur aut coleret.

Gen 21. Ioseph vnde dictus Serapis.

Hic in Ægypto colitur, hic adoratur, huius simulachrum Neocororum turba custodit, & ad memoriam vetustatis errans populus ordinem sacrorum in honorem integerrimi, ac prudentissimi hominis constitutum, contentiosâ hodie animositate custodit. Sed & in ipso simulachro, sicut in cæteris, ex assiduis sacrificiis

A immundi dæmonum spiritus colliguntur. Nihil enim operantur animæ, & cruor ex assidua pecudum cæde profusus, nisi vt dæmonum substantia, qui diaboli procreatione generantur, ex isto sanguine nutriantur. Nam ita esse Porphyrius defensor Stoïcorum, hostis Dei & veritatis in multis sceleratarum impietatum scriptis, manifestis nobis probationibus prodidit. In libris enim quos appellat περὶ τῆς ἐκ λογίων φιλοσοφίας, maiestatem eius prædicans, de infirmitate confessus est. In primis enim librorum partibus (id est in ipsis auspiciis positus) dixit: *Serapis vocatus, & intra corpus hominis collocatus talia respondit.* Dicant nunc mihi perditi homines, quis potior est, qui vocat & imperat & includit, an qui vocatur & paret? Et cum venerit, in suscipientis hominis corpore, potestate iubentis includitur. Gratias agimus, Porphiri, quod libris tuis Deorum tuorum nobis substantiam prodidisti. Didicimus per te, quatenùs dij tui hominibus viuentibus seruiant. Serapis tuus ab homine vocatur, & venit, & cum venerit statim iussus includitur, & loquendi necessitas nolenti forsitan imperatur. Sic apud nos Deos vestros, cum hominibus nocere cœperint, Religiosi sermonis flagella castigant. Sic in corpore hominum constituti dij vestri verbo Dei spiritualium flammarum igne torquentur, & qui apud vos, quasi dij coluntur, apud nos Religiosæ fidei medela Christi gratiâ humano subiacentes imperio, & tormenta repugnantes sustinent, & victi pœnis vltricibus subiugantur.

Causâ lege, nam Firmicus eo tenetur errore, dæmones esse corporeos & ex corporea materia generari atque nutriri.

Porphyrij dictum de Serapide.

B

Dæmones in hominum corporibus cruciantur spiritualibus flammis.

CAPVT XV.

Penates etiam qui sint, explicare contendam, ne quid à me sit prætermissum. Qui nihil aliud putant esse vitam, nisi vescendi & potandi licentiam, hos sibi Deos ex cupiditatis suæ humilitate finxerunt, nutrimenta corporis, quæ ex quotidianis epulis comparantur, hoc nomine pro salute hominum consecrantes. C Quia per epulas corporis reficitur infirmitas, alimenta solum esse Deum sanxerunt, nescientes diuini oraculi veritatem. Cum enim Dominus noster IESVS CHRISTVS cum diabolo pro nostra salute sollicitus, diuinâ maiestatis suæ colluctatione certaret, & vt de faucibus eius, quem gerebat hominem liberaret, hâc cum responsione quassauit. Nam cum diceret ei diabolus: *Si filius Dei es, fac vt isti lapides panes fiant.* Respondens ei Dominus dixit: *Non in pane tantum viuit homo, sed in omni verbo Dei:* Nescientes itaque substantiam generis humani, quotidianas epulas hoc nomine consecrarunt. Nam omne quo vescuntur homines penus vocatur, hinc & cella penaria: hinc & pij penates, ab abiectis & prostratis hominibus miserâ sunt cogitatione composita. Vesta autem quid sit discite, ne putetis antiquum aliquid, aut cum summo terrore inuentum. Ignis est domesticus, qui in focis quotidianis vsibus seruit. Quapropter coquos habeat, non miseras Virgines Sacerdotes, quæ contemnentes ignis ipsius fauillas, aut prostituto corpore peccare coguntur, aut in virginitate perseuerantes perdunt honestam gloriosi nominis dignitatem.

Pagani consecrauerunt epulas nomine Deorum Penatiũ.

Matth 4. Luc. 4.

Penates à penu.

De Vesta.

D

CAPVT XVI.

Palladij etiam quod sit numen audite. Simulachrum est ex ossibus Pelopis factum. Hoc auarus Scyta fecisse perhibetur: iam quale sit, considerate, quod Scyta barbarus consecrauit. Estne aliud apud Scytas humanâ ratione compositum, & illa effera gens (hominum) & crudeli atque inhumanâ semper atrocitate grassatâ; in constituendis Religionibus rectum aliquid potuit inuenire? Simulachrum hoc Troianus * auarus vendidit, stultis hominibus vana promittens. Vendebatur Deus, vt prodesset emptori, & emptor suppliciter adorabat, quicquid paulò antè viderat subhastatum. Substantia* autem simulachri ipsius ex ossibus Pelopis est. Si humana vis * miseros homines ossa venerari, purioris saltem & castioris hominis reliquias collige. E Accedat idolo quod facis, ex hominis virtutibus meritum. Pelops in deliciis amatoris fuit, & diu prostituti pudoris damna sustinuit. Sed nec adulto ei scelus defuit. Is enim cuius filiam petebat, eum fraude proditoris occidit. Proditorem etiam ipsum periuriis aggressus est, & ne promissa redderet præmia, hunc eundem per abrupta præcipitia iactauit. En cuius electa sunt ossa, vt Deus fieret, qui vrbes & regna seruaret. Sed nec seruauit aliquando, nec profuit, & quid se maneat, ex vrbium, in quibus fuit, casibus vidit. Incensa est Troia à Græcis, à Gallis Roma, & ex vtroque incendio Palladium reseruatum est. Sed reseruatum non propriis virtutibus, sed humano præsidio: ab vtroque enim loco homines liberant, & translatum est, ne humano flagraret incendio. Tanto numini humana fuerunt præsidia necessaria, & ne arderet, humanum quæsiuit auxilium. Dilatum est Palladium ab incendio, non liberatum. Stat sententia, manet pœna, ignis imminet, ignis vrget, quem vitare non poterit. Iam parturit flamma cœlestis, iam diuinæ animaduersionis monstratur F aduentus, iam futuræ cladis nuntiatur exitium, in hoc incendio Palladium latebras inuenire non poterit, ignis iste scrutatur abdita, quærit absconsa: & quicquid errantes homines vanis persuasionibus perdidit, rapidâ flammarum populatione complectitur: *Venit enim* (inquit) *dies Domini vt ardens clibanus.* Audisti quid veniat. Nihil est, quod ex te collectum in apothecis Dominicis reponi possit, ardebis vt stipula, cuius inanis vilitas in cineres fauillasque seruatur, quam rapax ignis violentia congeniti spiritus pascitur. Hic est exitus finisque vester: hæc est pœna, quam pro deceptis hominibus Deus statuit, vt perpetuis ardeat flammis, qui contra voluntatem Dei miserum hominem aut decepit aut perdidit. Volo sanè diligenter inquirere, cuius Mineruæ hoc volunt esse signum. Plures enim Mineruas fuisse constat, nec aliquis in ista parte dissentit. Singularum itaque genus, institutum, artem propositumque discamus, vt ex his omnibus G inueniri possit, Palladium cuius Mineruæ sit nomine consecratum.

De Palladio. Abaris.

**Abaris.*

** Miserorum hominum.*

Meritum Pelopis quod fuerit.

Pelopis ossa.

Troia.

Palladiũ aliquãdo conflagraturum.

Malach. 4.

CAPVT XVII.

Quinque Mineruas fuisse legentibus nobis tradit antiquitas. Vna est Vulcani filia, quæ Athenas condidit, quam ex agrestibus locis ad vrbanæ conuersationis ordinem rustica turba comitata est. Fuit alia in Ægypto, Nili regis filia, textrinæ artis magistra. Tertia verò patre Saturno genita est. Sed hanc viraginem fuisse commemorant: nam nunquam se intra fœminei sexus verecundiam tenuit, sed arma semper strepitumque pugnarum, & cruenta sequuta est studia bellorum. Quarta Iouis Cretici regis fuit filia, quæ occisum patri detulit liberum. Quinta pallante patre, & Tritonide matre orta est, quæ patris appellata nomine, Pallas est ab hominibus nuncupata. H Hæc parricidialis amentia furoris & vesanæ temeritatis instinctu, patrem Pallantem crudeli morte iugulauit. Nec simplici patris morte contenta, vt diutiùs malis suis frueretur, & vt de morte patris crudeliùs triumpharet, exuuiis corporis eius ornata est, vt parricidij facinus ex crudeli ostentatione publicaret. Huius est Palladium, prô nefas! nomine consecratum. Hæc est Pallas quæ colitur, hæc est quæ pontificali lege seruatur, & cuius facinus seueriùs damnari debuerat, eius imago suppliciter adoratur. Apponite ignem, augete flammas, vt quotidianis sacrificiis vestris dicatur ardere. Quid enim meretur aliud parricida, nisi vt perpetuâ mutatione flammarum ante sententiam Dei quotidie flammis vltricibus concremetur. Busta sunt, sacratissimi Imperatores, appellanda non templa. Rogi sunt potiùs dicendi miserorum. Nam in honorem hominum perditorum ædes pro sepulchris miseranda hominum seruitus facit. Hic crematorum corporum fauillæ seruantur, hîc cineres mortuorum irreligiosâ lege conduntur, vt acerbarum mortium casus quotidiano victimarum sanguine

De pluribus Mineruis.

Minerua Ægyptia.

Minerua qua & Pallas.

Pallas à quo Palladium parricida.

Damnatorum pœna ante extremum iudicium.

recru

A recrudescat, vt tristis lamentationis exitus renouatus annuis luctibus renascatur, vt sopitos fletus recentior vlulatus exagitet, vt parricidia, vel incesta vel mortes ex sacrorum ritu misera mens hominum & colere discat & facere. Amputanda sunt hæc, sacratissimi Imperatores, penitùs atque delenda, & seuerissimis edictorum vestrorum legibus corrigenda, ne diutiùs Romanum orbem præsumptionis istius error funestus commaculet, ne pestiferæ consuetudinis conualescat improbitas. Quicquid hominem Dei conatur perdere ne diutiùs in terra dominetur. Nolunt quidam & repugnant, & exitium suum pronâ cupiditate desiderant: sed subuenite miseris, liberate pereuntes, ad hoc vobis Deus summus commisit imperium, vt per vos vulneris istius plaga curetur: Facinoris eorum periculum scimus, erroris notæ sunt pœnæ, sed meliùs est, vt liberetis inuitos, quàm vt volentibus concedatis exitium. Ægrotantes contraria delectant, & cum corpus hominis aduersa valetudo possederit, contra salutem suam à laborantibus peruersa poscuntur.

Inuiti liberandi.

B Capta mens languoris vitio, morborum semper augmenta desiderat, & medelas artificum aspernatur ac contemnit, respuit remedium medicinæ, & in exitium suum pronâ animositate festinat. Tunc si malum morbi fortiùs creuerit, maiora remedia quæruntur, & pro salute hominis sollicita fortius se medicina opponit. Asperi cibi, amari potus nolentibus ingeruntur: & si conualuerit malum, & ignis adhibetur & ferrum. Sic homo receptâ sanitate & salute sibi redditâ, quicquid ægrotantis corporis vitio inuitus passus est; hoc totum pro vtilitate sua factum esse, stantis animi iudicio confitetur.

Medicorum exemplum.

CAPVT XVIII.

De aliquot ratione compositis Deorum nominibus, & eorum interpretatione.

Accipite etiam, sacrosancti Principes, nomina eorum quæ sunt ratione composita, lumen hoc, quod hominibus iussu Dei, fugatis tenebris diem reddit, quod per duodecim horarum spatia cursus sui ordinem dirigit, C solem dici voluerunt, non quia solus est, vt quidam volunt, quia ibi & cœlum est & luna, & alia plurima sydera quæ videmus, ex quibus quædam vnâ serie, & cohærentiâ perpetuâ simulque copulatâ lucent, alia tota sparsa cœlo vagos cursus suis metiuntur erroribus. Sed ideò Sol appellatur, quia cum ortus fuerit, obscuratis cæteris syderibus luceat solus. Luna etiam hæc eadem Lucina à nocturno lumine nomen accepit. Hanc etiam quidam dici voluerunt Dianam, quod per noctem lucem, hominibus alterum penè diem faciat. A natando Neptunum dici voluerunt, ex hoc quod libenter faciebant substantiam nominis figurantes. Terrenam vim omnem atque naturam, Ditem patrem dicunt, quia hæc est natura terræ, vt recidant in eam omnia, & rursus ex ea orta procedant, quæ res opulentiam terræ diuitiasque monstrauit. Frugum substantiam volunt Proserpinam dicere, quia fruges hominibus, cum seri cœperint, prosunt. Terram ipsam Cererem nominant, nomen hoc à ferendis D fructibus mutuatum. Ex bellorum casibus Mauors nomen accepit, quasi magna vertat. Minerua similiter bellicum nomen est, quasi aut minuat aut minetur. Venustas hominum Venus dicta est. Apollinis nomen ex humanis finxerunt casibus, sermone Græco, quasi omnia commissa sibi, aut amittat aut perdat. Solem etiam quidam Apollinem dicunt, quia quotidie in occasu constitutus splendorem luminis perdat. Perdere autem Græci ἀπόλλειν dicunt. Videtis vt vestros ementitos & fictitios Deos turbulentus error excogitauerit, vt superstitionibus anilibus & formæ vobis traditæ sunt & nomina. Sed hæc omnia veritas detexit, & ratio sanæ mentis inuenit, vt inuestigatis omnibus atque detectis, quæ sacrilegus error absconderat, veritatis semita luceret. Hæc enim omnia cùm essent malè composita terrori primum fuêre mortalibus: dehinc consumptâ nouitate, quasi ex longa ægritudine conualescentibus hominibus, natus est quidam ex admiratione contemptus. Sic paulatim, quod stupebat animus, ausus est diligenter inquirere, & statim in arcana fictarum ac vanarum superstitionum sagax misit ingenium.

Luna quæ & Lucina, & Diana.
Neptunus.
Proserpina.
Ceres.
Mauors.
Minerua
Venus.
Apollo.
Idololatria occasio, vnde cæperit.

E Tunc ex assiduis tractatibus latentium ratione collectâ peruenit ad causas, vt profanarum Religionum miseranda commenta humanum genus primum disceret & deinde contemneret, tertiò recusaret.

CAPVT XIX.

De secretis Græcorum in quibusdam mysteriis. Mysteria templi cuiusdam.

Libet nunc explanare quibus se signis vel quibus symbolis in ipsis superstitionibus miseranda hominum turba cognoscat. Habent enim propria signa, propria responsa, quæ illis in istis sacrilegiorum cœtibus diaboli tradidit disciplina. In quodam templo, vt in interiores partes homo moriturus possit admitti, dicit: de tympano manducaui, de cymbalo bibi, & Religionis secreta perdidici. Quod Græco sermone dicitur ἐκ τύμπανου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γέγονα μυστικός. Male miser homo de admisso facinore confiteris, pestiferum veneni virus hausisti, & nefario furoris instinctu lethale poculum lambis, cibum istum mors sequitur semper, & pœna æterna. Hoc, quod bibisse te prædicas, vitalem venam F stringit in mortem, & sedes animæ contaminatâ malorum te continuatione conturbat. Alius est cibus, qui salutem largitur & vitam, alius est cibus, qui hominem summè Deo & commendat & reddit, alius est cibus, qui languentes releuat, errantes reuocat, lapsos erigit, qui morientibus æternæ immortalitatis largitur insignia. Christi panem, Christi poculum quære, vt terrenâ fragilitate contemptâ, substantia hominis immortali pabulo saginetur. Quis est autem hic panis, vel quod poculum? de quo in libris Salomonis Sapientia magnâ voce præclamat, ait enim: *Venite, & manducate de meis panibus, & bibite vinum, quod miscui*, Melchisedech Rex Salem, & Sacerdos summi Dei, reuertenti Abrahæ cum pane & vino benedictionis obtulit gratiam. Isaac etiam cum Iacob benedixisset, cum hoc idem Esau à patre suppliciter exigeret, respondit ei pater: *Dominum tuum feci illum, & omnes fratres eius feci seruos, tritico & vino confirmaui illum.* Tunc Esau casus suos miserâ lamentatione defleuit, G quia tritici & vini, id est, futuræ felicitatis perdidit gratiam. Quod autem consecratis hominibus à Deo panis diuinus iste præstetur, per Esaiam dicit Spiritus sanctus: *Sic dicit Dominus, Ecce qui seruiunt mihi manducabunt, vos autem esurietis. Ecce qui seruiunt mihi, iucundabuntur; vos confundemini, vos interficiet Dominus.* Non solùm panis iste à Deo summo sacrilegis & impiis denegatur, sed & pœna promittitur, & acerbæ mortis decernuntur exitia, vt esurientibus faucibus diuinæ animaduersionis exitus ingeratur. Sequuntur etiam hæc eadem 33. Psal. veneranda responsa, ait enim per Dauid Spiritus sanctus: *Gustate & videte quoniam dulcis est Dominus; dulce est cæleste pabulum, dulcis Dei cibus, nec habet in se misera famis triste tormentum, & de medullis hominum, pracedentis veneni virus excludit.* Hæc ita esse sequentia oraculi responsa declarant, ait enim: *Timete Dominum omnes sancti eius, quia non est inopia eis, qui metuunt eum. Diuites eguerunt, &* H *esurierunt, qui autem inquirunt Dominum, non indigebunt omni bono.* Qui sic in templo prætextatus incedis, qui fulges purpurâ, cuius caput aut auro, aut lauro premitur, errorem tuum turpis egestas insequitur, & ceruicibus tuis onerosum paupertatis imminet pondus. Illum quem despicis pauperem, largus & diues est, spatium illi Abraham in sinu suo præparat. Tunc tu per interiecta flammarum spatia ad mitigandæ conscientiæ tuæ vulnera, tenuem ab eo stillantis aquæ guttulam postulabis, nec tibi volens Lazarus lenimentum doloris tui aut dare poterit aut impetrare. Singulorum enim pari gratia merita pensantur, illi vita confertur, propter huius seculi mala; tibi propter huius seculi bona perpetua tormentorum pœna decernitur. Vt autem manifestiùs diceretur, quinam ille esset panis, per quem miseræ mortis vincuntur exitia, ipse Dominus sancto ac venerando ore signauit, ne per diuersos tractatus spes hominum prauis interpretationibus falleretur. Dicit enim in Euangelio Ioannis: *Ego sum panis vitæ, qui venerit ad me, non esuriet, & qui in me crediderit, non sitiet vnquam.* Item in se-

Christi panis & poculum.
Prou. 9.
Gen. 41.
Gen. 27.
Esa. 65.
Psal. 33.
Luc. 16.
Caute lege, nam videtur innatet eis, qui nunc sunt in inferno, petere aquam ab his qui sunt in cælo. Notatur hic locum Ioannes Maldonatus in 16. Lucæ versu 25.

A quentibus hoc idem simili modo significat, ait enim: *Si quis sitit veniat & bibat, qui credit in me.* Et rursus ipse, vt maiestatis suæ substantiam credentibus traderet, ait: *Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.* Quare nihil vobis sit cum tympanis, cibo odij miseri mortales, salutaris cibi gratiam quærite, & immortale poculum bibite. Christus vos epulis suis reuocat ad lucem, & graui veneno putres artus, & torpescentia membra viuificat. Cœlesti cibo renouate hominem perditum, vt quicquid in vobis mortuum est, diuinis beneficiis renascatur. Didicistis quid vos facere conueniat, eligite quod vultis, inde mors nascitur, hinc immortalis vita donatur.

Cur Christus ore proprio designauerit veritatem sui corporis.

CAPVT XX.

De altera quadā Paganorū qua in B *diuersis casibus vtebātur mystica oratione.*

DIcis etiam: χαῖρε νύμφιε χαῖρε νέον φῶς. Quid sic miserum hominem per abrupta præcipitas, calamitosa persuasio? Quid illi falsæ spei polliceris insignia? Nullum apud te lumen est, nec est aliquis sponsus qui hoc mereatur audire. Vnum lumen est, vnus est sponsus hominum quorum gratiam Christus accepit. Non poteris ad te alienæ felicitatis transferre gloriam, nec poteris cœlestis numinis splendore decorari. In tenebras squaloresque proiectus es: illic sordes, squallor, caligo, tenebræ, & perpetuæ noctis dominatur horror. Si vis vt tenuis saltem tibi splendor luminis luceat, erige vultus, & demersos erige oculos, & desertis his ad eum te confer qui dixit: *Ego sum lux mundi*, cuius diuinis præceptis
Ioan.8.
continetur, vt in hac terrena conuersatione opus nostrum per dies singulos luceat. Lucere autem non potest nisi immaculata nos conscientiæ ornamenta protexerint, nisi integra nos & incorrupta vita commendet, tunc orietur nobis veri luminis gratia: tunc se nobis lucis autor insinuet: tunc verum lumen & accipere possumus & videre. Sed vt sacrilegæ vocis comprimatur improbitas, quis sit verè sponsus sacrarum lectionum oraculis comprobabo, vt probetur sponsum esse Christum, sponsam Ecclesiam: ex quo venerando patri spirituales filij per dies singulos procreantur. In hac probatione arcana Prophetarum veneranda pandantur. Adsistat nobis sanctorum oraculorum fides. Ioël diuino spiritu monente sic dicit: *Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, & indicite curationem, aggregate populum, sanctificate Ecclesiam, excipite maiores natu, colligite paruulos lactentes, procedat sponsus de cubiculo suo, & sponsa de thalamo suo.* Hoc idem Ieremias simili ratione significat, ait enim cum Ierosolymæ truci minatur oraculo: *Et auferam de ciuitatibus Iuda, & de vrbibus Ierusalem vocem lætantium, vocem sponsi & vocem sponsæ.* Processum sponsi etiam per Psalmos prædicat Spiritus sanctus. In XLIX. Psalmo hoc inuenitur oraculum, ait enim: *Et ipse velut sponsus egrediens de thalamo suo, exultauit vt Gigas viam currere. A summo cœli profectio eius, & decursio eius vsque ad summum eius, & non est qui lateat à calore eius.* Secretiora pandantur arcana, in Apocalypsi, quis sit sponsus inueniemus, ita enim scriptum est: *Veni ostendam tibi nouam nuptam vxorem agni. Et duxit me in spiritu in montem magnum, & ostendit mihi ciuitatem sanctam Ierusalem descendentem de cœlo.* Inuestigandum est, quid etiam nobis de hac ipsa re tradat Euangelica disciplina, inueniemus enim in Euangelio Ioannis ita esse signatum: *Vos mihi testes estis, quoniam dixi eis, qui missi sunt ab Ierosolymis ad me, quia non sum Christus, sed quoniam missus sum ante ipsum. Qui enim habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi est, qui stat & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Huius rei mysterium ostensum est, huius sponsi aduentum sapientium Virginum chorus expectat, huic præfert lumina peruigili cura sancta virginitas, expectantibus sponsum seruis fœlicium præmiorum promittitur munus. Inuenimus enim in Euangelio Lucæ: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectātibus Dominum suum, quando veniat à nuptiis. Vt cum venerit, & pulsauerit aperiant illi. Felices serui illi, quos adueniens Dominus inuenerit vigilantes.* Ecce venerandorum responsorum oraculis sponsus ostēsus est. Quibus tu tibi in acerbis casibus constitutus beatum nomen imponis? Si vis liberatus lumen sequi sponsi, proiice errores, & peruigili cura sollicitus, præcedentia vitæ facinora Religiosa deuotione castiga. Tunc te in nomine suo cum vigilantem inuenerit sponsus, cum fidei tuæ merita cognouerit, dabit maximum præmium, dabit integrum munus, intrabis cum eo cœli thalamum, videbis regna mundi, & vt eorum particeps esse possis, à piissimo & iustissimo Domino immortalitatis tibi gratia conferetur.

C *Christus & Ecclesia spōsus & sponsa* Cap.2. — Cap.16. — Cap.21. — D — Cap.3. — Matth. 25. — Cap.12. — E *Fidei merita.*

CAPVT XXI.

De 3. quodam gentiliū idololatrarum mysterio. F

ALterius profani Sacramenti signum est: Θεὸς ἐκ πέτρας. Cur hoc sanctum venerandumque secretum ad profanos actus adulterata professione transfertis? Alius est lapis, quem Deus in confirmandis fundamentis promissæ Ierusalem, missurum se esse promisit. Christus nobis venerandi lapidis significatione monstratur. Quid tu ad commaculatas superstitiones furtiua fraude venerandi transfers nominis dignitatem? Lapidem tuum ruina sequitur, & cadentium culminum funesta collapsio. Noster lapis Dei fundatus manu extruit, confirmat, erigit, munit, & restaurari corporis gratiam, *Christus lapis.*
perpetuæ immortalitatis splendore condecorat: ait enim de hoc Esaias, innuente Spiritu sancto: *Sic dicit Dominus, ecce ego immitto in fundamenta Sion lapidem pretiosum, electum, summum, angularem, honoratum, & qui crediderit in eum, non confundetur.* In Psalmis etiam simile responsum est: ait enim Spiritus sanctus in CXVII. Psal. Esa.28.
Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. An non factus est iste, & est mirabilis in oculis nostris? Per multos Prophetas Spiritus sanctus nominis istius ordinem monstrat, ait enim Zacharias Propheta: *Ecce ego adduco puerum meum, ortus ei nomen est, quoniam lapis, quem dedi coram Iesu, super lapidem ipsum vnum, septem oculi sunt.* Sed vt manifestius constet, antiquiora venerandarum lectionum secreta pandamus. In Deuteronomio ita comprehensum est: *Et scribes super lapidem omnem legem hanc.* Iesus etiam naue iussu diuinitatis hoc specialiter comprehendit, ait enim: *Et accepit lapidem magnum, & statuit eum contra Dominum. Et ait Iesus ad populum: Ecce lapis iste erit mihi in testimonium, quia iste audiuit omnia quæ dicta sunt à Domino quando loquutus est ad vos. Et erit iste nobis in testimonium in nouissimo dierum, quando recesseritis à Domino vestro.* Quod autem per hunc lapidem, id est, per Dominum nostrum Iesum Christum, & dij isti casuri sint, & multitudo templorum, apertè Daniël venerandis oraculis explicauit, ait enim, cùm interpretaretur somnium regis: *Et ecce imago, imago nimis magna, & contemplatio ipsius imaginis metuenda, elata stabat contra te, cuius caput fuit ex auro bono, pectus & brachia eius argentea, venter & femora ærea, pedes autem ex parte quidem ferrei, ex parte autem fictiles, quoadvsque abscissus est lapis de monte, sine manibus concidentium, & percussit imaginem super pedes ferreos & fictiles, & comminuit eos minutatim, & factum est simul ferrum & testa, & æramentum & argentum, & aurum facta sunt minuta quasi palea, & vt puluis in arida æstate, & ventilauit illa ventus, ita vt nihil remanserit in illis. Et lapis qui percussit imaginem factus est mons magnus, & impleuit totam terram.* Quis locus in terra est, quem non Christi possederit nomen? qua Sol oritur, qua occidit, qua erigitur septentrio, qua vergit auster, totum venerandi numinis maiestas impleuit. Et licèt adhuc in quibusdam regionibus idololatriæ morientia palpitent membra, tamen in eo res est, vt è Christianis omnibus terris pestiferum hoc malum funditùs amputetur. De idololatrarum lapide, de quo dicunt: Θεὸς ἐκ πέτρας quid Prophetarum respondet oraculum? quis autem restitit, vel cui parcit iste lapis? Lapis autem hic sanctus, id est, Christus aut fidei fundamenta sustentat, aut in angulo positus, duorum parietum membra æquata moderatione coniungit, id est, veteris & noui Testamenti in vnum colligit gentes; aut certè

Cap.3. — G — Cap.28. — Cap.24. — Cap.2. — H

corporis

A corporis & animi diuerſitatem, inuiolata homini immortalitate conſociat; aut legem promulgat, aut contra peccantes teſtimonium perhibet: aut (quod eſt potius) imaginem diaboli percutit, vt ſuperato eo atque proſtrato, & in cinerem fauillaſque conuerſo, erecto ſublimitatis ſuæ vertice, purum dominationis imperium habeat. Vos nunc Conſtanti & Conſtans, ſacratiſſimi Imperatores, & venerandæ fidei veſtræ imploranda virtus eſt, quæ ſupra homines erigitur, & à terrena fragilitate ſeparatur, cœleſtiumque ſe rerum ſocietate coniungit, quæ in omnibus actibus ſuis, prout poteſt, Dei ſummi ſequitur voluntatem. Modicum tantum ſupereſt, vt legibus veſtris funditus proſtratus diabolus iaceat, vt extinctæ idololatriæ pereat funeſta contagio. Veneni huius virus euanuit, & per dies ſingulos ſubſtantia profanæ cupiditatis exſpirat. Erigite vexillum fidei, vobis hoc diuinitas reſeruauit, cuius fauore eminentes proſtratores eſtis omnium hoſtium veſtrorum; quorum opera Romanum infirmabatur imperium. Signum venerandæ legis erigite, ſancite, promulgate quod proſit; Sit fauſtum fœlixque Reip.
B quod tot aceruis cæſorum hoſtium proſtrauiſtis exercitum. Felices vos quoque gloriæ ac voluntatis ſuæ Deus fecit eſſe participes, idololatriæ excidium, & profanarum ædium ruinas propirius Chriſtus populo veſtris manibus reſeruauit. Ille ſpiritualibus armis malos ſpiritus, vos mala terrena viciſtis. Erigite trophæa victoriæ, & proferatur ingens titulus triumphorum: profanarum rerum ſtrage gaudentes, exultate fortius, exultate fidenter. Fœlicitas veſtra cum Dei virtute coniungitur, pro ſalute hominum Chriſto pugnante viciſtis.

CAPVT XXII.

De 4. quodam Religionis profanæ ſymbolo.

OMnia ſymbola profanæ Religionis per ordinem ſuggerantur, vt probemus nequiſſimum hoſtem generis humani de ſanctis hæc venerandiſque Prophetarum oraculis ad contaminata furoris ſui ſcelera tranſtuliſſe. Inuenimus enim & ita dici: [illegible] διμόρφα. Deus
C iſte veſter non biformis eſt, ſed multiformis. In multas enim ſpecies veteratoris forma mutatur. Ipſe eſt baſiliſcus & ſcorpio, qui fidelium ſecuris veſtigiis premitur: ipſe malitioſus anguis, cuius caput quærit decepta mortalitas: ipſe tortuoſus draco, qui hamo ducitur, qui captiuus includitur: iſte Deus veſter Lernei anguis crinibus adornatur, videns vt percuſſo Domino morientium anguium turba ſuccedat. Quid ſic renaſcentibus hydris pullulas? quid te fœcunda ſcelerum ſobole componis? mortis tuæ viam didicimus, ſcimus quibus remediis artis tuæ venena vincantur. Chriſti immortalem ſanguinem bibimus, noſtro ſanguini Chriſti ſanguis adiunctus eſt. Hoc eſt ſalutare remedium ſcelerum tuorum, quod à Dei plebe mortiferum virus excludit. Quis Deum iſtum, quem plangunt, cum cornibus vidit? quæ ſunt iſta cornua, quæ habere ſe iactat? Alia ſunt cornua, quæ propheta ſancto Spiritu annuente commemorat, quæ tu, diabole, ad maculatam faciem tuam putas te poſſe transferre. Vnde tibi ornamenta quæris & gloriam? Cornua
D nihil aliud niſi venerandum ſignum crucis monſtrant. Huius ſigni vno extenſo ac directo cornu mundus ſuſtentatur, terra conſtringitur. Et è duorum quæ per latus vadunt compagine oriens tangitur, occidens ſublenatur, vt ſit totus orbis tripartita ſtabilitate firmatus confixi operis, immortalitatis radicis fundamenta teneantur: hoc ſecretum nobis venerandum prophetæ oraculum tradidit. Inueniemus enim in Abacuc ita eſſe perſcriptum: *Texit cœlos virtus eius & laude eius plena eſt terra. Et ſplendor eius vt lux erit, cornua in manibus eius erunt. Et illic conſtabilita eſt virtus gloriæ eius, & conſtituit dilectionem ſuam. Ibit verbum, & pracedet ſecundum greſſus ſuos.* En veneranda crucis cornua, en ſanctæ virtutis immortale faſtigium, en glorioſi operis diuina compago? Tu Chriſte mundum ac terram extenſis manibus, tu cœleſte ſuſtentas imperium; tuis immortalibus adhæret humeris ſalus noſtra, tu Domine æternæ vitæ baiulas ſignum, tu venerando inſtinctu hoc nobis denuntias per Prophetas. Ait enim Eſaias: *Ecce natus* E
eſt nobis, imperium ſuper humeros eius, & vocatum eſt nomen eius magnæ cogitationis nuntius. Hæc ſunt crucis cornua, quibus omnia & ſubleuantur pariter & continentur. His cornibus benè hominum nititur vita. Vt Amalech vinceretur extenſis manibus Moyſes hæc imitatus eſt cornua, vt facilius impetraret, quod magnoperè poſtulabat crucem ſibi fecit ex virga. Ad hæc cornua humili veneratione confugite. His vos affiganr cornibus iuſtitia, æquiras, pudicitia, miſericordia, patienria, fides: vt veneranda præferentes inſignia, conſecrati fontis maieſtate gaudentes, & ſepulturæ Chriſti participes ſitis & vitæ.

Iob 40. — *Chriſti ſanguinē bibimus.* — *Venerandum ſignum crucis.* — Cap 3. — *Crux ſalus noſtra & æternæ vitæ ſignum.* — Cap. 9. — Exod. 17. — *Crucis veneratio humilis.*

CAPVT XXIII.

De myſtica vnctione & oratione quadam idololatrarum.

ALiud etiam ſymbolum proponamus, vt conamine cogitationis ſcelera reuelentur, cuius totus ordo dicendus eſt, vt apud omnes conſtet, diuinæ diſpoſitionis legem peruerſa diaboli eſſe imitatione corruptam. Nocte quadam ſimulachrum in lectica ſupinum ponitur, & per numeros digeſtis fletibus plangitur. Deinde cum ſe ficta
F lamentatione ſatiauerunt, lumen infertur. Tunc à Sacerdote omnium qui flebant, fauces vnguntur, quibus perfunctis, Sacerdos hoc lento murmure ſuſurrat:

Θαῤῥεῖτε μύσται τοῦ θεοῦ σεσωσμένου,
Ἔσται γὰρ ὑμῖν ἐκ πόνων σωτηρία.

Quid miſeros hortaris vt gaudeant? quid deceptos homines lætari compellis? quam illis ſpem, quam ſalutem funeſta perſuaſione promittis? quid illos falſa pollicitatione ſollicitas? Dei tui mors nota eſt, vita non comparet, nec de reſurrectione eius diuinum aliquando reſpondit oraculum, nec hominibus ſe poſt mortem, vt ſibi crederetur, oſtendit, nulla huius operis documenta promiſit, nec ſe hoc facturum eſſe præcedentibus monſtrauit exemplis. Idolum ſepelis, idolum plangis, idolum de ſepultura profers, & miſer, cum hæc feceris, gaudes. Tu Deum tuum liberas, tu iacentia lapidis membra componis, tu inſenſibile corrigis ſaxum. Tibi habeat gratias Deus tuus, te paribus remuneret donis, & ſui velit G
eſſe participem, ſic moriaris vt moritur, ſic viuas vt viuit. Nam quod vnguento perunguntur fauces, quis non facinus iſtud deſpecta vanitate contemnat? Habet ergo diabolus Chriſtos ſuos, & quia ipſe Antichriſtus eſt, ad infamiam nominis ſui miſeros homines ſcelerata ſocietate perducit. Vnguentum hoc reſerua mortuis, reſerua morituris, vt quos laqueis tuis cœperis, eos venenato vnguento obliros lugubri ac funeſto ſemper mergas exitio.

Cautè lege, nam verus Antichriſtus quia aduerſatur Chriſto. Vide lib. 2. Maluēdę Dominicani de Antichriſto cap. 7.

CAPVT XXIV.

De cœleſti & vera Chriſti vnctione.

ALiud eſt vnguentum, quod Deus pater vnico tradidit filio, quod filius credentibus diuina nominis ſui maieſtate largitur. Chriſti vnguentum immortali compoſitione conficitur, & ſpiritualibus pigmentorum odoribus temperatur. Hoc vnguentum à mortalibus laqueis putres hominum artus exuit, vt ſepulto primo H
homine, ex eodem ſtatim homine homo alius felicius naſcatur. Er vt hoc manifeſtius explicetur, ſacrarum lectionum arcana pandenda ſunt. Ait enim Dauid, vt huius vnguenti gratiam traderet, *Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit tibi in æternum. Accingere gladium tuum circa femur tuum potentiſſimè. Specie tua & pulchritudine tua intende, proſperè procede, & regna. Propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua Sagittæ acutæ potentiſſima, populi intra te decident in corde inimicorum Regis. Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga recta, eſt virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Myrrha & gutta, & caſia à veſtimentis tuis de ædificiis eburneis, ex quibus te iucunditate affecerūt.* Immortalis vnguenti ſecreta peruidimus, & diuinæ nobis diſpoſitionis ordo monſtratus eſt. Regnum perpetuum, & cœli diadema Domino noſtro cum vnguenti maieſta-

Vnguētū Chriſti. — Pſal. 44. — *Vnguentum immortale.*

A te collatum est. Quis autem hic sit qui regendi orbis accepit potestatem, qui venerandi nominis maiestate decoratur, aliud nobis monstrat oraculum: ait enim is idem Dauid: *Vt quid fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.* Quid te sic extollis sacrilega persuasio? quid miseros homines effrænata temeritate circumuenis? vnguentum Christi cœli donat imperium, vnguentum vestrum gehennæ suscitat flammas.

Psal. 2.

CAPVT XXV.

De idololatrarum mysteriis S. parte altera, qua dæmon resurrectionis Christi memoriam imitatur.

Cautè lege, nam dissonans hæc à placitis vera Theologia, patres enim in limbo erant cōfirmati in gratia, nec desperam, nec merita in hac vita cōparata dimittere poterant.

SEd quod impuro ore Sacerdos iste, & polluta verborum contaminatione componit, liber diligenti inquisitione discutere. Liberato Deo suo, bonum animum gerere socios, fiduciam bonæ spei habere persuadet. O quàm miseris, quàm luctuosis se laqueis inuoluit caduca calliditas! Quis Deum tuum liberat? cui hoc B præstitit, quod laborat? Disce, disce quod nescis, disce quod non vides. Christus filius Dei, vt humanum genus à mortis laqueis liberaret, omnia ista sustinuit, vt captiuitatis duræ iugum tolleret, vt hominem patri redderet, vt mitigata offensa hominem cum Deo prospera conciliatione componeret, vt promissæ resurrectionis fructum proprio monstraret exemplo, fecit filius Dei quod ante promiserat, clausit ianuas sedis infernæ, & duræ legis necessitatem calcata morte prostrauit. Per triduum recens ita ab eo iustorum turba collecta est, ne diutius contra eos mortis dominaretur improbitas, ne iustorum meritum ex longa desperatione concideret, fregit claustra perpetua, & ferreæ fores Christo iubente collapsæ sunt: ecce terra contremuit, & fundamentorum suorum stabilitate concussa, præsentis CHRISTI numen agnouit. Ante præfinitum tempus præcipitat diem mundi totata vertigo; & Sol non completo diurnarum horarum spatio, properato cursu vergit in noctem. Ecce veli fastigia summa finduntur, & obscurioribus tenebris orbem terrarum caligo noctis abscondit. Omnia elementa Christo pugnante turbata sunt, tunc C scilicet cum primùm contra mortis tyrannidem humanum corpus armauit. Per triduum ista conflictatione pugnatum est, quamdiu mors superatis malitiæ suæ viribus frangeretur. Quid solita impatientia homo Religiosè, homo Christi desperas & deficis? Tridui moram non fers, sollicitudinem ac desperationem tuam nouis precibus confiteris? Hoc te facturum esse illo die Spiritus sanctus veneranda voce significat, cùm per Dauid dicit: *Æstimati sumus sicut oues occisionis. Exurge quare obdormis Domine, exurge & ne disperdas vsque in finem. Quare faciem tuam auertis? obliuisceris inopiam nostram, & tribulationem: quoniam humiliata est in puluere anima nostra, hæsit in terra venter noster. Exurge Domine opem fer nobis, & libera nos propter nomen tuum.* Ecce post triduum lucidior solito dies oritur, & reddita soli præteriti luminis gratia, omnipotens Deus Christus splendidioribus solis radiis adoratur. Exultat salutare D numen, & triumphales currus eius iustorum ac sanctorum turba comitatur. Tunc elato gaudio clamat elata mortalitas: *Vbi est mors aculeus tuus?* Tunc præcurrens salutare numen aperiri sibi cœlestes ianuas præcipit. Aperite, aperite, & immortalia claustra conuellite. Christus Deus calcata morte ad cœlum: hominem quem susceperat reuocat. Hoc à venerando Propheta sancta voce præcanitur, & ex ore prophetico vox iubentis auditur, ait enim Spiritus sanctus, vt nobis potentiam Christi iubentis ostenderet: *Tollite portas Principes vestras, & extollite portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Hoc Angelis nescientibus imperatur, neque enim scire potuerunt, quando verbum Dei descendit ad terram, ideò & ipsi sollicita interrogatione respondent: *Quis est iste rex gloriæ?* Quibus quærentibus perspicua Christus numinis sui maiestate respondit: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Cognoscitur statim à custodibus cœli filius Dei, & quicquid illos antè fefellit, agnoscunt. Vident

Luc. 23. Matt. 27.

Subindicat ni fallor, solemnes illos apud Christianos triduana Christi sepultura sepulchrales & ritus & ceremonias.

Psal. 44.

1. Cor. 15.

Christi resurrectio.

Sciuerūt quidem Angeli aduētum verbi in terras, sed circūstātias quasdā atque rationes tanti mysterij non nouerūt, nisi forsā aliquas edocente Christo.

prostrati hostis exuuias, & recordari primæ dispositio- E nis ordinem, etiam ipsi cum ascendentibus iterata pariter voce conclamant: *Tollite portas qui præestis illis, & extollite vos portæ æternæ & introibit rex gloriæ.* Reuerso filio promissa pater regni sceptra restituit, & sellâ regni æqua potestate concedit, vt imperet, vt regnet, vt sceptrum teneat, vt perpetua numinis sui maiestate dominetur. Audi quid de illo Daniëlem Spiritus sanctus iusserit dicere: *Videbam in visu noctè, & ecce in nubibus cœli quasi filius hominis veniens, venit vsque ad veterem dierum, & stetit in conspectu eius, & qui assistebant obtulerunt eum. Et data est ei potestas regia, & omnes reges terræ & regnum & omnis claritas seruiuit ei. Et potestas eius æterna, quæ non auferetur, & regnum eius non corrumpetur.* Hæc eadem nobis sancta reuelatione monstrantur: inuenimus enim in Apocalypsi ita esse perscriptum: *Et conuersus respexi, vt viderem vocem, quæ mecum loquebatur, & vidi septem candelabra aurea, & in medio candelabrorum similem filio hominis vestitum podere, & erat præcinctus supra mammas Zona aurea. Caput autem eius & capilli erant albi, velut* F *lana alba, vt nix; oculi eius vt flamma ignis, & pedes eius similes aurichalco, sicut de fornace ignea, & vox eius, vt sonus aquarum multarum, & habebat in dextera sua septem stellas, & ex ore eius gladius, ex vtroque acutus, & facies eius splendebat, vt sol in virtute sua. Et cum vidissem cecidi ad pedes eius tanquam mortuus. Et imposuit dexteram suam super me dicens: Nolite timere, ego sum primus, & nouissimus, & viuus, qui fueram mortuus, & ecce sum viuens in secula seculorum, & habeo claues mortis, & inferorum.* Post resurrectionem etiam, cùm discipulis suis daret certa mandata, immortalium mandatorum ordinem ista lege conclusit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Ite ergo & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos obseruare omnia, quæcumque præcepi vobis.* Quod autem Deus pater, participem eum regni faciens, regalis sellæ ei concesserit sedes, hoc docetur oraculo: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, quoadvsque ponam inimicos tuos subpedaneum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Syon, dominaberis in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ, in claritate* G *sanctorum, & ex vtero antè luciferum genui te. Iurauit Dominus, nec pœnitebit eum.* Hi sunt inimici Dei, sacratissimi Imperatores, qui veritatis ordinem contraria lege conturbant, qui peruersæ cupiditatis instinctu sacrilega vota concipiunt, qui profanæ mentis furore aut lignum semper venerantur aut lapidem. In isto loco positi ordinem debemus sanctæ dispositionis aperire: vt quicquid nobis inuestigantibus sanctum Dei verbum, prophetica tradidit disciplina, ad refutandas profani erroris maculas specialiter explicetur, ne sicut illi, quos diximus, mentiti sunt, qui sacrilegia errantibus tradiderunt. Sic à nobis ordo veritatis curiosius requiratur. Suspensis itaque paululum cæteris ad hæc explicanda, quæ vera sunt, transferatur oratio.

Vide S. Thom. 1. p. q. 57. art. 5. & eius interpretes. Sixtum quoque li. 6. Bibl. annot. 165. 182. 299. 130.

Psal. 24.

Cap. 7.

Cap. 1.

Matt. 28.

Psal. 109.

CAPVT XXVI.

H

De Christo cur homo factus sit.

VOs, Domini Imperatores, sanctarum aurium vestrarum mihi commodate patientiam, vt totum clementiæ vestræ, quod promittimus, explicemus. Cur Deus, id est, filius Dei, homo passus est fieri, breui ac vera pietati vestræ ratione monstrabitur. Cum hominem primum, id est, Adam, ad imaginem suam Deus faceret, certam illi mandatorum dedit legem. Is per fœminam, id est, Euam deceptus, diaboli persuasionibus, promissæ sibi gloriæ perdidit dignitatem. Lignum erat in paradiso, quo promissorum à Deo præmiorum perdidit gratiam. De Virginis terræ limo homo factus est: nondum enim, vt ait scriptura, supra terram pluerat. Hic contemptis mandatis Dei, humanum genus mortalitatis laqueis afflixit. Oportebat hoc totum & reformari, & corrigi, & reformatio originis debuit reformare primordia. Ex Virginis terræ limo factus Adam præuaricatione propria promissam perdidit vitam. Per Virginem Mariam

Gen. 23.

Homo de terra Virgine.

Terra Virgo. Virgo Maria.

ac

A ac Spiritum sanctum Christus natus, & immortalitatem accepit & regnum. Arbor ligni pestiferum deceptis pabulum præbuit: lignum crucis vitam immortali compage restituit. Contempsit Adam, obediuit Deo Christus. Sic diuina dispositione quicquid Adam perdidit Christus inuenit. Nam post multa tempora nouissimis temporum spatiis (id est, nouissima penè seculorum hebdomade) verbum Dei humano se miscuit corpori, vt hominem liberaret, vt mortem vinceret, vt fragilitatem humani corporis cum diuina immortalitate coniungeret. Quid enim faceret tanta turba sanctorum? quæ illis spes salutis? quod meritorum præmium? si sub vna, eadémque conditione sortis ineluctabilibus mortalitatis laqueis etiam ipsa obligata teneretur? Nihil Abel, nihil Enoch, nihil Noë, nihil Sem, nihil Abraham, nihil Isaac, nihil Iacob de Dei sibi misericordia ac maiestate promitterent: irent etiam ipsi post tantum fidei meritum cùm cæteris omnibus pariter addictis, & omnes Dei sanctos vnum mortis exitium exciperet, nec haberet apud Deum præmium pietas, si vna eadémque omnes conditio mortis hauriret. Sed Deus Abrahæ clarius à cœli syderibus promiserat regnum: ideò ex genere Abrahæ descendens Maria Virgo Deum concipit, vt supradictorum hominum soboles immortalis societatis vinculo iungeretur, & sic humanum genus per hominem pariter & Deum æquata societatis comparatione coniunctum, ad immortalitatis imperium obedientiæ merito perueniret. Quia itaque, sacratissimi Imperatores, curiosis auribus satisfecimus, reliqua prosequamur, vt vel sic pollutarum aurium sordes purificans possit sermo purgare.

Christi & Adæ comparatio. B *Præmium meritorum.* *Fidei meritū.*

CAPVT XXVII.

De 6. Paganorum symbolo quo dæmon verè se draconem profitetur. C *Gen. 1.*

SEquitur adhuc aliud symbolum, quod pro magno miserorum hominum credulis auribus traditur: Ταῦρος δράκοντος, καὶ δράκων Ταύρου πατήρ. Aliquando nobis signa, diabole, maculati nominis prodidisti, aliquando infame nomen propria voce confessus es. Scio qui fueris, quid ausus sis, scio quid fecerit scelerum tuorum malitiosa persuasio. Hoc erat, quod Euæ, quum eam perderes, magnopere pollicebaris, cùm ei diceres: *Eritis quasi Dij.* Tunc parabas tibi ac tuis templa, & delubra faciebas, & venenati oris illuuiem nefariis ceremoniis consecrabas. Serpis in templis, & occisarum hostiarum misero pasceris sanguine. Nec venenis tuis cruor defuit, nec semiustæ crematorum corporum partes, humanarum te etiam victimarum frequenter sanguine cruentasti. Et satiaris templi cruore, vel ara Carthaginis rabies tua, & siccatum faucium venena nutrita sunt. Tu hæc faciens hominibus te miseris prodesse iactas, vt crudelitate tua perimas, persuasione decipias, pollicitatione prosternas. Sic tuis prospicis parricida? Fugite ô miseri homines, fugite, & contagionem istam quantacumque potestis celeritate deserite. Draco est, qui colitur. Latere non potest, proprietatem nominis sui ipse confessus est. Confessum reum pœna cōsequitur. Audite quid sanctus Propheta diuina instigatione denuntiet. Oraculum hoc Esaiæ nobis fides tradidit, ait enim: *In illa die superinducet Deus gladium sanctum & magnum, & fortem super draconem, serpentem magnum, & tortuosum, & interficiet draconem.* Voluntas Dei perfectio operis † substantia est. Bene draconis lata sententia est: quicquid Deus dixit factum est, morituri draconis hoc solatium est, vt exitium suum frequens perditorum turba comitetur. Si mortis eius dies quæritur, tunc percussus est, cum hominem Deum vidit, cúmque nobis Christi numen apparuit. Post illum diem, qui serpentis huius secutus fuerit institutum, necesse est vt cum serpente moriatur. Deos istos, quos colitis ipse finxit, ipse composuit. Si pertinaces animi vestri in isto errore permanserint, ardebitis etiam vos pariter cum Diis vestris, vt quicquid auctores vestri diuina animaduersione meruerunt, etiam ad vestrum exitium hoc societatis consortio transferatur. Mihi credite, nihil prætermisit diabolus, quod hominem miserum aut debilitaret aut perderet: ideo sese in omnes formas multiplici diuersitate conuertit, ideo se diuersi generis calliditate composuit, vt variis ac multiplicibus fraudibus homines irretitos interimeret.

D *Cap. 27.* *Forte, sub instantia.* E

CAPVT XXVIII.

Christi crucifixi imitationes in sacris idololatrarum.

SAcra sua perditus carnifex, prô nefas! per lignum semper renouari disposuit, vt quia sciebat ita fore, vt ligno crucis affixa vita hominis perpetuæ immortalitatis compagine stringeretur, ideo perituros homines ex ligni imitatione deciperet. In sacris Phrygiis, quæ matris Deum dicunt, per annos singulos arbor pinea cæditur, & in media arbore simulachrum iuuenis subligatur. In Isiacis sacris de pinea arbore cæditur truncus, huius trunci media pars subtiliter excauatur: illis de segminibus factum idolum Osiridis sepelitur. In Proserpinæ sacris cæsa arbor in effigiem virginis formámque componitur, & cum intra ciuitatem fuerit illata, quadraginta noctibus plangitur, quadragesima verò nocte comburitur. Sed & illa alia ligna, quæ dixi, similis flamma consumit, nam etiam post annum ipsorum lignorum rogum flamma depascitur. Errasti miser, & vehementer errasti, nihil tibi poterit ignis iste prodesse, frustra tibi ex ista flamma blandiris, hunc ignem commentis tuis semper renouans. Ignis qui de facinoribus tuis exigit pœnas, perpetua tormentorum continuatione grassatur. Diuinis ac liberantis ligni ordinem disce, vt scias nulla tibi posse ratione succurri. De cataclysmo humanum genus arca lignea liberauit. Deinde Abraham ligna vnici filij humeris imponit. De Ægypto recedentem populum Dei plebem lignea virga protexit. Lignum dulcem saporem amaræ myrrhæ fontibus reddidit. Lignea virga ex spirituali petra salutaris vnda profertur. Et, vt Amalech vinceretur, circa virgam Moyses expansis manibus extenditur. Scalæ ligneæ Patriarcha incumbentem Angelum somniat, & per eandem alios ascendere, alios cernit descendere. Et lex Dei arcæ ligneæ creditur, vt his omnibus, quasi per gradus quosdam, ad lignum crucis salus hominum perueniret. Quapropter lignum crucis cœli sustinet machinam, terræ fundamenta corroborat, affixos sibi homines ducit ad vitam. Lignum diaboli ardet semper & moritur, & ad ima tartari credentes homines cum fauillis suis ducit. Illud etiam quale sit ratione tractetur. Arborem suam diabolus consecrans, intempesta nocte arietē in cæsæ arboris facit radicibus immolari. Quis tibi hoc scelerate persuasit? vnde hoc pestifera cupiditate didicisti? Semperne te contra Dominum summum nefaria cupiditate componis? ideò de te cœlo seuerum diuinitatis iudicium caduca humilitate præcipitat, ideò tibi Dei sententiâ perpetua pœna decernitur, quod facinoribus tuis per dies singulos nouum semper additur facinus, quod hominem Dei fraudulenta conaris persuasione decipere. Vide quid sibi ludibriosus honestis inuenerit. Abrahæ immolaturo filium iussu Dei aries supponitur, & in vicinæ arboris radicibus alligatur. Liberaturus Deus summus ex Ægyptiorum tyrannide plebem suam, arietem nocte iussit occidi, & sanguine eius postes liniri præcepit. Ipsum à certo numero hominum per nocturnas epulas confici iubet, & sacrificio ipsi Paschæ nomen imponit. Sed hoc ad imaginem futurorum prouidentia diuinæ maiestatis inuenit, vt per signum, verum Pascha nobis ostenderet. Ideò cùm de passione Domini nostri diuino Spiritu iubente Propheta præcaneret, ait: *Sicut ouis ad victimam ductus est, & sicut agnus coram tondente se, sic non aperuit os suum. In humilitate iudicium ei sublatum est. Natiuitatem eius quis enarrauit? quoniam auferetur à terra vita eius.* Alius etiam Propheta hæc eadem simili respondit oraculo: *Domine significa mihi & cognoscam, tunc vidi meditationes eorum. Ego sicut agnus sine malitia perductus sum ad victimam. In me cogitauerunt cogitatum dicentes: Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus à terra vitam eius.* Agnum autem appellari Dominum nostrum sancta nobis reuelatione monstratur. In Apocalypsi enim ita inuenimus esse perscriptum:

Sacra Proserpinæ. F *Ignis inferni.* *Lignum diuinum & liberans.* *Gen. 7. Gen. 22. Exod. 14. Exod. 15. Exod. 17. Ibid. Gen. 2. Exod. 40.* G *Ligni crucis figura & laudes.* *Dæmon studiosè componit se contra Deum.* *Exod. 12.* H *Pascha.* *Isai. 53.* *Ier. 11.* *Cap. 5.*

A *tota lex pendet, & Prophetæ.* Sequitur autem hoc diuinum venerandumque præceptum immortalis Domini ac sancta conclusio, addit enim, vt manifestius viam salutis ostendat, & ita loquitur: *Hæc est autem vita æterna, vt agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti* IESVM CHRISTVM. Sacrorum mandatorum ordinem scitis, quid sequi, quid fugere debeatis, veneranda atque immortali voce didicistis. Audite rursus, quod maneat contemnentes exitium, quibus illos calamitatibus necessitas veneranda legis astrinxerit: clausula enim venerandorum mandatorum in hæc verba colligit: *Sacrificans Diis eradicabitur, præter Domino soli.* Si solum sacrilegum hominem metuenda pœna percuteret: si peccanti soli minaretur seueritas legis, bene se ad sacrilegium obstinati furoris temeritate firmaret: nunc etiam stirpi minatur & soboli, & hoc agit ne qua pars nequissimi seminis relinquatur, ne quod profani generis vestigium maneat. *Sacrificans*, inquit, *Diis eradicabitur.* Considera quid agas misera ac luctuosa persuasio. Facinus tuum plurimos perdit, & per omnem substantiam generis tui fœcunda pœna diuiditur. Cur autem contra sacrificantes sic sæuiat, ordinatæ legis authoritas in Deuteronomio manifesta significatione monstratur: ita enim inuenimus esse perscriptum: *Sacrificauerunt dæmoniis, & non Deo.* Ad contaminatos ac pollutos te spiritus ne transferas, ab inferioribus ne speres auxilium; ne his supplices, quibus Dei gratia, iam imperare debes. Ecce dæmon est quem colis, cùm Dei & Christi eius nomen audierit, contremiscit, & vt interrogantibus nobis respondeat trepidantia verba, vix se colligit: adhærens homini laceratur, vritur, vapulat, & statim de commissis sceleribus confitetur. Ne hunc colas, ne huic supplices, ne prostratus huic flectas genua, interdicto venerandæ legis iuberis. Hinc seueritatis pœna, hinc animaduersionis metu metuenda sententia. Quid Dei indulgentia libertate concessa iugum potius eligis seruitutis * * Non desinit Deus summus crimen hoc salutari voce pulsare, sed misericordia eius errantes homines corrigere frequenti comminatione festinat. Audi per Esaiam Prophetam vox diuina quid dicat: *Adorauerunt Deos, quos fecerunt digiti eorum, & curuatus est homo, & humiliatus est vir, & non laxabo illis.* Etiam vos, ô profani homines, iratum numen alloquitur, & adhuc errores vestros sacra conuenit voce, ait enim in sequentibus per eundem Prophetam: *Illis fudistis libamina, & illis imposuistis sacrificia. Super hæc non indignabor, dicit Dominus?* Adhuc indignationem suam salutaris Deus dilatat, seueritatem suspendit, si vos forsitan peccare pœniteat, vt sacrilegæ voluntatis exitium aliquo genere relinquatis. Ecce in ipso indignationis impetu moderata rursus voce, persuadet, & iterum suarum comprimit stimulos, ait enim per Ieremiam Prophetam: *Nolite ambulare post Deos alienos, vt seruiatis eis, & ne adoraueritis, ne incitetis me in operibus manuum vestrarum, ad disperdendos vos.* Quid hic ad sacrilegium pronus aures tuas obstruis? quid hic obstinati furoris ardore in exitium mortemque festinas? Liberum te Deus fecit, in tua manu est, vt aut viuas aut pereas. Quid te per abrupta præcipitas? in lubrico itinere constitutus, & in ipso lapsu positus, titubantia aliquando suspende vestigia. Ecce sententia depromitur, ecce pœna decernitur, diu criminibus tuis pepercit diuina moderatio, diu facinus tuum cum dissimulatione respexit, perueniens ad illud anceps, vbi spes, vbi vota deficiunt. Et vt manifestius instruaris, animaduersionis exitium disce. Super hac re in Apocalypsi totus ordo responsi est, ita enim scriptum est: *Si quis adorat bestiam & imaginem eius, & accipit vota in fronte sua, & in manu bibet & ipse de vino iræ Dei, mixto in poculo iræ eius. Et punies igne & sulphure sub oculis agni, & fumus de tormentis eorum in sæcula sæculorum ascendet. Nec habebunt requiem die ac nocte, quicumque adorant bestiam, & imaginem eius.*

Exod. 22

Idololatrarum pœna etiā in posteros trans funditur.

B

Cap. 31.

C

Esai. 2.

Esai. 13.

Cap. 25.

Homo liber.

D

Cap. 14.

CAPVT XXX.

E

Sed & vobis, sacratissimi Imperatores, ad vindicandum & puniendum hoc malum necessitas imperatur, & hoc vobis Dei summi lege præcipitur, vt seueritas vestra idololatriæ facinus omnifariàm persequatur. Audite & commendate sanctis sensibus vestris quid de isto facinore Deus iubeat. In Deuteronomio lex ista præscripta est, ait enim: *Quod si negauerit te frater tuus, aut filius tuus, aut vxor tua, quæ est in sinu tuo, aut amicus tuus, qui est æqualis animæ tuæ, latenter dicens: Eamus & seruiamus aliis diis gentium, non consenties ei, & non exaudies eum, & non parcat oculus tuus super eum, & non celabis, annuntians annuntiabis de illo. Manus tua erit super eum in primis interficere eum, & manus omnis populi deinceps. Lapidabunt eum & morietur, quoniam quæsiuit auertere te à Domino tuo.* Nec filio iubet parci, nec fratri, & per amatam coniugem gladium vindicem ducit. Amicum quoque sublimi seueritate persequitur, & ad discerpenda sacrilegorum corpora omnis populus armatur. Integris etiam ciuitatibus, si in isto fuerint facinore deprehensæ, decernuntur excidia: & vt hoc prouidentia vestra manifestius discat, constitutæ legis sententiam proferam. In eodem libro in integris ciuitatibus pœnam Dominus hac voce constituit, ait enim: *Aut si audieris in vna ex ciuitatibus, quas Dominus Deus tuus dat tibi, inhabitare illic, dicentes: Eamus & seruiamus diis aliis, quos non nostis: interficiens necabis omnes, qui sunt in ciuitate, cæde gladij, & incendens ciuitatem igni, & erit sine habitatore. Non ædificabitur in æternum. Et auertetur Dominus ab indignatione iræ suæ, & dabit tibi misericordiam, & miserebitur tui, & multiplicabit te, si exaudieris vocem Domini Dei tui, & obseruaueris præcepta eius.* Misericordiæ suæ vobis, sacratissimi Imperatores, Deus summus præmia pollicetur, & amplificationis maximæ augmenta decernit. Facite itaque quod iubet, complere quod præcipit. Auspicia vestra maioribus cumulata sunt donis, initio fidei positæ diuini fauoris incrementa sensistis. Nunquam vos manus Dei veneranda deseruit, nunquam vobis laborantibus denegauit auxilium. Strati sunt aduersantium cunei, & rebellantia ante conspectum vestrum semper arma ceciderunt. Missi sunt superbi sub iugum populi, & Persica vota collapsa sunt. Nec stare diu contra vos poterit malis suis armata crudelitas. Dei virtutem vtrique diuerso sensistis euentu. Vobis cœlestis victoriæ corona collata, & felicitate vestra nostra releuantur incommoda. Hæc vobis Deus summus, sacratissimi Imperatores, pro fide vestra reddidit præmia. His vos interim remuneratos insignibus ad arcana venerandæ legis inuitat. Pura mente, deuota conscientia, incorrupto animo clementia vestra cœlum semper aspiciat, à Deo semper expectet auxilium, Christi venerandum numen imploret, & pro salute orbis terrarum ac vestra, salutari Deo spirituales offerat victimas. Sic vobis feliciter cuncta prouenient, victoriæ, opulentia, pax, copia, sanitas & triumphi, vt diuina maiestate protecti, orbem terræ felici gubernetis imperio.

Exhortatio ad Imperatores, vt deleant idololatrias.

Cap. 1.

F

I

Deut. 13.

G

H

HERMIÆ PHILOSOPHI
Gentilium Philosophorum irrisio.

Ex Posseuini Apparatu Sacro.

Ermias Philosophus, breuem Tractatum emisit, quem inscripsit, Irrisio Gentilium Philosophorum. *In quo primum ostendit, cur Philosophorum Decreta inter se neque consen-*

A *stant, neque approbentur. Deinde inuehitur contra Pythagoricam Metempsychosim. Mox infert, cum homines animum Philosophi deprehendere nequeant, multò minus de Deo posse integrè loqui, aut aliquid intelligere. Anaxagoræ, Platonis, Pherecidis, & aliorum Philosophorum, qui omnes varia principia posuerunt sententias expendit.*

1. Cor. 2. BEATVS Apostolus Paulus, Corinthiis, qui iuxta Laconicam Græciam habitant, scribens (dilecti) cum pronuntiauit sapientiam mundi huius apud Deum stultitiam esse, præter rei veritatem locutus non est. Videtur enim mihi ab Angelorum defectione principium repetiisse, cur Philosophorum decreta inter se neque consentiant, neque approbentur. Nam eorum alij dicunt animum ignem esse, vt Democritus: alij aërem, vt Stoici: alij mentem: alij motionem, vt Heraclitus: alij exhalationem, alij vim à sideribus promanantem, alij numerum mouendi vi præditum, vt Pythagoras: alij aquam genitalem vt Hippon: alij elementum ab elementis, alij harmoniam, vt Dinarchus: alij sanguinem, vt Crytias: alij spiritum, alij vnionem, vt Pythagoras: & prisci diuersa. Quot de his sententiæ? quot philosophorum & sophistarum contendentium magis, quàm veritatem inuenientium, argumentationes? Verùm esto, de animo inter se dissentiant, numquid verò de cæteris concordes pronuntiarunt? Atqui alius voluptatem eius bonum, alius malum, alius rursum medium inter bonum & malum appellat. Eius porrò naturam alij immortalem, alij mortalem esse aiunt, alij ad paruum aliquod tempus permanere: alij in bestiarum conditiones deuoluunt, alij in corpora indiuidua dissoluunt, alij ter ad corpora transire, alij ter mille annorum circuitum ei præfiniunt. Er qui nec centum quidem annos viuunt, de tribus futuris annorum millibus pollicentur. Hæc igitur quid aliud nominanda sunt, quàm vt mihi sanè videtur, portentum, aut dementia, aut insania, aut hæc simul omnia? Quod si verum aliquid inuenerunt, aut eadem profetant, aut aliùs alij assentiantur: tunc & ego libens eis obtemperabo. Verùm illi animi animum diuellunt, atque in diuersas partes trahunt, alius in aliam naturam, alius in aliam essentiam, materiam ex materia mutantem. Fateor enim, crebram rerum conuersionem molestè ferre. Nunc immortalis sum, & gaudeo: nunc contrà mortalis fio, & ploro: mox in indiuidua corpora soluor, aqua fio, fio aër, fio ignis: paulò post nec aërem, nec ignem, sed feram me facit, piscem me facit. Itaque vicissim fratres habeo Delphinos: cum verò intueor corpus, pertimesco, & nescio quo nomine id vocem nominemve, an carnem, an lupum, an taurum, an auem, an serpentem, an draconem, an Chimæram. In cunctas enim bestias, ab illis sapientiæ studiosis commutor, terrestres, aquatiles, volucres multiformes, agrestes, cicures, mutas, vocales, brutas, ratione munitas. Nato, volo, sublimis in aëre feror, serpo, curro, sedeo. Offert autem sese Empedocles, & arbustum me facit. Cum igitur hominis animum philosophi concordes deprehendere non possint, multò minus de Diis, aut mundo verum pronuntiare poterunt. Etenim ea fortitudine præditi sunt, ne stuporem potius dicam: Nam qui suum animum inuenire nequeunt, ipsorum duorum non perscrutabuntur: & qui suum corpus ignorant, supernacaneum in mundi natura indaganda laborem sumunt. In naturæ certè principiis alij summoperè aduersantur. Vbi Anaxagoras me exceperit, hæc docebit: Mens omnium est initium, eaque causa & omnium domina est, & ordinem confusis præbet, & motionem immobilibus; & discrimen commixtis: & ornatum inornatis. Hæc cum dicit Anaxagoras, amicus mihi est, & ipsius sententiæ me subiicio. At obsistunt illi Melissus & Parmenides: quorum hic poëticis etiam versibus prædicat, hoc quod sit vnum & æternum, & infinitum, & immobile & cuiuis simile esse. Rursus igitur, nescio quo pacto in hanc opinionem concedo: Parmenides Anaxagoram animo meo expellit. Postquam autem me firmam habere sententiam existimo, Anaximenes vices excipiens, contrarium vociferatur. Imò dico tibi, vniuersum quod est, id aër est: qui densatus & concretus, aqua fit; sin rarescat & diffundatur, æther & ignis: in suam verò naturam reuersus, aër liquidus: sin densetur, inquit, mutatur. Er rursus in hanc quoque sententiam transeo, & iam Anaximenem diligo. Sed Empedocles contrarius obstat, minas iactans, & Ætna magnum clamitans: Principia omnium, sunt inimicitia & amicitia: quarum hæc congregat: illa dissipat, & earum contentio cuncta facit. Definio autem ea & similia esse, & dissimilia: & infinita, & extremum habentia: & æterna, & facta. Euge Empedocles te sequor, etiam vsque ad crateres ignis. Ab altera autem parte stans Protagoras, me distrahit, dicens: Terminus & iudicium rerum homo est: & quæ in sensus cadunt, res sunt: quæ verò in eos non cadunt, ne in naturæ quidem formis existunt. Hoc verò sermone à Protagora delinitus, delector, quòd aut omnia, aut certè plurima homini relinquantur. Aliunde autem Thales veritatem mihi suggerit; aquam vniuersorum esse primordium statuens, & ex humido cuncta constare, & in humidum resolui, & terram in aqua ferri. Cur igitur Thaleti non crediderim, Ionum antiquissimo? Verùm ciuis eius Anaximander æternam illam motionem humido vetustiorem esse dicit, eaque alia oriri, alia interire. Itaque fides Anaximandro adhiberi debet. Nónne verò celebratur Archelaus qui vniuersitatis principium esse calidum & frigidum statuit? Sed huic magniloquus Plato non assentitur, qui rerum exordia, Deum, & materiem, & exemplar esse dixit. Iam verò persuasum mihi est. Quidni verò cum philosopho, qui Iouis currum etiam fecerit, crediturus sim? A tergo autem stat eius discipulus Aristoteles, qui magistrum obscurius fabricationem illam æmulatur. Ille alia principia describit, facere nimirum, & pati. Ac id quidem quod faciat, nulla re affici, videlicet ætherem: id verò quod patitur, quatuor habere qualitates: ariditatem, humiditatem, caliditatem, frigiditatem: horum enim mutua inter se mutatione omnia & oriri, & interire, defatigatus iam sum, sursum ac deorsum opinionibus iactatus. Verum Aristotelis sententiæ stabo, neque vlla amplius sententia tumultum mihi concitabit. Sed quid agam? nam senes his vetustiores, animi mei neruos incidunt: Pherecides, quia principia esse dixit, Iouem, Tellurem, & Saturnum: Iouem ætherem, Tellurem terram, Saturnum tempus. Ac ætherem quidem producere, terram autem ferre: tempus verò esse, in quo fiant omnia. At inter senes illos etiam est æmulatio. Etenim hæc omnia Leucippus nugas esse existimans, primordia esse dicit infinita & immobilia, & minima, & subtilia sursum ferri, ignem & aërem fieri: crassa autem infrà subsistere, in aquam ac terram conuerti: Quovsque tandem talia edoceor, veri tamen nihil addisco? Nisi Democritus ab hoc errore me liberet, demonstrans, initia esse id quòd sit, & id quod non sit? Ac id quod sit, esse plenum. Quod vero non sit, esse vacuum, plenum autem in vacuo, vel conuersione, vel figura efficere omnia. Fortassis autem pulchro Democrito assentiter, & vnà cum eo ridere vellem, nisi à sententia me deduceret Heraclitus, simul & plorans, & dicens: Vniuersorum exordium est ignis. Duæ autem ipsius affectiones, raritas & densitas, quarum altera facit, altera patitur: altera coagmentat, altera separat. Abundè iam satur sum, atque etiam tot principiis inebriatus. Sed & illinc Epicurus me adhortatur, vt nequaquam pulchram suam de atomis & de vacuo opinionem, contumelia afficiam, nam horum multiplici & multiformi complexione cuncta & oriri, & interire. Non contradico tibi Epicure, vir optimè: sed Cleanthes capite è puteo elato, sententiam tuam deridet. Itaque & ipse vera principia haurio, Deum nimirùm materiem: ac statuo,

Marginal notes: B; C; *Animi commutationes.*; *Contra Pythagoricam Metempsychosim.*; D; *Quæ sint Philosophorum iudicio, natura Principia.*; E; F; *Platonis doctrina de natura, & Principiis.*; G; *Pherecidis Philosophia.*; H

A statuo, terram in aquam migrare, aquam in aërem ferri, ignem ad terræ proxima accedere: animum autem per totum mundum penetrare, cuius partem aliquam nos adeptos, animari. Cùm autem horum tantus sit numerus, alia mihi ab Aphtica multitudo affluit, Carneades & Clitomachus, eorumque sectatores, qui omnium aliorum placita conculcant, ipsi verò planè pronuntiant, vniuersa incomprehensa esse, & veritati semper falsam quandam imaginationem, esse proximam. Quid igitur agam post tanti temporis ærumnas? quo pacto tot opiniones ex animo meo effundam? Si enim nihil comprehensum est, & veritas homines deserit, & celebrata philosophia vmbras potius consectatur, quàm rerum scientiam comprehensam habet. Iam verò alij ex antiqua tribu, *Pythagoras & tribules.* Pythagoras & tribules eius, graues & taciturni, alias mihi opiniones, quasi Cereris quædam initia tradunt, atque etiam illud magnum & arcanum ipse dixit: Omnium initium est vnio, è cuius figuris & numeris elementa fiunt. B Atque eorum cuiuslibet numerum, formam, & mensuram ita demonstrat: *Ignis.* Ignem quatuor & viginti triangulis rectis perfici, & quatuor æqui lateribus contineri. Vnumquodque autem æquilaterum sex triangulis rectangulis constare. *Elementorum forma & figura.* Vnde eum pyramidi assimilant. *Aër.* Aërem autem octo & quadraginta rectis triangulis impleri, & æqualibus lateribus octo contineri. Æquiparari autem figuræ octonorum sessuum, quæ octo triangulis æqualium laterum contineatur, quorum singula in sex rectos angulos diuidantur. Itaque Anguli omnes fiunt octo & quadraginta. *Aqua.* Aquam autem centum & viginti contineri, & comparari figuræ viginti sessuum, quæ ex æqualibus constat, & triangulis æquorum laterum sexies viginti. *Æther.* Ætherem vero perfici duodecim quinquangulis æqualium laterum, & similem esse figuræ duodecim sessuum. *Terra.* Terram compleri triangulis octo & quadraginta, contineri autem sex triangulis æqualium laterum, & cubo similem esse. *Cubus.* Cubum enim sex quadrangulis contineri, quorum singuli quatuor triangulos habeant: C vt summatim omnia fiant quatuor & viginti. Mundum igitur Pythagoras ita metitur. Ego verò rursus numine afflatus, domum, patriam, vxorem, liberos contemno, neque ampliùs curo: verùm in ipsum ætherem ascendo, & cubito à Pythagora sumpto, ignem metiri incipio. Nec enim satis est metiri Iouem: sed nisi etiam ego magnum illud animal, magnum corpus, magnus animus, ipse in cœlum venero, & dimetiar ætherem, interibit Iouis imperium. Vbi verò mensus fuero, & Iupiter ex me cognouerit, quot angulos habeat ignis: rursùs ex cœlo descendo: & oliuas comedens, ficus, ac olera, quamprimùm ad aquam me confero, & per vlnam & digitum & semidigitum, *Vlna Digitus Semidigitus.* humidam naturam metior, & profunditatem eius supputo, vt Neptunum quoque doceam, quantum sit mare, cui imperat. Nam terram quidem vniuersam vnâ die obeo, & numerum eius colligo, & mensuram, & figuras. *Dodrans.* Persuasum enim habeo, me ne dodrantem quidem totius mundi prætermissurum, cum talis & tantus sim. D Præterea etiam stellarum numerum & piscium & bestiarum noui, & mundo in bilancem imposito, facilè pondus eius possum cognoscere. Hactenùs quidem animus meus his rebus intentus, totius vniuersitatis imperium affectat, prospiciens autem Epicurus, mihi ait: *Multi mundi & infiniti ex Epicuro.* Tu quidem amice vnum duntaxat mundum dimensus es, cum sint multi mundi, & infiniti. Itaque denuò dicere cogor multos cœlos, alios ætheres, eosque multos. Agè verò non ampliùs morans, comparato paucorum dierum commeatu, Epicuri mundos peragrato. Terminos igitur Tethyn & Oceanum facilè transuolo. In nouum autem mundum, & quasi in aliam ciuitatem ingressus, cuncta paucis diebus metior. Illic iterùm transcendo in tertium mundum: posteà in quartum, & quintum, decimum, & centesimum, & millesimum, & quò tandem vsque? Omnia enim iam mihi ignorantiæ tenebræ sunt, & nigra fraus & infinitus error, & imperfecta cogitatio, & incomprehensa inscientia: nisi ipsos etiam atomos annumerare velim, è quibus tot mundi orti sunt, vt nihil in excessum prætermittam, præsertim res tam necessarias & vtiles, vnde & domus ciuitatis felicitas pendet. E *Atomi principia rerum.* Hæc itaque enarraui, vt contrarietatem, quæ in eorum opinionibus est, patefacerem, & inquisitionem, rerum quam suscipiunt, & infinitum vagari, & nullo termino contineri, eorumque finem esse inexplicabilem atque inutilem: quippequod nullâ re euidenti, & ratione perspicuâ confirmetur.

LVCIFERI EPISCOPI Calaritani ad Constantium, Contantini Magni F. Imp. August. opuscula, per Ioan. Tilium Meldensem Episcopum edita, sunt autem hæc.

F

Luciferi Episcopi ad Constantium Imp. pro Athanas. Libri duo.
De Regibus Apostaticis Liber I.
De non conueniendo cum hæreticis, Liber I.
De non parcendo in Deum delinquentibus, Liber I.
De eo quòd moriendum sit pro Dei filio, Liber I.
Item Epistolæ Florentij ad Luciferum, & Luciferi ad Florentium, & Athanasij ad Luciferum.

Ex præfatione Ioan. Tilij Episcopi Meldensis ad Pium V. Pontificem.

SVPEREST vt enarrem, vtrùm operis istius author, vt & plerisque doctissimis, & ipsi quoque peritissimo diuinæ sapientiæ Salomoni euenisse dicitur, sub vitæ terminum in erroneam opinionem sit prolapsus, cum nonnulli Luciferianos illius discipulos in hæreticorum numerum ascribant. G Meum non est de tantis viris sententiam ferre, sed ingenuè dicam, eam tum fuisse Ecclesiæ integritatem, vt nullam prorsùs contentionem perciperet, quin è vestigio notaret: non quod insignes viros imaginationis vel opinionis cuiusdam occasione damnaret hæreseos, nisi eorum assertio etiam de re graui penitùs maiorum dogmatibus aduersaretur: Concordiæ tamen ac pacis Ecclesiæ adeò fuit studiosa, vt ne minimam quidem ansam seditionibus ac dissidiis præberi pateretur. Quapropter nihil huic magno confessori magis vitio vertitur, quàm nimia durities atque seueritas aduersus matris nostræ Ecclesiæ solitam indulgentiam & conuenientiam, quòd ab his recederet, qui Episcopos & Clericos in hæresim lapsos, & relictam à se fidem Catholicam repetentes, ad honorem & pristinum in Ecclesia munus recipiebant. H Narrant Ecclesiasticæ historiæ quomodo hæc acciderint, causamque dissensionis inter illum & Eusebium Versellensem: ac quoniam vbi hæreses ac schismata plurimùm regnant, nullus disciplinæ locus relinquitur, & mores magis inquinantur, ipse ac eius asseclæ hoc veluti colore vt viria & vitiosos fugerent, sese à fidelium societate segregabant. Ex elegantioribus sancti Hieronymi libris vnus adhuc nobis superest, qui aduersùs eos inscribitur. Quam tandem excusationem nostri temporis hæretici afferent, qui se eadem vestigia insequi iactitant? Sanctus etiam Augustinus in hunc ipsum Luciferum acriùs inuehitur, tanquam nimis morosum & difficilem, quòd de Christo, qui Ecclesiæ caput est, bene illi conueniat cum Catholicis, de corpore verò quod Ecclesia dicitur, non item, nec tamen eius sententiam de animarum generatione omnino damnat. Recentiores quibus minus fidei & authoritatis adhibetur, quique de eo tam certa exprimere minimè potuissent, pro libitu quicquid voluêre commenti sunt, ita vt loco vnius

A *dixit Dominus Deus ad Cain, Quare triſtis factus es, & quare concidit vultus tuus? quare non rectè obtuliſti? Peccaſti, quieſce,* &c. Et infrà. *Dixit Cain ad Abel fratrem ſuum, Eamus in campum, & factum eſt, cum eſſent ipſi in campo, inſurrexit Cain ſuper Abel fratrem ſuum, & occidit eum, & dixit Deus ad Cain, vbi eſt frater tuus? Et dixit, neſcio, nunquid cuſtos fratris mei ſum ego? Et dixit Deus, Quid feciſti hoc? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Nunquid non licuerat Deo priuſquam Cain conuocaret atque interrogaret, punire? ſed noluit, dans formam, quo genere inciperemus iudica commiſſos nobis, nobis inquam, de quibus per Ieremiam Prophetam dicit ad po-
Ier. 3. pulos ſuæ maieſtati dicatos: *Et dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent vos paſcentes cum diſciplina.* Damnate, inquis, eum, quem ignoratis deliquiſſe, Cur? nempe ad hoc vt iam non Epiſcopi, ſed mereremur nuncupari veſani atque carnifices. Non metuis, oro, hæc mandans, Domini ad Noë ſanctiſſimum dicentis vocem,
Gen. 9. *ſicut olera fœni dedi vobis omnia, præter carnem & ſangui-*
B *nem animæ non edetis. Etenim veſtrum ſanguinem animarum veſtrarum exquiram de manibus omnium beſtiarum. Exquiram animam hominis, qui effuderit ſanguinem hominis, pro ſanguine hominis effundetur, quia ad imaginem Dei feci hominem.* Non metuis oro, tantorum te qui videas interfectorem Dei extitiſſe ſeruorum, vt adhuc & ipſe innocentes iugules, & non participes fieri tuorum cogas funerum? Cum dictum à ſocero ſuo Iethro fuiſſet Moyſi:
Exod. 18. Cur tota detineret populum die. *Venit ad me* inquit, *populus quærens iudicium à Deo.* Igitur ſi iudicium Dei Antiſtitum tam decet eſſe iuſtum, quod Dei eſſe dicatur iudicio terminatum, quomodo tu inauditum iubebas damnari à nobis? Cum Moyſen inueneris dixiſſe, *Venit ad me populus quærens iudicium à Domino.* Si populus idcircò ad nos confluit, vt ſecundum Dei legem iudicetur, cur tu inquies, damnate innocentem? Iraque cum hoc præceptum quod prolatum eſt à te, non ſit veniens ex
C lege Dei, ſed ſit planè ex voluntate firmatum diaboli, tandem intellige, quiſnam ſis. Vxor Loth. conuerſa in ſalem eſt, quod implere nequiuerit imperata. Nobis, credo, interuentu tuo, quia videlicet ſis Rex Romani imperij, nihil accideret malorum, ſi falſis prægrauatum crimi-
Exod. 19. nibus damnaremus? ſacra Scriptura in Exodo: *Moyſes,* inquit, *aſcendit in montem Dei, & vocauit eum Deus de monte dicens: Hæc dices domui Iacob, & annuntiabis filiis Iſraël, ipſi vidiſtis, quanta fecerim Ægyptiis, & aſſumpſi vos tanquam ſupra pinnas aquilæ, & adduxi vos ad me, & nunc ſi auditu audieritis vocem meam, & cuſtodieritis teſtamentum meum, eritis mihi populus abundans præ omnibus gentibus. Mea eſt vniuerſa terra. Vos autem eritis mihi regnum ſacratiſſimum, & gens ſancta.* Quomodo gens ſancta, ſi innocentium fuerimus necatores? Quomodo regnum Deo ſacratiſſimum, ſi præcepta prætereamus
Exod. 20. eius? Item dicit Deus: *Non mœchaberis, Non occides, Non falſum teſtimonium dices aduerſus proximum tuum.* Tu inquis contra, Crede mihi dicenti falſa & macta in-
Exod. 23. nocentem. Monens Deus dicit in Exodo, *Non credes auditui vano, Non conſenties cum iniquo fieri teſtis iniuſtus,*
D *Non eris cum pluribus in malitia. Non appones cum compluribus declinare cum turba, vt declines iudicium, & pauperi non miſerearis in iudicio eius: Et infra: Non ſubuertes iudicium pauperis in iudicio eius, ab omni verbo iniquo recedes, innocentem & iuſtum non occides, non iuſtificabis impium pro muneribus. Munera enim excæcant oculos videntium, & peſtiferant ſermones iuſtos.* Ad hæc tu excludenda præcepta, ſubuertere iudicium eius ſeruos compellis, iuſtam tentans etiam muneribus noſtram corrum-
Exod. 23. pere dicatam conſcientiam Deo. *Si auditu,* dicit Deus, *audieris vocem meam, & feceris omnia quæ dixero tibi, inimicus ero inimicis tuis, & reſiſtam contrariis tuis.* Iam tuum ſit probare præcepiſſe Deum innocentes eſſe percutiendos, Apoſtolicam deſerendam fidem, & tuam ſuſcipiendam perfidiam. Cur hæc quæ mandatis Domini aduerſantur, fieri præcipiendum putaſti, cum etiam in Leuitico Dominum memineris dixiſſe ad Moyſen, *Loquere filiis Iſraël, & dices ad eos: Ego Dominus Deus*

veſter, ſecundum ſtudia terræ Ægypti, in qua inhabi- E
taſtis, in ea non facietis, & ſecundum ſtudia terræ Cana- Leu. 18.
næorum in quam ego induxero vos, ibi non facietis, & in legitima eorum non ambulabitis, iudicia mea facietis, & præcepta mea cuſtodite, & ambulate in eis, Ego Dominus Deus veſter. Cuſtodite omnia præcepta mea, & omnia iudicia mea, & facietis ea: qui fecerit ea homo viuet in ipſis. Ego Dominus Deus veſter. Si in præceptis Domini docere vales conſcriptum, iuſtos eſſe ad iniuſtorum ſuggeſtiones puniendos, rectè cuncta te egiſſe atque agere poteris aduertere. Doce in mandatis Dei conſcriptum, calumniis petitos eius cultores, à te domus eius perſecutore per nos Epiſcopos eſſe interimendos. Cur ad hanc per Coarrianos tuos deductus es implendam malitiam? quæ coëgit te cauſa imperatorem petere calumniis Dei hominem? Nunquid non legeras in Leui-
tico dixiſſe Deum, *Nolite mendacio petere, neque calumnie-* Leu. 19.
mini vnuſquiſque proximum, & infra: *Non mentiemini, neque calumniam facietis proximo, & nõ prophanabitis nomen*
Domini Dei veſtri. Ego ſum Dominus Deus veſter, non noce- F
bis proximo tuo, & timebis Dominum Deum, Ego ſum Do- 5
minus Deus tuus. Non facies iniquum in iudicio, Non accipias perſonam pauperis, neque miratus fueris ad perſonam potentis, in iuſtitia iudicabis proximum tuum, non ambulabis in dolo in gente tua, Non conſenties in ſanguinem
proximi tui, Ego ſum Dominus Deus veſter. Non [6] odies 6
fratrem tuum, ſenſu tuo corripiens corripies proximum tuum, & diliges proximum tuum ſicut te ipſum, Ego Dominus Deus veſter, legem meam cuſtodite. Hæc cum ſcripta memineris, exiſtimas acceptatores perſonæ nos
tuæ futuros? [7] Ad innocentis rogaſti necem, & cum 7
te contemptum aduertiſſes, tetendiſti temet ad genera omnia ingerenda pœnarum. Dicit Deus, *A facie diuitis ne timeas, & honorabis faciem presbyteri, & timebis Dominum Deum tuum, Ego ſum Dominus Deus tuus.* Et tu timeri te potuiſſes es arbitratus, & exhonorari Athanaſium, quem Deus præceperit honorandum? Non
legeras dixiſſe Deum, *Non facietis iniuſtè in iudicio, in* Leu. 19.
menſura, & in penſo, & in ſtateris, ſtatera iuſta penſabi- G
tis: & menſura iuſta eſt vt ſtatuiſſes fuiſſe per nos necandum abſentem? Si iuſtum iudicium audiri ſe pro-
clamantem, abſentem puniri, tuæ erunt † iuſtitiæ al- † *iuſta.*
legationes apud Deum contra nos, qui tuæ temeritatis præcepta reſpuerimus. In Deuteronomio reperitur glorioſus Moyſes dixiſſe ad iudices, quos populo de-
derat: *Audite inter fratres veſtros, & iudicate iuſtè inter* Deut. 1.
medium viri, & inter medium fratris, & in medio proſelyti eius non accipietis perſonam in iudicio aduerſus minorem, aut aduerſus maiorem iudicabitis, non perſonam hominis, quoniam iudicium eſt Dei: & vis Conſtanti, credo, quia ſis in ſublimitate degens regali, accipi tuam perſonam: es magnoperè cupiens eum, cuius ſis ſanguinem ſitiens, mactari per nos Domini ſacerdotes. Hinc itaque apud te nos deteſtabiles, quoniam iudicium ad Dei ſumus voluntatem promentes. Hinc ad gladium putaſti tendendam carnificem dexteram tuam, tanquam poſſis gladio
vincere, quos videres propter Dei filium, nec præſentem H
dubitare amittere vitam, nec perhorreſcere mortem. Ad filios Iſraël narrat ſanctiſſimus Moyſes ex præcepto Dei,
Videte, tradidit vobis Dominus Deus veſter ante faciẽ ve- Deut. 1.
ſtram terram, aſcendentes poſſidete, quemadmodum dixit Dominus patrum noſtrorum nobis, nolite timere neque formidetis. Si illis neminem præter Deum timendum mandatum eſt, illis imaginẽ noſtræ vocationis portãtibus, quantò magis præter Deum neminem metuere condecet, qui non terras Cananæorum, Iebuſæorum, & Gergeſæorum, atque Amorrhæorum ſimus deſiderantes conſequi, ſed cæleſtia regna, ſed Dei perpetuum amorem. Quomodo etenim vigor inanis dignitatis tuæ nos ab hoc potuit aut poteſt propoſito flectere, cum præter Deum ſtatuerimus metuendum neminem? non ſumus Chriſtiani ex illis,
qui dixerunt, *Propter quod odiit nos Dominus, eduxit nos* Deut. 1.
de terra Ægypti, tradere nos in manus Amorræorum, & diſperdere nos. Sed ſumus ex illis, qui dixerunt, ac dicunt ad Deum, *Propter te occidimur totâ die, æſtimati*

A Psal. 43. Rom. 8. *sumus, vt oues occisionis*, sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Non timuimus, neque timemus minas tuas nos, qui nouimus nihil posse Deo resistere, ne vt illi pereamus, qui audiunt à Moyse, Deut. 1. *Fratres vestri auerterunt cor vestrum dicentes* 8 *gens magna est, & dura multa, & potentior vobis, & ciuitates magnæ, & muratæ vsque ad cœlum, sed & filios Gigantum vidimus illic.* Non timemus gladium tuum Christiani, qui præsumamus prostraris vobis Dei religionis inimicis, venturos nos ad conuiuium Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum ac Martyrum. Non metuimus virtutem caduci regni tui, milites diuini: Non sumus ex illis diffidentiæ filiis, qui plùs inimicos suos, quàm Deum fuerant arbitrati potuisse, vt tuam fragilem vereamur potentiam: si enim non ita Iudæi credidissent, quod videlicet plus possent Cananæi, Iebusæi, & Amorræi, & cæteri inimici quàm Deus, 9 numquam profectò Moysis vocem superhabuissent dicentis: Deut. 1. B *Ne loquamini, neque formidetis ab eis, dominus Deus noster, qui antecedit ante faciem vestram, ipse simul expugnabit eos vobiscum, secundùm omnia quæcumque fecit vobis in terra Ægypti, & in deserto hoc quod videtis. Quomodo fouit te Dominus Deus tuus, sicut quis foueat homo filium suum, in omnem viam quam ambulastis, quoadvsque venistis ad hunc locum, deducens vos in igni nocte, ostendens vobis iter, vt ambularetis in eo, & in nube diei.* Si non post hæc salutaria monita, plùs potuisse quos contra pugnam gerebant, quam Deum filij Israël fuissent credentes, nunquam profectò ad omnem deuenissent interitum. Potentem igitur esse nouimus Deum ad eripiendos nos de manibus tuis, ad cœleste nobis regnum promissum tendentes, timere tuam crudelitatem non poterimus, maximè qui elegerimus à te, non à Deo puniri. Dixisti, Damnate Athanasium, quem eramus, Constanti, damnaturi, illumne quem videmus Dei filium confiteri, vt sunt confessi Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, ac Martyres? An te, qui sis negans, vt negauit magister tuus Arrius, vt negauerunt Iscarioth Iudas, & cuncti Iudæi. C Dicit Deus ad Moysen: Deut. 5. *Non erunt tibi Dij alij præter me, non facies tibi sculptile, neque omnium similitudinem eorum, quæcumque sunt in cœlo sursùm, & eorum quæ sunt in terra deorsùm, & quæcumque sunt in aquis subtus terram, non adorabis illa, neque seruies eis, quoniam ego sum dominus Deus tuus, Deus zelans, reddens peccata patrum in filiis, in tertiam & quartam progeniem, eis qui oderunt me, & faciens misericordiam in millibus his qui diligunt me, & his qui custodiunt præcepta mea.* Et hæc dicis diuina mandata calcanda: suscipite idololatriam meam, derelinquite Deum, interficite inimicum meum, non Dei, Athanasium, quo possitis inueniri inter eos, qui oderunt Deum, quibus promiserit se in tertiam & quartam progeniem redditurum. Date operam, ne cum illis diligamini à Deo, propter quos dicit, faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & his qui custodiunt præcepta mea. Conspicis, prudentissime Imperator, hoc tibi bonum videri, quod sit malum, & hoc malum quod bonum. D Aut negabis bonum, aut negabis bona te mala esse intelligere: & mala bona si negas, responde. Bonum est damnare innocentem, an malum? bonum est derelinquere Deum, & ire post Idololatriam, an malum? Si dixeris malum, dicetur tibi à nobis: Cur hæc tu geris? Iterùm clamat in Deuteronomio Moyses, dicens: Deut. 6. *Custodite mandata Domini Dei tui, & testimonia, & iustificationes quascumque mandauit tibi, & facies quod placitum est, & quod bonum ante Dominum Deum tuum, vt benefiat tibi: & intrabis, & hæreditate possidebis terram bonam, quam iurauit Dominus patribus vestris:* & tu hæc esse bona elegisti, hæc Deo placita, vt in contumeliam eius maiestatis idololatria firmetur per tui regni virtutem, & iugulentur hi, qui se eius fuerint confessi cultores. Deut. 11. *Ecce ego*, dicit Moyses, *dedi ante conspectum vestrum hodie benedictionem & maledictionem. Benedictionem, si audieritis mandata Domini Dei vestri, quæcumque ego mando vobis hodie.* Cum itaque illi sint benedicti qui innocentem non sint punientes, illi Domini seruantes

E mandata, qui inauditum damnare noluerint, tu quomodo te benedictum putas, cum per opus tuum te probes inter maledictos constitutum? aut si non inter maledictos es, cur Moysem spernis dicentem? Deut. 17. *Si autem inueniatur in te in vna ciuitatum tuarum, quas dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui fecerit malignum ante dominum Deum tuum, transire in testamentum eius, & venientes seruierint diis alienis, & adorauerint eos, aut soli, aut lunæ, aut omni, qui sunt in mundo, de cœlo,* & infrà, *Produces virum illum, aut mulierem illam, & lapidabitis eos in lapidibus, & morientur, in duobus testibus, aut in tribus morietur moriens, non morietur in vno teste, & manus testium erit super eum in primis ad occidendum illum, & manus totius plebis postremò, & tolles malignum ex vobis ipsis.* Si non es, Constanti, currens cum maledictis, cur non mandatis Dei serui paruisti Moysis? Cur cum ille dicat, Duobus tribúsue testibus etiam idololatram perire, tu nec quidem audientiam volueris præberi viro Deo dicato, eíque negare fecisti audientiam, cui sis traditus à Deo, ei inquam cui, si iusta defendenti restiteris, morte mori iussus ore fueris Moysis? F Vt enim iudicia sacerdotis maneant inuiolata, dicit sic: Deut. 17. *Exurgens ascendes in locum quocumque elegerit Dominus Deus tuus inuocari nomen eius ibi, & loquere ad Sacerdotes Leuitas, aut ad iudicē, quicūque factus fuerit in diebus illis, & requirētes nunciabunt tibi iudicium, & facies secundùm omne præceptum quodcumque nuntiauerint tibi, qui sunt in loco illo, in quo elegit Dominus Deus tuus inuocari nomen illius ibi, & obserua te nimis: facies secundum omnia quæcumque constituerunt tibi secundùm legem, & secundùm iudicium quodcumque dixerint, facies: non declinabis à verbo, quodcumque nuntiauerint tibi facies, quodcumque indicauerint tibi, non declinabis dextrâ aut sinistrâ: & homo quicumque fecerit in superbia, ne audiat sacerdotes adstantes officia exhibere in nomine Domini Dei, aut iudicem, quicumque fuerit in diebus illis, morietur homo ille, & tolles malum de Israël, & omnis populus audiens timebit, & impiè non aget vltra.* G Sed dicis, isto in loco Deo deuotissimus Moyses quomodo Sacerdotum fecit mentionem, sic & iudicis. Proba te super nos factum iudicem, proba ad hoc te constitutum Imperatorem, vt nos armis tuis ad omnem implendam voluntatem amici tui diaboli perduceres, cum probare non possis quia præptum sit tibi, non solùm non dominari Episcopis, sed & ita eorum obedire statutis, vt si subuertere eorum decreta tentaueris, si fueris in superbia comprehensus, morte mori iussus sis. Quomodo dicere poteris, iudicare te posse de Episcopis, quibus nisi obedieris, iam quantum apud Deum, mortis pœnâ fueris mulctatus? Cum hæc ita sint, tu qui es prophanus, ad Dei domesticos, quare istam sumis in Dei Sacerdotem auctoritatem, cum etiam ipsos iudices Iudæos, tunc quando in lege manebunt Dei, ex genere habere permiserit suo? Deut. 17. *Si enim*, inquit Moyses, *dixeris, statuam supra me principem, quomodo & reliquæ gentes, quæ in circuitu meo constituens constitues super te ipsum principem quemcumque elegerit Dominus Deus tuus, ipsum de fratribus vestris constitues: non poteris constituere super te hominem alienigenam, quoniam non est frater vester.* H Et subsequitur, cur noluerit alienigenam fieri principem, ne scilicet ad sectam suam traheret alios. Propterea dicit, ne reuoces nos in Ægyptum, hoc est, ad idolorum cultum, quasi dicat, Quis es tu, inquam, qui tibi vsurpasti hanc auctoritatem, quam tibi Deus non tradidit, & si traderet, & 10 inter te esse permitteret, primo in loco Christianum te esse oportuerat, qui scelus esset alienigenam Dei seruos iudicare, inimicum religionis domesticos Dei. Deinde si fuisses Christianus, & te participem censuisset Deus sacerdotibus fieri ad 11 regendum populum eius, accipe qualem te esse præcepit in Deuteronomio, Deut. 17. *Et erit cū sederit in principatu suo, scribet hoc in libro ante Sacerdotes & Leuitas, & erit cum ipso, & leget eū omnibus diebus vitæ suæ vt discat timere Dominū Deum suum, custodire omnia mandata hæc, & iustificationes has facere, vt non extollatur cor eius à fratribus suis, & non transgrediatur à mandatis dextra aut sinistra, vt longiturni*

temporis

A *temporis sit in principatu suo, ipse & filij eius cum ipso in*
filiis Israel. Quid tu huiusmodi habes, nisi omnia con-
traria, nisi cuncta, quæ Dei impugnent domum? Primò
es hæreticus, deinde persecutor Dei domesticorum, co-
natus es ac conatis ad Athanasium iugulandum, tanquam
is homo qui non memineris scriptum esse, *Si fuerit homo*
Deut. 19 *odiens proximum, & † insidiatur eum, & surrexerit in eum,*
† pro insidiatur ei. *& percusserit eum animo, & mortuus fuerit, & fugerit in*
vnam ciuitatem harum, mittent seniores ciuitatis illius, &
accipient eum inde, & tradent eum in manus exquirentium
sanguinem, & morietur. Non parces oculo tuo super eum, &
mundabis sanguinem innocentis ex illis, & bene tibi erit: &
iterùm, *non manebit testis vnus in testificationem aduersùs*
hominem secundùm omnem iniquitatem, & secundùm omne
peccatum, quodcumque peccatur: in ore duorum testium aut
trium stabit omnis sermo. Si autem steterit testis iniustus ad-
uersùs hominem, detrahens ei iniquitatem, stabunt duo homi-
B *nes, quibus est ipsis contradictio ante dominum & ante sa-*
cerdotem, & in conspectu iudicis, quicumque fuerit in diebus
illis, & interrogabunt diligenter iudices, & ecce testis iniu-
stus testificatus est iniqua, resistens aduersus fratrem suum, &
facite ei, quemadmodum nequiter egit facere aduersus fra-
trem suum, & auferetis iniquum ex vobis ipsis, & cæteri au-
dientes timebunt, & non apponent amplius facere verbum
malignum hoc in vobis. Non parces oculis tuis super eum,
animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, ma-
num pro manu, pedem pro pede. Cum cernas hæc fieri, de
te, homicida, Deum statuisse, dicas, quæso, quid sit aliud
dicere, damnate eum quem scitis innocentem, facite con-
tra Dei mandata, nisi, euellite corda, tollite vobismet sen-
sus, vltrò iugulate vestras animas, licet videntes quia fo-
uea sit, fingite vos cæcos, præcipitesque vosmet date in
æternam voraginem, mergite in eam foueam à qua non
vos eripi posse cernitis, vobis ipsis vitam auferte, sumite
perpetuam mortem. Quid est aliud dicere, fac quod Deus
fieri prohibuit? nisi, estote inimici Deo, acquirite vobis
Diabolum amicum, date operam ne consequamini para-
C disum, ne denique regnum cælorum quod vobis promisit,
si mandata eius seruaueritis, Deus: amate inferna, diligite
stagnum ardentem, desiderate esse cum omnibus qui sunt
semper dantes pœnas, desiderate dici homines Diaboli.
Hæc sunt præmia, quæ tua egregia conquirunt consilia,
hæc illa optima quæ mortem pariunt sempiternam, hæc
quæ demergunt hominem cœlo iam proximum ad infer-
na! Adhuc non sciebas scriptum, vt ad hæc nos rogares
Deut. 25. mala gerenda? *Non erit in sacco tuo pondus, & pondus ma-*
ius aut minus non erit in domo tua, mensura & mensura ma-
ior & minor, pondus verum & iustum erit tibi, & mensura
vera & iusta erit tibi, vt multorum dierum sis, & bene tibi
sit super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in sor-
tē, quoniam abominabilis est Domino Deo tuo omnis qui fa-
cit hæc, omnis qui facit iniqua. Pondera integra, & mensu-
ras iustas qui non seruauerit, abominabilem eum esse
cum sacris referatur literis, credo nos acceptissimos tunc
fore putasti, si iniustè in eum protulissemus iudicium.
Deut. 27. Moyses, *maledictus*, inquit, *qui transfert terminos proxi-*
D *mi*: proximi euellere, & de loco transferre in locum pro-
hibemur terminos, & tu, egredimini dicis, Dei sacerdo-
tes, terminos iustitiæ, *maledictus*, inquit Spiritus sanctus
Deut. 27. ore Moysi, *quicumque declinauerit iudicium aduenæ, orpha-*
ni, & viduæ, & tu ludos tibi præbens de nostro sanguine,
dixisti, punite eum quem ignoratis deliquisse. Nolui-
mus, Constanti, esse tecum maledicti, te magis cupien-
tes sumus, nobiscum benedictum in sancta inueniri Ec-
clesia. Non tuam audimus vocem, quæ nos Dei incurrere
offensam prouocat, sed audimus vocem Moysis serui Do-
Deut. 28. mini, dicentis: *Et erit, si non audieris vocem Domini Dei*
tui, vt custodias & facias omnia mandata eius quæcumque
ego mandabo tibi hodie, & venient super te omnes maledi-
ctiones hæ, & inuenient te. Maledictus tu in ciuitate, male-
dictus tu in agro, maledictæ apothecæ tuæ, & quæ sunt reli-
qua tua, & maledicti filij tui ventris, & nascentia terræ tuæ,
armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum, maledictus
tu in gressu tuo, mittet tibi Dominus tædium & thlipsen, &
anxietatem in omnia quocumque immiseris manum tuam,
quæcumque facies, quoadusque disperdat te in breui propter E
nequitiā studiorum tuorum. Si non sunt mala studia, falsa
mittere crimina, persequi Dei cultores, Dei idololatriam
introducere in Ecclesiam, manu militari iugulare creden-
tes in vnicum Dei filium, poterunt hæc maledicta non te
ac tecum apprehendere currentes? Conuocasti nos ad
Dei sacerdotem iugulandum, ad eum interimendum, per
quem te præcepta sua audire sanxerit Deus. *Et scripsit* Deut. 31
Moyses verba legis huius in libro, & dedit eum sacerdoti-
bus & Leuitis, qui tollunt arcam testamenti Domini, & pres-
byteris Israël, & mandauit eis Moyses in illa die dicens,
Post septem annos in tempore anni remissionis in die festo sce-
nepegiæ in coëundo, omnem Israël apparere in conspectu Do-
mini Dei tui, in loco quem elegerit, legetis hanc legem in con-
spectu Israël, in auribus eorum, conuocatis in Ecclesiam vi-
ris & mulieribus & natis, & proselytis, qui fuerint in ciuita-
tibus vestris, vt audiant & discant timere Dominum Deum
vestrum, & audiant facere omnia verba legis huius, & filij
eorum qui nesciunt, audientes discent Dominum Deum ve- F
strum omnibus diebus, quibus ipsi viuunt super terram. Per-
sequeris eum per quem te audire præceperit Dominus,
agente eo in rebus humanis,[12] cohæreticum tuū † Geor- 12
gium mittis successorem, cum tametsi fuisset liberatus † de huius falsa institutione vide Hist. Eccles.
iam Athanasius, & corpore, tibi non licuerit mittere, sed
fuerit ac sit in Dei manu, quem fuisset dignatus populo
suo antistitem instituere, per seruos videlicet suos, hoc
est, Catholicos Episcopos. Neque enim posset imple-
ri virtus Spiritus sancti ad Dei gubernandum populum,
nisi is, quem Deus [13] elegisset, cuique manus per Catho- 13
licos Episcopos fuisset imposita, sicut defuncto Moyse,
impletum Spiritu sancto inuenimus successorem eius
Iesum Naue. Loquitur Scriptura sancta dicens, *& Iesus*
filius Naue, impletus est spiritu intelligentiæ. Imposuerat Deut. 34
enim Moyses manum super eum, & audierunt eum filij
Israël, & fecerunt secundū quod mandauit Dominus Moysi.
Conspicis ordinationi Dei te obuiam isse, contra Dei fa-
ciendo voluntatem, temet mucrone gladij tui iugula-
tum, siquidem non licuerit ordinari nisi fuisset defunctus G
Athanasius, & defuncto Athanasio, Catholicus debueris
per Catholicos ordinari Episcopos. Loquitur sacra scri- Iosue 1.
ptura dixisse ad Iesum Naue Deum, *Moyses seruus meus*
defunctus est; nunc itaque surgens transi Iordanem tu, & om-
nis populus, iste in terra quam ego dabo illis, omnem locum
quemcumque ingressi fueritis vestigio pedum vestrorum, vobis
dabo illum, sicut dixeram Mosi, desertum & ante Libanum
vsque ad flumen Euphratem, & vsque ad mare magnum,
vsque ad solis occasum erunt fines termini vestri. Non resi-
stet homo in conspectu tuo per omnes dies vitæ tuæ, & sicut
eram cum Moyse, sic erò tecum, & non derelinquam te, ne-
que despiciam te, Nunquid potest Deus esse cum inimico
suo Georgio? nunquid ei quem non ordinauerit, quem
non elegerit, poterit esse propitius? Talis est Georgius,
qualis fuerat Arrianus, quales qui sunt Valens & Vrsa-
tius, vel ad quem me destinasti Germanensium, Adoxius:
neque enim possent nisi de spinis spinæ procedere. Hæc
ita se habere ex actibus ipsius Georgij legens contesta-
tiones Alexandrinorum poteris colligere: & quamuis ti- H
bi sceleratum blasphemū illum esse placeat; neque enim
aliter tibi esset amantissimus, nisi quia sit sceleratus, tamē
hæc eò protulerim,[14] vt eximiam possis cernere operam
tuam. Cum igitur non esse Deum cognoscas cum Geor-
gio, sed esse cum Athanasio, quem populo suo instituerit
antistitem, cognoscere tandem poteris Dei te ordinatio-
nem fuisse conatum destruere, Deum te fuisse in Athana-
sio persequutum. Audis enim dicere Deum ad Moysis
successorem, *Sicut eram cum Moyse sic ero tecum, & non* Iosue 1.
derelinquam te, neque despiciam te. Et in alio loco, *Inua-*
lesce & viriliter age, [15] *custodi & fac sicut præcepit tibi* 15
Moyses puer meus, & non declinabis ex illa dextra aut sini- Iosue 1.
stra, vt intelligas in omnibus quæcumque agis, & non recedet
liber legis huius ex ore tuo, & meditaberis in eo die ac nocte,
vt custodias facere vniuersa quæ scripta sunt: tunc dirigam
vias tuas, & tunc intelliges. Ecce præcepi tibi, Inualesce &
viriliter age, non est quod expauescas, neque timeas, quoniam
tecum est Dominus Deus tuus in omni loco. Iam superest te,

A siue tu, siue Georgius, quæ geritis si sunt venientia ex Dei mandatis, probate. Audis enim promittere se Deum futurum cum successore Moysis, quomodo fuerit & cum Moyse, si modo quæ sunt in libro legis scripta seruauerit. Si igitur vt hæc geras scriptum non inueneris, tuæ erit æquitatis tandem aduertere vobiscum Arrianis non esse Deum, sed illum in vobis mansitare, qui manserit & in Cain. Quæ te causa ad hæc, Constanti, impulit gerenda, vt potentiâ regni tui ad tantam perductus superbiam statuisses eum necandum: quem Deus [16] sibi in sacerdotali honore elegerit?

16 Non inueneras in nono Hieremiæ capite scriptum, (Ierem. 9.) *Non glorietur sapiens in sapientia sua, neque glorietur potens in virtute sua, neque glorietur diues in diuitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur scire & intelligere Deum, & facere iudicium & iustitiam in medio terræ.* Cur hæc præteriens, qui in omni tempore iudicium iustum facere debueras, iniustitiam tecum etiam nos facere cogebas? Deponi per nos decreuetas Catholicum, firmari

B verò hæreticum; sed quando istud sanæ fecissent mentis homines? si enim Heli sacerdos, quod filios in sacerdotij honore constituisset indignos illa audit, quæ perpessus est à domino, quid nos audire ac perpeti meteremur, si Catholicum Episcopum damnantes, & quidem inauditum, sineremus Georgium fieri Arrianum, Alexandrinis Episcopum? *Et venit*, inquit, *homo Dei, & dixit:* (1.Reg.2.) *Hæc dicit Dominus, manifestè ostendi me ad domum patris tui ex omnibus tribubus Israël, mihi in sacerdotiū vt ascenderent ad sacrificium meum, & incenderent incensum, & tollerent Ephod. Et dedi in domo patris tui omnia frumenta filiorum Israël in escam, & tu quare respexisti in incensum meum ad sacrificium meum improbo oculo, & honorificasti filios tuos plusquàm me, vt benediceres eos à primordio in omnibus sacrificiis Israël coram me? propter hoc hæc dicit Dominus Israël, Dixi, domus tua, & domus patris tui † trāsiet coram me vsque in æternum, & nunc non est.* Sic dicit *Dominus, nequaquam mihi non sic erit à me, quoniam honorificant me, honorificabo eos, & qui spernit me ad nihilum redigetur: & ecce dies veniunt, & disperdam semen tuum, &*

C *semen patris tui, & non erit tibi senex in domo mea omnibus diebus, & virum disperdam à sacrario meo, vt deficiant oculi eius, & defluet anima eius, & omnis quæ superauerit multitudo è domo tua, decidet in gladio virorum, & hoc tibi signum quod veniet super duos filios tuos hos Ophni & Phinees, in vno die morientur ambo gladio virorum.* Si hanc ille accepit increpationem pro filiis à Deo, qualem nos meteremur accipere pro te, Constanti? credo dictum fuisset nobis, plus honorificastis Constantium, quàm me, quomodo illi dictum est, quod plus honorificauerit filios, quàm Deum; qua inquis, de te? Quia si tua fecissemus præcepta, Domini inueniebamur spreuisse, quia Georgius sit, vt fuerint filij Heli, filius pestilentiæ, quem tu loco Dei hominis Athanasij collocandum per nos censueras. (1.Reg.2.) Deinde cum dicat Deus, *Qui me honorificauerit honorificabitur, & qui me spernit, ad nihilum redigetur.* Si tuam contra ipsius diuina mandata prolatam vocem sacrilegam audiremus, honorificaueramus Deum.

D An si te nihil esse iudicantes illius tantum sacris statutis parere niteremur? Intereà tu gaude, quia sis exhonorans Deum. Audis enim ipsum dicentem, quod venturi sint ad nihilum omnes eum spernentes. An negabis te exhonorasse Dominum, tollendo Sacerdotes è plebibus, quos ordinauit ille? An negabis te exhonorasse Dominum, quando contra sancita ipsius coëgeris Sacerdotes eius damnare absentem, inauditum, & quidem falsis criminibus per te ac tuos peritum? † Non ergo exhonorasti Deum, quando tuleris Apostolicam atque Euangelicam traditionem, & idololatriam, quam Arrius ædificauerit in corde, Diabolus statueris ab hominibus cultoribus teneri Dei? cum hæc ita sint, iam tuæ erit prudentiæ æstimare, quid tibi agendum expediat, vtrúmne hic corrigens errores tuos, consecutus veniam tantorum scelerum, inter Dei inueniri statuas domesticos, an redactus ad nihilum, sicut promittit spernentibus se dominus, incipias in perpetuum dare pœnas, quas dant hi quorum tenere delegeris itinera, & vt planè videre pos-

† Pro transibit.

† Hic nō accipit pro nonne suo more.

sis, quæ te maneant pericula, propterea quod sis exhonorans diuinitatem, accipe Samuelis etiam quæ dicantur propter Heli filios. E *Et dixit Dominus ad Samuel: Ecce* 1.Reg.3. *ego facio verba mea in Israël, & omnis qui audierit ea, tinnient vtraque aures eius in illo die, quo suscitabo super Heli omnia quæ locutus sum in domo eius, & consummabo quæ prædixi ei, quoniam ego vlciscor in domo eius vsque in æternum propter iniquitatem filiorum eius, quam ego scio, quoniam contemnentes dominum mala locuti sunt filij eius, & non monuit eos neque castigauit, & nunc sic iurauit domui Heli, si propitiabitur iniquitas in domo Heli, in incenso, aut in sacrificiis in sempiternum.* Si hæc Heli sunt promissa propter delictum filiorum, quid tibi propter sacrilegium tuum? Si illi hæc in æternum sunt promissa, quid tibi agenti tanta? Si filios Heli dixit Deus malè locutos de se, quantò magis dicat te, qui suscepisti Arrij blasphemiam ad impugnandam scilicet fidem, quam Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, & omnes tenuerunt Martyres? F Rogamus te inter hæc gerere factorum tuorum pœnitentiam, considerans saltem quæ filiis Heli exhonorantibus Deum acciderint. *Heli*, inquit scriptura, *senex erat valde,* 1.Reg.4. *& filij eius euntes abierant, & erat maligna via eorum coram domino, & factum est in diebus illis, & conuenerunt alienigenæ in pugnam ad Israël.* Et infrà: *Et inclinauit pugna, & cecidit vir Israël coram alienigenis, & vulnerati sunt in acie in campo quatuor millia hominum, & venit populus in castra, & dixerunt maiores natu Israël, propter quid deficere fecit nos hodie Dominus coram alienigenis? Tollamus igitur arcam Domini Dei nostri ex Selon, & exeat in medio nostrûm, & liberabit nos de manibus inimicorum nostrorum, & misit populus ad Selon, & sustulerunt inde arcam Domini, vbi sedebat Cherubin & ambo filij Heli cum arca Dei ibant Ophne & Phinees,* & infrà, *expugnauerunt illos, & defecit vir Israël à conspectu alienigenarum, & fugit vnusquisque in tabernaculum suum, & facta est plaga magna valde, & ceciderunt ex Israël xxx. millia virorum, & arca Dei capta est, & ambo filij Heli mortui sunt.* & infrà: *& vir properans accessit ad Heli, dixitque ei, ego sum* H *qui veni de castris fugiens de prælio hodie, & dixit Heli, qui sermo factus est filiole, & respondit & dixit, fugit vir Israël à facie alienigenarum, & facta est plaga magna in populo, & ambo filij tui mortui sunt, & arca Dei capta est. Et factum est cum audisset, arca Dei capta est, cecidit supinus de sella iuxta portā, & † contribulatum est dorsum eius, & mortuus est, quoniam senex erat & grauis homo, & ipse iudicabat in Israël xx. annis.* Si hæc mala Heli sacerdoti & iudici Israëlitarum vno die venerunt, propterea quod non vt fuerat dignum, suos castigasset filios, quid tibi religionis Dei destructori cernis venturum, isto in loco probandum tibi censui. Quod enim ex Dei veniat voluntate, vt nos eius serui subiiciamur vobis persecutoribus nostris, dixisse te non negabis, nisi nostra fides, hoc est, hæc quæ dicitur à Lucifero Arriana, fuisset Catholica, nunquam in omnes plebes accepissem potestatem. Si ita est, potuit & illorum allophylorum, qui arcam ceperant Dei quisquam fuisse melior quàm est Dei cultor, vtique tu dicis fidem tuam, quam nos nouimus hæreticam, hoc tibi præstitisse. H Sed & Maxentius, Nero, & cuncti illi persecutores domus Dei dixerunt Deorum suorum potētiâ fuisse factum, vt Christiani sub illorum ditionem veniremus. Percurre quæ acciderint illis, qui arcam se Dei cepisse lætabantur, qui virtute Deorum suorum vicisse se Israëlitas dicebant, & inuenies vnum te ex illis qui Dei fuerint domum persecuti. *Et alienigenæ abstulerunt arcam Dei ex Abenezer,* 1.Reg.5. *& intulerunt illam in Azotum, & sustulerunt alienigenæ arcam, & intulerunt illam in domum Dagon, & collocauerunt illam iuxta Dagon, & manè vigilauerunt Azoti, & intrauerunt in domum Dagon, & viderunt: & ecce Dagon cecidit in faciem suam ante arcam Dei, & sustulerunt Dagon, & statuerunt in locum suum, & grauata est manus Domini super Azotos, & cruciabat illos, & percussit illos in domibus eorum in Azotum, & regiones eius. Et factū est, cum ante lucē vigilassent, & Dagon ceciderat in faciē ante arcam testamenti Domini, & caput Dagon, & ambo vestigia manus eius ablata erant per partes centum, & ambo articuli*

† Id est, confractū est atque contusum ex lapsu.

manus.

A *manus illius ceciderunt in limen.* Et infrà : *Et grauata est manus Domini super Azotum,& induxit illis mures, & facta est confusio mortis magna in ciuitate, & viderunt viri Azoti, quoniam sic est,& dixerunt, quoniam non sedebit arca Domini Dei Israel nobiscum,quoniam dura est manus illius super nos,& super Dagon deum nostrum,& mittunt,& conuocant reliquos alienigenarum ad se,& dicunt,Quid faciemus de arca Dei Israel? & dixerunt Gethei, Transeat arca Dei Israel in Geth. Et factum est,postquam translata est arca Dei,facta manus Domini in ciuitate,& est facta turbatio magna valde,& percussit viros ciuitatis à minimo vsque ad maximum, & ebulliuit illis mures in sedibus,& fecerunt sibi Gethei sedes pelliceas,& miserunt arcam Dei in Ascalonem. Et factum est, vt intrauit arca Dei Israel in Ascalonem,exclamauerunt Ascalonenses dicentes, vt quid misistis arcam Dei Israel ad nos,vt morti tradat nos,& populum nostrum?& mittunt & conuocant regulos alienigenarum,& dixerunt:Remittite arcam Dei Israel,& reducatur* B *in locum suum,& non morti dabit nos,& populum nostrum, quia acta est confusio grauis in ciuitate tota,grauis valde,vt intrauit arca Dei:& qui viuebant, & non sunt mortui, percussi sunt sedibus suis, & ascendit clamor ciuitatum vsque ad cœlum.* Vides, Constanti,quomodo sinat Deus noster humiliatam videri religionem suam à vobis alienigenis, & eò quidem vsque humiliatam, donec etiam vos persecutores veræ religionis, videatis non esse Deum alium præter Deum nostrum. Sed vt iterum ad Athanasij redeam causam, numquid non sciebas scriptum in regnorum libro primo, 1.Reg.7. *Et Samuel iudicabat populum Israel in omnibus sanctificationibus*, vt imperandum putares per domini sacerdotes fuisse damnandum innocentem? Legisti Samuel,quod in omni sanctificatione iudicarit populum Dei,& quia nolumus ab hac recedere iusta via iudicandi, perpetimur persecutionem à te. At hoc non nouum,quando Saul persecutus fuerit iustum Samuelem (* Pro quia, & aliquādo pro cum.) * cur ei vera dixerit,equidem eum per quem fuerit in regem vnctus,per quem eum dominus ad tantam prouexerat gloriam, C persequebatur Saul domini prophetam atque sacerdotem, quia non compos fuerat mentis: Saul alioquin quomodo sospes persequeretur eum, quem sciret Dei ministrum, Dei spiritu plenum; persequebatur eum, quem iugiter propter persecutoris ignorabat ingemuisse salutem. Loquitur in lib. 1. regum scriptura dixisse dominum ad Samuel : 1.Reg. 16. *Vsquequo luges tu in Saul?ecce expello illum, ne regnet super Israel, imple cornu tuum oleo, & veni, mittam te in domo Iesse vsque in Bethlehem, quoniam vidi in filiis Iesse mihi in regem, & dixit Samuel: quomodo ibo, ne audiat Saul,& occidat me?*eum quærebat consumere, quem iam multis meminerat modis Dei esse hominem. Homo Dei veniam persecutori poscendo non desistit, contra pestilentiæ factus filius eius auferre animam quærit, eò etenim vsque persecutor extiti Samuelis Domini sacerdotis Saul, vt dixerit Domino dicenti sibi, *Veni mittam te,& quomodo ibo, audiet Saul, & occidet me.* Conspicis, Constanti, recedentibus vobis à Deo non vos homines, sed feras, sed belluas, atque latrones D æstimari, aut numquid in hoc, quod Athanasium iniustè persequeris, non eris Sauli comparandus? quando sis ita iugulare cupiens innocentem Athanasium, quomodo & ille fuerit interficere desiderans,non solum Samuelem, sed & Dauid.Eos Saul nempe interficere minabatur,cum quibus cognoscebat esse Deum. *Et vidit*,inquit scriptura, . Reg. 8. *Saul,quoniam Dominus cum Dauid est, & omnis Israël diligebat eum, & magis adiecit Saul timere à facie Dauid,* . Reg. 9. *& loquutus est Saul ad Ionathan filium suum, & ad omnes pueros suos occidere Dauid.* Responde, Imperator impudentissime, si hæc gerere potest Dei habens spiritum,quo Saul cœpit hæc gerere tempore? nempe quo per Samuel maledictus reprobatus est, eodem etenim tempore scriptum est, recessisse Dominum ab eo, cum Dauid verò fuisse. Quibus rebus probatur vos esse Arianos sine spiritu Dei, qui persequimini Athanasium virum plenum -Reg. 8. spiritu S. *Et erat*,inquit, *Dauid in omnibus viis suis sapiens, & Dominus erat cum illo, & omnis Israël & Iuda diligebant Dauid.* Igitur vt ea te agere possis cognoscere circa

E Athanasium, quæ egerit Saul circa Dauid, accipe scriptum,*Et Ionathan filius Saul diligebat Dauid valde,& indicauit Ionatha Dauid dicens, Saul quærit occidere te*, 1.Reg.19 & infra:*& loquutus est Ionatha ad patrem suum dicens:Noli peccare,Rex,in seruum tuum Dauid,quoniā non peccauit in te, & facta tiua bona sunt valde, & posuit animam suam in manibus suis,& occidit alienigenam,& fecit Dominus salutem in Israël,& omnis Israël viderunt & gauisi sunt. Et,vt quid peccas in sanguinem,& occidere vis Dauid sine causa? & audiuit Saul vocem Ionathæ filij sui,& iurauit Saul dicens, viuit Dominus, si mortuus fuerit Dauid,* & infra; *Et adiectum est bellum fieri, & inualuit Dauid,& expugnauit alienigenas, & percussit illos plaga magna,& fugerunt à facie Dauid, & factus est in Saul spiritus malus, & ipse in domo sua dormiebat, & erat in manu eius lancea, & ecce psallebat in manibus suis, & quærebat Saul percutere lancea Dauid, & percussit, & declinauit Dauid à facie Saul, & percussit lancea in parietem, & Dauid fugit, & saluus* F *factus est,& factum est in illa nocte,& misit Saul nuncios ad domum Dauid,vt custodirent illum,quo mane occideret illum,& Dauid fugit,& saluus factus est,& venit ad Samuel in Armathen,& renunciauit ei omnia quæ fecit Saul*,& infra,*& factus est iratus in Ionathan Saul valde*,& infra, *& dixit,Mitte hæc,accipe iuuenem,quoniam filius mortis est, & respōdit Ionathas patri suo,quare morietur,quid fecit?& sustulit Saul lanceam in Ionathan vt occideret eum.* Cui parceret Saul,vera sibi dicenti,quando nec filio pepercerit?Sic estis prætereuntes Dei mandata, atque vestra statuentes,denique non miramur, si quia dicitur,non potest damnari absens, domini persequaris sacerdotes, quando videamus sic fuisse Deo famulantes persequutum Saul. Loquitur scriptura dicens, 1.Reg.22 *Et dixit rex, morte morieris Abimelech,& tu & omnis domus patris tui*,& infrà:*Et dixit rex cursoribus,& stantibus sibi,Adducite,& occidite sacerdotes Domini,quoniam manus eorū cum Dauid est, quoniā cognouerant quòd Dauid fugeret,& non decooperuerunt aurem meam & noluerunt pueri Regis ingerere manus suas aduersus sacerdotes Domini.* H Quid dicis æquissime Rex, si illi Regis pueri noluisse referuntur obedire imperio Regis,si illi contempsisse monstrantur præcepta Saul, ne contra Dei fecissent mandata? Nos episcopos fuerat dignum Domini calcantes præcepta, implere tua sacrilegi homicidæ?Idcirco ergo nos dignaris persequi, quia non domini mandatis tua anteponamus,hæc fecit & Saul,quę 1.Reg.22 ita esse probat sacra scriptura dicens, *& dixit Saul ad Doeg,conuerte te in obuiā sacerdotibus Domini, & conuersus est Doeg Syrus,&* [17] *mortificauit ipse sacerdotes Domini,* 17 *& occidit illa die trecentòs quinque viros,& omnes portātes ephod &* [18] *Oben,ciuitatē sacerdotum occidit in ore gladij* 18 *à viro vsque ad mulierem,& ab infante vsque ad nutrientē.* simili nunc modo conatus es,atque conaris eorum laniare corpora,quos videas præceptorum Dei memores tuo reniti præcepto. Non itaque mirari poterimus, si tu nos persequaris,quando videamus Saul,quod non seruū Domini Dauid in manus tradiderint eius,non solum trecentos quinque sacerdotes,sed & totam perdidisse ciuitatē. Persequebatur Saul Dauid, eum, in cuius * ditione cum (Pro potestate.) fuerit,sæpe tamen ei ignouerit,& factum dicit scriptura, *cum reuersus esset Saul post alienigenas, & renunciauerint ei dicentes,ecce Dauid in deserto Gaddi est,& sumpsit secū* 1.Reg.24 *tria millia virorum electorum ex omni Israël,& abiit quærere Dauid,& viros eius ante faciē venationis ceruorum,& venit ad greges ouium,*[19] 19 *quæ erant ad viam,& erat ibi spelunca, & introiuit Saul ad sellam, & Dauid & pueri eius interius speluncæ sedebant,& dixerunt viri Dauid ad eum, ecce dies hic quem dixit Dominus, Tibi dabo inimicum tuum in manibus tuis,& facies ei quæ placita sunt ante oculos tuos,& exsurrexit Dauid,&* [20] *dempsit pinnam chlamy-* 20 *dis Saul occultè:& factū est post hæc, & percussit cor Dauid eo quòd dempsisset pinnā chlamydis,& dixit Dauid ad pueros suos,non mihi contingat à Domino si fecero hoc verbum Domino meo,Christo Domini inferre manū meā in eum,quia Christus Domini hic est,& suasit Dauid viros suos verbis,& nō permisit illis,vt surgētes occiderēt Saul,& surrexit Saul, & descēdit in viā,& exiit Dauid post Saul dicēs:Dn̄e Rex,*

A *& respexit Saul post se, & inclinauit se Dauid in faciem suam super terram, & adorauit eum, & dixit Dauid ad Saul, quare audis verba populi dicentium, ecce Dauid quærit animam tuam, & ecce in hac die viderunt oculi tui, quo-*
21 *modo tradidit te Dominus hodie in manibus meis in* [21] *spe-*
leo, & nolui te occidere, & peperci tibi, & dixi, Non mittam manum meam in Dominum meum, quoniam Christus domini est, qui accepi pinnam chlamydis tuæ in manu mea, & ego abscidi laciniam chlamydis tuæ, & non occidi te. Cognosce & vide hodie quoniam non est in manu mea malitia, neque iniustitia, & non peccaui in te, & tu quæris animam meam accipere: Iudicet Dominus inter me & te, & vindicabit me de te, manus autem mea non erit in te, sicut dicitur parabola antiqua, ex iniquis exiet nequitia, manus autem mea non erit in te retrò, quem tu persequeris canem mortuum, & retrò pulicem vnum, fiat Dominus in iudicem & in vindicem inter me, & inter te, videat Dominus & iudicet iudicium meum, & iustificet me ex manu tua. Talis mos est
B Dei cultoribus, vt totum reseruent Deo, scientes esse magnum vindicari ab eo. Interea sicuti superius dixi, vide Saul, vbi compos mentis est, quæ dicat: at vbi impos efficitur, quomodo sitiens sit Dauid iusti & innocentis
1.Reg.24 sanguinem. *Et factum est*, inquit, *cum consummasset Dauid verba hæc, loquens ad Saul, dixit Saul, vox tua hæc fili Dauid, & exclamauit Saul & plorauit, & dixit ad Dauid: iustior es tu, quàm ego, quoniam tu reddidisti mihi bona, ego autem tribui mala tibi, & renuntiasti mihi hodie quæ fecisti mihi bona, sicut conclusit me Dominus in manibus tuis, & non occidisti me, & sicut inueniat quis amicum suum, & præmittat eum in viam bonam, & Dominus retribuat tibi bona, pro quibus fecisti mihi hodie, & nunc ecce ego scio quoniam regnabis, & constituetur in manu tua regnum Israël, & nunc iura tu mihi in Domino, si non eradicabis semen meum post me, & si non exterminabis nomen de domo patris mei, & iurauit Dauid Saul.* Post hæc vtique debuerat iam mutari Saul, sed adhuc nec iste desinit persequi, nec deficit parce-
1.Reg.26 re Dauid. *Et surrexit*, dicit scriptura, *Saul, & descendit in*
C *desertum opacum & cum eo tria millia virorum electorum ex Israël quærere Dauid*, & infra: *& misit Dauid exploratores, & cognouit quoniam venit Saul in Sicelet, & surrexit Dauid occultè, & abiit in locum, vbi dormiebat Saul, & Abner filius Ner princeps militiæ eius, & Saul dormiebat in stragulis præclaris, & plebs erat circa eum. Et Dauid dixit ad Amalech Cetheum, & Abessa filium Saruiæ fratrem Ioab dicens, Quis introibit mecum in castris ad Saul? & dixit Abessa ad Dauid, ego ibo tecum: & intrauerunt Dauid & Abessa ad populum nocte, & ecce Saul dormiebat in stragulis pretiosis & lancea fixa ad caput eius præclara, & Abner dormiebat circa eum. Et dixit Abessa ad Dauid, Conclusit Dominus hodie inimicum tuum in manibus tuis: & nunc occidam de lancea semel in terram figens, & non repetam illam. Et dixit Dauid ad Abessa, Non continges illum, quoniam quis iniiciet manum suam in Christum domini, & purus erit? & dixit Dauid, Viuit dominus, quoniam nisi dominus percusserit illum aut nisi hora illius venerit, & moriatur, vel in pugnam descenderit & apponatur, mihi autem*
D *non sit à domino iniicere manum in Christum domini, & nunc accipe lanceam, quæ est ad caput illius, & lentem aquæ & recedamus nos, & accepit Dauid lanceam, & lentem aquæ à capite eius, & abierunt ipsi, & non erat qui videret, neque qui sciret, & non erat qui vigilaret: omnes enim dormiebant, quoniam timor domini irruerat in illos, & transiuit Dauid contra, & stetit in cacumine montis longè & erat magnum iter inter eos, & deprecatus est Dauid populum, & Abner, & loquutus est dicens, Non respondis Abner? & respondit Abner, & dixit, Quis es tu qui vocas me? Quid est? & dixit Dauid ab Abner, Vir tu es & quis sicut tu in Israël: quare non custodis Dominum tuum Regem, quoniam intrauit vnus de populo disperdere dominum tuum Regem, non est bonum hoc quod fecisti viuit Dominus, quoniam filij mortificationis vos estis, qui non custodiistis Dominum Regem vestrum Christum Domini, & nunc vide vbi est lancea Regis, & lentis aquæ quæ erat ad caput eius, & cognouit Rex Saul vocem Dauid, & dixit, vox tua hæc fili Dauid. Seruus tuus, domine Rex, & adiecit Dauid, vt quid hoc persequitur Dominus meus*

retro seruum suum, quoniam quid deliqui, & quæ est à me malitia? & nunc audiat Dominus meus Rex verba serui si Dominus Deus tuus incutit te in meum dolorem, & victimam immolationis, quod si filij hominum maledicti in conspectu Domini, quoniam eiecerunt me hodie non confirmatum esse in testamentum Domini, dicentes, Vade, serui diis alienis, & nunc non cadet sanguis meus in terram ante conspectum Domini, quoniam exiit Rex Israël quærere pulicem vnum, sicut persequitur noctua in montibus. Et dixit Saul, Peccaui, conuerte fili Dauid, quoniam non malignabor in te iam, ideo quoniam anima accepta est ante oculos tuos in diem hunc, in quo stultus factus sum, & ignoraui multa vehementer. Et respondit Dauid dicens, Ecce lancea regis, accedat vnus ex pueris & accipiat eam, & Dominus restituat vnicuique iustitias, & fidem suam, sicut tradidit te hodie in manibus meis, & nolui iniicere manum meam in Christum Domini. Ecce sicut exaltauit se anima tua in diem hunc ante oculos meos, sic Æ
significetur anima mea in conspectu Domini, & abripiat me, & eruat me ex omnibus tribulationibus. Et dixit Saul ad Dauid, Benedictus tu fili, & faciens & potens poteris. Hæc idcirco indidi, vt tandem posses conicere, sic te siue Athanasium, siue nos iniustè persequi, sic te famulari in tuæ salutis necem, sic tibimet mortis apud diuinitatem contrahere pericula, vt sibi per hæc, quæ egeris contraxerit Saul: si hæc non ita sunt, dic cur nos persequaris? nempe quia non fundamus sanguinem innocentem, quem vis imitemur, tene aut Dauid? de Dauid enim scriptum inuenio, *& Dauid regnauit in Israël, & erat faciens iudicium & iustitiam in toto populo suo.* Te vero esse cernimus iniustum iudicem, cultorum Dei interfectorem, cur nos persequeris? nempe quia noluerimus, vt tu es, fieri apostatæ: quia noluerimus vnicum Dei negare filium. Dauid liber & trinitatem loquitur perfectam, & vnam narrat deitatem patris & filij & spiritus sancti, & tu esse inueniris Apostata? quem, inquam sequar, téne an Dauid? illum ne cultorem Domini, misericordiæ amatorem, an te sacrilegum, carnificem? cuius sapientiæ homo per- F
sequeris Athanasium? Mirarer te hæc agere, si non & Achab Rex sic Heliam & cæteros Domini prophetas fuisset persecutus: mirarer te persequi Dei hominem, si non in omnibus te Achab esse cernerem: denique talia tibi dicuntur à nobis, qualia & illi à Dei dicta sint domesticis, noli Baal colere, noli idolis seruire sed Deo, serui Deo Abrahæ, Deo Isaac, Deo Iacob, serui Deo Israël. Si talia meministi dixisse Heliam & cæteros Prophetas Domini ad Achab apostatam regem, aduerte similia tibi ab eis, quibus docendi dederit auctoritatem Dominus, dici. Noli, Constanti, cum Arrianis pugnare contra Dei domum, noli idololatriam Arrij introducere in Ecclesiam, noli negare vnicum filium Dei, desine persequi Apostolicam atque Euangelicam fidem. Hæc quia dicamus, videmur esse tibi inimici, sic fuerunt Regi vera sibi dicentes inimici. Percurramus denique quænam fuerint orta, quæ facta inter Heliam Domini prophetam, & Achab tuum coapostatam, & inuenies te esse hodie Achab. *Viuit*, inquit *Helias, Dominus, cui adsisto ante conspectum, si erit an-* G H
nis istis ros & pluuia, nisi per verbum oris mei. Quod 3.Reg.17
vtique cum impletum fuisset, debuerat vecors cognoscere verum Deum solum potentem totum non fuisse, nisi illum, cui seruiret Helias. Quid agit Achab? Videt per triennium & eò amplius non esse pluuiam, & magis est idolis seruiens, magis est cupiens interficere Heliam: audit Dei propheta ore sacrilegi Achab: Si tu es ipse, qui euertis Israel: sic & tu dicis Athanasio vel no-
bis. [22] Quod enim nos sumus vertentes Dei populum, 22
cum tu sis ad tuam suscipiendam hæresim Christianos conuocans, sed audis à nobis quæ audiit Achab ille cultor idololatriæ ab Helia glorioso. Non nos euertimus Dei domum, sed euertis tu & domus patris tui: aut negabis nihil te cogitare, nisi vt omnes nos coapostatas efficias tuos: sed vt cœperam de Heliæ & Achab
dicere actibus, *& dixit Helias, ego non verto Israël, sed* 3.Reg.18
euertis tu & domus patris tui, dum relinquitis vos Dominum Deum nostrum, & itis post Baal, & nunc mitte & congrega

grega

A *grega ad me omnem Israël in montem Carmeli, & Prophe-*
tas confusionis quadringentos quinquaginta, & Prophetas
lucorum quadringentos, manducantes & bibentes in mensa
Iezabel, & misit rex Achab ad omnem Israël, & collegit
omnes Prophetas in montem Carmeli, & accessit Helias ad
omnes, & dixit eis: Vsquequo vos claudicatis sensu vestro,
si est Dominus Deus, ite post ipsum. Si autem Baal est, ite
post illum, & non respondit illi populus verbum, & dixit
23 *Helias ad populum dicens,* [23] *ego superaui solus Propheta-*
rum Domini vnus, & Propheta huius Baal quadringenti
quinquaginta viri, & Propheta lucorum quadringenti: den-
tur ergo nobis duo boues, & eligant sibi illi vnum, & demem-
brent, & imponant eum super lignum, & ignem non suppo-
nant, & ego faciam bouem alterum, & ignem non supponam,
& clamate in nomine Deorum vestrorum, & ego clamabo
in nomine Dei mei, & erit hic Deus quicumque exaudierit
nos in igne, hic erit Deus: & respondit omnis populus, &
dixerunt, Bonum verbum quod locutus est Helias: & dixit
B *Helias ad Prophetas confusionis, Eligite vobis vitulum*
vnum & facite priores, quoniam vos multi estis, & clama-
te in nomine Deorum vestrorum, & ignem nolite supponere:
& acceperunt vitulum, & fecerunt, & inuocabant in nomi-
ne Baal à manè vsque ad vesperam, & dicebant, exaudi
nos Baal, exaudi nos. Et non fuit istis vox neque auditio.
Et apposuit Helias Thesbites dicens, Inuocate in voce ma-
gna pariter, ne forte occupatus sit vel dormiat ipse, & sus-
citabitur. Et illum vocabant in voce magna, & secabant se
secundum consuetudinem suam gladiis, & nouaculis vsque
ad effusionem sanguinis super se, & prophetabant vsque
† Pro quando. *dum transiret meridies: & factum est,* † *quomodo tempus*
erat vt accenderet sacrificium, & loquutus est Helias
Thesbites ad Prophetas dicens, discedite à modo, & ego
faciam holocaustomata: & discesserunt, & abierunt: & di-
xit Helias ad populum, Accedite ad me, & accesserunt
omnes populi ad eum, & accepit Helias duodecim lapides
secundum numerum tribus Israël, sicut locutus est Domi-
nus ad eum dicens, Israël erit nomen tuum, & ædificauit
C *lapides, & restituit altare Domini quod dissipatum fuerat,*
& fecit foueam, quæ caperet duas metretas semis in gyro
24 *altaris, &* [24] *constipauit sciZas super altare quod fecit, &*
demembrauit holocaustum, & imposuit scizam, & stipauit
super altare, & dixit, Accipite mihi quatuor hydrias aquæ,
& effundite super holocaustum, & super scizam. Et dixit
iterum, Adferte, & iterum attulerunt. Et dixit, repetite
tertiò. Et repetierunt tertio, & manabat aqua in circuitu
sacrarij, & foueam impleuerunt aqua, & clamauit Helias
in cœlum, & dixit, Dominus Deus Abraham, & Isaac, &
Israël exaudi me Domine, exaudi me hodie in igne, vt sciat
omnis populus hic, quoniam tu es Dominus Deus Israël, &
25 *ego seruus tuus, & propter te feci hæc opera, & tu* [25] *ver-*
sasti cor populi huius retro: & cecidit ignis à Domino de
cælo, & comedit holocausta, & sciZas, & aquam quæ erat
in altare, & lapides & terram linxit ignis, & cecidit totus
populus super faciem suam, & dixit, verè Dominus Deus
ipse est Deus, & dixit Helias ad populum: Suscipite Pro-
phetas Baal, nemo sit saluus ex illis. Et susceperunt illos,
D *& deduxit illos Helias ad torrentem Cison, & occidit illos*
ibi: & dixit ad Achab, Manduca & bibe, quoniam vox
est pecudum pluuiæ, & ascendit Achab, vt manducaret &
biberet: Et Helias ascendit in Carmelum, & inclinauit
se in terram, & posuit faciem suam inter genua, & dixit
puero suo, Ascende & prospice viam maris, & respexit
† More Graeco pro non est aliquid. *puer, & dixit puer.* † *Non est nihil, circumage te septies,*
& factum est in septimo, & ecce nubis pusilla, quasi vesti-
gium hominis adducent aquam de mari. Et dixit illi He-
lias, Ascende, & dic ad Achab, Iunge currum tuum, &
descende, ne comprehendat te pluuia, & factum est hinc &
26 *inde, & cælum* [26] *contenebricauit nubibus, & ventis, &*
facta est pluuia magna: & plorabat & ibat Achab in
Israël, & manus Domini erat in Heliam.

Cognoscis in qua peruersitate hodie tu sis manens, in qua manserit & Achab: de tantis etenim signis ac prodigiis exhibitis non dignatur gaudere cum populo, sed dolet, cur Helias Sacerdotes ac Prophetas idolorum fuerit ausus interficere: nec post tanta dignatur semet vertere ad Deum, sed magis adhuc eius persequitur cultorem. E Videt quia est Deus in Helias, & magis quærit eius animam.

Conspicit Prophetas Baal & lucorum, fuisse dæmoniorum cultores, & illos magis etiam extinctos diligit, quàm eum, quem tot modis aduerterat Dei domesticum. Ita & tu eos dignaris diligere, quos hæresis Arrianæ sectæ vides homines, & es Dei cultores quàm acerrimè persequens: pauca de multis gestis inter Achab & Heliam, idcircò duxi tibi ingerenda, vt possis † noscere vos ex quo Deum dereliquitis, neque signis, neque prodigiis facilè conuerti ad eum, sed magis in vestris durantes erroribus, vt bestias immanes sæuire in gregem Dei cultorum. Deprecamur te Constanti, ne adhuc in his tuis malis digneris demorari, sed magis emergas à turbinibus diaboli, ne illa comprehendant te mala, quæ Achab & Iezabel: nec in eo dicas felicem te, quia potens sis ad Dei persequendos homines, quando videas potuisse F ad petitum Heliæ extingui Achab & Iezabel, & tamen fuerint reseruati, vt plenius & Heliæ Dei hominis tolerantia fuisset beatificata, & illorum impleta impietatis mensura, quasi verò non posset Helias petere Deum, vt arderent persecutores Religionis eius idolorum cultores: ignem petit dari de cœlo ad sacrificia consumenda, illicò descendit pluuia, quæ triennio fuerat ablata & mensibus sex: petit, & illicò datur aqua: quam plurima signa fiunt, & extingui Dei inimici ad petitum Heliæ non potuerunt, cum etiam illos honoratos quinquagenarios ad Heliæ dictum descendens ignis consumpserit? Vides hodie posse, quia persequaris Athanasium, vel nos te fulmine, aut quolibet modò extingui, sed reseruari ad hoc, vt aut te conuertas, aut omnis possit impleri iniquitatis tuæ mensura. Persequebatur Achab rex Heliam, vt tu persequeris nunc Athanasium: dixit nempè Iezabel ad Domini Prophetam posteaquam comperiisset per Heliam illas virtutes exhibitas, & Prophetas confusionis atque Religionum Sacerdotes interfectos: G Hæc mihi faciant Dij, & hæc mihi adaugeant, si non in hac hora cras posuero animam tuam, quemadmodum animam vnius ex illis. Sed quid audit Helias à Deo, post quadraginta dierum ac noctium celebratum ieiunium, nempè, vt vngeret reges per quos Achab & socij extinguerentur. Est cum Helia misericordia Dei, cognoscit Helias diligi se à Deo: contrà Achab Heliæ persecutor ita est miser, vt in diaboli semper potestate fuerit: Sic Athanasium instè puniri mandasti, quomodo & Iezabel Nabuthæum Israëlitem: sic tu veros testes produxisti contra Athanasium, vt illi produxerunt ad quos scripserat Iezabel dicens, *Ieiunate ieiunium, & sedebat Nabuthæus in primo populo, & collocate duos viros filios iniquorum contra eum, & testentur aduersus eum dicentes, Maledixisti Dominum & regem, & deducite eum, & lapidetur & moriatur.* Talia sunt opera nunc vestra Arrianorum, quos nos dicitis, impingitis multa nec testibus falsis egetis, ipsi enim testes in omnibus falsi estis. Sic vos filij perditionis Arriani interficere tentatis H Athanasium, quomodo Nabuthæum Iezabel, tanquam posseris omnia conspicientis effugere manum: scis vindicasse Deum sanguinem Nabuthæi, mortem eius de manibus interfectorum exquisiuisse, & arbitraris ex tuis manibus non Deum exquisiturum sanguinem Sacerdotis sui Athanasij: & dixit Dominus ad Heliam Thesbitem dicens, *Surge & descende in obuiam Achab regi Israël, qui est in Samaria, quia hic in vineam Nabuthai descendit, vt possideat eam. Et dices ad eum, Hæc dicit Dominus: Quomodo occidisti Nabuthæum, & possedisti vineam eius, propter hoc hæc dicit Dominus, in loco in quo linxerunt canes & sues sanguinem Nabuthai, ibi lingent canes sanguinem tuum, & fornicariæ lauabunt in sanguine tuo, & dixit Achab ad Heliam, Si inuenisti me inimicum tibi: & dixit Helias, Inueni, quoniam cogitasti facere malignè ante conspectum Domini, vt exacerbares eum: hæc dicit Dominus, Ecce ego induco super te mala, & succendam post te ignem, & disperdam tuum Achab mingentem ad parietem, & contemptum, & reliquum in Israël, &*

† Pro cognoscere.

3. Reg. 21.

3 Reg. 21.

A *dabo domum tuam sicut domum Hieroboam filij Nabath, sicut domum Saba filij Acia, pro omnibus exacerbationibus quibus exacerbasti, & peccatum dedisti in Israël. Et ad Iezabel locutus est Dominus dicens, canes manducabunt eam ante murum Israël, & mortuos tuos in ciuitate manducabunt volucres cœli.* Quid tu, Constanti, dicis ad hæc? minora astruis esse peccata tua, quàm fuerunt Achab & Iezabel? illi Sacerdotes Dei sunt persecuti, interemerunt Dei domesticos, Religionem Dei tulerunt, & idololatriam statuerunt, populum auerterunt à Deo, & tu hæc omnia fecisti ac facis. Sic nos tu vocas inimicos tuos, quomodo & Achab Heliam, qui cum audisset ore prophetæ Domini indignationem, dixerit, Si inuenisti me inimicus Achab regi, nempè quia diceret, noli idolis seruire, sed Deo soli, Abrahæ, Isaac, & Israël: & nunc quia tibi dicatur: noli esse hæreticus, sed esto Christianus, inimicos vocas, quod tibi idololatriam tradenti hæc ingerentur, quæ fuerint ingesta, & per Heliam Regi Achab, qui Achab dilexisset
B profectò Heliam, si eius idolis Domini Propheta censuisset seruiendum, dereliquendum verò Deum, negare tu id non potes. Quod enim si esse elegissemus quod ipse es, fuisses nos singulari dilecturus affectu. Quibus rebus intelligeris esse filius pestilentiæ, tenebrarum fons, gurges omnium malorum, caput totius nequitiæ, sentina omnium blasphemorum, hæreticorum fomes, radix amaritudinis, arbos igni destinata, quippe adferens fructus mortiferos, inimicus Dei, hostis Ecclesiæ, veritatis interpolator, prauitatis concinnator, iniustitiæ amator, iustitiæ aduersarius, totus in tenebras, & quidem inextricabiles conuersus, factus verò verius templum omnium dæmonum, quorum instinctu hæc cunctè, vt Achab, perpetratus fueris mala, ac perpetreris, sed non diu, nisi te conuerteris ad Deum, esse poteris impunitus, cum cernas quæ receperint Achab & Iezabel. Si enim Achab, sicut ei fuerat promissum, ore Heliæ interit, si canes comedunt Iezabel, tu eris à tantis
C impunitus facinoribus? qui non solum non doles interfecisse te Deo mancipatos, sed & adhuc glorieris, existimans benè te fecisse? nec mirum cum præscius futuro-
Ioan. 16. rum, cuius tu negator es, dixerit in Euangelio, *Veniet hora, vt omnis qui vos occiderit putet se officium Deo facere, Sed hoc faciunt quia nesciunt neque patrem, neque vnicum filium eius.* Sciens tu, degens sine notitia Dei persequeris Athanasium vera tibi dicentem, ex toto amantem Deum corde. Sic & Achab persecutus Heliam, sed vide exitum Heliæ atque inimici eius Achab. Heliam conspice translatum ad amicitias Dei perfruendas æternas, & nunc Achab torquetur in exterioribus tenebris. Est Helias de Dei gaudens amicitiis, & est Achab exsoluens perpetuas pœnas. Erit sine dubio Athanasius in conuiuio vbi est Helias, & tu eris in loco illo tormentorum, nisi tibi consulueris, in quo detinetur Achab, cuius in omnibus imitator reperieris: istud est sapere, vt elegisses infelicitatem æternam Achab regis,
D magis quàm frui felicitate perpetuâ, quam est consecutus Helias, cuius translationem loquitur scriptura in
4. Reg 2. quarto regnorum libro, dicens: *Euntibus autem illis & loquentibus, Ecce currus igneus & equi ignei, & separauit inter vtrosque, & ascendit Helias in commotionem quasi in cœlum, & Helisæus videbat, Et ipse clamabat, & dixit, pater pater, agitator Israël. Et non vidit eum amplius.* Non nouum nobis tuum, hæreticè, factum poterit videri, si nos persequaris Domini Sacerdotes, cum in libro Paralipomenon secundo inueniamus Ieroboam & eius filios hæc egisse. Sacra scriptura, *Iuda*, inquit, *& Beniamin, & Leuitæ, & Sacerdotes qui erant in omni Israël conuenerunt ex omnibus finibus, quoniam dereliquerunt Leuitæ & tabernacula sua, & possessiones suas, & abierunt ad Ieroboam, quoniam repellit eos Ieroboam, & filij eius, vt non seruirent Domino, & constituit ibi Sacerdotes excelsorum, & simulachris, & dæmoniis, & vitulis, quæ fecit Ieroboam, & proiecit eos à filiis Israël, & à tribubus Israël, qui dederant cor suum quærere Dominum Deum Israël.* Non erit itaque admirandum, si tu nos vel nobis

diuinitus commissos persequeris, si de te nobis commissa nos pellis, si denique locis nostris ordines Dei inimicos eos, qui tecum dereliquerunt Deum, quando videas hæc te implere quæ fecerit Hieroboam. Quid est enim dicere, fidem apud Niciam damnate conscriptam, & suscipite meam, nisi hoc quod dixit Hieroboam, & relinquite Deum, & seruite simulachris meis? Quis tu homo dicis, damnate absentem, inauditum, innocentem? Certè is, qui iam fidem Apostolicam negaueras atque Euangelicam, nempè is, qui traditionem beatorum destruxeras, quantum apud te ac tuos est, Apostolorum: inde denique factum est, vt ad tantam venires vecordiam, quia fueris, vt Hieroboam sine Deo. Cæterùm si Deum habuisses, si te eius meminisses cultorem, nunquam profectò diceres, damnate innocentem, percutite inauditum, absentem, consacerdotem vestrum: & vt videas te non esse in Deo, vnde & talia fieri mandaris, accipe regem, cum quo pro meritis fuerit Deus suus, accipe & eius obsecrationem ad Domini Sacerdotes, quos populo Dei impellebat iustum iudicare iudicium. F
Conspice etiam tuorum à te contra Ecclesiam institutorum iudicium, & illius ministrorum actus, & poteris perdendere, si tecum non immundi spiritus sunt, qui fuerunt cum Hieroboam, & habitrauit, inquit, in libro secundo Paralipomenon *Iosaphat in Ierusalem, & conuersus est, & exiit in populo à Bersabee, vsque ad montem Ephem, & conuertit eos ad Dominum Deum patrum suorum, & statuit iudices in omnibus ciuitatibus Iuda munitis, & per singulas ciuitates dixit iudicibus, Videte quid vobis facietis. Non enim homini iudicabitis, sed Domino, & vobiscum est in verbo, & nunc sit timor Domini super vos, vt seruetis & faciatis. Neque enim est cum Domino Deo nostro iniquitas, neque personæ acceptio, neque munerum acceptio. Et quidem in Hjerusalem statuit Iosaphat de Leuitis, & Sacerdotibus, & principibus Israël in iudicium Domini, & [17] Iudicare habitantes in Hierusalem, & mandauit super eos dicens, Ita facietis in timore Domini, in corde perfecto, & omne iudicium quod acceptum fuerit super vos à fratribus vestris, qui habitant in ciuitatibus suis, inter medium sanguinis & sanguinis, inter medium legis, in mandatis ac iustificationibus, & ad iudicia, & distinguetis eos, & non peccabunt Domino, & non erit ira super vos & fratres vestros: sic facite, & non peccabitis. Ecce Amarias Sacerdos princeps super vos in omne verbum Domini, & Ibadias filius Zmabel, qui princeps est Domini Iuda in omne verbum regis, & scriba, & leuite in conspectu vestro. Confortamini & facite, & erit Dominus vobiscum cum bono.* Nunquid dixit ad Domini Sacerdotes, vel ad regni sui principes, vel ad cæteros iudices, Condemnare iustum, persequimini innocentem, damnate, interficite omnes credentes in Deum? Nunquid dixit, Amate, quod non amat Deus. Odite iustitiam, diligite iniustitiam, sicuti dicis tu? Aut nunquid negare poteris te dixisse, Damnate Athanasium absentem, inauditum? Iosaphat Deo dicatus rex Iudæ dicit secundum Dominum iudicandam legem, & tu dicis in apostasiam conuersus Rex, damnate inauditum. Pone interea, Constanti, hodie in corpore esse Iosaphat Regem, & vtrosque vos dicere ad nos. ille quidem hæc, Videte quid vos facietis: non enim homini iudicabitis, sed Domino, & vobiscum est in verbo, & nunc sit timor Domini super vos, vt seruetis & faciatis. Neque enim est cum Domino Deo nostro iniquitas, neque personæ acceptio. Tu contrà esse damnandum dicas inauditum, & eum quidem quem etiam ipse scias innocentem: cui obedire poterimus nos antistites Dei? nos, quos ante populo suo ore Ieremiæ promiserat dicens: *& dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos, pascentes cum disciplina.* Cui inquam, obediremus, tibine an Iosaphat dicato Deo viro, quis id nos facere compelleret, quod meminissemus fieri mandasse Deum? Si itaque illum cognoscis Domini implere & præcepisse mandata, teverò extitisse non solum Dei mandatorum destructorem, verum etiam ipsius desertorem, superest vt videas, quis vestrûm fuerit homo Dei, quis eius clementiæ fecerit

volun

Right margin notes: E (beside first line); 2. Parà. 19. (beside "*Iosaphat in Ierusalem*"); 17 (beside "cium Domini"); G (beside "in corde perfecto"); H (beside "Dominum iudicandam legem"); Ierem. 3. (beside "ore Ieremiæ").

A 2.Para. 17. 28 voluntatem. Legimus scriptum sic de illo: *Et factus est Dominus cum Iosaphat, quoniam ambulauit in viis patris sui primi, & non quæsiuit simulachra, sed Dominum Deum patris sui, & in mandatis eius ambulauit, &* [28] *non sic opera Israël, & direxit Dominus regnum eius, & dedit omnis Iuda munera Iosaphat: & facta sunt illi diuitiæ, & gloria multa, & exaltatum est cor eius in viis Domini, & adhuc amputauit lucos de Iuda, & tertio anno regni sui misit duces suos, & filios virtutum.* Et infrà: *& cum illis Elimasat, & Ioram Sacerdotes, & docebant Iudam, & cum illis erat liber legis Domini, & pertransierunt in ciuitates Iuda, & docebant populum, & factus est pauor Domini in regnis terræ, & in circuitu Iuda, & non bellauerunt Iosaphat, & ab alienigenis adferebant Iosaphat munera, & argentum, & dona, & Arabes adferebant illi arietes ouium, septem millia septingentos, & erat Iosaphat ambulans magnificatus vsque in altum.* Quid tu tale facis? nempè misisti per omne regnum tuum, vt cuncti mandata Dei despueremus, susciperemusque præceptum tuum, quod tentaret impugnare Domini præceptum. Iosaphat misit principes virtutis regni sui, misit consiliarios suos, misit Leuitas ac Domini Sacerdotes, obsecrans vt cuncti cultores Domini fuissent in regno suo, vt omnes vnanimes Deo tantum semet præberent famulos, mittit etiam librum sacræ legis per gloriosum Moysem traditum, vt nihil extra † fecissent, quàm quæ fieri mandasset Deus. Tu non solum legem Domini inueniris impugnasse, quæ præcepit innocentem & iustum non necandum, sed & ipsum dereliquisse Deum, siquidem non sis Apostolicam tenens fidem, sed Atrij perfidiam. Ille populum errantem ab idolis conuertit ad Deum, tu populum Deo dicatum conatus es facere apostatam, quod es tu, hoc est, sacrilegus: Persecutus es atque persequeris Athanasium, eius sitiens cruorem. Sed vide quid spiritus sanctus dicat in nono Psalmo, in quo tu mihi specialiter descriptus esse videris, *Dixit in corde suo, non mouebor à seculo in seculum sine malo, cuius os maledictione plenum est, & amaritudine & dolo, sub lingua eius labor & dolor, sedes in insidiis cum diuitibus in occultis, vt interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem respiciunt, insidiatur in abscenso sicut leo in spelunca sua, insidiatur vt rapiat pauperem, rapere pauperem, donec adducat eum in conuersatione sua, in laqueo suo humiliauit eum, inclinauit se, & cadet dum dominatur pauperum, Dixit in corde suo, oblitus est Deus, auertit faciem suam, ne videat vsque in finem.* An si in hac perseueraueris nequitia non erit dignum dici de te, Auertit faciem suam ne videat vsque in finem? Tanta sunt funera tua, Constanti, vt cum dicitur in Psalmo decimo ex persona populi nostri, *in Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer, quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.* Tu mihi descriptus esse cum scelerum tuorum participibus videaris: Cognoscimus etenim vos Arrianos, esse temporis nostri Antichristos: [29] aut si non is es, qui merearis numerari inter Antichristos, æstima Dei vnici filij negator quod dicit Spiritus sanctus per Prophetam, *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes eius: oculi eius in pauperem respiciunt, & palpebræ eius interrogant filios hominum, Dominus interrogat iustum & impium: Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.* Et tu statuisti eum puniendum, quem nec ipse cognoueris reum, nisi tantum in eo, quod tuæ blasphemiæ restiterit, factum apud te mortis reum. Audi dicere Dei spiritum, *Qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam:* & cogis iniquitatem amare magis quàm iustitiam. Si non est iniustum damnare inauditum, accusantibus vobis hæreticis Catholicum conuince. Ego etenim cum adhuc scriptum inuenio, *Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, & pars calicis eorum, quoniam iustus Dominus, & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius.* Te atque omnes tecum facientes in hac parte esse cognosco, veniet vtique super vos ignis & sulphur, & spiritus procellarum nisi conuersi fueritis ad Deum,

Left margin notes: B; † Profa- / erent / suo more. ; Psal.9. ; C ; Psal.10. ; 29 D Psal.10.

E quia sit pars calicis vestri qui negatis vnicum filium Dei, eiusque estis diuinæ maiestatis persequutores: qui cùm sciatis Deum iustum, iustitiam diligere, amare æquitatem, vos censueritis damnare innocentem, persequi Domini fidelissimum Sacerdotem. *Diligite*, inquit, *Dominum*, in Psalmo 30. Spiritus sanctus, *omnes sancti eius, quoniam veritatem requirit Dominus, & retribuet facientibus abundanter superbiam.* Et tu nos impuleras ad interficiendum innocentem, ad superbiam tuam possidendam: non enim te negare possis esse superbum, cum & in Dei cultores funestas miseris manus, & Euangelicam fidem destruere fueris conatus, atque firmare hæreticam. In 32. Psalmo non legeras, *Diligit Dominus misericordiam & iudicium, & misericordia Domini plena est terra*, vt iuberes damnari absentem. Cognosce per hæc opera tua, quàm sis inconsideratus, quamque tuæ salutis hostis, qui cum scriptum memineris, *Quis est homo qui vult vitam, & amat videre dies bonos, prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum, & auerte à malo, & fac bonum:* tu tamen non quietem capias hæc gerendo, quæ te prohibuerit gerere Deus: hoc est nolle videre dies bonos, hoc est nolle vitam, hoc est petere sibi tribui mortem.

Cum itaque sis talis, qui ad mortem æternam hauriendam curras, etiam in trigesimoquinto, tu mihi videris esse præostensus, *Dixit iniustus, vt delinquat in semetipsum, non est timor Dei ante oculos eius, quoniam dolosè egit in conspectu eius, vt inueniatur iniquitas eius & odium, verba oris eius iniquitas & dolus: noluit intelligere, vt benè ageret, iniquitatem meditatus est in cubili suo, assistit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit.* Qualis es aduerte, [30] iustissimè imperator, propter quem esse dicta sentiantur etiam illa quæ in [31] Iscariotem Iudam, & populum Iudæorum fuerint dicta. Quomodo potueramus, Constanti, damnare innocentem ad superbiæ tuæ consilium, cum sciremus scriptum apud Dauid: *Ostende misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam his, qui recto sunt corde. Non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non moueat me: ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, expulsi sunt nec potuerunt stare.* Quid dicis? talis est misericordia Dei ac iustitia, vt absentes & inauditi damnentur? & quidem innocentes, quos punire nec præsentes licet. Sed quid mirum si hæc fieri mandasti, homo nesciens Deum? Quid mirum, si ignorans eius misericordiam atque iustitiam, præceperis peruersa fieri, iniqua, iniusta? non te à tanto potuit remouere scelere Psalmographi sermo dicentis, *ibi ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare?* Nec ille in trigesimosexto. *Desine ab ira, & derelinque furorem, noli æmulari vt maligneris, quoniam qui malignantur, exterminabuntur?* Hæc itaque legens, quia pro nihilo habenda statuta censueris domini, idcircò te esse iudico illum, de quo dictum est, *Obseruabit peccator iustum & stridebit super eum dentibus suis, Dominus autem deridebit eum, quia prospicit quod veniet dies eius.* Inter illos te habemus, de quibus dictum cerno, *Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum vt deiiciant inopem & pauperem, & trucident rectos corde, gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.* [32] *Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas: quoniam brachia peccatorum conterentur.* Tu inter istos inimicus es Domini constitutus, quos describit Dei Spiritus adhuc infrà, *Inimici Domini mox vt honorabuntur & exaltabuntur, deficientes vt fumus deficient.* Considera tandem te cum omni tua sublimitate, nisi temet correxeris, vt fumum interiturum, quippè Dei inimicum. Adhuc de te scriptum video, Quod nisi conuersus pœnitueris, venturus sis ad nihilum, *Vidi impium superexaltatum & eleuatum super cedros libani, & transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Tu es, inquam, ille, Constanti, de quo etiam hæc dicta video, *Conspicit peccator iustum, & quærit mortificare eum, Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius.* Dicit Propheta plenus Spiritu sancto,

Right margin notes: Psal.30. ; Psal.32. ; Psal.33. F ; Psal.35. ; 30 31 ; Psal.35. G ; Psal.36. H ; 32 ; Psal.36.

A sancto, *Noli æmulari inter malignantes, neque Zelaueris*
facientes iniquitatem, quoniam tanquam fœnum velociter
arescent, & sicut olera herbarum cito decident. Et dicitur
à te Constantio destructore Dei religionis, meos imita-
Ps. 57. mini. Quis vos imitetur, nisi qui velit vobiscum tan-
quam olera herbarum arescere? Quis? nisi velit Dei
indignatione deleri? *Si verè vtique* dicit, *iustitiam loqui-*
mini, iustè iudicate filij hominum, & tu in innocentis ex-
surgis necem? Dubitare itaque non poteris te esse ex il-
lis, ad quos dicit Spiritus sanctus, *Etenim in corde iniqui-*
tates operamini, in terra iniquitatem manus vestræ concin-
nant. Alienati sunt peccatores ab vtero, errauerunt à ven-
tre, locuti sunt falsa, ira illis secundum similitudinem serpen-
tis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non
exaudiuit vocem incantantium incantatoris, quæ incantatur
à sapiente. Deus conterat dentes eorum, in ore ipsorum mo-
las leonum confringet Dominus, ad nihilum venientes vt
aqua decurrent, intendit arcum suum donec infirmentur,
Sicut cera liquefacta auferantur, super eos cecidit ignis, non
B *viderunt solem.* Audis te cum tuis ad nihilum venturum,
vt iam illi venerunt, quorum esse delegeris imitator.
Conspicis vos persecutores Dei seruorum, vnici Filij
Dei negatores, serpentibus & aspidibus comparatos, &
non tandem times ad Dei te transferre domum. Non te,
qui vnus esse monstraris ex illis aspidibus, ita formas ad
Ioan. 1. diaboli calcandum caput, quo possis dignus effici regna-
re inter eos, quorum Ioannes narrat gloriam: *In sua*
propria venit, & sui eum non receperunt, quotquot autem
receperunt eum, dedit illis potestatem filios fieri Dei, qui
Ps. 58. *credunt in nomine eius.* Non memineras scriptum in 58.
Ps. 61. Psalmo, *Deus Israël intende ad visitandas omnes gentes,*
non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem, vt iube-
res dandam in absentem sententiam, nec 61. commouere
pariter atque increpare Spiritum sanctum per hæc verba
Prou. 1. cognoueras, *Quousque irruitis in hominem? interficitis*
vniuersos? Timor, inquit Salomon, *Domini, initium sen-*
sus, sapientiam autem & disciplinam impij spernunt. Hinc
disciplinam & sapientiam spernis, quia sis sine Dei ti-
C more. Hinc impius esse sacris describeris literis: impius
vtique, quia non solum ipse deserueris Deum, sed &
Prou. 1. qui colentes illum tam infestè persequaris. Væ tibi quia
cũ illis esse inueniris, de quibus in Prouerbiis lego, *Fili,*
non te seducant viri impij, neque acquiescas si te rogauerint
dicentes veni, communica nobiscum sanguinem, abscondа-
mus autem in terra virum iustum iniustè, deglutiamus au-
tem illum, velut inferi viuum. Quid te Arrianorum Iu-
dæorum imitatorem delectauerat, Constanti, vt has il-
lorum impias audiens voces ad effundendum sanguinem
Dei seruorum fuisses eosdem sequutus? Cur non consi-
lia audisti Salomonis dicentis tibi, *Nec abieris vias cum*
illis, ne declinaueris pedem tuum ad semitas eorum, non
enim iniquè tenduntur retia auibus, ipsi enim qui homicidij
participes sunt, thesaurizant sibimetipsis mala. Hæ sunt
viæ omnium consummantium iniqua: sua enim impietate
suam animam auferunt, & iterum, *Quanto tempore inno-*
centes tenuerint iustitiam, non erubescent, insipientes autem
D *dum contumeliæ cupidi sunt, impij facti oderunt intellectum,*
& subiecti facti sunt opprobriis. Tu tibi, Constanti, hæc
quæsisti opprobria, tu temet damnasti, qui præcepta
contemnens Dei, maledictis Iudæorum discipulis hæ-
Prou. 1. rere censueris Arrianis, cum quibus dignè adhuc hæc
audis. *Nam quoniam vocabam, nec obediebatis & exten-*
debam verba, nec attendebatis: sed irrita faciebatis mea
consilia, meis autem increpationibus non intendebatis.
Itaque & ego vestra perditione ridebo: gratulabor au-
tem aduersus vos cum venerit vobis subito tumultus,
euersio autem similis procellæ, cum aduenerit autem vo-
bis interitus: Erit enim cum me inuocabitis, ego au-
tem non exaudiam, quærent me mali & non inuenient. Ode-
runt enim sapientiam, verbum autem Domini non assum-
pserunt, neque voluerunt meis consiliis intendere, spreue-
runt enim meas increpationes, ideoque edent viæ suæ fru-
ctus, & sua impietate saturabunt animas. Nam quia deci-
piebant paruulos, interficientur. Interfici certè tecum
merebamur, & quidem à Deo, si tecum Dei hominem

fuissemus persecuti, sed quomodo istud fecissemus, qui E
sciebamus scriptum: *Noli fabricare in amicum tuum ma-* Prou. 3.
la, in incolam & confidentem. Noli inimicitias exercere
aduersus hominem sine causa, ne quid tibi operetur ma-
lum? aut nunquid non erat sine causa, si prout insanus
furor cohæreticorum tuorum per te iusserat, in inno-
centem mortis tulissemus sententiam? Væ tibi, quia di-
ctum de te persecutore nostro video, *Oculus contumelio-* Prou. 6.
sus, lingua, in qua manus sunt effundentes sanguinem iusti,
& cor fabricans cogitationes malas, & pedes festinantes ad
malefaciendum: Legisti, *Fili, honora Dominum, & vale-* Prou. 7.
bis: præter eum, ne timeas alterum, & tamen te timeri vo-
luisti, Deum verò contemni, vnde etenim solum Deum
potuerimus reperiri metuentes, si minis tuis succum-
bentes, absentem, inauditum & quidem eum, quem
sciremus iustum damnaremus. Salomon dicit, *Statera* Prou.
doli abominatio est coram Domino: pondus autem æquum 11.
acceptum est ei. Tu contrà mandare non dubitas, dam-
nate iniusto iudicio virum: hoc rectum putans, quod
peruersum est. Adhuc Salomon de te ac tibi similibus, F
Viæ insipientium rectæ coram ipsis: exaudit autem consi- Prou. 12.
lia sapiens: damnate, inquis, Athanasium, & quidem
vbi valere non potuisti ingenio, detestandæ subtilitatis
tuæ viribus imperij tui cœpisti. De te itaque scriptum
accipe, *Malus cum contumelia agit mala.* Et iterum,
quod temet sic laqueo iam necaueris, hærendo Arria-
nis, sicuti & Iudas Scarioth Iudæis: Lex sapienti fons
est vitæ, stultus autem laqueo morietur. Adhuc dicitur
de te, *Rex audax incidet in mala.* Vtique incidisti in
hæc mala, quia nihil sapientiæ tibi reliqueris, negando
vnicum Dei Filium, sed totum temet verteris in stulti-
tiam, quæ res effecerit te mactare Deo charos. Scriptum
est, *Sapiens timendo declinabit à malo, insipiens autem* Prou. 14.
miscetur confidens iniquo. Non legeras scriptum, *Qui* Prou. 14
contumeliam facit pauperi, irritat eum qui fecit illum, vt
innocentem, sic tecum nos interficere traheris. Si enim
cõtumeliam facienti irascitur Deus, quantò magis ei qui
interfecerit eius sacerdotẽ? Scriptum adhuc non retine-
nebas, *Initium vitæ bonæ, facere iusta: accepta autem sunt* G
apud Dominum magis quàm immolare hostias, vt tu iniu- Prou.
sta nos facere cogeres. Sed & alio in loco, *Qui iustum* 16.
vocat iniustum, iniustum autem vt iustum, abominabilis
est apud Deum. Abominabiles sine dubio essemus, si te
iustum pronuntiaremus & virum Deo acceptum Atha-
nasium iniustum iudicaremus. *Mirari*, inquit, *personam* Prou.
impij non est bonum, neque sanctum declinare iustum in iudi- 18.
cio. Tu dicis cõtrà, qui in impij persona videris descriptus
Damnate insontẽ imitati meam iniusti personam: & li-
cet hæc nos facere coëgeris, quæ nobis possent Deum
quærere iratum, tamen hortamur te inimicum sospita-
tis nostræ, ex impio pium fieri, saluum ex ægro, viuum
ex mortuo, religiosum ex sacrilego, vnde inquis, hæc as-
sequi potero? quibus rebus? desine persequi Dei domum,
desine proscribere, deportare, interficere eius seruos, fa-
tere te Christianum, execrare nobiscum cateruam com-
mento diaboli quæsitam Arrianorum: crede sicuti credi-
mus nos, qui ex beatorum Apostolorum successione su- H
mus Episcopi, confitere vnicum Dei filium, sicuti illi
confessi sunt, ac nos confitemur, & veniam consequêris
tantorum scelerum. Legisti enim apud Salomonem,
Mors & vita in manibus linguæ, & apud beatum Pau- Prou.
lum, *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad* 18.
salutem. Meministi scriptum, *Testis falsus non impunitus* Rom. 10.
erit, & qui accusat iniquè non effugiet: & tamen fuisti au- Prou.
sus [33] inficiari Athanasium. Non enim nobis fuerat ali- 19.
qua causa cum collegis sectæ tuæ Arrianis, cum eosdem 33
iampridem Dei potentia cum Arrio apud Niciam, tem-
pore quo non solũ contra blasphemiã vestrã, sed & con-
trà omnes hæreses fides descripta est, præuiuerit. Non,
inquam, nobis cum illis Pseudoepiscopis, inimicis Dei,
magistris tuis, aliqua fuerat quæstio, vt iterum contra
eosdem confligeremus, quos semel Deus pepulerat de
populo suo: Itaque nunc nobis tecum est ratio, quia te
auctorem institueris. Quod enim Athanasius fuisset *
meus, quem inauditum quia punire noluerimus, homo

qui

A qui temet testem scires falsum, vt fera immanis ac bellua cœpisti nos cum Athanasio velle punire, tanquam frendoribus tuis possis seruorum Dei vigorem superare. Licèt enim Salomon dicat, Regis minæ similes sunt gemitibus leonis, tamen gemitus tui leonini contra nos habere virtutem non poterunt. Quare? quia sis tu præcursor Antichristi, & nos sumus milites Christi. Quare? quia homines Dei vincere non valeas tu persecutor eius Religionis. Item in alio loco, Nihil, inquit, interest inter minas regis & iram leonis. Quid hoc ad Dei seruos, qui præter Deum neminem esse timendum statuerimus, qui in manu Dei animas positas nostras meminerimus? possunt rugitus tuos timere coarriani tui, quia sitis sine notitia Dei, quia sint minimè † arma Dei induti. Cæterum Dei domestici ridemus rugitus tuos leoni similes. Quare? Quia feram te cognoscentes, cuius rugitus habere describeris, rideamus te magis sub figura hominis constitutam rabidam feram cernentes, quam timeamus, necesse est. Sed si non es fera sub imagine latens hominis, dicito. Legisti apud Salomonem, *Misericordia & veritas tutela est Regi, & circumeunt iusti sedem eius.* Cùm te contrà caterua malignorum circumsepserit Arrianorum, & esse cernamus misericordiæ punitorem, veritatis execratorem, quid esse aliud te iudicabimus, nisi feram ac belluam? excitaris in nos, vt leo rugiens, quod misericordiam & veritatem diligamus, quod non innocentem & iustum puniuerimus, & arbitraris non te esse immanem feram ac belluam sæuissimam: sed quæ te voluntas ad hæc perpetranda perduxerit, prorsus videre non possum, vt totius iustitiæ Episcopum Catholicum, Domini Sacerdotem fuisses tali exitio persecutus. Nunquid non memineras scriptum, *Facere iustitiam, & veracem esse, placet Deo magis quam hostiarum sanguis:* displicet tibi Athanasius, quod traditionem beatorum Apostolorum custodiat, quod se Christianum fateatur, quod nolit esse coapostata tuus. Non mirandum quandoquidem scriptum teneamus, *Sanctus autem immundus est apud malos,* vobis malignis displicet is, qui Deo placeat, tibi præsertim temerario ac superbo, qui temerarius hinc esse intelligeris ac superbus, quòd contra Dei ordinationem tetenderis manum, quòd Apostolicam traditionem putaueris destruendam: quòd Episcopos, sub quorum te sollicitudine agere oportuerat, sub tuam ditionem censueris redigendos. Quid igitur sis intellige, audiens per Salomonem quod tibi sit superbo nomen, *Temerarius & superbus pestilentia vocabitur.* Pestilens licèt sis homo, tamen morbo tuo vexare nos non poteris, quia tutelam nobis sit præbens diuina clementia. Tentasti denique pestilens facere nos compestilentes tuos, sed ille, cui dicari viuimus, [34] non siuit tanta tentamenta adire corda recta: suggerit enim scriptum: *Libera eos qui ducuntur ad mortem, & redimere eos qui interficiuntur ne cesses. Si autem dixeris, nescio hunc, scito quoniam Dominus corda omnium nouit: & qui figurauit spiritum omnibus illis, scit omnia, qui reddit vnicuique secundum opera eius.* Ad hæc, te dicente, damnate Dei cultorem, derelinquite fidem Apostolicam, suscipite perfidiam meam, vtique te aperis esse hominem pestilentem, Deus nobis subuenire vult in pressuris atque angustiis constitutis: & tu eis, quibus benefacere oportet, malefacere vrges: & quidem admonens ea, quæ timere posse existimaris. Aduertite iam si non in te sit morbus ille qui vocatur pestis: es morbus ad hoc valens, vt non solum corpora, sed & animas morbidas possis efficere, eorum videlicèt qui te velint audire dicentem: Damnate Domini antistitem, repudiate fidem quam semper tenuit Ecclesia, & suscipite meam quam tradidit Arrius. *Erubescere,* inquit sancta Scriptura, *personam in iudicio non est bonum: & qui dicit impium iustum esse, maledictus erit in populis, & odibilis gentibus. Nam qui arguunt, meliora sperabunt: in ipsos autem veniet benedictio optima:* & tu existimasti erubescere nos potuisse personam tuam, & damnare eum quem scires etiam ipse innocentem, quem retineres esse reum in hoc tantùm, quòd noluerit negare se esse Christianum. Interea quia te arguamus mortis iter

† Pro armis Dei induti in accusatiuo more Græcorũ.

B

Prou. 20.

Prou. 21.

C

Prou. 21.

34

Prou. 24

D

Prou. 24.

E tenentem, quia corripiamus, conspicis quæ nobis merces promittatur. *Aperi,* dicit Propheta, *os tuum verbo Dei, & iudica omnibus integrè: aperi os tuum & iudica iusta:* & tu dicis damnate innocentem. Retineo quidem factis † continens scripturis, *Noli superbire coram rege,* sed si intra terminos potestatis tuæ esse voluisses, & [35] superbus extitissem contra te, tenera ipse me vt præuaricatorem legis condemnassem. Nunc verò quia homicidæ tibi ac sacrilego vera dicamus, non vtique tanquam superbi puniti merebimur, sed magis præmiis afficiemur cœlestibus, quòd tibi erranti non pepercerimus. Scriptum est, flagellum equo, & stimulum asino, virgam autem genti insipienti. Vos negatores Dei vnici filij rectè insipientes vocamus, quós videamus in tanto versari sacrilegio. Nam cum esse scriptum video, *quod sicut canis qui conuertitur ad vomitum suum, & odibilis efficitur, ita stultus sua malitia conuersus ad suum peccatum,* de te specialiter dictum iudico. Quare, inquis? quia literis tuis iurasti Alexandrinis nihil te mali deinceps facturum Athanasio, & nunc quæris eum interficere. Sed inquis, Pater meus illum miserat ad exilium, & me oportuit patris mei parere statutis. Pone, vt vis, hæreticum esse Athanasium: Si rectè fuerat missus ad exilium, cur eum passus es contra patris tui statuta recipere dignitatem, [36] quam ei se tulisse tuus arbitratus fuerat pater? † Sed inquis, fratris mei Constantis factum est interuentu: sed potuisti occurrere, Constanti, dicens, Pater noster quem probauit hæreticum, nisi se correxerit, recipere in partes regni mei non possum. Sed inquis, timui ne inter nos bella fuissent orta. Ergo quia Soporinus Persarum rex nunc contra te gerit prælium, si tibi dixerit, Suscipe Religiones meas & ero tecum pacatus, te oportet cum omnibus in imperio tuo demorantibus facere transitum ad Religiones dæmonum? dæmoniis enim sacrificans est Soporinus. Conspicis enim non te egisse vt Dei seruum, suscipiendo eum, & loco reuocando suo, quem meminisses in causam fidei deportatum. Primò quod impotentem iudicaueris Deum, tanquam te tueri non potuerit, tuentem veritatem, hæreticis resistentem, deinde quòd magis tibi propitium esse volueris Constantem, quàm Deum: quem vtique Constantem regem si hæreticum factum memineras fauendo Athanasio, quem tu iam probatum habebas sacrilegum, non solum non regnum tuum Deo debueras præponere, sed nec ipsam tuam animam: Tu etenim ipse testis es conscientiæ tuæ. Quod enim propter fidem quam semper tenuit Ecclesia ac tenet, quod eam damnare noluerit, missus fuerit in exilium, quia videlicèt noluerit esse Arrianus [37] idcircò namque Athanasium perosum habitum à patre tuo. Non fugit te, quandoquidem & tu in ea eum digneris persequi causa, in qua fuerit & tuus pater persecutus. Dicat denique se non esse Christianum, fateatur se Arrianum, & erit apud te sapientissimus, magnus. Dignè itaque comparatus es cani, qui redierit ad vomitum suum: iam enim Christianus æstimabaris, & non esse Arrianus, ex quo Athanasium cum talibus literis diuinitus sibi commissis repræsentaueris. At nunc cum esse comprobaris Arrianus, & cupiens hæresen tuam inuenire locum, virum iustum persequaris, quia ille videlicèt sit eandem omni nisu impugnans, rectè es comparatus cani redienti ad suum vomitum. Item etiam in illo facto tuo egregio rectè comparandus cani, qui redierit ad vomitum suum. Quod enim acceperis veritatem, non esse Catholicum Adoxium [38] Germaniciensem, & dederis contra eundem literas ad Antiochenos, & postea hunc eundem Adoxium defendere cœperis veritatis esse doctorem, ipsius hæresen Catholicam iudicans fidem. Quare, Constanti, tam leuis, quamobrem in causa fidei, vt ventis pulsantibus arundo flecteris huc atque illuc? quid mirum si tam facilis fuisti ad damnandum Athanasium, etiam cunctos Dei inuitare Sacerdotes, quandoquidem etiam in statu Religionis tanta agere per tuam non dubitâris temeritatem: efferbuisti ad innocentis fundendum sanguinem Rex piissimus, tanquam non meminisses scriptum, *regis in veritate iudicantis de pauperibus: sedes* eius

† Continens pro, continuum esse dicis, vel contineri.

Prou. 16.

35

Prou. 26.

F

36

† Vide hic causam odii patris.

G

37

H

38

A *eius in testimonium resurget*, sed tu hinc putasti te summum, si contra diuinas ires scripturas, si cuncta quæ prohibent fecisses: odis Athanasium quod Christianus sit, quod esse noluerit Arrij, vt tu dicis, discipulus, summo eum persequeris odio, sed talem te circa eum futurum olim Spiritus sanctus ostendebat, ore Salomonis dicens, *Abominatio est iustus viro iniquo.* Noli, Constanti, adhuc demorari in his malis: noli Dei abuti patientia, retine
Psal.77. scriptum in 77. Psalm. *Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino, & percussit omnes inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum*
Psal.81. *dedit illis:* In 81. Psalm. *Quousque*, dicit Spiritus sanctus, *iudicastis iniquitatem, & faciem peccantium sumitis? Iudicate pupillum & egenum, humilem & pauperem iustificate. Eripite pauperem & egenum, de manu peccatoris liberate.* Interficite mecum, inquis, Deo dicatum, cupiens nos tecum haberi cum illis, propter quos dicitur, *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Mandat Deus ne iudicium proferamus iniustum, ne tuam pecca-
B toris reueriti faciem, sineremus te punire eum quem persequeris iniustè. Præcepit Deus humilem iustificari à nobis, eripi pauperem, & egenum de manu tua liberari carnifice. Et tu inquis, damnate eum quem voluit Deus de mea manu peccatrice erui: non mirum, nec enim poteras ire contra tuas execrabiles dispositiones. Dicit Spi-
Psal.96. ritus sanctus in Ps. 96. *Qui diligitis Dominum, odite malum:* & tua indicant præcepta te dicere, Amate quod est malum. Si enim malum esse videtur Deo damnari innocentem, dare aduersus absentem, & quidem iustum virum sententiam, quid est aliud quod nos cogis facere, nisi quod odio habeat Deus? Si igitur quod odit Deus fecerimus, vtique non erimus ex illis, ad quos dicitur? *Qui diligitis Dominum, odite malum.* Nempè tu idcircò non odis malum, quia non diligas Dominum, sed nos idcircò facere nolumus quod odit Deus, quia eum diligamus: facis hæc quia non sis seruus eius, cuius metus atque amor compellat nos odire malum. Neque enim in Ecclesia
C Domini, persecutor eius Ecclesiæ inueniris? vt putes ad
Ps.100. vos dixisse Prophetam in Psalmo, *Qui diligitis Dominum, odite malum*, quando & in 100. dicat, *Non habitat in medio domus meæ qui facit superbiam, qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum.* Non ergo ad vos foris positos dicitur, sed ad nos, *Qui diligitis Dominum, odite malum.*

Odimus denique malum quod vos idcircò amatis, quia sitis non in Ecclesia Dei. Quomodo etenim te in Ecclesia esse poteris asserere Dei, homo, qui non solum Ecclesiam sis persequens, sed & ipsum negans qui fundarit Ecclesiam? An non es superbus, & habitare poteris in domo Domini, quamdiu in hoc manseris supercilio? Quis enim merito poterit dici superbus, si tu possis humilis iudicari, qui dicis damnate contra mandata diuina innocentem, calcate præcepta Dei, mea seruate, sed fortasse non loqueris iniqua, & poteris inueniri inter Christianos tu negator patris, negator vnici filij eius, negator Spiritus sancti paracleti, Arrianæ hæresis fundator,
D destructor Apostolicæ fidei, non loqueris iniqua labiis tuis venenatis, nihil ore illo profers sacrilego quod sit
Ps.102. iniquum. Ignorabas in Psalm. 102. Spiritum sanctum dixisse de Domino. *Faciens misericordiam Dominus, & iudicium omnibus iniuriam patientibus*, vt iniustè mandares iudicari cuius mandatis parere nos dignum est Domini Sacerdotes, tuisne? nondum erepti ab immundis Spiritibus, an Prophetæ? per quem moneat Spiritus sanctus, vt omnis iniustitiæ pars vitetur à nobis cultoribus veræ diuinitatis? Non legeras, Constanti, dictum ad vos
Ps.104. reges à Deo. *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetas meos nolite malignari*, vt ad domum Dei auderes tendere
Ps.105. manus. Dicit plenus Spiritu sancto Dauid in 105. Psalm. *Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore:* & tu, Facite, inquis, mecum iniustitiam: persequeris Athanasium, impius pium, hæreticus Christianum. Sed oro te, dicas, quis vestrûm Deo esse possit acceptus? Tu negator æternæ maiestatis vnici filij Dei, ædificator falsæ Religionis, atque institutor, an Athanasius? Legisti in Psalmo 118. *Beati immaculati in via, qui ambulant* E
in lege Domini. Beati qui perscrutantur testimonia eius, in Ps.118.
toto corde exquirunt eum: & dicito, Quis vestrûm exquirit Deum, quis fideliter eius maiestati famulatum præbet? Tune, qui facis persecutionem Athanasio, quòd se Christianum fateatur? an ille qui te velit persecutorem suum è laqueis eripi diaboli? Túne, qui sis destructor Catholicæ fidei? an ille Apostolicæ fidei prædicator? Si tu es seruiens Deo, quomodo infrà dicit Spiritus sanctus. *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt.* Vos igitur hæretici operarij iniquitatis, cum non in viis inueniamini Domini, vtique manifestatis vos operibus vestris esse in via diaboli. Legisti, *Nolite zelari* Sap. 1.
mortem in errorem vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum, quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. An meministi legisse? Cur præcepisti, quæreremus nobismetipsis mortem? Si non legisti, cognosce quid nos facere fueris hortatus, tu qui in sortem delegeris esse illorum, quorum facinora describat ore Salomonis Spiritus sanctus di- F
cens: *Neque mercedem sperauerunt iustitiæ, nec iudica-* Sap. 2.
uerunt honorem animarum sanctarum, quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem suæ similitudinis fecit illum: inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Imitantur ergo illum qui sunt ex parte illius.

Conspicis te imitatorem esse diaboli, in parte esse constitutum illius: Cognoscis tu quòd tibimet conquiras mortem, tu qui nolueris in imaginem Dei, quomodo es factus à Deo, manere: sed temet contuleris ad illum, cuius inuidia mors intrauerit in orbem terrarum: contrà, accipe quantam felicitatem cupiat consequi Athanasius, vnde & nolit esse, quod sis tu, Arrianus, apostata. Accipe quantam fuerint etiam illi, quos iam quod se Christianos dixerint, es interficere dignatus, consecuti beatitudinem. *Iustorum autem animæ in manu Dei sunt, &* Sap 4.
non tanget illos tormentum malitiæ: Visi sunt oculis insipientiũ mori, & æstimata est malitia exitus illorum ab itinere iu- G
sto. Abierũt in exterminium, illi autem sunt in pace. Etenim si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est, & in paucis vexati, in multis benè disponentur, quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos se: tanquam aurum in fornace probauit illos, [39] *quasi holo-* 39
causti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum, fulgebunt tanquam scintillæ, in arundineto discurrent, iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus eorum in perpetuum.

Desideras interficere Athanasium, existimans quod ei si eum mactaueris, possis æternum dare malum, ignorans scriptum, *Condemnat iustus mortuus viuos impios, &* Sap.4.
iuuentus celerius consummata, longæuitatem iniusti videbunt: etenim finem sapientis, & non intelligent quid cogitauerit de illo, & quare munierit Dominus, videbunt & contemnent, illos autem Dominus irridebit, & erunt postbac decidentes sine honore, & in contumelia mortis in perpetuo, quoniam disrumpet illos sine voce inflatos, & commouebit illos à fundamentis, & vsque ad supremum deserentur, & H
*erunt in dolore, & memoria illorum * periet, venient in co-* * Proporitis.
gnitionem peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex aduerso iniquitates eorum. Cernis inter quos sit pars tua constituta: cernis cum qualibus temet feceris stare contra Dei domum, Athanasium verò videbis inter istos, de quibus infrà scriptum accipe, *Tunc stabunt iusti in ma-* Sap. 5.
gna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & abstulerunt labores eorum, videntes turbabuntur timore horribili & mirabuntur, in subitatione insperatæ salutis dicent, inter se pœnitentiam agentes, & per angustiam spiritus gementes, Hi sunt quos habuimus aliquando in risum & in similitudinem improprij. Non insensati vitam illorum æstimabamus insaniã, & finem illorum sine honore, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Tunc hæc dicturus es, nisi tibi consulueris, quando videris te demersum in tartarum. Tunc dicturus hæc, quæ dicit dicturos suos persecutores militum Christi Scriptura sancta, *Ergo errauimus à via veritatis, &*

iustitia

A *iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol non est ortus nobis, lassati sumus iniquitatis in via & perditionis, & ambulauimus* Sap.5. 40 4° *heremias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia, aut quid diuitiæ cum exultatione contulerunt nobis? transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius percurrens.* Contra Athanasium visurus es inter illos, quorum gloriam narrans Spiritus sanctus dicit, Sap.5. *Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces illorum, & cogitatio eorum apud altissimum. Ideò accipient regnum decoris, & diadema de manu Domini, quoniam dextera sua proteget illos, & in brachio suo defendet illos.* Tu contrà si in hac manseris animi obstinatione, si censueris finire fragilem hanc vitam inter Arrianos, eris inter illos, ad quos item lo- Sap.6. quitur ore Prophetæ Spiritus sanctus, *Audite ergo reges, & intelligite, discite iudices finium terræ, prabete aures vos, qui continetis multitudinem, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis, & vir-* B *tus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur regni, quoniam cum essetis ministri eius non rectè iudicastis, neque custodistis legem, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum in his, qui præsunt fiet: exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non subtransiet personam cuiusque Dominus, nec reuerebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam & pupillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus, fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo, ô mali tyranni, sunt sermones mei, vt discatis sapientiam & non excidatis.*

Tunc si nec dum nos audieris, Constanti, visurus quæ nunc videre vales minimè per incredulitatem tuam: videbis tunc cum inter tyrannos tuos fueris collocatus in illis locis tormentorum, non solum quod iniusta amaueris iudicia, sed & quod Dei domum destruere volueris, quod negator Dei filij extiteris, quod aliter fidem præ- C dicari sanxeris, permanentem potentiam tuam, quam Prophetæ & Apostoli prædicauerunt. Nec poteris dicere, Non sum inter illos quos describit per Salomonem Spiritus sanctus, quando audias dicere *ad vos, ergo ô mali tyranni sunt sermones mei.* Non poteris itaque negare te omnium esse contyrannorum tuorum principem, si modò Sap.6. penitus intuearis opera tua. *Custoditio,* inquit Propheta, *legem, confirmatio incorruptionis est, incorruptio autem faciet te proximum Deo.* Tu ad hæc, Corrumpite, inquis, Dei legem, vt corrupistis vos persecutores nostri. Quis tam vecors est, qui velit corruptus à te in æternum perire? qui nolit manendo in integritate proximus fieri Deo? Cur hæc aut ipse fecisti, aut nos facere fueras compellere ausus? Nunquid non legeras dixisse in libro Sa- Sap 9. pientiæ Salomonem ad Deum, *Deus parentum, & Domine misericordiarum, qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia constituisti hominem, vt dominetur creaturæ quæ à te facta est, vt disponat orbem terrarum in iustitia & æquitate, & in directione animi iudicium iudicet:* & iterum, *do-* D *cuisti populum tuum per talia opera, quoniam oportet iustum esse, & humana & bona spei fecisti filios tuos.* Non, inquam, si hæc scripta inueneras auderes ad tantam prouocare nos inhumanitatem. Quomodo verò bonæ spei filij erimus? Quomodo iustos nos & humanos antè Deum seruos illius exhibebimus? cum præuaricatores legis neque iusti neque filij Dei dicantur? Cognosce itaque à quali nos bono volueris pertrahere ad mortem, & quidem sempiternam. Siquidem omnis, qui desinit esse inter eos, quos in filiorum adoptionem vocauerit Deus, fit amittens vitam, fit perpetuam possidens mortem. Cum igitur sitis Arriani, inhumani, impij, crudeles homicidæ, quomodo dici Christiani poteritis? sed & cum negetis Christum vnicum Dei filium, & confiteamini credidisse vos in Antichristum, vnde aut quomodo vos poteritis Christi probare seruos, cum manifestaretis vosmet vestra professione esse famulos Antichristi? Antichristus etenim, in quem Arrius crediderit, re vera fuit, quando non fuerit: contrà noster Saluator Dominus ac Deus Dei vnicus filius, non est, vt tu vis, Constanti, creatura, sed est Dominus creaturæ. Est æternus, E inæstimabilis, sicut est, & cuius est filius, induit sanè perfectum hominem nouissimis diebus de vtero virginis: sed & cum suscepisset hominem, talis est, immutabilis, incorruptibilis, inenarrabilis, & inconuertibilis, qualis est & cuius est filius, non eum suscepti hominis causa in aliud, quàm quod semper fuit, potuit conuertere, quandoquidem in forma sit Dei patris sui, quandoquidem sit æqualis filius patri, vt refert beatissimus Apostolus, *Qui cum in forma Dei esset, non est rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam accipiens serui:* non enim quia dixit, *semetipsum exinaniuit formam serui accipiens;* Deus Dei vnicus filius aliud fieri potuit ex illo, quod est incorruptibilis, inenarrabilis, immutabilis, cum sit semper in eo statu æternæ magnitudinis manens, in quo sit manens & eius pater. Sed vtique intelligimus quod sit, sed semetipsum exinaniuit, hoc est, cum sit similis atque æqualis patri filius, tamen F quod & hominem se propter nostram salutem fieri voluerit. Cum itaque tu Antichristum susceperis pro Christo, quia re vera ille fuerit, quando non fuerit, qua fronte adhuc es resistens Christianis? nisi illa, qua solent & adulteræ pudicis? Ausus fuisti tentare, dominari velle Dei populo, subiicere velle Ecclesiam Dei tuo regno, diuinam maiestatem illius tantum metuentem tuo futili imperio, & hoc quidem fecisti quia nesciens sis scriptum esse de vobis tyrannis, *Propter hoc indisciplinatæ* Sap 17. *animæ errauerunt: dum enim persuasum habent iniqui posse se dominari nationi sanctorum, vincti tenebrarum catenis, & longa nocte compediti inclusi sub tectis fugitiui,* Conspicis iam te esse inter illos Dei populi persecutores de quibus legisti, *quòd vna catena tenebrarum sunt omnes colligati:* & iterum, 41 *digni quidem illi carere lumine & pati* 41 *carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiunt filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen vitæ omnibus dari.* An negabis Dei antistites te tenere in claustris? Et cum es detinens ne prædicemus certè Dei populo veritatem G cur nos retines in carcere? cur mittis ad exilia? nisi quia sis metuens ne vos lupos Arrianos, rapaces canes rabidosos atque Antichristos esse temporis nostri manifestemus sacris reuelantibus scripturis: Sacræ enim scripturæ probant vos ex actibus vestris non esse Dei seruos, sed planè filios diaboli. Si enim non es vnus ex illis, quos tales futuros sacræ clamant scripturæ, cum scriptum inueneris in 131. Psalm. *Surge Domine in requiem tuam, tu &* Ps. 131. *arca sanctificationis tuæ, Sacerdotes tui induantur iustitiam,* cur damnari à nobis absentem voluisti? certè ad hoc vt iustitiam, qua nos induerat Dominus, amitteremus. Cum enim dicat, Sacerdotes tui induantur iustitiam, & tu iniustitiam nos vrgeres facere, quid aliud essemus, si fecissemus quod tuæ maleuolentiæ fuerat visum, nisi conscelerati tui, nisi totius iniquitatis fontes? hi scilicèt, qui deponentes iustitiæ officium, iniustitiæ viam, vt tibi placeremus, essemus suscepturi: Persequeris Dei domum, Constanti, ignorans teipsum Deum persequi in domo eius: Domus etenim Dei est Ecclesia, in qua est in- H habitans Dominus, sicut scriptum est in eodem Psalmo, Ps. 131. *Elegit Dominus Sion, praelegit eam in habitationem sibi, hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo quoniam praelegi eam.*

Cum hæc itaque sint, temet puniri conspice, quando aliquem nostrorum ponis tuam te salutem persequi, quando sis Deo repugnans, non nos, in quos audias Deum dicere. Quod enim dignetur requiescere. Tu ergo qui templa Domini tentas violare, nisi te conuerteris, eo dispereas genere, quo illi, de quibus dicit Dauid in Psalmo 135. *Qui percussit Ægyptum cum primitiis* Psal. 135. *eorum, quoniam in sæculum misericordia eius, & eduxit Israël de medio eorum, quoniam in sæculum misericordia eius, In manu forti & brachio excelso, quoniam in sæculum misericordia eius. Qui diuisit mare rubrum in diuisionem, quoniam in sæculum misericordia eius, & transduxit Israël per medium eius, quoniam in sæculum misericordia eius, & excussit Pharaonem & exercitum eius in mare rubrum.*

A Qua de re hæc scripta inuenio nisi vt crederem, quia
cum tu me premere tentares, Deus meus, quod sic po-
tuisset, nisi te conuertisses, extinguere, quomodo Pharao-
nem, & me quod sic fuisset ereptus de manibus tuis,
quomodo & illos de Pharaonis potestate: Idcircò ete-
nim dicit ad singulas virtutes, quoniam in seculum mise-
ricordia eius, vt mihi aperiret, quoniam Domini mise-
ricordia mecum sit semper permanens, qui ei tantum
sim seruiens: tecum verò esse non posse, quia videlicèt
inimicus illius sis, quomodo fuit & Pharao. Noluimus
damnare absentem, noluimus in eum quem scimus in-
nocentem, & in eum quem nouimus Catholicæ fidei
prædicatorem, dare iuxta desiderium tuum sententiam.
Quare? quia nos Christiani in Deum porreximus spem
nostram, non in te, ac regnum tuum caducum. Noluimus
de gloria regni tui nobis placere, qui gloriam consequu-
turi sumus, expectantes ab eo, in quem solum confiden-
dum esse atque sperandum docens, dicit Dauid in Psal-
B mo 145. *Nolite confidere in principibus, & in filiis homi-*
Ps.145. *num, in quibus non est salus, exibit spiritus eius, & reuerte-*
tur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes
eorum. Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, & spes eius in
Domino Deo ipsius, qui fecit cœlum & terram, mare & om-
nia quæ in eis. Qui custodit veritatem in seculum, facit iu-
dicium iniuriam patientibus. Noluimus iniustè tecum per-
sequi iustitiæ plenum fructibus, ne dum de te vindicta
cœpisset consequi, fuisset consequuta etiam de nobis:
non fecimus quod iniustè præcepisti nos implere, ne te-
cum veniremus ad illum locum, qui in Ecclesiastico de-
Eccl.3. scribitur, *Et Deus requiret eum qui persecutionem pati-*
tur, & adhuc. *Vidi sub sole locum iudicij, illic impius: &*
locum iusti, illic pius. Noluimus vobis coniungi hæreti-
cis, noluimus tecum dare manus ad Dei impugnandam
domum, noluimus tecum idololatriam suscipere in con-
tumeliam Dei, noluimus sacrilegio tuo misceri, ne & nos
audire mereremur tecũ illa, quæ ore Oseæ Prophetæ au-
C dient Sacerdotes, populus & rex Israël qui cuncti dere-
Oseæ 5. licto Deo ad idololatriam se contulerant, *audite hæc Sa-*
cerdotes, & attendite domus Israël, & domus Regis, in-
tuemini, ad vos est iudicium, [42] *quia vt laqueum facti estis*
42 *ad insidiam, & sicut retia extensa ad auiarium venantis.*
Apud Amos Prophetam sciebas vtique scriptum, quan-
do dedisti disciplinam, exemplum damnandi scilicèt
innocentem qui fecit in excelso iudicium, & iustitiam
in terra posuit. Dei iustitiæ violator, Michæam prophe-
tam dixisse nunquid ignorabas de Iuda & eorum princi-
Mich.2. pibus? *Non leuauerunt ad Deum manus suas, & concu-*
piebant agros, & diripiebant orphanos, & domum per po-
tentiam inuadebant, & diripiebant virum & domum eius,
virum & hæreditatem eius, propter hoc hæc dicit Dominus,
Ecce ego cognosco super plebem mala, ex quibus non leua-
bitis ceruices vestras: sed tibi cum proscribere digneris,
deportare, mittere in carcerem, torquere, postremo
interficere Dei cultores, nihil malorum repræsentabi-
tur. Noluimus misceri actibus tuis nefandis, ne tecum
D ad æternam damnari pœnam hæc audiremus, quæ dicun-
Mich.3. tur apud Michæam à Deo. *Audite itaque hæc præpositi*
domus Iacob, & residui domus Israël, qui abominamini iu-
dicium, & omnia recta peruertitis. Qui ædificatis Sion &
Hierusalem in sanguine & iniquitatibus: Iudices eius cum
muneribus iudicabant, & Sacerdotes eius cum mercede re-
spondebant, & Prophetæ cum pecuniis diuinabant, & in
Domino requiescebant, dicentes, Dominus in nobis est, &
non venient in nos mala. Non legeras adhuc apud istum
sanctissimum Prophetam, vt damnari iuberes virum Deo
Mich 6. dicatum, *In quo comprehendam Dominum, assumam Deum*
meum excelsum. Si comprehendam eum in holocaustis aut in
vitulis anniculis, aut si suscipiam Dominum in millia arie-
tum, aut in decem millia hædorum pinguium, aut dabo pri-
mogenita pro mea impietate, fructũ ventris mei pro peccatis
animæ meæ. Renuntiandum tibi est homo quid sit bonum, aut
quid Dominus exquisiuit à te aliud, nisi vt facias iudicium
& iustitiam, & diligas misericordiam, & paratus sis ire cum
Hab.1. *Domino Deo tuo.* Nec apud Habacuc inueneras scriptum,
impius per potentiam oppressit iustum, vt ita sceleratum

fuisses aggressus opus quod te apud Deum posset facere E
impium. Item infrà non inueneras positum. *Cur inspi-* Hab.1.
cis super contemptores? tacebis ob hoc, quod deuoret im-
pius iustum, & idcircò nos videntes quia tu impius iu-
stum deuorare tentaueras, verum non solùm non tacui-
mus malè te agere, sed nec tacebimus. Non enim alius
es ab eo, propter quem dicitur, *Placens & contemptor*
vir superbus nihil proficiet, qui dilatauit sicut infernus
animam suam, & ipse vt mors insatiabilis, non poterit dici
quod non conueniat dici de te, si digneris mecum recor-
dari scelera facinorum tuorum, & si funera tua non fue-
ris tardus recensere. Quis etenim alius nostris diebus
sibi placens, contemptor, superbus, nihil proficiens,
qui dilatauerit sicut infernus animam suam, & quia
æstimari possit esse, vt mors insatiabilis reperiri potest,
nisi tu? Sed conspice nihil te posse proficere, dici tibi à
Deo.

Licèt enim contemptor Dei præceptorum sis, eius licèt
Religionem cupiens persequi, eo vsque dilataueris ani- F
mam tuam ad Dei mactandos cultores, vt toto in regno
non digneris desinere gregem vexando Domini, tamen
nihil proficit omnis infestatio tua. Cuncti etenim quos
persequeris, Dei semper & sunt & erunt serui. Tu verò,
nisi tibi prouideris, in æternum eris periturus: tibi pla-
cens, contemptor, superbus, quia sis dilatans animam
tuam tanquam infernus ad nos deuorandos pariter & ab-
sorbendos, propterea quod malè tibi agenti resistamus,
factus vt mors insatiabilis furiis ageris in nostram ne-
cem, adeò nequam es, Constanti, vt cum Prophetam in-
uenio dicere, *ô qui mihi fundat fundationem malam domui* Hab.2.
suæ, vt collocet in altum nidum suum, tu mihi atque hære-
ditas Antichristi, cui fauces, antè oculos obuersetur, co-
gnoscens conatus tuos illos sacrilegos. Non enim potest
dubitari te conatum & conari, vt toto in regno tuo
posset fundari hæresis tua, destrui verò fides Catholica.
Sed & cum audio dicatum Deo Prophetam dicere, *Væ* Hab.2.
qui ædificant ciuitatem in sanguinibus, & præparant ciui-
tatem in iniquitatibus. Tu mihi esse videris, qui speluncam G
latronum sis per sanguinis fusionem ædificans, per ne-
cem Dei seruorum. Aut negabis speluncam latronum esse
vestrum malignum concilium Arrianorum. Si non estis
latrones, quomodo interficere inuenimini Deo dicatos?
Ciuitates in sanguine qui ædificant, væ habent. Pruden-
tissimus Imperator non vidisti, væ tibi posse esse, quia
hæresem tuam per sanguinis Dei hominum fusionem pu-
tasti reædificandam? dicit Spiritus sanctus per Sopho-
niam Prophetam, *Quærite Dominum, & omnes humiles* Soph.2.
terræ iudicium operamini, & iustitiam quærite, & responde-
te, ea sic vt tegamini in die iræ Domini. Tu dicis damnate
innocentem, estote mecum homicidæ, sacrilegi, an non
hæc sunt, quæ uos facere præcipis? Imperasti damnari
Domini Sacerdotem, nec non imperasti Arrianam perfi-
diam tenendam, reiiciendam verò fidem apud Nicæam
conscriptam. Si hæc impleri mandasse te refragari non
potes, conspice & homicidas & sacrilegos nos efficere H
voluisse. Dicit Deus, & erit in illo die, [43] *Scrutinabo Hie-* 43
rusalem cum lucerna, defendam super viros, qui contempto- Soph.1.
res sunt, ne custodiant mandata. Et tu inquis, tua magis
atque complasphemorum tuorum custodienda. Quo-
modo poteramus damnare iniustè iustitiæ fructibus ple-
num Domini Sacerdotem, cum videamus qualis com-
minatio fuerit aborta contra Iudæorum præpositos, vel
contra omnes eorum conscios qui hæc quæ agis egisse
noscantur? *O quæ erat splendida & redempta ciuitas co-* Soph.3.
lumba, non exaudiuit vocem, non percepit disciplinam in
Domino, non confidit, & ad Deum suum non accessit.
Principes eius sicut Leones fremunt. Iudices eius sicut lupi
Arabiæ, non subreliqui erunt in mane Prophetæ eius, spiri-
tales, viri contemptores, Sacerdotes eius contaminant se &
impiè agunt. Dominus autem iustus est in medio eius, & non
faciet iniustè.

Cum hæc ita se habeant, & nobis licitum minimè sit
iniustum proferre iudicium: Superest autem vnum te
facias esse ex eius seruis, & discas iudicium proferre, aut
si semper Dei vis esse inter aduersarios, iudicium tuum
solus

A solus pro me iniustum, desine nos cogere facere, quod fieri cernas diuinitùs prohibitum. Desine iam criminari Athanasium vel nos quod nos Dei destruamus domum, quando inuenias apud Zachariam te atque contyrannos tuos esse descriptos. Quod enim futuri essetis Dei hæreditatis persecutores, vos quos dicit supra modum vobis vsurpasse potestatem. Crudelitatem etenim narrans vestram dicit Dominus, Zach. 1. *Zelatus sum Hierusalem & Sion zelo magno, & ira magna ego irascor super gentes, quæ se superponunt vobis, propter quod ego iratus sum minima. Ipsi autem composuerunt se in mala.* Audes tenebrarum amator, execrator luminis, dicere, damnate innocentem, cum dignetur præcipere nobis Deus per Zachariam dicens, Zach. 7. *Iudicium iustum iudicate, & pietatem & misericordiam facite vnusquisque ad fratrem suum, & viduam, & orphanum, & proselytum, & pauperem, & per potentiam nolite nocere, & malitiam vnusquisque non reminiscatur fratris sui in corde suo.*

B Cum hæc sint madata cœlestia, tu cuius auctoritate dixisti, laniare conseruum vestrum? Si Dei mandatis te protulisse hanc auctoritatem dixeris, non poteris probare, quoniam quidem inueniri non possit in sacris scripturis præceptum Dei, innocentem damnandum. Cum itaque ea feceris, quæ lex prohibet Dei, constat te hanc auctoritatem ex voluntate illius protulisse, qui vocetur inimicus Dei. Vnde & illis compareris necesse est, quibus Zach. 7 dicitur per Prophetam, *Et dissuaserunt ne obseruarent, & dederunt dorsum stultitiæ, & aures suas, & cor suum statuerunt insuasibile, ne obedirent, degrauarunt,*[44] *vt non obediret legem meam, & infra, Non exaudierunt, si clamabunt* 44. Zach. 8. *& non exaudiam eos, dicit Dominus omnipotens. Animæ* * Pro quiescite, manete in pace. *quiescite, hæc sunt verba quæ faciatis, loquimini veritatem vnusquisque ad proximum suum, & iudicium pacificum & iustum iudicate in portis vestris, & vnusquisque malitiam proximi sui nolite cogitare in cordibus vestris, & iusiurandum falsum nolite diligere, quoniam hæc omnia odi, dicit* C *Dominus omnipotens.* Quid me cogis facere ea, quæ odio se habere dicit Dominus omnipotens? Sed instruens Dominus de ieiunio, *pacem*, inquit, *& veritatem diligite.* Quomodo pacis atque veritatis amatores esse poteramus, si innocentem falsis per te ac tuos criminibus prægrauatum, tanquam reum puniremus? aut quæ erat pax? cum hæc faciendo etiam à pace Domini potuissemus reiici? Neque enim pax Domini dicentis, Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis, relinqueretur ab eo in nobis, cum alio ipsi tulissemus. Quis ignorat recedente disciplina, recedere & gratiam? Apud Malachiam di- Malach. 1. cit Deus, *Filius honorificat patrem, & seruus Dominum suum. Et si pater sum ego, vbi est honor meus, dicit Dominus omnipotens?* Quem igitur timorem atque honorem Deo facturi eramus, si fecissemus, quæ tu fieri mandasti? Illa enim tua præcepta, & timorē & honorem Dei nituntur auferre dicaris eius clementiæ, sed & infra tuam speMalach. 2. cialiter operam manifestans, dicit, *Exacerbastis Deum in verbis vestris, & dixistis, in qua re exacerbauimus eum, in eo quod dicatis, omnis qui facit malum, bonum est coram* D *Deo, & in ipsis benedicet, & vbi est Deus iustitiæ?* Propheta dicit, vbi est Deus iustitiæ, contra eos, qui dicunt, Qui facit malum, bonum est coram Deo, & in ipsis benedicet. & tu das mandata, fundendum cruorem iustorum, & adhuc dicis te Dei seruum, cum sis ipsius dissipator legis. Iustum est damnare absentem, & quidem innocentem 45. aut iniustum? si iustum non est,[45] quia cogis facere nos eam rem per quam puniri mereamur à Deo? Tobias, Tob. 4. *omnibus, inquit, diebus vitæ tuæ, fili, Deum in mente habe, & noli velle peccare, vel præterire præcepta illius. Iustitiam fac omnibus diebus vitæ tuæ, & noli ambulare per viam iniquitatis, quoniam agente te ex veritate, erit respectio operibus tuis, & omnibus qui faciunt iustitiam.* Dic, Constanti, Iustitiam facit qui interficit innocentes? qui seruorum Dei fundit sanguinem? Si non facit iustitiam, sed magis iniquitatem, restat vt te videas esse inquitatis amatorem, atque omne iniquum fabricantem opus. Etenim cum iustitiam nos in omni tēpore facere hortetur sacra lex, & tu compellas facere iniustitiam, quem te alium velis

E habeam nisi & iniustitiæ amatorem & perpetratorem? Omnibus, inquit, diebus vitæ tuæ, fili, Deum in mente habe, cum eundem reliqueris hærendo Arrianis. Hi etenim non eum derelinquimus, qui fidem tenemus Apostolicam. Quomodo non præcepta eius præteris, qui interficias seruos eius nomini maiestatique dicatos? cum sis eos cogens derelinquere eum, & fieri conserpentes atque coapostatas tuos. Nos odio apud te laboramus, quia tibi verā dicamus, quia te viuere nobiscum velimus in æternum. Illos vero es diligens, quia ad te transitum fecerint. Illos qui cum tibi primum contraxerint, postea tamen seruire nefariis meditationibus tuis, quàm Dei parere præceptis maluerint; gaudens es quod eosdem tuā callidirate illiciens ad suscipiendam perduxeris hæresim tuam, quod in omnibus eos habeas subiectos, illos quos iamptidem videras pro nihilo te ducere; quos cernebas calcare propter veritatem regni tui auctoritatem. Sed scite te volumus, non esse nouum hoc factum, sed sæpè F ita esse actum à perfidis atque inconsideratis ab eis, quos præscius futurorum ore sanctissimi Malachiæ præostenderit Propheta. Malach. 3. *Grauastis aduerū me consilia vestra, dicit Dominus omnipotens, & dixistis, In qua re detraximus de te? quia dixistis, vanus est omnis qui seruit Deo, & quid amplius? Quod custodiuimus præcepta illius, & ambulauimus deprecantes ante conspectum Domini omnipotentis; & nunc nos magnificamus alienos, & renouantur omnes facientes iniqua, & restiterunt Deo, & saluati sunt. Hæc detraxerunt qui timent Deum, vnusquisque ad proximū suum, & intendit Dominus, & exaudiuit, & scripsit librum memorialem coram se timentibus Dominum, & metuentibus nomen suum, & erit mihi, dicit Dominus omnipotens in die qua ego facio in possessione, & eligam eos, quemadmodum eligit homo filium suum bene seruientem sibi, & conuersi videbitis quantum sit inter iustum & iniustum, inter seruientem Deo & nō seruientem.* Malach. 4. *Quia ecce dies venit Domini ardens sicut clibanus, & vret eos, & erunt omnes alienigenæ, & omnes qui* G *faciunt scelera vt sarmenta, & succedens eos dies Domini, quæ venit, dicit Dominus omnipotens, & non derelinquetur ex eis radix, nec vitis.* Deum dicere hæc audiens, quia adhuc in malis tuis esse digneris, gaudere te etiam in hoc arbitror, quod cum præuaricatoribus, cum Deum derelinquentibus, illa percepturus sis ab eo. Væ tibi homicidę atque sacrilego quoniam nisi pœnitentiā factorū tuorū egeris, eris, vt nunc es inter illos, quos ore Esaiæ increpat Deus dicens, Isa. 1. *Væ gens peccatrix, populus plenus delictis, semen malignum, filii sine lege, dereliquistis Dominū, & exacerbastis sanctum Israël* Eris semper vnus ex illis, qui propter nequitias studiorum suorum principibus Sodomorum & populis Gomorrhæ comparantur, dum dicitur, *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, Attendite legem Dei, Plebs Gomorrhæ.* Cum illis ergo nisi te correxeris, de quibus scriptum legisti, *Si multiplicaueritis preces, non exaudiam vos manus enim vestra sanguine plenæ sunt.* Væ tibi, Constanti, qui tantam Dei, incurreris offensam, vt non videre potuisses, quid tibi fuisset cauendum. Cum H enim dicat ore Esaiæ illis Prophetarum sanctorum & Isa. 1. omnium iustorum interfectoribus, *Lauamini, mundi estote, auferte malitias ab animis vestris ante oculos meos, desinite à malitiis vestris, discite bonum facere, inquirite iudicium, eripite iniuriam accipientem, iudicate pupillo, & iustificate viduam.* Ad hæc tu contra iuberes trucidandos Dei cultores, ipsum desetendum Deum, suscipiendam verò idololatriam. Hoc fuit audisse Dei monita, & fuisse correctum? Qua de re istud cogis nos facere? nisi quia sis Isa. 1. cupiens nos tecum gladio consumi? *Et si volueritis, dicit Deus, & exaudieritis me, bona terræ edetis; Si vero nolueritis, neque exaudieritis me, gladius vos comedet. Os enim Domini loquutum est ista.* Cui obtemperabimus, Deóne hæc dicenti, an tibi eius inimico? Deus dicit Iudæis, vt iam derelinquerent errores suos, abiicerent malitias suas ex cordibus suis, discerent bonum facere, iustum iudicarent iudicium. Tu inquis, damnate iniustè. Qua de re istud suades me facere? nisi quia velis me effici illius modi hominem, quales sint illi, ad quos dixerit Deus, *Vos autē,* di- Isa. 3. cit Deus, *quid succenditis vineam meam, & rapina pauperū*

A *in domibus vestris? Quid vos iniuriam facitis populo, & faciem inopum confunditis?* & tu ita hæc es faciens, ita cuncta gerens, quæ quia faciant indignatur facientibus, tanquam placere te non posse iis sciens, nisi & Domini succendisses vineam, & rapinam pauperum constituisses intra domum tuam, & multis modis seruis Dei irrogasses iniurias. Aut dicere tentabis hæc omnia te non fecisse? Nunquid non succendisti vineam Domini, quando coëgisti eam iam non scire Dominum Abrahæ, Deum Isaac, Deum Iacob, Deum Apostolorum, Deum Prophetarum ac Martyrum, sed idololatriam per Arrium inuentam per te verò exaltatam? Nunquid non est rapina pauperum hæc Dei seruorum Christianorum in domo tua, Matth. 5. propter quos legisti scriptum, *Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cælorum*, cum scias te proscripsisse resistentes sacrilegio tuo? nunquid dicere audebis? Non feci nec facio iniuriam populo Dei: & quis tantam aliquando fecit quantam tu? qui neque omnia genera B tormentorum * inferendo desis, neque variè puniendum voluimus innocentem, tanquam reum punire, ne ista & nos percuteret sententia quæ ore adhuc Prophetatur Isaiæ, *væ scribentibus nequitiam: scribentes enim nequitiam scribunt declinantes iudicium pauperum, & rapientes iudicium egentium plebis meæ, vt sit illis vidua in rapinam, & pupillus in direptionem, & quid facient in die visitationis? Tribulatio enim vobis à longè superueniet, & ad quem refugietis?* non * temperauimus tuo consilio venenato, cupientes confugere in omnibus tribulationibus nostris atque anxietatibus ad eum ad quem confugerit ille iustitiæ amator in omnibus probatione Iob: non obediuimus præcepto tuo crudeli, quia voluerimus imitatores inueniri istius Dei serui Iob dicentis, *Liberaui pauperem de manu potentis, & orphano qui sine adiutorio erat, ego eram adiutor: Os autem viduæ me semper benedixit. Iustitia enim eram vestitus, & coopertus * indicium, & eram oculus cæcorum, & pater infirmorum: iniquorum autem molas confregi, & à dentibus illorum rapinam abstuli, & infrà positus sum statera iustitiæ, & scit Dominus simplicitatem meam, quoniam nunquam pes meus exorrauit à via recta, sed nec oculus meus conspexit.* Quæ est recta via, à qua se refert gloriosus Iob non deorbauisse? vtique hæc, quæ nec innocentem interfecit, nec alium scit Deum, quia nec scit Deum Angelorum Archangelorumque, quem non posse nos sentis eripere de tua potestate.

*Pro inferre desinis, gerundium pro infinitiuo vsurpauit. Isa. 10.

*Pro non obtem-perauimus.

Iob. 29.

*Pro iudicio more Græcorum.

C

Quando enim dicis de fide beatæ Ecclesiæ, si Catholica est apud Niciam descripta fides; eripiat eos in quem crediderunt de mea potestate. Non habere vtique virum ad eripiendum nos de manibus tuis, Deum dicis non posse te stare contrà: asseris Ecclesiæ Apostolicæ Deum non habere tantam potentiam, quæ possit tuam excludere virtutem. Quid enim aliud confitetur beata Ecclesiæ fides, nisi quia sit credens in Deum patrem, & in vnicum filium eius, natum ex innato, & vero patre, & in sanctum Spiritum paracletum? Quid aliud confitetur fides Catholicæ Ecclesiæ, nisi quia Trinitas sit perfecta, & vna sit D * dealitas Patris & Filij & Spiritus sancti? Quid aliud confitetur beatæ Ecclesiæ fides, nisi quia neque pater susceperit hominem, neque Spiritus sanctus paracletus, sed vnicus filius Dei? Quid aliud astruit gloriosæ Ecclesiæ fides, nisi quia sit Dei vnicus filius immutabilis, inconuertibilis, inæstimabilis, immensus, æternus? sicuti sit, & cuius sit filius. Credidit sancta Ecclesia, vnam potentiam habere, vnicamque dominationem Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Hanc fidem, quam dicis hæreticam, & tuam astruis Catholicam, illam quæ dicat Deum non habere verum filium, quæ dicat fuisse quando non fuerit, quæ dicat factum ex nihilo, vtique ex illis sensibus quibus Rabsaces dux Assyriorũ regis exprobrabat Deum Abra- Isa. 36. hæ, & Deum Isaac, & Deum Iacob dicens: *Non vos seducat Ezechias, quia possit vos liberare de manibus regis Assyriorum Deus vester:* ita & tu dux Antichristi dicis per tuos, Non vos seducant verba Episcoporum vestrorum, qui mihi contradicunt, quia vos liberare non potest fides, quam illi prædicant. Licèt enim sermonem varient, tamen res ad hoc perducitur vt constare possit, te sic nobis

*Pro deitas.

exprobrare Deum, quod impotens sit ad eripiendos nos, E quomodo Rex exprobrarit Assyriorum. *Hæc dicit rex* Isa. 36. *Assyriorum, Si vultis benedici, exite potius ad me, & manducabitis vnusquisque fructum vestrum vineæ & ficus, & bibetis aquam de lacubus vestris donec veniam & accipiam vos in terra tali, sicut est terra vestra, terra tritici, & vini, & panis, & vinearum. Non ergo vos seducat Ezechias, dicens: Deus vos liberabit, & infrà: Quis liberabit Hierusalem de manu mea? sed quod contrà talis esse monstratus es, dicit ore Esaiæ Deus ad Ezechiam, Non est quod paueas à sermonibus istis, quos audisti, quibus exprobrauerunt me legati Assyriorum, ecce mitto meum spiritum, & audito nuntio reuertetur in regionem suã & cadet gladio in terra sua.*

Illa nunc, Constanti, circa te stare cernimus pericula, nisi tibi feceris esse consultum, quæ circa illum steterint, qui dicebat, *Sic dicetis Ezechiæ regi Iuda, Non te seducat Deus tuus, in quo confidis dicens: Non tradetur Hierusalem in manus Regis Assyriorum.* Sic in periculis es tu, blaspheme, vt ille, & non vides: contrà nos Dei cultores F videmus tutos defensosque stare incolumes: vnde tuti sumus ac defensi? nisi quia sanctam teneamus fidem, quam tenuerunt Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, ac Martyres, hanc, quam iudicasti hæreticam: sed vt iterum ad Athanasium redeamus, in quo hanc persequeris sacram fidem, non timuisti, oro te indignationem Domini contra illos prolatam, qui exprobrare tentauerunt Iob iustissimum, vt falsis criminibus peteres Dei antistitem? Non metuis etiam nunc ne ad te dicat Deus, quæ dixit illi regi loquenti contra Iob sanctissimum, *Peccasti tu, &* Iob. 42. *amici tui ambo. Nihil enim veri locuti estis coram me.* Interea sic vos Arriani superiores potestatis Athanasio inueniri nunc apud Deum, quomodo & illi tunc inuenti sunt, qui Iob exprobrant. Vtile est tibi, Constanti, vt per Athanasium Domini Sacerdotem pro facinoribus tuis sis supplex Deo, per ipsum dirigas vota tua, sicuti & illi per Iob, per Athanasium siue per Coepiscopos eius des operam, [46] salutarem consequi baptismum. Cæterum quo 46 velitis vos torqueatis modo aduersus Athanasium, vos G de filiis esse inuenimini, quippe hæretici, illius anguis colubri, refugæ, desertoris: Athanasius verò est Dei domesticus, vt fuit Iob: est de filiis lucis, & ipsam tenens iustitiæ viam, quam tenuit seruus Dei Iob: est ipse possidens fidem, vnde & de filiis Athanasius Abrahæ est: Sic Dei filium confitetur Athanasius, vt confessus est Iob: qui Iob? vnde de filiis Abrahæ? nisi quia sic crediderit, quomodo fuit credens & Abraham? Si hæc ita se habere ignoras, percurre beatum Paulum Apostolum non solum ad Romanos, sed ad Galathas, & inuenies vera esse quæ defendam: aut nunquid, quia Iob iusti beatus Apostolus nominis specialiter non fecit mentionem, negabitur Iob de filiis esse Abrahæ? Si non potest negari Iob esse de filiis Israël, dubitari non potest, hinc illum tantum factum ac talem, quia crediderit in Deum, vt fuerit credens beatus Abraham, non enim operibus legis, sed per fidem iustificari credentes reuelat Apostolus: neque enim illarum tentationum victoria ei fuisset reputata ad iusti- H tiam, nisi fuisset sic credens in Deum vt crediderit Abraham: aut vnde vinceret diabolum, nisi quia fuisset credens in Deum patrem, & in vnicum filium eius, natum ex innato & vero patre, & in sanctum Paracletum Spiritum? aut si putas quia non ita est semper creditum, vt hodie credimus, proba beatos Apostolos ac Martyres potuisse superare [47] concarnifices tuos, atque 47 victo amico vestro diabolo consequi regna cœlestia, nisi credentes in Patrem & in Filium & in Spiritum sanctum.

Igitur si ita hi credendo vicerunt, qui post Domini vnici filij Dei aduentum crediderunt, crede quia & ante aduentum eius, qui vicerunt diabolum, non aliter crediderunt, quàm quomodo hodie credimus. Neque enim Daniel leones, & tres pueri vincerent ignes, nisi quia credentes fuissent, vt hodie credit Ecclesia: inde denique Abrahæ fidem prouocat Apostolus probans auctoritate vsus sacrarum literarum, sic credidisse Abraham, quomodo nunc fuerit credens Paulus. Tunc verò se fuisse

filium

A filium iræ erroneum, quando cum Iudæis negabat vni-
cum Dei filium. Cum hæc ita sint, obsecro te, vt iam
contra Dei domum gerere pugnam desinas, accipiasque
hortamenta cœlestia, quæ te perducere possint ad con-
sequendam salutem perpetuam. Ore accipe quæ dicat
ad vos Isaiæ Deus, *Audite me, qui perdidistis cor vestrum,*
qui longè estis à iustitia: aut si cor tuum tecum est, si
non à iustitia es longè, cur dicis nobis Dei sacerdoti-
bus: Damnate absentem, punite innocentem? Si enim
cor tuum non amisisti, & iustitiæ tenes viam, cur non
Isa.56. tenes scriptum, *Custodite iudicium, facite iustitiam:*
48 [48] *appropiauit enim salutare meum aduenire, & miseri-*
cordia mea reuelari. Beatus vir qui facit eam, & homo qui
amplectitur eam, Sabbatha mea non violare, custodiens
manus suas ne faciat iniustitias: & iterum, Non est gaude-
re impiis, dicit Dominus, exclama in virtute, ne parcas:
sicut tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo pec-
cata sua, & domui Iacob iniquitates suas: me de die in
diem quærunt, & scire vias meas volunt, tanquam populus
B *qui iustitiam fecerit, & iudicium Dei non dereliquerit. Pe-*
tunt à me nunc iudicium iustum & appropiare Deo deside-
49 *rant.* Quam, infelix, spem habere potes nisi pœnitentiam
malorum tuorum factorum egeris? cum audias Deum
dicere, Non est gaudere impiis: aut negabis te impium
Dei cultorem, cum te non neges fusorem sanguinis? de-
inde si tempore ieiuniorum subditos quia percusserint
pugnis, & aliis iniuriarum generibus læserint, contra
eos huiusmodi increpationes protulit Deus: qualem
contra nos protulisset, si contra præcepta diuinæ magni-
tudinis eius damnaremus inauditum, absentem, & qui-
Isa.58. dem innocentem? *Nec sic flectas vt circulum ceruicem*
tuam, & cilicium, & cinerem substernas, nec sic vocabitis
ieiunium acceptum. Cernimus per hanc comminationem
quanta esse possit aduersus nos Dei ira, si innocentem
damnaremus. Si enim tempore ieiuniorum pugnis sub-
ditos nobis percusserimus, taliter indignatur Dominus,
quanto magis si eius cultores mactauerimus? Si pugnis
non licèt mihi percutere subditos tempore ieiuniorum,
C poterit licere quouis tempore gladio percutere consacer-
Isa.58. dotem meum? *Non tale ieiunium elegi, dicit Dominus, sed*
solue obligationes violentorum contractorum, dimitte con-
fractos in remissionem, & omnem conscriptionem iniquam
disrumpe, frange esurienti panem tuum, & egenos, qui sine
tecto sunt, induc in domum tuam: Si videris nudum operi,
& domesticos seminis tui noli despicere. Quam tenes rex
prudentissime spem? Cum hæc omnia verteris in con-
trarium? Quomodo enim omnem nodum soluisti ini-
quitatis, cum siue incredulitate tua, qualem te institue-
ris aduersum nos, sis talis permanens, & magis magis-
que sis crescens in maleuolentia tua ad nos disperden-
dos, siue in blasphemia tua auctor sacrilegij creueris,
magis etiam edicto blasphemiam tuam, Catholicam esse
adserendo fidem, more scilicèt meretricum, quæ primo
quam scortentur, postea verò ita sint inuerecundæ, ita
amittentes pudicitiæ decus, vt velint scortari in propa-
tulis? Quomodo dissoluisti omnem nodum iniquitatis,
D cum contra beatum Athanasium, susceptum ante annos
furorem adhuc ita retineas, vt velis eius fundi cruorem?
50 Quomodo dimisisti confractos in requiem, cum torquen-
do variè non desinas seruos Dei? Et quomodo dimisisti
contractos in requiem, quando videas carceris metalla,
exilia, vix iam capere posse Christianorum numerum
per te damnatorum? Quomodo etiamsi fregeris esu-
rientibus panem tuum, acceptum habebit Dominus, cum
seruos fame neces dicatos eius æternitati? Quomodo si
inducas egenos sine tecto in domum tuam, respicere di-
gnabitur super opus tuum Deus, cum videat seruos suæ
claritatis reiectos de domibus priuatis, propterea exules
factos, quod noluerint suscipere idololatriam tuam per
Arrium institutam? Quomodo si nudos texeris, poteris
Deo placere, cum seruis ipsius patrimonia tuleris, & dixe-
ris, si damnaueritis fidem Apostolicam, atque Arrianam
susceperitis, cuncta vestra recipietis: sanè vnum de his
omnibus Domini sacris mandatis inueneris implere.
Quod enim domesticos seminis tui non despicias, non
despicis re vera conuiperinos tuos Arrianos natos vide- E
licèt de [51] impudente patre vestro diabolo: diligis fra- 51
tres tuos, quia hos videas tibi proximiores, hos amas sin-
gulari affectu, his cunctam gloriam regni tui exhibes, hos
socios atque participes ad Dei delendam hæreditatem
in tuo regno habes, illos fecisti locupletes, illos extulisti
supra omnes constitutos in sublimitate: hoc est eos, qui
se vestris miscere consueuerunt tenebris. Igitur cum sis hæc
agens, quæ odio habeat Deus, quomodo arbitraris te au-
diri posse à Deo, aut si feceris eleemosynam posse tibi
ferri accepto? cum audias dicere, *Tunc orietur ma-* Isa.58.
tutinum lumen tuum & sanitas tua cito orietur, & præcedet
ante te iustitia, & maiestas Dei circumdabit te. Tunc clama-
bit, & Deus exaudiet te. Adhuc loquenti tibi dicet, ecce ad-
sum. Aliquid te eorum posse consequi arbitraris, quando
quidem non ortum tibi fuerit matutinum lumen, sed te-
nebræ inextricabiles obsederint animum tuum, atque
pertexerint errorum caligines: quæ sanitas tibi oborta
est? cum sis positus in omni vulnere mortis, cum quoti-
die augmenta parias vulneribus tuis? Cum dans operam F
sis, quo possis penitus temet extinguere? nobis etenim
non aliunde est sanitas, nisi primo in loco quia credideri-
mus, vt crediderunt Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli ac
Martyres. Quomodo potest te præcedere iustitia; cum to-
tus in iniustitia sis permanens: cum sentina sis Arriani
dogmatis? cum Christianorum sis fusor sanguinis? Quo-
modo te maiestas Dei circumdabit? cum expugnans
ipsam maiestatem sis, quam derelinquens, idololatriam
Arriani dogmatis suscipere censueris? Quomodo tunc
clamabis, & Deus exaudiet te, adhuc loquenti tibi dicet,
Ego adsum, cum sis negans Deum patrem, negans vnicum
Filium eius, negans sanctum Paracletum Spiritum. Quo-
modo aut exaudire te poterit, aut dicere tibi, Ecce ad-
sum? cum vetris, quantum apud te est, eius Religionem,
cum eius antistites Catholicos remoueris, & hæreticos
constitueris: quomodo te exaudiet, quem calcandum pu-
tasti modis omnibus: nisi pœnitentiam malorum facto-
rum egeris, nisi vias tuas nefarias deserens, sanctæ Eccle-
siæ iustum iter comprehenderis? Tunc vtique hæc pro- G
missa Dei consequi poteris. Scriptum est enim propter
eos, qui corde ex toto sese ad Deum conuerterint, *Hæc* Isa.57.
dicit excelsus in excelsis habitans, in æternum sanctus in
sanctis, nomen ei Dominus altissimus in sanctis requiescens,
& pusillanimis, dans animæ æquitatem, & dans vindictam
contribulatis corde. Non in æternum irascar vobis, nec sem-
per vindictam de vobis exigam: sed quibus hoc dicit? nem-
pè eis, qui se conuerterint per satisfactionem ad delicta
sua delenda. *Vnde & non tale ieiunium elegi, dicit Domi-* Isa.58.
nus, sed solue omnem nodum iniquitatis, sed solue obligatio-
nes violentorum contractorum, dimitte confractos in remis-
sionem, & omnem conscriptionem iniquam disrumpe: frange
esurienti panem tuum, & pauperes qui sine tecto sunt induc
in domum tuam: si videris nudum operi, & domesticos semi-
nis tui non despicies. Tunc orietur matutinum lumen tuum,
& sanitas tua cito orietur, & præcedet ante te iustitia, &
maiestas Dei circumdabit te. Tunc clamabis, & Deus exau- H
diet te, & adhuc loquenti tibi dicet, ecce adsum. Aderit tibi
Deus, si primo credas in eum, si deinde ad hæc verteris te-
met, quæ etiam infrà dicit implenda, *si auferas à te vincu-* Isa.58.
lum iniquitatis & obligationis, & verbum murmurationis,
& dederis esurienti panem tuum ex animo, & animam hu-
miliatam satiaueris. Tunc orietur in tenebris lumen tibi, &
tenebræ tibi vt meridies erunt, & erit Deus tuus tecum sem-
per, & repleberis sicut desiderat anima tua, & omnia ossa
tua pinguescent, & erunt sicut hortus ebrius, & sicut fons cui
non deficit aqua. Hæc vt iam dictum est, consequi pote-
ris, si te ad Ecclesiam conferas, si coartianos tuos vites,
si illam malignorum congregationem vestram odire di-
gneris. Tunc erit Deus tecum semper, tunc in tenebris
orietur lumen tibi, tunc tenebræ tibi vt meridies erunt,
tunc in bonis diriget iter tuum. Cæterum si in hac
peruicacia manseris, si in hac crudelitate, vt seruos eius
crucies, non tecum Deus erit, sed ille, qui & hodie esse
in vestro cœtu Arrianorum inuenitur, hoc est, diabolus.
Ista etenim quæ agere dignaris, non sunt Dei, sed diaboli.

A Si opera sunt illa Dei, vt proscribas certos, quod aut Athanasium antistitem Dei non damnauerint innocentem, aut quod non hæretico suo Georgio communicauerint, aut quod se dicant Christianos, quod nolint effici coapostatæ, tui possunt sanè æstimare, si illa opera Deo sint placita. Item si eleemosyna est ista, quam de lachrymis das alienis, de eorum bonis qui deportari, interfici, proscribique maluerint à te, quàm aut innocentem damnare, aut negare vnicum Dei filium, in quem credentes sciebant glorificatos Abraham, Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas, Apostolos ac Martyres, quorum te fieri socium, atque omnibus participem me cupere; mea circa te hæc esse vota ille est testis, qui nobis tribuere hoc potens est.

LVCIFERI EPISCOPI ad Constantium Imperatorem pro Sancto Athanasio.

B

LIBER II.

AVdes ad Deo dicatos tendere, Constanti, manus ad eos vexandos, quorum fœlicitatem declarat Apo-
Rom. 8. stolus dicens, *Scimus autem, quoniam diligentibus Dominum omnia procedunt in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt, quos præsciit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij eius.* Procedunt quidem nobis in bonum tuæ persecutiones. Sed aduerte per Ieremiam quæ vobis
Ierem. 2. persecutoribus promittat Deus dicens: *Sanctus Israël Domino initium generationum eius, omnes qui edunt eum, pœnitebunt. Mala inducam super eos, dicit Dominus.* Venient super te mala quæ tibi promittit Deus, Constanti, nisi temet correxeris, sicut venerunt super illum populum carnalem comblasphemum tuum, ad quem dicitur,
Ierem. 2. C *Tu malignatus es vt coinquinares vias tuas, & in manibus tuis inuentus est sanguis animarum innocentium.* Eris in æternum inter Dei inimicos, nisi audieris audiens eius
Ierem. 7. sanctam dicentis admonitionem, *Si emendantes emendaueritis vias vestras, & cogitationes vestras, & facientes feceritis iudicium inter virum & proximum eius, & proselytum, & pauperem, & viduam non [52] potentabitis, sanguinem innocentis non effuderitis in hoc loco, & post alienos Deos non abibitis.* Emendabis vias tuas, si iam desinas persequi Dei seruos, si te Christianum fueris confessus, & esse Arrianum negaueris, si filium Dei, verum Dei filium credideris, si anathema feceris dicens, Erat quando non erat, & factus est ex nihilo: mutabis vias tuas, si pœnitueris
* Alias eris vnus ex illis. pro homicidiis: pro quo sacrilegio tuo, alioquin * eris vt nunc es, ex illis in quorum exprobrationem dicitur à
Ierem. 7. Deo, *Nunquid spelunca latronum est domus mea, in qua vocatum est nomen meum?* Quos vis esse Dei domum, vosne Arrianos, an nos Christianos? Si enim vestra maligna congregatio est domus Dei, ergo latronum con-
D gregatio est domus Dei. Vos etenim fundendo sanguinem Dei seruorum, vt tunc fundebant Iudæi, inspicimini esse latrones. Ex fructibus tuis, Imperator Constanti, non esse Christianus, sed planè manceps latronum cognosceris. Præcipis denique innocentes interimi, habitans scilicet non in Ecclesia Domini, sed in spelunca latronum: non desinis interficere eos, quos videas interfici paratos pro vnici Dei filij claritate, pro æterna illius maiestate. Noluimus ad falsas suggestiones tuas dare contra virum iustum sententiam, ne & nos perceuteret tecum
Ierem. 9. & cum Iudæis ista Domini increpatio, *Extendit linguam suam sicut arcum in falso, & fides non inualuit super terram, quia de malis mala exierunt, & me nescierunt.* Tu, qui falsorum es criminum concinnator pariter & ama-
* Al nisi te correxeris, eris vnus ex illis. tor, tu dominum nesciens, * nisi te correxeris, vt es vnus, eris ex illis, de quibus scriptum legisti, *Veritatem non loquuntur, didicit lingua eorum loqui mendacium: reuerti noluerunt, & non obreliquerunt vsuram super vsuram, dolum super dolum, noluerunt me nosse, dicit Dominus. Propter hæc, hoc dicit Dominus, Ecce ego comburo eos,* E *& probabo eos, quia sic faciam à facie malignitatis filiæ populi mei. Sagitta vulnerans lingua eorum, maligna verba oris eorum, proximo suo loquitur pacifica, & in semetipsum detinet inimicitiam, nunquid in his visitabo, dicit Dominus, aut in gentem talem non vindicabit anima mea?* Eripe te, Constanti, à fouea Arrianæ dementiæ, ne des æternas pœnas cum consacrilegis tuis: noli gloriari tibi de caduca tua dignitate: considera te mortalem, quia aliter non possis consequi immortalitatem, nisi Deum agnoueris, & eius feceris voluntatem. Sicut scriptum est, *Hæc dicit Dominus, non glorietur sapiens in sua * sapientia, & non glorietur fortis in fortitudine sua, nec glorietur diues in diuitiis suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur, inquirere me & intelligere, & scire in Deum gloriari, quia ego sum Dominus qui facio misericordiam, & iudicium, & iustitiam super terram, quia in his est voluntas mea, dicit Dominus.* Ierem. 9. * In veteri codice est in sua patientia. Cum igitur videas in his esse voluntatem domini, quomodo hæc quæ amare se dicit Dominus perosa habere dignatis? *In hoc,* inquit, *glorietur, qui gloriatur, inquirere me & intelligere, & scire in Deum gloriari.* F Quomodo poteris te dicere nunc in Deum gloriari? Quomodo poteris requirere, te illum diligere, cum sis prouocans omnes cultores eius maiestatis ad deserendam fidem Apostolorum, ad blasphemiam dogmatis vestri suscipiendam? *In hoc glorietur, qui gloriatur, inquirere me & intelligere, & scire in Deum gloriari, quia ego sum Dominus qui facio misericordiam & iudicium, & iustitiam super terram, quia in his est voluntas mea, dicit Dominus.* Cum itaque iudicium vis iniustum à Dei proferri Sacerdotibus, cum sis fusor innocentium sanguinis, non es eius seruus qui hæc ore loqui dignatus sit Prophetæ, sed planè es illius famulus qui repleuerit cor Cain, vt iustum puerum primum cultorem interficeret Domini. Hinc est quod cum sis tanta in sublimitate positus, vnus tamen ex his esse inueniaris, de quibus Dominum locutum in Euangelio legisti, *Vos de diabolo patre nati estis, & concupiscentiam* Ioan 8. *patris vestri facere vultis: ille enim homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit.* G Es mendax & homicida: mendax, qui crimina falsa * obiceris Dei seruo Athanasio: * Proobieceris. mendax, quia Hæreticam fidem dicas Catholicam, & Catholicam dicas Hæreticam. Homicida, quia & sanguinem persequeris Athanasij, & iam interfeceris certum numerum Dei cultorum: non stetisti sine dubio in veritate, quia sis hæc gerens, sed es totus in mendacio constitutus, quia & mendax sit pater tuus, qui te cogit ad vnicum negandum Dei filium, qui te impellit ad eius seruorum effundendum cruorem.
Noluimus damnare absentem, [53] noluimus innocentum ferre sententiam, noluimus hæresim suscipere 53
tuam, ne facti tibi similes mereremur audire, quæ audiunt coërratici tui Iudæi, in quorum opprobrium colligimus per Ieremiam dictum, *omnes gentes sine circumcisione sunt, & omnes domus Israël sine circumcisione sunt cordis.* Ierem. 9. Es atque eris, nisi te nobis tradideris, inter illos, quos contra clamat Spiritus sanctus ex persona nostri H populi ad Deum dicens, *Scio Domine, quoniam non sunt hominis viæ eius, neque vir ibit & corriget cogitationem suam, doce nos Domine, sed in iudicio, & non in ira, ne paucos nos facias, effunde iram tuam super gentes, quæ nesciunt te, & super regna quæ nomen tuum non inuocauerunt, quia comederunt Iacob, & consumpserunt illum, & pascua eius exterminauerunt.* Ier. 10. Conspicis te vnum esse ex illis contra quos dicit Dei spiritus ex persona populi nostri: respicis, nisi te conuerteris, quod ira Domini in te alienigenam, in te regem, quia non solùm non inuocaueris nomen Domini, sed adhuc fueris persecutus, sit ventura. Nam & cum dicit, *Quia comederunt Iacob, & consumpserunt eum, & pascua eius desolauerunt:* Ier. 10. quis reperiri potest esse inter contyrannos tuos principes huius pascuæ exterminator, nisi tu qui-
dem, qui [54] nec laniando Dei desiteris seruos, nec blas- 54
phemias tuas toto in regno seminans tuo? Extermi-
nare etenim te populi Dei pascuam conatum [55] non 55
poterit dubitari, quando eius pastores tuleris, de quibus, sicut sæpè diximus, per Ieremiam dixerit Deus.

A Ierem. 3. 56

Et dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos pascentes cum disciplina: & statueris hæreticos, aliis vero Catholicis imponi feceris modum, 56 vt si in votis gererent in suis considere sedibus, non auderent fidem prædicare Apostolicam: non † tentarent, te hæresis Arrianæ defensore degenti in corpore, Euangelicam traditionem populis insinuare. Hæc est causa, quæ te probat pascuam Dei populi exterminare tentasse. Omnis etenim sagina animarum Christianarum non est nisi credere, quomodo & crediderint Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli ac Martyres: deinde omnem facere iustitiam. Tu contrà cum & fidem tollere volueris de cordibus populorum Dei, & perfidiam tuam inserere: cum iustitia Dei vis in Ecclesia fieri, vt absens & innocens damnetur à iustitiæ sectatoribus, & per sacerdotes puniatur consacerdos eorum Catholicus ad tuam hæreticam suggestionem. Quomodo videri poteris non esse exterminator pascuæ dominici gregis, quando nostra pascua, non sit nisi cœlestis doctrina? *Si vis*, inquit Dominus, *ad vitam venire, serua mandata.* Et iterum: *Si feceritis quæ mando vobis, iam non dico vos seruos, sed amicos.* Cum hæc ita sint, debes tu ad te purgandum dare præcepta dominica, quæ iusserint innocentem Catholicum episcopum, te hæretico interea imperatore accusante, debere interfici à consacerdotibus suis. Forrassis etenim tentabis isto in loco dicere, non te pascuam dominici gregis exterminare conatum: si nullum domini præceptum illiusmodi quale prolatum est à te poteris proferre, superest vt cordis illi tui oculi blasphemia cæcati, Arrij patefacti per Dei seruos hanc increpationem videant, omnia te fecisse quæ tibi obiecimus, negare non poteris, talem te præbere circa nos, qualem se præbuerit Herodes illi, cui & in carnificinæ rabie, & in sacrilegio, & in regali dignitate esse inueniris collega, circa illos, quos in Euangelio legimus propter Deum Dei filium interfectos paruulos. Inuenisti vtique scriptam crudelitatem Herodis, quam nunc tu dignaris exhibere, apud Matthæum Euangelistam: *Tunc Herodes cum videret quia delusus est à Magis, iratus est vehementer, & misit occidere omnes infantes in Bethlehem, & in omnibus finibus eius à bimatu, & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis.* Minimè adhuc fortassis conspicis sic te iniustè contra nos Dei cultores motum, vt contra illos paruulos fuerit motus Herodes. Cur nobis dignaris esse infestus? nempe quia fateamur nos Christianos, qui non damnauerimus iustum falsis à te prægrauatum criminibus. Quibus rebus quisnam sis, ex beati Baptistæ Ioannis responsis poteris perpendere, & temet reconciliare Deo per pœnitentiam. *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere ab ira superuentura? Facite ergo dignum pœnitentiæ fructum, & nolite praeferre vos dicentes, Patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quod potens sit Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim ad radices arborum posita est securis. Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur.* Quid sentis ad hæc? debuimus damnare innocentem, debuimus dare contra absentem & inauditum sententiã? & quomodo cum hoc fecissemus, potueramus reperiri Christiani? Cum illos qui possint esse Christiani, hortatus fuerit beatissimus Ioannes, vt dignum fructum † fecissent pœnitentiæ: illi, qui necdum comprehenderant viam iustitiæ, comprehendere cogebantur: nos qui iam tenemus, vrgebamur atque vrgemur à te illud occupare iter iniquitatis, in quo positi noscantur Iudæi. Quid igitur nobis posset accidere, si vipereis tuis depasti fuissemus consiliis, nisi vt ex Christianis fuissemus viperæ progenies effecti? Cur hæc fieri mandasti, nisi quia conserpentes nos tuos effici cupiueris tu? qui cum scias dixisse dominum in Euangelio, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur, Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur,* & tamen dixeris, necandum innocentem. Quomodo etenim beatus potero esse, si damnauero virum iustum, si reiiciens sitim iustitiæ, concepero ardorem iniustitiæ? Quomodo propter fructus iustitiæ saturabor à Deo, cum opus hoc iniustum faciat me Cain fratricidam? Quomodo iterum porero inter misericordes fructibus misericordiæ locupletatis regnum consequi cœleste? Cum, si interfecero iuxta desideria tua Dei seruum, inueniar non misericors, sed crudelis atque sceleratus, quippe homicida. Cum, si cum ego immisericors fuerim circa fratrem meum, sic sit & circa me futurus ille misericordiæ amator, ille iustitiæ exactor; qui dicit: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quia ipsi misericordiam consequentur. Quicumque*, dicit dominus, *soluerit vnum ex mandatis his minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum.* Et dicis, Constanti, vt quicumque non fuderit sanguinem innocentis; non potest regnum consequi cœlorum: Dic, Sanctissime, in quo abundare poterit Christianorum iustitia, plus quàm scribarum & pharisæorum: si eum, quem tu, quod se Christianum dicat, quod nolit fieri Arrianus, persequeris, interfecerimus? in quo essemus potiores scribis & pharisæis, si extitissemus tecum negatores vnici Dei filij, si, vt illi repudiaut, tecum repudiaremus Euangelicam fidem, destruxissemusque Apostolicam traditionem? † ne dixisse memineras dominum, *Audistis quia dictum est antiquis, Non occides, quicumque autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis quod omnis qui irascitur fratri suo sine causa, reus erit iudicio.* Vt hæc fieri imperares, si iratus fuero sine causa fratri meo, si dixero ei, fatue; reum me dicit futurum vnicus Dei filius in gehennam. Et Imperator Constanti, si fudero cruorem innocentis; dicis, requiem æternam possessurum: nec retinere potuisti, quando meditaberis interfici oportuisse Athanasium; sub quali conditione munera iusserit offerri dominus? *Si igitur offers munus tuum ad altare, & ibi rememoratus fueris, quod habeas aliquid cum fratre tuo, pone munus tuum ante altare; & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc reuersus offer munus tuum.* Quid fuerat operatus malorum Athanasius, vt hæc transgressus præcepta interfici eum mandares? nempe hoc, quod se Christianum dixerit, aut dicat. Aliud etenim nihil est quod execraris, atque es punire cupiens in Athanasio. Non memineras præcepisse dominum etiam inimicos diligendos, vt cum quem neque in te, neque in Deum scires peccasse, tam acerrimè fuisses persecutus? *Audistis quid dictum est, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & benedicite maledicentes vos, & benefacite eis, qui persequuntur vos, & orate pro eis, qui vos persequuntur, vt sitis filij patris vestri qui est in cælis, qui solis ortus exhibet super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim dilexeritis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani ista faciunt? & si salutatis amicos vestros tantum, quid plus facitis? nonne & gentiles idipsum faciunt? Eritis ergo & vos perfecti, sicut & pater vester qui est in cælis, perfectus est.* Diligendos mandat etiam inimicos Dominus, & tu nos persequeris quod innocentis domini sacerdotis cruorem non tecum fuderimus. Diuina clamat vox dicens, *In quo iudicio iudicaueritis, & de vobis iudicabitur, & in qua mensura mensi fueritis, in eadem † remittetur vobis.* Et tu dicis, Iugulare quem deliquisse ignoraris. Fontem malorum cum te esse memineris, fuisti tamen ausus de eo, quem sciebas falsè petitum à vobis, dicere, Reus est mortis. Adeo es excors, Constanti Auguste, vt nec dictum illud domini cum hæc mandares fieri, potueris reminisci: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non vides? aut quomodo dicis fratri tuo, sine vt eiiciam tibi festucam de oculo tuo, & ecce trabes in oculo tuo est? Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui.* Trabem in oculo tuo dicit esse dominus, & audes dicere Athanasio viro iustissimo, festucam habes in oculo. Ille enim nihil horum commisit, quæ ei dignaris obiicere: contrà, tu quæcumque diximus, es operatus, damnate, quoties dixisti innocentem? quam nos aliam vo-

Marginal notes (left): Matt. 19. — † Pro aggrederetur & attentare auderet. — B Matt. 19. Ioan. 15. — C Matth. 2. — Matth 3. — D — † pro facerent;

Marginal notes (right): E — Matth. 5. — † — * pro ne. Matth. 5. — Matt. 5. — G — Matt. 5. — H Matth. 7. — † remetietur puto reponendum. — Matt. 7.

A luisti comprehendere viam, nisi tuam, quam describit Dominus, dicens. *Quam lata & spatiosa via, quæ ducit ad interitum, & multi sunt qui intrant per illam.* † Pro Cum. † Quia itaque sis in hac lata & spatiosa constitutus via, præcepisti damnari innocentem, cupiens profectò cunctis reuelari, quòd tua latè perditio dominetur. Tempore quo venisti ad Italiam, sic te lupum finxeras ouem, tanquam non fuissemus ex operibus tuis te reperturi, 57 tanquam fugisset nos domini monella dicentis, Matth. 7. *Attendite vobis à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestitu ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Numquid non luxerunt illico tristes venenis diaboli in te seminati amarissimi fructus tui, vt dicere tentasti, damnandum fuisse inauditum? numquidnam non patuerunt confestim insidiæ tuæ lupi rapacis? Quod enim contra Dei ouile machinam construxisses maximam, fructibus ergo tuis quomodo non ouis fuisse, sed lupus agnitus es, sic & quomodo sis, nisi tibi
B consulueris, arbor igni destinata probant sacra Euangelia. *Numquid colligunt de spinis vuam, aut de tribulis ficus? sic omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur: ex fructibus enim eorum cognoscetis eos. Non omnis qui mihi dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei.* Si voluntatem patris vnici Dei filij facis, quomodo fit vt eius filium neges vnigenitum, vt ipsum patrem dicas non esse verum patrem, vt fundamenta per Apostolos coneris destruere iacta, vt interficeres atque interficias cultores eius, vt antistites ipsius de populis pelleres sibi commissis, vt absentem & inauditum damnari iuberes, vt hæresim tuam quæ vnam blasphemat diuinitatem Patris & Filij & Spiritus sancti in Ecclesiam introduceres. Si hæc cuncta, vt diximus placita sunt Deo Patri, poteris intrare in regnum cœlorum. Audis enim dicere
C vnicum Filium eius, Matth. 7. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei.* Damnari iubes innocentem. Non recolis Exod. 21 in exodo dixisse Deum, *si rixauerint duo, & percusserint mulierem in vtero habentem, &* 58 *abortiuerit non deformatum, detrimentum patietur: quodcumque æstimauerit vir mulieris, dabit eum dignitate. Quod si deformatum fuerit, dabit animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, combustum pro combusto, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore.* Credo nihil sacrarum te fugere scripturarum: neque enim posses egregia nobis dare mandata, nisi fuisses legis peritus. Matth. 7. Legisti vtique etiam hæc: *Omnis qui audit hos sermones meos & facit illos, similem æstimabo illum viro prudenti, qui ædificauit domum suam super petram, descendit pluuia, & venerunt flumina, flauerunt venti, impegerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat super petram. Et omnis qui audit sermones meos, nec illos facit, similem æstimabo illum homini stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, descendit*
D *pluuia, aduenerunt flumina, flauerunt venti, illiserunt domui illi, & cecidit, & facta est ruina eius magna.* Quem te horum esse dicis, Constanti, sapientem an insipientem? Si dixeris sapientem, cur opera tua monstrant te insipientem? cur domus tua inuenitur collocata supra arenam? Neque enim poteris supra petram te ædificasse domum tuam dicere, cùm omnis sapiens videat fabricam stultitiæ tuæ, cum omnis Dei seruus conspiciat magnam hanc quam prædixit Dominus ruinam salutis tuæ: In quo etenim inuenitur stare Christianus, nisi in eo quod præceptis pareat Domini? nisi in eo quod omnibus si fuerit vexatus pro nomine Dei filij persecutionibus, tamen duret immobilis? in quo erit perfectus Christianus, nisi si etiam fuerit interfectus pro eo quem tu negare dignaris verum esse filium Dei? Tu contrà, cum non in Ecclesia sis, sed apud Arrianos Dei inimicos, cum Dei vnicum filium negans sis, cum non sis implens eius mandata clementiæ, sed magis destruere coneris, cum sis

præuaricator legis, cum desertor sacramenti militiæ E cœlestis, cum persecutor Dei religionis, cum te circa eius cultores præbeas carnificem, quomodo poteris sapiens vir inueniri similis illi quem dixerit dominus, supra petram ædificasse domum suam? sed inquis contra hæc, non sum insipiens, ego noui me sapientem. Si sapiens es, cur ea fecisti atque es faciens, quæ soli possunt facere insipientes? Si es sapiens cur damnari mandasti inauditum absentem? Cur innocentem præcepisti interfici? cur Dei sacerdotes desiderasti hostes Dei fieri? neque enim possunt Dei effici amici per hoc factum, cum dominum scias dixisse Apostolis, *Si feceritis quod mando vobis, iam non dicam vos seruos, sed amicos.* Ioan. 15. Si sapiens es, cur damnantem te Athanasium Dei sacerdos audire debeo? Tu enim causas præstare allegationum suarum minimè es passus. Si sapiens es, si es Dei cultor, cur nos, quia Christianos esse nos fateamur, persequeris? Cur eos qui se non dixerint esse Christianos, sed fateantur se esse Arrianos vehementer diligis? Si sapiens es, F cur ad domum Dei misisti sæpe militem armatum? Si prudens es, & Dei te nosti seruum, cur eius populum armis es persecutus atque persequeris? Cur postremo fidem Apostolicam atque Euangelicam, hæreticam dicis: & hæreticam, catholicam pronuntias? Tu te dicis sapientem, sed contrà nos cernimus nullum posse, qui hæc faciat, esse sapientem. Quis etenim sacrilegus poterit dici prudens, nisi ab imprudentioribus se? si tu sapiens es, Constanti, quis sit te insipientior, inuenire non potero. Tunc adhuc tibi videris esse sapiens, qui fueris arbitratus quod Prophetæ, Apostóli ac Martyres pro creatura fuerint interfecti? Negare enim non audebis cunctos hos pro vnico Dei interfectos filio. Quomodo poteris dici sapiens, qui non solum descendentibus pluuiis, fluminibus inundantibus, flantibus ventis resistere non tentaueris, ne temet, qui domi esse inueniris, pessum dedissent, sed & ipse in pluuias, flumina, ventosque te verteris ad hoc, vt nos tu turbo H atque procella diabolica tecum ad exteriores traheres tenebras? Gal. 5. *Manifesta autem sunt*, dicit Apostolus, *opera carnis, quæ sunt adulteria, fornicationes, immunditia, impudicitia, luxuria, idololatria, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, hæreses, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia quæ prædico vobis, sicut prædixi, quia qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et fuerit in innocentis necem mens tua sapientia vigens? Clamat Apostolus quod homicidæ non sunt possessuri regnum cœlorum, & tu Constantius prudentissimus dicis Imperator, iugulate absentes, mactare inauditos, interficite innocentes, & vestrum erit Dei regnum? Hinc datur intelligi quàm sis sapiens. Si denique ille sis qui domum tuam ædificaueris supra petram: dixisse etenim te negare non poteris, Ego propterea cupio damnare Athanasium, quia desidero placere Deo. Sic vtique & nos placere desiderasti Deo, quomodo iam tu placueris, ex quo videlicet Athanasium es dignatus cogitare interimere, in nostra omnium conscientia domini sacerdotum. H Sic in primordio Cain Deo placuit, mox vt interficere meditatus est fratrem. Quomodo videtur, Constanti, vnde sit radix tua, de qua descendisset stirpe? Numquidnam poteris negare post hæc, te in illo esse choro quem narrat Apostolus Romanis, Rom. 1. *Et sicut non probauerunt Deum habere in notitiam, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, impudicitia, cupiditate, nequitia, plenos inuidia, homicidiis, contentione, dolo, malis moribus, susurratores, detrectatores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, sibi placentes, gloriantes, inuentores malorum, parentibus non obsequentes, insipientes, incompositos, sine affectu, sine misericordia, qui cum iustitiam Dei cognouerint, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte. Non solùm qui illa faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus ea.* Ecce nimius amor in te subito circa nos ortus, quid nobis contulerat si tibi obtemperare auderemus? mortem hauseramus.

A Rom. 12. seramus perpetuam. Item dicit infra, *Nulli malum pro malo reddentes, prouidentes bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus. Si fieri potest quod ex vobis ipsis est cum omnibus hominibus pacem habentes.* Sitiens hæc calcari salutaria monita es nos hortatus punire innocentem. Quomodo autem bona non solum coram Deo sed & apud homines prouidisse inueniebamur, si damnassemus innocentem, qui dedissemus formam ad sanguinem fundendum iustorum, quomodo cum omnibus inueniebar hominibus pacem desiderans habere, qui suggestione tua falsa hæretici exitus pacem extinxissem consacerdotis mei? Dic, Constanti, verum crimen detulisti de Athanasio ad Dei Ecclesiam, an falsum? Si verum te detulisse certum habes, proba mihi qui te iam falsi criminis cognoui portitorem. Arbitraris nihil te malorum in conspectu egisse Dei? Quæ te compulit ratio fieri testem falsum? Cur mendax Imperator extitisti? Cur non timuisti ne exemplo Ananiæ &

B Sapphiræ fuisses extinctus? Loquitur in actibus Apostolorum scriptura dixisse beatum Petrum ad Ananiam,

Actor. 5. *Vt quid repleuit Satanas cor tuum mentiri spiritui sancto, vt subtraheres de pretio prædij, nonne manens tibi manebat, & venditum in tua erat potestate? Quid est quod posuisti in corde tuo rem istam? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hos sermones cecidit, & expirauit, & factus est timor magnus super omnes qui audiebant. Surgentes autem adolescentes sustulerunt eum, & euntes sepelierũt. Factum est autem interuallum horarum ferè trium, & vxor eius nesciens quod erat factum, intrauit dixitque ad illam Petrus: Dic mihi si tanti prædium vendidisti? Illa verò ait, tanti. Quid conuenit inter vos tentare spiritum Domini? Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum in ostio sunt, & efferent te, & protinus cecidit ante pedes eius, & expirauit.* Credo legeris hæc, & tamen non timueris concinnare mendacium ante Domini conspectum. Quare istud fecisti, nisi quia sis sapiens?

C Quid tu tibi futurum existimas, qui sis non solum mendax, sed homicida? Non solùm homicida, sed & hæreticus? Credis tibi impunè tanta cessura? credes te euadere posse æterna supplicia? Ananiæ dicitur, *Vt quid repleuit Satanas cor tuum, vt fuisses mentitus spiritui sancto?* & dices, Constanti Imperator, Quia non repleuerit satanas cor vestrum Arrianorum vt mentiri fuissetis spiritui sancto manenti in Dei Ecclesia. Ecclesiam etenim conuenisti dicens, Deliquit in Deum Athanasius, & videbat spiritus sanctus mendaces animas vestras, sicut vidit & Ananiam ac Sapphiram. Videbat, inquam, spiritus sanctus quando hæc fingebatis, quod idcirco talia fuissetis commentati circa Athanasium, quo possetis vestram hæresim introducere in Ecclesiam, quo possetis Apostolicam destruere traditionem. Ananias & Sapphira propterea quod agrum suum vendentes fraudauerint de pretio, quod ausi fuissent non integrè loqui ante Dei Apostolum, taliter iudicari meruerunt. Tu qui non solùm crimina falsa Dei seruo obiecisti, sed & omnem domum Dei fueris persecutus, qui effuderis cruo-

D rem cultorum eius, qui sacerdotes eius miseris ad metalla & exilia, & hæreticos locis ordinaueris eorum: qui Euangelicam fidem, dixeris hæreticam, & blasphemam vestram dixeris Catholicam, qui introduxeris idololatriam in Ecclesiam, qui deserueris Deum Abrahæ, Deum Isaac, Deum Iacob, ac omnium Prophetarum, Apostolorum, ac Martyrum, & idololatriam fueris Arrij secutus: existimas si in hac blasphemia atque crudelitate durauerís, quod non in te maxima sit vindicta futura? Deinde si aduersariis Susannæ sic est Deus vindictam dare dignatus, in te arbitraris non grauiorem processuram? Procedet, mihi crede, si non te maturè conuerteris. Si enim illi quia Susannæ pudicitiam violare fuerant conati, hæc quæ subiecit (metuerunt consequi, quantò magis tu qui Ecclesiæ es aggressus violare castitatem? Petiuerunt illi falso crimine Susannam, & vos totidem petistis non solum Athanasium) sed & cunctos vobis resistentes. Aut vnum dare poteris è resistentibus, cui non applicitum fuerit crimen? Sic vos fuistis armati ad Ec-

E clesiæ violandam castitatem, sicut illi ad Susannæ fuerunt, qui dixerunt: *Ostia viridarij clausa sunt, nemo nos* Dan. 13.
videt, in concupiscentia tui sumus, propter hoc consenti nobis, & esto nobiscum, alioquin falsum testimonium dicemus aduersum te, quoniam erat tecum iuuenis, & propter hoc dimisisti puellas à te. Aut tentabis negare esse dictum, desiderantes sumus nos Arriani, & vos Christiani vnum effici corpus: derelinquite fidem quam apud Nicæam contra nos tenetis conscriptam, acquiescite Arrij doctrinæ, alioquin quia nos multum possumus, imperium nostrum est, quibus velimus vos modis grauabimus, & omnes tollemini è vestris sedibus. Non poteris hæc ita se habere negare, cùm Deo perosæ meditationes tuæ rebus gestis fuerint reuelatæ. Cur enim cogebamur. Etiamsi non damnaremus Athanasium, tamen communioni misceremur Arrianorum, nisi quia tu leno hæresis Arrianæ cunctos nos cuperes quouis modo fieri consacrilegos tuos? Sed credo adhuc tentas negare, non te id- F
circo persequi nos, quia noluerimus Christiani fieri Arriani. Quomodo negare poteris, cum sanctissimum Dionysium Mediolanensium Episcopum, qui iam tibi falsa asserenti credens damnauerat Athanasium, quod arrianus esse noluerit, miseris ad exilium? Aut si non est, Auxentius, quem loco illius tu temerarius ac pestilens ordinasti Arrianus. Si Auxentius † quidem sanctam apud Nicæam descriptam tenet, poteris nec tu esse Arrianus, nec hæc omnia sicut assero egisse poteris, & 59
non misisse crimen Athanasio falsum. Fortassis dicas hinc non esse Catholicos, quod Susanna fuerit exaudita, nos verò minimè, quantum apud nostram conscientiam est, tunc nos vindicatos nouimus, quando tu serpens publicatus es, quando patuerunt cuncta venena tua, quando omnis machina tua patefacta est: sic etenim nos vindictam desiderabamus de vobis inimicis Dei, vt vos Deus esse hæreticos reuelaret populo suo. Omnis penè cognouit iam mundus falsè Athanasium petitum per vos, huius te esse iniquitatis auctorem: Conspectus G
etenim es, aliud te cupientem implere, aliud protulisse. Dan. 13.
Ad senes ingemiscens dicit Susanna, *Angustiæ mihi vndique. Si enim hoc egero, mors mihi erit. Si autem non fecero, non effugiam manus vestras. Melius est mihi non facienti incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.* Et nos crimina mox vt vidissemus imposita à vobis extincturi eramus fratres nostros, quoniam essemus vt estis vos tenebræ. Quis Christianus non dicat, melius esse sibi interfici à te præcursore Antichristi, quàm in vestras ire Arrianorum vel quorumlibet hæreticorum tenebras? Impingi fecisti crimina non solùm Athanasio, sed & nobis, quod noluerimus Christiani effici Arriani. Non defuerunt singula quæ possint obiici crimina singulis, quo nullus videretur è nobis propter Deum missus ad exilia, sed quod quasi pro criminibus nostris. Cum sitis igitur vos rei tantorum criminum, quia non vobiscum habere Deum iratum voluerit Athanasius, dixistis eum reum esse mortis: hoc fecerunt & illi quibus in hoc scelere pares estis presbyteri. Loquitur enim scriptura dicens: *Et factum est in die altero vt conuenit plebs ad vi-* H
rum eius Ioachim, venerunt duo presbyteri, pleni iniquæ Dan. 13.
mentis aduersus Susannam, vt † mortificarent eam, & dixerunt coram plebe, mittite ad Susannam filiam Chelchiam, quæ est vxor Ioachim, & miserunt, & venit ipsa, & parentes eius, & omnes cognati eius. Susanna autem erat tenera nimium & bona forma: iniusti autem iusserunt reuelari eam (Erat enim velata) vt saturarentur forma eius. Flebant autem omnes sui, & cæteri qui videbant eam. Assurgentes igitur duo presbyteri in media plebe posuerunt manus super caput eius, ipsa autem lachrymans aspexit in cœlum, quoniam erat cor eius confidens in domino. Dixerunt autem presbyteri, Ambulantibus nobis in viridario solis intrauit hæc cum puellis, & dimisit puellas, & clausit ostia viridarij, & venit ad eam iuuenis qui erat absconditus, & concubuit cum ea. Nos autem cum essemus in angulo viridarij videntes iniquitatem, accurrimus ad eos, & vidimus † concurrentes eos, illum quidẽ non potuimus apprehẽdere quod fortior nobis esset, & quod aperiẽs ostia prosilierit:

hanc,

† Puta legendũ fidem sanctam.

† id est, vt eam morti tradant.

† repentẽ dum concũbentes.

A *hanc autem apprehensam interrogauimus, quis esset iuuenis, & noluit nobis dicere. Hæc contestamur: Et credidit eis omnis synagoga vt presbyteris plebis & iudicibus, & damnauerunt vt moreretur.* Considera penitus, Constanti, maledictas adinuentiones vestras Arrianorum, si non talia sunt quæ egeritis vos interim circa Athanasium, qualia & illi egerint circa Susannam. Quis etenim non credidisset tibi imperatori dicenti, sacrilegium fecit Athanasius, sed in eo quia tu detestabilior fuisti ab illis comperditis pseudopresbyteris, tibi non est fides habita à nobis. Dicebatur etenim tibi, quia absens damnari non posset. Illi etenim presbyteri in præsentem dixerunt allegationes criminosas, & omnis synagoga in præsentem dedit sententiam. Tu contrà ad accusationem hæreticorum quando inauditum & absentem damnari cogebas Catholicum, vtique iam videri cœperat scenæ tuæ machina. Sed iam accipe quid præstitum sit Susannæ pudicæ ab innocentium defensore, ab oppressorum vindice. Accipe quæ refert Daniel liber de vindicta Susannæ:

B Dan.13. *Exclamauit autem Susanna voce magna & dixit, Deus æternus, qui occultorum cognitor es, qui scis omnia ante generationem eorum, tu scis quoniam falsum testimonium aduersum me dixerunt, & ecce morior quæ nihil feci horum, quæ hi maligni finxerunt aduersum me, & exaudiuit Deus vocem eius. Et cum duceretur vt periret, excitauit Deus spiritum sanctum pueri adolescentis, cui nomen erat Daniel, & exclamauit voce magna, Mundus ego à sanguine huius, & conuersa est omnis plebs ad eum, & dixerunt, Quis est iste sermo quem tu locutus es? At ille stans in medio eorum dixit: Sic stulti Israël non interrogantes neque verum cognoscentes damnastis filiam Israël? Redite in iudicium, falsum enim testimonium aduersum eam dixerunt.* Sic etiam nunc exclamante Athanasio ad Deum, omnes famulos suos Deus fecit pro veritate exsurgere contra vos aduersarios suos. Hæc cultoribus suis præstitit, quæ tunc Danieli deuotissimo suo, quo possemus te falsum esse testem intelligere, te vnum esse de viperarum progenie,

C ** falsa hæc cum consacrilegis tuis poëtasse. Redeunt ad iustum iudicandum iudicium iam cuncti † inter hæc torquenti mortis sententiam etiam illi, quos inscios sua calliditate per te dominator animæ tuæ diabolus circumscripserat. Non enim esse potest præter coarrianos tuos, qui non velit Athanasij vindicari innocentiam, adeo qui non faueat innocentiæ Athanasij, sicut & nunc Susannæ, postea quam constitit illam falso crimine petitam, pudicam ab impudicis, castam ad adulteris, Dei ancillam à seruis diaboli, ita à vobis serpentinis filiis satanæ pulsatus est status innocentis, Deo fideliter seruientis, sed estis prostrati. Iacent enim omnia venena vestra virtute Dei mortificata. Siquidem omnis anima Christiana sit exorans Deum, vt sicut Susannam, dignetur Athanasium falso eripere crimine, eripere à gladio tuo carnificis, à tua sæuitia homicidæ. Interea iterum atque iterum vrgeo, vt videas quæ vos Arrianos ceperit dementia, quæ comprehenderit insania, vt auderetis hæc machinari in innocentis necem, quando

† *locus hic corruptus est.*

D sciretis Deum scire omnia priusquam fiant. Sed non mirandum sit: si hæc circa Athanasium fuerit per te ac tuos constructa machina, quandoquidem non dubitaueris dicere de Deo Patre, Non est verus pater, non enim habet verum filium. Qui enim dicis ex nihilo esse filium Dei, quid aliud dicis, nisi quia non sit verus pater? Non, inquam mirum, si in Dei seruum Athanasium sic exsurrexeris, quando in eum cuius est seruus Athanasius, mittere non dubitâris funestas tuas manus. Nec enim latro qui domino domus non pepercerit, poterit eius parcere resistenti sibi familiæ. Sed iam redeamus ad illud quod nos facere præcipiebas, dixisti; damnate Athanasium. Quid interuenerat vt non faciem ad faciem illum vidissemus? Quid factum fuerat, vt non omnem cardinem rei fuissem perscrutatus? Cur idoneis testibus non es passus eundem superari? Numquid vel hos sanctissimus Daniel, quinimo per Danielem spiritus sanctus inauditos damnauit? Legimus etenim gloriosum Danielem dixisse ad populum, *Separate eos ab alterutro, & vocauit vnum ex illis, & dixit ad illum: Inueterate dierum malorum nunc aduenere peccata tua, quæ ante faciebas, iudicans iudicia iniusta, & innocentes quidem damnabas, nocentes autem dimittebas, dicente Domino. Innocentem & iustum non occides. Nunc tamen hanc si vidisti, dic sub qua arbore vidisti eos tractantes? & dixit, sub Lentisco, dixit autem Daniel, rectè mentitus es in caput tuum. Iam enim Angelus Domini accipiens præceptum à Deo secabit te medium, & cum remouisset illum, iussit admoueri alterum, & dixit ad eum, semen Chanaan & non Iuda, species seduxit te, & concupiscentia euertit cor tuum, sic faciebatis filiabus Israël, & illæ quidem timentes concumbebant vobiscum. Sed non sustinuit filia Iuda iniustitiam vestram, nunc autem dic mihi, sub qua arbore comprehendisti eos inuicem tractantes? respondit, sub Ilice: dixit autem illi Daniel, rectè mentitus es & tu in caput tuum. Manet etenim Angelus Dei gladium habens ad secandum te medium, vt vos perdat. Et exclamauit omnis synagoga voce magna & benedixit Deum, qui saluos facit sperantes in eum, & surrexerunt aduersus duos presbyteros, quoniam comprobauerat eos Daniel ex ore ipsorum falsos testes, & fecerunt illis quemadmodum ipsi malè proximo facere voluerunt secundum legem Moysi, & occiderunt, & saluus factus est sanguis innocentis in illo die.* Quid respondere, Constanti, imprudentia tua potest ad hæc? conspicisne reos tanti sceleris passim damnatos, nisi omnibus diligentissimè discussis? & tu in eum quem innocentem sciebas, iubere non dubitasti, darent Dei sacerdotes mortis sententiam. Quid audituri si fecissemus? nempe hæc quæ illi libidinis scopuli pseudopresbyteri falsi testes audiunt: *Inueterate dierum malorum, nunc aduenerunt peccata tua, quæ ante faciebas, iudicans iudicia iniusta, & innocentes quidem damnabas, nocentes autem dimittebas, dicente domino, Innocentem & iustum non occides.* Hæc nonne iure meritoque audire mereremur, qui à te sentina Arriani dogmatis aut fuissemus illecti aut territi ad innocentis damnationem, & idcirco in te hæc omnia mala venerunt. Tu cum tuis auditurus quæ illi per Daniel audierunt, siue quia falsi criminis obiecti reus sis, siue quia ad innocentis necem omnem chorum inuitaueris Episcoporum: & quia volueris omnem Dei populum hæresim suscipere tuam, audies & quidem grauius, quia tua sint grauiora facinora, quippe qui Dei religionis destructor extiteris, qui ingentem multitudinem Christianorum se dicentium interemeris, qui hæresim vestram Arrianam introduxeris in Ecclesiam, qui Catholicam damnaueris fidem, qui Deum patrem negaueris verum patrem, qui vnicum eius Filium, dixeris non esse verum filium, Spiritum quoque Sanctum Paracletum asseueraueris nô esse verum Dei spiritum. Cum te contra & contra omnes Dei inimicos clamet sanctæ Ecclesiæ fides, credere se in Deum verum patrem innatum, & in vnicum Filium eius natum ex innato & vero patre, hoc est de substantia patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum vnius substantiæ cum patre, quod Græci dicunt homousion, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, & in Spiritum Paracletum verum Dei Spiritum. Tibi ergò falso testi spiritali, adultero, homicidæ, sacrilego dignè grauiora dicentur, digne qui tantis ac talibus criminibus maior sis illis pseudopresbyteris Susannæ inimicis. Si enim illis dicitur mentientibus, rectè mentitus es in caput tuum. *Iam etenim Angelus Domini accipiens præceptum à Deo secabit te medium, & rectè mentitus es in caput tuum, manet est Angelus Dei gladium habens ad secandum te medium vt vos perdat,* quantò magis nisi tibi prospexeris ad te talia dicentur, cum scis esse scriptum, *Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Exciderat cordi illi tuo errorum vincto tenebris, vt iuberes damnari innocentem, nisi fallor etenim omni in loco lex sacta innocentem & iustum non condemnandum loquitur. Et idcirco quia hæc fieri contra Dei mandasti præceptum, vnum te habemus

E Dan.13. F Dan.13. G H Dan.13. Luc.11.

ex

A ex illis quos dominus percutit in Euangelio; *Væ vobis* Luc. 11.
Scribæ & Pharisæi, quia monumenta estis quæ non parent, & homines nesciunt ambulantes super ea. Nesciebant quidem illi quos ad te sacrilegum illexisti amandum, qui per conatus tuos non considerauerant te esse monumentum omnibus immunditiis plenum; arbitrabantur hominem. Cæterum nos statim vt cœpisti Episcopis imponere necessitatem damnandi absentem, illico diximus te iniustitiæ cultorem, iustitiæ verò esse persecutorem. Item cum te vrgeremus legati nos beatæ Ecclesiæ, sectam damnandam Arrij, & illam magis dixisti esse Catholicam, prænuntiauimus te Antichristi fuisse præcursorem. Cum persequi Christianos dignaris, cum interficis, similem te, Constanti, illorum facis, ad quos Dominus dicit: *Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos. Ergo testimonium perhibetis, non consentientes operibus patrum vestrorum, quoniam illi quidem occiderunt eos, vos autem ædificastis sepulchra eorum: ideo mitto Prophetas & Apostolos, & ex illis occident & persequentur, vt inquiratur sanguis omnis Prophetarum, qui effusus est à constitutione mundi vsque ad generationem istam: à sanguine Abel vsque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem: ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.* Tu autem esse ex illis hinc intelligeris, quòd cum sis memorias Martyrum beatorum instaurans, tamen seruorum vnici filij Dei cruorem fundas. Redi, Constanti, ad domum Dei, esto Christianus, ne inuentus foris Ecclesiam, sis semper vt es hodie inter illos, quos percutiens dicit Dominus, *Contendite intrare per angustum ostium, quia dico vobis, Multi quærent & non poterunt. Cum exsurrexerit paterfamilias & † cluserit ostium, & incipietis foris stare & pulsare dicentes, Domine, Domine aperi nobis. Et respondens dicet: Nescio vos vnde sitis. Tunc incipietis dicere, Manducauimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet vobis, Nescio vnde estis, discedite à me omnes operarij iniquitatis, ibi erit fletus & stridor dentium. Cum videbitis Abraham, Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas introeuntes in regnum Dei, vos autem expelli foras.* Noli ita te perosum habere, vt te sinas hæc audire inter illos maximè cum videas te nequiorem fuisse quàm cui dignè dicatur, discede à me operarius iniquitatis. Eris, Constanti, si in hac maleuolentia tua manere volueris, inter illum populum carnalem, cui dicitur, *Hierusalem, Hierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te.* Eris, inquam, inter illos, quia sic sis persecutor eorum qui te hortentur promereri Deum, sicut illi fuerint persecuti Propheras atque Apostolos. Iterum vrget defensio veritatis quæri à te, cur absentem damnari præceperis: dic quæso, benè an malè id fieri imperaris? Si dixeris benè, credo te ad beati Pauli confugere factum quod Corinthiis scripserit, iam se illum puniisse peccatorem, quem comperisset grauiter deliquisse. Videamus nunc si tu bellua, membra & corpus tantum habens hominis; animum verò ferinum, si ita egeris vt egit Apostolus, si tali ordine rem celebraueris, quo ille qui dixit, *Sic omnino auditur inter vos fornicatio qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat, & vos inflati estis, & non potius luctum habuistis, vt tolleretur è medio vestrum qui hoc opus fecit: Ego quidem sicut absens corpore, præsens autem spiritu iam iudicaui vt præsens eum, qui sic operatus est in nomine Domini Iesu, congregatis vobis & spiritu meo cum virtute Domini nostri* IESV CHISTI *tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri* IESV CHRISTI. Dicis, credo, & ego, idcirco vobis mandaueram damnare absentem quia damnauerat & Apostolus. Primò omnium beato Apostolo Catholici nuntiauerant hi, quos norat fideles, quos Deo probauerat deuotos, & testem sciebat esse omnem Corinthiorum sanctam Ecclesiam. Tu contrà cum sacrilegis tuis accusantibus Deo odibilibus hæreticis, nos dignabaris vrgere ad absentis damnationem. Deinde cum Apostolum audis dicere, *Congregatis vobis & spiritu meo cum virtute Domini Iesu, tradere huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis:* tu tenebra, cur nobis dicentibus ad ipsum nos nostris inpendiis pergemus in plebe, cui diuinitus constitutus est, eundem audiemus; tantum da catholicos accusatores secundum sacræ legis mandatum. Cur detractasti? Cur tanquam gladiatores non Episcopi essemus, tantum iuxta vota tua quo possemus interficere eum, cuius tu olim sitiebas cruorem, operam dabas interea sic te infelicem traditum Satanæ pro homicidiis, proque sacrilegio tuo debet scire vt ille qui in illo reatu apud Corinthios inuentus est. Neque enim ista tua quæ gesseris ac geris minora sunt funera, vt si se illum tradidisse ore beati Apostoli loquitur Spiritus sanctus Satanæ in interitum, & te mox vt tam grauia commisisti crimina non tradiderit? Si enim non ita esset, meminisses profectò dixisse Apostolum, *Pretio empti estis; nolite fieri serui hominum*, numquam cogere Dei ausus fuisses sacerdotes ad inauditum damnandum. Qui enim pretio emptus sum quia liberatus à lege peccati, seruus fuerim factus iustitiæ, iam viuenti mihi in lege iustitiæ, imponi onus non debuerat à te, vt seruus iterum efficerer iniquitatis atque iniustitiæ. Impositum itaque est onus à te, quia traditus fueris Satanæ in interitum propter homicidia atque sacrilegium. Si non fuisses traditus Satanæ, retineres Timotheo scripsisse Apostolum, *Scimus autem quoniam bona lex si quis ea legitimè vtatur, sciens hoc quia iusto lex non est posita, iniustis autem, & non obedientibus, & impiis, & peccatoribus, sceleratis, & prophanis, parricidis, & matricidis, impudicis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, periuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ secundum Euangelium est gloriæ beati Dei, quod creditū est mihi.* Si non es traditus ex quo filiū Dei negasti in interitū Satanæ, quomodo præteriens tanta quæ te cohibere à tanto potuerāt scelere, ad hæc gerenda exilire dignatus es, quæ possint cuncta tollere hæc, quæ noscantur sanæ esse doctrinæ? Hæc qui sis faciens, quæ sanæ aduersentur doctrinæ, qui proscribas, torqueas, deportes, mittas in carcerem interficiasque, dic obsecro, si sis dissimilis ab Herode illo rege, cuius carnificinam describēs ita loquitur sacra scriptura: *Eodem in tempore remisit Herodes rex manus, vt noceret * quosdam de Ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio, & cum vidisset quod placeret hoc Iudæis, addit vt comprehenderet Petrum. Erant autem dies azymorum. Hunc cum apprehendisset, misit in carcerem traditum quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post pascha producere eum plebi. Petrus verò custodiebatur in carcere. Oratio ergo instantissimè fiebat ad Dominum pro eo ab Ecclesia, & cum futurum esset vt eum Herodes produceret, illa nocte Petrus dormiebat inter milites alligatus catenis duabus, & custodes antè ostium, & custodiebant carcerem. Et ecce Angelus Domini astitit, & lux ab eo refulsit in illo loco: compungens autem latus Petri suscitauit eum dicens, Surge velociter: & surrexit, & ceciderunt catenæ de manibus eius.* Et infrà: *Et cum transisset primos & secundos custodes, venit ad portam ferream, quæ ducit in ciuitatem, quæ à se aperta est eis. Et cum exiissent, processerunt vicum vnum, & continuò discessit ab eo Angelus. Et Petrus in se conuersus ait, Nunc scio quia verè misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manibus Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Facta autem die turbatio erat inter milites, quidnam Petrus factus esset. Herodes autem cum requisisset eum, & non inuenisset, interrogatos custodes iussit duci.* Similem te illi in omnibus videmus siue in crudelitate, siue in sacrilegio. Vt enim ille Iacobum beatum Apostolum interfecit, ita & tu ingentem multitudinem credentium, sicut credidit Iacobus Apostolus, interfecisti: vt ille in Iacobo Apostolo Dei vnicum persequebatur filium, ita & tu, & in illos quos iam interemisti, & in nos, quos persequeris. Iterum te & instruimus & hortamur, vt redeas ad Dei Ecclesiam desinasque iam persequi Athanasium: vel nos facientes contra tuam hæresim, ne istius Herodis exemplo dispetire incipias, cuius interitum loquitur sacra Scriptura dicens: *Descendit à Iudæa in Cæsaream, ibique mansit. Erat* Act. 12.

Margin notes: Luc. 11. (B) — Luc. 13. † Pro clauserit. (C) — Luc. 13. — (D) 1. Cor. 5. — (E) — 1. Cor. 7. (F) — 1. Tim. 1. — (G) † Pro quibusdam. Act. 12. — (H)

A *autem infestus Tyriis & Sidoniensibus, & vnanimes venerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui erat à cubiculo regis, postulabant pacem, eo quod regiones eorum de regia alerentur: statuto autem die Herodes vestitus veste regali sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem clamabat Dei voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, quia non dedit honorem Deo, & vermibus scatens exspirauit.* Ignorabas tu qui te legisperitum vis videri, dixisse Ioannem Apostolum, vt cum
1.Ioan.2. diceres, damnate innocentem, *Ex hoc intelligimus quoniam cognouimus eum, si mandata eius seruemus. Qui autem dicit, quoniam cognoui eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est. Qui autem seruauerint eius verbum, vere ab eis charitas Dei consummata est.* Tu fieri præcipis contra Dei mandatum: & contra Apostolus dicit, Quia qui non custodierit præcepta eius, nec quidem cognouerit eum quia, inquit, si dicat, *Cognoui eum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in eo veritas non est.* Vis nos esse mendaces,
B vis homicidas inueniri, ad hoc sine dubio ne Christiani esse reperiamur. Neque enim mendaces, neque homi-
1.Ioan.2. cidæ sunt Christiani. Apostolus dicit: *Qui seruauerint eius verbum, verè consummata est charitas Dei apud illos,* & apostata, præcursor Antichristi dicis, Quicumque non custodit mandata illius, viuet. Adhuc, *Qui dicit*
1.Ioan.2. *se in lumine esse*, inquit, *& fratrem suum odit, in tenebris est vsque adhuc. Qui autem amat fratrem suum, in lumine permanet, & scandalum non est in eo. Qui autem odit fratrem suum in tenebris ambulat, & nescit quo eat, quoniam tenebræ obscurauerunt cor eius.* Quid à tenebroso poterit dici ad hæc cur in tenebras constitutus non in lumine, dicis, Odite mecum & vos eum quem ego iniustè odi, estote comparticipes insaniæ meæ, estote vt ego etiam vos homicidæ. Deinde si dicit, *Quia qui odit fratrem suum in tenebris ambulat, & nesciens fit, quo pergat*, videlicet quia tenebræ violentiæ oculos eius excæcauerunt. Quid si interfecerit quis fratrem suum? Quid
C si homicida fuerit? Sed tibi nihil videtur homicidæ qui tantorum Dei seruorum inueniris fudisse sanguinem, Audes hæc Dei iubere sacerdotibus facere, quæ soli sunt placita patri vestro diabolo, & vobis Arrianis filiis eius. Hortatur item sanctissimus Apostolus vt iustitiæ iter tenentes in perpetuam mereamur constitui requiem, & tu vir sapientissimus compellis nos ad æternos venire te-
1.Ioan.2. cum cruciatus. *Filij, nemo vos fallat, qui facit iustitiam, iustus est, qui autem facit peccatum, à diabolo est, quoniam origine diabolus peccat.* Ad hoc enim declaratus est filius Dei, vt solueret opera diaboli. Igitur cum dicatur ab Apostolo, quia sit peccatum à diabolo, & tu compellas nos crimina capitalia committere, quid te aliud possum dicere, nisi procuratorem diaboli, eum quem videam ita eius diligere causas, ita eius colere rem, vt cunctos nos in eius cupias inueniri parte? Vnde etenim omnem Dei cultorem compellis ad ipsum facere transitum, nisi quia delegeris fauere parti eiusdem? Audis dicere beatum Apostolum, *Idcirco declaratus est filius Dei, vt*
1.Ioan.3. *solueret opera diaboli:* Et tu sis vrgens Dei cultores opus
D consummare diaboli. Cum hæc agis, nonne videris impugnatorem te constituisse eius, qui soluerit opera diaboli? Sed non mirandum si elegeris vt quæ dissoluit vnicus filius Dei, hæc possint reædificari per te diaboli satellitem, quandoquidem nec ipsum negare dubitaueris, qui opus diaboli destruxerit, hinc tibi est pro nihilo cruorem fundere innocentis, quia iam innocentium amatorem & suorum cultorum defensorem negans, contuleris temet ad eum ad quem se contulerit Scharioth Iudas. Si itaque negare non potes, quia opus sit diaboli, viri iusti fundere sanguinem, vtique est clarum te diaboli opera fecisse, & nos vt faceremus, hortatum. Adhuc loquitur Ioannes Deo amantissimus vt fraterna inuiola-
1.Ioan.3. ta teneatur charitas, dicens, *Ex hoc apparent filij Dei & filij Diaboli: Omnis qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non amat fratrem suum, quoniam hæc est repromissio quam audistis, ab initio vt amemus alterutrum, & non sicut Cain qui ex maligno fuit & interfecit fratrem suum: & propter quid interfecit eum? Quoniam opera ipsius maligna* E *fuerunt, fratris autem sui iusta. Nolite mirari fratres, si odit nos sæculum. Nos scimus quoniam transitum fecimus à morte ad vitam, quoniam amamus fratres: qui autem non amat, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem.* Cum itaque omnis qui odire inuenitur fratrem, filius dicatur diaboli homicida: Cain denique fratricidæ comparetur, in morte manere designetur, cur me hoc opus implere compellebas, quod me vt Cain fecisset fratricidam, & filium diaboli? quod me in mortem perpetuam fecisset manere? Cum iam videas me transitum fecisse de morte ad vitam, cum inter eos, quos filios appellare dignatus est, me iam constituerit Deus? Quam ob causam me Cain fieri voluisti? tenebras etiam & filium diaboli? in quo te læsi, in quibus rebus extiti aduersarius salutis tuæ, vt mihi desideraris ita esse nocitum? Cur hæc iteramus? nisi vt aliquando intelligere possis, quod quidnam sit bonum sis F
ignorans. Si enim scires, numquam & ipse tantum admisisses facinus, & nos perpetrare vrgeres. Dicas inter hæc precor, quamobrem persequeris Dei domus antistitem? dicit enim Apostolus, *Quia qui odit fratrem suum* 1.Ioan.3
homicida est. Si non vis habere homicidæ nomen, cur odis fratrem tuum? Proba odio dignum Athanasium: quid malorum operatus sit, manifesta, vt sit odiri dignus etiam ab omnibus nobis. Profectò non dabis opus commissum aliquod iniustum, quod eum faciat odiosum. Cum hæc ita sint, necesse est te idcircò odisse illum, quia opus tuum sit malignum, Athanasij verò iustum. Propterea etenim vis interficere eum quod non fuerit te sceleratum, facinorosum, atque sacrilegum imitatus. Constat hæc ita esse: Cum enim gloriosus Apostolus Cain & Abel introducit comparationem, tu mihi esse videris Cain, Athanasius verò Abel. *Ex hoc ap-* 1.Ioan.3
parent filij, dicens, Dei, & filij diaboli. Omnis qui non est iustus, non est ex Deo, & qui non amat fratrem suum, quoniam hæc repromissio quam audistis ab origine vt amemus alterutrum, & non sicut Cain ex maligno fuit, & inter- G
fecit fratrem suum, & propter quid interfecit eum? quoniam opera illius maligna fuerunt, fratris autem sui iusta. Nec debes dubitare opera tua esse maligna, Athanasij verò iusta. Tu etenim es homicida, religionis Dei destructor, vnici filij Dei negator, Apostolicæ fidei expugnator, idololatriæ Arrianæ fundator: Contrà Athanasius est in timore Dei ita permanens, vt nihil commisisse quantùm videri potest inueniatur, quod eum possit à Deo dilectissimo separare. Cum hæc ita sint, hortamur diligas
te in Athanasio. Retines scriptum, *Diliges proximum tuum tanquam teipsum, & qui diligit proximum, legem impleuit.* Vt etenim te in ipso odis, ignorans quia malum sit iustum odire iniustè, ita te in eo incipies amare, si hæc tua maleuolentia fuerit conuersa in beneuolentiam, tunc poteris eripi è tenebris, in quibus te dicit beatus Aposto- Rom.13.
lus mansitare. *Nolite* enim inquit, *mirari fratres, si odit nos sæculum, nos scimus quoniam transitum fecimus à morte* 1.Ioan.3
ad vitam, quoniam amamus fratres: qui autem non amat, H
manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quia omnis homicida non habet vitam in se manentem. Non audeas iam dicere, damnate innocentem, homo non habens in te vitam manentem, homo qui necdum feceris transitum de morte ad vitam. Si enim fecisses, hoc est, si in vnicum Dei filium sicut nos credidisses, nec homicida esse delegisses, ne videlicet inciperes iterùm regredi ad mortem. Duplici igitur modo constitutus sine spe vitæ, dignatus es imperare Dei Sacerdotibus, interficere innocentem. Sed fortassis tenes dicere, Amo amantes Deum, & odio habeo odientes eum. Sed hæc de Athanasio non poteris dicere, quoniam quidem magis constet, te odire Deum, quia & dereliqueris illum, & transitum feceris ad idololatriam. Itaque quia nullam culpam persequeris in Dei Sacerdote, sed solam iustitiam, sed solam Dei Religionem, superest vt adhuc videas nos quos hortabaris innocentes interficere, quales esse iusserit circa conseruos nostros iste beatus Apostolus Ioannes,

A nes, *Ille propter animam suam posuit, & nos debemus pro* 1.Ioã.3. *fratribus animas nostras ponere.* Ab Apostolo iubeor animam ponere pro fratre, & à te Christi mancipio præcipitur mihi fratrem interimere: & iterùm, 1.Ioã.3. *Fiduciam*, inquit, *habeamus ad Deum, & quicquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata custodimus, & quæ ei placent ante conspectum eius faciamus in nomine filij ipsius* IESV CHRISTI, *& amemus nos inuicem, sicut dedit mandatum nobis.* Sed quomodo potero audiri ab eo in omni obsecratione, qui sim non seruans mandatum eius? Vt enim diligam fratrem meum mihi mandauit, non vt interimam. 1 Ioã 4. Et infrà: *charissimi amemus nos alterutrum, quoniam charitas ex Deo est.* Et iterùm, *quicunque non diligit fratrem, non nouit Deum, quoniam Deus charitas est. Ex hoc declarata est charitas Dei in nobis, quoniam filium suum misit Deus vnicum in sæculum, vt viuamus per eum, in hoc est charitas, non quod nos amauerimus Deum, sed quod ipse amauerit, & miserit filium suum expiatorem peccatorum nostrorum. Cha-* B *rissimi si ergo sic Deus amauit nos, nos & debemus alterutrũ amare.* Et iterùm: *Si quis dicit, quia diligit Deum, & fratrem suum odit, mendax est. Qui autem fratrem suum non amat, Deum quem non vidit non potest amare.* Et iterùm: *Hoc mandatum habemus ab ipso, vt qui amat Deum, amet* 1.Ioã. 5. *& fratrem suum.* Et iterùm: *Quoniam ex hoc intelligimus, quia amamus filios Dei, quando Deum amamus, & mandata ipsius facimus. Hæc est enim charitas Dei, & mandata ipsius grauia non sunt.* Hæc conspice pauca de multis, & inuenies ad quas non traxeris tenebras tu homo tenebratum. Ex hoc intelligimus, dicit, quoniam amamus filios Dei, quoniam Deum amamus, & mandata ipsius facimus. Hæc est enim charitas Dei, vt mandata ipsius custodiamus, & tu me dignatis impellere ad hæc mandata dissipanda: alia contra ipsa, quæ per te instinctu diaboli prolata sunt, instituere. Quomodo inueniri potero Deum amans, qui eius mandatorum aduersarius per te factus inueniar? Quibus ex factis quis mihi esse videris, nisi vnus C ex illis zizaniis destinatis igni? de quibus Dominus, Matt.13. *Sicut ergo*, dicit, *colliguntur zizania, & igni comburuntur, sic erit in consummatione sæculi, mittet filius hominis Angelos suos, & congregabunt de regno eius omnia scandala, & eos qui faciunt inquitatem, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui.* Conspicis quia si te hæretico satis agente damnarem innocentem, tecum essem futurus in gehennam; neque enim possemus consequi Dei regnum, in quo possemus fulgere tanquam sol. Si autem homicidium fuissemus perpetrati, aut Apostolicam violaremus fidem, gaudeas adhuc te in his degere malis, noli cognoscere quæ geras mala; & inuenies sine dubio te esse inter malignos quos designat ad ignem venturos Dominus di- Matt.13 cens: *Exient Angeli & separabunt malos à iustorum conuersatione, & mittent illos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium:* dignaris pro nihilo habere, persequi seruos vnici Filij Dei, tu membrum diaboli, qui fueras arbi- D tratus quod omnem posses perducere ad scandalum sanctam Ecclesiam, sed conspice quæ tibi atque omnibus Matt.18. consacrilegis tuis promittat Deus, *Qui acceperit vnum puerum talem in nomine meo, me accipit: qui autem scandalizauerit vnum de pusillis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & mergatur in profundum maris. Væ autem huic mundo ab scandalis. Necesse est enim venire scandala, veruntamen væ homini illi per quem scandalum venit. Quod si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proijce abs te.* Et infrà: *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis; dico enim vobis, quod Angeli eorum in cœlis semper vidẽt faciem patris mei, qui in cœlis est:* Igitur qui non solum sis spernens credentes in eius maiestatem diuinam, sed & es interficiens, quas erit merces repræsentaturus tibi iste quem negas? Qui tibi magis expedire dixerit, si molam asinariam suspenderes collo tuo, & in profundum maris fuisses præcipitatus, quam vnum ex credentibus in eum perduxisses ad scandalum, quàm vnum contempsisses ex illis, qui sint regnum possessuri cœlorum: quæ erit repræsentaturus tibi, qui ea de causa eius sanctæ Ecclesiæ ex membris scin- B di merueris, quia sis per quem scandala diabolus immiserit nostris diebus in Dei populum: quia licet concitâris scandala, tamen deceperis eos tantùm qui te nescierint iam sic aruisse, vt riuus præcisus à fonte, vt fractus ramus ex arbore: cæterùm qui te extra Ecclesiam cognoscimus positum, qui hostem vnici Filij Dei cernimus, scientes te mortuum, conatus tuos Deo iuuante subter pedes nostros esse conspicimus. Scimus etenim mortuum viuis dominari non posse. Sed quid dicis viuere te in Christo, vnde probare es potens, cum eum sis negans? viuere etenim non possunt, nisi qui illum fateantur verum Deum esse, verum Dei Filium: vnde es viuens, cum nos idcircò persequaris, quia eius esse nos fateamur seruos? Aut nunquid ob aliam nos persequeris causam, nunquid fortassis inuenisti nos in te deliquisse? & idcircò in nos tam infestus es: nos in te peccasse nosmet non retinemus. Quomodo etenim in te peccasse nos probari poterit, cum te de morte venire F ad vitam * vrgescimus? & tamen si sentis nos in te deliquisse, accipe quæ te circa nos facere iusserit Dominus dicens: *Quod si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum, & si audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem non te audierit, adhibe tecum vnum vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium, stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Cum hæc non feceris quæ præceperit Dominus fieri, cum non solùm tu in te & nos non monueris, quibus præsentibus Athanasium, vnum è nobis conuincens reum fuisse, sed coëgeris eum inauditum à nobis damnari consacerdotibus suis, cum ei audientiam abstuleris, quomodo nos tu iustè poteris incusare? Quid enim deliquerimus in te, cum nullum horum mandatorum domini impleueris; cur nos tam infestè persequeris, cum magis si tu sis reus præuaricationis, qui minimè circa nos, prout tibi dedit mandata Dei vnicus G filius egeris? sed qui prout placuerit inimico nostro diabolo cuncta gesseris: illius etenim est huiusmodi consilium, illius talis voluntas, vt inauditus damnetur, vt absens interficiatur, vt innocentis cruor fundatur, cum non inquam rem egeris eo modo quo iusserit te agere Dominus, fuisti ausus perferre ad beatam Ecclesiam, fuisti ausus dicere, peccauit Athanasius, & debet ab omnibus eius condemnari communio. Sed quid dicere tentabis? in Deum deliquit, & ecce inueniri non potest quod in Deum deliquerit, si quidem neque tu, neque consacrilegi tui filij meretricis hæresis Arrianæ possitis testes admitti contra Catholicum Episcopum. Dominus etenim loquebatur de tribus Catholicis testibus, de seruis maiestatis suæ, vt illis crederet beata Ecclesia, non vobis prophanis, ex adulterio de meretrice natis. Cæterùm si nõ ita acceperimus Domini istud præceptum, poterunt & Saturni atque omnium idolorum cultores admitti contra Dei domesticos testes, poterunt & cõblasphemi tui à Deo derelicti sine lumine, vt tu es, H positi Iudæi. Si enim vos hæretici & quidem omnium sectarum admittendi estis testes contra Christianos, debent & Ethnici & Iudæi: siquidẽ siue Iudæi, siue Ethnici, siue vos hæretici positi extra Domini Ecclesiam, sitis sine Deo, vt tunc illi cuncti qui non fuerint in arca sanctissimi Noë. Vt enim illi positi extra arcam saluari non potuerunt, ita nec vos, sed sic sitis interituri, nisi credentes in vnicum Dei Filium eius, in sancta Ecclesia fueritis cõmanentes nobiscum. Si igitur testes neque tu, neque comblasphemi tui esse potestis, quomodo fecisti, iniustissime rex, damnari, & quidem à consacerdotibus suis totius virum innocentiæ? Addo illud, quia iam illum accusaueratis fuisse homicidam apud Serdicam in Synodo Catholicorum & probare minimè valuerit iniquitas vestra. Addo quod tu ipse ad Ecclesiam Alexandrinorum dederis literas adstruens illum virum iustum Episcopum, Catholicum ad vltimum, tametsi peccasset, Athanasius fuerat pellendus à populo sibi commisso, & quidem vt ille populus alium è corpore suo dignũ peteret sibi fieri Episcopum. Non tamen fuerat gladio per te Imperatorem petendus.

* *pro surgemus.* Matt.18.

A petendus. At cum tu loco innocentis, in quem nihil veri † constituerit loco, Catholicus miseris consacrilegum tuum Georgium, & nolentibus eius maculari sacrilegio, tantas contumelias, tantásque intuleris pœnas, vt plurimos proscripseris, relegaueris in exiliis, in metallis, quàmplurimos etiam interfeceris, & hodie non desinas ea facere, blasphemiam tuam quæ est & Georgij suscipere nolentibus, quæ irati hostes immanissimi barbari vix faciant. Quomodo te arbitraris posse intelligi Christianû, qui & feris sæuissimis videaris esse ferocior, & belluis omnibus immanior? Fuisti ausus dicere Athanasiû percutiendum, non conspiciens tunc vos Arrianos esse punitos, & quidem Dei virtute, quádo idololatriam introducere estis meditati in Domini Ecclesiam. Sed adhuc dicas, Fortassis deliquit in me Athanasius: vt omittam quia & in hoc mendax sis, non sciebas scriptum quid circa in te delinquentes agere te præceperit Dominus, vt sic gladio eum fuisses persecutus? *Tunc accedens ad eum Petrus,*

† Hæc corrupta sūt, licet sēsu facilè appareat.

B *dixit ei, Domine si peccauerit in me frater meus, quoties remittam ei? vsque septies? Dicit illi, Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagesies septies.* An erubescis audire Athanasium fratrem tuum? Si Christianum te profiteris, debes omnes Christianos fratres dicere, & quidem non solùm Athanasium, sed & eos quos videris stipem petentes. Omnes etenim in Ecclesia Domini constituti vnum sumus apud quem non sit acceptatio personarum, & tamen bene feceris, si nolis illum dici fratrem tuum. Tu etenim filius pestilentiæ cum sis, & ille vnus sit de filiis lucis: tu cum mácipium sis nostri inimici, & ille sit seruus Dei, est iniquissimum si dicaris frater hominis Dei, præcursor Antichristi. Si deliquisse illum in te in aliquo videras, dimittendus ille erat illicò à te, vt tibi dimitteret crimina propria Deus. Nunc verò quia dimittere nequiuisti propter contumaciam atque maleuolentiam tuam tibi qui præceptum Domini irritum fecisti, accipe quæ possint

Matt.18

C præsentari. *Tunc accedens ad eum Petrus dixit: Domine si peccauerit in me frater meus quoties remittam ei? vsque septies? dicit illi, Non dico tibi vsque septies, sed septuagesies septies. Ideo simile est habitum regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis, & cum cœpisset rationem ponere, oblatus est ei vnus qui debebat decem millia talenta: cùm autem non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus venundari & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat & reddi debitū. Procidens autem seruus ille, orabat eum dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddā tibi. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum, & debitū dimisit ei, egressus autem seruus ille inuenit vnum ex conseruis suis qui debebat ei centū denarios, & tenens suffocabat eum dicens, Redde quod debes: & procidens seruus ille rogabat eū dicens, Patientiam habe in me, & reddam tibi: ille autem noluit, sed abijt, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autē conserui eius quæ fiebant, contristati sunt, & venerunt, & narrauerunt Domino suo omnia quæ facta erant: tunc vocauit eum Dominus suus, & ait illi, serue nequā, omne debitum remisi tibi, quia rogasti me, non oportuit te quo-*

Matt.18.

D *que misereri conseruo tuo, sicut & ego misertus sum tibi? Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet vniuersum debitum: sic & vobis faciet pater meus qui in cœlis est, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Quid respondes ad hæc tu, cuius mētis oculi videre minimè potuerint hæc quæ præceperit fieri Dominus? Vbi ponis illud quod neque in te, neque in Deum deliquerit, sed sit sustinens persecutionem? Cur Apostolicam teneat fidem, cur nolit fieri vt tu es sacrilegus, firmasti interficere veritatis Prædicatorem, cupiens in eo te collocari honore, in quo sunt illi quos in Euangelio & Prophetarum interfectores designat Dominus, & impias manus ad ipsum etiam † porrecturus, aperit, dicēs: *Homo erat paterfamilias qui plantauit vineam, & sepem circumdedit, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrem, & locauit eam colonis, & peregrè profectus est. Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad colonos, vt acciperet de fructibus suis, & coloni apprehensis seruis vnum ceciderunt, alterum autem lapidauerunt, alium verò occiderunt. Iterum misit ad illos seruos plures, & fecerunt eis simi-*

† videtur legendum porrecturos.

Matt.21.

E *liter: nouissimè autem misit illis filium suum vnicum dicens, Verebuntur filium meum: coloni autem videntes filium dixerunt inter se: Hic est heres, venite occidamus illum, & habebimus hæreditatem eius: & apprehensum eum occiderunt, & eiecerunt eum extra vineam. Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet colonis illis? dicunt illi, malos malè perdet illos, vineam locabit alijs colonis, qui reddent ei fructum temporibus suis.* Ex his quia esse vnus magnoperè desideraris, & nos socios criminum tuorū suadebas fieri: neque enim alia sunt consilia tua ab illorum nefariis consiliis, qui inueniuntur Prophetas interemisse, qui denique in vnicum Dei Filium impias porrexerint manus, maximè cum etiam passiones beatorum istorum missorum ad colonos ad nihilum sis redigens, adstruendo illos fuisse interfectos propter eum qui fuerit, quando non fuerit, cùm clament sacræ Scripturæ, quia vnicus Dei Filius sēper regnauerit, ac sit regnans cum Patre vnam habere Deitatē. Aperiunt dominicæ literæ Patrem, & vnicum eius Filium, & dicis

F eum, pro quo interfecti sunt Prophetæ gloriosi, factum esse ex nihilo. Si enim tu quæ dicis vera sunt, constat propter creaturam interfectos beatos Prophetas: & vbi erit illud quòd ingenti indignatione irascatur Dominus in eos, qui magis seruiant Creaturæ quam Creatori. Si pro Creatura interfecti sunt beati Prophetæ, quomodo eos habet charissimos Deus? quomodo? quia ipsorum verbis non crediderunt Iudæi, sunt hodie Dei inimici, vnde Iudæi Dei inimici? vnde extra Domini positi inueniuntur vineam, nisi quia Prophetarum interemptores extitissent, nisi quia æternum Deum æterni Dei Filium prædicauerint Prophetæ, & illi comblasphemi tui non solùm non crediderint prophetiæ eorum, sed & eosdem interemerint? Quid etenim † persecutus fuisse arbitraris in Prophetis Iudæos, nisi vnicum Dei Filium, sicut & in Apostolis atque Martyribus? Ex te saltem cognosce vera esse quæ dico, siquidem & tu † quem in Athanasio, necnon &

† persequutos fuisse, legendum est.

G in nobis Dei verum persequaris filium. Cum hæc ita sint, censueras nos iungendos interfectoribus Prophetarū iustorum sanguinis fusoribus consacrilegis tuis, hoc est Iudæis, ipsorum videlicet quorum sis imitator. Nec enim alia de re Athanasium damnare dixisti, susciperemus etiam Arrij fidem mandasti, nisi vt & in effusione sanguinis iustorum, & in negando vnicum Dei filium pares fuissemus Iudæorum, quorum iam tu sis in omnibus particeps. Si enim illi Prophetas interemerunt eos, qui de aduentu loquebantur vnici Dei filij, & tu eos interficis qui sint credentes, sicut crediderunt Prophetæ. Sed quamdiu de his cum incredulo? cum proposuerim tibi manifestare, vnum te esse ex illis, ad quos dicit Dominus, *Ideò dico vobis quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius.* Neque enim tu in gente hac es, quæ fructus inueniatur facere iustitiæ, vt non vnus esse pronuntieris ex illis, quos pulsos esse à Dei regno propter iustorum necem & incredulitatem suam audias: esse te aduerte hæc gerendo inter illos, quorum nequitias aperiens

† Reponē dū Qui

Matt.21.

H dicit Dominus: *Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos ad inuitatos ad nuptias.* Et infrà: *Et noluerunt venire. Iterùm misit ad illos seruos dicens: Dicite inuitatis, ecce prandium paraui meum: tauri mei, & saginata occisa, & omnia parata, venite ad nuptias: illi autem neglexerunt, & abierunt alij in villam suam, alij verò ad negotiationē suam, reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumeliā affectos occiderunt, Ille rex cum audisset, iratus est, & misit exercitum suum, & perdidit homicidas illos, & ciuitates eorum incendit. Tunc ait seruis suis, nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui erant inuitati, non fuerunt digni: ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inueneritis, vocate ad nuptias: & egressi serui in vias congregauerunt quotquot inuenerunt, malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ à discumbentibus. Intrauit autem rex vt videret discumbētes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, & ait illi, Amice, quomodo huc venisti non habens vestimentum nuptiale? at ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris, Tollite eum pedib. & manibus, & mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.* Quia itaque sine vestitu sis nuptiarum, Constanti, eris in perpetuum, nisi te conuerteris,

Matth. 13.

talis

A talis qualis ille, cui dicitur, *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Sic venturus in tenebras exteriores. Nec dubites etenim te venturum ad exteriores tenebras, quandoquidem iam totus in tenebras sis conuersus. Illi etenim qui iustorum fuderunt sanguinem Prophetarum, qui vultum Dei negauerunt filium, & tenebræ, & filij diaboli vocantur. Quia hæc sis & ipse agens, vtrique & tenebrarum, & diaboli filius eris perseueraturus, nisi tibi consulueris. Quomodo, dicis, consulere mihi poteso?† vt persequi nos desinas, & fidem Apostolicam suscipias, qui nisi feceris vt es nunc semper futurus inter illos, ad quos dicitur, *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere, duces cæci liquantes culicem, camelum autem contraglutientes.* Si non tu hæc dignè audis cum illis, vbi est iustum iudicium quod procedit à te? qui iustum virum, apostolicam † cur sit prædicans fidem: niraris interficere, vbi est iustum iudicium? Qui eos sis omnib. viribus impetij tui persequés, quos videas neque damnare velle inauditum, neque fidem Catholicam deserere, & eos sis diligens, quos cognoscas tecum & sanguinem innocentis fudisse, & Fidem Euangelicam respuisse, quæ est apud te, & in te constituta misericordia? quæ vt exhibeatur, lex præcepit sancta, nempe illa quæ torquet, proscribit, deportat, mittit in carcerem, deducit ad exilia, collocat in metalla, illa quæ fami, siti, verberibus, nuditate necat, ad vltimum illa quæ gladio punit. Hæc est, Constanti, tua misericordia, quæ non veniat ex lege Dei, sed ex præsumptione diaboli. Iudicium, & misericordiam, & fidem, *Hæc*, inquit, *vos oportuit facere, & illa non omittere.* Vbi est fides tua, qui fidem quam tenuerunt Abraham, Isaac, & Iacob beatissimi, & cuncti Prophetæ, Apostoli, ac Martyres † damnaueras, & illam statuetis suscipiendam à cunctis Dei cultoribus, quam contra hanc Catholicam fidem diabolus per magistrum vestrum Arrium vomuerit. Quibus ex rebus esse intelligeris vnus ex illis qui dignoscantur audire, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem; hæc oportuit facere, & illa non omittere, duces cæci liquantes culicem & camelum transglutientes.* Aut negabis culicem te liquare, & camelum transuorare, homo qui cum stipe non solum rogatus, sed & tribuens sis, nonnunquam sponte, tamen vt est sæpe dictum, proscribas Christianos, se confitentes deportes, torqueas, postremò interficias, & idcircò esse te cum illis debes aduertere, ad quos dicatur, *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominib. speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia: sic & vos à foris quidem paretis hominib. iusti, intus verò pleni estis hypocrisi & iniquitate.* Es ex illis interfectorib. ad quos dicitur, *Serpentes generamina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Ideò ecce mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat ad vos omnis sanguis iustorum, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter templum & altare. Amen vobis dico, venient hæc omnia super generationem istam.* Probaris actibus tuis ex alio genere te esse vipereo? inueniris etenim esse vnus ex illis ad quos hæc quod perpetraturi essent, dicebantur. Aut si negas esse te ex illis qui audiunt ore Domini, *Serpentes, generamina viperarum*, proba non te, sed Iudæos destinasse militem ad Alexandriam, Iudæorum militem obsedisse fores Dei domus, Iudæorum militem ducem fuisse Syrianum. Proba Iudæos ingressos Basilicam cum armis, atque certum numerum interfecisse. Si probare non potes, quia constet te misisse ad Dei impugnandam religionem, rectissimè dicimus te vnum esse ex illis, ad quos dictum est. *Serpentes, generamina viperarum, quomodo fugietis iudiciũ gehennæ?* Non sine dubio fugies iudicium gehennæ, sed eris semper illic ardens cum conserpentibus tuis, nisi tibi prospexeris. *Tunc*, inquit, *tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnib. gentibus propter nomẽ meum; & tunc scandalizabuntur multi, & inuicem tradent, & odio habebunt inuicem, & multi pseudoprophetæ exurgent, & seducent multos, & quoniam abundabit iniquitas, perfrigescet charitas multorum.* Si non mens tua sacrilega scit me propter vnicum Dei filium pati persecutionem à te, poteris non esse de illo genere, non esse in illorum sententia, ad quos dicitur, *Serpentes, generamina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehennæ? Ideò ecce mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas & ex illis occidetis, & crucifigetis, & persequemini de ciuitate in ciuitatem.* Quæ cum tu sis hodie gerens, negare non audebis te de vipera esse progeniem. Interemisti enim multis in locis plurimos Christianorum, alios detines vinctos in carceribus, in ergastulis, etiam hinc poteris videre te vnum esse ex illis ad quos dicitur, *Serpentes, genimina viperarum.* Et infrà: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis.* Dum non eos dignaris execrari, quos videas per abundantem iniquitatem tuam recessisse ab Apostolica fide, illos, quorum perfrixerit charitas; sed eos quos videas permanere in eo statu fidei, in quo manentes beati Prophetæ, Apostoli atque Martyres meruerunt æternas Dei consequi amicitias. Non enim apud Alexandriam, Machetam & Dydimam ex Presbyteris execraris, qui noscantur ex Christianis facti Arriani, sed eos, quos adhuc cognoscis stare nobiscum. Aut si non ita est, cur nunc nõ execraris Dydimam & Machetam, quos anteà execrabaris, nisi quia tunc à te fuissent execrabiles habiti, quia essent adhuc scilicet Christiani, nunc verò sint tibi charissimi, quia videlicet esse cœperũt vt tu es, Apostatæ, blasphemi. Sed iam credimus te post tantas probationes tibi exhibitas, te vnum esse ex illis ad quos dicitur, *Serpentes, genimina viperarũ, quomodo fugietis à iudicio gehennæ?* Daturum te operam quo possis curare vulnera tibi per diabolum inflicta tam grauia: grauia, quia & homicida sis & sacrilegus, à quibus criminibus si te nolueris liberari, sanguis tuus requiretur à te; nos coram Deo mundi futuri à sanguine tuo, qui tibi omnibus veritatem patefecerimus modis, à te non solum tuus, sed & eorum requiretur sanguis, quos aut ad hæresem perduxisti suscipiẽdam, aut ad innocentem illexisti iugulãdum. Sed si dixeris, Arbitrabar illorum Catholicam fuisse fidem, quos dicitis Arrianos. Si in fidei nutasti causa, si quod ij qui credere se dicant in creaturam ignorasti quod sint hæretici: hi qui dicant Deum non habere verum filium, numquid etiã hoc ignorasti, quia non sit iustum gladio persequi innocentẽ? numquid fugerat te dixisse Dominum beato Petro, *Conuerte gladium tuum † in loco suo. Omnes enim qui accipiunt gladium, gladio peribunt.* Quid intereà, Constanti, acturus, qui tantam Christi Dei vnici filij seruorum interemeris multitudinem: vides etenim eum quem in nos persequeris, dicere, Quod omnes qui gladium accipiunt gladio sunt perituri. Quid accepturus? qui nisi veniã facinorũ tuorum, credens in eum quẽ negans fueris, consecutus, toties merearis & quidẽ Dei percuti gladio, quoties tu percusseris eius clemẽtiæ dicatos. Quid homo Dei Sacerdotibus imponendã dixisti necessitatẽ ad absentem percutiendum, ad inauditum puniendum, ad innocentis fundendum sanguinem? Cur noluisti audiri Athanasium consacerdotem nostrum à nobis? Cur sic more latronum occultè nos iugulare & Dei hominem volueras, nisi quia sis ex illis in quorũ exprobrationẽ prolata sint hæc; *Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui de Cœlo descendit filius hominis qui est in Cœlis. Sicut enim Moyses exaltauit serpentem in deserto, sic oportet exaltari filium Hominis, vt omnis qui credit in eum habeat vitam æternam. Sic enim Deus mundum dilexit, vt Filium suum vnicum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, sed vitam æternam habeat. Non enim misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum: ideò qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit in eum iam iudicatus est, quia non credidit in nomine vnici filij Dei. Hoc est autẽ iudiciũ, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines potiùs tenebras quàm lucẽ: Erant enim opera illorũ mala. Omnis qui praua agit odit lucẽ, vt non arguãtur opera eius. Nã qui facit veritatem,*

Marginalia (left): † Pro si. — 63 Matt. 23. — * Pro quia. — B — Matt. 23. — * F vel damnaueris. — C — Matt. 23. — Matt. 23. — D — Matt. 23. — Matt. 24.

Marginalia (right): E — Matt. 23. — Matt. 23. — F — G — * Pro in locũ suũ. Matt. 26. — H — Ioan. 3.

A
tatem,venit in lucem, vt manifestentur opera eius, quoniam
64
in Deo est factum. Si seruum te vnici cognosceres Dei filij, nunquam profectò eius maiestatem negares, numquam eius seruos nunc occultè, nunc publicè iugulari mandares,sed quia sis amator tenebrarum,quippè tenebræ,quia sint opera tua mala,noluisti rem quam detuleras plenissimè examinari per Dei Sacerdotes. Cur noluisti?nisi quia
2. Cor.5.
timueris opus tuum publicari serpentinum. *Dum sumus in corpore,* inquit Apostolus, *peregrinamur à Domino:ex fide enim ambulamus non per speciem:audemus etiam bonam voluntatem habentes magis peregrinari à corpore & præsentes esse ad dominum, & contendimus siue absentes siue præsentes placere illi. Nam omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi,vt ferat vnusquisque propria corporis, secundum quod gessit siue bonum siue malum.* Et Constantius hæreticus dicit,Damnate,Christiani, Christianum. Cur hoc dicis?nisi quia fundere sanguinem iustorum,derelinquere etiam Deum & suscipere idololatriam hoc esse
B
optimum censueris ? Sed iterùm te obsecro piissime cognoscas Imperator,cum sis & vnici filij Dei negator,& in eum credentium persecutor, si non compar illis inueniaris, quorum in actibus Apostolorum describitur nequitia,
Act.23.
Cum magna dissensio esset inter illos,timens tribunus ne raptus fuisset Paulus ab illis,iussit exercitum descendere, & rapere eum in castris. Sequenti autem nocte assistens ei dominus ait, Constans esto:sicut enim testificatus es de me in Ierusalem,sic oportet te etiam Romæ testificari. Facta autem die,collegerunt se quidam ex Iudæis,& deuouerunt se dicentes,neque manducare,neque bibere,donec occiderēt Paulum. Erant autem ferè quadraginta,qui hanc coniurationem fecerant,qui & accesserunt ad Principes Sacerdotum,& indicauerunt dicentes,deuotionem vouimus nos nihil gustare in totum,donec occidamus Paulum:nunc ergo vos colligite concilium,& notum facite Tribuno,vt deducat eum ad vos,quasi de eo diligentiùs quæsituros, nos verò priusquàm appropiet parati sumus interficere eum. Si non Dei sacerdotem isto
C
petiisti genere Athanasium,nisi non aliud finxisti te agere,& aliud perficere disposueras,potésne negare non eodem aduerso spiritu te quoque agi, quo sunt acti atque aguntur Iudæi ? Nisi etenim illo fuisses excitatus spiritu contra nos Deo seruientes, nunquàm sine dubio absentem damnari,& quidem innocentem mandares.Sed hæc sic ego sæpè repeto, tanquàm etiam ipse cum interdùm vacas à furoris stimulis, non consideres omnibus te modis ita à iustitiæ regula exorbitasse, vt nec in Actibus
65
Apostolorum videre potueris,petentibus Iudæis ad Paulum necandum beatum,hominem gentilem præsidem Festum minimè cœtui Iudæorum † commodasse assensum, sed tam ipsos, necnon & Paulum se in vnum auditurum * posse pollicitum:gentilis seruauit æquitatis ius,tu verò destruxisti:aut æquitas est damnare inauditum,interficere absentem,audientiam verò negare iusto ei homini,cui omnis testis sit Dei populus. Quod enim falsè fuerit petitus à te ac tuis,Christianus à vobis Arrianis : ergo, vt

† *Id est cōsensum præbuisse.* * *forte reponendum esse.*

Act.25.
dicere cœperam,quæ fuerint inter Iudæos & Paulum beatum gesta à Festo,accipe:
66
Festus autem cum venisset in prouinciam præses ascendit Hierosolymam, insidias tendentes,
D
vt eum interficerent in via. Festus ergo respondit Paulum quidē seruari in Cæsarea,se autem maturiùs proficisci. Itaque qui inter vos sunt,descendant,& si quod est in viro crimen,accusent eum. Demoratus ergo inter eos non plùs quàm octo aut decem dies descendit Cæsaream, & altero die sedit pro tribunali,& iussit citari Paulum:qui cum adductus esset, circumsteterunt eum Iudæi , qui à Hierosolymis descenderant:multa & grauia crimina obiicientes, quæ probare non poterant. Paulo autem rationem reddente,quod neque in legē Iudæorum,neque in templum,neque in Cæsarem aliquid deliquerit, ethnicus æquitatis viam inter beatum Paulum,& cohomicidas tuos Iudæos tenuit, & tu desiderijs malarū meditationum tuarum parere cupiens, æquitatem, iustitiamque tollendam ex sensibus censueras nostris.Sed quomodo istud facere potueramus quod tu fieri cogebas cō-
Ioan.7.
tra iustitiam,qui meminissemus scriptum, *Nolite iudicare secūdum personam,sed iustum iudicium iudicate.* Damnare inauditum, quo dixisti tempore, cur non memoratus es

dixisse Nicodemum, *Numquid lex nostra iudicat de homine,nisi audiat ab ipso & cognoscat quid fecerit?* Cur noluisti E
audiri quem reum mortis dixisti,nisi quia falsa detulisses? Ioan.7.
Dicit Dominus ad Iudæos, *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur,quoniam mendax est & pater eius.* Et tu cum Ioan.8. 67
mendax esse clarueris,æstimasti non te esse filium mendacis,& audes filius mendacis resistere veracibus,fallax Domini Sacerdotibus;sacrilegus tu audes quem aduertamus esse latronē atque furem illum tueri,quem præostenderit Dominus dicens: *Amen amen dico vobis,qui non intrat per ianuam in ouile ouium,sed qui ascendit per aliam partem,ille fur est & latro.* Ioan.10.
Porrexisti quidem manus ad Christi oues Antichristo vindicandas, sed vt es agnitus fur atque latro,es vitatus atque reiectus. Cur te vel consacrilegum tuum Georgium non sunt secutæ oues Dei ? Cur illum quem esse Alexandrinorum fortissimè es dolens Episcopum sequuntur ? nisi quia illum quidem instituerit illis Episcopum Deus,te verò atque Georgium ad mactandas oues vt latrones & fures immiserit diabolus. F
Qui intrat per ianuam, inquit, *pastor est ouium,huic ostiarius aperit,& oues audiunt vocem eius, & suas oues vocat nominatim, & educit illas,& cum suas omnes eiecerit,ad illas vadit,& oues eum sequuntur, quia nouerunt vocem eius, alterum non sequuntur,sed fugiunt ab illo,quia nesciunt eius vocem.* Ioan. 10
Quia igitur tu non intraueris per ianuam in Ecclesiam, latro esse conspiceris atque fur: non enim nosti Dei filium vt dicas te intrasse per ianuā:siquidem ille eos dicit & fures & latrones, qui & tunc non fuerunt in eius clementiam diuinam credentes,nec deinceps essent credituri,nam aliter tentaturi fuissent erudire oues illius. Igitur cum tu 68
hanc hincinde doctrinā spargens insanam sis:quod enim non in eum crediderís, vtique te esse latronem illum atque furem,qui iam tunc præostendebaris,ex blasphemis tuis manifestissimè cōprobares. Quod ita esse probat sequenti pronuntiatione,dum ait ad illos Iesus, *Amen amē dico vobis,ego sum ianua ouium.Omnes quicumque venerunt ante me,& fures sunt & latrones , sed non audierunt illos oues. Ego sum ianua,si quis per me intrauerit,saluus erit,& intrabit,& pascua inueniet : fur non venit,nisi vt furetur.* Ioan.10. G
O tu itaque fur,qui ad hoc intrasse Dei inueniaris ouile, vt videlicet fuisses furatus & interficeres, quā adhuc voce poteris dicere,debet non esse Episcopus Athanasius Alexandrinorum,sed Georgius,quando videas te & Georgiū, vel cunctos consacrilegos vestros non esse aliud nisi fures ac latrones , suos Deus seruos pastores esse voluit supra gregem,vt te ac tuos cognoscentes latrones esse ac fures pellerent.Sed tu idcircò te ac tuos pulsis nobis Dei ordinatis iudicio,præesse gregi dominico censuisti,quò possis liberè in Dei grassari gregem.Cum sis talis,mirari nō poterimus quia dixeris puniendum absentem Dei cultorem.
Neque enim retinere potueras dixisse Dominum, *Si diligitis me,mandata mea seruate,& ego rogabo patrem,& aliū aduocatum dabit vobis,vt vobiscum sit in æternū spiritus veritatis,quem mundus non potest accipere,quoniā non videt illum,nec agnoscit:vos agnoscitis eum,quoniam vobiscum manet & in vobis est.* Sed dic,oro te,quomodo posset in nobis Ioan.14.
habitare Spiritus S.Paraclitus,si tuā vel patris tui fecissemus voluntatē?infrà etiā: *Qui audit,* inquit, *præcepta mea,* H
& custodit illa,ille est qui me diligit. Qui autem me diligit, diligetur à patre meo,& ego diligam illum, & ostendam illi meipsū. Ait illi Iudas non Iscarioth, Domine quid factū est quod manifestas te nobis,& non huic mundo? Respondit Iesus & dixit illi, Si quis me diligit,sermonem meum custodiet,& Pater meus diliget illum,& ad illum veniemus,& apud eum manebimus. Qui nō me diligit,sermones meos non custodit. Ioan.14.
Ex his Domini pronūciationibus,quàm inimicus noster extiteris,potest coniici: *Qui audit mādata mea & custodit illa,ille est qui me diligit.* Quomodo dilexisse nos eum mōstraremus, si vt tu,mādata eius calcaremus(Calcās es etenim dominica mādata)cumq; ille seruari sanxerit,tu non tantū nō esse seruāda mādes,sed & ipsū negari præcipias: aut quomodo me pater ipsius,propterea quod seruauerim mandata filij eius,amare poterit,si damnem innocentem?
Dicit filius Dei, *Si quis me diligit sermonem meum custodiet, & Pater meus diliget illū,& ad illū veniemus,& apud illā* Ioan. 14
manebi

A *manebimus.* Et tu dicis, esca ignis apostata, damnate innocentem. Quo genere Dei diligere inueniri fuissemus filium, si contra mandata ipsius iugularemus virum iustum? Quomodo fieri poterat vt diligeret nos pater, & venirent pater & filius, & mansitare dignati fuissent in nobis, si rescindentes Domini mandata, tua sacrilega præcepta custodiremus? Conspice, Constanti, inuidus ille amator tuæ voluntatis diabolus à quali nos gloria per te clientem suum pellere tentauerit, nisi nobis Domini subueniret pietas, te iam non hominem, quem Deus fecit ad imaginem & similitudinem suam, sed cœnum esse omnium cloacarum considerantes, calcaremus tuas sacrilegas iussiones. Quis etenim nolit, nisi vobis Arrianis infelicior, à Deo vnico filio diligi? Quis est qui nolit amari ab eius patre? Quis qui patris & vnici eius filij templum esse recuset? quæ vtique consequi non potest, qui sicut tu & homicida fuerit, & sacrilegus, consequi sanè tu etiam poteris si conuersus verè pœnitueris.
B Dicit adhuc Dominus, *Hoc est mandatum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Maiorem hâc charitatem nemo habet, vt animam suam ponat pro amicis suis. Vos amici mei estis si feceritis quod præcipio vobis. Iam non dico vos seruos sed amicos.* & iterùm, *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi, & posui vos vt eatis & fructificetis, & fructus vester maneat, & quodcumque à patre meo petieritis in nomine meo, det vobis.* Quomodo poterimus esse amici vnici filij Dei si contra interdictum illius pietatis damnauerimus absentem, interfecerimus innocentem: Quomodo fructus noster augmenta crementorum facere poterit? Quomodo quicquid petierimus in nomine eius accipiemus à patre, si, vt tu cogebas, non solùm cultorem eius puniremus, sed & ipsum negaremus? Tito viro Deo dicato scripsisse beatum Apostolum non inueneras de Episcopi irreprehensibili officio, quod sit dignum præbere Deo, vt homicidas nos effici cuperes? *Huius rei gratiâ reliquit te Cretæ, vt ea quæ deerant corrigas; & constituas per ciuitates Presbyterium, sicut ego tibi*
C *disposui. Si quis est sine crimine, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusationem luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut dispensatorem Dei, non superbum, non iracundum, non violentum, non percussorem, non turpilucrum, sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem id quod secundum doctrinam est, fidem verbi; vt potens sit exhortari in doctrina, & contradicentes reuincere. Sunt enim multi etiam non subditi, vaniloqui, & deceptores, maximè qui ex circumcisione sunt, quos oportet redargui, qui vniuersas domos euertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratiâ.* Cum igitur talem voluerit Episcopum fieri, qui hanc tenentem viueret vitam iustitiæ, quâ tu auctoritate ad excludenda mandata beati Apostoli noua præcepta dare dignatus es, ea videlicet, quæ ex diaboli esse noscantur orta voluntate? Apostolus me non iracundum, non percussorem vult fieri, & tu me homicidam vis effici. Quibus ex rebus potest colligi Spiritum sanctum locutum ore beati Apostoli; spiritum verò nequam locutum ore vestro Arrianorum.
D Conspicis intereà mandasse Apostolum, vt vos veritati resistentes indentemini Episcopi interuentu, vt per sanam doctrinam vestra punita esset blasphemia. Non ad hoc beati Apostoli protuli dictum, oportere Episcopum sine crimine esse, vt me peccatorem negarem, cum & meam norim conscientiam; & dicere audiam Iob illum iustum: *Quis enim mundus à sordibus? nemo, etiamsi vnius diei sit vita eius in terra.* Ioannem etiam beatum aduertam dicere, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.* Non ergo idcircò Apostoli præceptum protuli; vt qui meminerim me peccatorem, prædicarem esse sine sordibus, sed vt tu quàm sit malum quod præceperis fieri, posses aduertere. *Iuuenes,* inquit, *similiter hortare vt sobrij sint in omnibus. Per omnia teipsum formam præbens bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate, in sermone sanum, irreprehensibilem, vt aduersarius reuereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Quomodo me formam bonorum operum aliis præbuissem, si sanguinem Dei serui fudissem? Quomodo doctrinam integram, quam tradiderunt Apostoli prædicantem me Dei populus cognosceret, si hæresim tuam suscepissem, si denique vel in hypocrisi † satellitis tuis pseudoepiscopis Arrianis communicarem? Quomodo possit sermo meus proferri sanus, irreprehensibilis, si Euangelicam atque Apostolicam deserens Fidem, tuam suscepissem blasphemiam? Quomodo aduersarius teueri potuerat? Quomodo de me nihil possit dicere mali, cum si tibi acquiescendum censuissem, & homicidam & sacrilegum me factum comprehendisset? Iterùm cum moneret, seruos dominis suis subditos esse debere. *Illuxit enim,* inquit, *gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè, & piè, & iustè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem in aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri* IESV CHISTI, *qui dedit pro nobis seipsum, vt liberaret nos ab omni iniquitate, & † mundet sibi populum abundantem, æmulatorem bonorum operum.* Cum in his nos ambulare præceperit bonis operibus, quid tibi visum est vt inuitares ad homicidium faciendum? Quomodo etenim abnegantes impietatem, piè & iustè viuentes conspici potueramus, si tecum fudissemus innocentis cruorem? Sed & cum dicat idcircò se pro peccatis nostris tradidisse Dominum, vt nos eriperet ab operibus Satanæ, & constitueret ad hoc vt æmulatores essemus bonorum operum, si opus istud tuum & nos tecum perpetrati fuissemus, in qua essemus parte, nisi in qua sit Cain? *Illuxit enim,* inquit, *gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem ac desideria sæcularia, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo.* Et Constantius tu Imperator dignaris dicere, simus impij, scelerati, perditi, maligni, iniqui, iniusti: vbi hanc spem inueniam beatam, quam me expectare docet Apostolus beatus, si non solùm ipsius, qui omnem beatitudinem tribuere potens est, seruos interemero, sed & ipsum negauero? Tu etenim vtrumque facis, Constanti, quia & seruos eius persequeris atque interficis, & ipsum deserens, idolis te mancipandum censueris. Cur ista geris, nisi quia tibi non illuxerit gratia Dei Saluatoris nostri? Si enim illuxisset, meminisses præceptorum Apostoli dicentis, *Videte itaque quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quia dies mali sunt. Propterea nolite effici imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Domini.* Si voluntas est Domini interficere innocentem, derelinquere fidem Euangelicam, poterit non solum hæc pars, sed & totum corpus Epistolarum beati Apostoli tuis patrocinium præbere præscriptionibus; sin minùs fauet præscriptionibus tuis, nulla pars sacrarum scripturarum, est luce clariùs manifestum te sub tenebrarum degere potestate, vnde & effectum sit, vt nihil de sacris Scripturarum hauseris fontibus, quod te potuisset à tantis remouere periculis. Si enim non te potestas tenebrarum sub sui redegisset ditione, profectò retineres quæ Philippenses audiunt, *Coimitatores mei estote Fratres, & obseruate eos, qui sic ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis est interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt.* Dicas cupio, prudentissime Imperator, in quibus debemus effici coimitatores Apostoli, duce apostata; si homicida fuit Apostolus, si blasphemus, si Euangelicæ Fidei destructor, si sacrilegus. Hæc etenim omnia & antequam credidisset in vnicum Dei Filium fecisse se profitetur, tu verò qui hæc facis hodie, quæ ille ante agnitionem vnici Dei filij faciebat, qua de re ausus fuisti iubere nobis Domini sacerdotibus, vt innocentem condemnaremus, vt hæresim tuam suscipientes, Apostolicam fidem despueremus? Tu qua de re hæc fieri præcepisti, quæ contra formam Apostoli sunt prolata, nisi quia sis ex inimicis Crucis Christi, ex illis qui iam tunc designati fueratis ore S. Apostoli? Tene ac tuos audiremus, quorum finem dicit Apostolus esse interitum, vt illos tuos satellites qui derelinquentes

Marginalia: Ioan. 15. — Tit. 3. — 1. Ioan. 1. — Tit. 2. — B — * Pro satellitibus tuis. — Tit. 2. — † Pro mundaret. — F — G — Ephes. 5. — H — Philip. 3

A formam traditam disciplinæ, & regulam fidei per Apostolos tibi semer turpis lucri gratiâ tradiderint, illos qui plùs mensæ tuæ copias fecerunt, quàm ea, quæ promittit suis dominus? illos qui tui conuiuæ esse delegerint, quàm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, vel Martyrum, ad quos dicitur rectissimè, Vester Deus
1. Ephes. 5. venter est, *examinate* dicit Apostolus, *bonum, continete ab omni specie mala, continete vos*: & quia viderimus maledictam operam vestram Arrianorum, & vitauerimus, odio laboramus, Sed quàm pulchrum est, quamque iucundum à te odiri, amari verò à Deo, repulisti nos è re commissa nobis, arbitratus potuisse te quod Deus ædificauit, destruere.
Ephes. 4. *Vnicuiquique autem nostrum*, ait Ephesiis scribens, *data est Gratia secundùm mensuram donationis Christi, propter quod dicit, Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit in inferiora terræ, & qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes Cœlos, vt adimpleret omnia, & ipse dedit quosdam quidem Aposto-*
B *los, quosdam autem Prophetas, quosdam verò Euangelistas, quosdam autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitate Fidei & agnitione Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad remedium erroris, veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per iuncturam subministrationis in mensuram vniuscuiusque partis, incrementum corporis facit in ædificationem sui in Charitate.* Cum hæc ita esse legis, cur fuisti ausus tollere Pastores, quos gregi suo Deus voluerit præesse? Cur? nisi vt te cum omni vento doctrinæ possent Dei circumferre supra dominicum gregem Pastores, ne fuissent ducti tanquam paruuli omni vento doctrinæ? Accedentes ad fidem, ne vestrâ nequissimorum hominum astutiâ ad diaboli principis vestri temeC
C dia recederent ab apostolica Euangelicaque fide, tulisti
70 Episcopos è plebibus quibus præsumus diuinâ dignatione, ad hoc vtique vt doceres doctrinam non Apostolicam, sed hæreticam. Væ tibi misero, per quem hæc gerit Satanas. Inueneras homo sapiens colorem aptum fallaciæ tuæ, quonam modo posses Dei oues patri tuo defendere, qui tibi vt in his demoreris malis, iam illis iaculis
71 quib. Euæ, & Adæ mentes sauciauit, cor tuum iaculauit, ad hoc videlicet, vt in hac temet prauitate constitueret. Inueneras, inquam, homo sapiens colorem aptum fallaciæ tuæ, quonam modo posses dominicum depopulare gregem dicens, Peccauit Athanasius, & idcircò qui illum mecum interemerit, erit Episcopus, qui insuper habendum censuerit, non erit, & qui damnabant Athanasium iunge-
D bantur pseudoepiscopis dogmatis tui Arriani. Si qui tuam metuentes iram hoc egissent, triplex per te homicidam atque sacrilegum incurrebant crimen, siue quod innocentem damnarent, siue quod catholicè hæreticis communicarent, & in gregem Dei vos lupos intrare sinerent, cum dicat Apostolus: Idcircò datos pastores, vt omnis dæmonum doctrina, quæ per vos hæreticos, & omnes aduersarios Ecclesiæ profertur, fuisset exclusa, atque in veritate currentes Dei serui eo vsque mansissent immobiles, donec ad summam venirent perfectionem: & tu in tenebris constitutus auferre dignatus es pastores iudicio
Ephes. 4. constitutos Dei, quo possis tu lupus conuertere cunctos in diaboli amatoris tui prædam. *Vt iam*, inquit, *non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad remedium erroris. Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus*: quomodo possemus crescere in illo si te secuti tenebram fuissemus, cum sis negans illum verum Deum esse, cùm dicas illum non natum de substantia patris, sed asseras factum ex nihilo? Quomodo poteramus crescere in illo, qui non ambularui erâmus in veritate, ex quo te fuissemus apostatam secuti? Deinde cum dicat, Veritatem facientes crescamus in charitate, & sit manifestum criminibus falsis petitum Dei Sacerdotem

E per te ac tuos Athanasium: si ea, quæ imperas, fecissemus, quomodo aut in veritate, aut in charitate currere conspecti fuissemus, qui & charitatem extinxissemus, quam tenemus cum Coepiscopo nostro Athanasio, & quia falso obtemperassemus crimini, & ipsi tibi fallaci in innocentis necem iuncti tecum mereremur diuinâ indignatione percuti. Sic ergo, Constanti, ædificatur domus Dei
per fallaciam, per sanguinis Innocentium fusionem, per 72
prædicationem blasphemam. Væ tibi qui ad hoc sis viuens, vt hæc cuncta mala per te gerat diabolus. Tu mihi dicis, Puni innocentem, derelinque Fidẽ catholicam, atque suscipe venena hæresis meæ, & est Apostolus dicens.
Hoc itaque dico & testificor in Domino, vt non ampliùs ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati intellectu, alienati à via Dei, per ignorantiam quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum. Cui obediam vestrûm? Tibíne, an Apostolo? tibíne apostatæ sacrilego, an illi qui iam fudisse sanguinem propter vnicum Dei inue- Ephes. 4.
niatur filium? Quem vestrum sequar? téne templum dæ- F
monum, an illum Dei templum? te qui operibus tuis aut Iudæum, aut ethnicum esse declaras, an illum qui iam consecutus sit per hanc quam execraris fidem regna cœlestia? Si enim non tu operibus tuis gentilem te esse manifestas, poteris defendere. Quod enim non dignè hæc te contra proferantur. Primò quia sis negans Dei filium, gentilis aut Iudæus nobis es: deinde cum proscribis, deportas, torques, falsis criminib. innocentes oneras, interficis, non inueniri poterit Christianus, nisi qui per viam suam Dei esse homo cognoscatur, sed vtique vnus de illis de quibus per Apostolũ dicit Dei spiritus: *Quod enim sint in vanitate mẽtis suæ insensati, alienati à vita Dei per cæcitatem cordis ipsorum.* Quando ergo hæc cæcati gerere corde voce Apostoli manifestentur quæ tu geris, quâ fronte audes sanis corde ac mente dicere, errastis fallaces, veracibus
mendaces estis? Apostolus *sicut est veritas*, dicit, *in Iesu, deponentes secundum pristinam conuersationem veterem hominem eum qui corrumpitur secundum concupiscentiam erroris. Renouamini autem spiritu sensus vestri, & induite* Ephes. 4. G
nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitiam & sanctitatem & veritatem. Deponentes mendacium, loquimini veritatem, vnusquisque ad proximum suum. Vbi hæc prætermisisti monita salutaria, quæ nos custodire hortatur Apostolus? Quomodo etenim deposuisse veterem hominem, & nouum hominem eum qui secundum Deum sit, induisse reperiri poteramus? Quomodo manentes in iustitia & sanctitate & veritate conspecti fuissemus, qui iniusta tecum gerentes eum nouum hominem qui sit creatus secundum Deum extinxissemus, & illum veterem qui corrũpitur secundũ erroris concupiscentiã, vt antè corrumpebatur, magis quàm Deũ nosse cœpisset, iterùm portare cœpissemus? Ista etenim cuncta faciunt quæ tu fa-
cis, non Dei domestici, sed satellites Antichristi, *deponentes mendacium loquimini veritatem vnusquisque ad proximum suum, quia sumus inuicem membra.* Si fuisses de Ecclesiæ Dei membris, mihi crede quod nunquam mendacium H
pertulisses ad Ecclesiam, sed quia sis illius homo qui deceperit Adam per fallaciam & Euam: idcircò pertulisti mendacium, vt nos sic circumscriberes quomodo circumscripserit diabolus primoplastos homines. Tu dixisti, damnate Athanasium, quia grauiter deliquit, alioquin in reatu eritis maximo apud Deum. Suscipite Arrij fidem, & viuetis in æternum. Accipite quæ etiam amantissimus tibi circa Adam & Euam egerit, & inuenies hæc te nunc gerere circa nos, quæ & ille tunc gesserit circa illos. *Et erant*, inquit in Genesi Moyses, *ambo nudi tunc Adam & mulier eius, & non confundebantur. Serpens autem erat sapientior omnibus bestiarum quæ erant*, & infrà: *Et dixit serpens mulieri.* † *Quid quia dixit Dominus Deus, ne edatis ex omni ligno quod est in Paradiso? & dixit mulier serpenti, ex omni ligno quod est in Paradiso edemus, de fructu autem ligni quod est in medio Paradisi dixit Deus, non manducabitis ex eo, sed nec tangetis eum ne moriamini.* Dicimus tibi loco serpentis persuadenti nobis vt inauditum damnemus, vt innocentem iugulemus. Præcepit Dominus innocentem & iustum non interficiendum. *Et dixit* Gen. 3.

Gen. 3.

† bestiis dicendũ erat.
† Pro Cur.

serpens

A *serpens mulieri, Non moriemini, sciebat enim Deus, quia quacunque die manducaueritis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonum & malum.* Dicentem itaque istum serpentem per te ad nos, magis eritis iusti si fuderitis sanguinem iustum, magis eritis beati si Apostolicam Euangelicamque anathematizantes fidem, Arrianam susceperitis perfidiam. Calcatur propitio Deo iam à nobis, in te quidem, fallaciam ipsius scientibus, sed tibi nos dolere est testis Deus, propterea quod per te semet constituerit ad nos circumscribendos. Constat etenim tunc per semetipsum aggressum Adam & Euam. Deprecor te, ne hæc grauiter accipias, quæ salutis tuæ causâ proferantur. Dolere etenim te arbitror quod dixerim, per te aggressum in nos serpentem, & quod te multis in locis inter eos posuerim, qui fuerint dicti serpentes: Considera operam tuam & illorum, & si non vnum vos esse cognoueris corpus, dicito me non iustè hæc dicere tuos magistros in perfidia Iudæos. Audis certè in sacris Euan- B geliis serpentes sæpè dictos à Domino, serpentes genemina viperarum. Vnde hoc nomine vocari meruerunt? Certè propter nequam opus illorum, certè propter incredulitatem suam. Inde & Ioannes Baptista, *Progenies viperarum*, dicit ad eos, *quis monstrauit vobis fugere ab ira ventura? Facite ergò dignos fructus pœnitentiæ.* Vt ex illis ergo qui in vnicum crediderunt filium Dei, qui vias correxerunt suas, meruerint filij effici lucis, alij verò serpentes dicuntur, ita & tu, nisi fructus feceris dignos pœnitentiæ, nisi tuas vias correxeris, filius viperæ atque serpentis diceris. Quis etenim Dei seruorum non te homicidam atque blasphemum esse cernens, non eo vocet nomine quo vocantur Iudæi, quis te è timentibus Deum Ion 2. asseret, quid potes pronuntiare cùm videas scribas, Pha- Ion. 3. risæos, & principes Iudæorum idcircò serpentes dici, quia & Prophetarum fuderint sanguinem, & vnicum negauerint Dei filium? Cum hæc ita se habeant, superest vt factorum tuorum geras pœnitentiam, aduertens Deum suæ clementiæ misericordiam omnibus à viis re- C cedentibus malis præstitisse, habens formam Niniuitarum, quos si fueris imitatus, ita opem misericordiæ consequaris necesse est. Quocircà accipe quæ fuerint gesta, vel ipsi, prædicatione Ionæ territi, quæ fecerint. *Praeceptum est*, inquit sacra Scriptura, *Ceto & reiecit Ionam super terram, & factum est verbum Domini ad Ionam iterùm dicens, Surge & vade in Niniuen ciuitatem magnam, & prædica in ea secundum prædicationem priorem quam ego locutus sum ad te, & surrexit Ionas & abiit in Niniuen, secundum quæ locutus est Dominus ei. Erat autem Niniue ciuitas magna adeò sicut iter tridui, & cœpit Ionas introire in ciuitatem sicut iter diei vnius, & prædicauit, & dixit, Adhuc quinquaginta dies, & Niniue subuertetur, & crediderunt viri Niniuitæ Deo, & prædicauerunt ieiunium, & vestierunt se cilicio, à maximo vsque ad minimum eorum, & peruenit verbum vsque ad Regem Niniue, & surrexit de sede sua, & abstulit à se stolam suam, & circumdedit se cilicio, & sedit super cinerem, & prædicatum est à rege Ni-* D *niue & à magistratibus illius dicens, Homines, & pecudes, & boues, & oues nihil gustent, sed nec vescantur, & aquam non bibant, & circumdederunt se cilicio homines, & proclamauerunt homines & pecudes apud Deum instanter, & reuersi sunt vnusquisque à via sua mala, & ab iniquitate manuum suarum dicentes: Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus, & reuertatur ab ira furoris sui, & non peribimus? & vidit Deus opera illorum, quia reuersi sunt vnusquisque à via sua mala, & pœnituit Deum de malignitate, quam locutus est facere eis, & non fecit, & contristatus est Ionas tristitiâ magnâ, & confundebatur, & orauit apud Deum dicens, ô Domine, nonne hæc sunt verba mea cum adhuc essem in terra? ideò praeoccupaueram fugere in Tharsis, quoniam sciui quia tu miserator & beneuolus, patiens, & misericors & pœnitens in malignitatibus*, & infrà: *& dixit Deus ad Ionam, si valde contristatus es tu super cucurbitam, valde contristatus sum vsque ad mortem. Et dixit Dominus, Tu pepercisti cucurbitæ in qua non laborasti, neque nutristi eam quæ sub nocte nata est, & per noctem perit. Ego autem non parcam in Niniue ciuitatem magnam, in qua* E *habitant plus quàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram aut sinistram.* Et tuam, Constanti, operam malignam si reiecisse te viderit Deus, si vias tuas perditas correctas perspexerit, & te in omnibus reformatum esse viderit, mihi crede, quia in ingenti felicitate esse inter Dei famulos incipies. Habes prætereà beatissimi Pauli Apostoli exemplum, ne fortè vt ille geras hæc per ignorantiam. Quod enim mox vt te conuerteris ad vnicum Dei filium confitendum, veniam tuorum facinorum vt illis, ita tibi sit tributurus, ipsum sequere, ipsius apprehende viam, ipsum Philippen- Philip. 3. sibus loquentem audi, & quisnam fuerit ante agnitionem, & quantam beatitudinem post agnitionem consequi meruerit, *Si quis autem putat se fiduciam habere in carne, ego magis circumcisus octauo die ex genere Israël de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundum zelum persequens Ecclesiam, secundum iustitiam quæ in lege est conuersatus, cum essem sine querela, quæ mihi fuerunt lucra, hæc existimaui propter Christum detrimenta, veruntamen omnia arbitror detrimentum esse propter eminentiam scientiæ Christi Iesu Domini nostri, propter quem omnia detrimenta passus sum, & arbitror stercora vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo, non habens meam iustitiam quæ est ex lege, sed illam quæ per fidem Iesu Christi quæ ex Deo est iustitia in fide ad agnoscendum illum,* F *& virtutem resurrectionis eius, & communicationem passionum eius, cooneratus morte ipsius, si quo modo occurram in resurrectionem eius, quæ est à mortuis.* Sicut & iam dictum est, istum imitare, istum sequere, vt quia & ille fuerat, quod tu nunc, hoc est, persecutor Ecclesiæ, negator Vnici Filij Dei, inueniatis sic ad consequenda regna cœlestia fuisse conuersus à perfidia ad fidem suscipiendam 1. Tim. 1. Catholicam, sic te transitum fecisse de morte ad vitam. Illum etenim per ignorantiam Dei fuisse persecutum Ecclesiam, adhuc accipe etiam Timotheo aperiente de semetipso, *Scimus autem quoniam bona est lex, si quis eâ legitimè vtatur, sciens hoc, quia iusto lex non est posita: iniustis autem, & inobedientibus, & impiis, & peccatoribus, & sceleslis, & profanis, parricidis & matricidis, homicidis, impudicis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, periuris, & si quid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, quæ est secundum Euangelium gloriæ beati Dei quod creditum est mihi: & gratias ago ei qui confortauit me* G *Christo Iesu Domino, quod fidelem me æstimauit, ponens in ministerium qui priùs fueram blasphemus, & persecutor, & iniuriosus, sed misericordiam sum consecutus, quod ignorans feci in incredulitate: Superabundauit autem gratia Domini Nostri cum fide & dilectione, quæ est in Christo Iesu.* Ita & tu ex persecutore, ex iniurioso & blasphemo beatus, & verè Deo charissimus effici poteris, si vt Paulus beatus verum Dei filium esse IESVM CHRISTVM credideris, si semper illum cum Patre regnasse ac regnaturum, hoc est, sine initio, & sine fine confessus fueris, si vnam æternitatem habere Patrem & Filium, & Spiritum sanctum clamantibus sacris Scripturis non restiteris: Si denique vnam habere Deitatem Patrem ac Filium & Spiritum sanctum credideris, crede mihi quod futurus sis in choro Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum ac Martyrum. Alioquin tibi imputaturus cum te torqueri cum diabolo, & omnibus satellitibus eius videre cœperis, cur has tam salubres admonitiones nostras despexeris. H

LVCIFERI EPISCOPI de Regibus Apostaticis.

LIBER I.

VSitatum quia habere dignaris verbum: quod enim nisi & integrè crederes, & hæc quæ geris circa nos Deo essent placita, iam fuisses extinctus, paucorum tibi in Apostasia atque crudelitate æqualium regum facta desideraui reserare, quo possit vox illa tua sepeliri quæ

A dicat, nisi Catholica esset fides Arrij, hoc est mea, nisi placitum esset Deo quod illam persequar fidem quam contra nos scripserint apud Niciam, nunquàm profectò adhuc in imperio florerem. Non illorum regum facio mentionem qui à Dei notitia fuerunt alieni, de his solis tracto qui in Iudæa noscuntur regnasse. In libro Iudicum inuenimus Ierobabelem filium Iosiæ electum à Deo, & dictum ei, *Vade in fortitudine tua, & saluum facies Israël de manu Madiæ, Nonne ecce mitto te?* Et infrà: *Ego ero tecum, & percuties Madiam quomodo vnum hominem.* Quem Madiam loquitur scriptura habuisse multitudinem tanquam arenam maris. At vbi impleta sunt cuncta quæ Deus Gedeoni promisit, vbi se exaltatum ex humili, locupletatum ex paupere, regem factum vidit ex plebeia conditione, quid statim facit? nempè dicit ad populum, *Date mihi vnusquisque inaurem de præda sua, qui cum accepisset pondus inaureum aureorum ad mille septingentos siclos, præter brachialia & torques, & operimenta, & purpuram quæ super reges Madiam erant, & præter torques aureas, quæ in collo camelorum aduersariorum*, quid dicit fecisse Gedeonem sacra Scriptura? *Gedeon qui & Ierobabel fecit Ephod, & statuit illud in ciuitate sua Ephrath, & fornicati sunt filij Israël ibi, & factum est Gedeoni & domui eius in scandalum.* Nunquidnam distulit diebus aliquantis, & sic hanc est operatus contra Deum malignam operam? Nunquidnam reminisci potuit cum hæc fecisset, aggressus facere quod dixisset ei Deus, *Vade, ego ero tecum.* Vbi est illud, quod secundum præceptum Dei demolierit Baal & lucos eius exciderit, & Deo obtulerit sacrificium? vbi est illud quod dixit ad Dei nuntium sibi dicentem, *Dominus tecum potens virtute in me Domine, & si est Dominus nobiscum, & quid apprehenderunt nos omnia mala hac? & vbi sunt mirabilia eius quæ retulerunt nobis patres nostri dicentes? Nunc ex Ægypto adduxit nos Deus; & nunc spreuit nos & tradidit nos in manu Madiæ Dominus.* Nunquid repetebat tempore quo contra Deum facere tentauit, quod illa consecuti fuissent mala propter idololatriam? At vbi erepti sunt vt viuerent sine aduersariorum timore ab omnibus illis malis, quibus se dicebat cum omni prægrauatum populo, illicò facit rem per quam & ipse & omnis pariter populus propter idololatriam fuisset traditus in manus aduersariorum. Audierat Deum quod idolis seruissent, derelicto Deo illis cuncta illa mala accidisse. Meminerat Prophetam locutum, & tamen eâ die quâ nihil facti sunt ante eos inimici eorum, censuit rex ille in vecordia cui dignatis esse similis; magis idolis quam Deo, qui illa sibi præstiterat, fuisse famulandum. *Et fecerunt*, inquit scriptura, *filij Israël malignum ante Dominum Deum, & tradidit in manus Madiæ annis septem, & præualuit manus Madiæ valde super Israël, & [73] fecerunt sibi Israël ante faciem Madiæ cryptas in montibus, & speluncas, & monumenta. Et factum est quando seminabat Israël ascendebant Madiam & Amalech, & filij Orientis, & ascendebant super eum, & committebant cum eis, & corrumpebant fines terræ, vsque dum venirent Gazam, & non relinquebant ad vitam Israël ouem, nec vitulum, nec asinum, quoniam ipsi & iumenta eorum ascendebant, & tabernacula sua afferebant, & camelos suos ducebant, & adueniebant sicut locusta in multitudine, quoniam non erat numerus, & adueniebant super terram corrumpere eam, & pauper factus est Israël à facie Madiæ, & clamauerunt filij Israël ad Dominum propter Madian. Misit Dominus virum Prophetam ad filios Israël, & dixit illis, Hæc dicit Dominus Deus Israël, ego sum qui adduxi vos ex Ægypto, & eduxi vos de domo seruitutis, & abstuli vos de manu regis Ægypti, & de manu omnium persequentium vos, & eieci illos à facie vestra, & dedi vobis terram eorum & dixi vobis, Ego sum Dominus Deus vester, Non timebitis Deos Amorrhæorum in quibus vos inhabitatis in terra ipsorum, & non exaudistis vocem meam.* Quid post hanc increpationem Domini facit Ierobabel qui dicitur etiam Gedeon? mox vt inimicum suum videt deductum ad nihilum; mox vt vniuersi illi aduersarij, qui vt arena maris fuisse narrantur sunt mactati, & non ingenti numero Israëlitarum, sed in

Iudic.6.

Iudic.6.

B

C

Iudic.6.

73

D

E trecentis viris. Mox vt omnes reges vidit alienigenas interfectos, fabricat eam rem per quam possint in Deum delinquere filij Israël, & tamen quadraginta annis etiam post tantum facinus commissum regnasse hic in Israël inuenitur. Non erit ergo mirandum si & tu sacrilegus adhuc degas in corpore, quando videas Gedeonem regem quadraginta annis vixisse post idololatriam commissam, regnoque suo potitum; etenim quieuisse Israëlitas XL. annis, nec aduersarios in eos omninò permissos, nec vllum eis idem fecisse dominatum ex alienigenis, propterea quod exclamassent ad Deum, Scriptura loquitur Sacra. Talia circa consacrilegos tuos fecit bona Deus, ostendens se quidem totum potentem, illos tamen indignos ad consequendam requiem, qui nec vna die quidem post receptam requiem tantorum periculorum, illi qui tantam eis præstiterat misericordiam seruire deleguissent. Cum tales fuerint Israëlitæ, tamen pro sua pietate pepercit eis, etiam post hæc gerentibus idololatriam, nec statim reddidit, sed iterùm tempore quo ei placuit tamen reddidit, non eis impunè idololatriæ reatus cedere potuit: Ita & tibi, Constanti, erit repræsentaturus, nisi tibi prouideris interea: si Israëlitæ seruientes dæmonibus, derelinquentes Deum, cum iam extranei fuissent à notitia effecti Dei, tamen mox vt ascendit in corda illorum, quia ille sit Deus totum potens, qui eorum patres eduxisset de terra Ægypti, exauditi sunt & liberati de manu Madiæ, & ab omnibus persequentibus. Quid sentis arbitrari nos posse Christianos eripi de manibus tuis, necne? quod etiam es peruidens, nos tantùm Deum colere Abrahæ, Isaac, & Iacob, & omnium Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum. Crede mihi quia auditi sumus, & audiemur, vt tu possis cum omni tua fragili sublimitate iacere sub omnium eius seruorum calce: sed & quod morulæ aliquæ fiant, vt non iam sanctæ suæ Ecclesiæ, extinctis vobis Arrianis tribuat plenam securitatem pacis, est causa illa, quia sit dignum te aduersario sæuiente ad omnium veniri probationem. Dicis, si malè fecissem, si hæresim tenerem, iam in me Deus vindicasset. Audis Sacram loquentem Scripturam etiam alienigenæ diu pepercisse Dominum, & tamen postcà consecutum merita factorum suorum. *Dixit Samuel ad Saul,* 1.Reg. 15.
Misit me Dominus vt vngerem te super Israël in Regem, & nunc audi vocem verbi Domini, Hæc dicit Dominus omnipotens, Nunc defendam quæ fecit Amalech tibi Israël, quemadmodum obuiauit tibi in via qua ascendisti de Ægypto, & nunc vade & percuties Amalech, & omnia ipsius, & non concupisces ex illis aliquid, sed exterminabis illum, & anathemasizabis illum, & omnia illius, & non parces illi, & occides omnia illius à viro vsque ad mulierem, & ab infante vsque ad nutrientem. Et infrà: *Et venit Saul vsque ad ciuitatem Amalec, & accessit, & obsedit Amalec in torrente, & dixit Saul ad Cineum, Vade & declina è medio, & declina ab Amalec, & noli apponere te cum illo, quoniam tu fecisti misericordiam cum filiis Israël cum ascenderent ex Ægypto, & declinauit Cineus de medio Amalec, & percussit Saul Amalec ab Euilat vsque Sur, quæ est contra faciem Ægypti, & comprehendit Saul Agag Regem Amalec viuum, & omnem populum eius occidit in ore gladij.* Vides quomodo, tardè licet, consequuti fuerint sceleris sui factum, & tu, inquis, nisi bene agerem nunquam diu regnarem. Ipsum etiam Saul inuenimus contra Domini mandatum quia fecerit, quod fuerit reprobatus, & tamen diu regnauerit post reprobationem, posteaquàm dixit ad Samuel Deus, *Pænitet me vnxisse in Regem Saul.* Et tu inquis, Ego nisi rectè fuissem credens, nisi quomodo est Deo placitum viuerem, nunquam profectò nunc vsque imperarem, & vt hæc penitùs possis haurire quæ dicimus propter Saul, accipe quæ contra Domini fecerit mandatum. *Et accepit Saul & omnis po-* 1.Reg. 15.
pulus eius Agag Regem, & bona Regum & armentorum & escarum & vinearum, & omnium bonorum, & noluerunt disperdere omnia bona, sed & omne opus pretiosum reseruauerunt, & superuacua disperdiderunt. Et factum est verbum Domini ad Samuelem dicens, Pænitet me quod constituerim Regem Saul, quoniam auersus est à me, & verba mea

F

G

H

A *non statuit. Et contristatus est Samuel, & clamauit ad Deum totâ nocte, & ante lucem, & Samuel abiit in obuiam Israël.* Et infrà : *Et venit Samuel ad Saul, & ecce Saul offerebat holocaustum Domino, & initia prædarum quæ attulit ex Amalec, & peruenit Samuel ad Saul, & dixit illi Saul, Benedictus es tu Domino, Statui omnia quæ locutus est Dominus. Et dixit Samuel, & quæ est vox huius gregis in auribus meis, & vox boum quam ego audio? Et dixit*
74 *Saul, de Amalec attuli ea,* [74] *quæ prædauit populus optima gregis & boum vt immolentur Domino tuo regi. Reliqua autem disperdidi & exterminaui. Et dixit Samuel ad Saul, Nónne minimus eras dux in conspectu sceptrorum de tribu Israël? Et vnxit te Dominus in regem super Israël, & immisit te Dominus in viam, & dixit tibi, vade & disperde illos qui peccant in me, Amalec, & expugnabis illos vsquedum consumes illos. Et quare non audisti vocem Domini, sed impetiuisti ad prædam, & fecisti quod malignum est coram Domino, & dixit Saul, Quoniam audiui populum, abij in*
B *viam, in quam misit me Deus, & adduxi Agag regem Amalec, & Amalec disperdidi, & accepit populus prædam gregis & armenta primaria illorum quæ disperdidi vt sacrificent coram Domino Deo nostro in Galgala: & dixit Samuel, Nunquid vult Dominus holocausta & sacrificia magis quàm exaudire vocem Domini? Et ecce dico, audientia melior est quàm sacrificium, & obedientia quàm adipes arietum, quoniam peccatum abominatio est, dolores & gemitus ad te adduxisti, pro quibus nullius momenti fecisti verbum Domini, nullius momenti te faciet Dominus ne regnes. Et dixit Saul ad Samuel, Peccaui quoniam præterini verbum Domini, & verbum tuum, quoniam timui populum, & audiui vocem illorum, & nunc aufer peccatum meum: reuertere mecum, adorabo Dominum Deum tuum: Et dixit Samuel ad illum, disrumpet Dominus regnum tuum ex Israël de manu tua hodie, & dabit illud proximo tuo meliori te.* Et infrà : *& non adiecit Samuel ampliùs videre Saul vsque ad diem mortis suæ, quoniam lugebat Samuel*
C *in Saul, & Dominum pœnituit quoniam regem fecit Saul super Israël, & dixit Dominus ad Samuel, Quousque luges tu in Saul, Ecce ego expello illum ne regnet super Israël, & imple cornu tuum oleo, & veni mittam te ad Iesse vsque in Bethlehem, quoniam audiui in filiis Iesse mihi in regem.* Cognoscere iam poteris, Constanti, etiam reprobatum à Domino, etiam ad æternam destinatum mortem, diu regnare post delictum graue commissum: quandoquidem videas posteaquam vnctus fuerit in regem gloriosus filius Iesse Dauid, tamen Saul diu regnauerit, & persequendi etiam eum quem sibi Deus in Prophetam atque Regem elegerat, habuerit potestatem, malus bonum, iniustus iustum, Deo odibilis persequebatur eum quem diligebat Deus. Cum hæc ita sint, ne glorieris, quia post tantum facinus perpetratum sis viuens, hactenùs vt vixerit Saul, sed aduerte cuiusmodi vindicta processerit circa Saul, quod & circa te possit procedere, nisi tibimet consulas. Si enim circa illum sic est indignatus Dominus,
D primò cur prædam contra interdictum acceperit, secundò cur eius hominem Dauid fuerit persecutus, quantò magis circa te indignationis eius procedat vindicta necesse est: circa te cuius adeò ingentia sunt scelera, vt etiam in sacrilegij venires reatum. Si malè, inquis, egissem, si quomodo dicit Lucifer, essem hæreticus, iam mihi abstulisset Deus regnum. Accipe etiam Salomonem supetuixisse post idololatriam commissam, & intelligere dignare te quoque talem esse, qualis ille post idolola-
3.Reg. 11. triam fuerit. *Et suscitauit Dominus aduersarios Salomoni, Adad Idumæum & Esrom filium Anadeth in Remathad, Adrazar Regem Soba Dominum eius, & congregati sunt super eum viri: Et erat princeps congregationis, & præoccupauit Demasic ciuitatem, & sedit in ea, & regnauit in Demasic, & erant aduersarij Salomoni & Israël omnibus diebus Salomonis.* Probauimus tibi etiam Salomonem aliquot annis regnasse post idololatriam, & vtique iam non Deo, sed diabolo seruiente mundo, & diabolicis hominibus notatur hæsisse, ita & tu hærens es consacrilegis tuis Arrianis, qui licèt adhuc in corpore sis, licèt in regno sis manens, tamen talis esse inueniris qualis fuerit

Salomon, posteaquam Deum dereliquerit, & idola fuerit secutus: talibus nos adhærere volueras, qualibus Salomon fecerit adhærere Israëlitas, vbi fuit ille amor Dei, qui fuisse narratur per sanctas Scripturas apud Salomonem, tẽpore isto quo idola dignatus est sequi, & dereliquere Deum. Vnde hoc? nisi quia factus omninò fuerit homo alienus ab intellectu sobrio. Noli tibi plaudas, quod cum sis blasphemus, & destructor Dei Religionis, tamen adhuc habeas regnum & sis superbiens post sacrilegium tuum, cum & Roboam filium Salomonis idololatriam facientem vixisse inueniamus in regno viginti annis. Dicit enim sacra Scriptura de eo, *Et rex Salomon* 3.Reg. 11.
dormiuit cum patribus suis in ciuitate Dauid, & regnauit filius eius Roboam pro eo in Ierusalem, & erat sexdecim annorum cum regnaret, & viginti annis regnauit in Ierusalem. Et infrà : *& fecit malignum ante conspectum Domini, & non abiit in via Dauid patris sui.* Vt igitur tam Salomon ex quo idolis semet dignatus est mancipare, quàm eius filius Roboam, qui semper idolis fuit seruiens, cum non ambulauerint in Dauid itineribus, tamen vixerint in regno, & vtrique regnantes ad vitæ vltimum diem peruenerint, quomodo te miraris ad temet, cur post commissum piaculum in eo scelere degens rex superbias, quod neque tibi regnum, neque vita auferatur à Deo, quando videas etiam Ieroboam Domini Religionem funditùs vertere vt tu fuisse conatum, & tamen supernixerit annis quamplurimis, & quidem in eo scelere manens sicut scriptum est, *Et erat homo ex monte Ephrem ser-* 3.Reg. 11.
uus Salomonis, & nomen ei erat Ieroboam, & nomen matris
eius erat Sarira, mulier fornicaria. Et alio loco, *& factum est vt audiuit omnis Israël, quoniam reuersus est Ieroboas ex Ægypto, & miserunt & vocauerunt eum in syna-* 3.Reg. 12.
goga, & [75] *regnificauerunt eum in Israël.* Et infrà : *Et dixit* 75
Ieroboas in corde suo, Nunc reuertetur regnum Dauid, si ascenderit populus hic Sacrificium offerre in domo Domini in Ierusalem, & conuertetur cor populi ad Dominum
suum Roboam Regem Iuda. Tunc igitur Ieroboas cogitauit, & abiit, & fecit duas vitulas aureas, & dixit ad populum, Sufficiat vobis ascendisse in Ierusalem, Ecce sunt dij tui Israël qui reduxerunt te de terra Ægypti, & posuit vnam in Bethel, & vnam dedit in Dan, & factum est hoc verbum in peccatum, & antecedebat populus ante faciem vnius vitulæ vsque Dan: & fecerunt domos in excelsum, & fecit Sacerdotes partem aliquam populi, qui non erant ex filiis Leui, & fecit Ieroboas diem festum in mense octauo in quintadecima mensis secundum diem festum Iuda, & ascendit in sacrario, quod fecit in Bethel, vt sacrificaret ante vitulas quas fecit, & constituit in Bethel Sacerdotes excelsorum quos fecit, & ascendit in sacrarium quod fecit in quinto decimo die, mense octauo in die festo quem finxit à corde suo, & fecit diem festum filiis Israël. Nolo ergo glorieris quod cum idololatriam sis gerens, tamen viuas regni possidens gloriam, quando videas hunc Ieroboam vitulas fecisse aureas, populum Israëlitarum se conuertisse ad idolola-
triam, & tamen non solùm non statim vt deliquerat extinctum, sed & diu viuere permissum. Nunquid non potuerat Deus eosdem reges idololatras remouere? sed ostensum est quam sitis ingrati Deo vos, qui cum tantùm exaltemini, tamen ipsius qui vos exaltat, non solùm obliuiscamini, sed & adhuc eundem in seruis eius persequamini, Religionem eius tollere cupientes è medio. Quod ita esse ex istius regis cognosce facto Ieroboæ, qui cum fuerit filius ancillæ, cum se meminisset ortum de meretrice, cum regnum accepisset Domini sui Salomonis in opprobrium eiusdem Salomonis, cur relinquens Deum ad idola semet verterit, cum, inquam, sciuerit sibi regnum datum à Deo: Ieroboas propterea quod Salomon Dominus eius idola fuisset secutus, tamen hæc omnia ducens pro nihilo cogitauit idola facere, & ipsis cum omni populo qui Deo seruiebat, magis esse mancipatus quàm Deo viuo, qui illum ex mulieris meretricis filio fecerat regnum habere Salomonis Domini sui. Ne itaque mireris quod vobis ingratis in ipsum delinquentibus parcat: sed illud horror, videas, quod tardè licet, si in hac tua manseris nequitia, sis percepturus ea, quæ omnes

A omnes in ſacrilegio perceperunt prædeceſſores tui. Hortamur vt temet tantis à malis eripere digneris, quæ profectò tibi euenient, niſi ſententiam mutaueris. Videmus etiam iuſtum Ieroboam commonitionem Domini duxiſſe pro nihilo,
3.Reg. 11. *Et factum eſt*, inquit, *in tempore illo, & Ieroboas exiit de Hieruſalem, & inuenit eum Achias Silonites Prophetes in via, & Achias opertus erat veſtimento nouo, & ambo erant in campo, & apprehendit Achias veſtimentum ſuum nouum quod ſuper ſe habebat, & dirupit illud duodecim ſciſſuris, & dixit ad Ieroboam: accipe tibi decem ſciſſuras, quoniam hæc dicit Dominus Deus Iſraël: Ecce ego diſrumpo regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem ſceptra, & duo ſceptra erunt illi propter ſeruum meum Dauid, & propter Ieruſalem ciuitatem quam elegi ex omnibus tribubus Iſraël, pro quibus dereliquit me Salomon, & fecit Aſtarte idolo immundo Sydoniorum, & Caina idolo Moab, & regi eorum, Religioni filiorum Ammon, & non abiit in vias meas vt faceret quod rectum eſt coram me ſicut*
B *fecit Dauid pater eius, & non accipiam regnum totum de manu eius in diebus vitæ eius propter Dauid ſeruum meum, quem elegi, quoniam contra faciam illi per omnes dies vitæ eius, & accipiam regnum de manu filij eius, & dabo tibi ſceptra decem, filio autem eius dabo duo ſceptra, vt ſit poſitio ſeruo meo Dauid omnibus diebus coram me in Ieruſalem ciuitate quam elegi mihi, vt ponam nomen meum ibi, & accipiam te & regnabis in quibus concupiſcit anima tua, & tu eris rex in Iſraël, & erit ſi cuſtodieris omnia quæcumque præcepero tibi, & ieris in vias meas, & feceris quod rectum eſt in conſpectu meo, & cuſtodieris præcepta mea, & mandata mea ſicut fecit Dauid ſeruus meus, ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, ſicut ædificaui Dauid.* Cum audierit hæc à Deo homo ortus qui fuerit ex meretrice, homo qui ſe meminerat natum de genere ſeruili, nunquid poſteaquam impleta ſunt omnia quæ promiſerat Dominus illi, qui ſibi tanta promiſerat, eſt obſecundatus, & non ſtatim vt exaltatum ſe vidit, contra ipſum auſpicatus eſt, non ſtatim quomodo fuiſſet Deus derelictus ab omnibus cul-
C toribus ſuis opera eſt data per Ieroboam? Dicitur tibi à nobis, Quod niſi te correxeris, niſi in viis Deo placitis eſſe cœperis, ſis nouo periturus exemplo, & tu in tua maneus es iniquitate, in tuo es perſeuerans ſacrilegio, non nouum ſiquidem iſti Ieroboæ regi: & Deus per hominem ſuum illa quæ iam dicta ſunt perferri fecerit, & cum ingenti detinetur filius eius infirmitate, miſerit ad Dei domeſticum, & audierit futura, & tamen cum ea quæ ſibi fuerant etiam mala promiſſa videret impleri, ille magis atque magis contra Deum fecerit, Dei voluerit deſtrui
76 3.Reg. 14. domum. *Et homo*, inquit, [76] *erat exilis, & nomen ei Achiabeth, hic erat ſexaginta annorum, & verbum Domini erat cum illo, & dixit Ieroboam ad vxorem ſuam, Surge & accipe in manu tua homini Dei panes & collyrides filiis eius, & vuas & vas mellis, & ſurrexit mulier, & fecit ſicut dixit ei vir eius, & Achiab homo ſenex erat valde, & oculi eius * caliginabantur videre, & ſurrexit mulier ex Baria, & abiit, & factum eſt cum intraſſet ipſa in ciuitatem ad Achiab Selonitem, & dixit Achiab puero ſuo. Exi nunc in*
D *obuiam Annæ vxori Ieroboam, & dices ei: Intra & noli ſtare, quoniam hæc dicit Dominus, Dura ego mitto in te, & intrauit Anna ad hominem Dei, & dixit ei Achiab, Vt quid mihi attuliſti panes & vuam & collyrides & vas mellis? Hæc dicit Dominus, Ecce tu ibis à me, & ecce cum intraueris portam ciuitatis Arira, & puellæ tuæ exient in obuiam, & dicent tibi, Puer mortuus eſt, Quoniam hæc dicit Dominus, Ecce ego diſperdam huius Ieroboam mingentem ad parietem, & erunt mortui eius Ieroboam in ciuitatem, & comedent eos canes, & mortui erunt ei in agro, & comedent eos volucres cœli.* Non eſt, inquam, nouum ſi tu in hac pertinacia ſis perſtans, cum cognoſcas iſtum Ieroboam his omnibus non deterritum rebus: ſtatim etenim vt fuerat dictum ab homine Dei, vt ingreſſa eſt mulier ciuitatem, filius eorum mortuus eſt, & tamen non conſpexit Ieroboas quid ei Deus, propterea quod eum dereliquiſſet, & populum ſecum perire feciſſet, fuiſſet repræſentaturus, nec timuit ex morte filij ſui, quod & cætera illum poſſint ſubſequi, ſed in ſua ſenuit verſutia: vſqueadeo etenim

* *Id eſt caligine oculorum impediebatur ne videret.*

E impos mentis fuerat factus Ieroboas ex quo receſſerat ab eo, qui regnum tradiderat illi, vt cum dixiſſet, Vade ad Dei hominem, & diſce an moriturus ſit filius noſter: & didicerit per Dei hominem, quod non ſolùm filius eorum eſſet moriturus, ſed & in cuncto eius regno imminerent pericula. Ille tamen, vt ſemel ſtatuerat, diabolo ſeruire maluit. Ad hominem Dei ſciſcitandum mittit de futuris, & cum ad cuius hominem mittit, deſpuit, & facit in contumeliam maieſtatis eius vitulas, & has adorare ſecum fecit populum. Hæc egit, & tamen non illicò eſt extinctus, ſed diu in regno ſuperfuit, & tu dicis; Si fuiſſem hæreticus, ſicut dicunt Lucifer, Pancratius, & Hilarius, Dei impugnarem Religionem, iam in me fuiſſet vindicatum. Accipe adhuc quid huic contigerit Ieroboam regi, & tamen quomodo nec ſic conuertatur ad Deum, ſed magis in ſuo perſeuerans mortuus fuerit ſcelere, in ſuo defecerit ſacrilegio, *Et fecit Ieroboam diem feſtum in men-* 3.Reg.
ſe octauo in die feſto quintodecimo menſis ſecundum diem fe- 12.
F *ſtum Iuda, & aſcendit in ſacrificium quod fecit in Bethel, vt ſacrificaret vitulis quas fecit, & conſtituit in Bethel Sacerdotes excelſorum quos fecit, & aſcendit in ſacrarium quod fecit quintodecimo die menſe octauo in die feſto quem finxit in corde ſuo, & fecit diem feſtum filiis Iſraël, & aſcendit in ſacrarium vt ſacrificaret, & ecce homo Dei ex Iuda aduenit in verbo Domini in Bethel, & Ieroboam ſtabat ſu-* 3.Reg.
per aram ſuam ſacrificare, & Propheta inuocauit ad aram 13.
in verbo Domini dicens, O ſacrarium, ſacrarium, hæc dicit Dominus: Ecce filius naſcetur in domo Dauid, & Ioſias erit nomen illi, & ſacrificabit inter Sacerdotes excelſorum qui ſacrificant in te, & oſſa hominum comburet in te, & dabit in illa die prodigium quod locutus eſt Dominus: Ecce ſacrarium diſrumpetur & effundetur pinguedo quæ eſt in eo, & factum eſt vt audiuit verba hominis Dei inuocantis in aram quæ in Bethel erat, & extendit manum ſuam ad aram dicens, Apprehendite eum, & arida facta eſt manus Regis quam extendit in eum, & non potuit reducere eam ad ſe, & ſacrificium ruptum eſt, & effuſa eſt pinguedo eius à ſacrario ſecundùm prodigium quod dixit homo G
Dei in verbo Domini, & reſpondit Rex & dixit homini Dei, Roga faciem Domini Dei tui, vt reuertatur manus mea ad me, & rogauit homo Dei faciem Domini, & reuerſa eſt manus Regis ad eum, & facta eſt ſicut priùs fuerat. Impleta cum viderit hæc prodigia, quæ fuerant ore hominis prolata Dei, & brachium impium porrectum ad Dei hominis necem repentè aridum factum pro metu, illicò etiam per Dei cultoris precem factum incolume, nunquid idololatriam quam ipſe conſtituerat diſſipauit? Nunquid diem feſtum quem ipſe finxerat in corde ſuo tandem tollit è medio? minimè. Sed in ea pertinacia præſumptionis ſuæ inuenitur mortis ſuſcepiſſe diem. Non ergo mirari poterimus, ſi, quod Deus auertat à te, in hæreſi tua cenſueris mortis diem ſuſcipere, quandoquidem etiam ſignis ac prodigiis non potuerint priores conſacrilegi tui reuocari ad ſolum Deum colendum. Dicit enim de Ieroboam ſancta Scriptu-
ra: Et poſt hoc non eſt reuerſus Ieroboas à malitia ſua, 3.Reg. 13.
H *ſed è contrario fecit ex parte populi Sacerdotes excelſorum. Qui enim volebat alleuabat manum ſuam, & fiebat Sacerdos in excelſis, & factum eſt hoc verbum in peccatum in domum Ieroboam, & in interitum, & in exterminium à facie terræ.* Quæ ne dicantur etiam de te, quæſo, temet eripias à nefando Arrianorum cœtu, quæſo, ſis Chriſtianus vt ante eras ex Arriano, nec nobis indigneris quod actus tuos & Ieroboæ æquemus: ſed magis obſecro conſpicias has omnes inſtructiones potiùs quam increpationes nuncupandas ſoſpitatis tuæ me bono ingerere. Compararis etenim à nobis Ieroboæ noſtris temporibus, quia ſic cunctos à Deo fueris conatus vertere, ſicut ille populum fuerit conatus Iſraël facere Apoſtatam ex Dei cultore. Nolo adhuc hinc tibi aliquid ſpei promittas. Quod enim malè ſis faciens, & tamen regnes, cum videas & Ieroboam diu regnaſſe in ſcelere ſuo, ſed & filium Salomonis totidem & idololatriam gerentem in eodem defunctum ſcelere. Item eius fi-
lium Abiud de quo ſcriptum inuenio, *Et abiit in peccatis* 3.Reg. 15.

patris

A

patris sui, quæ fecit in conspectu eius, & non erat cor eius consummatum cum Domino Deo suo, sicut erat cor Dauid patris eius, & tamen cum seruirent idolis, fuerint in regno & mortui sint in ea dignitate, & tradiderint filiis suis authoritatem regni. Ne itaque etiam in eo plaudas. Quod enim pater vester vobis tradiderit regnum dicens: 77 Nisi pater meus bene fecisset, conferre se ad Arrianos, non eius filij regnaremus. Nolo dicas, si hæreticus essem, nunquàm tantùm imperarem, nunquàm me permitteret Deus adhuc in regno esse, quando videas vigintiquatuor annis regnasse Basiam filium Achiæ super Israël, de quo scriptum inuenisti in Regum libro tertio,

3.Reg. 15.

Et fecit malignum coram Domino, & abiit in viam Ieroboam filij Nabath, & in peccatis eius, quemadmodùm peccauit in Israël. Qui Basia rex debuerat vtique metuere ne fuisset percussus vt Ieroboas, si à viis recessisset Domini. Sed ita estis, qui à Deo declinatis, vt cum vobis fuerit libitum in iniuriam Dei suscipere officium idololatriæ non possetis, nec illorum, qui iam iudicati fuerint terreri exemplo, conuerti ad Deum.

B

3.Reg. 16.

Scriptum est etiam de Iambre rege, *Et fecit malignum in conspectu Domini, & malignè fecit super omnes qui fuerunt ante eum, & abiit in omnem viam Ieroboam filij Nabath in peccatis eius:* Et tamen hic qui dicitur super omnes peccasse, qui ante illum fuerant reges, non statim vt dereliquit Deum extinctus est, nec per aliquam grauem valetudinem est vexatus, vt grauiori pœna fuisset visus interemptus, qui grauiùs describitur deliquisse. Vides, Constanti, tametsi contingat tibi in summa felicitate in hac temporaria versari vita, tamen magis te timere debere quod Dei reserueris iudicio, & licèt etiam hi qui statim extinguuntur, quibus hic aliqua diuinitùs irrogantur pœnarum, post descensum semper torqueantur, tamen tu, si in summa viuens felicitate fueris hinc raptus, aduerte qualiter in te vindicta sit processura, qui in tanto inueniatis scelere. Ne hinc itaque quidcumque tibi adscripseris felicitatis, quod cum sis negans Filium Vnicum Dei, quod cum eius

C

familiam persequaris, tamen adhuc spiritus tuus in corpore illo carnifice sit manens, quando consideres etiam filium Basa annis triginta quinque cum fuerit vt tu sacrilegus, regnasse apud Iudæos: de quo scriptum esse legisti,

3.Reg. 16.

Abiit in vias Asab patris sui, & non declinauit ab illis, vt faceret quod rectum erat in conspectu Domini, sed ab excelsis non abstinuerunt, & sacrificabant in excelsis & incendebant. Ecce etiam hic describitur rex in pace dormiisse. Cum itaque fuerit triginta quinque annis idololatriam gerens, ne tibi adscribas ad gloriam & dicas, idcircò non aliquâ vulneror plagâ, idcircò non iam extinctus sum, sed adhuc viuo regnum imperij Romani possidens, quia sim bene credens, quia Arrij recta sit fides, quia fecerim bene remouere Episcopos, & alios tales instituerim, quales concupiuerit Arrius. Noli inquam, hinc tibi gloriari, quod cum hæc sis faciens, tamen superbias, quando videas istum regem xxxv. annis tenuisse regnum, in pace fuisse exemptum. Si igitur potuit illis quia ita exempti sint impunè idololatriæ crimen cedere, poterit & tibi, Constanti.

D

Conuerte te itaque ad Dominum, ne talis inueniaris qualis est inuentus Achab de quo scriptum inuenio:

3.Reg. 16.

Et fecit Achab malignum in conspectu Domini, & malignè fecit super omnes qui fuerunt ante eum, & non fuit illi satis vt ambularet in peccatis Hieroboam, filij Nabath, sed & accepit vxorem Iezabel filiam Basau, & Hela, regis Sydoniorum, & abiit, & seruiuit Baali, & adorauit eum, & statuit sacrarium Baali in domo religionum suarum, quam ædificauit in Samaria, & fecit Achab lucum vt faceret exacerbationem vt exacerbaret Deum, & animam suam disperderet, & malignum fecit super omnes reges Israël qui fuerunt ante eum. Noli adhuc te sinere esse apud Arrianos, sed fac transitum ad nos Christianos, quibus sunt ita cunctæ hæreses vt est Baal. Sic vos nunc nobis estis hæretici, vt illis illorum temporum Dei cultoribus fuerint illi, qui idolis immolabant: per hanc hæresem tuam mihi crede, quod talis sis nostris temporibus qualis fuerit & Achab. Ne tibi itaque placeas

E

quod non statim tibi reddiderit Deus, quando videas huic Achab, & vxori eius Iezabel, qui etiam Prophetas occiderint Domini, qui in tanto scelere fuisse inueniantur versati, vt nullum in terra Israël Dei se hominem confitentem permiserint demorari, pepercitum fuerit diutissimè. Noli hoc intueri, quod cum sis malefaciens, superbias tamen in sceleribus tuis, sed illud, obsecro te, videas, quòd nisi te conuerteris, vt illis serò licet reddita sunt merita operum suorum, ita & tibi posse repræsentari. Ne dixeris diu hinc in regno sum, hinc potens sum. Quòd enim bonam fidem teneam, quod faciam rectè persequendo eos qui credunt, quomodo sese continet illa fides descripta apud Niciam. Hæc, inquam, ne dixeris, sed illa precor te, videas. Quod enim adhuc sis post tanta funera tua superbiens, vt aut audiens nos Dei Sacerdotes temet conuertas ad Deum, aut certè percipias dignâ factorum tuorum tunc quando dicere non valebis inscium te errasse. Hæc ita esse aduerte exemplo admonitus Achab & Prophetarum Domini interfectoris, & omnium dæmonum cultoris.

F

Hunc tam sceleratum intellige, ideò post tanta scelera fuisse in regno diu reseruatum, vt tandem se si velit conuerteret, cui non solùm non repræsentantur malorum factorum suorum merita, sed & in angustiis iuuatur ad hoc sine dubio, vt possit conijcere non se per Baal & reliquos dæmones quos ethnici Deos nuncupant, vindicatum, sed per Deum Israël, cuius Prophetam secum videret loquentem atque sibi declarantem, quonam modo Deus fuisset inimicos Israëlitarum ad nihilum redacturus; obsederat enim filius Ader rex Samariam, cum aliis triginta duobus regibus, iactitans à Deo tanquam nihil se habere Israëlitas, vt vnum se hominem omnem multitudinem Israëlitarum superaturum. Hunc alienigenam fecit nihil ante Israël Deus, cui vicit Deus regi? nempè Achab, ei qui eum dereliquerat, qui Baali & omnibus dæmoniis seruire Israël fecerat; quia propterea auxiliatus est, nempe vt crederet quia sic Deus solus iste, cuius erat populus

G

Israël, & non alius præter ipsum qui ei vicerat, vt videret Achab, quia fuisset æquum tandem corrigeret errores suos: mox vt ædificare aduersarius cœpit obsidionem ad ciuitatem Israëlitarum. *Et ecce* inquit Scriptura sacra, *Prophetes vnus accessit ad regem Israël, & dixit,* 3.Reg. 20. *Hæc dicit Dominus, si audisti sonum magnum istum. Ecce ego hodie tradam eum in manus tuas, & scies quoniam ego sum Dominus: & dixit rex, in quo? & dixit Prophetes, In pueris principum regionum: & dixit rex, Quis committet pugnam? & dixit Prophetes, Tu,* & infrà: *& exierunt pueri de ciuitate Principum regionum, & exercitus qui post illos, & percussit vnusquisque quem inuenit secum se, & fugerunt Syri, & persecutus est Israël.* Quomodo dicis, Constanti, Si non bene seruirem Deo, si non rectè credens fuissem, nunquam regnum Romanorum in mea vidissem potestate collocatum, aut sic diu fuissem viuens in regnum: quando videas Achab regi Israël more gentilium viuenti, & populum Dei sicuti & tu auertis, vertenti, à Deo dictum in quem delinquebat, cuius præcepta ducebat pro nihilo: Trado eum in manus tuas, vt

H

scias quoniam ego sum Deus. Vt igitur illum eripuit à filio Iaderis Syriæ regis, sic etiam te ab omnibus perimere cupientibus eripuit atque eripit: ad hoc vtique vt possis cognoscere, quia ipse sit Deus Patriarcharum ac Martyrum: ad hoc vt conijcere possis non pro meritis Fidei tuæ ac vitæ tibi victoriam tributam, quando sis Achab in omnibus regi similis, sed sic tibi contra merita tua exhibitam misericordiam ab eo quem dereliquisti, vt fuerit Achab exhibita. Si enim dixeris propterea te vincere aduersarios tuos, quia bene sis credens, potuit & Achab dixisse idolorum cultorum & Prophetarum sanctorum interemptor. Ad hoc ergo te reseruatum vt errores corrigeres tuos, non vides illicò vt occupasti Italiam, Ecclesiam eius tentasti vertere, dixisti Deum Patrem, non esse verum Deum Patrem, Vnicum eius negans Filium, affirmans non esse illum verum filium: adstruxisti etiam sanctum Paracletum Spiritum fabricatum esse ex nihilo, descendere ex nihilo: defendere tentasti

quod

A quod vnicus Dei Filius fuerit quando non fuerit, Apostolicam atque Euangelicam traditionem quo potuisses tollere è medio operam totis tuis dedisti viribus, Episcopos Dei iudicio ordinatos tuâ amoueri fecisti auctoritate, hæreticos locis eorundem constituendos duxisti, qui possint tuam prædicare hæresim: manu militari pugnasti contra Ecclesiam in Alexandria, quamplurimos Episcoporum relegasti in exiliis, in metallis, coniecisti in carcerem, certum etiam numerum interfecisti ex omnibus Dei cultoribus. Cum hæc egeris, tamen dicis: Nisi bene essem faciens, & integrè essem credens, nunquàm adhuc me Deus regnare permitteret, tanquam idcircò & circa Achab ac cæteros coidololatras tuos fuerit Deus patiens, quia fuerint rectam tenentes viam: Tu ergo quia sit peccatis tuis patiens pro sua infatigabili pietate sicuti fuerit & Achab regi, arbitraris non te delinquere, sed pro meritis tuis tibi parci, quem Achab etiam in hoc imitaris? Quod enim sis eos diligens qui tibi mala suadeant,
B eos verò perdens qui tibi salutis tuæ causâ quæ sunt, vera dicant. Vt enim ad Achab quadringenti illi Pseudoprophetæ, quod possent illum omnia felicia consequi loquebantur, contra verò Dei dicebat Propheta Michæas, quod essent illum cuncta consecutura mala, & ille magis diligebat eos Pseudoprophetas quàm verum Domini Prophetam, ita vt tu amas cohæreticos tuos Arrianos, ipsorum dictis obtemperas, nos omnes Domini Sacerdotes execraris. Primò omnium, cur Dei Filium, verum Dei Filium confiteamur? Secundò cur non tibi adulemur, cur te in periculo esse asseueramus, & dicamus nisi te conuerteris ad Deum, quod sis in æternam pœnam venturus, & vt credere possis Dei semper odio habitos homines ab hominibus Apostaticis amatos, veros inimicos Dei Religionis, hoc est diaboli cultores. Accipe
3.Reg. 22. quos amauerit Achab, & quem odio habuerit. *Et dixit Iosaphat rex Iuda ad Regem Israël, Interrogate nunc hodie Dominum, & conuocauit rex Israël omnes Prophetas, quasi quadringentos viros, & dixit illis rex Achab, Si ibo*
C *in Remma ad Galaath in pugnam aut cessabo? & dixerunt, Ascende.* Et infrà: *Et dixit Iosaphat ad Regem Israel, Non est hic Prophetes Domini, & interrogabimus Dominum, & dixit Achab rex Israël ad Iosaphat regem. Vnus est per quem interrogemus Dominum, sed ego odi illum, quoniam non loquitur de me bona. Item posteaquam dixisset Propheta Domini ad illum Micheas ne ascenderet, quoniam si ascendisset, non esset reuersurus. Dixit rex Israël ad Iosaphat regem Iuda: Nonne dixi ad te quoniam Prophetat mihi hic non bona, sed magis mala?* Videbantur mala & excordi ei quem iam obsederat diabolus, mala ea quæ à Dei dicebantur seruo, & illa bona iudicabantur quæ à seruis dicebantur diaboli. Nec itaque mirandum si illos audiebat Achab, quos vt audiret faciebat diabolus mancipia videlicet sua, & si illos audire nollet quos Deus suos esse seruos & ipsa tolerantia passionum, & ipsa constantia asseuerationis manifestabat illis, Pseudoprophetæ ditati honoratique dimissi sunt à rege: Micheas verò
D Propheta Domini recluditur in carcerem, & dicitur, Manducet panem doloris donec redeam: & tamen iuxta serui Dei dictum reuersus minimè est. Ita & ipse agis, Constanti, diligis eos qui trahunt temet secum ad mortem perpetuam, qui ad omnem interitum tuam ducunt animam: odio habere dignaris contrà eos, qui te sunt optantes Dei fieri amicum. Ne tibi glorieris quod cum tanta sis faciens, tamen regni gloria pollens, hanc adhuc possideas fragilem vitam, quando & Ieroboam filius Ioas, quod regnauerit in Israël quadraginta & vnum annis in Samaria. Narrant sacræ literæ, & quidem derelicto Deo seruiens idolis, & quidem non recedens de Achab regis Israël malitiis, atque Ieroboam sacrificiis. Malè, inquis, si fecissem, iam me Deus amonisset de regno: quasi non filius Amasiæ, proptereà quod non recesserit à superuacuis, impletus lepra quidem fuerit, sed tamen quinquaginta duo annis regnauerit in Ierusalem. Sed tu in eo potior Oziæ regi, quia tu non Elephantiam habeas, quæ cum temet omnes consumere possit artus, sed illam quæ animam valeat penitùs maculare, dole tibi

E nobiscum, & mitte lachrymas pro te, conspice quomodo maculet corpus, hæc videtur elephantia, quo modo consumat membra lepræ virus, intellige quod sic Arriana hæresis elephantia vestra interna, illa omnia tua maculet, aduerte, quod enim sic efficiat hominem tuum interiorem sicuti & hæc, quæ comprehenderit hos, quos videas elephantiam infusos. Ne dixeris, nisi benè agerem, nunquam tanto tempore imperarem, nunquam adhuc viuere fuissem permissus: quando & Manassem cernas filium Ezechiæ regis regem Iudæ sedecim annorum suscepisse regnum, & LVII. annis regnasse, de quo quæ sint scripta cum audieris, inuenies profectò eiusdem te imitatorem esse, & non incipies mirari quod malefaciens cum sis, tamen adhuc parcatur tibi, cernens Manassem cuius tu in crudelitate & sacrilegio non minor es, quod tanta agentem regnum tenuerit LVII. annis. *Et dormiuit*, inquit Scriptura, *Ezechias cum patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid, & regnauit Manasses filius eius* 4.Reg. 20. 4.Reg. 21.
pro eo. Cum esset rex sedecim annorum Manasses cum regnaret, & quinquaginta septem annis regnauit in Ierusalem, & nomen erat matris eius Ebsibas, & fecit quod malignum est ante conspectum Domini, secundum abominationes gentium, quas eiecit Dominus à facie filiorum Israël, & ædificauit excelsa, quæ destruxerat Ezechias pater ipsius, & ædificauit sacrarium Baal, & fecit Lucos sicut fecit Achab rex Israël, & adorauit omnem militiam cœli, & seruiuit illis, & ædificauit sacrarium in 78 *duabus ædibus domus Domini, & induxit filios suos in ignem & augurabatur, & fecit Phytones, & diuinos multos, vt faceret quod malignum est in oculis animæ suæ, vt exacerbaret Dominum Deum, & fecit sculptilia lucorum quæ fecit in domo quam dixit Dominus ad Dauid & ad Salomonem filium eius. In domo ista & in Ierusalem quam elegi ex omnibus tribubus Israel ponere nomen meum in æternum, & non apponam pedem in Israël mouere à terra quam dedi. Sed si audierint me per omnia quæ mandaui eis, & secundùm legem quam mandauit eis puer meus Moyses, & non audierint. Et quoniam validè* F
aspernatus est Manasses, & seduxit eos Manasses vt facerent quod malignum est super omnes gentes quas abstulit Dominus à facie Israël, & locutus est Dominus in manu puerorum suorum Prophetarum quæ fecit Manasses rex Iuda simulachra, secundum omnia quæ fecit Amorrhæus qui erat ante faciem eius, & peccare fecit Iuda in idolis suis, propter hoc hæc dicit Dominus Deus Israël, Ecce ego adduco mala in Ierusalem & in Iuda, Omnes qui audierint hæc tinnibunt aures eorum vtraque, & extendam in Ierusalem mensuram Samariæ & pondus domus Achab, & delebo Ierusalem quemadmodum deletur buxum de poste ante faciem eius, & dabo eos in manus inimicorum ipsius, & erunt in direptionem & combustionem omnibus inimicis eorum, quoniam proiecti sunt de post me, & erant de exacerbantes me, ex qua die exierunt patres eorum de terra Ægypti vsque in hunc diem, & cætera verborum Manasse, & omnia quæ fecit, quemadmodùm peccare fecit Israël, nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Iuda, & quemadmodùm sanguinem innocentium* G
fudit multum valde, vsque dùm impleret Ierusalem super os extra peccatum, quod peccare fecit Iuda, vt faceret, quod malignum est in conspectu Domini Dei, & dormiuit Manasses cum patribus suis, & regnauit filius eius pro eo cum esset annorum viginti duos Amos. Quid dicis, Constanti, ad hæc? Credo iam desinere te dicere, si non bene agerem, non essem tanto tempore regnans, quando videas te alterum istum Manassem talia agentem quinquaginta septem annis regnasse, & quia diximus te alterum esse Manassem, omnia ipsius te habere conspice, ille in Dei domo idololatriam constituit, totidem ipse fecisti in templo & ædibus Domini: ille idola fecit adorari, vsurpauit sibi quod Domini dicebatur, vt deinceps dici possit idolorum cultor; omnia hæc & tu fecisti, quia Arrianam hæresim introduxisti in Ecclesiam, & qui blasphemiam tuam tanquàm fidem Catholicam statuisti suscipiendam, illam verò apud Niciam scriptam, quam nos scimus Apostolicam Euangelicamque, despuendam mandaris. Vt tu nunc hæc fieri concupisti, ita & Manasses omnibus idolis H

* Pro tinnient, sonum sentient aures eorum.

seruiendum

A seruiendum esse mandauit, recedendum verò à Deo. Non ergo erit mirandum si tibi vindicasti ædes † quas colligere sumus soliti, Dei populum, & te idololatram dixisti esse Catholicum, quando videas & Manassem fecisse istud, quod tu nunc feceris: sic denique & tibi parcet Dominus viam tenenti Manasse, quomodo illi pepercerit, & quovsque pepercerit, vt scriptum sit dormiisse illum cum patribus suis, & sepultum in Ierusalem, & suscepisse loco illius regnum filium eius. Nunquid legis in bello illum interiisse † vt aliqua valetudine prægrauatum? minimè, sed quid sentis, credo, pro tua illa prudentia: dicis impunè omnia illi cessisse Manasse regi. Talis es tu, vt ita sentias de Manasse, quod enim quia quinquaginta septem annis regnans filio tradidit regnum, & ipse in pace defecerit, potuerint impunè ei cessisse tanta admissa. Noli tibi ipse misereri vt temere ad Deum vertas, noli corrigere nefarios actus tuos, & inuenies te torqueri cum Manasse, quem Manassem in eo videris tu præcedere. Quod

† *pro apud quas vel in quibus.*

† *puto legendū vel aliqua.*

B enim ille tantum intra terminos Ierusalem sanguinem iustorum fuderit, tu autem toto fudisti ac fundis in Regno Romano. Sed, inquis, ille filios suos ante simulachra Deorum suorum concremauit vel consecrauit: Et tibi si fuissent, fecisses sine dubio eosdem Arrianam suscipere blasphemiam. An ignoras quia sicut tunc placebant diabolo hi qui filios suos comburebant, quoniam quidem vna esset illis mens derelinquendi Creatorem, & seruire creaturæ, ita nunc nihil exigat diabolus à te, nisi vt neges vnicum Filium Dei, hoc est, illi acceptissimum sacrificium, vt sis credens quomodo & Arrius crediderit: plùs est illi nostris temporibus hoc, vt Dei neges Filiū, quàm si temet in honore omnium dæmonum ignibus volueris concremari. Videt enim ab omnibus idolorum culturam despectam, quod vana fuerit inuentio, nunc est cupiens per vos suos famulos hæreticos decipere nos Dei seruos. Quomodo, inquis, decipere? Quomodo & te iam deceperit, ita & nos vult decipi, cum sis Arrianus, ad hoc te

C fingis Christianum donec veneno hæresis tuæ possis vermes sauciare quo possint deinceps non esse Christiani, quod nos sumus, sed quod vos estis Arriani. Hæc est sagina officiorum tuorum quæ per te exhibetur dæmoniis. Quis etenim, nisi diabolus & eius filij, dicere possit de vnico Dei Filio, Filius est, & non est verus Filius: Deus est, & non est verus Deus. Ergo tu cum dicis Christianus sum, sed non credo Deum verum habere Filium, non credo vnam potentiam Patris & Filij: cum dicis Filium creaturam, factum illum ex nihilo, cum dicis fuisse, quando non fuerit, meliùs tu sacrificas diabolo, quàm tunc Manasses, quando filios suos aut per ignem omnibus consecrabat dæmoniis, aut cum concremabat. Doleo tibi, Imperator, cùm tantæ sis insipientiæ, & cùm sis tanta faciens mala, digneris tamen dicere, si non benefacerem, non adhuc in regno essem, iam me Deus extinxisset: non conspicis istum Manassem in sacrilegio & incredulitate tibi comparandum, quod quinquaginta septem annis, vt sæpè dixi, regnum tenuerit in Iudæa: Hic vtique qui

D fecerit delinquere populum Domini, & seruire idolis: hic vtique qui in templo Domini & in ædibus Dei simulachra collocauerit, qui domum Dei, qui sacratium eius maiestatis, idolorum fecerit sacrarium: Sic & te patitur Deus, sic sustinet quoadvsque familiam probet suam, & dignos coronet, & indignos tecum nisi te correxeris ad æternam puniat pœnam. Cæterùm crede quod possit sic & tunc Manassem, & nunc te in † vno atomo extinguere oculorum: sed parcit, non quia non possit, sed quia dignum sit & eius coronari cultores contra vestram manentes crudelitatem immobiles, & vos inimicos eius clementiæ, si tales vt estis durare censueritis, ad pœnam damnet sempiternam. Tu vt dicas, si non benè agerem, nunquam adhuc impietatem faciunt illi, qui te errantem non solùm corrigi nolunt, sed vt & pereas impellunt, non mirum, scriptum est enim, & te & illos tales futuros.

* *id est in ictu oculi extinguere.*

Ps.11. *Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur, exacerbauit Dominum peccator secundum multitudinem iræ suæ, non inquiret, non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ eius in omni tempore, auferantur iudicia eius à facie eius.* Cum igitur tu dicis, Benè

E facimus tollere Episcopos illos, qui confitentur se tenere Fidem apud Niciam scriptam, & constituere eos qui confiteantur, sicuti confitebatur Arrius. Et illi dicunt, Rectè vtique tu es peccator ille qui laudaris iniustè pro desideriis animæ tuæ, & tu es iniquus, qui cùm sis derelictus pro blasphemiis tuis à Deo, tamen cum adulatoribus tuis, quodcumque delinquis non reprehendatur, sed magis dicatur benè te agere. Cum dicis, Benè feci ad Alexandriam mittere militem ad auferendum Athanasium, & illi rectissimè dicunt. Tu cui comparandus eris, nisi illi qui per Psalmographum notatur à Spiritu sancto. Quod enim cum gerat iniqua, cùm sit pessimus & execrabilis, tamen cupiens sit laudari: Dicis, nisi benè agerem, non adhuc mihi pepercisset Deus, & inuenio dictum à Deo, *propterea quod hos qui execrarint patribus* Sap.12. *corripis, & eos qui peccant, admonens alloqueris, vt derelictâ malitiâ credant in te Domine: illos enim antiquos inhabitatores terræ tuæ odiens, quoniam odibilia tibi opera faciebant*

F *per medicamina & sacramenta iniusta, & filiorum necatores sine misericordia voluisti perdere per manus parentum nostrorum, vt dignam percipiant peregrinationem Filiorum Dei, quæ tibi omnium charior est terra, sed & his tanquàm hominibus pepercisti, & misisti antecessores exercitus vespas, vt illos in partes exterminarent: non quia impotens eras impugnare, impios iustis subijcere, aut bestiis sæuissimis, aut verbo duro simul perdere, sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia illorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum semen erat maledictum ab initio, nec timens aliquam veniam dabas peccatis eorum, quis enim dicet tibi.* Quid fecisti? aut quis stabit contra iudicium tuum? Similiter tibi parcitur, Constanti, vt agas pœnitentiam, aut eorum intereas exemplo, [79] qui cum scirent à Deo, quod non essent acturi 79 pœnitentiam, quòd non fuissent semet conuersuri ad

G Deum, [80] propterea fuerit ab initio malignum, tamen pepercerit eis, & non statim vt deliquerunt eos puniuerit. 80 Ne igitur dicas, Si non benè agerem, nunquam profectò mihi Deus pepercisset, quando videas conscelerratis tuis diu pœnitentiæ locum exhibitum, vt tandem malorum factorum suorum viderent causas, & satis pro delicto fecissent Deo. Eris ergo & tu si minimè conuersus fueris ad Deum vnus ex illo maledicto genere, de quo ad Deum dicitur, non ignorans quoniam est nequam natio illorum, & naturalis malitia eorum, & quoniam non potuerit mutari cogitatio eorum in perpetuū: semen enim erat maledictum ab initio. Quàm igitur te gloriosum esse videbis, quando cum talibus esse cœperis, cum inter tales te videris iudicatum, cum inter tales inuentus, missus fueris in flammas inextinguibiles. Tu itaque prior omnibus & maior etiam illic futurus in illis pœnis; neque enim quisquam in nequitiis tibi compar inueniri poterit, nisi solus diabolus, vt te aliquis in illis pœnis possit conspici melior. Audes dicere, Si non benè viuerem,

H si non mea essent recta opera, si non fides mea, hoc est Arriana fuisset Catholica, si non rectè egissem tollēdo illos Episcopos qui fidem prædicant descriptam à trecentis apud Niciam & eò ampliùs, nunquàm diu regnarem, nunquam sic cōvsque fulgerem in regno, vt & pauco licet tempore, tamen solus intra limitem Romanum imperassem. Si ita est, vt dicis, cur dicit iustissimus Dei cultor Iob ad eos, qui eius iustitiam falsis allegationibus lacessebant: Iob.21. *Audite me quoniam dolores vulneris mei cogunt loqui, vt impij viuunt, & domus illorum non dissipatæ sunt, & timor ab illis longè est: Vacca illorum nunquam * abortauit, semper tulit ventrem suum, ipsi verò permanent tanquam oues in perpetuū, & filij eorum accepto organo, Induunt cum delectamento, vt vitam degerent in bonis cum dicat Dominus, Recedite à me iniqui, vias illorum nolo nosse, quoniam lucerna impiorum extinguetur, & gemitu dolebunt in vita sua, erunt tanquàm palea quæ à vento rapitur, aut tanquam puluis, qui à tempestate voluitur, * videant autem oculi mortem.* Cum hæc sciam Dominum de illis dixisse, scitote quia nemo vestrûm potest me compescere vt taceam.

* *pro abortum nō passa est.*

* *pro videbunt.*

A igitur nos vult facere, nisi vt vobis indisciplinatos & contumaces fugiamus, ne simul vobiscum, sicut illi qui cum Chore, Darhan & Abiron fuerant coadunati pereamus? Aut negabis te indisciplinatum atque contumacem, respice actus tuos circa Domini exhibitos Ecclesiam, & inuenies quàm sis indisciplinatus atque contumax.

Deut.7. 81 In Deuteronomio dicit Moyses, *Non ponetis ad eos testamentum, neque misereamini eorum, neque* [81] *tradetis filias vestras nuptum, neque dabis filio tuo filiam illius: seduces enim filium tuum à me, & seruiet diis alienis, & irascetur irâ Dominus in vos, & exterminabit te citò.* Cum hæc mandet fieri, quomodo possumus vobiscum conuenire, vobiscum pacem habere, cum negatoribus vnici Dei Filij? quomodo poteramus istam tuam implere voluntatem?

Deut.23. cum Deum videas dixisse per Moysen de Moabitis, Ammonitis, *Non salutabis eos pacificè omnibus diebus vitæ tuæ vsque in æternum.* Quomodo simul esse Arriani & Christiani poteramus?

Deut.23. Cum audias Moysen dicere, *Non erit adultera ex filiabus Israël.*

B Et omni commoneat loco vt omnis adulter interficiatur, productus ad portam, lapidibus: *& tolletis,* inquit, *iniquum à vobismetipsis:* si carnale adulterium dicit ita execrari Deum, vt iusserit omnes puniri adulteros, quantò magis adulterium vestrum spiritale execratur Dominus? Necesse est vnde & fueratis, atque estis fugiendi, cum Apostaticis non poteramus

Deut.28 conuenire Christiani, quando dixisse inueniamus Spiritum Sanctum per Moysen: *Aperiet tibi Deus thesaurum cælestem optimum, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore benedicet opus manuum tuarum omne, fænerabis gentes multas, tu autem non fæneraberis, & præliabis gentes multas, te autem non expugnabunt, constituet te Dominus Deus tuus in caput, & non in cauda, & eris suprà, & non subtùs, si audieris mandatum Domini Dei tui, quodcumque ego mandabo tibi hodie custodire & facere, & non discedere ab omni sermone quem ego mando tibi hodie dextrâ aut sinistrâ:* quomodo cum Pseudoepiscopis sectæ tuæ Arrianis nobis poterat conuenire, quando videas non nos benedictos

C esse potuisse, nisi quia non abierimus post idololatriam tuam? nisi quia execrati fuerimus hæresim vestram Arrianorum, sicuti & omnium execramur hæreticorum, nisi quia tales vos iudicauerimus atque habeamus, quales & ethnicos, cultores videlicet omnium dæmonum, nisi quia sic te fuerimus abominantes, quomodo & Iudæos, qui in-

Iosue 6. ueniuntur esse sine Deo, ex quo vnicum negauerint Filium Dei apud Iesum Naue. *At vbi audiuit,* inquit, *populus vocem tubarum, iubilauit vniuersus populus iubilo magno, & ceciderunt vniuersi muri ciuitatis in circuitu, & ascendit vniuersus populus in ciuitatem vnusquisque coram aduersariis suis, & inuaserunt ciuitatem & anathematizauerunt eam, & quecumque erant in ciuitate, à viro vsque ad mulierem, à iuuene vsque ad senem, & vsque ad vitulum, & vsque ad subiunctorium occiderunt in ore gladij, & duobus iuuenibus qui explorauerant, dixit Iesus, Introite in domum mulieris & producite eam, & quæcumque sunt eius: & introierunt duo iuuenes qui explorauerant ciuitatem in domum mulieris, & eduxerunt Raab meretricem & patrem*

D *eius, & matrem, & fratres eius, & quæcumque erant illius, & omnem cognationem eius, & deduxerunt eam foras extra castra Israël, & ciuitas incensa est igni cum omnibus quæ erant in ea.* Et infrà: *Raab meretricem & omnem domum patris eius viuificauit Iesus, & commorata est in Israël vsque in hodiernum diem.* Quando igitur videas omnes in ciuitate Iericho inhabitantes ore punitos gladij, omnem incensam ciuitatem, quomodo putasti nos potuisse te-

* Pro anathemate. cum conuenire cum hæretico, quandoquidem plùs te atque tuos dignos esse * anathema, quam illi fuerant aduerteremus? Quomodo poteramus cum Pseudoepiscopis sectæ tuæ conuenire Arrianis, quando videas nullum ad vitam reseruatum in ciuitate in qua idololatræ morabantur, nisi tantum Raab: propterea quod crederet esse Dominum nostrum totum potentem: idololatriam verò in qua confidebat populus in Iericho constitutus, quod fuisset errore inuenta humano. Quomodo poteramus vobiscum conuenire, quando in Regum 3. scriptum sit libro, nec domos vestras esse calcandas, nec cibos vobiscum sumendos, neque aquam accipiendam à vobis? Hæc ita esse

E 3.Reg. 13. aperit sacra Scriptura: *Et factum est,* dicit de illo coapostata tuo, *verbum hominis Dei,* & infrà: *Et extendit manum suam ad aram dicens: Apprehendite eum, & arida facta est manus Regis, quam extendit in eum, & non potuit reducere eam ad se, & sacrarium ruptum est, & effusa est pinguedo eius à sacrario secundum quod dixit homo Dei in verbo Domini. Et respondit Rex & dixit homini Dei, Roga à facie Domini Dei tui, vt reuertatur manus mea ad me. Et rogauit homo Dei faciem Domini, & reuersa est manus Regis ad eum, & facta est quemadmodum primum, & locutus est Rex ad hominem Dei & dixit, intra mecum in domum & prande, & dabo tibi munera. Et dixit homo Dei ad regem, nec si mihi dimidium dares domus tuæ, non intrabo tecum, nec manducabo panem, nec bibam aquam in hoc loco, quoniam sic præcepit mihi Dominus in verbo dicens, non manducabis panem & non bibes aquam, & non reuerteris in via quâ ibis in ea.*

F Quomodo vobiscum poteramus conuenire ad Deum adorandum, cũ iste homo Dei qui à Deo ad obiurgandum Ieroboam Regem fuerat missus, quoniam per illum qui dicturus est Propheta, circumscriptus fuerit, tam grauis circa illum vindicta processerit. *Et abiit,* inquit post hæc 1.Reg. 13. Scriptura de illo homine Dei, *per aliam viam, & non est reuersus per viam qua veneras in Bethel, & Propheta alius habitabat in Bethel, & venerunt filij eius, & nuntiauerunt ei omnia opera quæ fecerat homo Dei die illo in Bethel, & verba quæ locutus est regi, & auerterunt faciem patris sui, & locutus est ad eos pater eorum dicens, Quâ viâ abiit? Et demonstrauerunt filij eius viam per quam ierat homo Dei qui venerat ex Iuda, & dixit filiis suis: Sternite mihi asinam, & strauerunt ei, & ascendit super illam, & abiit post hominem Dei, & inuenit eum sedentem sub arbore ilicis, & dixit ei, Si tu es homo Dei qui venisti ex Iuda? & dixit, Ego sum. Et dixit ei, Veni mecum, & manduca panem, & dixit, Non possum reuerti tecum, neque manducare panem, neque bibere aquam in hoc loco, quoniam sic præcepit mihi in verbo Domini dicens: Non manducabis panem ibi, & non bibes aquam*

G *ibi, & non reuerteris inde per viam quam ieris. Et dixit ad eum, Et ego Prophetes sum sicut & tu, & Angelus locutus est ad me in verbo Domini dicens, Reduc eum ad te in domum tuam, & manducet panem, & bibat aquam, & mentitus est illi, & reduxit eum, & manducauit panem in domo eius, & bibit aquam, & factũ est, sedentibus illis ad mensam, verbum Domini ad Pseudoprophetam qui reduxit eum, & dixit ad hominem Dei, qui venerat ex Iuda dicens, Hæc dicit Dominus propter quod exacerbasti verbum Domini, & non custodisti præceptum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, & redisti & manducasti panem, & bibisti aquã in hoc loco, de quo locutus est ad te dicens: Non manducabis panem neque bibes aquam, ideò non intrabit corpus tuum in monumentum patrum tuorum. Et factum est postquàm manducauit panem & bibit aquam, & strauerunt ei asinam, & reuersus est, & abiit, & inuenit eum leo in via, & occidit eum; & erat corpus eius proiectum in via, & asina stabat ad eum, & leo stabat ad corpus ipsius, & venerunt viri ciuitatis illius, & locuti sunt in ciuitate vbi Prophetes senior habitabat in illa, & cũ*

H *audissent qui reduxerant eum de via, dixit: Hic est homo Dei, qui exacerbauit verbum Domini, & abiit, & inuenit corpus eius proiectum in via: & asina & leo stabat super corpus eius, & leo non edit corpus illius, neque insiliuit in asinã.* Si illi hoc repræsentatum est, cur manducasset panem & potum sumpsisset aquæ in loco prophano apud homines alienigenas, quid nobis repræsentatum fuisset, si tecum, quem scimus hæreticum, quem nouimus esse negatorem vnici Filij Dei, vt desiderabas, copulassemus amicitias, si vobiscum Arrianis precem fudissemus, si denique passi nos fuissemus, omnia quæ celebramus Domini Sacerdotes cum Pseudoepiscopis Arrianis tuis celebrare: intereà sic te fuisse ad nos circumscribendos immissum, vt ad illum Dei hominem fuerit ille Pseudoprophetes, debes repetens actus tuos cognoscere amarissimos; vt enim ille cum fuisset Pseudopropheta, Prophetam se esse dicebat ad circumueniendum innocentem, ita & tu cum non sis Christianus, sed sis Arrianus, finxisti te Christianum ad nos irretiendos. Deinde cum pacem semper habuerit Domini

A mini Ecclesia, & vos atque omnium sectarum hæreticos foràs abiecerit, dixisti, Pacem volo firmari in meo imperio, cupiens violare in nobis pacem Dominicam, scindere desiderans Dei populum, procurans hæresi tuæ ad quam nos omnes facere sis optans transitum: sic mentitus es Dei te fecisse hominem, quando hanc pacem facere te salutis nostræ causâ dixisti, quomodo & ille Pseudoprophetes, qui dicebat, Redi mecum, quia & ego prophetes sum Domini, & dixit mihi Angelus, Sic, inquam, mentitus es, quando dixisti quo potuisses Deo placere hoc te aggressum facere, siquidem tu singulos Catholicos Episcopos communioni iungere fueris laborans Arrianorum. Quomodo tecum ac cum tuis coarrianis potuit conuenire Christianis, quando ad Iosaphat regem Domini hæc dixisse cernas, cur Achab idololatram in amicitias acceperit? cur ad bellum cum Domini processerit inimico? postea quam etenim ille Achab consacrilegus tuus secundum verbum Dei fuisset in bello lethali percussus
B plagâ, & Iosaphat quia ex toto corde ad Deum proclamauerat, fuisset domui suæ repræsentatus, loquitur Scriptura Sancta exiisse ante faciem eius Ieü filium Anani, qui
2. Par. 19. fuerit videns, atque dixisse talia, *si peccatorem illum adiuuas, & eorum qui oderunt Dominum amicus es, in hoc super te à facie ira Domini, sed sermones boni inuenti sunt tecum, quoniam abstulisti lucos de terra, & parasti cor tuum ad requirendum Dominum.* Si illi hæc dicuntur, quæ nobis dicerentur, si tecum hæretico Dei aduersario amici esse maluissemus? aut nunquid dicere audebis: Ego non sum Dei inimicus, ita vt fuit Achab rex Israël. Quomodo non es inimicus, qui eadem agas quæ egit Achab, cum sic sis impugnans Religionem Dei, sicut ille impugnauerit, sic persequaris domum eius, sicut ille persecutus sit? Quomodo tecum ac cum tuis potuit nobis conuenire, cum isti Deo deuoto Regi, cum Ochoziæ Regi Israël iunctus fuisset in amicitiis, fuerit per Prophetam increpatum à Deo, *Et*
2. Par. 20. *iunxit*, inquit, *amicitiam Iosaphat Rex Iuda cum Ochozia*
C *Rege Israël, ipse iniquè cœpit facere, & communicauit secum vt faceret naues, quibus iret in Tharsis, & fecit naues in Asion Gabar, & prophetauit Eliezer filius Ozia ex Marea super Iosaphat dicens, In eo quod communicasti Ochozia, confregit Dominus operam tuã, & contritæ sunt naues tuæ, & non poterunt ire in Tharsis.* Si illi illa dicuntur à Domino quod ad fabricam nauium socium habuisset viæ perditionis Regem, quid nobis dici posset, si te destructorem domus eius, te Catholicæ Fidei persecutorem & amicorum Dei, Sacerdotem haberemus? Si illius operam confregit, cum iniquo fuisset iunctus, nunquid nos iam ipsius fulmine fuissemus, vt credo, dissipati, cum tibi blasphemo nosmet iunxissemus? Quomodo poteramus nos cum simus serui Dei, vos verò serui diaboli in vnum conueni-
* *Pro separationem.* re, quando sic inter nos & vos * separatum esse voluerit Deus, quomodo inter lumen & tenebras, inter vitam & mortem, inter dulce & amarum, quomodo inter sanctos Angelos Dei qui sunt semper clementiam eius magnificantes, & inter illos Apostatas quos in æternum tecum
D visurus eris torqueri, nisi temet eripueris ab eis? Quomodo, inquam, nos vobiscum esse poteramus Dei serui cum seruis Antichristi, quando Amasiæ regi fuerat dictum à
2. Par. 25. Deo in 2. Paralipomenon libro, *Non ibit tecum exercitus Israël, quia non Deus cum Israël, omnes filij Ephrem, quia si te existimaueris praualere in istis, in fugam conuertet te Dominus ante inimicos, quia est virtus à Domino.* Quomodo resisteremus contra diabolum, si in tanto scelere vestro curreremus vobiscum, cum hostibus Dei, cum hominibus inuentis sine notitia Dei, cum Deum non habentibus, in quos cateruam sciamus esse dæmonum? Neque enim potestis vos esse negatores vnici Filij Dei sine dæmoniis, cum blasphemare vos non faciant, nisi illi qui vestra cæcauerint corda, ne videlicet possit à nobis veritas comprehendi. Nunquidnam potueramus in vestra demorari parte? consentire vestris flagitiosissimis meditationibus? cum per Dauid gloriosum dicat Spiritus Sanctus, Non esse beatos, nisi eos, qui se abstraxerint à vobis vnici Filij Dei negatoribus, eos, qui serpentinis cogitationibus vestris non se miscuerint, beatos tantùm mansuros, *Bea-*

tus vir qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccato- E
rum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Quomo- Psal. 1.
do esset vobis & nobis vnius loci conuenticulum, cum audias item Dauid dicere in Psalmo 6. *Discedite à me, qui* Psal. 6.
operamini iniquitatem: si non operamini Arriani iniquitatem, iudica, tu princeps in sacrilegio Arrianorum, qui cum dicamus nos Christianos, horribili animositate persequeris. Rectè igitur scias nos fecisse, recedendo à vobis Deo odibilibus; quomodo etenim nos in cœtu vestro omnibus facinoribus infecto manere, & non vos pestes ac lues fugere debuerat? cum dicat ex persona populi nostri in 25. Psal. *Quoniam misericordia tua ante oculos meos* Psal. 25.
est, & complacui in veritate tua. Non sedi in concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo, odiui Ecclesiam malignantium & cum impiis non sedebo. Si non est concilium vestrum vanitatis, conuince me. Non est vanum concilium, in quo omne concilium non est, nisi vt Dei Filius negetur esse verus Dei Filius, vt Deus Pater non F
esse verus Pater defendatur, vt Spiritus Sanctus Paracletus non esse verus Dei Spiritus asseueretur, vt Apostolica & Euangelica traditio destruatur, vt traditio Arrij firmetur, in quo concilio nihil aliud firmatur, nisi quod omnibus hæreticis & ethnicis atque Iudæis possit lætitiam conquirere magnam. Gaudent cuncti Dei Religionis execratores; quod enim te videant Imperatorem voti sui rem exequentem; quod te extitisse vnici Filij Dei negatorem, & eius seruorum aduertant persecutorem, hoc est concilium, quod magnoperè omnibus viribus imperij tui solitus es adunare, ad hoc vtique vt omnis auctoritas Scripturarum Sacrarum tui imperij auctoritate soluatur, vt omnis sepeliri possit veritas, vt mendacia detestandæ commentationis vestræ possint videri vera. Hæc sunt meditationes vestræ in illo egregio concilio per tuam adunato potentiam. Propterea odis nos, quia concilium vestrum malignantium execremur, propterea in exilio sumus, propterea in carcere necamur, propterea nobis solis prohibetur conspectus, idcircò reclusi in tenebras custodimur ingenti custodiâ. Huius G
rei causâ nullus ad nos visendos admittitur hominum, quia videlicet noluerimus vobiscum impiis sacrilegis vllam scelerum vestrorum habere societatem, de quibus ex nostra persona directa est obsecratio ad Deum, ne scilicet vobiscum degentes simul periremus, sed fuissemus segregati de vestro nefario concilio, de vestra iniqua conspiratione. Ait enim in 27. Psalmo, *Exaudi Domine* Psal. 27.
vocem deprecationis meæ cum oro ad te, cum extollo manus meas ad templum sanctum tuum, ne simul trahas cum peccatoribus animam meam, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me. Cum his, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem sunt in cordibus eorum: Da illis secundum opera illorum, & secundum nequitiam studiorum ipsorum, secundum operationem manuum ipsorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis. Propterea odimur à te, Constanti, quoniam noluerimus hæc dici de nobis, quæ dicantur ore Prophetæ de te ac tuis, propter nequam vestram operam, quæ dicantur de Iudæis, quorum imita- H
tor extiteris, si non es tu Constantius Imperator, [82] qui 82
finxeris pacem te facere, vt fuerunt mala cogitamenta, nisi vt Dei negatus fuisset Filius, nisi vt Apostolica atque Euangelica fides fuisset destructa: ædificata verò fuisset Arriana hæresis vestra, nisi vt omnes tibi non acquiescentes fuissent deportati, proscripti, variè excarnificari, ad vltimum interfecti, & idcirco Spiritus Sanctus te ac tuos designans pariter ac percutiens dicit ex persona populi nostri, *Cum operantibus iniquitatem ne perdas me, cum his qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem sunt in corde eorum.* Nobis dicebas, pacem volo fieri, & in corde tuo manens aduersarius Religionis nostræ, cogitabas per te facere nos idololatras, vnde & verè receptus eris secundum operam tuam, secundum nequitiam studiorum tuorum, nisi tibi feceris esse prospectum, vitauimus ac sumus vitantes concilium vestrum, quod contra Deum factum est ac fit, quorum tunc iam videns meditationes Spiritus Sanctus dixerit ore Dauid in 32. Psalmo, *Dominus dissipat consilia gentium, re-*

probat

A *probat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum.* Consilia verò vestra contra suam prolata Ecclesiam reprobat Deus; nec enim potest odire populum suum, hæreditatem suam, & amare vos filios pestilentiæ, vos persecutores seruorum suorum: dixisti, facite pacem cum Episcopis sectæ meæ Arrianis, & estote in vnum: & dicit Dei Spiritus per Salomonem in Prouerbiis; Prou. 4. *Viæ impiorum noli sequi, neque æmuleris viam iniquorum, in quocunque loco exercitum constituerint, ne superuenias illuc: declina autem ab ea, & deuita: non enim dormient, nisi malè fecerint: ablatus est enim somnus ab eis, & non dormiunt: Hi enim cibantur cibis impietatis: vino autem iniquo inebriantur. Nam via iustorum similiter vt lux fulgebunt, procedunt & illuminant, donec corrigat dies. Viæ autem impiorum tenebrosæ, nesciunt quomodo offendunt.* Quomodo vobiscum Arrianis societatem poteramus habere, cum adulteris spiritalibus, qui scriptum retineamus, Prou. 5. *Nolite intendere fallaci mulieri: mel enim distillat à labiis mulieris meretricis, quæ ad tempus impinguat fauces tuas,* B *nouissimè autem amarius felle inuenies, & acutius magis quàm gladius ex vtraque parte acutus: insipientes autem pedes deducunt vtentes eâ cum morte ad inferos.* Sed quid dicis hæc propter carnis adulteria dicta? Si propter carnis adulteria esse adstruis hæc dicta, quantò magis fugiendi vos estis spiritales adulteri, ne per Arrianam hæresim vestram meretricem spiritalem, hæc super nos quæ dicuntur veniant? Dulce etenim quibusdam videtur quòd tibi Regi in amicitias iungantur suscipiendo hæresim tuam, sed amarius felle sensuri, cum tecum torqueri in perpetuum cœperint in perpetua gehenna sentire, qui tecum esse delegerunt, tunc dicturi, Væ nobis qui Constantium Imperatorem Deo præposuerimus: conuenire nobis & vobis quomodo Prou. 22. poterat, cum infrà dicat adhuc Salomon, *Eiice de consilio pestilentem, & exiet cum illo contentio, & ne imitatus fueris malos viros, neque desideres esse cũ illis: falsa enim meditatur cor eorum, & dolores labia eorum loquuntur. Tu* C *noli applicare impium ad pascua iusti, neque seducaris saturitate ventris. Septies enim cadit iustus & resurget, impij autem infirmabuntur in malis,* cum superbis & præuaricatoribus, cum eis qui volueritis cum Iuda Iscarioth potiùs inueniri, quam cum beatissimis Prophetis, Apostolis, atque Martyribus. Quomodo esse possumus, cum audiam Ps. 100. in 100. Psal. *Deambulabam in innocentia cordis mei in medio domus tuæ. Non proponebam ante oculos meos rem malam facientes, præuaricationes odiui, non adhæsit mihi cor prauum, declinantes à me malignos non agnoscebam: detrahentem aduersus proximos suos, occultè eum persequebar, superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam.* Et in Ps. 118. Psalmo 118. *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* Cum sitis iniqui, quippè negatores vnici Filij Dei, cum odiri vos oporteat à nobis, propterea quod viam veritatis relinquentes comprehenderitis eam omnium errorum, proptereà quod relinquentes lumen, ire delegeritis in exteriores tenebras, quomodo tibi capiti nefando, tibi Dei domus destructori, omnium iniquitatem operantium fomiti, D poteramus esse charissimi, quomodo familiares amici, vt sunt Valens, Vrsaceus, Epictetus, Saturninus, & cæteri, ex quo tamen numero etsi viderint in quam inciderint foueam, certi tamen tecum diligerent interire, dummodo regni tui * inanem pulchritudinem vnà perfruantur tecum. [* Pro inani pulchritudine.] Nos quomodo tecum esse potueramus, qui ista quæ illi tecum frui elegerunt; habeamus exosa, homines qui ad illa consequenda tendant, quæ sunt in perpetuum mansura, qua de re nobis ac vobis non conuenit, nempe quia noluerimus suscipere hæresim tuam, nempe quia Christiani noluerimus effici Arriani. Quis est autem, nisi & ipse sit sicut vos estis Arriani, impos mentis, qui derelinquat domum Dei, & eam det diabolo in monumentum? Idcircò autem apud te odio laboramus, quia fuerimus metuentes atque sumus, ne illa fuissent dicta de nobis, quæ sunt dicta de illis desertoribus, hoc est, Ierem. 2. Iudæis, quos incusat Ieremias, dicens: *Audite verbum Domini, domus Iacob, & omnis domus Israël, Hæc dicit Dominus, quid inuenerunt in me Patres vestri contumacia, quod recesserunt longè à me, & abierunt post superuacua, & frustrati sunt, & non dixerunt, vbi est Deus, qui liberauit nos* E *de terra Ægypti, qui eduxit nos ducatum præbens in deserto in terra inculta, & ignota, & in terra sine aqua, & sine fructu; in terra in quam nemo commeauit vir, neque commoratus est ibi filius hominis, & induxit vos in Carmelum vt manducaretis fructum eius & bona eius; & intrastis; & coinquinastis terram, & hereditatem meam posuistis in exterminationem, Sacerdotes non dixerunt; Vbi est Dominus, & seniores legis meæ nescierunt me, & pastores impiè egerunt in me; & Prophetæ prophetauerunt in Baal, & post inutilia abierunt.* Noluimus hæc audire opprobria; vnde & fugiendum diximus te ac tuos. Neque enim conuenire poterat Dei domesticis; vobiscum alienigenis, cum videamus dictum à Deo, cum perfido tuo illo populo carnali, *Auerte pedem tuum ab aspera via, & faucem tuam à siti.* Quæ autem dixit, Confortabor, quia dilexit exteros & post illos abibat; post vos ergo exteros, post vos allophylos non solùm non ire voluimus, sed & anathema vobis F filiis pestilentiæ ac tenebrarum diximus; ne si recessissemus ab Apostolica atque Euangelica fide, derelinqueremusque viam quam tenuerunt Abraham, Isaac & Iacob beatissimi, Abel, Enoch, Noë, & cuncti Prophetæ, Apostoli, atque Martyres; hæc etiam dicta fuissent à Deo de nobis, quæ dicta sunt de comblasphemis tuis Iudæis. Quemadmodùm confunditur fur, cum comprehensus fuerit, sic confundentur filij Israël ipsi, & Reges eorum, & Principes ipsorum, & Sacerdotes ipsorum, & Prophetæ: noluimus esse inter vos, ne etiam illa increpatio vocis diuinæ nos cum Iudæis, & vobiscum hæreticis argueret, *Vt quid loquimini ad me, omnes vos impiè egistis; & omnes vos deliquistis in me, dicit Dominus.* Ierem. 2. Quomodo vobiscum nobis conuenire poterat cum legeris scriptum in libro Machabæorum primo, 1 Mach. 2. *Tunc congregati sunt ad eos conuentus fortes in viribus ab Israël, omnis voluntarius in lege, & omnes qui fugiebant à malis additi sunt ad eos, & facti sunt illis firmamentum, & constituerunt virtutem & percusserunt peccatores in ira sua; & viros iniquos in indignatione,* G *& cæteri fugerunt ad nationes, vt se liberarent; & circuiuit Matathias & amici eius, & destruxerunt aras, & circumciderunt pueros incircumcisos quotquot inuenerunt in finibus Israël in fortitudine, & persecuti sunt filios superbiæ, & prosperauit opus in manus eorum, & obtinuerunt legem de manibus gentium & Regum, & non dederunt cor peccatori.* Vobiscumne esse potueramus, cum videatis quid illi fecerint, ex toto corde qui Deum inueniuntur timuisse? Tu dicis membrum iam tunc exectum de corpore beatæ Ecclesiæ quando Arrianus factus es ex Christiano, estote nobiscum. Et Dominus dicit in Euangelio, Matth. 5. *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue illum, & proiice abs te. Expedit enim tibi vt pereat vna pars membrorum tuorũ, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam: & si dextera manus tua scandalizat te, abscinde illam & proiice abs te; expedit enim tibi vt pereat vna pars membrorum tuorũ, quàm totum corpus tuum eat in gehennam.* Secuisse se Arrium, atque proiecisse secundum Domini præcepta damnat Ecclesia, & tu dicis, Suscipite compestilentes tuos ac lues. H Tu dicis, Sinite vos eodem interire morbo, quo ego perierim. Sic est de corpore Ecclesiæ excisus Sabellius, vt est & condetestabilis tuus excisus Arrius iste, cuius sermo vt cancer in te fortissimè adeò serpserit, vt totus iam cancer esse cerneris: nec poteris dicere; [83] te non Arrij cancerasse sermonem, cum fœtor cancerationis tuæ ad omnem [83] peruenerit regni tui locum, & cuncti te vitare statuerimus, ne & ipsi peste tuâ Arrianâ canceraremur. Sic, inquam, sectus est, atque proiectus tuus magister Arrius, vt est sectus & reiectus Sabellius, quia fuerit ausus vnã esse personam Patrem & Filium & Spiritum Sanctum defendere, quia fuerit ausus dicere ipsum sibi & Patrem esse, & Filium & Spiritum Sanctum, excisus est quia dicere non dubitarit, quod etiam ipse Pater in vtero Virginis incarnatus sit, & fuerit passus. Sic Marcionem excisum proiecit, qui noluerit confiteri Dei Filium hominem suscepisse de vtero Virginis, & per hoc hominem factum. Sic excisus est atque abiectus Paulus Samosatenus Photini magister è corpore Ecclesiæ, quia fuerit dicere

A dignatus, hominem tantùm Dei Filium, Sic & cunctarum sectarum hæretici sunt præcisi, vt est Arrius præcisus, vtque tu qui propterea quod dicas de Dei consilio, factus est ex nihilo, & non est verus Filius, erat quando non erat, exscindi merueris. Exscissi igitur estis cuncti blasphemi, atque reiecti virtute Dei de Ecclesia eius clementiæ, quia non fueritis in ea manentes fide, in qua manserint Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, ac Martyres: homo excisus cum omnibus comblasphemis tuis è corpore sanctæ Ecclesiæ, iacens in diaboli sentina, audes dicere ad eam: Esto talis vt sum ego, quo possis tali confici morbo, quo sim & ipse consumptus. Sic existimaueras non potuisse vobiscum conuenire, tanquàm non retineremus dixisse beatum Paulum:

1. Thess. 3. *Præcipimus autem vobis fratres in nomine Domini nostri* IESV CHRISTI, *vt subtrahatis vos ab omni fratre inquietè ambulante, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis*; quæ efficere potuerat ratio, vt deserentes viam, quæ ducit ad Cœ-

B lorum regna, comprehenderemus vestram quæ præcipitat ad gehennam? Circumscribere nos te potuisse arbitratus es subtilitate, quâ serpens circumscripserit Adam & Euam eximiis verbis, pulcherrimisque sensibus conscribens edictum, in quo omnia venena tuæ hæresis continentur. Sed vnde istud potueras efficere, cùm nos contra tua, atque patris tui venena armauerit beatus Paulus, dicens: *Hoc itaque dico, vt nemo vos decipiat in sublimitate verborum.*

Col. 2. Et iterùm: *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem seductionem secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum, quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Quomodo potueramus illis Arrianis tuis sacrilegis sensibus, verbis sublimibus licet seduci, cum inanem te Philosophiam cognouerimus habere? vnde etiam dulces tui possent esse sermones, quem viderimus tenentem traditionem Arrij, non beatorum Apostolorum, ad quos dixerit iste quem negas, quod verus sit Dei Filius: *Euntes baptizate credentes in nomine Patris, &*

C *Filij, & Spiritus sancti?* Quomodo tibi discipulo Arrij acquiesceremus Christiani, deserentes Apostolicam traditionem, cum te inueniamus dicere, Patrem non esse verum Patrem, sed appellari Patrem? Cum dicas, non illum verum habere Filium, sed factum esse ex nihilo? sanctum Paracletum Spiritum cum dicas totidem constare ex nihilo, èconträ videamus Apostolos credidisse in vnum Deum Patrem omnipotentem, verum Patrem: propterea verum Patrem, quòd verè, non putatiuè habeat Filium, & in vnicum Filium eius Iesum Christum, hoc est in verum Dei Filium, & in sanctum Paracletum Spiritum, in verum Dei Spiritum. Quomodo potuerat quis ita credentium supplantari à diabolo per te Arrij blasphemiæ fundatorem, cum fides Apostolica & Trinitatem confiteatur perfectam, & vnicam Deitatem fateatur, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: & Arrij, hoc est tua blasphemia non teneat, nisi id quod placuerit charo tuo diabolo? cum tantùm intersit inter beatæ Ecclesiæ

D fidem & inter hæresim tuam, quantùm inter lucem atque tenebras. Rectè vos intereà dixi ita separatos à nobis, vt tenebræ sunt separatæ à lumine, quia sitis tenebrarum filij: vnde & tenebras de vipereis cordibus euomueritis vestris, sperasti nos deflectere à via veritatis, tanquàm non sciremus præmonuisse Spiritum sanctum per beatum Paulum dicentem,

Col. 2. *Nemo vos seducat, volens in humilitate sensus & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, sine causa inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput ex quo omne corpus per nexus & coniunctiones productum, crescit in augmentum fidei.* Quomodo te ambulantem sine causa alitum serpentis ore, Arrij inflatum sensu, carnis tuæ, apostata, factum sequeremur, cum Apostoli præceptum cogeret temet vitari, dixisti: quod enim pacis causâ coniungi desiderans fueris Pseudoepiscopos sectæ tuæ nobis: sed quomodo istud facere potueramus, vt non Deum, sed te eius audiremus inimicum, non sumus vt vos excordes, vt Dei Deum negemus Filium, sicut negant Iudæi cæcitatis vestræ participes, ac duces vestræ incredulitatis: quorum reprobationis exemplum beatus ostendens Paulus dicit ad Hebræos, E

Heb. 3. *Et Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius tanquàm seruus in testimonium eorum quæ dicenda erant: Christus autem tanquam filius in domo sua, quæ domus nos sumus, si tamen liberalitatem & exultationem spei tenuerimus, propter quod dicit Spiritus Sanctus, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundùm diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me Patres vestri, probauerunt & viderunt opera mea quadraginta annis, ideoque perosa mihi gens est, & dixi, semper errant corde. Isti autem non cognouerunt vias meas, sicut iuraui in ira mea, si intrabunt in requiem meam. Videte fratres ne casu sit in aliquo vestrûm cor malignum incredulitatis, discedendo à Deo viuente; sed consolamini vosmetipsos quotidie donec hodie vocatur: ne præduretur aliquis ex vobis in errore peccati. Participes enim Christi facti sumus, siquidem principium substantiæ vsque ad finem firmum retineamus. Dum dicitur, Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione.* F *Quidam enim audito hoc non crediderunt, sed non omnes qui exierunt de Ægypto per Moysen. Qui autem perosi ei fuerunt quadraginta annis, nonne hi qui peccauerunt? quorum cadauera iacuerunt in solitudine: quibus autem iurauit non intraturos in requiem suam, nisi contumacibus? & videmus quia non potuerunt intrare propter incredulitatem. Timeamus itaque ne casu derelicto mandato intrare quidam vestrûm in requiem eius non posse videantur. Nam & annuntiatum* Heb. 4. *est nobis, quemadmodum & illis, & non profuit illis verbum auditus, non temperatus fidei auditorum. Intrabimus enim in requiem eius qui credidimus, vt dixit, Sicut iuraui in ira mea, si intrabunt in requiem meam. Et cum opera ab origine mundi facta sunt, dixit tamen alicubi de die septimo sic, & requieuit Deus in die septimo ab omnibus operibus suis. Et in hoc iterùm, si intrabunt in requiem meam. Ergo quia superest quosdam intrare in illam*, & hi quibus prius prædicatum est non intrauerunt propter contumaciam. Rursus aliam præfiniit diem hodie, in Dauid dicendo, post tantum temporis, sicut anteà dictum est, Hodie si vocem eius* G *audieritis, nolite obdurare corda vestra, quoniam si Iesus illis requiem dedisset, non de aliis dixisset: postera die ergo restat requies populo Dei. Etenim qui intrauit in requiem eius, & ipse requieuit ab operibus suis, sicut à suis Deus.* Quis tam stultus, vt cum hæc legerit, hæc acceperit à beato Apostolo, deserens fidem Apostolicam, suscipere tentet hæresim? Quis eum negare audebit, quem videat æternam requiem tribuere potentem credentibus se, & velit in illum credere, cum quo incipiat in æternum puniri? Quis est talis nisi tu Constantius Imperator, qui dereliquisti Domini castra, & transitum fecisti ad diaboli domum? Non delegimus ardere, sicuti tu delegisti cum amatore tuo diabolo, sed in requiem perpetuam intrare festinamus, * quam tua astutia potueramus capi, & à via flecti veritatis, quando adhuc hortetur Apostolus ad requiem comprehendendam æternam dicens,

Heb. 4. *Festinemus igitur intrare in illam requiem, ne aliqui in idem exemplum* H *contumaciæ cadant; viuidum est enim verbum Dei, & validum, & acutius omni gladio ancipiti, & penetrans vsque ad diuisionem animæ & spiritus, artuumque & medullarum, & scrutator animi & cogitationis cordis: & nō est vlla creatura, quæ non pareat in conspectu eius: omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius, ad quē nobis oratio est.* Cum hæc ita sint, quomodo potuerat quis nostrûm transire ad vos in perfidia manentes Iudæorum? quæ terū ratio nos vobis possit iungere Christianos Arrianis, cū videremus vos esse illius gentis * imitationis perfidiæ? de qua quomodo possent emergere confugientes ad domum Dei, in Actibus Apost. locutus ita sit Petrus beatissimus dicens,

Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Domini nostri* IESV CHRISTI *in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Vobis enim est hæc promissio, & filiis vestris, & omnibus qui longè sunt, quoscumque aduocauerit Dominus Deus vester:* aliis etiam verbis plurimis contestabatur & exhortabatur eos dicens, *Eripite vos à generatione ista praua.* Nec poteris dicere, Non vos esse Arrianos generationem prauam, sicuti fuerint ac sint Iudæi, quando

* *Forte cum tua.*

* *Repetendum imitatores.*

cernas

A

cernas nunc Scribas, Pharisæos, & principes Iudæorum idcircò esse dictos praua generatio. Quod enim & Dei negabant Filium, & omnes credentes in eius diuinam maiestatem persequerentur: non, inquam, poteris dicere te atque cunctos Arrianos non esse generationem prauam & peruersam, quando hæc sitis gerentes, quæ & illi: si illi fuerunt vnicum negantes Dei Filium, ita facitis & vos, si illi persecuti sunt seruos æternæ clementiæ eius, persequimini etiam vos. Quid igitur oportuerat nos facere, nisi secundum beati Petri præceptum recederemus à vobis sacrilegis? vnde enim vobiscum poterat conuenire, cum dixerit Dominus in Euangelio, *Attendite vobis à fermento Pharisæorum quod est hypocrisis.* Quomodo potueramus in vno esse, cum Corinthiis scribens dixerit beatus Apostolus, *Omninò auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris aliquis habeat, & vos inflati estis, & non potius luctum habuistis, vt tolleretur è medio vestrûm, qui hoc opus fecit.*

Luc. 12.
1. Cor. 5.

B

Si igitur Apostolus huiusmodi opus operantem iusserit tolli è medio, ne videlicet per illius societatem omnis corrumperetur Ecclesia, quantò magis dignum fuerat, vos fugeremus blasphemos? si illum tradidisse Satanæ narrat, quantò magis tunc vos iam traditos esse scire debetis, quando Dei cœperitis negare Filium? *Ego quidem sicut absens corpore, præsens autem spiritu iam iudicaui vt præsens eum, qui sic operatus est in nomine Domini Iesu, congregatis vobis & spiritu meo, cum virtute Domini nostri Iesu tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri* IESV CHRISTI. *Bona gloriatio vestra, nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit. Expurgate vetus fermentum, vt sitis noua conspersio sicut estis azymi.* Hæc cum sit increpatio Apostoli, poterant Christiani Antichristi coniungi seruis? Quomodo enim non fuisset corruptus tantæ blasphemiæ vestræ venenis, quandoquidem siue in hypocrisi, siue ex vero quis communicet vobis, sit in ingenti periculo,

1. Cor. 5.

C

cum propter hæresim vestram secerneremur à vobis? Quomodo iterum adhærere potueramus, cum vox sit dicentis Apostoli; *Scripsi vobis in epistola non misceri fornicariis, non vtique fornicariis huius mundi, aut auaris, aut raptoribus, aut idololatris, alioquin debueratis de hoc mundo exiisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri, si quis frater nominatur fornicator, aut auarus, aut idolorum cultor, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere:* si cibum vobiscum iubemur non sumere, credideras potuisse Catholicos conuenire cum hæreticis ad solemnia cuncta celebranda vobiscum erraticis, vobiscum per diaboli venenum ad omnem deductis ebrietatem esse potueramus Dei cultores? Quomodo fieri istud potuerat, vt inter mortuos viuificaremur, cum dignum esset magis vos filij aduersarij nostri congregatos in vnum videri, & nos contrà Christi milites in vnum, quo possetis sine vlla dubitatione ab omnibus Deum diligentibus membra, ac corpus meretricis vocitari, quo nomine etiam nos possemus nuncupari, si nosmet traderemus vobis:

1. Cor. 5.

D

nescitis quia corpora vestra membra Christi sunt? *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. Aut nescitis, quia qui se iungit meretrici, vnum corpus est. Erunt enim,* inquit, *duo in carne vna. Qui autem iungit se Domino, vnus spiritus est: fugite fornicationem.* Cuiusmodi vis fugere nos debere fornicationem? Qui enim præter vxorem, aliam petere voluerit, fornicarius dicitur. Item qui idolis seruierit, fornicarius dicitur: quoniam quidem Deum derelinquens idola adorauerit: similiter qui hæreticus est, fornicarius vocatur. Quoduis de his cognosce grauius esse crimen, hæreticum fieri, idolis seruire, an committere secundum carnem adulterium: Quia ergo siue gentiles, siue vos hæretici † idololatres dicimini, vtraque pars idololatriam sit gerens, necesse est: & tamen quia à carnali fornicatione, quantùm dici non potest, quod vastiora sint illa duo crimina intelliges. Conspice quibus te iugulaueris malis. Clamat adhuc dicens sanctissimus Apostolus, *Omne peccatum quod fecerit homo extra corpus est, qui autem fornicatur in corpus suum peccat.* Et, *Non estis vestri. Empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.*

1. Cor. 6.

† Pro idololatra.

E

1. Cor. 6.

Quomodo poteris portare Deum, Constanti, in corpore tuo, cum Apostolicam fidem reiiciendo, hæreticamque suscipiendo; non te illius esse dixeris, cuius se dixerunt Patres nostri, Abraham, Isaac, & Iacob, sed & cuncti Prophetæ, Apostoli, ac Martyres? Deinde si quis fornicator in corpus suum est peccans; quantò magis tu qui sis non per carnem tantum illud perficiens serpentis opus, sed & per ipsam animam? Nescitis quia qui se iungit meretrici, vnum corpus est; qui autem iungit se Domino, vnus spiritus est. Cum sacrilegis ne & ipsi facti in corpore meretricis, non mereremur esse Domini famuli, sed iam vt vos serui diaboli, censuimus recedendum fuisse à vobis. Væ tibi qui nolueris Domino coniungi, sed volueris diabolo, sed & cum dicit, *Nolite seduci. Corrumpunt enim mores bonos colloquia praua.*

1. Cor. 15.

F

Quid me iubet facere nisi vt fugiam cœtum tuum sacrilegio maculatum, ne dum hæreo tibi, & ipse tecum peream? Quomodo in tuo concilio maligno esse potueramus, cum Apostolum beatum Timotheo inueniamus dixisse, *Manus cito nemini imposueris, neque communicaueris peccatis alienis. Teipsum castum serua.*

1. Tim. 5.

Sed quomodo essemus casti, qui vobis hærendo, vt vos disrupti fuissemus per illos charissimos vestros, immundos videlicet spiritus à castitate fidei? quomodo non communicassemus alienis peccatis? Quod si vobiscum manendum censuissemus, hoc essemus futuri quod estis vos, hoc est membra meretricis: quomodo nos Christiani esse potueramus vobiscum hæreticis? cur item scripsisse Apostolum Timotheo sciremus, vt nosmet abstraheremus à vobis hæreticis? *Hæc doce & exhortare, si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri* IESV CHRISTI, *& ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, inflatus est autem nihil sciens; sed ægrotat circa quæstiones & verborum rixas, ex quib. nascuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones, conflictationes malæ hominum mente corruptorum, & à veritate destitutorum.*

1. Tim. 6.

G

A te itaque non ita credenti, vt credit populus Dei, à te non ita docenti vt docuerunt Christi vnici Filij Dei Apostoli, à te non acquiescente sanis sermonib. Domini nostri Iesu Christi, voluimus viuere segregati, à te expugnator doctrinæ quæ secundum pietatem est, à te inflato contra nos per inimicum nostrum, à te nihil veri scienti, sed ægrotanti circa quæstiones, à te per cuius nefandos conatus natæ esse specialiter nostris dieb. inueniantur rixæ verborum, mortiferæ contentiones, malignæ conflictationes, per te videlicet hominem mente corruptum, veritatis interpolatorem. Recedendum censuimus à te atque à conuiperinis tuis, secundum Apostoli præceptum. Dicit enim infrà, *Hominum mente corruptorum & à veritate destitutorum, existimantium quæstum esse pietatem:* Discede ab huiusmodi.

1. Tim. 6.

H

Vnde tecum esse potueramus, cum etiam in clausula huius epistolæ hortetur te fugiendum esse, te qui excideris à fide. *O Timothee depositum custodi, deuitans prophanas vocum nouitates & oppositiones scientiæ falsi nominis, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt.* Oportuerat nos vitare te prophanas vocum nouitates proferentem, siquidem cognosceremus te illam sacrilegam vocem instinctu protulisse diaboli, illam, inquam, vocem, per quam expresseris venena dogmatis tui dicens, erat quando non erat, & factus est ex nihilo, & non est vna potentia Patris & Filij. Hæc non Spiritus sanctus per te protulit, sed immundus ille diabolicus. Quo modo itaque secundum Apostoli mandatum custodire depositum potueramus, si tecum in concilio maledicto vestro mansissemus, cum nos proposuerimus vsque ad mortis exitum apostolicam tenere fidem, istam scilicet quam apud Nicæam retinemus scriptam contra tuam blasphemiam, & contra omnium hæreticorum tuorum execrabiles conatus? Quomodo in concilio vestro Arriani esse nos potueramus Christiani, qui in libro Machabæorum prædecessores conseruos nostros

A segregatos fuisse † ab illis, qui iuxta edictum contyranni tui Antiochi idolis supplicauerant? *Iudas autem Machabaeus qui decimus fuerat, & secesserat in desertum, ibique cum feris vitam in montibus cum suis agebat, foeni cibo vescentes morabantur, ne essent participes coinquinationis.*

† Deest verbum legeramus vel simile quippiã

2. Mac. 5

Cognoscis hoc in vno testimonio nos recedere oportuisse à vobis, ne & nos participes fuissemus coinquinationis. Quomodo vobis iungeremur, cum item dicat Dominus ad Apostolos, *Attendite vobis à fermento Pharisaeorum & Sadducaeorum*, & vt fermentum fuisse doctrinam non sanam, quam videlicet aut tunc illi Pharisaei, aut Sadducaei, aut nunc vos omnium sectarum proferetis haeretici, nobis manifestaret, sequitur Scriptura dicens, *Tunc cogitabant inter se dicentes, quia panem non habemus: quibus cogitantibus dixit Iesus, Quid cogitatis inter vos modicae fidei, quia panem non habetis? nondum intelligitis neque meministis quinque panum, & quinque millium hominum, & quot cophinos sumpseritis, neque septem panum & septem millia hominum, & quot sportas sumpsistis? Quare non intelligitis, quia non de pane dixi, Attendite à fermento Pharisaeorum & Sadducaeorum.* Tunc intellexerunt, quia non dixit à fermento, sed à doctrina Pharisaeorum intenderent sibi. Item ad Corinthios scribens, cum dignetur Apostolus instruere, recedendum à vobis haereticis, & omnibus alienigenis, quo modo praesumpserat cor tuum in omnibus varium & mutabile, sed in hac malignitate, malo salutis suae ingenti stabilitum robore nos potuisse tecum pacem vel cum tuis habere? *Nolite iugum ducere cum infidelibus; quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas lucis ad tenebras? Quae autem conuentio Christi ad Belial? aut quae pars fideli cum infidele? Qui autem consensus templo Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei viui: scriptum est enim, Quoniam inhabitabo in illis, & inter illos ambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus, propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos mihi eritis in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.* Quomodo cum tua praecepta orta videantur esse contra has Domini promissiones, demorari vobiscum fideles poteramus cum infidelibus, currentes in via lucis vobiscum possemus stare hominibus iter conficientibus in via tenebris errorum omnium repleta? Quis enim tam stultus est, vt cum audierit Deum dicere, *Quoniam inhabitabo in illis, & inter eos ambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus, propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos mihi eritis in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.* Quis, diximus, tam stultus est, vt nolit in se Deum inhabitare? qui nolit se receptum à Deo reputari inter eos quos filios appellare dignatus est, vt non fugiat te immundum per haeresim tuam effectum? non aequum nobis visum est, vt vobiscum nos in vno fuissemus, quandoquidem nec sit aequum homines morari cum serpentibus: aut negabis vnici Filij Dei negatores dictos in sacris Scripturis serpentes? Si negare non potes, aduerte rectè nos egisse fugere vos serpentes. Legisti Apostolum Timotheo dicentem, *Prophanas nouitates vocum deuita: multum enim proficient ad impietatem, & sermo eorum vt cancer serpit.* Existimasti tecum, cuius sermo vt cancer est, esse Dei homines potuisse? Item beatus cum praecipiat Ioannes vos fugiendos dicens, *Gauisus sum valde quod inueni de filiis tuis ambulantes in veritate sicuti mandatum accepimus à patre. Oro te Domina non sicut mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, vt diligamus nos alterutrum: & haec est charitas vt ambulemus secundum mandata eius. Hoc est mandatum sicut audistis ab initio, vt in eo ambuletis, quoniam multi fallaces progressi sunt in saeculo, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carne: isti sunt fallaces & Antichristi. Videte eos, ne perdatis quod operati estis, sed vt mercedem plenam recipiatis. Omnis qui recedit, & non manet in doctrina Christi, Deum non habet: qui autem manet in doctrina eius, ille & patrem & filium habet. Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite accipere eum in domum, & Aue nolite dicere ei: qui enim dicit ei Aue, communicat operibus eius malignis.* Quomodo fieri poterat, vt nos tecum atque cum tuis essemus, Dei milites cum militibus Antichristi, quandoquidem nec salutari vos permiserit Spiritus sanctus, dans haec praecepta per beatum Apostolum, sed fortassis dicere audebis, Numquid ego in carne venisse nego Dei Filium, vt vnus nuncuper ex Antichristis? Non quidem tu, Constanti Imperator, venisse in carne negas Dei Filium, sed dicis illum, quem nos confitemur in carne venisse, esse creaturam: dicis factum illum ex nihilo, non illum esse verum Dei Filium affirmans. Nos contrà, qui istius beati Apostoli tenemus traditionem, credimus verum Dei Filium, credimus vnam habere Deitatem Patrem & hunc Vnicum eius filium, quod ita esse Dominus in sacris suis Euangeliis manifestat dicens: *Qui me videt, videt & Patrem: Et, Ego in Patre, & Pater in me: Et, Ego & Pater vnum sumus.* Saepè diximus, quia cùm sint duae personae Pater & Filius, & tamen dicat, *Ego & Pater vnum sumus.* Et, *Qui me videt, videt & Patrem.* Et, *Ego in Patre, & Pater in me*, nihil aliud nos illum voluisse assequi, nisi quia vna sit aeternitas Patris & Filij, vna sit claritas, vna potentia, vnaue magnitudo. Idcircò etenim etiam Apostolus in hac dicit secunda Epistola, *Omnis qui recedit & non manet in doctrina Christi, Deum non habet: qui autem manet in doctrina eius, ille & Patrem & Filium habet*, vt colligentes per doctrinam sacrorum Euangeliorum Dei Patris & Vnici Filij eius vnam crederemus Deitatem: hunc habere Deum, qui ita credat. Qui autem recesserit ab ea doctrina, hoc est, *Et ego, & Pater vnum sumus*, vtique cum sit plurale, & duas ostendit personas & vnam potentiam harum duarum personarum, hoc est Patris & Filij: Ergo dicit Apostolus, *Qui recedit, & non manet in doctrina Christi, Deum non habet: qui autem manet in doctrina eius, ille & Patrem & Filium habet*, vt crederemus Filio dicenti Dei, *Ego & Pater vnum sumus*, quod vtique vna sit Deitas Patris & Filij. Constat itaque te qui ita non teneas quomodo tradiderit Apostolis Dominus, & Apostoli Episcopis, te non habere Deum: quia & Apostolus volens & Patris & Filij vnicam diuinitatem manifestare, dicebat, *Qui recedit à doctrina eius, Deum non habet: qui autem manet in doctrina eius, ille Patrem & Filium habet.* Te inquam constitutum sine Deo, te neque Filium habentem neque Patrem rectissimè fugisse cognoscimus. Siquidem non fuisset dignum habentes Deum cum inimicis eius demorare diuinae magnitudinis. Sed quàm sis Deo odibilis cognosce, vt nec aue tibi dicere fuerimus permissi. Quomodo vobiscum Arrianis Christiani esse poteramus, cum dicat Apostolus Paulus, *Stultas quaestiones, & genealogias, & contentiones, & lites legis deuita: Sunt enim inutiles & vanae: haereticum hominem post vnam correptionem deuita, sciens quoniam peruersus est & peccat, cum sit à semetipso damnatus.* Cum haereticis à semetipsis damnatis non poteramus congregari, ne & nos illa vox percuteret, sicut Galathas beati Pauli percutit. *Currebatis benè: quis vobis impediuit veritati non obedire.* Cognoscentes vos esse vnici Dei filij hostes, fugimus nefaria consilia vestra, temperantes voci Apostoli, *Qui nemini, inquit, consenseritis, suasio vestra ex Deo est, qui vocat vos. Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit.* Noluimus vos vermes Arrij recipere nos serui Christi in societatem, ne fuissemus eo veneno diaboli quo vos estis, consumpti. Noluimus vobiscum ire, cum hominibus videlicet, qui adhuc videamini esse extra Dei notitiam, qui adhuc sub diaboli sitis constituti potestate: noluimus mortuis coniungi viui, quia tales vos esse cognoscamini, quales fuerimus ipsi antequàm credidissemus in vnicum Dei Filium. Haec ita se habere manifestat Apostolus Ephesiis scribens: *Et vos cum essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum principem potestatis aëris huius spiritus, qui nunc operatur in filiis diffidentiae, in quibus & nos omnes conuersati sumus aliquando in concupiscentia carnis nostrae, facientes volũtates carnis & consiliorũ: & eramus naturales*

filij

[Marginalia: Matt. 16. — B — 1. Cor. 6 — C — D — 1. Tim. 6. — Ioa. ep. 2. — E — Ioan. 14. — F — 1. Ioan. — G — Tit. 3. — H — Galat. 5. — Ephes. 2.]

A *filij iræ sicut & ceteri.* Cum adhuc vos tales sitis quales nos fuisse antequam credidissemus refert sanctissimus Apostolus, vtique fueratis vitandi homines, in quibus operentur, & per quos gerant principes potestatis aëris huius spiritus omne desiderium suum: eratis fugiendi filij diffidentiæ, filij naturaliter iræ, ne vobis hærendo ad id quod ante fuissemus reduceremur. Noluimus esse vobiscum, quia adhuc non fueritis misericordiam Dei adepti, quam iam non sumus consecuti. Noluimus societatem habere vobiscum, qui consilio carnis ducebamini, sicut ducebatur iste beatissimus Paulus priusquàm credi- Eph. 5. disset, quem meminimus dicere: *Nemo vos seducat inanibus verbis, propter hoc venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite itaque fieri participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino, sicut filij lucis ambulate: fructus enim luminis est in omni bonitate & iustitia, & veritate, probantes quid sit acceptandum, & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum: magis autem redar-* B *guite:* noluimus, quia hæc mandata acceperimus, vobiscum demorari, ducti inanibus vestris verbis, ne scilicet veniret super nos ira, sicuti etiam venit, & ventura est in vos, in te atque tuos, in vos filios diffidentiæ. Noluimus effici participes tenebrarum, siquidem iam credentes in vnicum Dei Filium mandatis eius Maiestatis parere cupiendo, ex illis euadentes tenebris, lux facti fuerimus in Domino, vnde nec mandatis tuis tenebrosis paruerimus, quia fuisset sceleratum filios lucis tuum facere opus tenebrosi: quia & fructus luminis sit ambulare in iustitia & veritate, & in omni bonitate. Dicis nos facere iniquè, quòd noluerimus hæresim suscipere tuam, quod non tecum atque cum tuis æternæ fuerint fixæ amicitiæ. Accipe quod Moses fecerit de alienigenis, tempore quo iubere ei dignatus est Deus, vt mittens certum numerum Israëlitarum, ore gladij perdidisset quinque Madiæ Reges & Moab, qui destinati ad prælium interfectis omnibus maribus, quod sexui pepercerint fœmineo occur- C renti, increpat Moses Israël filios, cur non etiam sexum fœmineum deleuissent, & iubet coram se easdem interfici, affirmans, quod etiam ad idola adoranda possent populi illicere mentes. Si itaque & nos sic execramur hæresim tuam vt Moses idololatriam, si sic & quidem Dei gladio interfici cupiamus hæreses omnium vestrorum errantium, quomodo & Moses illas idolis mancipatas, si ita vos fugiamus religionis Dei aduersarios, vt ille fugit, idolorum cultores, existimas nos non facere rectè abstrahendo nosmet à vobis. Quomodo etenim conuenire Phil. 3. nobis vobiscum poterat, cũ ad Philippenses dixerit, *Videte canes, videte malos operarios.* Vos canes, malos operarios quis Dei seruorum non fugeret, nisi qui se non meminisset Christianum? Vobis, aduersarij Dei religionis, serui Christi poteramus esse coniuncti, cum exhortetur Iudas gloriosus Apostolus frater Iacobi Apostoli, vt te atque similes tibi vitaremus, & in suscepta fide vsque ad mortis exitum maneremus? *Iudas* IESV CHRISTI *ser-* Iudae. *uus, frater autem Iacobi, his qui sunt in Deo patre dilectis* D *& in* IESV CHRISTO *conseruatis & vocatis, misericordia vobis & pax, & charitas multiplicetur. Charissimi omnem sollicitudinem faciens scribendi vobis de communi nostra salute, deprecor, vt perlaboretis semel traditæ societati. Subintrauerunt enim quidam homines, olim quidem præscripti ad hoc iudicium impij, qui Dei gratiam transferunt ad impudicitiam, & qui est dominator noster & Dominus* IESVS CHRISTVS, *eum negantes.* Cum negatoribus vobis blasphemis fuerit nephas conuenire, cum adhuc eorum qui transgressi sunt mandata Domini præponens exempla, vrgeat corda nostra manere in ea fide, in qua ipse videa- Iudas. tur mansisse. *Admonere itaque vos volo, dicens, scientes omnia quoniam Deus populum suum de terra Ægypti saluum fecit, secundò autem non credentes perdidit, Angelos quoque qui non seruauerunt ordinem suum, sed dereliquerunt habitaculum suum in iudicium magni Dei, vinculis eos sanctorum Angelorum sub tenebris seruauit. Sodoma autem & Gomorrha, & quæ circa eas erant ciuitates hæ simili modo cum adulterium fecissent, & carnem secutæ essent, cinis propositæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.*

Similiter itaque & isti somniantes, carnem quidem coinquinant, dominationem autem spernunt. E Et infrà: *Væ illis, quoniam in viam Cain abierunt, & in seductionem Baal mercede effusi sunt, & in contradictionem Choreb perierunt. Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua omni vento circumferendæ, arbores autumnales sine fructu mortuæ, à radicibus euulsæ, fluctus feroces maris despumantis turpitudines suas, procellæ seducentes, quibus tempus tenebrarum æternum seruatum est.* Et infrà: *Vos autem fratres mementote prædictorum sermonum ab Apostolis* IESV CHRISTI, *quoniam dicebant, In nouissimis diebus erunt irrisores, euntes secundum voluntates suas impias, hi sunt secernentes animales, spiritum non habentes.* In his omnibus malis quia esse conspectus es, Constanti, vitatæ sunt à nobis tuæ interficere laborantes amicitiæ: ne videlicet tecum ad illa fuissemus præcipitati loca tormentorum, ad quæ omnes illos quorum tenens es iter, narrat præcipites datos.

F

DE NON PARCENDO IN DEVM delinquentibus.

LIBER I.

SVperatum te, Imperator, à Dei seruis ex omni cum conspexisses parte, dixisti passum te ac pati à nobis contra monita sacrarum Scripturarum contumeliam: dicis nos insolentes extitisse circa te, quem honorari decuerit. Si quisquam Dei cultorum pepercit apostatis, sint vera quæ dicis de nobis: Vnde ordiamur, vt tu nunc à nobis corripieris, ita esse correptos omnes erraticos per Dei cultores, quo probare possimus? Vnde, nisi à Mosis Dei serui actibus? Legimus in Exodo, ascendisse in montem Mosem post testamentum sibi traditum, & plurimos Exod. interfecisse eorum propter idololatriæ reatum. *Stetit,* in- 32. quit, *Moses ad portas castrorum, & dixit, Quis ad Domi-* G *num paratus veniat ad me, & conuenerunt ad eum omnes filij Leui, & dixit eis. Hæc dicit Dominus Deus Israël, ponite vnusquisque gladium suum in femore suo, & pertransite & reuertimini à porta vsque ad portam per castra, & occidite vnusquisque fratrem suum, & vnusquisque propinquum suum, & vnusquisque proximum suum. Et fecerunt filij Leui, sicut dixit eis Moses. Et ceciderunt de populo in illa die quasi tria millia hominum. Et dixit eis Moses, consecrastis hodie manus vestras Domino vnusquisque in filio aut in fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Sumus tibi contumeliosi vt fuit Moses populo insulso illi: neque illis placebant illa quæ dicebantur, aut fiebant à Mose, quando iam delegissent non seruire Deo, qui eos eripuisset de potestate Pharaonis, sed illi vitulo quem illis fuderat ignis: ita & tu iam non Deo mancipatus, sed Arrij idololatriæ, qui errasse arguaris, indignè fers, contumaces nos clamitas, dicis indignum nos circa te facinus perpetratos, vt Imperatori Romani regni dicere audiremus: malè, Constanti, facis idololatriam introducere in Ecclesiam? H Moses primus Prophetarum ille Deo amantissimus gladio est persecutus eos, quorum te instituisti imitatorem, & ego contumax esse notor à te, quia dixerim Deum te dereliquisse, & idololatriæ temet mancipasse. Adhuc filios Israël fornicatos clamat sacra Scriptura in filias Moabitarum, & quod vocati ab eis manducauerint immolata idolis, & eadem adorasse idola, contra quos quia ita exarserit zelo deuotionis incensus Phinees Sacerdos, propterea vel maximè quòd gladio idololatras media in synagoga interemerit, adeo placuit Deo, vt sit scriptum ad hoc factum, Domini indignantis quieuisse iram, & ipsum nimiò præcipuum apud Dominum effectum. *Et loquutus* Num. 25 *est Dominus ad Mosen dicens, Phinees filius Eleazar, filij* 84 *Aaron sacerdotis compescuit iram meam à filiis Israël, in eo quod zelatus est zelo in eis vt non occiderem filios Israël in zelo meo: & ecce dabo ei testamentum meum, testamentum pacis ei & semini eius cum ipso in testamentum sacerdotij æternum, quoniam zelatus est Deo suo, & exorauit pro filiis Israël.* Et tu nos arbitraris contumaces, quia tibi

erranti

A errranti vera dicamus, existimas cum tibi displicemus non nos tunc Deo placere? Sed oro te dicas, Constanti, quâ auctoritate viam iustorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum ac Martyrum nos volueris deserere, & comprehendere istam tuam nouam, quam per Arrium instituerat diabolus, Nunquidnam somnio es admonitus & dictum est ad te, ne patiaris Christi nos tenere viam quam tenuerunt Abel, Enoc, Noë, Melchisedec, Abraham, Isaac, & Iacob, Ioseph, Moses, Aaron, Iesus Naue, Iob, Iudices, & cæteri Reges, hoc est, Dauid, Iosaphat, Ezechias, Iosias, quam tenuerunt cuncti Prophetæ, Apostoli, ac Martyres, quam tenuerunt omnes qui Deo inueniuntur placuisse? Si hoc tibi à dæmonum dictum est principe, audi quid fieri Deus statuerit de te per gloriosum Prophetam Mosen: *Si autem resurrexerit in te Propheta, aut somnium somnians, & dederit signum aut prodigium, & venerit signa faciens aut prodigia, & dixerit ad te dicens, Eamus & seruiamus diis*
B *alienis, quos nescitis, non audietis verbum Prophetæ illius, aut somniantis, quoniam tentat Dominus Deus vos videre, si diligatis Dominum Deum vestrum ex toto corde vestro, & ex tota anima vestra: post Dominum Deum vestrum abibitis, & ipsum timebitis, & mandata eius custodietis, & vocem eius audietis, & illi apponemini: & Propheta ille, aut somnium somnians illi moriantur. Locuti sunt enim seducere vos à Domino Deo vestro.* Cognoscis quid pati iussus sis: siue etenim te somnio dicas admonitum, siue te Prophetam velis astruere nobis, inimicus Dei es, qui velis nos fidem Apostolicam derelinquere, atque suscipere eam quæ neget vnicum Dei Filium. Illos etenim cunctos quos recitaui, propterea quod credentes fuerint in vnicum Dei Filium, tantos ac tales effectos, est clarum: Siquidem *qui non crediderit in Filium, nec Patrem habet: qui verò credit in Filium, & Patrem & Filium habet:* Hæc cum vox sit beati Ioannis, cum quo quia sit faciens chorus Sanctorum Apostolorum, omnes vtique debes intelligere, & sicut crediderũt Apostoli,
C quòd sic ante fuissent credentes Patriarchæ atque Prophetæ: sic cuncti qui fidei merito honorati esse noscantur. Neque enim poteris mihi probare, quia aliter crediderunt Abraham, Isaac, & Iacob, & aliter Ioannes vel omnes Coapostoli eius. Si enim non ita crediderint Apostoli, vt crediderunt Patriarchæ, cur beatus Paulus omnes ab Abrahæ comprehendendam prouocat fidem? sed inquis, ego te arguo cur insolens sis, cur contumeliosus Imperatori extiteris, & tu fidei causam texexis? Fidei itaque vt probem te esse sacrilegum, vt probem te à via deorbitasse veritatis: hinc contumeliosus tibi videor, quia dicam tibi deseruisse te iter omnium Dei cultorum, atque comprehendisse viam nequitiæ quam tenes tu & sequaces tui. De te itaque à Deo me recedere suadenti, accipe quid sanxerit fieri
Deut. 13. Deus per Mosen. *Si autem rogauerit te frater tuus ex patre vel matre, aut filius tuus, aut filia tua, aut mulier, quæ in gremio tuo est, aut amicus qui animæ tuæ par est, clam dicens. Eamus & seruiamus diis alienis, quos nescis*
D *tu, & patres tui, ex diis nationum quæ circa te aut proximè aut longè, ne velis ire cum illo, & ne audieris eum, non parcet oculus tuus super eum, nec salutabis eum, nec celabis eum, annuntians annuntiabis de eo: Manus tua erunt in eum in primis ad occidendum eum, & manus populi tui in nouissimo, & lapidabitis illum, & morietur, quoniam quæsiit absistere à Domino Deo tuo.* Præceptum te interfici, quippe Deum me derelinquere inuitantem: ignorans dicit, contumeliam mihi facit Lucifer, aut negabis te ad idololatriam inuitasse nos suscipiendam. Si censes negandum, conuincent te expositiones sectæ tuæ Episcoporum, comblasphemorum videlicet tuorum: conuincent te libelli recitati à te, ac dati Romæ Episcopis etiam Catholicis, ad hoc videlicet, vt omni in loco tua roborari posset blasphemia: quas incurreris errorum tenebras non sentis, non conspicis quo possis perire modo? quando videas cur contra diuina fecerit monita Achar vnus è populo, cum furto abstulisset ab Hiericho certam partem vestis, argenti, aurique, sic fuerit mul-

ctatus morte. Quid tibi sit futurum conspice, qui sis E negans æternã vnici Filij Dei ac Diuinã Maiestatem: accipe quid circa Achar fuerit celebratum, & tandem consule tuæ saluti: redi ad Dei Ecclesiam, à qua te per Arrianos abigauit coluber ille refuga, qui verterit Adam quoque & Euam. *Et erat*, inquit, *Dominus cum Iosue, & erat nomen eius super vniuersam terram, & neglexerunt filij Israël negligentia, & fraudauerunt fraude de anathemate, & indignatus est irâ Dominus filiis Israël, & misit Iosue viros in Ge, quæ est coniuncta Bethel, dicens: Considerate Ge, & ascenderunt viri, & considerauerunt Ge, & reuersi sunt ad Iosue, & dixerunt ad eum, Non ascendat omnis populus, sed duo vel tria millia virorum ascendant, & deuastent ciuitatem, ne inducas illuc vniuersum populum: pauci enim sunt, & ascenderunt cum illo ferè tria millia virorum, & fugerunt à facie virorum qui erant in Ge, & occiderunt ex ipsis viri Ge triginta sex viros, & persecuti sunt illos à porta, & contribulauerunt illos in procliuo, & expauit cor populi, & factum est vt aqua, &* F *conscidit Iosue vestimenta sua, & procidit in faciem ante Deum vsque ad vesperum ipse & seniores Israël, & miserunt puluerem super capita sua, & dixit Iosue: Heu Domine Deus! quid voluisti traducere populum istum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi, & perderes? vtinam vt cœpimus mansissemus trans Iordanem. Et quid dicam, quod conuertit Israël dorsum contra inimicum suum, & audiet Chananæus, & omnes qui commorantur in terra, & circumibunt nos, & delebunt nomen nostrum de terra, & quid facies nomini tuo magno? Et dixit Dominus ad Iosue, Surge, vt quid tu procidisti in faciem tuam? Peccauit populus, & transgressus est testamentum meum quod disposui ad eos, & furati sunt de anathemate, & absconderunt inter vasa sua. Non poterunt filij Israël resistere contra faciem inimicorum suorum, dorsa conuertent in conspectu inimicorum, quia facti sunt anathema. Non ero vltra vobiscum nisi abstuleritis anathema ex vobisipsis. Surge, sanctifica populum, & dic eis, Sanctificamini in crastinum. Hæc enim dicit Dominus* G *Deus Israël, Anathema est inter vos, non poteritis resistere contra inimicos vestros, vsque dum auferatis anathema ex vobisipsis, & conuenite manè omnes per tribus vestras, & erit tribus quæ ostensa fuerit mane per Deum, adducite per plebes, plebem quam ostenderit Dominus offerte per virum, & quisquis ostensus fuerit, per dominium cremabitur igni, & omnia quæ sunt eius, quia transgressus est testamentum domini, & fecit iniquitatem in Israël. Et vigilauit Iosue mane, & obtulit populum per tribus, & ostensa est tribus Iuda, & oblati sunt per plebes; & ostensa est plebs Zara, & obtulit plebem Zara per domus, & ostensa est domus Iambri, & oblata est domus per viros, & ostensus est Achan filius Charmi filij Iambri, & dixit Iosue ad Achan, Da honorem hodie Domino Deo Israël, & da confessionem, & indica mihi quid feceris, & ne celaueris me. Et respondit Achan ad Iosue, & dixit: Verè peccaui ante conspectum Domini Dei Israël, taliter & taliter feci: vidi in præda vestem variam optimam, & ducentos siclos argenti, didragmam, & ligulam vnam auream quinquaginta didragmarum, & concupiui eam, & sustuli, &* H *ecce hæc abscondita sunt in tabernaculo meo, & argentum absconsum est sub ipsis. Et misit Iosue nuncios, & cucurrerunt in tabernaculum, & hæc erant abscondita in tabernaculo, & argentum sub ipsis: & tulerunt ea de tabernaculo, & attulerunt ad Iosue, & ad seniores Israël, & posuerunt ea ante Deum, apprehenderunt Achan filium Charmi, & perduxerunt in vallem Achor, & filios eius & filias, & vitulos eius, & subiunctoria eius, & oues eius, & tabernaculum eius, & omnia quæ erant eius, & omnis Israël cum eo erat, & perduxerunt eos in Mecachor. Et dixit Iosue ad Achan, Quid exterminasti nos? Disperdat te Dominus sicut hodierna die, & lapidauit eum omnis Israël lapidibus, & imposuerunt super illum aceruum lapidum magnum, & cessauit Dominus ab indignatione iræ suæ.* Considera, Constanti, quali sis periturus exemplo, nisi tibi prouideris tu; quas sis in æternum daturus pœnas: Achan propter præuaricationem

mandato

A mandatorum talia est consecutus, tu qualia mereris; hinc intelligi datur, quod sis apostata. Si ille etenim quia habuerit de anathemare, tanto est punitus exitio, quantò magis tu sine dubio punieris grauius, qui fueris factus anathema, negando Dei Filium? In eo nos scelesti apud te, in eo superbi ac pernicaces, in eo petulantes, quia dicamus tibi, sacrilegium fecisti, vnici Filij Dei existendo negator: quia dicamus, consule tibi, eripe animam tuam de laqueis diaboli. Quid noui facimus Episcopi, si tibi ea dicamus, quæ tu mereris audire? Cum inueniamus illum sanctissimum Samuel Dei sacerdotem hæc dixisse ad Saul regem quæ infrà lecturus es,
1.Reg.15 *Dolores & gemitus ad te adducentur, pro quibus nullius momenti fecisti verbum Domini, nullius momenti te faciet Dominus ne regnes.* Et iterùm, *Quoniam nullius momenti fecisti verbum Domini, & ad nihilum rediget te Deus, ne sis rex super Israël.* Et infrà: *disrumpet Dominus regnum tuum ex Israël de manu tua hodie, & dabit illud proximo tuo meliori te.* Si hæc ille dixit ad Saul, propterea
B quod Domini præcepta prætererit, cur nos putas non liberà voce dicere potuisse te esse sacrilegum, qui nisi conuerteris temet ad Deum, quod sit te ad nihilum redacturus: si non te fuissemus hortati, si non ad satisfactionem prouocaremus, meritò diceres odiri te à nobis. Aut cum audias nos dicere, Pœniteat te Imperator, corrige vias tuas, vt misericordiæ inuenias locum, arbitror considerare te oportuisse, quod enim diligaris à nobis, amaris à nobis: & tu in eo nos execraris, cum maneamus in fide Apostolica, reddis mala pro bonis. Non miramur si vos ex quo recediritis à Dei voluntate, & facere non desinitis desiderium diaboli: bene vobis fieri poscentibus Deum atque cupientibus repræsentetis mala, quandoquidem sit vobis insitum malè agere, quippe qui à bono ad malum feceritis transitum, hoc est ad diabolum. Si nos tu persequeris diligentes te, omnia tibi summa cupientes prouenire, non magnum nec nouum, quando & istum Samuel Prophetam atque Sa-
C cerdotem Domini Saul fuerit persecutus. Persequebatur eum per quem & in Regem vnctus fuerat, & cuius preces ad dominum iugi obsecratione diligebantur pro incolumitate vtique istius persecutoris. Si nobis non credis dolere nobis Sacerdotibus Dei pro te, propterea quod tantas hauseris errorum tenebras, quod sic temet sis mactans, Deo dicenti crede ad Samuel propter Saul,
1.Reg.16 *vsquequo luges tu in Saul? Ecce ego expello illum ne regnet super Israël.* Et suprà: *& factum est verbum Domini*
1.Reg.15 *ad Samuel dicens: Pœnitet me quod constituerim regem Saul, quoniam auersus est à me, & verba mea non statuit. Et contristatus est Samuel & clamauit ad Dominum totà nocte & ante lucem.* Cum hæc propter Saul regis incolumitatem Samuel sacerdos egerit, tamen Saul posteà persequebatur Samuelem, nec cognoscens miser, quod Prophetam atque Sacerdotem persequeretur Domini: ita & tu ignorans quid faciens sis, persequeris nos, qui te placere Deo cupiamus, & amas eos qui secum te ad æternam mortem trahant, ad perpetuam Domini
D offensam: indignaris cum vera audias, cum videas Samuel Sacerdotem Domini non † adulatum regi animum. Quid decuerat aliud præcessores nostros, aliud nos agere? Cur tibi vera dicamus, superbi tibi videmur? Quid à nobis audisti? nempe quod homicida sis: si mentimur, tunc contumeliosi, tunc superbi rectè dicimur à te: Si verò rem dicamus veram, non sumus contumeliosi, sed hi, qui imitemur illos, qui commissis sibi non adulando, sed eos salubriter præmonendo Dei effici meruerint dilectissimi. Ad Helisæum interficiendum Prophetam vt Rex misit Israël, si minimè legisses di-
4.Reg.6. xisse Helisæum ad eos qui secum fuissent, *Si vidistis, quoniam filius homicidæ illius misit ad auferendum caput meum*, meritò, vt reum me iniuriarum peteres. Spiritu sancto plenus Propheta homicidæ filium vocauit Regem Israël, hoc est filium diaboli, non quia patrem illius carnalem dixisset homicidam, sed diabolum, cuius se filium esse, vt tu nunc te actibus tuis aperis, & ille se esse monstrabat Dei persequendo seruos, Prophetas

† Locus corruptus.

illius clementiæ interficere audendo. Omnia hæc vt faciatis diabolus vestra instigat corda, quod ita esse accipe Dominum dicentem Iudæis in Euangelio, *Vos de diabolo patre nati estis, & concupiscentias patris vestri facere vultis. Ille enim homicida fuit ab initio.* Propheta inquam domini plenus Spiritu sancto Regem Israël homicidæ filium vocat, hoc est diaboli, & nos arbitraris contumeliam tibi facere, quia dicamus te esse interfectorem seruorum Dei, esse carnificem corporum nostrorum, esse te totius cogitationis virum iniustitiæ, destructorem religionis, negatorem vnici Filij Dei, quæ te facere cernimus. † Hæc didicimus quod es, hoc te esse clamamus. Dicis nos petulantes, quoniam quidem quod est tibi dicamus. Dicas velim vnde meruerit à Domino talia audire Rex Israël, *Ea propter quod fecisti bona coram me, & fecisti secundum cor meum & secundum animum meum domui Achab, filij tui quarta progenie sedebunt tibi in throno Israël.* Dic inquam cur hæc audire à Deo meruerit, quia pepercerit Dei inimicis, an qui eos quàm acerrime fuerit etiam gladio persecutus, an quia interfecerit filium Achab idololatram & quadraginta eius filios, Iezabelem quoque Reginam quod extinctam proiecerit canibus, omnesque seruos Baal cum omnibus Sacerdotibus & Prophetis confusionis ore extinxerit gladij: quod simulachra destruxerit placet Deo, nos quid agere circa te decuerat, ne nos contumeliæ designares reos circa te, quem Achab & Iezabel vias tenentem videmus: non est nouum quod agis facere contra Deum, impugnare eius domum, persequi eius antistites eos per quos te mouet vt tibi consulas, vt dum est locus pœnitentiæ, temet trahas à malo. Fuerunt tibi ante te in sacrilegio similes sic idolis seruientes derelicto Deo patrum suorum. In libro secundo Paralipomenon, Amasiam regem Iudæ commonitum à Deo per Prophetam, ne ex filiis Israël quos centum millibus talentis argenti conduxerat secum fuissent profecti ad bellum, propterea videlicet quod Deus dereliquisset Israël, quoniam quidem dereliquissent Deum, & idolis seruiissent, obtemperauit Rex Prophetæ verbis, credidit Dei fuisse comminationem, quia hæc facit, posteaquam aduersarios suos subegit, eorundem idola tollenda, atque ad regnum suum transferenda putauit, & ipsa adoranda, cui quia dixerit ille Dei homo, non bene illum egisse? vt Deum derelinquens idola coleret gentium, fortiter est Domini Prophetam iste Rex persecutus. Conspicis, quod in vobis conuersis in apostasiam, semper vnus fuerit animus ad persequendos eos, qui vobis bene velint. *Et factum est*, dicit Scriptura Sancta, *posteaquam venit Amasias percutere Idumæam, & attulit inde deos montis Seir, & statuit eos sibi in deos, & in conspectu eorum adorabat, & ipse eis immolabat, & facta est super eum ira Domini in Amasiam, & misit ad eum Prophetam Baneam, dixitque ei Baneas, Quid quæsisti deos populi, qui non liberauerunt populum suum de manu tua? & factum est, vt loqueretur ei, dixit ad eum, Numquid consiliarium regis dedi te, caue tibi ne flagelleris.* Vides, Constanti, quàm amentes efficiamini posteaquam placuerit vobis diabolo viuere seruientes, posteaquam placuerit vobis, nescire Deum totum potentem, posteaquam elegeritis vobis in contumeliam Dei vos oportere statuere idololatriam. Vt enim ille dixit, *Numquid in consiliarium regis dedi te, caue tibi ne flagelleris*, ita & tu dicis. Numquid vos mihi consiliarios elegi, vt non prout mihi placitum est geram, vt non hanc teneam viam quam tenuerit Arrius? Nec conspicis quo exemplo interierit Arrius, quomodo in eum fuit vindicatum diuinitùs. Intereà quia dicis nos tibi esse contumeliosos, vide hunc Dei hominem non pepercisse consacrilego tuo illi Regi: sed posteaquam dictum est ei, *Tace ne flagelleris*, dixisse ad illum, *Scio ego quoniam Dominus Deus disperdet te qui fecisti istud, & non obaudisti consilium meum.* In qua re nos sentis contumeliosos? nempe quia dicimus tibi, nos scimus, quod enim nisi tibi prouideris vt conuertaris ad Deum, sit te Dominus ad æternam pœnam damnaturus. Hæc est contumelia, hæc

Margin (right column): E; Ioan.8. (beside "pe Dominum dicentem Iudæis"); † Forte Hoc.; 4.Reg.10 (beside "Ea propter quod fecisti"); F; G; 2.Par.25 (beside "bene velint"); H; 2.Par.25 (beside "go tuo illi Regi").

omnis

A omnis iniuria, quia tibi dicatur per Dei antiſtites, in æternum te interiturum, niſi correxeris vias tuas. Non credidit ille Rex homini Dei. Quid ſtatim ei acciderit
2.Par.25 dicit ſancta Scriptura ſic, *Et in tempore quo diſceſſit Amaſias à Domino, inſurrexerunt ad eum inſurrectione, & fugit ab Ieruſalem in lacis, & interfecerunt eum in equis.* Sic & te malorum tuorum facta poterunt conſeruare, tueri, ac defendere, quomodo & illum qui dixit homini Dei prò ſalute ipſius loquenti, *Numquid conſiliarium te regis conſtitui, tace ne flagelleris.* Non eſt à nobis primum factum, ſi dicamus tibi erranti, ordinationi Dei reſiſtenti, nouas vias conſtituere laboranti, malè facis non ire per viam per quam omnes Dei cultores ad cœleſtia regna peruenerunt. Legiſti Odiam Regem iurgatum à Sacerdotibus Domini, cur illicita fuiſſet auſus
87
2.Par.26 gerere, *Et intrauit*, inquit Scriptura, *in templum Domini incenſum ponere ſuper altare, & intrauit poſt eum Ozias ſacerdos, & cum ipſo ſacerdotes Domini 30. filij virtutis,*
B *& ſurrexerunt ſuper Odiam Regem, & dixerunt ei, Non licet tibi Odia incendere Domino, ſed Sacerdotibus filiis Aaron, qui ſanctificati ſunt, vt incendant. Exi de ſanctis, quoniam receſſiſti à Domino, & non erit tibi iſtud in honore à Domino Deo.* Dicis contumelioſos illi fuiſſe Regi Domini Sacerdotes, necne? Si nec dum fuerunt contumelioſi, nec nos tibi videamur, quandoquidem ſimilia audias à nobis quæ audierit & ille. Non licet tibi, Conſtanti, Arriano cum Dei conuenire populo. Non licet tibi idololatriæ Arrianæ hæreſis, auctori, negatori vnici Filij Dei, de Dei ſacerdotibus iudicare, ſacrilegus fingens te Chriſtianum, cum ſis Antichriſti præcurſor. Non erit tibi bonum, vt Dei tollens Sacerdotes, ordines aduerſarios eius, collegas ſcilicet ſacrilegij tui. Cum hæc audis iraſceris nobis, iratus eſt & illis tunc Sacerdotibus Domini Odias Rex: ſed aduerte illos Deo dicatos perpetuum ſtatus ſui tenuiſſe honorem, Odiam verò ad opprobrium ſempiternum lepræ confe-
2.Par.26 ſtim varietate maculatum. *Et iratus eſt*, inquit, *Odias,*
C *& in manu eius erat altare, vt incenderet in ara, & lepra apparuit in fronte eius in conſpectu Sacerdotum in domo Domini.* Hæc ita ſunt, & arbitraris te contumacem præuaricatorem non trahere offenſam apud eum, qui nos ſuæ claritudini perpetuo præceperit Sacerdotij repræſentare officia. Quæ iſta noſtra, Conſtanti, ſuperbia eſt, quæuè arrogantia. Si quia te videamus morbidum eſſe, peſtiferum, quippe Arrianum, elephantiam in te eſſe. Quia iſtam conſideremus, illam quam Arrius habuerit, quod vrgeamus te ſecedere à populo Dei, ſicut illi Sacerdotes Domini Oziam de templo compulerint egredi, quia te ira cogamus dare Deo honorem. Si enim Oziam Dei Sacerdotes idcircò pellebant ex aula Dei, quia meminiſſet diuinitùs præceptum, leproſos ante expiationem ingredi templum prohibitos, quantò magis nos dignè te, conſpice, ex Eccleſia pellere Chriſti, de domo Domini, quia non ſit licitum hæreticum conuenire cum Catholicis, inſanum cum ſanis, plenum immundis ſpiritibus, cum eis in quibus inhabitat Spi-
D ritus Dei. Quæ hæc contumelia eſt, ſi Sacerdotes Domini zelo eo accenſi, quo ſunt ſemper prædeceſſores noſtri, tibi dicimus quæ noſtræ conducant ac tuæ ſaluti? Petulans eſt, inquis, Lucifer. Hinc petulans, quia te vrgeam elephantiam reiicere Arrij, atque per hanc quam prædicauerunt Apoſtoli beatiſſimi fidem, quamque nos ſumus (vt cernis) tenentes, tuæ menti es adeptus ſoſpitatem, teque totum ereptum è laqueis diaboli, temet in æternum gaudeas Deo quæſitum. Tu qui nos ingentis ſupercilij eſſe flagitas, inueniſti ſcriptum quod Ioſias Rex Iudæ de conſacrilegiis fecerit tuis, de talibus qualis tu eſſe hodie conſpiceris: quomodo eorum quamplurimos etiam poſt mortem fuerit perſecutus, oſſa eorundem ignibus conſumens. Sed illum decuit regem tanto zelo perſequi Dei hoſtes: nos Epiſcopos, nos Dei Sacerdotes indignum fuerat tibi reſiſtere, idololatriam introducenti in Eccleſiam: Ille gladio interfecit conſacrilegos tuos, reliquias etiam olim ſepultas eſt perſecutus, cupiens cultor inueniri Dei fideliſſimus; nos contrà, nec

E verbo tibi reſiſtere oportuerat, tibi Dei inimici amico, tibi omnium chariſſimo in Apoſtaſiam conuerſorum Angelorum, tibi qui factus es per hanc blaſphemiam tuam Deo inimicus. Accipe igitur in quarto Regum libro, quæ propter illa quæ circa coimmundos tuos geſſerit Ioſias ſeruus Domini Rex Iudææ, adeptus fuerit: & tandem deſine de nobis dicere, Superbi ſunt atque contumelioſi.
Fecit, inquit, *quod rectum eſt ante conſpectum Domini, &* 4.Reg.
ambulauit in via patris ſui Dauid, & non declinauit dex- 22.
trâ aut ſiniſtrâ. Item infrà: *Poſteaquam domos reædificauit Domini, & Sacerdos miſiſſet legis librum ad Regem, & factum eſt cum audiſſet Rex verba libri legis conſcidit veſtimenta ſua, & mandauit Rex Helchiæ Sacerdoti, & Alchinæ filio Ioſaphat, & Achiliæ filio Melchiæ, & Sapham ſcribæ, & Ioas filio Regis dicens, Quærite à Domino pro me & pro omnibus Iuda de verbis libri huius inuenti, quoniam magna ira Domini accenſa eſt in nobis, quoniam non audierunt patres noſtri verba libri huius ſecundum omnia ſcripta vt* F *facerent. Et abiit Helchias Sacerdos, & Abican & Saphan, & Ioas ad Oldam Propheteſſam, vxorem Sellæ filij Tacuellarum veſtis cuſtodem, & ipſa habitabat in Ieruſalem: & loquuti ſunt ad eam ſecundum hæc, & dixit eis. Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, dicite viro qui miſit vos ad me, hæc dicit Dominus, Ecce adducam mala ſuper hunc locum, & ſuper inhabitantes in eum, ſecundum omnia verba libri huius quæ legit rex Iuda, pro quibus dereliquerunt me, & incenderunt diis alienis, & exacerbauerunt me in operibus manuum ſuarum, & incenſa eſt ira mea in hoc loco, & non extinguetur: & ad Regem Iuda qui miſit vos, vt quæreretis à Domino, hæc dicetis, Hæc dicit Dominus Deus Iſraël, verba mea quæ audiſti & reueritus es à facie mea, quia audiſti quæ loquutus ſum in loco iſto, & inhabitantes in illo, fieri in ſtuporem, & in maledictionem, & ſcidiſti veſtimenta tua, & ploraſti ante conſpectum meum, & ego audiui, dixit Dominus virtutum: propter hoc ego colligam te apud patres tuos, & colligeris ad ſepulchrum tuum in pace, & non videbunt oculi tui omnia mala quæ ego inducam in locum* G
iſtum, & ſuper inhabitantes in illo. Et reſpondit Regi ver- 4. Reg.
bum, & miſit Rex Ioſias, & collegit ad ſe omnes Presbyteros 23.
Iuda in Ieruſalem, & aſcendit Rex ad Dominum, & omnes viri Iuda, & Sacerdotes, & Leuitæ, & omnis populus, à puſillo, vſque ad maiorem: & legit Rex in auribus populi omnia verba libri teſtamenti, qui inuentus eſt in domo Domini. Et ſtetit Rex ad columnam, & diſpoſuit teſtamentum quod inuentũ eſt in domo Domini ante conſpectum Domini vt irent poſt Dominum, & obſeruarent mandata eius, & teſtificationes, & præcepta eius in toto corde ſuo, & tota anima ſtatuerent omnia verba teſtamenti iſtius ſcripta in libro iſto. Et tranſiuit omnis populus in teſtamentum quod diſpoſuit Rex ex libro, & mandauit Rex Helchiæ Sacerdoti magno, & Sacerdotibus ſecundariis, & cuſtodientibus Ephod, vt eiicerent de domo Domini omnia vaſa quæ fecit ad Baal & Aſera, & omni militiæ cœli: & combuſſit illa foras extra Ieruſalem in conualle Cedron. Et ſumpſit cineres illorum & ſparſit in riuum, & abiit in Bethel, & combuſſit Sacerdotes quos conſtituerant Reges Iuda, vt incenderent in excelſis ciuitatum Iuda, & circa Ieruſalem incendebant Baali, & Soli, H *& Lunæ, & omni militiæ cœli. Et extulerunt de domo Domini foras Ieruſalem in conualle Cedron, & extenuauit cinerem, & proiecit in monumentum filiorum plebis, & extraxit filios illorum qui erant in domo Domini, quorum mulieres officiabantur ibi ad ſtolas, & introduxit omnes Sacerdotes ex ciuitatibus Iuda, & coinquinauit ſancta, vbi incendebant Sacerdotes de Gabaa vſque Berſabee, & deſtruxit excelſos illorum.* Et infrà: *Et coinquinauit Phem quod erat in Cepenam, quoniam perduxerat quiſque filium ſuum & filiam ſuam in ignem Moloch. Abſtulit quoque equos, quos dederant Reges Iuda Soli, in introitu templi Domini iuxta exedram Nathanmelech Eunuchi, qui erat in pharurim: currus autem Solis combuſſit igni: Altaria quoque quæ erant ſuper tecta cœnaculi Achaz, quæ fecerant Reges Iuda, & altaria quæ fecerat Manaſſes in duobus atriis templi Domini, deſtruxit Rex, & expulit illa inde, & proiecit cineres illorum in torrentem Cedron, & excelſa quæ erant in Ieruſalem, ad dexteram partem montis amiſſâ, quæ ædificaue-*

rat

A *rat Salomon Rex Astarte simulachro Sidoniorum, & Chamos idolo, & Mulcro simulachro filiorum Ammon, polluit rex, & contribulauit titulos, & implebat loca illorum ossibus hominũ, & sacrariũ quod erat in Bethel excelsũ quod fecit Ieroboam filius Nata, in quo fecit peccare Israël, & sacrarium illud excelsum detraxit, & contribulauit lapides illius, & attenuauit in puluerem, & accendit lucos eorum. Et reuersus est Iosias rex, & vidit monumenta quæ erant ibi in monte. Et sumpsit ossa de monumento, & combussit super sacrarium, & polluit illud secundum verbum quod locutus est homo Dei, cum staret Ieroboam in die festo ad aram.* Quid cognoscis, Constanti, factum esse à rege cultore Dei? & nos te idololatriam introducentem in Ecclesiam, quia verbo percutimus, Contumeliam, inquis, mihi facit Lucifer, cum, si illius fuisses temporis homo, gladio possis extingui, aut si iam fuisses defunctus, etiam ossa tua, quippe sacrilegi, fuissent igni perducta ad nihilum. Ille gladio reos tanti sceleris percutit, nos te nec verbo
B vulnerare decuerat? Conspicis intereà hoc etiam loco in ciuitatem Dei, in Domini domum, & in templum eius introduxisse consacrilegos tuos illos reges, idololatriam quam iste exterminarit Iosias Rex Deo dicatissimus. Nec existimes te tantùm hoc opus implere contra Deum fuisse aggressum. Noli itaque dicere, Si malè agerem, iam in me Deus dedisset vindictã, sed potiùs obsecro videas captum te detineri à diabolo, in eius te degere potestate, sicut & illi Reges quorum operam Iosias persecutus est Rex. Cur blasphemias execremur tuas, cur resistamus iniquis conspirationibus, videmur tibi esse iniuriosi? & sic & Iudæis quorum imitatores estis, videbantur contumeliosi, superbi sanctissimi Prophetæ, beatissimique
Amos 7 Apostoli. In libro Amos Prophetæ, *Et misit*, inquit, *Amasias Sacerdos in Bethel ad Ieroboam Regem Israël, dicens, Conuentum facit aduersum me Amos in media domo Israël, Non poterit terra sufferre verba eius, propter quod hæc dicit Amos, in gladio morietur Ieroboam, Israël autem captiuus ducetur à terra sua. Et dixit Amasias ad Amos, Vade,*
C *discede in terram Iuda, & ibi commorare, & ibi prophetabis. In Bethel autem iam non adijcies prophetare, quia sanctificatio Regis est, & domus regni erit. Et respondit Amos & dixit ad Amasiam, Non eram Propheta, neque filius Prophetæ sum ego, sed pastor eram caprarum vellicans, & assumpsit me Dominus de ouibus: & dixit ad me, Vade, prophetare in plebem meam Israël. Et nunc audi verbum Domini, Tu dicis non prophetabis in Israël, & non congregabitur in domo Iacob. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus, vxor tua in ciuitate prostabit, & filij tui, & filiæ tuæ gladio decident, terra tua funiculo metebitur, & tu in terra immunda morieris, Israël autem captiuus ducetur in terram suã.* Cum quæ esse facta videris ab eo qui veritatem & correptionem populo suo erranti voluerat nuntiari, cur dicas nos insolentes, cur contumeliosos, quia quæ sunt erratico tibi vera dicamus? quia non tuam audiamus vocem dicentem, Nolite credere sicuti crediderunt Patriarchæ, Apostoli, ac Martyres, sed credite quomodo tradiderit Ar-
D rius. In quibus rebus apud te superbi inuenimur, nisi in hoc quod sacrilegia tua execrẽmur, præceptáque tua vt gladios atque venena vitemus? Non hoc factum à nobis est primum: omnes illi qui iam Deo placuerunt hanc tenentes fidem quam nos prædicamus, istud fecerunt, nemo mortem timuit suscipere pro Deo ex eius seruis: nemo famulorum eius cogitauit tormentorum genera quæ à vobis inferuntur tyrannis, sed illius præcepta ante oculos habuit: sic Tobias gloriosus præcipuus inuenitur factus apud Dominum, dum non comperditi tui Regis timet edictum, sed solùm totum potentem Deum. Hæc ita esse ipsi crede Tobiæ dicenti, *Vbi venit Senna-*
Tob. 1. *cherib Rex de Iudæa fugiens propter defensionem quam fecit ex illis Dominus, propter blasphemias illius quas blasphemauit, & occidit in ira sua multos ex filiis Israël: ego autem corpora illorum inuolabam, & sepeliebam: & renuntiatum est Regi quia sepeliebam, & quærebat vt occideret me: Ego autem fugi, & direpta est omnis substantia mea, & nihil mihi remansit plus quàm vxor Anna, Tobias filius meus. Et cõtigit post dies 45. occiderunt Regẽ illum filij eius, & regnauit* E *Arcedonosar filius eius pro eo illic, & cum venissem in domo mea, & reddita est mihi vxor mea Anna, & filius meus Tobias in Pẽtecoste die festo nostro, qui est sanctus ex septimanis, factum est mihi prandium bonum, & discubui vt pranderem, & posita est mihi mensa, & vidi pulmentaria quamplurima, & dixi Tobiæ filio meo, Vade, & adhuc quemcumq; pauperẽ inueneris ex fratribus nostris qui sunt captiui in Niniue, qui tamen in mente habet Deũ in toto corde suo, hunc adduc & manducet pariter mecum hoc prandium: ecce sustineo te fili donec venias. Et exijt Tobias inquirere aliquem pauperẽ captiuum ex fratribus nostris, & reuersus dixit mihi, Pater. Et dixi, Quid est fili? Et dixit mihi, Ecce vnus de natione nostra occisus laqueo circundato proiectus est. Et exij relicto prandio meo, antequam aliquid ex illo gustarem, & sustuli illum de platea in vnum locum apud me donec sol occideret, vt illum sepelirẽ: & reuersus laui, & manducaui prãdium meum cum luctu, & rememoratus sum sermonum Prophetæ Amos quos loquutus est in Bethel, dicens: Conuertẽtur* F *dies festi vestri in luctũ, & omnia cantica vestra in lamentationem: & lachrymatus sum. Et postquam sol occidit, abij, & fodi, & sepeliui illum, & omnes proximi mei deridebãt me dicentes, Quomodo nõ timet hic homo? iam enim inquisitus est huius rei causa vt interficeretur, & fugit, & iterùm sepelire cœpit mortuos.* Cum conspicias itaq; Dei seruos nõ vestrã crudelitatẽ tyrannorũ sẽper timuisse, ac nunc timere posse, sed præcepta cogitasse Domini ac cogitare, quomodo tu nos dignaris petulãtes iudicare? nẽpe quia faciẽte Deo tuam calcemus vt lutum potentiã, hoc non faciunt vires nostræ, sed tribuit illius misericordia, quẽ execrari dignatis in nobis: dicit Deus ad Ezechielem Prophetam, *Fili hominis mitto te ad domũ Israël, quia amaricauerũt me ipsi,* Ezech. 2. 88 *& patres eorum vsq; in hodiernũ diem, & dices ad illos, Hæc dicit Dominus. Si audierint aut trepidauerint, quoniã domus amaricans est, & cognoscent quoniam propheta es tu in medio eorũ, & tu fili hominis ne timueris eos, neq; trepidaueris à facie eorum quoniam effuriabuntur, & concurrent super te in circuitu, & in medio scorpionũ tu inhabitas, sermones eorum* G *ne timueris, & à facie eorum ne trepidaueris, quoniã domus amaricãs est, & loqueris verba mea ad eos, si fortè audierint vel expauerint quoniam domus amaricans est.* Contumaces videmur tibi, vt iste Deo soli dicatus videbatur Propheta illis quorum tu tenebras sequeris, nempe hinc Ezechiel Propheta apud Iudæos coapostatas tuos contumax: hinc superbus regibus videbatur Israël, quia Domini impleret mandata qui eisdem loqueretur quæ præcepisset cum loqui Deus. Rectè nos superbos appellas, nos, per quos omnia præcepta sua voluit ad populorum credentiũ perferri notitiam: rectè, inquam, insolentes designas nos Dei antistites, si nos ea tibi dicamus, quæ voluerit Deus dici ad vos. Odis amantes te, persequeris benè tibi cupientes, sed non metuere possumus frẽdores carnificinæ tuæ. Audis etenim Dominum dicere, *Et tu fili hominis ne timueris eos, neque trepidaueris à facie eorum, quoniam effuriabũtur, & concurrent super te, & in medio scorpionũ tu habitas, sermones eorum ne timueris, à facie eorum ne trepidaueris,* H *quoniam domus amaricans est.* Non, inquam, possumus metuere minas imperij tui, quia nullæ sunt vires tuæ, scorpiaces aduersum nos quos Dei virtute regi cernas, quorũ esse defensorem ac protectorẽ Deum aduertas. Non itaque cessabimus tibi Domini ingerendo præcepta, illi sublimes vni seruãtes timores, qui dicit, *Fili hominis ingredere ad domum Israël, & loquere sermones meos ad eos, quo-* Ezech. 3 *niã non ad populũ alti sermonis tu mitteris ad Israël, neque ad populos multos aliæ vocis aut aliæ linguæ, neque graues, qui sint in lingua, quorum non audies sermonem: & si ad tales misissem te, illi forsitan audissent sermones tuos: domus autem Israël nolunt audire te, quoniam nolunt audire me, quoniam tota domus Israël contentiosa est, & duro corde. Et ecce dedi faciem tuam potentem aduersus facies eorum, & constãtiam tuam confortabo aduersus contentionẽ eorum, & eris semper firmior petra, ne timueris ab eis neque expaueris à facie eorũ quoniam domus amaricans est.* Metuere te quis poterit nostrum quos videas potentiã Dei solidatos atque firmatos ad tuam contumaciã retundendã, fixo gradu stare contra tuam rabiem, immobiles vt saxa mole solent robusta

A æquor contra tumidum? Hinc nos iudicas hostes tuos, quia te vrgeamus Dei fieri seruum ex scorpione. Nunc etenim vnum te esse ex scorpionibus non poterit dubitari ex illis dictum, de quibus audisti Prophetam à Domino,
Ezech. 3. *Et tu fili hominis ne timueris, neque trepidaueris à facie eorum, quoniam effuriabuntur, & concurrent super te in circuitu, & in medio scorpionum tu habitas.* Hinc tibi iniuriosi sumus, quia videas te à nobis scorpium vocari. Si non te esse scorpium dixisset Deus, meritò me diceres contumeliosum: nunc verò actibus te tuis manifestas esse scorpium, & es frustrà clamitans contumeliam te pati à nobis. Deus te scorpium esse dicit, & mihi irasceris cur te eo vocem nomine. Quæ hæc contumelia est? Si dicatur tibi, nisi te verteris ad Deum, eris semper vnus, vt nunc es, ex scorpionibus, ex vastissimis vnus inimicis Dei. Percurre reliqua Ezechiel. Prophetæ, & aude me dicere insolentem, superbum, contumeliosum, contumacem.
Ezech. 3 *Et factum est verbum Domini ad me dicens, Fili hominis, ecce dedi te*
B *speculatorem domui Israël, & audies de ore meo sermonem, & comminaberis eis à me in eo quod dicam ad sceleratum, morte morieris, & non distinxisti illi, neque locutus es, vt distingueres scelerato, auertere à viis suis, vt viuat ille sceleratus, in iniustitia sua morietur, & sanguinem eius de manu tua inquiram, & tu si distinxeris scelerato, & non auersatus fuerit à scelere suo, & viâ suâ, sceleratus ille in iniustitia sua morietur, & tu animam tuam liberabis, & in eo, in quo auersatur iustus à iustitiis suis, & faciet delictum, & dabo tormentum in facie eius, ipse morietur, quoniam non distinxisti illi, & in peccatis suis morietur, eò quod non sint in memoriam iustitiæ eius, & sanguinem eius de manu tua exquiram: tu autem si distinxeris iusto ne delinquat, & ipse non delinquat, iustus ille viuens viuet, quoniam distinxisti illi, & tu animam tuam saluabis.* Quid, Constanti, dicis ad hæc? Tacendumne sacerdotibus Dei erit, & mandata celare diuina eis? An dignum est aperire tibi cuncta præcepta Domini, omnem voluntatem perferemus, ne Dei ad vos nobis commissos, an eam ad nosmet iugulandos vobis frau-
C dabimur? sanguinem etenim tuum dicit Dominus requisiturum à me, quinimò si non obedieris Deo, cuius nos tibi ingerimus diuina monita, tu in tuo morieris scelaratus scelere, & à nobis iam non requiretur salus animæ tuæ, quoniam quidem minis tuis non fuerimus territi, sed solum timuerimus eum, qui præter se neminem mandarit timendum. Quoniam quidem vt temet eriperes à nefandis semitis tuis in nomine Domini Dei conueniremus, ne tibi Imperatori viderer facere contumeliam. Quid me agere oportuit tempore, quo te iudico natum ad nos Dei seruos à via vertendos veritatis, cùm in Nabuchodonosor Holofernem virtutis suæ principem misisset, & Ierusalem obsideret. Quid orat Iudith Deum? nempe vt destrueret inimicos Israël. Numquid dixit, Custodi insur-
Iudith. 9. gentes aduersus domum tuam? *Domine Deus Patris mei Simeon, qui dedisti ei gladium in vltionem alienigenarum, qui violauerunt vuluam virginis in coinquinationem, & denudauerunt femur in consummationem, & coinquinauerunt matricem in improperium. Dixisti enim, Non sic erit, & fe-*
D *cisti secus, dedisti principes eorum in occisionē, & thorum eorum, qui accepit dilectam in sanguinem, & percussisti seruos super potentes, super thronos eorum: & dedisti mulieres eorum in prædam, & filias in captiuitatem, & omnem prædam in diuisionem filiorum dilectorū, qui zelauerunt Zelum tuum, & abominauerunt coinquinationem generis tui, & inuocauerunt te in adiutorium tuum, Deus meus, exaudi me viduam. Tu enim fecisti priora eorum cum illis, & illa postea, & nunc, & quæ superuenientia. Omnes enim viæ tuæ paratæ creaturæ tuæ in prouidentia: ecce enim Assyrij repleti sunt in virtute sua, & exaltati sunt in equo & ascensore, & gloriati sunt in brachio peditum, sperauerunt in clypeis, & tenso arcu, & fundibulis, & nescierunt quoniam tu es Dominus, qui conteres bella, Dominus nomen est tibi. Tu proiice illorum vires æterne, contere illorum plenitudinem virtute tua, & deduc eorum tenacitatem in ira tua, cogitauerunt enim frustrare sancta tua, coinquinare tabernaculum requietionis tuæ, nominis honorifici tui, apprehendere ferro cornu altaris tui. Respice in fastigio eorum: da in manu mea viduæ quam cogitaui vir-*
E *tutem, & percute eos labiis persuasionis meæ in principe, & principem super seruum suum: quassa substantiam eius in manu viduæ. Non enim in multitudine virtus tua, sed nec potentia, neque datum tuum in fortibus: sed humilium es Deus, infirmorum adiutorium, infirmorum susceptor, desperatorum saluator, etiam Deus patris mei, & Deus hereditatis Israël. Domine dominator cœlorum & terræ, creator aquarum, Rex totius creaturæ exaudi obsecrationem meam, da versutiam & suasionem in vulnere, & in liuorem eorum, qui aduersus testamentum & domum sanctam tuam, & vertices Sion, & domui retentionis filiorum tuorum cogitauerunt dura facta super omnem gentem & tribum omnē. Sciant quia tu es Deus vniuersæ potestatis & virtutis, & non est alius defensor generis Israël præter te.* Quid ad hæc prudens mens tua sentire dignabitur? numquidnam poteris dicere post hanc Deo fusam contra religionis hostes obsecrationem: quod enim nos malo ordine te contra nitamur, quia dicamus tibi aut corrige vias tuas prauas, & noli tibi in imperij
F tui placere potentia, aut cognosce ad nihilum te peruenturum. Quid aliud nos hodie facimus Dei serui, eius diuinæ magnitudinis sacerdotes, nisi quæ fecerunt illi quorum cupimus inueniri imitatores? Puto etenim dignum esse non derelinquere populos nobis commissos in tanta hac à te illata persecutione, sed eos hortari: quod enim potens sit cuius sumus nos eripere de inimicorum suorum manibus, non esse te metuendum hostē Dei domus. Aduertendum quod sis nihil, quia videlicet noster Deus ac Dominus omnia potens, ad nihilum redacturus sit omnia contra eius domum instituta impia tua conamina. Quæ hîc tibi iniuria fit à nobis? Quæ ingeritur Imperatori Romano contumelia ab antistitibus Dei viui? Si vt aut vitam æternam habeas, rogaris, aut dicatur tibi, proptereà quod contra Dei susceperis arma domum, nisi te correxeris, ingenti exitio sis interiturus. Qua etenim de re tibi cunctorum Dei domus inimicorum proferimus interitum, nisi vt aut metu Dei territus temet mutes, aut cùm temet in æternum esse feceris punitum, nos se-
G curi ex omni triumphemus parte, quia & tuus sanguis à nobis non possit à Deo requiri, & quia interitum aduersariorum Ecclesiæ eius viderimus? Perseuera denique in hac tua iniustitia, & inuenies quæ te pro tantis
† consequitur meritis. Superbia inflatus es, inquis, Lucifer, quia vera tibi dicat. Quid me iubebas facere tempore isto, quo tu Antichristi præcursor ad nos interficiendos arma contra Dei leuasti domum? tempore quo extitisti vnici Filij Dei negator? Tacerémne? & te lupum venientem ad Dei vastandum gregem sinerem? An dignum fuisse censes obuiam pastores tibi iremus siccis parato faucibus ad nobismet nobiscum commisso transuorandos? Magnalium fuerat satis, vt mulier ista Deo cupiens placere Iudith manu interimeret suâ hostem, & nos ne quidem verbo tibi à Domino restitissemus instituti Pastores. Dicit Dominus in Euangelio: *Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus: qui merce-* *narius est, & non est pastor, cuius non sunt oues propriæ,* Ioan. 10.
videt lupum venientem, & relinquit oues, & fugit, &
H *lupus rapit illas, & dispergit, quoniam mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.* Quid itaque nobis erat gerendum, ne tibi contumeliosi extitisse videremur? Cognouimus te lupum, vidimus ad oues te tetendisse domini manus. Conspeximus te vno tempore conatum laniare cunctos Domini inuocantes nomen. Numquid fuerat dignum non pastores, sed mercenarios exhibere nos? Petro dicit beato, *Pasce agnos* Ioan. 21.
meos. Et iterùm: *Pasce oues meas.* Et tu veniens lupus, vis eos, qui successores extitisse inueniuntur beato Petro vicem gerere mercenariorum, eos quos iampridem per Ieremiam promiserat populo suo di- Ierem. 3.
cens: *Et dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos pascentes cum disciplina:* & non dixit, Dabo vobis Constantium Imperatorem, qui vos possit in diaboli vertere prædam. Dicas nos malè agere, quia sacrilegio tuo resistamus virtute protecti Dei. Videamus quid etiam tempore, quo contyrannus tuus Antiochus persecutor nostræ Religionis extitit, quid

fecerint

† *Ferid consequitur.*

A fecerint hi, qui meminerant præter Deum neminem timendum. Sed priùs est cognoscas, quæ ille, cui tu similis es scripserit. Sic etenim poteris intelligere illos Dei seruos, quorum nos cupimus inueniri participes, restitisse Antiochi sacrilegio, sicut & nos tibi Deo propitio resistamus. Loquitur Sacra Scriptura dicens in Machabæorum primo libro:
1.Mach.1 *Et scripsit Rex omni regno suo, vt esset vniuersus populus vnus; & relinqueret vnusquisque legitima sua. Et receperunt omnes gentes secundum verbum Regis, & multi ex Israël consenserunt simul cum illis, & polluerunt sabbatum. Et misit Rex libros in manu nunciorum Ierusalem, & ciuitates Iuda, vt irent post legitima extera terræ, & prohiberent holocausta, & sacrificium, & libationem de sanctificatione, & contaminarent sabbata, & dies solemnes, & polluerent sanctificationem, & statuerent delubra, & idola, & immolarent porcinam, & pecora communia, & relinquerent filios suos incircumcisos, & polluerent animas eorum in omni immunditia & abominatione, ita vt obliuiscerentur legem, &*
B *mutarent iustificationes, & quicumque non fecisset secundum verbum Regis, moreretur. Secundum omnia verba hæc misit scripta vniuerso regno suo, & fecit consideratores super populum, & mandauit ciuitatibus Iuda immolare per ciuitatẽ & ciuitatem: & congregati sunt multi de populo ad eos omnes derelinquentes legem, & fecerunt mala in terra.* Et infrà: *Et ædificauerunt abominationem desolationis super altare, & in ciuitatibus Iuda in circuitu struxerunt aras, & in ostiis domorum, & in plateis incendebant, & libros legis inuenerunt, & conscissos succenderunt igne; & apud quem inueniebatur liber testamenti, & si quis consentiebat legi, secundum edictum regis, interficiebant eum, in virtute sua faciebant hæc populo Israël, his qui inueniebantur in omni mense, & mense in ciuitatibus, & quarta & vicesima mensis sacrificabant super aram, quæ erat super altare, & mulieres, quæ circumciderant natos suos, interficiebant secundum præceptum, suspẽdebant infantes à ceruicibus per vniuersas domos eorum, & eos qui circumciderant illos, trucidabant, & multi de populo Israël definierunt apud se, vt non manducarent immunda,*
C *& inualuerunt mori, quàm pollui escis immundis, & prophanare testamentum sanctũ. Et facta est ira magna super Israël*
1.Mac.2 *nimis in diebus illis. Et surrexit Matathias filius Ioannis Symeonis sacerdos filiorum Ioarib ab Ierusalem, & huic filij quinque.* Et infrà: *Et viderunt blasphemias, quas faciebant in Iuda & in Israël, & dixit, Heu me! vt quid natus sum videre contritionem populi mei, contritionem sanctæ ciuitatis: & sedere illic, cùm datur in manu inimicorum sanctificatio, & in manu exterorum.* Et infrà: *Omnis ornatus eius ablatus est, ex libera facta est ancilla. Ecce sancta nostra, & speciositas nostra, & gloria nostra desolata est, & polluerunt eam gentes, vt quid nobis adhuc vita? Et conscidit Matathias & filij eius vestimenta sua, & cooperuerunt se ciliciis, & luctum habuerunt valde. Et venerunt qui erant à Rege, & compellebant discessionem in Modiin ciuitatem, vt sacrificarent, & multi Israël accesserunt ad eos. Et Matathias & filij eius congregati sunt, & responderunt qui à Rege missi fuerant, & aiunt Matathiæ dicentes, Princeps & Nobilis, & Magnus es in ciuitate ista, & confirmatus filiis; nunc accede primus,*
D *& fac imperium Regis, sicut fecerunt omnes gentes, & viri Iuda, & qui derelicti sunt in Israël, & eris tu & filij tui*
† Pro gloriabimini. *amici regis, & tu & filij tui † gloriamini argento & auro & muneribus multis. Respondit Matathias voce magnâ, & dixit, Si omnes gentes, quæ in domo Regis sunt, audiunt eum, vt discedat vnusquisque ab officio patrum suorũ, & consentiãt mandatis eius; Et ego, & filij mei ibimus in testamentum patrum nostrorum. Dominus propitius nobis sit, non derelinquemus legem & iustificationes: verbum Regis non audiemus, non declinabimus officium deseruitionis nostræ dextrâ vel sinistrâ. Vt cessauit loqui sermones istos, accessit vir Iudæus in oculis omnium sacrificare in Modiin secundum præceptum Regis: & vidit Matathias, & zelatus est, & contremuerunt renes eius, & attulit iram secundum iudicium: & accurrens ad aram interfecit eum, & virum Regis, qui cogebat immolare, occidit in illo tempore, & aram destruxit, & æmulatus est in lege, sicut fecit Phinees Iambri filio Salom. Et exclamauit Matathias in ciuitate voce magnâ, dicens, Omnis æmulus statuens testamentum exeat post me, & fugit, & ipse &*

filij eius in montem, & reliquerunt quæcumque habebant in ciuitate. Quid tale à nobis factum conspexisti, vt digneris dicere, contumeliam mihi fecit Lucifer: ille gladio occidit Regis ministrum, sed & eum, quem viderat de populo suo [90] Regis edicto potiùs quàm Dei temperasse: Ego quia tibi ac tuis verbo resisto & dico, non derelinquo Apostolicam atque Euangelicam fidem: Sic credo, quomodo crediderunt Abraham, Isaac & Iacob Patres nostri. Inde apud te reus contumeliarum sum. Si fuisses inter manus Matathiæ istius zelantis Deum, aut in manu Phinees, de quo testimonium in Numeris per Moysen perhibet Deus, & alienigenarum more viuere tentares, sine dubio te gladio interfecissent. Ego quia verbo animum illum tuum cruore Christianorum madidatum vulnero, reus iudicor contumeliarum à te. Cur Imperator non vlcisceris te de me? Cur contumelias tuas non digneris defendere, vindicare te de homine mendico? Cur non satis agens; non quia nolis, sed quia tibi adhuc non fuerit data potestas ab eo, cuius me esse confidens tibi hæc liberâ dico voce, quæ quidem iuxta tuos nefandos actus praua mihi videantur, tibi omnibusque diuitiis regni tui, patri quoque tuo renunciasse nos cùm videris, & à fide nullo pacto recessuros inspexeris, multùm misereri nos scias, quod cum ore gladij soleas displicentes tibi deuorare, nobis parcas. Credo pietatis causâ, & possumus istud sentire de tua lenitate. Nullum etenim te interfecisse ex nimia tua benignitate potui colligere. Dicis, superbus est. Vnde tibi superbus esse videor? nempe quia audis à me, ea te gerere, quæ semper fecerint hostes Dei Religionis: est officij mei, vt hæc ingeram tibi hæretico, aut non es hæreticus? Si autem hæreticus es, [91] cur me incusas? Quod enim sim tibi iniuriosus, qui id facio te contra, quod me voluerit facere Deus? Loquitur sanctissimus Propheta Ieremias dixisse ad se Deum: *Et tu accinge lumbos tuos, & surge, & dic omnia quæcumque mandaui tibi, & ne timeas à facie eorum, nec formides in conspectu eorum.* Ierem. 1.
Cùm hæc ita sint, & nos vrgeat necessitas officij nobis à Deo impositi; vt vobis agentibus dicamus, quæcumque vobis dici iusserit Deus, superest, vt obedias Dei mandatis, conuentus à me ipsius clementiæ seruo ac sacerdote, aut probes de Scripturis sacris fortassis, quia Rex sis: quod enim non liceat mihi te in nomine Domini conuenire, vt temere corrigas. Si probare non potes mihi prohibitum, sed inuenire magis incipies mihi præceptum, vt te arguam, & increpem, & exhorter, & deprecer, & admoneam, atque prouocem ad Deo placendum: cur me dicis tibi facere contumeliam? Eo etenim vsque nobis antistitibus suis dedit potestatem ad vos nobis commissos increpandos, docendos, vt dixerit: *Ne timeas à facie eorum,* Ierem. 1
ne formides in conspectu eorum, Ecce posui te in hodierna die sicut ciuitatem firmatam, & sicut murum æreum, firmum omnibus regibus Iuda, & Principibus eius, & plebi terræ: & pugnabunt contra te, & non poterunt aduersum te, quia ego tecum sum, vt liberem te, dicit Dominus.

Hæc sunt quæ dicebat Ieremias Regibus Iuda, & Principibus eius, & plebibus terræ? nempe hæc quia dereliquerunt Dominum, & immolauerunt diis alienis. Hæc & tu fecisti, ac facis: dereliquisti Apostolicam atque Euangelicam fidem, suscepisti hæresim Arrianam, & cogis omnes Dei seruos idololatras fieri: quia hæc audes, vocas superbos saluti tuæ cupientes consultum. Dicit Deus Ieremiæ: *Et tu accinge lumbos tuos, & exurge, & dic omnia* Ierem. 1.
quæcumque dico tibi. Ne timeas à facie eorum, nec formides in conspectu eorum. Et, Constantius Imperator, indignaris cur tibi erranti dicamus, Redi ad viam salutiferam, derelinque errorem per Arrium instinctu diaboli inuentum. Deus se solùm timendum mandat, præter se esse neminẽ formidandum præcepit, & tu ea statuisti implenda, quæ Domini auferant metum, & te faciant formidandum. Ierem. 1.
Deus dicit Ieremiæ: *Ecce posui te in hodierna die sicut ciuitatem firmam, & sicut murum æreum firmum omnibus Regibus Iuda, & Principibus eius, & plebi terræ, & pugnabunt contra te, & non poterunt aduersum te, quia ego tecum sum, vt liberem te, dicit Dominus.* Et tu existimas te timeri posse à quoquam seruorum Dei? Cur me dicis arrogantem

E F G H

A & superbum? Cur contumeliosum vocas? nempe quia 1.Ioan.2 te repererim operibus tuis esse vnum ex illis, de quibus beatus Ioannes: *Audistis quia Antichristus venit, nunc autem Antichristi multi sunt.* Sic nos iniuriarum reos designas tanquam primi restiterimus, ne idololatriam tuam in Dei introduceres Ecclesiam. Legisti in Machabæorum 1.Mac.2. libro primo: *Et dixit vir proximo suo, Si omnes fecerimus, sicuti & fratres nostri fecerunt, & non pugnauerimus aduersus gentes pro anima nostra, & iustificationibus nostris, nunc citius disperdent nos à terra. Et cogitauerunt in die illa, dicentes: Omnis homo quicumque venerit ad nos in bellum, die sabbatorum pugnemus aduersum eum, & non moriemur omnes, sicuti mortui sunt fratres nostri in occultis. Tunc congregati sunt contra eos exercitus fortes in viribus ab Israël, omnis voluntarius in lege, & omnes qui fugiebant à malis aduersus eos, & facti sunt illis in firmamentum, & constituerunt virtutem, & percusserunt peccatores in ira sua, & viros iniquos in indignatione, & cæteri fugerunt ad nationes, vt se* B *liberarent, & circumiuit Matathias, & amici eius, & destruxerunt aras, & circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot inuenerant in finibus Israël in fortitudine, & persecuti sunt filios superbiæ, & prosperauit opus in manu eorum, & obtinuerunt legem de manibus gentium & Regum, & non dederunt cornu peccatori.*

Quid sentire dignatur venisse Arrij sauciata mens tua? Quid poterit excogitari contra hanc nostram defensionem morsibus serpentis concisum cor tuum? illos cum aduertas ea egisse, nobis quiescendum fuerat, ore tuo prolatis blasphemiis ad populum nobis diuinitus commis- 1.Mac.2 sum sauciandum? *Et circumiuit*, inquit, *Matathias, & amici eius, & destruxerunt aras, & circumciderunt pueros incircumcisos, quotquot inuenerunt in finibus Israël in fortitudine, & persecuti sunt filios superbiæ, & prosperauit opus in manu eorum, & obtinuerunt legem de manibus gentium & regum, & non dederunt cornu peccatori.* Cùm illi hæc qui ita egerint, fuerint facti Deo amantissimi, nos tibi adulando, tecumque in tuo currendo scelere fuerat dignum, C vt tu es, efficeremur Deo inimicissimi. Si nos tibi hunc videmur inimiosi, quia idololatriam tuam suscipere nequiuerimus. Des vnum, quæso, qui pepercerit ex Dei cultoribus aduersariis eius religionis.

2.Esdr.2. In secundo libro Esdræ, contradicentibus ne domum, & templum, & ciuitatem in Hierosolymis Domino instauraret: *Deus*, inquit, *cœli ipse prosperauit nobis, & nos serui eius surgemus, & ædificabimus, vobis autem non est* 2.Esdr.4. *portio, fas, neque mentio in Ierusalem.* Et infrà dicentibus aduersariis: *Numquid sacrificabunt, an manducabunt in lo-* 92 *co suo? Nonne ascendet vulpes, &* [92] *demoliet muros lapidum eorum?* Et hæc dicit ad Deum seruus eius Esdra: *Exaudi nos Deus noster, quia facti sumus contemptibiles, & conuerte cōuitia ipsorum in capita ipsorum, & da illos vt sint in derisu, & in terra captiuitatis, & ne operias iniquitatem ipsorum, & peccata eorum à facie tua non deleantur.* Quid tale nos circa te locuti sumus? est testis quem orauit Esdras, quemque & ego oro, & omnis per totum mundum constituta eius orat beata Ecclesia: Mea circa te hæc esse D vota, vt corrigas errores, sisque vnus ex nobis. Conspice intereà, quomodo Dei homines neque aduersarios timuerint, neque contra inimicos Dei domus preces fundendo desiuerint, vt videlicet vires Dei Religionis aduersariorum fuissent deductæ ad nihilum. Sic etenim etiam sanctissimus Moyses dicit in cantico Exodi ad Deum: Exod.15 *Decidat super eos timor & tremor magnitudinis brachij tui, fiant tanquam lapides, donec transeat populus tuus hic quem acquisisti.*

Talia illi ad Deum verba fecerunt sibi traditis: nos 93 quia tibi dicimus, Aut conuertere ad Deum, [93] aut habe certum quod Deus ad nihilum sit deducturus omnem inanem superbiam tuam, videmur tibi petulantes. Conspice adhuc quid fecerit Matathias sanctissimus ille vir deuotus Deo post tam illustria illa quæ egerit, quæ etiam in fine exitus sui dixerit ad filios, & vide, an recto contra te ordine Dei hæc agamus Sacerdotes. Loquitur scriptura S. dicens: *Appropiauerunt dies Matathiæ moriendi, &* 1.Mac.2. *dixit filiis suis: Nunc confortata est superbia, & castigatio, & tempus euersionis, & ira indignationis, nunc filij æmuli* E *estote legis, & date animas vestras ad testamentum patrum nostrorum, & mementote operum patrum, quæ fecerunt in sæculis suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. Abraham nonne in tentatione inuentus est fidelis, & reputatum est ei ad iustitiam? Ioseph in tempore angustiæ suæ custodiuit mandatum, & factus est Dominus Ægypti. Phinees pater noster in Zelando Zelum accepit testamentum Sacerdotij æterni. Iesus dum impleret verbum, factus est dux in Israël. Chaleb dum testificatur in Ecclesia, accepit hæreditatem. Dauid in sua misericordia consecutus est sedem regni in sæcula. Helias dum zelat zelum legis, raptus est ad cœlum. Ananias, Azarias, & Misaël credentes liberati sunt de flamma. Daniel in sua simplicitate liberatus est de ore leonum: & ita cogitate per generationem & generationem, quia omnes qui sperant in eum, non infirmabuntur, & à verbis viri peccatoris non timueritis, quia gloria eius in stercore, & vermis hodie extollitur, cras non inuenietur, quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius peribit. Filij confortamini, & præuale-* F *te in lege, quia in ipsa gloriosi eritis. Et ecce Symeon frater vester, scio quòd vir consilij est, illum audite, ipse vobis pater erit. Et Iudas Machabæus fortis viribus à iuuentute sua, sit vobis principalis militiæ, & expugnabit bellum & adducetis ad vos omnes factores legis, & vindicate vindictam populi vestri, retribuite retributionem gentibus, & intendite in præceptum legis.* Quando itaque videas talia præcepta dedisse filiis, & ea mandasse fieri quæ etiam fecerit ipse, cum doceat sic Patriarchas, Prophetas, & cunctos iustos Deo placuisse: quid nos, tu tenebrose, ne tibi contumaces videremur, volueras facere? Cessissemúsne tibi mortuo viui Dei serui, satelliti diaboli? cum cernas istum Matathiam dicere ad filios: *Et ita cogitate per generationem & genera-* 1.Mac.2. *tionem, quia omnes qui sperant in eum, non infirmabuntur. Et à verbis viri peccatoris non timueritis, quia gloria eius in stercore, & vermes hodie extollitur, & cras non inuenietur, quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius peribit.* Ne tibi iniuriosi videamur, parcamus tibi Dei domum destruenti, tibi qui hodie sis, & cras eris in vermes & ster- G cora: & hanc trahamus apud Deum offensam, vt tecum mereamur redigi ad nihilum. Cognosce post hæc, quid etiam filij Matathiæ istius religiosissimi fecerint, si timuerint concarnificis tui manum, si exercitum illius ante oculos habuerint, & non Dominum nostrum, quem omnia potentem, vt nos credimus credentes, contra hostem omnibus suis viribus semet erexerint. *Et surrexit Iudas, qui* 1.Mac.3 *vocabatur Machabæus filius pro eo & adiuuabant eum omnes fratres eius, & vniuersi qui se coniunxerāt patri eius, & præliabatur prælium Israël cum lætitia, & dilatauit gloriā populo suo, & induit se loricā sicut gigas, & succinxit vasa bellica sua, & prælia constituit, protegens castra gladio, & similis factus est leoni in operibus suis, & sicut catulus leonis rugiens in venationem, & persecutus est iniquos, & perscrutans, & hos qui perturbabant populum suum, succendit, & subducti sunt iniqui præ timore eius, & omnes operarij iniquitatis conturbati sunt, & prospera facta est salus in manu eius, & exacerbabat Reges multos, & delectabat Iacob in operibus suis, & vsque in sæcula memoria eius in* H *benedictione erit, & perambulauit in ciuitatibus Iuda, & disperdidit impios omnes ex ea, & auertit iram ab Israël, & nominatus est vsque ad nouissimum terræ, & congregauit pereuntes.* Illi tali zelo accensi contra Dei domus fecerunt inimicos, nobis te contra non fuerat surgendum, ne dicti fuissemus petulantes. Sed benè me petulantem diceres; si non rectè contempsissemus sacrilegum edictum tuum. Respice etenim, comperditi tui quid præceperint duces Iudæorum Apostolis, & contra quid fecerit beatorum chorus Apostolorum, & inuenies nos non esse petulantes, sed & tibi & nobis consultum esse cupientes. *Petrus autem & Ioannes ascendebant in* Act.3. *templum ad horam orationis nonam, & quidam vir claudus ex vtero matris suæ portabatur, quem quotidie ponebant ad ianuam templi, quæ dicitur speciosa, vt peteret eleemosynam ab introëuntibus in templum. Hic cùm vidisset Petrum & Ioannem introëuntes in templum, rogabat eleemosynam. Intendens autem in illum Petrus cum Ioan-*

ne

A *ne dixit, Aspice in nos. At ille respexit in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Ait autem illi Petrus, Argentum & aurum non habeo, sed quod habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula & apprehensâ dextrâ manu eius erexit eum, confestimque confirmati sunt pedes eius & plantæ, & exiliens stetit & ambulabat, & intrauit cum illis in templum ambulans ac saliens laudans Deum, & vidit eum omnis populus ambulantem & laudantem Deum, & cognoscebant quia ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad speciosam portam templi; & repleti sunt pauore & admiratione in eo quod acciderat ei.*
Act.4. Et infrà: *Loquentibus autem illis ad populum hæc verba, insurrexerunt Sacerdotes & Pontifex templi, & Sadducæi, dolentes quòd docerent plebem, & annunciarent in Iesum resurrectionem mortuorum, & iniecerunt in eos manus, &*
Act.4. *posuerunt in custodia.* Et infrà: *Videntes Petri constantiam & Ioannis, & comperto quod homines imperiti sint & sine literis, mirabantur: cognoscentes etiam illos, quia*
B *cum Iesu erant: hominem etiam videntes cum ipsis stantem, qui curatus erat, nihil poterant contradicere. Cum iussissent autem illos foras extra concilium discedere, conferebant ad inuicem, dicentes: Quid faciemus hominibus his? Nam quia notum factum est signum per ipsos omnibus habitantibus Ierusalem, manifestum est, & non possumus negare, sed ne ampliùs innotescant in populum verba hæc, comminemur illis, ne ampliùs loquantur in nomine hoc ulli hominum. Consentientibus autem omnibus, accersentes eos præceperunt illis, ne omninò loquerentur, neque docerent in nomine Iesu. Respondentes autem Petrus & Ioannes dixerunt, Si iustum est coram Deo vos audire potiùs quàm Deum, iudicate. Non enim possumus nos quæ vidimus & audiuimus, non loqui. At illi comminantes dimiserunt eos, non inuenientes quomodo punirent eos propter populum. Omnes enim honorificabant Deum in facto. Annorum erat plus 40. homo, in quo factum est signum sanitatis. Dimissi autem venerunt ad suos, & retulerunt quanta ad illos principes sacerdotum & seniores dixerunt. At illi cùm audi-*
C *uissent, vno animo leuauerunt vocem ad Dominum, & dixerunt, Domine tu Deus, qui fecisti cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, qui per Spiritum sanctum, & os patris nostri Dauid pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius? Conuenerunt enim verè in hac ciuitate aduersus sanctum filium tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israël, facere quæ manus tua & consilium præfiniuit: & nunc Domine respice in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, dum extendis manus ad sanitates, ac signa & prodigia facienda per nomen sancti filij tui Iesu. Et cùm orassent, motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes spiritu S. & loquebantur verbum Dei cum omni fiducia.* Si collegisti iam cuncta, cur hæc protulerimus; si imbibisti omne penitùs præscriptionis nostræ desiderium, dicere audebis, vlteriùs nos esse petulantes, quandoquidem videas nec Aposto-
D los beatos temperasse ducibus Iudæorum, nec minis succubuisse eorum, sed magis intrepidè semper duxisse ad effectum sibi delegatum, totidem etiam Dei populum non solum non fuisse perterritum comminationibus incredulorum, sed etiam fuisse obsecratum, vt fiduciam loquendi, constantiamque defendendi veritatem fuisset Apostolis suis dignatus tribuere Deus. Si igitur hoc & ab Apostolis factum est beatis, & populis Deo dicatis, & non sunt neque contumaces, neque petulantes dicti à Deo, quod restiterint inimicis eius, quomodo nos dicimur à te superbi, petulantes, contumeliosi, qui licet peccatores, tamen sanctam teneamus fidem Apostolorum, atque illorum populorum, qui credentes fuerant in vnicum Dei Filium cum Apostolis: idcircò superbi, quia vocem tuam apostatam, quia terrores tuos sacrilegus Christi milites ducamus pro nihilo, quia Dei Filium, verum Dei prædicemus Filium, sicut prædicauerint beatissimi Apostoli: Sic nos tibi proterui, petulantes, superbi videmur, vt Iudæis videbantur sanctissimi Apostoli, quibus, si

E hodie fuissent in corporibus, potueras hæc dicere; quæ dignaris dicere ad nos. Inuenimus etenim semper præceptum eis ore comblasphemorum tuorum Scribarum, Pharisæorum, Principum, atque Pontificis Iudæorum, ne docerent, neve prædicarent vnicum Dei Filium, tamen quid illi fecerint, accipe adhuc quæ scripta sunt, ne fortè possit tenebris saginatum cor tuum ad videndam adduci ve- Act.5.
ritatem: *Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe, & erant vno animo omnes in porticu Solomonis, cæterorum autem nemo audebat ad illos accedere; sed magnificabat illos plebs, magisque augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita vt in plateis eiicerent infirmos; & ponerent in lectulis & grabbatis, vt veniente Petro vel vmbra obumbraret aliquem eorum, & liberabantur ab infirmitate sua. Concurrebat autẽ multitudo vicinarum ciuitatũ Ierusalem, portantes infirmos, & eos qui à spiritibus immundis vexabantur, & omnes sanabantur.*
F *Exurgens autem princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erant hæresis Sadducæorũ, repleti sunt inuidiâ, & iniecerunt manus Apostolis, & posuerunt illos in custodiam. Angelus autem Domini aperuit ianuas carceris; & eduxit illos dicens: Ite, & stantes in templo loquimini omnia verba vitæ huius. Cum hæc itaque audissent, introierunt sub luce in templum; & docebant. Adueniens autem princeps sacerdotum, & qui cum eo erant, conuocauerunt concilium; & omnem congregationem filiorum Israël, & miserunt ad carcerem, vt adducerentur. Venerunt autem ministri, & non inuenerunt illos in carcere; & regressi renuntiauerunt dicentes: Quoniam carcerem quidẽ clausum inuenimus in omni diligentia; & custodes stantes in ianua: cùm aperuissemus autẽ, neminem intùs inuenimus. Vt autem audierunt hos sermones magistratus templi, & principes sacerdotum, hæsitabant de illis, quid illud esset. Adueniens autem quidam renuntiauit illis, dicens: Ecce viri, quos posuistis in custodia, in templo sunt stantes & docentes populum. Tunc abiit princeps cum ministris, & adduxit illos, non cum vi: timebant etenim populum ne lapidarentur. Cùm autẽ ad-*
G *duxissent eos, statuerunt eos in concilium, & interrogauit eos sacerdos, dicens: præcipiẽdo præcepimus vobis, ne doceretis in hoc nomine, & ecce replestis Ierusalem doctrinâ vestrâ, & vultis inducere super nos sanguinem hominis illius. Respondens autẽ Petrus & Apostoli dicentes: Vtrùm obedire oportet Deo an hominibus? Si igitur Deo est obediendum, & non hominibus, cur nos contumaces, cur nos iniuriosos vocas, quos videas Dei obedire præceptis? Audientes autem hæc, fremebant*, dicit Scriptura, *& cogitabant eos occidere.* Ita & tu tetines nos in custodiis, minitaris interficere, quia sis eo obsessus spiritu, quo capti detinebantur Iudæi atque detinentur: Si non eo captus immundo spiritu detineris, cur nos prohibes confiteri ac prædicare vnicum Dei Filium? Angelus Dei producens Apostolos ex Iudæorum condesperatorum tuorum carcere; Ite, docete in templo verba vitæ huius: & tu tollens nos Sacerdotes de Ecclesia Dei, in carcerem coniiciendos putasti, ne prædicaremus verbum vitæ. Intereà oro te respondeas, quid sit inter te & [94] conscotinum tuum, quem verso ordine Smyrnienses 94
H vocant Photinum? Quid intersit, quid distet, rogaris, distinguas, ecce si tunc dixerunt ad Apostolos principes & Pontifex, & omne concilium Iudæorum, *Vultis introducere super nos sanguinem hominis illius*, etiam Photinus hominem tantũ profitetur Dei Filium, dicit illum non fuisse ante beatã Mariam: tua quoque hæc est professio. Quod enim ante omnia quidem, hoc est, ante cælos, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, Dei sit Filius, sed quod constiterit ex nihilo, sed quod creatura sit, quid interesse arbitraris inter te & Paulum Samosatenum, vel eum tum eius discipulũ tuũ consortinũ, nisi quia tu ante omnia dicas, ille verò post omnia? Cæterũ vna vobis crudelitatis atque incredulitatis mens est, vt diceretis, non habere Deũ verũ Filium: cõtra videte, quomodo sit credens sancta Ecclesia: Credimus in vnũ Deum Patrẽ omnipotentẽ, visibiliũ & inuisibilium factorẽ. Et in vnũ Dominũ Iesum Christum Filiũ Dei natum de Patre, hoc est de substãtia Patris, Deũ de Deo, lumẽ de lumine, Deũ verũ de Deo vero, natũ, non factũ vnius substantiæ cum Patre, quod Græci dicũt ὁμοούσιον, per quem omnia facta sunt, siue quæ in cælo, siue quæ

A in terra sunt, qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, homo factus est, passus est, resurrexit tertia die, ascendit in cœlum, venturus est iudicare viuos & mortuos. Credimus & in Spiritum sanctum. Conspicis Fidem Apostolicam Euangelicamque esse hanc, quæ semper Filium cum Patre regnasse & regnare defendat, quæ fateatur & perfectam esse diuinam Trinitatem, & vnam habere substantiam. Cæterum quid inter Ecclesiam & vos hæreticos vel Iudæos interesset, si non sic crederet beata Ecclesia, quæ sancta fides? vt sciretis quid in vobis puniret Domini Ecclesia, dixit atque dicit de vobis? Eos autem, qui dicunt, Erat quando non erat, & priusquàm nasceretur, non erat, & quia ex nullis exstantibus factus est, vel ex alia substantia, dicentes, mutabilem & conuertibilem filium Dei, hos anathematizat Catholica & Apostolica Ecclesia: propter hanc sanctam fidem recludebantur Apostoli in carcerem, vincula accipiebant, verberibus per horarum momenta vexabantur, ne mundo

B reuelarent veritatem, & tamen prædicare eò voluerunt, vsquequò etiam mactati fuissent: Et dicis nos maximæ esse homines contumaciæ, quia videlicet viam teneamus Apostolorum, quia tibi dicamus, erraticum te factum. Quid fecerit Herodi B. Baptista Ioannes? *Herodes autem Tetrarcha cum corriperetur ab illo propter Herodiadem vxorem fratris sui, & de omnibus malis, quæ fecit Herodes, adiecit hoc super omnia, & inclusit Ioannem in carcere.* Qua de re inclusit Ioannem Herodes? certè quia arguebantur opera eius: ita & tu cum seruis Dei agis, quia dicamus tibi, noli gerere quæ geris, noli esse homicida, noli persequi Ecclesiam Domini, noli Apostolicam reprobare fidem, probare verò hæreticam, noli idololatriam introducere in Ecclesiam, nos arbitramur hæc propter tuam specialiter dicere salutem; qui si nolueris temperare, sine dubio sic tibi sis æternam quæsiturus mortem, quomodo quæsierit & Herodes. Ioanni etenim nocere non potuit, siue quod eum in carcerem

C coniecerit, siue quod interfecerit, quandoquidem videas Ioannem Dei amicum, Herodem verò esse Dei inimicum, quærens nocitum nobis, qui tibi æternam sospitatem tribui desideramus, omnibus nos persequeris modis: sed valere non poterunt vires auctoritatis tuæ, ad Dei vnici Filij seruis nocendum, quia tu vnus esse ex illis inueniris, quos nobis credentibus subiecit dicens: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & supra omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.* Tu qui me dicis, quia vera tibi dicam, superbum, quem me vis inueniri? illumne seruum, qui acceperit vnum talentum, & absconderit, atque ipsum solum Domino repræsentauerit, propterea quod non per fœnus eundem multiplicatum sicuti conserui eius Domino repræsentauerit, meruit etiam ipsum talentum amittere, & audire, *Serue nequam & piger?* An illum, qui acceptam quantitatem decies multiplicatam repræsentauerit, cuique fuerit dictum: *Euge serue bone & fi-*

D *delis, quia in modico fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra gaudium Domini sui.* Sed istud vnde audire potero, si te metuens, quæ tibi fuerint placita, fecero: intuere in Euangelio, quid nos facere voluerit Dominus, & desine nos dicere arrogantes. *Homo quidam erat diues, is abiit in regionem longinquam accipere regnum, & reuerti, & vocauit decem seruos, & dedit illis decem talenta, & ait ad illos, Negotiamini dum venio. Ciues autem eius oderant illum, & miserunt legationem post illum dicentes, Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est dum reuerteretur accepto regno, & iussit vocari seruos, quibus dedit pecuniam, vt sciret quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus dicens, Domine, talentum tuum decem talenta acquisiuit. Et ait illi, Euge bone serue, quia in modico fidelis fuisti, eris potestatem habens supra decem ciuitates. Et alter venit dicens, Domine, mna tua fecit quinque mnas. Ait & huic, & tu esto supra quinque ciuitates. Et alter venit dicens, ecce talentum tuum, quod habui repositum in sudario, quia timui te, quod homo austerus es, tollis quod non posuisti, & me-*

Luc. 3. — Luc. 10. — Matt. 25. — Luc. 19.

E *tis quod non seminasti. Et dixit ei Dominus, de ore tuo te iudico, infidelis serue nequam: Sciebas, quod homo austerus ego sum, & tollo quod non posui, & meto quod non seminaui, & quarè non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam? & astantibus dixit. Auferte ab illo talentum, & date illi qui decem talenta habet. Dico autem vobis, omni habenti dabitur, ab eo autem, qui non habet, & quod habet, auferetur. Veruntamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.* Nempe si non te mutaueris, vnus eris ex his, qui interfici fuerunt iussi. Hinc superbus videor tibi, quia te cupiam inueniri, quia sim exoptans ex illà quantitate mihi commissa, quam cupio multiplicari, te quoque inueniri. Quia tali modo tecum geramus luctam, videmur tibi inimici hi, qui præceptum retinentes beati Apostoli indesinenter propter tuam incolumitatem fundamus precem. *Obsecro igitur primò omnium fieri obsecra-*

F *tiones, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, vt tranquillam & quietam vitam agamus cum pietate & grauitate. Hoc enim bonum & acceptum coram salutari nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Videmur tibi inimici, quia te agnitionem veritatis cupiamus consequi: contumeliosum me dicis, quia dicam quæ tuæ & meæ conducant saluti. Sed hæc quoque asseueratio tua, quæ astruit me tibi facere iniuriam, ostendit te imprudentem. Si etenim fuisses prudens, primò nunquam sacrilegus repertus fuisses: deinde correptus sacrarum literarum auctoritate, temet iam hominem præbuisses: at nunc quia sis imprudens dicenti tibi Episcopo, Imperator prouide saluti tuæ. Es enim ingentibus sarcinis scelerum tuorum prægrauatus. Dicis, contumeliam mihi facis. *Testor coram Deo,* dicit Apostolus Timotheo, *& Christo Iesu, & electis Angelis, vt hæc custodias sine discrimine nihil faciens in aliam partem, sed æquitatem custodire.* Et

G tu contumeliosum appellas eum, qui te in tantis sceleribus deprehensum nunc increpet, cur illa fueris perpetratus, nunc deprecetur, vt temet, dum facultas est, malis eripias tuis, sisque talis, quem non Deus puniat inter illos, quos nequam esse ac perfidos designat, dicens: *Filios genui & exaltaui, ipsi autem me spreuerunt.* Hinc tibi superbus videor, quia cupiam te inueniri inter eos, quos vnicus Dei Filius ad regnum suum inuitat dicens: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Tu tibi arbitraris contumeliam te pati, quia dicantur tibi quæ vera sunt. Apostolus gloriosus contrà mandat dicens: *Peccantes coram omnibus argue, & vt cæteri timorem habeant:* cui auscultare me oportet, tibine, qui dicas, sine me destruere Dei Religionem, seruos eius conuertere ad Antichristum, sine me in sacrilegio hoc meo cunctos statuere: an B. Apostolo, qui mihi præcipit, vt te peccantem arguam coram cunctis? Sed si existimas parcere me tibi debuisse, propterea quod sis Imperator, & in

H hoc inueniris imprudens. Audis enim dicere Apostolum: *Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant:* & tu debueras, inquis, mihi specialiter parcere, quia fuissem Rex Rom. Imperij, & vbi istam testificationem prætermittebam? *Testor coram Deo & Christo Iesu, & electis Angelis, vt hæc custodias sine discrimine, nihil faciens in aliam partem declinando.* Hinc certè tibi videor esse contumeliosus, quia præcepta tua Dei præceptis non antepossuerim. In Actibus Apostolorum lego, B. Apostolos raptos ab eis, quorum es particeps, non solùm in incredulitate, sed & crudelitate, & præceptum fuisse illis, ne docerent in nomine Domini nostri IESV CHRISTI. Sed videamus pariter ipsum S. Scripturæ partem, si Apostoli præceptis Dei vnici Filij inimicorum temperauerint, an ea quæ implenda susceperant instantissimè fuerint præfinientes. *Vocantes,* inquit, *Apostolos cæsos eos dimiserunt, præcipientes ne loquerentur in nomine Iesu vlli hominũ. Illi ergo ibãt gaudentes à conspectu concilij, quod pro nomine eius digni habiti sunt cõtumeliam pati. Omni autem die*

1. Tim. 2. — 1. Tim. 2. — Esa. 1. — Matt. 25. — 1. Tim. 5.

A *in templo & domi non cessabant, docentes & Euangelizantes Dominum nostrum Iesum Christum.* Cùm hæc referat Apostolos beatos egisse sacra Scriptura, te ad negandum Dei Filium omnium inuitantem corda, & hæresim tuam firmare satis agentem, nobis erit tacendum præpositis Dei Ecclesiarum, ne videlicet tibi blasphemo, homicidæ, destructori Dei Religionis inueniamur contumeliosi extitisse. Apostolos loquitur sacra Scriptura, nec verbera, nec minas filiorum pestilentiæ timuisse, sed semper docuisse: nos caduci regni tui decuerat frangi vigore, quo tu omnes iniquos posses tuos implere conatus? Contumaces æstimamur à te, quia vera tibi dicantur à nobis. Sic & comblasphemi tui Stephanum beatissimum iudicauerunt, quia eis diceret: *Dura ceruice, & non circumcisi corde & auribus, vos semper spiritui S. restitistis, sicut patres vestri, ita & vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri, & occiderunt eos, qui prænuntiabant de aduentu iusti, cuius nunc vos proditores & interfectores fuistis, qui accepistis legem in ordinatione Angelorum, & non custodistis.* [Act. 7.] B Hæc cùm audissent Iudæi, dignè sunt commoti contra sanctissimum Martyrem Stephanum, an indignè? Si indignè, vtique & te indignè inspice moueri contra eos, qui te saluum velint. Aduerte in ea te parte stare contra Dei Ecclesiam, in qua & tunc steterint, & nunc sunt Iudæi stantes: sic te esse duræ ceruicis, sic incircumcisum corde & auribus: inde est quod sicut illi audientes vera non sustinuerint, sed ad necem Dei cultoris prosilierunt, sis etiam tu prosiliens ad nostram integram & manifestam tibi dicentium necem. [Act. 7.] *Cùm autem hæc audissent*, inquit diuina Scriptura, *fremebant in cordibus suis, & stridebant dentibus in eum.* Et infrà: *Clamantes autem voce magnâ, compresserunt aures suas, & impetum fecerunt vno animo in eum, & eiectum extra ciuitatem lapidabant.* Sic tu corde fremens, dentibus stridens sis aduersum nos nulla alia de re, nisi quia te persecutorem dicamus Dei domus, nisi quia destructorem Dei Religionis, quia fusorem sanguinis seruorum Christi, quia sacrilegum vocemus iustè, C quippè blasphemum, hæreticum, quippè Fidem Apostolicam Euangelicamque expugnantem; non facimus rem Deo odibilem, si te ac tecum agentes tales dicamus, quales vos esse probè nouerimus. Inuenimus etenim sic egisse talia, qualia es tu contra Gloriosum. Deseruientibus autem illis dicit S. Scriptura, & ieiunantibus dixit Spiritus sanctus: [Act. 13] *Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus, ad quod vocaui eos. Tunc ieiunantes & orantes imposuerunt eis manus, & dimiserunt eos, & illi quidem dimissi à S. Spiritu, descenderunt Seleuciam, & inde nauigauerunt Cyprum: Et cùm venissent Salaminam, prædicabant verbum Domini in Synagogis Iudæorum: habebant autem Ioannem ministrum: & cùm perambulassent vniuersam insulam vsque Paphum, inuenerunt quendam virum Pseudoprophetam Iudæum, cui nomen erat Bariesuban, quod interpretatur, paratus, qui erat cum proconsule Sergio Paulo viro prudente: qui cùm aduocasset Barnabam & Saulum, quærebat audire verbum Dei. Resistebat autem illis* 95 *Elymas magus: sic* D *enim interpretatum dicitur nomen eius, qui quærebat auertere proconsulem à fide. Saulus autem qui & Paulus repletus Spiritu S. intendens in eum ait: O plene omni dolo & fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis peruertere vias Domini rectas? Et nunc ecce manus Domini aduersum te, & eris cæcus non videns solem vsque ad tempus, & protinus cecidit super eum caligo & tenebræ, & circumiens quærebat, qui se ad manum duceret. Videns autem proconsul quod erat factum, credidit cum admiratione stupens in doctrina Domini.* Credimus hoc instructum testimonio non te dicturum: contumeliam mihi Lucifer facit Imperatori. Quid mea interest? Quid sis, cum ego ei hæc dicam, quæ audiuit ab Apostolo ille, qui agnitus est Pseudopropheta: Talem etenim ego habeo te Constantium Imperatorem, qualem habuerint gloriosi Paulus & Barnabas Bariesubam Iudæum. Sic etenim tu contrarius inueniris esse nomini Domini, quomodo & ille fuerit, sic tu resistis veritati, vt ille restitit, sic tu non vis credere homines in Dei vnicum Filium, tibi atque illi Iudæo Pseudoprophetæ, nisi quia sic tu aduerso spiritu

E agaris, quomodo & ille ageretur. Cùm enim audis Proconsulem virum fuisse prudentem, & cupientem ab Apostolis beatis se instrui, quò posset viam comprehendere veritatis, & illum, cuius tu imitator es, restitisse Apostolis, ne proconsulem ad credendum in Dei Filium perduxissent, manifestum est, talem te esse, qualis iste fuerit Iudæus Pseudopropheta. Item cùm Paulum dicat Scriptura sancta repletum Spiritu sancto illam dixisse inuectionem, debes intelligere Iudæum illum Pseudoprophetam immundo fuisse spiritu plenum. Sicut ergo ille aduerso actus spiritu contradicebat, quia & tu ita instinctu aduersarij resistere inueniris, non te alium esse debes iudicare, nisi Bariesubam Iudæum Pseudoprophetam. Igitur quia te alterum Bariesubam Iudæum Pseudoprophetam esse intelligis, quoties fuerit dictum ore tuo sacrilego, Deus non habet verum Filium, ne molestè feras, si dicantur tibi à nobis illa quæ sunt dicta ab Apostolo prædecessori tuo Iudæo Pseudoprophetæ, *Plenus omni dolo & fallaciâ, filius diaboli, inimicus omnis iustitiæ, qui non desinis peruertere vias Domini rectas.* [Act. 13. F.] Si fueris motus, cur hæc tibi dicantur, quæ fuerint dicta illi, cuius sis tenens iter mortis, multum te insulsum ostendis, qui velis hoc esse, quod fuit ille Iudæus Pseudopropheta; & nolis te illis nominari vocabulis nominum, quibus fuerit & ille vocatus. Iterùm & hortor & deprecor, & moneo, vt tibi velis consulere, ne æterna te accipiat pœna. Si enim ille ita meruit excæcari, quia tentarit resistere, conspice quæ tibi homicidæ, quæ sacrilego, destructori Dei Religionis possint mala repræsentari, & in hac vita & in perpetuum. Accipe adhuc ea, quæ te formare possunt, non esse contumeliosos nos, sed veraces. Antiocho septem illi gloriosissimi fratres restiterunt, nempè vt nunc tibi nos restitimus. Legisti quartus, quid responderit compestilenti tuo, qui me contumeliosum dignaris clamitare, quia dicam tibi, quod nisi conuersus fueris ad Deum, in æternum sis interiturus, nempè dicit: *Potius est ab hominibus morti datos spem exspectare à Deo, iterum ab ipso resuscitari: tibi enim resurrectio ad vitam non erit.* [2. Mac. 7.] G Si à nobis tu tyrannus, audis quòd ad vitam sis resurrectionem non accepturus, si in hac incredulitate manseris, quod non ad requiem, sed ad pœnam sis resurrecturus sempiternam, quæ contumelia est? Quintus quoque cùm admotus fuisset & vexatus, dixisse loquitur scriptura Regi: *Potestatem inter homines habes, cum sis corruptibilis, facis quod vis: noli autem putare genus nostrum à Deo esse derelictum, patienter sustine, & vide, magna potestas illius qualiter te & semen tuum torquebit.* [1. Mac. 7] Quid tibi videtur, quia tali constantia Dei seruus inuectus fuerit in contyrannum tuum? nunquidnam iniuriosum fuisse Dei cultorem, diaboli iudicabis cultor illum vera dicentem, negabis superbum, nec me debes iudicare insolentem, quia dicam tibi, non derelinqui nos à Deo, propter quem hæc sustineam te contra, nisi fueris correctus cum corruptibili gloria tua ad nihilum venturus. Quid etiam Sextus dixerit, inspice, & inuenies nos eo cuneo teniti tibi turbidæ procellæ, quo illi fuerunt renitentes; H *Noli frustra errare, nos enim propter nosmetipsos hæc patimur peccantes in Deum nostrum, & digna admiratione facta sunt in nobis: tu autem ne existimes tibi impiè futurum, cùm contra Deum pugnare tentaueris.* [2. Mac. 7.] Probant Epistolæ meæ mediocritatis & libri rustico licet sermone descripti, me sæpè dixisse, quod peccata quidem fecerint nostra, vt in tuas Antichristi præcursoris veniremus manus, te tamen pugnare contra Deum; & idcircò nisi tibi prospexeris, te quidem vt istum Antiochum in æternam pœnam futurum, nobis verò propitiaturum Dominum. Dolens es quod peccata tua, & quisnam sis, reuelemus, & quod sit dignum Antichristi vmbram te calcari à cunctis Christi militibus. Qui me, inquis, calcare potuerunt? Illi quos, cur se Christianos fateantur, carceribus retines reclusos, patrimonio priuas, facis extorres; torques interfici. Hinc nos insolentes esse censes, quod cunctos nobis creditos deprecemur diaboli calcare caput, sacrilegos conatus tuos virtute passionum suarum illatarū pro Christo Dei vnico Filio deducere ad nihilum. Sit tibi & illa gloriosissima.

A sima mater septem suorum filiorum insolens, quia ad conamentum tuum vincendum Antiochum, suos illicere 1.Mac.7. dignata sit filios dicens: *Nescio qualiter in vtero meo apparuistis, neque ego spiritum donaui vobis, & vitam, & singulorum membra non ipsa compegi: sed enim mundi creator, qui formauit hominis natiuitatem, quique omnium inuenit originem, & spiritum vobis cum misericordia iterum reddet, & vitam, sicuti nunc vos ipsos despicitis propter leges eius.*

Hæc dicere non destitit filiis Religiosa mater, fortiter filios diligens quoadvsque cunctos aduertisset interfectos; Nos contrà, quos prædixerat ore Prophetæ futuros Ierem.3. pastores gregi suo dicens: *Et dabo vobis pastores secundum cor meum, & pascent vos pascentes cum disciplina,* tacere decuerat, ne tibi ad mactandas venienti rapido lupo Dei oues fuissemus visi insolentes? Mulier eò vsque corda incendit Dei amore filiorum, vt eorum interitu, gladij fuisset potita victoriarum: & nobis dicere Christi militibus fuisse congruum arbitratus es, Nolite arma sumere contra B Constantium diaboli satellitem, nolite resistere templo omnium dæmonum: magis autem facite quæcumque fieri præceperit. Quæ hæc est nostra contumacia? Si officium nobis delegatum à Deo nitamur implere, si denique istius mulieris imitatores fuerimus inuenti. Tu vis diabolo placere, cuius opus inueniris celebrare, nos minimè, vis Deo hæc te gerendo contra fieri acceptissimos. Si te adhuc mouet, cur, quod es, voceris à nobis, accipe etiam ab illo septimo huius mulieris sic clamitatum contra 1.Mac.7. Antiochum filio: *Antiochus autem contemni se arbitratus, & eius, qua increpabat, vocem despiciens, cum adhuc adolescentior superesset, non verbis hortabatur tantum, sed etiam cum iuramento affirmabat, se diuitem & beatum facturum, & translaturum à patriis legibus, & hospitem habiturum, & res necessarias crediturum. Sed ad ista cum adolescens non intenderet, vocauit Rex matrem, & ei suadebat, vt adolescenti fieret in salutem. Cum autem multis esset eam hortatus, promisit suasuram se filio suo, itaque inclinata ad illum derisit crudelem tyrannum, & ait patria voce, Fili miserere* C *mei, quæ te in vtero mensibus nouem portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi: peto, nate, vt aspicias ad cœlum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus: ita fiet, vt non timeas carnificem istum, sed dignus fratribus tuis effectus suscipias mortem, vt in illa misericordia cum fratribus tuis te recipiam. Cum hæc illa dixisset, ait adolescens. Quem sustinetis? non obedio Regis imperio, sed præcepto legis obedio, quæ data est nobis per Moysen: tu verò qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei. Nos enim pro peccatis nostris hæc patimur. Et si propter increpationem & correptionem Dominus noster nobis viuis modicè iratus est, sed iterum reconciliabitur seruis suis: tuque, ô scelestè, & omnium hominum flagitiosissime, noli frustrà extolli vanis speciebus in seruos eius inflammatus: nondùm enim omnipotentis, & omnia conspicientis Dei iudicium effugisti. Nam patres nostri modico nunc dolore sustentato, sub testamento vitæ æternæ vitæ effecti sunt: tu verò iudicio Dei iu-* D *stas superbiæ pœnas exsolues: ego autem sicut & fratres, & animam & corpus trado pro patriis legibus, inuocans Deum maturius genti nostræ fieri propitium, teque cum tormentis ac verberibus confiteri, quod ipse est Deus solus: in me verò & in fratribus meis desinet omnipotentis ira, quæ super omne genus nostrum iustè superducta est.* Quid, Constanti, à nobis plus audisti, quàm ea, quæ ab hoc Dei sunt dicta fideli 1.Mac.7. seruo? Si ille dixit ad Antiochi satellites: *Quem sustinetis? non obedio Regis imperio, sed præcepto legis obedio, quæ data est nobis per Moysen:* & nos tuis dicimus, Quid est quod nos ad Constantij Antichristi præcursoris voluntatem posse existimatis facere Arrianos? vt sumus, Christiani semper erimus. Si ille Antiocho dixit, *Tu verò qui inuentor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum Dei,* & tibi nos diximus atque sumus dicentes, quod enim quia te potior nullus vnquam fuerit persecutor sacræ legis Dei, quia sis non effugiturus Dei manum. Si audit Antiochus, quod arguendi gratiâ suis tunc Dominus fuerit iratus, & quod iterum esset reconciliaturus se seruis suis, hæc & tu nos dicere audis. Si illi dictum est regi:

E *Tuque, ô scelerate, & omnium hominum flagitiosissime, noli frustra extolli vanâ spe in seruos eius inflammatus: nondum* 1.Mac.7. *enim omnipotentis Dei iudicium effugisti.* Hæc & tu audis à nobis. Quod enim sis sceleratus, omnium hominum flagitiosissimus, qui idcircò hæc geras, vt nos coapostatas facias tuos, sed tamen frustrà te elatum, vanâ instinctu diaboli in nos Dei seruos spe inflatum: quia neque tuos possis implere conatus malignos, neque Dei omnia conspicientis, omniaque potentis euadere iudicium. Audis à nobis sicut & per illum illustrem adolescentem audiit Antiochus, *Quod enim fratres nostri pauca perpessi sub te-* 1.Mac.7. *stamento æternæ vitæ effecti sunt, tu verò quod sis iudicio Dei iustas superbiæ pœnas persoluturus.* Audis & à nobis, nos ita esse paratos interfici à te carnifice pro Deo, sicuti iam fratres nostros interfecisti, animas & corpora nostra tradere nos paratos pro IESV CHRISTO Dei vero vnico Filio: confidere prætereà nos de infatigabili pietate; quod enim omnem quidem gregem suum sit maturiùs erepturus ex te rapace lupo, ex te cane rapido: tu verò, quod sis, F nisi tibi consulueris, semper in tormenta abiturus. Quid ego plùs siue per Scripturã, siue in præsenti tibi dixerim, volo reuincas tu nostri temporis tyrannus. Si te ego carnificem dixi, dixit non solùm iste adolescens iustissimus, sed & eius mater Antiocho coamenti tuo: si inuentor omnis malitiæ dictus es à me, si quod non sis effugiturus manum Dei, si sceleratus, & omnium hominum flagitiosissimus, quia non sis omnia potentis, omnia conspicientis iudicium effugiturus, sed in iudicio Dei tu iustas pœnas sis exsoluturus: hæc omnia iam ab isto Religioso adolescente dicta fuerant collegæ tuo Antiocho. Contumeliosum me clamitas, quia videas digna tuis factis nomina tibi imposita, illa quæ iam contyrannis tuis imposuerunt nostri prædecessores, cultores Dei viui, Petrus beatus Apostolus, *Sobrij,* inquit, *estote, vigilate, quia aduersarius* 1.Pet.5. *vester diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite firmi in fide, scientes has easdem passiones in omni hoc sæculo fraternitatem vestram perpeti.* Si putas, quia contumeliosus sum, proptereà quòd audias mala G esse quæ geris, in quo inuenior diabolo resistere secũdum Apostoli præceptũ: Ecce enim vino suo hic draco ad omnem te perducens ebrietatem, immisit in omnem Dei gregem, vt cunctos tuo regali vsus adminiculo, sicuti ipse es, efficias ebrios, hoc est, insanos, vecordes dementesque. Te etenim quis de Sodomorum vite, de vinea Gomorrhæ sic efficit ebrium, vt temet fornicatum, sicuti sunt fornicati Iudæi, non videres: in quo, inquam, resistemus diabolo, si tibi per quem ad nos deuorandos semet armarit, nõ itum fuerit obuiam? si non tibi fuerit dictum à sobriis ebrio, à sospitibus ægro, ab integris vulnerato, à videntibus cæco, à stantibus eliso, à piis impio, ab ouibus Dei rapaci lupo, à benignissimis misericordiamque diligentibus crudeli carnifici, sæuo homicidæ, à Deum clarificãtibus blasphemo, à cultoribus Dei sacrilego, à Christianis hæretico Arriano: si non tibi fuerit dictum à nobis, discede minister aduersarij nostri, da honorem Deo: in quo resistemus dia- H bolo, si tibi voluntatis illius sageuæ pepercerimus, si non vniuersis ebrietas tua, hoc est, insania fuerit declarata, si denique non per id, quod sæuus aduersum nos fueris omni orbi manifestatus? ex eo quod gerens sis hæc, non te Christi seruum posse sentiri, sed planè mancipium illius, qui sit tanquam leo rugiens aduersum nos. Hinc tibi videmur esse petulantes, quia dicimus tibi, vino illo te factum ebrium, de quo fuerint & illi ad omnem perducti ebrietatis dementiam: illi, ad quos vel propter quos dicitur: *Peccauerunt ei & non filij eius in sordibus, generatio* Deut.32. *praua & peruersa. Hæccine Domino reddis plebs fatua, & non sapiens?* Et infrà: *Bibit vinum, & manducauit Iacob, & satiatus est, & calcitrauit dilectus, pinguis factus est, & incrassatus est, dilatatus est, & dereliquit Deum qui fecit eum, & recessit à Deo salutatore suo: Exacerbauerunt me in diis alienis, in abominationibus suis concitauerunt me, & sacrificauerunt dæmoniis, & non Deo, diis quos non nouerant: noui recentesque venerunt, quos non coluerunt patres ipsorum; Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* Sic te vt Iudæos dereliquisse Deum, & idolola-

triam

A triam secutum probat quidem perfidia tua, quam prædicas. Sed nunc ad hoc te solum arbitratus sum perducendum, vt videres non esse nos, sicut tu es, iniuriosos, petulantes atque superbos, sed veraces, & præter Deum timentes neminem. Ioannes beatissimus Apostolus cùm dicit,
1.Ioan.4. *Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt*: tu mihi vnus esse ex his Pseudoprophetis manifestè videris, siquidem negando Dei vnicum Filium, non te habere nisi Antichristi spiritum in ore tuo sacrilego declares, hinc efficitur, vt nec audire possis nos loquẽtes de diuina æternitate vnici Filij Dei, siquidem spiritus ille Antichristi, qui in te manet, non potest sustinere, & non vult se ex te pelli, sed est cupiens eo vsque in te mansitare, donec te videat ad illa raptum loca, in quibus ipse sit in perpetuum
96 futurus: [96] dolet enim te tam fidelissimũ delicium suum, te omnibus desideriis suis patentem ex se eripi. *Charissi-*
1.Ioan.4. *mi*, inquit, *nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si*
B *ex Deo sint: quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum. Ex hoc intelligite spiritum Dei, Omnis spiritus, qui confitetur* IESVM CHRISTVM *in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui destruit Iesum, ex Deo non est, & hic est*
1.Ioan.4. *Antichristus.* Et infrà: *Isti de mundo sunt, propterea de mundo loquuntur, & mundus audit eos: nos autem ex Deo sumus. Qui cognoscit Deum, audit nos, qui autem non est ex Deo, non audit nos. Ex hoc intelligimus spiritum veritatis, & spiritum erroris.* Clarum est, Constanti, te esse Antichristi portantem spiritum, te spiritu agi erroris. Sicut enim qui dixerunt, non suscepisse hominem de vtero beatæ Virginis vnicum Filium Dei, qui non illum crediderunt incarnatum, hominem factum, habere erroris spiritum asseruerunt, hi Antichristi nuncupantur: sic & vos Arriani cum vnicum Dei Filium natum verè de Patre negatis, hoc est, de substantia Patris, verum illum esse Filium cum despuitis, & semper illum cum Patre regnasse, nunquam Filium fuisse sine Patre, neque Patrem sine Filio cum credere de-
C tractatis, cum vnam habere Deitatem Patrem & vnicum Filium eius negatis, cuius vos spiritu esse plenos manifestatis, nisi Antichristi? Non etenim potest dicere Dei habens Spiritum, erat quando non erat, & factus est ex nihilo, de vnico Dei Filio, cum illum sine initio credat cum Patre regnasse, & regnaturum sine fine. Itaque cum non esse illum verum Dei Filium dicitis, cum denique ὁμοούσιον
97 τῷ πατρὶ, quod dicunt Græci, [97] nos verò Romani dicimus vnius substantiæ cum Patre illum esse, destruere tentatis, vtique & vos de illis esse Pseudoprophetis, & inter Antichristos pronuntiari. Non me debes contumeliosum iudicare, quia dicam te immundo spiritu agi, qui dicam te Antichristi præcursorem; os etenim tuum te hoc esse reuelat, neque enim habens Spiritum Dei poterit talia adstruere quæ vos asseritis Arriani, aut cuncti variarum se-
* Fortè indicas te non. ctarum vestri quoque hæretici. Negas Deum verum habere Filium, dicis illum esse adoptiuum, & * iudicas ne non intellectum. Quod enim vnus sis ex illis Antichristis
98 ore [98] pronuntiantis Ioannis, reuelatus es inquam te spi-
D ritu aduerso duci. Inde est denique quod nec crediderimus tibi dicenti de Filio, factus est ex nihilo. Cognouimus etenim hæc non posse dicere, nisi Pseudoprophetæ spiritum, nisi Antichristi præcursorem, nisi satellitem atque mancipium dæmonum. Non tibi hæc dicenti potuimus credidisse, quandoquidem Spiritus sanctus & per Prophetas fuerit locutus de vnico Dei Filio, illum esse verum Filium Dei, illum æternum esse, & coæternum Patri, nunquam neque Filium sine Patre, neque Patrẽ fuisse aut esse sine Filio, & beati hæc eadẽ Apostoli retulerint: siquidem sanctus Spiritus Paracletus qui fuerit in Prophetis, etiam in Apostolis manserit, qui sanctus Paracletus Spiritus, quia in Dei sit Ecclesia, & vos sitis constituti extra Ecclesiam Dei, cum non manens sit in vobis: vtique probamini Antichristi vos habere spiritum, qui immundus spiritus, ne hæc quæ ingerimus videatis, corda hæretica vestra tenebris offundi terrorum caligine cæcâ, ne scilicet ex eius possetis emergere laqueis. Iudicas nos esse contumeliosos, quia te qualem esse videmus pronuntiemus. Ecce etiam cum in Euangelio apud Matthæum di-

xisse Dominum inuenio, *Ecce ego mitto vos, sicut oues inter* E
lupos. Tu mihi esse vnus ex illis lupis videris, & quidem Matt.10.
omnium luporum cõtra Dei gregem rugientium rabiem in eum video esse congestam. Quis etenim Dei vnici Filij negator non gaudeat, non præ se ferat, cum videat sic te Christi depopulatum gregem? ex illis quoque vnum te accipio incredulis, ex illis perfidis ad quos dicitur, *Proge-* Matt.12.
nies viperarum; quomodo potestis quæ bona sunt loqui, cum sitis mali? Nam ex abundanti corde vnusquisque loquitur de ore suo. Bonus homo de bono thesauro emittit bona, & malus homo de malo thesauro profert mala. Si bona sunt, Constanti, quæ loqueris, bonum potes habere thesaurum. Petulaus sum, quia dicam tibi, tenebras tuo habitare in corde, inde ex tenebrosissimis sensibus tuis, vt es immunda tenebrosaque audes proferre. Ecce etiam illud quod dictum est beato Petro à Domino si audias; dicturus sine dubio me contumeliosum. Matthæus sanctissimus, *Ad-*
huc, inquit, *ipso loquente, Ecce Iudas vnus de duodecim ve-* Matt.26.
nit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus missi à F
Principibus Sacerdotum, & Senioribus plebis. Qui autẽ tradidit eum, dedit eis signum dicens, Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Iesum ait, Aue Rabbi, & osculatus est eum. Dixit illi Iesus, Ad quid venisti amice? Tunc accesserunt, & manus iniecerũt in Iesũ, & tenuerunt eum. Et ecce vnus ex his qui erant cum Iesu, extendens manum exemit gladium suum, & percussit seruum Principis Sacerdotum, & amputauit auriculam eius. Tunc ait illi Iesus, Conuerte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Contumeliosum me dicas necesse est, cum audieris, quia si gladio vtaris, sis periturus gladio. Aut nunquid non es vsus gladio Christianorum? Si nullum gladio interemisti, si nullum ad mortem vsque persecutus es, cum Dei vnicum Filium, verum Filium esse fuerit confessus, cum Apostolicã atque Euangelicã tenuerit fidem, cum non esse Arrianus voluerit, poteris non perire gladio? Audis enim dictum beato
Petro & vtique à Deo Dei vnico Filio, omnis qui gladio G
vtitur, quod gladio sit periturus. Contumeliosus, sũ quia dixerim tibi, Christianis non licet interficere quemquam, quia pati, non facere iniuriam, decet Christianos: debes etenim pro Christo interfici, non Christianos se clamitantes interficere. Hæc nobis dedit mandata Dominus, si custodita fuerint, tunc Christiani esse perseuerabimus. Contra tu cum gladio digneris eius persequi seruos, non te vtique iam Christianum poterimus nuncupare, sed planè latorem vel gladiatorem. Intereà quoniam recitauimus, quomodo coamens tuus Iscarioth Iudas tradiderit Dominum, isto in loco eius penitùs retractemus sacrilegij causas, & tuas, & inuenies vnum vos esse, te & Iudam Iscariothem. Ille tradidit Dominum Iudæis, quia non fuerat credens, nisi quomodo sit nunc credens consćotinus tuus Smyrniensium, qui dicebatur ac dicitur indignè Photinus. Tu tradidisti eum, & quidem toti orbi, vt cuncti eius possint negare Diuinitatem. Quis vestrûm in scelere maior est? Ego arbitror quia tu. *Omnis enim qui pec-* Luc.12.
cauerit in filium hominis, dimittetur ei: qui autem blasphe- H
mauerit in Spiritum Sanctum, non dimittetur ei, neque hic, neque in futuro. Et tu Deitatis illius, [99] vt cuncti possent 99
eam negare, extitisti traditor. Quantum enim apud te est, tradidisti eum, de quo & libros scriptos dedisti, & prædicatores benigni voti tui omni in loco constituisti. Quem, quo faciliùs possent omnes negare illum verũ esse Dei Filium, Apostolicam atque Euangelicam contra vos hæreticos apud Niciam descriptam Fidem, fecisti iudicare hæreticam, & blasphemiam tuam fecisti dici Catholicam: Et tamen iste Iudas qui eum tradiderat, videns
in suæ salutis se operatum necem, *pœnitentiâ ductus retu-* Matt.26.
lit xxx. argenteos Principibus Sacerdotum & Senioribus dicens. Peccaui, quod tradiderim sanguinem iustum. At illi dixerunt, Quid ad nos? Tu videris. Et proiectis argenteis in templo, secessit, & abiit, & laqueo se suspendit. Ille licet vno monumento pœnituit, & pretium quod acceperat reddidit, tu quid tale? quid conuentus piaculum te facere ab eius seruis, non solùm non pœnitueris; sed & magis in contumaciam creueris: tu quid tale? qui sis dans om-

A nes copias regni tui vt possis sacrilegium tuum firmare, qui quos alio modo corrumpere non potueris à veritate, nonnullos ingenti præmio facultatum tuarum corrupe-
100 ris, qui certum numerum egenorum ita locupletaueris, vt [100] comitibus tuis de diuitiarum magnitudine possint æquari. Iudas posteaquam facinus suum aduertit, laqueo finiuit vitam: tu qui pro magnitudine maleficij tui maiori mereris plecti supplicio, quid eris acturus cum malè te fecisse, serò licet, cognoueris? cum ea quæ nunc possunt conspicere minimè suppurati veneno hæretico oculi tui videre cœperint? & tamen si velis credere, dimittatur tibi necesse est id, quod ignorantiâ geris, sicuti dimissum beato Paulo Apostolo aduertis: sin verò, sic eris vt Iudas descensurus ad infernam noctem, tunc dicturus eis, qui te nunc hæc facere compulerunt, hoc est coarrianis tuis. Peccaui vobiscum, negans vnicum Dei Filium. Peccaui tribuendo vobis auctoritatem ad eius æternam negandam clementiam. Tunc cum cognoscere cœperis
B Patris & Filij & spiritus Sancti vnam nos rectè confiteri æternitatem, cum videre cœperis quod vna sit magnitudo vnaque potentia in Patre, & in vnico Filio eius, & in sancto Paracleto Spiritu, vbi tunc erunt qui te impulerunt ad hoc perpetrandum sacrilegium, vt dicas ad eos, Pœnitet me quia vobiscum Dei inimicis cucurrerim, quia vobiscum fuerim persecutus Dei domum? tecum erunt sine dubio in gehenna, vbi tunc diuitiæ regni tui, quæ tibi non ad salutem, sed proficiunt ad æternum tuum interitum? Optamus quidem, vt tibi salutis tuæ inimico dignetur reuelare Deus veritatem, emetgásque è tantis periculis. Cæterùm quantùm in scelere sis eminentior ab Iscarioth Iuda, non est laboris æstimare, quandoquidem tu ad eius Diuinitatem negandam omnem conuocaueris orbem. Iudas verò solis illis Dominum tradiderit, qui in eum necdum crediderant. Tu contrà, etiam eos prouocare dignatus es ad negandam eius Deitatem, quia iam crediderant. Iudas nulli vim intulit vt secum periret, tu
C contrà, cum militati manu sis pugnans contra nos, quos cognoscis credere, quo modo Patriachæ, Prophetæ, Apostoli, ac Martyres crediderint: vtique quantùm distet inter te atque Iudam non est magni laboris perpendere. Dicis me contumeliosum, qui & me, & mihi commissos sim cupiens non tuâ pestiferâ doctrinâ vulnerari, quia dicam tibi morbo te plenum, & idcircò esse vitandum à
1.Cor. 11. Dei seruis, ne iam ipsi morbidi effecti, vnâ hâc tuâ pereamus peste. *Vtinam*, inquit Corinthiis Apostolus, *sustineretis pusillum insipiētiæ meæ, sed & supportate me. Æmulans enim vos Deo æmulor. Statui enim vos vni viro Virginem castam exhibere Christo. Timeo autem ne sicut serpens Euam seduxit astutiâ suâ, ita corrumpantur sensus vestri à castitate quæ est in* CHRISTO IESV. Idcircò tibi videor esse contumeliosus, quia sim timens, ne per blasphemias tuas corrumpas castitatem quam habemus in CHRISTO IESV, quia sumus metuentes ne sicut serpens charissimus tuus Euam seduxit astutiâ suâ, sedu-
D cas nos à Deo, & facias reos mortis. Dicis me contumacem, quia dicam te operarium dolosum Pseudochristianum. Non sunt primum per me aduersum te prolata. Audis etenim beatum Apostolum operarium te designasse dolosum Pseudoapostolum. Nam eiusmodi Pseudoapostoli sunt operarij dolosi, transfigurantes se in Apostolos Christi. Nec mirum: ipse enim satanas transfigurat se sicut Angelus lucis: non magnum si ministri eius transfigurentur, sicut ministri iustitiæ, quorum finis est secundum operationem ipsorum. Hinc tibi videor esse superbus, quia dicam te cognoscens ex actibus tuis ex illis esse, quos tales futuros Spiritus sanctus per Apostolum præostenderit. Si non es tu operarius dolosus, reuince
101 me. Ego enim scio quod fingis te Christianum, cum Arrianus sis: omnes nos volueris seruos cuius tu miles es, facere: si non es operarius dolosus, tu proba nos; etenim videmus in quibusdam pium te fingere, cum omnem exerceas in nos Christianos impietatem tuam. Si non es tu operarius dolosus, quomodo fingens pacem te firmare, conatus fueras ad omnem Dei Ecclesiam destruendam, ad pacem ei per vnicum Filium traditam dissoluendam? Neque enim pacem Domini habere possim exin- E
de, ex quo fecissem id, quod mihi iubebas contra Domini præceptum: Ex quo ipsum denique vnicum Dei Filium, vt tu negas, cœpissem negare: si non transfiguratus es in Apostolos Christi, qui tanquam verè ad te omnis cura Ecclesiæ pertineat, sic sis sollicitus videlicet, ne quis alicubi Catholicus præsit Ecclesiæ Episcopus, ne quis relinquatur, qui se possit fateri Christianum. Tollis Episcopos Catholicos, ordinas hæreticos, scribis horrendas comminationes ne fortè oriatur seditio: vtique qui ignorat, arbitratur te, dum hæc agere conspicit, esse Christianum: nos contra, qui instruente Apostolo beato cognoscimus transfigurasse te in Angelum lucis Satanam, qui hæc cuncta aduersum Ecclesiam sanctam per
te gerit, mirari non possimus, si te ministrum eius conspi- 102
ciamus, si velut iustitiæ transfiguratum ministrum: [102] hortamur vt temet conuertas ad hoc quo possis credi Dei seruus, quo possis iudicari & intelligi Christianus. Quoties dicitur à nobis tibi, non potuisse Dei vnici Filij
negatorem existere, nisi quia sis aduerso plenus spiritu, F
dicere es solitus, quod enim tibi iniuriam faciamus, & quamuis rem hanc plurimis in locis iam probauerim, immundis spiritibus instigantibus corda vestra, vos venire
contra Dei familiam. Adhuc in actibus Apostolorum su- Act. 16.
me quæ acciderint. *Factum est autem euntibus nobis ad Orationem, puellam quandam habentem spiritum Pythonis occurrere nobis, qua redditum multum præstabat dominis suis diuinando. Hæc subsequuta Paulum & nos, clamauit dicens: Hi serui Dei excelsi sunt, qui prædicant nobis viam salutis. Hoc autem faciebat per multos dies: quod cum indoluisset Paulo, conuersus ad spiritum ait, præcipio tibi in nomine* IESV CHRISTI *vt exeas ab ea: & exijt eadē horâ. Videntes autem Domini eius quia exijt spes redditus eorum, apprehensum Paulum, & Silam, extraxerunt ad forum ad magistratus, & obtulerunt eos dicentes: Homines hi conturbant ciuitatem nostram cum sint Iudæi, & prædicant sectam*
quam non licet nobis recipere nec facere, cum simus Romani. G
Et consurrexit vniuersa turba aduersus eos, & Magistratus scissis tunicis eorum, iusserunt eos virgis cædi, & cum multas eis imposuissent plagas, miserunt eos in carcerem, præcipientes custodi carceris diligenter seruare eos: qui cum tale præceptum accepisset, misit eos in imum carceris, & pedes eorum strinxit ligno. Circa mediam autem noctem Paulo & Sila orantibus, & hymnum canentibus Deo, audiebant eos cæteri vincti. Repentè autem terræ motus factus est magnus, ita vt concuterentur fundamenta carceris, & ostia aperta sunt, & omnia vincula soluta sunt. Expergefactus est custos carceris, & cum vidisset ostia carceris aperta, exemit gladium vt se interficeret, existimans fugisse vinctos. Exclamauit autem Paulus voce magnâ dicens. Nil tibi mali feceris: omnes enim hîc sumus, quo audito custos carceris petit lumen, & ingressus est, & tremens procidit ad pedes Pauli & Silæ, & cum produxisset eos foras, ait: Domini quid me oportet facere vt saluus sim? At illi dixerunt, Crede in Deum IESVM, *& saluus eris tu, & domus tua, & lo-*
cuti sunt ei verbum Domini cum omnibus qui erant in domo H
eius, & sumens eos ipsâ horâ noctis lauit eorum plagas, & baptizatus est ipse cum omnibus suis, & ducēs eos in domum suam, apposuit eis mensam, & lætatus est cum vniuersa domo sua, credens in Domino. Igitur vt ille spiritus Pythonis audiens nomen Domini IESV CHRISTI mox effugatus est de domo sua, concitauit vniuersum populum ciuitatis aduersus vnici Filij Dei maiestatis Prædicatores, ita & te cum tuis contra nos eius seruos illi impuri spiritus concitauerunt. Nec dubites te iisdem agi spiritibus, quibus fuerint acti contra Paulum & Silam surgentes, quando te sic D. I Religionis factum videas persecutorem, vt illud vulgus fuerit, quod necdùm credidisset in Dei vnicum Filium: quod non aliundè tales, nisi quia sine Spiritu fuerint Dei, vt tu quoque esse probatis. Spiritum etenim te habere sanctum non posse, nisi credideris in Dei vnicum Filium, custodis istius carceris factum manifestat, qui cum vtique vnus fuerit è populo illo resistenti, tamen factum est, posteaquam credidit, quia iam regeretur Spiritu, quo regerentur Paulus & Silas, vt non

poterit

A potuerit nisi viam tenere eorum, propter quos viderat ianuas sponte carceris reseratas. Ita tu qui nunc diuerso ageris spiritu, nisi credideris in vnicum Dei Filium, sicut etiam nos credimus, habere in te non poteris nisi aduersarij nostri spiritum. Ait etenim ille custos ad gloriosos
Act.16. Paulum & Silam, *Domini quid me oportet facere vt saluus sim? At illi dixerunt, Crede in Dominum nostrum Iesum, & saluus eris tu, & domus tua.* Constat igitur non te esse saluum, quia adhuc non credideris in Dominum Iesum. Nec enim poteris te asseuerare credidisse in eum, cum sis eum persequens. Aut nunquid arbitraris, non te ipsum persequi in nobis? si non ipsum persequeris in nobis, quo-
Act.9. modo ipse dicit ad Saulum, *Quid me persequeris? Durum est tibi calcem mittere contra stimulum.* Quid agebat Saulus vt hæc audiret à Domino? Nempe hæc quæ tu: sic etenim ille negabat vnicum Dei Filium, vt sis negans tu. Non enim Paulus tunc persecutor, postea verò qui perpeti cœperit persecutionem, idcircò Christianos perse-
B quebatur, quia credidissent sicuti tu credis, quod fuisset quando non fuerit, quod factus fuerit ex nihilo, & quod verus sit Filius: sed vtique quod auderent vnicum Dei Filium confiteri, quod credere se astruerent Christiani, quia æternitas vna sit Patris & Filij, quia vna sit Deitas, quia vna sit Potentia in Patre & Filio. Hæc execrabatur Paulus, existimans errare Christianos: at vbi illustratus est per eum quem negabat, vbi cognouit de libris Moysis, & de omnibus Prophetarum voluminibus, confestim hæc cœpit quæ impugnabat defendere, quæ scilicet defenderent illi, quos persequebatur antequam credidisset. Cæterum qui tam vecors erat, vt estis vos Arriani, aut est Photinus Smyrniensium, qui verè dicitur Scotinus, vt crederet in creaturam, in eum qui fuerit, quando non fuerit, in eum qui creatus sit ex nihilo? Apparet igitur cunctos vos non credentes, sicut credit Ecclesia gloriosa, spiritu duci aduerso, de quo aduerso spiritu liberari non poteris, nisi credideris verum illum esse Filium Dei. Contumeliam, inquis, faciunt mihi Episcopi. Cur tibi vi-
C demur contumeliosi? nempè quia dicamus, Quid te Christianum fingis? Videris etenim esse Arrianus, videris esse Dei Religionis hostis. Hinc apud te ac tuos esse iniuriosi videmur. Sed conspice quæ vt ageremus Episcopi, contra
Act.20. vos lupos fuerit locutus beatissimus Apostolus. *Vos scitis à prima die quâ ingressus sum Asiam, quemadmodum vobiscum fui per omne tempus seruiens Domino, in omni humilitate & lachrymis & tentationibus, quæ mihi acciderunt ab insidiis Iudæorum, quomodo nihil subtraxerim ab eis quæ vtilia essent. Quomodo renuntiarem vobis, & docerem publicè, & per domos testificando Iudæis & Græcis in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Iesum, & nunc ecce vinctus spiritu vado Ierusalem, quæ in ea mihi euentura sunt ignorans, nisi Spiritus Sanctus per omnem ciuitatem protestatur mihi dicens, Quia vincula & tribulationes me manent in Ierosolymis: sed pro nihilo æstimo animam meam cariorē esse mihi, quàm consummare cursum meum, & ministerium verbi quod accepi à Domino, testari Iudæis & Græcis Euangelium Gratiæ Dei, & nunc ego scio quod am-*
D *pliùs non videbitis faciem meam vos omnes, inter quos perambulaui in prædicando regnum Domini Iesu. Propter quod contestor vobis hodiernâ die, quia mundus sum à sanguine omnium, & non prætermisi prædicando omnem voluntatem Dei. Attendite vobis & omni gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Domini, quam acquisiuit sanguine suo: ego scio quia intrabunt post discessum meum lupi rapaces in vos, non parcentes gregi, ex vobis ipsis exsurgent homines, & loquentur peruersa, vt abducant discipulos post se. Propter quod vigilate, memoriam tenentes, quia per triennium nocte ac die non cessaui cum lachrymis monendo vnumquemque vestrûm.* Cum hæc mandata videas esse Apostoli, quid me iubes facere, ne contumeliosus esse videar tibi, nempè tacere me, & sinere iubes vt tu vnus ex illis lupis designatis grauibus, quouis modo grasseris in Dei gregem? Videmus vos lupos, quos præostendere est dignatus Spiritus Sanctus per vas electionis Apostolum omnem comprehendere conatos Dei gregem, & nos Episcopos, quos Spiritus Sanctus ad re-
gendam Dei Ecclesiam, constituerit, dicit B. Apostolus; E
debemus tibi lupo parcere; debemus veteri regni tui 103
diadema, inaurem etiam, & dextrocheria, debemus insignes quas esse censes vestes tuas honorare, & despicere rerum Creatorem atque Rectorem? Quis te imprudentior est, vt dicas iniuriam patior à Lucifero, Imperator ab homine egeno, nec digneris dicere ab Episcopo, quia esse lupus fueris agnitus, & merueris repulsam. Tali putasti me onerandum inuidiâ, vt asseueres Dei seruum tibi Imperatori extitisse contumeliosum. Si putas nos iniuriosos, accipe quid responderit Principi Sacerdotum prohibenti prædicare vnicum Dei Filium beatus Paulus.
Intendens, dicit Scriptura, *in concilium Paulus, dicit: Viri* Act.23.
fratres, ego omni conscientiâ bonâ conuersatus sum coram Deo vsque in hunc diem: princeps autem Sacerdotum Ananias circumstantibus se præcepit percuti os Pauli: Tunc Paulus ad eum dixit: Percutere te incipiet Deus; paries dealbate, & tu sedes iudicare de me secundum legem, &
contra legem iubes me percuti. Igitur si non potest sacra F
Lex beatum Paulum contumeliosum iudicare; quia hoc dixit iniusto iudici, nec tu me vera tibi, & quod es dicentem, iustè poteris dicere superbum. Reum me contumeliarum designas, sed quæso te dicas, cui de me possis conqueri? Si Deo, quomodo ei quæreris quem sis ignorans? Quomodo cum alienus sis ab eius domo? si verò tibi metipsi conquereris, quid facturus homo; qui nocere Dei seruis ex nulla possis parte? Si torqueas; magis curamur: si crucias, magis reficimur: si interficis, magis viuemus. Cum audeam te dicere Antichristi præcursorem, dicis me iniuriosum, proba si non te actus tui hoc esse ostendunt. Considera cum ingenti sollicitudine sanctissimi etiam Prophetæ Danielis librum, & inuenies te vnum ex illis præostensis persecutoribus Dei Religionis
In primo anno Balthassar Regis Chaldæorum, Daniel som- Dan.7.
nium vidit, & visio capitis eius in cubili eius, & somnium suum scripsit. Ego Daniel videbam, & ecce quatuor venti cœli pugnabant in mari magno, & quatuor bestiæ grandes G
ascendebant de mari, altera alteram magnitudine antecedens, prima vt leæna, & alas habebat aquilæ: aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra; & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei, & ecce alia bestia similis vrso, & in vna parte stetit; & tria latera in ore eius, & in medio dentium eius, & sic dixit ei, surge & manduca carnes multas. Post hæc aspiciebam, & ecce alia bestia vt leopardus, & ei alæ quatuor volucris super eam, & quatuor capita bestiæ, & potestas data est ei. Post hæc aspiciebam; Et ecce bestia quarta horribilis, admirabilis, & fortis vehementer, dentes eius ferrei, manducabant & comminuebant, & reliqua pedibus suis conculcabant, & hæc bestia maior cæteris bestiis quæ antea visæ sunt, & cornua decem ei, & intendebam in cornua eius, & ecce cornu aliud minus ascendit in medio eorum, & tria cornua eorum quæ erant ante eradicata sunt à facie eius: Et ecce oculi hominis in cornu hoc, & os loquens magna: videbam quoad vsque sedes positæ sunt, & vetustus dierum sedebat, vestitus eius albus vt nix, & capillus capitis eius vt lana mun-
da, & sedes eius flamma ignis, rotæ eius ignis ardens, flu- H
uius ignis lucebat ante eum, millia millium seruiebant ei, & dena millia denum millium astabant ante eum: in iudicium sedit, & libri aperti sunt. Videbam tunc à voce sermonum magnorum, quos cornu illud loquebatur, quoadvsque interiit bestia, & periit, & corpus eius datum est vt combureretur, & reliquarum bestiarum regnum translatum est, & longitudo vitæ data est eis vsque ad tempus: videbam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli vt filius hominis veniens venit vsque ad vetustum dierum: anticipauit & oblatus est ei, & datum est ei regnum, & honor, & imperium, & omnes populi, tribus, linguæ seruient ei, & potestas eius potestas perpetua, quæ nunquam transibit, & imperium eius nunquam corrumpetur. Horruit spiritus meus in habitu meo, & ego Daniel territus sum in eis, & visus capitis mei conturbabat me, & accessi ad vnum circumstantium, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his, & dixit mihi veritatem, & interpretationem sermonum declarauit mihi: Hæ bestiæ quatuor magnæ, quatuor sunt regna quæ surgent in terra, &

accipient

A *accipient regnum sancti altissimi Dei, & obtinebunt illud vsque in sæculum: & quærebam diligenter de bestia quarta, quod erat præter cæteras bestias horribilis valde, dentes & vngues eius ferrei, manducabat & comminuebat, & reliqua pedibus suis conculcabat, & de cornu eius decimo, quod erat in capite eius, & de altero cornu quod ascendit, & priora tria cornua excussit, cuius oculi & os loquens magna, & visus eius maior cæteris videbatur, & cornu illud faciebat bellum cum sanctis, & praualebat aduersus eos, quoadvsque aduenit vetustus dierum, & iudicium dedit sanctis altissimi Dei, & anticipauit tempus, & regnum obtinuerunt sancti. Et dixit bestia quarta, Quartum regnum erit in terra, quod eminebit super omnia regna, & manducabit omnem terram, & conculcabit eam, & concident decem cornua eius. Decem reges exurgent, & post eos exurget alius qui superabit malis omnes qui ante eum fuerunt, & tres humiles faciet, & verba aduersus altissimum Deum loquetur, & sanctos altissimi Dei conteret, & excogitabit mutare tempora & legem, & dabi-*
B *tur in manu eius vsque ad tempus temporum, & dimidium temporis, & iudicium sedebit, & regnum transferet, vt exterminet & perdat vsque ad finem, & regnum, potestas, & magnitudo regum data est sanctis altissimi Dei, & regnum eius sempiternum, & omnes ei seruient & obedient.* Debueram quidem tantùm illam partem indere, quæ te declarat per actus tuos, quomodo sis similis bestiis: sed vt scires te in illa gehenna futurum in qua bestiam illam missam refert gloriosus Daniel, nisi te correxeris, & quomodo quos persequeris in æternum sint regnaturi in regno collocati Domini: quo aduertere posses hæc omnia annectimus: item ad hoc vniuersam reuelationem censui applicandam, quo tu tibimet & saltem legens satisfacere posses. Quod enim vos tyranni persecutores Dei Religionis bestiæ fueritis dicti, cupiens etenim sum me purgare apud tuam infectam venenis Arriani dogmatis conscientiam, apud te non Religiosum, sed Religionis destructorem: non me vt astruis esse contumeliosum, quia dicam te feram bestiam, vel immanem belluam, cum vi-
C deas sic vos vocitari iuxta facta vestra, vobis etiam nomina applicata. Cæterùm quartæ illius bestiæ te gerere similitudinem, te hæc implere esse cupientem quæ illa, prædictum est, quod esset impletura, manifestum est. Scriptum est de Antichristo cui tu assimilaris, aut ipse
Dan.7. esse iudicaris: *Verba aduersus altissimum Dominum loquetur, & Sanctos altissimi Dei inueterabit, & excogitabit mutare tempora & legem, & dabitur in manu eius.* Hæc tu iam fecisti atque es faciens. Cum enim dicis, Non est verus Deus Filius Dei, sed factus est ex nihilo, verba loqueris aduersus Deum. Christiani etenim cum vnam vendicemus Diuinitatem Patri & vnico Filio eius, & tu sis hanc nostram impugnans defensionem, sis astruens, de Filio quod fuerit quando non fuerit, & quod factus sit ex nihilo; vtique probas te aut esse Antichristum, aut certè eius præcursorem. Neque enim alius esse poteris intelligi, nisi aut præcursor Antichristi aut Antichristus, qui audeas Apostolicam Euangelicamque hæreticam dicere fidem, & tuam tenentes blasphemiam, Catholicam
D fidem vindicare. Iniuriam te pati sentis, quia bestia esse dicaris à nobis: inueniris excogitare fidem mutare, hoc est, vt non ita credamus quomodo Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli ac Martyres crediderint, sed institueris sic credendum, quomodo comperditus tuus Arrius: & dicis non te rectè dici bestiam, cum quia hæc esses acturus, bestiam te esse dixerit sanctissimus Propheta. Non minor es, Constanti, incredulitate ab Antichristo: nam dentibus ferreis Dei seruos deuorando non desinis. Quid plura? nil Antichristus acturus est, nisi vt negetur vnicus Dei Filius: hoc agit stultitiâ saginatus immundissimus animus tuus. Sed quantumvis sæuias, transient tempora tua, & venient illa in quibus visurus es te, nisi tibi consulueris, in illo igneo fluuio constitutum, visurus tunc eos quos infestè persequeris; proptereà quod nolint perire tecum, non in illo in quo tu futurus es loco tormentorum, sed cum Angelis sanctis gratias & laudes referentes semper Deo: te verò in illo liquore flammeo. Nolo mireris, si Daniel gloriosus te bestiam esse

E designârit, quando & Paulus beatus de collectis tuis dixerit Cretensibus, *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* Et infrà: *Quamobrem increpa illos acriter vt sani sint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis, & mendaciis hominum auersantium se à veritate.* Hinc Tit.1. tibi Episcopi sumus iniuriosi, quia te increpemus atque obiurgemus, cur fueris ausus auertere temet à veritate, cur volueris Dei mandatis derelictis, hominum hærere blasphemiis atque mandatis, cur deniquè derelicto Deo idololatriam susceperis. Hinc tuus tibi inimicus esse videor, quia velim te gradi secundum Apostoli præceptum, & non secundum Arrij, atque Iudæorum mandata, contra has nostras iustissimas allegationes. Videns te veritate superatum dicere es solitus, sacræ scripturæ præcipiunt Regibus & omnibus degentibus in sublimitate debere te esse subditum, & audes tanta ac talia mihi ingerere Lucifer? Hæc conspicis, huiusmodi quæ te iubent honorari intelligis: quæ verò te iubent
F facere, illa fingis non nosse: illa, quæ te moneat Dominus nempè Sacerdotibus obedire, illa quæ vrgeant vnum te exhibere ex omnibus conseruis tuis oportere, nec cuiquam te, si velis Dei inueniri seruus, superiorem dicere. Hæc, inquit Tito beatus Apostolus, *Loquere,* Tit.2.
& exhortare, & argue cum omni imperio: nemo te contemnat. Si Christianus es, quia & tu vnus sis de illis propter quos dixerit, Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio: nemo te contemnat. Vtique me cum omni te corripientem imperio audire debes non contemnere: tunc eris Christianus si me non contempseris hortantem te, vt perseueres Christianus: si verò contempseris, iam non de Christianis esse inueniris, quia si fuisses Christianus, non contempsisses eum quem Deus ordinâuerit ad instruendam plebem suam, & eum cui Apostolus dixerit, *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio: nemo te contemnat.* Quid enim te hortor, nisi vt non sis homicida, vt Dei non persequa-
G ris domum, vt desinas torquere, proscribere, deportare, recludere carcere, trucidare, variè dispendere, interficere eos, quos cernas Christianos? vt desinas denique blasphemare vnicum Dei Filium, vt Apostolicam suscipias, quam hæreticam dicis fidem: hanc scilicet nostram, quam apud Niciam te contra & cunctos hæreticos Episcopi descripserunt: vt sis credens sicuti nos, dignerísque respuere idololatriam per Arrium magistrum tuum institutam, vt Christianum te clamites, non Arrianum: [104] vt designas crimina falsa Dei mittere Sacerdotibus: hæc est correptio mea, hæc obiurgatio. Apostolus mihi dicit vt te arguam cum omni imperio, & tu dicis. Facit mihi iniuriam Lucifer, & non dicis, Dei Sacerdos commonet atque hortatur secundum sacræ legis præcepta, vt possim ducere vitam Deo acceptissimam. Nam quia dicas debere nos tibi obsequia, scito quia non tibi soli, sed & omnibus nos in sublimitate degentibus in obsequiis repræsentantibus, esse nouimus debitores. Dicit enim Apostolus, *Admone il-* Tit.3.
los Principibus & Magistratibus subditos esse, obedientes, ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare,
H *non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines. Fuimus enim & nos aliquando stulti & increduli, errantes, seruientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes alterutrum: sed cum benignitas & humanitas illuxit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ nos fecimus, sed secundum suam Misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis, per Spiritum sanctum quem effudit in nobis honestè per* IESVM CHRISTVM *Saluatorem nostrum, vt iustificati gratiâ ipsius hæredes efficiamur secundum spem vitæ.* Admonet ergo subditos nos debere esse in bonis operibus non in malis. Si bonum est opus vt absentem interimamus, vt inauditum purgare se proclamantem necemus, vt eum quem innocentem scimus omittentes omnem respectum misericordiæ tecum puniamus: si opus bonum est negare Dei vnicum Filium, si opus Deo acceptum est Apostolicam deserere fidem, suscipere hæreticam,

reticam,

A reticam, meritò diceres contra sacrarum facere me Scripturarum monita. Addo illud, quod illorum Principum & Magistratuum Apostolus fecerit mentionem, qui nec dum credidissent in vnicum Dei Filium, vtique humilitate nostrâ & mansuetudine, & longâ in aduersis patientiâ; & maximâ in reb. congruis obedientiâ fuissent prouocati ad credendum. Cæterùm si tu quia Imperator sis, fingens te vnum è nobis, cogas nos Deum derelinquere, & idololatriam suscipere, numquid acquiescendum tibi erit ne Apostoli prætermissa fuisse videantur præcepta? Et tamen tu qui te fingis Christianum, Christianos testaris quod ipse sis facere, hoc est apostatas, tu qui adhuc stultus sis, & incredulus, permanens in malitia tua, in qua & nos fuisse ante agnitionem, ante susceptam sacram fidem Apostolus dicit: in quib. tibi temperaturi eramus, nisi vt quæ licita essent impleremus; aut cum dicas tu blaspheme homicida; necate credentes in vnicum Dei filium, estote mecum persecutores domus eius, mecum negate B eum, Apostolicam respuite fidem, suscipite hæresim meã, cuius ego omnibus virib. cordis mei extiti amator. Quis te infœlicior est, vt non te vitet? Nonne te hæc facere suadentem, dæmonum templum esse cognoscens, fugiat? quia hæc audis, dicis, iniuriam patior à Lucifero homine misero, & vtique Imperator. Non subsequitur sermo ille tuus blasphemus, conspurcatus. Audio quæ mereor à Lucifero Domini Sacerdote. Galathis, vas electionis dicit, Ad Gal.1 *Miror, inquit, quod sic tam citò transferamini: quis vos vocauit in gratia, in aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi? sed licet nos aut Angelus de cœlo Euangelizauerit præter id quod Euangelizauimus vobis, anathema sit, sicut prædiximus, & nunc iterum dico, si quis vobis aliud annunciauerit quàm quod accepistis, anathema sit.* Et tu arbitraris aliud posse te indicari à me, nisi anathema esse, cum inueniam te aliter Euangelizare, quam tradiderunt beati Apostoli. Cum itaque audis à me quod anathema C habeam te Euangelizantem aliter quam Euangelizarunt Apostoli: si dicas me iniuriosum, mentiri te cognoscere, aliquid hominis gestans, poteris, siquidem videas tibi me idcircò dicere anathema, quia iam beatus Apostolus te anathematizauerit: iniuriosum me iudicas, quia dicam te stultum: Sed quomodo potero rectè à te iniuriosus vocari, quando constet me verum dicere, quod enim sis stultus? Si enim Galathæ audiant, ô stulti Galathæ, à beato Apostolo, cur putes tu non stulti debere te nomine vocitari? Illi etenim si propterea quod falsis fratribus obtemperassent, quia ad illorum conserpentinorum tuorum suggestiones intendentes, & sabbatha seruare se oportuisse, & circumcisionem fuisse custodiendam censuerant, sunt stulti dicti; quantò magis tu dignè diceris stultus, qui vnici Dei Filij negator extiteris? Quia dicam tibi, eripe te à canibus rabidis Arrianis, dole tibi quòd illorum maligno hærendo concilio & ipse canis factus, contumacem me dicis; sed fortassis ignoras vnici Dei Filij negatores dictos canes, dictos tauros pingues, dictos filios iniquitatis, semen adulterum & meretricis, filios perdi- D tionis, & semen iniquum. Si vos fugitis ita vocitatos à Deo, audi per Isaiam ipsum dicentem ad comblasphemos Isa 57. tuos Iudæos: *Accedite huc filij iniquitatis, semen adulterum & meretricis, in quo delectati estis, & in quem aperuistis os vestrum, & aduersus quem immisistis linguam vestrã, nonne vos estis filij perditionis, semen iniquum?* Et alio loco, Isa. 56. *Videte quia omnia excæcata sunt, non cognouerunt sapere, omnes canes muti, qui non potuerunt latrare, somniantes in cubili, amantes dormitare, & canes improbi, anima nescientes satietatem, & sunt nequam, nescientes intellectum, omnes* Psal.21. *vias suas secuti sunt.* Quinam hi sunt ad quos hæc, vel propter quos dicantur? nempe illi quos in vigesimo primo Psalmo inculat vnicus Dei Filius ore Dauid dicens: *Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt in me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.* Et infrà, *Circundederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me, foderunt manus meas & pedes meos.* Quando itaque illos in sacrilegio magistros tuos, dictos vitulos, tauros pingues, atque canes aduertes, non poteris

tu vnus ex malignantium concilio contumeliosum me iudicare, quia illis te nuncupem nominibus, quibus compestilentes tui vocati sunt ac vocantur. Neque enim tu minor es in nequitia, qui audeas dicere, Erat quando non erat, & factus est ex nihilo, vt non illis aptis tibi nominibus nuncuperis. Sed vis his non nuncupari nominibus? muta vias tuas; corrige errores tuos, vt correxerunt Paulus beatissimus, & cæteri ex illo perfido populo. Quia dicam tibi, Eripe te à malignantium concilio, videor esse tibi contumeliosus. Qua de re? nempe quia profitear me Christianum, quia noluerim derelinquere Deum, & abire post idololatriam tuam. Non nos primum contumeliosi ac superbi à vobis dicti sumus sacrilegis; dicti sunt enim etiam illi cuncti qui restiterunt funestis edictis contyrannorum tuorum, vt & cæteros prætereant in clausula orationis, ad solum iterùm me vertam Antiochum Regem. Iudicabâtne resistentes sibi, contumeliosos, superbos, an non? sine dubio quia contumeliosos superbos illos existimârit fuisse, tali est crudelitate Deo dicatos ad mortem vsque persecutus. Restat ergo vt videas, quæ adhuc super illa, quæ iam cognouisti gesserit Antiochus, & si illos rectè poteris dicere superbos fuisse Antiocho, contumeliosos poteris & nos. Hæc etenim & nos patimur à te, quæ sunt & illi perpessi ab Antiocho; sic nos sumus proclamantes pro Fide, pro Religione, sicut fuerunt proclamantes & illi: Sic nos Deo Abrahæ, Deo Isaac; Deo Iacob seruire profitemur, quomodo & illi sunt confessi. *Misit,* 2.Mac.6. inquit Scriptura, *Rex senem Antiochenum qui compelleret Iudæos, vt se transferrent à patriis & Dei legibus ne vterentur; contaminare etiam quod in Hierosolymis erat templum, & cognominare Iouis Olympij, & Margarizin, prout erant hi, qui locum inhabitabant Iouis hospitalis. Pessima autem & vniuersis grauis malorum erat seditio. Nam quia templum comessationibus gentium erat plenum, scortantibus cum meretricibus, & in sanctis tectis mulieribus se appropiantibus, insuper intrò inferentes ea quæ non oportebat, altare etiam plenum erat illicitis quæ legibus prohibebantur. Neque autem sabbatha agebantur, neque dies solemnes patricij custodiebantur,* & infrà: *Ducebantur autem cum amara necessitate per singulos menses, in die Regis natalis ad sacrificia, & cum sacra Liberi celebrarentur, cogebantur enim hederas habentes Libero circumire. Decretum autem exiit in proximas Gentiliũ ciuitates suggerentibus Ptolomeis, vt id ipsum institutum aduersus Iudeos agerent & sacrificarent: Eos verò qui nollent transire ad instituta Græcorum, interficerent: Aduenit ergo videre miseriam. Duæ enim mulieres delatæ sunt natos suos circuncidisse, quarum infantes ad vbera suspenderunt, & cum publicè per ciuitatem illas circumduxissent, per murum illas præcipitauerunt: alij verò in proximas cucurrerunt in speculas & latenter septimum diem celebrabant. Quod cum indicatum esset, sufflammati sunt, eo quod metuerent in die solemni gloriosa ferre sibi auxilia.* Quid censes oportuisse facere tunc cultores Dei? Deo oportuerat an Antiocho placendum? Si illos non censes Antiocho placere oportuisse, nec nos vtique tibi, quia & tu alio licet modo, tamen nos sic cupiens tollere à Deo, & iungere diabolo, vt ille voluerit illos: ipsa per te crudelitas geritur, sic sæuus atque iniquus in eos, qui tuo funesto edicto resistunt. Superest igitur, vt est sæpè dictum, doleas te errasse, agnoscénsque te esse homicidam atque blasphemum, temet, desertor Dei, repræsentes domui: alioquin tu tibi impuraturus cum te videre cœperis, illic esse, vbi nunc sunt cuncti illi contyranni tui.

Moriendum esse pro Dei Filio.

DEcuerat quidem, Constanti Imperator, nihil iam tecum de diuinis retractare Scripturis, cum eo videlicet quem veritatis compererimus interpolatorem, tecum quem de illis ex actibus tuis te comprehenderimus esse, qui idcircò dicantur sibi sapientes: quod enim sint insipientiæ iter tenentes, decuerat, vt diximus, post tanta illa quæ ingessimus iam præbere silentium, maximè cum scriptum meminerimus, *Noli respondere imprudenti* Prou.26. *ad imprudentiam eius, ne similis fias illi.* Et iterùm, *In aures*

A *imprudentis noli quicquam dicere, ne quando audieris, irrideat sensatos sermones tuos.* Sed quia adhuc de armorum tuorum potestate, & vana imperij tui dominatione † times, collegi plaudere. Quod enim possis quos ratione debueras in id quod censueras constituere, violare, in his omnibus quibus te putas magnum esse, te miserum, contemnique omnem carnificinæ tuæ rabiem à seruis Dei, volui isto præsertim libro notum sacrilegio funestatæ facere menti tuæ. Te enim cum temporali, caduco, fragili, corruptibili regno tuo transiturum, & ad æternam pœnam, nisi tibi dum est locus, prouideris, peruenturum: Christianos verò ad æternam venturos requiem, incorruptibile regnum consecuturos, fixum manifestumque habere te volumus. An defendere tentabis, quod enim per hanc hæresim tuam comprehensurus sis regnum cœlorum, tu qui cum compestilentibus tuis Arrianis, timens ne à nobis Christianis reuictus, manus dare aliquando clamante veritate ipsâ cogereris, disceptatione reiectâ, ad Virtutem confugiendum fragilium

† *Forte tumes.*

B Arrianorum tuorum censueris, tanquàm posses armis fragilibus immortalia dona consecuturos superare, inimicus diuinæ religionis, religiosos seruos Christi, præcursor antichristi, milites Dei eos, quos ad æternas Diuinitatis suæ perfruendas amicitias, vnicus est Filius Dei inuitare dignatus, dicens: *Beati estis cum vos odio habuerint homines, & maledicentes persequuti fuerint, & exprobrauerint, & dixerint aduersum vos omne malum: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra multa est in cœlo: sic enim persecuti sunt & Prophetas qui erant ante vos.* Hos tu omnibus impotens de gradu putasti pellere, hos prosternere, quos videas idcircò esse paratos pro vnico Dei interfici Filio: quod enim elegerint non vobiscum negatoribus torqueri apud inferos, sed cœleste consequi regnum, hos per inanem regni tui auctoritatem censueras temet superaturos, qui Dei templa esse ipsâ confessione fidei suæ clarescunt. Vt enim vos Arriani negando filium Dei, do-

Matth. 5.

C mos esse immundi spiritus, vocibus Prophetarum, Apostolorum, atque sacrorum Euangelistarum designamini. Itaque filium Dei confitemur, templa Dei esse ostendimus nos: milites Dei tuæ carnificinæ succumbere potuisse, crudelis atque sacrilega mens tua suggestionibus fauens cohæreticorum tuorum præsumpserat: nos quos templa sua dicit esse Deus sic, *Quoniam inhabitabo in illis, & inter eos ambulabo, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus.* Hos te vincere potuisse indicaueras, quos Apostolus hortatur tollere, Deumque portare in corporib. suis: hos te armis futilibus regni tui subigere potuisse fueras quidem arbitratus, sed perspicis in tuo palatio intra velum licet stans, tulisti responsum à me ad conseruandam salutem, omnes Dei seruos calcatâ friuolâ auctoritate tuâ, mente, voluntate, studio, virtute, voce consentire. Aduertis quomodo caduca dominatio tua quantò contra nos sæuire dignatur, quod tantò ea iudicetur esse infirma, contemptibilis, inanis, debilis, & abiecta: furore etenim & scelere concitata manus tua ad perimendos nos quoties

2. Cor. 6.

D præualuit, toties nos creuisse, & magis atque magis victores extitisse meminimus. Mactasti quamplurimos in Alexandria, laniasti certos toto in orbe, disperdidisti resistentes tibi variis in locis, sed hi omnes quod tu audire minimè vis, Martyres sunt: illos omnes beatissimos tuo mactatos gladio in Paradiso esse qui credimus: crede mihi quod à te statuerimus interfici, quia & meliùs esse viderimus in omnia æua Deum habere amatorem, quam te cum Iuda Iscarioth Iudæorum imitatorem puniri. Hinc est deuique, Constanti, quod frendores colubri per te illatos non timentes, subire parati sumus omne exitium; nunquàm nos consiliorum nostrorum pœnitere potest: Si per te mactati, quia adhuc tuis crudelib. restitisse videmur manibus, fuerimus: mors etenim quam nobis tu minitaris inferre, omnibus est parata: tantam verò beatitudinem, quantam sancti sunt Martyres adepti, nemo, vt videmus, est consecutus, nisi hi qui mortem propter vnicum Dei Filium moriendo vicerunt. Dicatos Deo homines torques, interficis, exterminas, & cur hæc geras, causas odiorum reddere non vales, quia tu erras. Etiam nobis irascêris cum veram teneamus viam, & cum nostra salubri admonitione corrigere te possis, errores tuos insuper crudelibus factis coaceruas, dicatas Deo mentes excusseratis corporibus eorum extorquens, qui statuerimus Deo fidem vsque ad extrema vitæ seruare curricula. Perspicis ita hæc esse, & quidē non sine maximo dolore tuo, cum non valere te aduertis nos ab hac, quæ sola est, religione deflectere, ab isto cursu, in quo ad brauium rursùm vocationis tendimus, retrahere, non cum te ex aperto facis inimicum, non cum te simulas amicum. Videris etenim quòd sit in te serpens ille qui decepetit Euam, non cùm verbū tuum, per quod serpis vt cancer falso & fucato scientiæ rumore componis, astruendo te omnib. flagitiis tuis maculato edicto tuo rescissore, mesle omnium errorum: cum sis ipse totius erroris fons, affirmas te luminis portitorem, cum sis tenebris obsessus omnib. Nullis ergo modis posse nos à via veritatis deflectere, licet intellectu omni careas, tamen ex parte contemni te inspiciēs,

E

F potes tandem videre, Constanti Imperator immanissime: hoc enim fidei proprium esse negotium nouimus Christiani, nec prosperis, nec aduersis de gradu dimoueri, non à proposito semel vigore deduci: cernimus vnâ hâc voce religiosâ, Christianus sum, nolo esse vt tu es Constantius, apostata, omne crimen excludi: hâc vnâ voce tribui præsidium salutis, vinculum libertatis & honoris: conspicimus hâc confessione tribui nobis protectionis clypeum contra telum per te in nos sæuientem diabolum intortum. Et tu inquis, Negate vos Christianos, vt contra aduersans discrimen duremus stabiles, nec sæuitiam tuam torquentem horreamus, animemur magis quam doleamus. Ista efficit conscientia, quæ reminiscitur vnicum Dei Filium ad protegendos victoresque efficiendos suos, suæ diuinitatis præbere præsentiam: hinc efficitur, vt quâ nos credis extingui pœnâ, viuificemur. Id etenim nobis, qui eum, propter quem patimur, esse nobiscum credimus, in augmentum virtutis assumimus, quod tu cruciatui spectasti prodesse punitor: hinc est quod malis tuis quatientibus non frangamur, quantóque variè continuâ crudelita-

G te vexamur, tantò firmiter toboremur. Est enim nobiscum ille qui adolescentes Hebræos credentes in se, in camino ignis tutatus est, ipse firmat nostras mentes, ipse sensum regit nostrum, ipse diuino incendit amore suo nostra corda, & ad tolerantiam sanctæ passionis animat: vnde & nemo nostrûm mortem quam inferre minitaris cogitat, sed immortalitatem, nec temporariam per te illatam pœnam sed gloriam sempiternam. Tormentis namque Martyres Dei consectari, & ipsa passionis probatione coronari, aperiunt ita sacræ Scripturæ: *Pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius.* Et, *si coram hominibus tormenta passi sunt, spes eorum immortalitate plena est, & in paucis vexati, in multis bene disponentur, quoniam Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos se: tanquàm aurum in fornace probauit eos, & quasi holocausti hostia accepit eos, in tempore erit respectus illorum, iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus eorum in perpetuum.* Qui

Sap. 3.

H igitur tantam felicitatem consecuturos se de Dei præsumunt magnitudine & exultant, necesse est & futura cogitantes gaudia, præsentia tua mala calcent. Vnici Dei Filij diuina vox est: *Qui amat animam suam in isto saeculo, perdet illam, & qui odit animam suam propter me, in vitam æternam conseruabit eam.* Quo diuino hærentes Christiani præcepto, licet in membris nostris resultans, Constanti, tua vngula recurrat in vulnera, stamus stabimúsque inmobiles, te atque omnibus pœnis tuis fortiores: hoc solùm nobiscum ipsi reuoluentes, quod ista crudelitatis tuæ carnificina nobis sit vtilis ad gloriam sempiternam. A barbaris sæpè parcitur victis, & est locus inter arma clementiæ, & vtique apud eos qui ferali ritu sint vitam ducentes. Hoc vero inenarrabile est quod fit aduersum nos à te, qui tibi bene voluimus, atque vt contingat desiderātes sumus, Deúmque iugiter obsecrantes non desinimus, spolias, proscribis, mactas gladio, variè punis, nec corpora quæ laniare sanxisti sepeliri permittis: eleemosynam fieri prohibes, omnia metalla, omniaque loca exilia vocari, quæ putabantur digna, nostro

Ioan. 12.

tuæ

A tuæ calliditati resistentium replesti numero: relegando insontes, fame, siti, nuditate vexando non desistis. His illa ingeris mala, qui æternam cupimus consequi beatitudinem. Et tamen, Imperator crudelissime, quicquid sæuitia tua nobis intulit atque irrogatura erit, aduerte, quod mendacium sit, siquidem nec mors sanctis qui nos præcesserunt Martyribus per te illata, mors sit, nec iactura, neque damnum, sed Fidei fœneratio semper Christiana: à vobis tyrannis in persecutione, peruersâ quæstione torquemur. Quo enim genere nocentes coguntur ad confitendum, eo nos compellimur modo ad Christum vnicum, verissimum Filium Dei negandum. Sed vt illi pro meritis confessi damnantur, sic nos quia Dei Filium non negamus, coronamur: quibus victoria est, à te illata damnatio: auferimur à te è medio, coram quibus non audeas blasphemare. Prosternitur etenim vnâ voce Christi militis ille, qui contra nostram confessionem Religiosum in te manens loquitur, ille qui per te nostrum sitit sanguinem,
B ille qui tuam obsedit mentem, contremiscit præsentiam cultorum Dei: atque ferre non valet cum dissentimus à te, qui dicas esse ex nihilo Filium Dei: cum contra stamus minas tuas omnemque crudelitatem carnificinæ tuæ potentiâ eius iuuati protectique calcamus: castigari te profectò sentis eius seruorũ constantiâ atque tolerantiâ, qui dicit: *Nolite metuere eum qui potest occidere corpus, magis autem metuite eum qui potest & corpus, & animam perdere in gehennam.* Pauli etiam beatissimi eius Apostoli ad te calcandum tyrannorum omnium tyrannum hortamentis animamur, *Sumus Filij Dei: Si autem Filij Dei, & hæredes Dei, cohæredes autem Christi, siquidem compatimur, vt & simul glorificemur.* Et iterùm, *Existimo non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Cuius claritatis gloriam cogitantes, pressuras omnes & persecutiones non solùm per te illatas à diabolo, sed & per omnes eius homines, nos tolerare seruos Christi conuenit, quia licet sint multæ, tamen ex omnibus illis liberamur, qui Filium Dei verum esse Filium credimus: & cum duas esse personas, Patrem, & Filium meminerimus, tamen vnam Diuinitatem Patri &
C eius vnico Filio vindicemus. Has nostras iustas inuictasque allegationes, quia sustinere veritatem ille qui tuam obsedit mentem non potest, instigat tuum ferinum animum, vt nos quam acerrimè vexes, exquisitis pœnarum generibus excrucies, cur nolimus iter deserere salutare. Hinc est quod nimia tua crudelitas nostris illudit corporibus, cur magni æstimemus fidem, cultoresque Dei nos esse non abnegemus: totis in nos incumbis carnificinæ tuæ viribus, arbitratus nociturum te nobis, ignorans probationis nostræ nos gaudere occasionibus: hi videlicet qui felicitatem nostram hanc existimemus maximam, si in hoc iustitiæ agone tuâ carnifice manu nobis contingat pro Dei iugulari Filio: stabiles contra tuam Religiosâ mente perstamus insaniam, vincente scilicet in nobis eo, pro quo patimur: quicquid sub persona nostra in iniuria ipsius diuinæ Maiestatis tu profane iactitas sermone vacuo, & inani colloquio, voluntate prauâ: quæ cuncta dura mens tua & obstinata pectoris feritas in necem
D suæ gignit salutis, dum à Religione Dei dissentis ducente dementiâ, furore rapiente, omni denique te immanitate vexante, quâ instigaris pariter ac impelleris, eo quem negas protegente contra tuam, bellua, immanitatem, vt vel verso solent mari moles oppositæ, reluctamur. Feriant licet per te diabolici fluctus, & pulsent latè vagantes mundi turbines, magis magisque immobilis vt est, erit virtus, nec vndis tuarum infestationum circum spumantibus succumbemus operti, sed contra omnia etimus semper erecti pericula: siquidem non sit Christianus animus abiectus qui sternatur & iactetur ad vitia, sed eòusque sit generosus ac nobilis, vt contra omnia tentamenta immobilis victorque permaneat. Non sumus Christiani, cogitantes præsentis fragilis vitæ dulcedine perfrui, sed sumus adipisci cupientes æternæ securitatis & felicitatis gloriam, perpetuæ beatitudinis possessionem. Ioannis Apostoli beati, vt terrena spernentes, cœlestia sequi desideremus, hortantis Religiosa vox est, *Et*

Matt. 10.

Rom. 8

E *mundus transit, & concupiscentia eius: qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum, quomodo & Deus manet in æternum.* Cum hæc ita sint, cupio te cognoscere cum omnibus tuis præstigiis ac fraudibus, cumque vastissimâ sæuitiæ tuæ crudelitate, iacere te subter pedes Dei seruorum, omnem gloriam tuæ vanæ dominationis duci à nobis atque haberi pro nihilo, nihilque te aliud esse à nobis sentiri, cum omni vigore atque auctoritate imperij tui, quam inanem aurulam iactare nos: hæc quisquam de tuis fortassis dicat adulatoribus. Non retines, Constanti, dixisse me iudicibus te vel omisso audiente, quod licet totum militem tuum in nos decreuisses iacere, regni tui tela in nos execratores blasphemiæ tuæ, vt in sacrilegi tui decreti contemptores omnia sua colliderent arma: Nec si tamen quod possemus à proposito recedere, sed tu pro tua illa prudentia in omni pro te moriendos bello milites tuos censuisti, Christianos verò sanxisti Dei oportuisse existere negatores. & vtique tui sentiunt dolorem
F vulnerum: dolent se periisse, dolent hanc amittere lucem: Nos verò primò sentire pœnarum cruciatus non possumus, in quibus Christus patitur, in quibus Christus æternam salutem operatur. Deinde quia præsentia pro nihilo ducamus, & lumine in illo perenni semper futuri simus, quî fieri potest, vt non pro Christo Dei Filio, vitæ æternæ tributore, sacrilegio funestatis manibus tuis malumus interfici, qui aliter nos Deo patri placere non posse cernamus, nisi conuenti à te ad negandum vnicum Dei Filium eius, per mortem etiam ipsam, verum esse illum Dei Filium confessi fuerimus? Detestabilis mens tua indignè fert, quia dicamus Christum Dei Filium, Dei esse verbum, Dei sapientiam, Dei virtutem, Deum verum de Deo vero, natum de Patre, id est de substantia Patris, lumen de lumine, natum non factum, vnius substantiæ illum esse cum Patre, quod Græci dicunt ὁμοούσιον, per quem omnia sunt facta, sine quo nunquàm fuerit pater. Indignè fers Arrij vermis, cur defendamus, quod Claritas, Potestas, Magnitudo, Æternitas, Diuinitas, quæ vna sit Patris, &
G vnici eius Filij. Non esse nouum quod nos legati asseuerabamus in tuo palatio, & firmando non desimus semper sic fuisse & esse creditum à Christianis, sicuti apud Nicæam contra hæresim tuam Arrianam, & omnes errores videntur esse sacra Fides conscripta, si tandem oculos serpentis morsibus confossos cordis tui aperias, inuenies quod hanc habet, hanc defendit Ecclesia fidem, quam sibi traditam cognoscit per beatos Apostolos. Omnes momento peragrare si posses gentes, inuenisses, stolidissime Imperator, vbique Christianos sicuti nos credere, in hac defensione nostra perstantes pro Dei filio vt nos mori cupere.

At tua nouella prædicatio & recens Religio sub prætextu fidei blasphemia in perniciem salutis tuæ per te prolata, non solùm adhuc limitem Romanum peragrare non valuit, & vtique te satis agente, sed & vbi radices figere tentauerat, aruit, recedentibus scilicet omnibus Dei famulis à te, atque paucis tuis quos lolium esse super frumentum seminatos Dominus prædixerat, tecum manen-
H tibus, quæ omnia tibi præstitit atque est præstans artifex fraudis ac mortis, qui per te plurimos blanditiis obliquis illicit ac decipit: qui cum sit reus totius sceleris suggerit cordi illi tuo amatissimo, vt nos tanquam reos alicuius criminis punias: sed prospice tandem, aperi cordis oculos in quibus tibi nihil luminis est, sed omnis caligo, & ingentes tenebræ versantur, & inuenies quod mors tuâ fragili illatâ potestâte, integriorem reparet vitam, quod hæc magis nos deducat ad gloriam, per ignes, per gladios, per catenas, ac feras, per quicquid denique rabies tua piissimi Imperatoris in nostram censuerit ingerere necem, nutante Deo non modò non extinguimur, sed magis atque magis viuificamur, qui meminerimus nil esse super nos præter Deum, vnde erubescit animus deuotus atque mancipatus Deo tibi per tuam mortuo blasphemiam cani latranti contra veritatem, vermibus Arrij scatenti succumbere. Seruorum Christi animæ quoties vim diligenter veram examinant tormentorum, considerant nullum maius esse tormentum quam à te ad-

1. Ioan. 2.

A uersarij nostri seruo seruum vinci Christi. Recordamur (Matt. 16, Luc. 9.) Dominum dixisse: *Si quis vult post me venire, abneget se sibi, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet illam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini si totum mundum lucretur, anima verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Martyrij cogit dignitas, vt vitam Christiani morte contemnamus. Siquidem nouum salutis genus per Dei Filium fuit tributum interire ne possim. Nouimus hanc esse nobis traditam diuinitùs disciplinam, vt sine vllo terrore militiæ vim tueamur tanti nominis, quippè quos iampridem æternæ memoriæ cupiditas abstraxerit à desiderio istius lucis, quosque ad calcanda omnia terrena Christi societas segregarit. Crescit, Constanti, crudelitatis tuæ pugna: sed crescere aduerte & in Christi militibus gloriam, non retardamur denique ab acie tormentorum metu, sed ipsis magis tuis tormen-
B tis ad aciem prouocamur. Hæc ita esse negare non poteris, quando conspicias pari & simili calore virtutis, Christianos toto in orbe ad gerendum certamen animatos, quando videas militem Christi incorruptam fidei firmitatem seruare, quam non detestandæ tuæ blanditiæ decipiant, non minæ furoris tui terreant, non cruciatus tuæ carnificinæ, ac tormenta crudelitatis deuincant, illo videlicet in nobis manente, & nobiscum semper constituto, qui ad beatos Apostolos dixerit: *Vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Est vbique præsens, quia omnipotens sit Filius totum potens; cui cum Patre vna sit æternitas atque Potestas diuina: sed te quanta caligo obsederit incredulitatis, quantaque tenebrarum & errorum nubes tuum pectus obduxerit, dici non potest, qui cum te Christianum fingas, Christianum tamen nomen è medio auferre nitaris. Inter hæc daturos legentes veniam conspicere debes, quod pro merito impietatis tuæ facundia mediocris ingenij mei ad execrandum te describere non valuerit: dedisse me etenim vide-
C bant formam vniuersis Deum timentibus, præbuisseque materiam tractaturis, quo te ordine possent sine vitæ æternæ radicibus positum secare, nec te maledicis vocibus dicas à nobis obiurgari, si quæ dignus es à rusticis, licet tamen Christianis, audis. Nouimus non maledicendum, sed magis propter inimicos rogandum: filius etenim Dei rerum cum sit Dominus, tamen cum malediceretur, non remaledicebat. Cæterùm si rerum malediceret Dominus, tantæ vtique maiestatis impetu vniuersa conciderent. Dicis vtique ad hæc, Dominus te mitem esse voluit, quippè antistitem suum, & tu te peruicacem me circa plebes. Prophetæ, Apostoli, & chorus Euangelistarũ non occidendum docent. Tu contra, Deo dignaris interficere dicatos: Christiani ad placandum quem colimus, his rebus opus esse nouimus, quibus illum delectari ac gaudere scimus. Si igitur placere censendum est posse Deo quod facis, omnes nos oportet homicidas esse, sacrilegos ac blasphemos. O Constanti, quam ingentis sis dementiæ, palam fit conspicitur veterator ille subtilis, circumscri-
D ptor innocentium, in tua mente sedem sibi collocasse, & arbitraris non te adhuc publicatum, adhuc in ouem, cum sis lupus, perfrigescis tu, qui à sanctissimis Prophetis bestia nominaris, à beatissimis Apostolis canis ac lupus rapax subornatus, cum sis operarius iniquitatis, tanquàm ministet iustitiæ, & te esse hominem censes, cum nihil hominis nisi lineamenta ac summam figuram geras. Doles te immanem bestiam dici, nihil te hominis nisi lineamenta, ac summam gerere figuram. Dic quæso an possis innocentium interemptor merito dici Christianus, & non potiùs, insanus, hebes vecorsque, hostis quippè Dei Religionis, in qua Pietas, Humanitas, omnisque Iustitia versatur, in qua nec malum pro malo discitur reddere, in qua non occidere, sed occidi propter Dei Filium docemur. Tu, sacrilego conatu tuo contemptam vanam dominationem tuam considerans, tormenta admones, sed est protector fidei, gubernator salutis, rector animarum, quem nos impellis negare semper, nobiscum semper adest certamini nostro, quia præliatores atque assertores diui-

E ni sui nominis erigat. Hinc est quod seruientes iniustitiæ tuæ ac ministris, hoc est concarnificibus tuis torquentibus, stemus fortiores, inanimamur vt tuam vngulam artus nostri pulsati ac laniati superent. Quomodo etenim inexpugnabilem fidem superare poterit sæuiens diu plaga repetita, cum omnis miles Christi sciat ipsum pro quo patitur secum esse præsentem, gaudentemque de suorum tolerantia seruorum? stamus vtique famuli Christi eius maiestate firmati, voce liberâ, mente incorruptâ, telis quidem fragilibus tuis nudi, sed illa induti arma, quæ nos vt indueremus est deprecatus beatus Apostolus dicens: (Ephes. 6.) *De cætero confirmamini in Domino, & in potentia virtutis eius, & induite arma Dei, vt possitis stare aduersus remedia diaboli, quia non est vobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed contra potestates, contra huius mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Propterea accipite arma Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare præcincti lumbos vestros in*
F *veritate, induentes loricam iustitiæ, & calciati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus assumentes scutum fidei, in quo possitis omnia iacula nequissimi cadentia extinguere, & galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, & in illum vigilantes.* Igitur quia taliter armatos tantâ potentiâ munitos superare non possit tua patrisque tui crudelitas, vt sæpè dictum est, stetimus & stamus, & quoadvsque consumas corpora nostra, staturi sumus salutari Christi clypeo, muniti loricâ pietatis eius, circumdati sancto Spiritu, gubernati immobiles, & magis magisque in omnibus auctores pellentes omnem vocem seruitutis. Certi etenim & fidentes sumus nullis nos tuis insidiis, nullâ tuâ calliditate, nullâ cauillatione, nullis tuis fraudibus posse à proposito vigore deduci; quandoquidem sciamus quod enim finis delictorum mors sit; deinde sequitur vita quæ semper sit, amplectamurque beati consilia Apostoli eius; eiusque imitatores atque participes desideremus inueni-
G ti qui astruit: (1. Cor. 5.) *Quod cum vetus homo noster corrumpitur, qui intus est innouetur. Et si terrestris domus nostri corporis dissoluitur, cælestis ædificetur, & quod positi in corpore peregrinemur à Domino* Cum quo Apostolo in regnis cælestibus vberes laudes referre non poterimus Deo, nisi priùs morte expugnatâ, ad immortalia sumenda præmia venerimus. Igitur cũ per te dissipata atque penitùs dissoluta fuerint corpora nostra, tunc nos integerrimos esse præsumamus cum per te mors fuerit illata: tunc nos magis viuere posse credamus. Quomodo adhuc præsumis, Constanti intereà Imperator semper insulsissime, ea ingerere, quæ te extinguant, nos contrà viuificent, ad extinguendos nos malo prauoque consilio erigeris, actus es velox ad effundendum Dei vnici Filij seruorum cruorem, ignorans quod sanguine nostro patefiat cælum, sanguine nostro gehennæ extinguatur ardor. Te sæcularis ambitio, nos cælestis admonet magnitudo, qui salutem timemus æternam amittere, scimus nos pro Deo mori debere; vt enim te, nisi è castris diaboli ad exercitum in
H cælestibus castris constitutum feceris transitum, in perpetuum detinebit ignis apud Tartarum: sic nos si tuas minas tormentaque tua spernentes propter Dei Filium iugulari per te sæuissimam feram immanemque belluam maluerimus, in cælo erimus gaudentes. (Matth. 5.) *Beati* enim *qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum Cælorum,* & non dixit, Beati qui persecutionem faciunt. Christiani scimus ad hoc nos Christi factos milites, vt iniusto à te indicto belli campo ducem nostrum confessi, quo possimus victoriarum triumpho potiri: moriamur armati, hinc nobis quantò sæuis, tantò & clementior videris, cum interficere Christianum se confitentem dignaris. In hoc vir sceleratissimus iudicaris, quod sub specie dilectionis, & consulere cupientes, ad nos blandiaris deiiciendos, tanquàm vtile sit nobis à te de gradu pulsos reseruari, à Deo vero damnari. Nouimus quod sis metuens ne in omnibus his pœnis tuâ detestabilitate inuentis, in hac perseuerantia fidei moriamur, & tamen admoues varios durosque

crucia

A cruciatus: Sic nos quos tam infestè persequeris, variè excarnificari cupis, & quidem momentis omnibus, interficiendos verò non esse statuisti, tanquàm mors tantummodò beatos milites Christi faciat; ac non etiam tormenta quantò fuerint grauiora, tantò maiorem virtutis gloriam pariant: Etenim qui nouimus iustitiæ copiosiorem esse vitam ac prolixiorem, in isto belli campo non terga vertimus, non ad castra tua Dei hostis transitum facimus, sed magis inter hæc à te illata exitia positi, Dei ouili, vnde te raptum possidet diabolus, repræsentari cupimus: & tamen hæc dico, non vt nobis parcas; inuenies etenim Christianos nos esse, vt iam quos interfecisti, inuenisti in fide stabiles, in dolore patientes, in quæstione victores, per illum scilicet qui Confessores suos non deserit: cuius nos milites agnoscentes, vt aduertis, congredimur fortiter, dimicamus constanter. Scimus enim magnam esse claritatem, immensam sublimitatem ac singularem sanctitatem, vitam salutis æternæ hone-
B state passionis ornare: maximam esse nobilitatem, potestatis tuæ tormenta contemnere, nec horrere calcare te, nec tuam rabiem pertimescere, qui in innocentes tam rabidè sæuis, qui cum sis blasphemiæ & iniustitiæ, & totius crudelitatis doctor, tamen Christianum te, pium, prudentem, atque iustum videri posse censeas, cæcus & hebes, & veritatis ignarus, aduerte vorator innocentium quod in quo Christus vigilet, vinci tuis tormentis non possit, famem vincat, sitim spernat, squallorem carceris & receptaculi, pœnarum horrorem, robotis sui vigore subigat, omnem calcet pœnam, cunctos conterat cruciatus, nec mortem quam tu magno nisu minitaris inferre metuat.
Ps.115. Superare te existimas illum, qui meminerit scriptum,
Rom.8. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Et, *Quis nos separabit a charitate Christi, tribulatio an angustia? an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? sicut scriptum est, Quia propter te morte afficimur totâ die,*
C *æstimati sumus vt oues occisionis, sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Quid nos tunc possit ab his auferre salutaribus præceptis prorsùs, videre non valeo. Nam & licet eos qui tuæ prauitati consentiunt, ad nos illiciendos leuando, omni officio tuo non desinas impio, vt Epictetum, & cæteros quos ex Dei seruis tuos esse ac patris tui satellites fecisti; tamen absit à nobis hæc amentia, vt falsum vero anteponamus, aut aliqua nos oblata per te felicitas illiciat regni tui: inanem gloriam tibimet serua, omnemque stolidissimi cordis tui prudentiam tibimet retine & comparibus tuis, quibus te morum coniunxit similitudo: relinque nobis stultitiam nostram, cum nos Christum Dei Filium verum esse Filium confitemur, cum eundem vnius esse substantiæ cum Patre defendimus, cum nos propter eum ne eius Diuinitatem negemus interfici cupere profitemur: relinque nobis huiusmodi stultitiam; quid vt hanc amittamus das operam? quid impugnandam putas posse à te veritatem, ignorans
D quod vi suâ valeat? vnde etenim contra fremitus atroces, asperosque tuos cruciatus inuictâ virtute populum Dei conspicis resistentem, nisi quia hæc sit quam defendimus, Apostolica atque Euangelica Fides? Hi resistunt tuæ crudelitati, hi tuam calcant rabiem, quibus spes æternæ immortalitatis, & vitæ cælestis est, & in quibus ardor in cupidinem perpetuæ lucis accenditur, & soli de promissa lætantur beatitudine. Adeò namque securi ad æternam nos perfruendam vitam peruenturos scientes, omnia gratanter perpetimur, quando non tormenta propria cogitare nos profiteamur, sed tua tortoris supplicia, damna corporum, pro lucris animæ Christianæ æstimamus, coronam in vulneribus computamus, de tormentis & doloribus illatis per te, lætissimi in Christo triumphamus. Recordare, Constanti, de scelorum tuorum memoria re-
106 centi, quæcumque tu in ciuitate Alexandrinorum iussisti, quantos per abrupta [106] vna tincta subscriptionis tuæ deiecerit, quantos gladio demeti fecerit, quantos fame sitique exedi, vel carceribus necari, quantos intercepto effecerit spiritu strangulari, & tamen his omnibus cru-

E delitatibus in sanctos Martyres, quos tuus interfecit gladiatorius animus cum sæuieris in nos; crudeliùs sæuis dum retines gladium, dum das operam ne in remedium velociùs exitus succurrat mortis. Dilacerati totò corpore, vtrique nos patimur; probantes nihil congruere sapientium grauitati atque constantiæ quam nullis terroribus de sententia & proposito depelli; sed esse vtilissimum pro Deo cruciari, & emori non posse Deo mancipatos, perpetua vinci tormenta; sed te magis prosterni atque deduci ad nihilum. Accipe in 26. Psalmo positum, Psal.26.
Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ; à quo trepidabo? Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat aduersus me prælium, in hoc ego sperabo. Vnam petij à domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Dei per omnes dies vitæ meæ. Igitur cum iustitiæ virtus in his perficiatur pas- F
sionibus, cum, quia Christus in nobis patitur, nec sentiamus supplicium, proptereà quod vbi deest culpa, nec pœna sit; quomodo his re rebus vincere Deo dicatos deuotosque potuisse arbitratus es? quibus augmenta virtutis inuicta præbeat fides. Credo equidem nec me veritas fallit, quod licet adhuc totis tuis eo incumbas carnificinæ viribus, vt membra diuellas, artusque laniatos in sanguinem nostrum sæuiens diu tortor vexares; quod vincere tamen nunquam Dei possis familiam nunquam exercitum Christi superare valeas, non doloribus subiicere, non pœnis angentibus poteris flectere. Christiani nullos cruciatus, nullamve mortem recusamus, non tyrannicas tuas iussiones, non iudicum tuorum gladios tremere possumus, quia gladio Dei armati tibi resistamus. Beatus Apo- Ephes.6.
stolus de cætero dicit Ephesiis, *Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, induite arma Dei, vt possitis stare aduersus remedia diaboli, Quia non est vobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed contra potestates, contra huius mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ.* Arma indutos Dei tu per quem omnes in G
nostram necem sæuiunt dæmones, superare quia non potes, hortamur tandem te nobis tradas, ne cum istis quos describit Apostolus, in cuncta torquearis æua. Sic non in tenebras carceris tui filij possint vinci lucis à tenebrarum filio, tanquam tenebras sentire possint hi, in quibus inhabitare dignatur ille qui sit lucis conditor. Perferat virtus necesse est, quod ferendum natura mortalis edocuit; si enim ignibus consumere nostros artus tentaueris, te magis in nostra corpora sentiemus exuri quam nos; qui cum libenter ac promptè certamus ad mortem pro fide, non nos amittere vitam posse, sed magis conquirere, & quidem post fragilem æternam præsumamus. Stat semper nempe gladij tui acies extricta, parata Christianorum neci, & tamen omni plumbo curuior esse nobis videtur esse mucro gladij tui, sicut & acies animæ tuæ. Toleramus omnia in passione securi, velut ingeramus supplicia quæ patimur, quoniam qui per te in nos sæuit, nostrâ fide prosternitur. Non enim morte in perpetuam H
malignitatem illatâ, deleri nos posse nouimus, qui in Christum vitæ æternæ tributorem, vnicum Dei Filium sperauerimus, sed credentes sumus & bene præsumentes, quòd ad lucem vitamque perennem etiam corpora sint resurrectura, quæ tu nunc vris, torques, ac lanias. Si enim posteaquam per te interficimur, nihil nos esse futuros sciremus, profectò stultissimi essemus non huic vitæ consulentes, vt esset quam diutina, & commodis omnibus plena: quod contingere nobis poterat, si tibi magis quam Dei decretis temperandum censuissemus, ac nunc cum per te si vita præsens aufeRatur, immortalis sumatur, hanc præsentem vitam propter Dei Filium cum bonis suis contemnere seruos eius necesse est, siquidem omnis huiusmodi iactura immortalitate pensetur. Quanta virtus, quantum robur animi, qualis fuerit firmitas fidei eorum quos interfecisti, & sit horum qui adhuc tuo sacrilegio resistunt, aduerte, Constanti, steritisse aut illos beatos Martyres, quos iam Dei potentia in cœlestibus regnis esse constitutos cernimus,

A aut hos quos adhuc interficere non valuisti, contra te
immanem feram, qui fanda atque infanda nobis commi-
nando non desinas, cum multis tolerabiliùs audere sem-
per desiderans fueris, ac sis aduersum te æmulos surgere
principes, quàm Christum Dei Filium confitentes existe-
re victores. Placuerat enim tenebris omnium errorum
obsesso cordi tuo, & profundâ caligine cæcato animo nos
108 omnes per tuam hæresim à Deo [108] conuertens primo
tuos clientes efficere, deinde consatellites. Sed vicit te &
ipsum in te ista qui fuerit machinare molitus veritas: va-
let enim vi suâ. Expectantes denique sumus momentis
omnibus super ista quæ iam intulisti tormenta. Adhuc ad-
das constituendo seniores carnifices, ferociores vltores,
qui deuotos Deo milites aduersus edicta feralia tua resi-
stétes, vt minas & cruciatus & tormenta fidei vigore, per
Dei misericordiā calcemus, possint vel gladio inuadere, vel
crucifigere, vel igni torrere, vel quolibet inaudito genere
pœnarum viscera nostra ac membra laniare; vt stetimus
B nunc vsque per Dominum immobiles, staturi semper; si
quidem non nos simus qui tuos frendores vincamus, sed
ipse in nobis cuius auxilio regimur, cuius virtute serua-
mur. Quantus enim tu es, aut qualis qui possis spoliare
nos his bonis quæ sunt in nos collata diuinitùs, rapis
nos, negas, egenos facis, damnas, vincis, vris, miseris
etiam modis necas, & tamen vincere Christianorum in-
uictam fidem non vales. Per quod intelligere debuisti fa-
ctum, quia & tu erroris crudelitatisque tuæ sis receptu-
rus supplicia: & contra nos quòd per hanc propositam
difficultatem angustissimus trames ad immortalitatis
præmium sublimiter ducat, non poterimus cedere tuæ
crudelitati, qui nouimus quod sit Martyrium dominicæ
fortitudinis singularis imitatio: laboris quidem & diffi-
cultatis plena satis & ardua Martyrum adeò via est, vt
non quis humanis implere valeat viribus, sed nos qui au-
xilio Diuinæ suffragationis iuuamur, calcemus te sem-
C per, vt nunc calcamus necesse est. Hinc est quòd libitum
sit nobis, non solum non te timere Dei Religionis ad-
uersarium, sed & vltrò prouocare. Prouocaris cum sem-
per vt non miserearis immisericors, sed vt interficias ex-
pectaris: hinc est quod non possit capere diuisionem fe-
licitas nostra, quia & cum occidimur pro Dei filio, ipse
dilectione viuat in nobis, ipse qui est in pressura, excita-
tio in persecutionum præliis & fortitudo. Quibus ete-
nim velis te modis exeras aduersus Dei cultores, nun-
quam tamen poteris euacuare signatam virtutem, quip-
pè cum mundana non inuitent, non terreant tormenta.
Cum hæc ita sint, te Dei domus persecutorem, quid aliud
dicam quam miserum, qui prædonum tuorum dæmonum
instigationibus pareas, quorum stimulis actus, hæc fue-
ris perpetrare machinatus, per quos inhærente cordi tuo
persuasione tuâ sacrilegâ, libenter erras: faueas stultitiæ
tuæ tibi ignitæ, atque vtinam cum solis Arrianis com-
blasphemis tuis errare ac desipere velis: nos etiam in
consortium malorum tuorum rapere conatis, proscribis,
D exspolias, sed nouimus maximæ felicitatis genus esse pro-
pter Christum quæsitam paupertatem. Infers carnifex
mortem ad nos, non solum non ceruicem subducimus,
sed & manus, vt propter Dei vnicum Filium iugulemur.
Quorsum hæc retuli? Vt scires pœnas tuas nullas habe-
re contra Christi seruos vires, & quod expauescere non
possimus, id quod venturum semper expectemus. Indi-
gnè fers cur dicaris hæreticus, & audes tamen dicere
non comparari posse, vel exæquari Patri Filium; nos,
qui vnam Deitatem Patri & Filio defendimus, Filium
æqualem dicimus Patri. Credimus, vt credidit beatus
Phil. 2. Paulus Apostolus, qui dicit de Filio: *Qui cum in forma
Dei esset, non est rapinam arbitratus esse se æqualem Deo.*
Quid est, qui cum in forma Dei esset, nisi quod sit Filius,
vt est Deus Pater incommutabilis, inconuertibilis, inæ-
stimabilis, inenarrabilis, æternus, perfectus? Quid est,
qui cum in forma Dei esset, nisi quòd ipsam inaccessibi-
lem lucem habitet Filius, quam & Pater, nisi quia vna sit
diuina sublimitas Patris & Filij, Sancti Spiritus, in bea-
to manens Apostolo, corda vestra omnia hæreticorum
iam tunc conspiciens addidit interpretationem, quid sit

E in forma Dei esse Filium. *Qui cum in forma Dei esset, non
est rapinam arbitratus esse se æqualem Deo.* Apostolus bea-
tus æqualem Filium Patri dicit, vnam Deitatem manife-
stans Patris & Filij, & tu audes cum sacrilegæ audaciæ
tuæ satellitibus atque sacrilegij tui comparticipibus di-
cere, Non enim nos possumus æquare aut comparare
Filium Patri. Aut cur Dominum dixisse arbitraris, *Qui
me vidit, vidit & Patrem: &, Ego & Pater vnum sumus,* Ioan. 14.
nisi quod vna sit potentia Patris & Filij. Tu dicis, quod
habeat Filius initium; at nos dicimus sine initio esse:
Siquidem omne quod habet initium, & finem possit ha-
bere necesse est. Igitur cum credamus vnicum Dei Filium
æternum esse, hoc est coæternum Patri, & vos hostes
Dei negetis, nonnè rectissimè dementes & omni vecor-
diâ saginatos filios pestilentiæ vos nuncupamus? de qui-
bus clamat beatus Apostolus, vt tunc de Iudæis, *Et sicut
non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus* Rom. 1.
in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniant. Et Phil. 3.
F ad Philippen. *Coimitatores mei estote fratres, & obseruate
eos qui sic ambulant, sicut habetis formam nostram. Multi
enim ambulant, quod sæpè dicebam vobis, nunc autem &
flens dico inimicos crucis Christi, quorum finis est interitus,
quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui
terrena sapiunt.* Et ad Timotheum de te, Constanti ac 1. Tim. 4.
tibi dilectissimis competitis tuis, *Spiritus autem mani-
festè dicit, quia in nouissimis temporibus recedent quidam à
fide, attendentes spiritibus seductoribus, doctrinis dæmonio-
rum in hypocrisi mendaci loquentium, cauteriatam haben-
tium conscientiam suam.* Vos adhuc percutit atque inter-
ficit Spiritus sanctus ore eiusdem beati Apostoli: *In no-* 2. Tim. 2.
*uissimis diebus aduenient tempora periculosa. Erunt homi-
nes seipsos amantes, cupidi, superbi, fastidiosi, blasphemi, pa-
rentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine
fide, detractores, incontinentes, immites, sine benignitate,
proditores, proterui, inflati, voluptatum amatores magis,
quam Dei, habentes speciem pietatis, veritatem autem ipsius
negantes, & hos deuita.* Et infrà: *Quemadmodùm autem* G
*Iamnes, & Mambres restiterunt Moysi, sic & hi resistent
veritati, homines corrupti mente, & reprobi circa fidem: sed
vltrà non proficient, insipientia eorum manifesta erit omni-
bus sicut & illorum fuit.* Et infrà: *Erit tempus cum sanam
doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacerua-
bunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem
auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Dese-
rens Apostolicam fidem, conuersus ad fabulas, vt cancer
ita sermo tuus quod serpere possit, cum prædixerit ore
Apostoli Spiritus sanctus, Catholicos dicis erraticos, &
paulò post, ipsam quam Catholicam dicebas, quamque
suscipere cogebas, dicis esse blasphemiam. Item post pau-
lulùm, quam nunc adstrueras apud Antiochenos contra
Adoxium faciens fuisse blasphemiam, ipsam iterum nunc
firmas Catholicam, vnde & Adoxum Constantinopoli
esse censueris: quod enim ipsum probaueris Catholicum,
scias vtique ex hoc ipso quantum intersit inter verum
atque falsum, quando ipse cum sis, vt tibi videtur, peri- H
tus, habeasque dictatorum designatum numerum, tamen
persuadere nulli, nisi eis qui carnificinam tuam timue-
runt te potuisse aduertamus. Nos verò quibus ad lo-
quendum natura sufficit, alieni ab omni scientia, & hinc
alieni literarum ad omnem destruendam hæresim vale-
mus, quia res ipsa ac veritas loquitur, tu ac tui adiuto-
res literarum, & hinc aliam plenam auxistis artem. Nos
sumus tantùm sacras scientes Literas, noster sermo est
communis, contra vester politus, ornatus, qui etiam
dici mereatur disertus, & tamen suadere dulcis, per ar-
tem quæsitus sermo vester nulli potest Christianorum,
nisi ei qui non sit, sed tantùm dicatur, vt tu, qui cum sis
lupus, vnus esse de ouibus ab insciis iudiceris: quis tam
excors est, nisi qui vt tu omnem hauserit amentiam? quis
est Dei famulorum, qui nolit deuotionis obsequio morte
honestari? Quis est qui cruorem sanguinis sui pro Chri-
sto non sit desiderans fundere? cum huiusmodi mors in-
tegriorem faciat vitam, æternam inueniat gloriam. Sta-
mus vt aduersis virtute Dei protecti, præceptis Euange-
lij calcati, fixo immobiles gradu, ne possint per te præ-
cipiti

A cipiti labe rapi vestigia. Satagamus scutum fidei tenentes, vt in totum non possint per te iacta fumantia hostis concrescere iacula, quippè quæ semper in te repercutiantur. Munita sunt nostra capita casside salutis, est in ore verbum Domini, vt hostis in te collocatus gladio elidatur spiritali, sternatur, pariterque dissipetur; esse aduertes sanctam Fidem, quam nos abiicere cogebas, animæ nostræ clypeum, & fortem, & impenetrabilem, & contextam loricam, quam nulla diaboli possint tela per te perforare illata. Tantam perseuerantiam cernens Christianorum: defendendum est, inquis, & à me semel susceptum Arrianum dogma; dicis talia honesta voluntate errans. Sentis enim nihil esse in rebus humanis Religione præstantius; eamque summâ vi oportere defendi, defendis gladio: at nos defendendam nouimus Religionem non occidendo; sed moriendo pro Deo, vniuersáque mala hæc quæ tu ingeris sustinendo, tali genere defendentes Religionem, quæ tua crudelitas poterit vincere? Si enim quilibet militum tuorum in hac

B fragili imperij tui militia tibi mortali mortalis fidem seruauerit in aliquo egregio facinore, & acceptior fit & charior: si perierit apud te inanem hominem, summam consequitur gloriam, quod pro te duce suo morte occubuerit: quantò magis Deo æterno Imperatori fides est seruanda à nobis clementiæ eius militibus? Cum hæc nos agere susceptum cogat officium deuotionis: tu quia cæcus sis, Christum verum Deum veri Dei Filium esse non credendo, quia sis simpliciter infelix, quod æternæ mortis tenebras minimè euaseris, volueras & nos redire ad veterem cæcitatem, vt non tam simpliciter, sed detestabiliter cum lumine videremur amisisse prudentiam. Nam & cum cognoscamus vnam mortis damnationem esse tibi, quia credere nolis, & geminatum malum esse nobis si reiectâ nostrâ credulitate ad interitum redire maluerimus; quomodo nos posse tuis præsumpseras, aut falsis obsequiis, quæ magis dum illiciunt, interficiunt; aut omnibus tormentorum crudelitatis generibus à Dei cha-

C ritate separari? Quis tantam sibi oblatam felicitatem respuat, nisi qui sit te infelicior, cum videat confessione vocis vnius, Christianus sum, aduersa succumbere, læta prouenire, patefieri regna, æterna parari imperia? Dicis, negate Dei Filium, aut interficiet vos virtus regni mei, quam meliùs est ab hoste Christi interfici, quam à Christo: quam est optimum à te Antichristi amico mactari, & à Christo viuificari. Quis non malit particeps ac socius Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, cunctorúmque iustorum inueniri, quàm Iudæ, cuius tu extitisti imitator? In carcere per Herodem compestilentem tuum punitus est Baptista Ioannes: Iacobum sæuitia Herodis interfecit, in insulam relegatus Apostolus Ioannes, crucifixus est beatus Petrus, alligatus est beatus Apostolus Paulus, reclusus est carceribus, flagellatus est, & sæpè lapidatus, interfectus est postremò. Sed hi cuncti illa gratissimè sustinendo, quod amici Dei fuerint facti, qui aduertimus & ipsi crudeli manu tuâ mactari malumus, quàm tuæ cedere carnificinæ. Cur nos exosos

D habes, cur tantâ sæuitiâ persequeris, nempè quia nos Christianos fateamur, & illi beati, quorum fecimus mentionem pro vnico sunt interfecti à contyrannis tuis Dei Filio? Cur se eius seruos dixerint, dicit ore religiosi Dauid Spiritus sanctus ex nostri persona populi: *Si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum, nonne Deus requiret ista? Ipse enim nouit abscondita cordis, quoniam propter te mortificamur totâ die, æstimati sumus vt oues occisionis*, & tu Constantius Arrianæ idololatriæ mancipatus intereà Imperator, Metuite, inquis, frendores recrudescentis in vestram necem insaniæ meæ, & estote mecum apostatæ. Hæc audiens non vulneribus tuis mederi vis, sed magis pergis cæco & irrationabili furore illorum instinctu, qui insinuant se menti tuæ, & instigant nescium furorem hi spiritus, quib. tu quod Dei vnicum Filium neges sacrificare dignosceris; qui quia per se nocere nobis nihil possunt, protegimur enim magnitudine Dei, per te nos satellitem suum persequuntur, quos sibi inimicos esse infestissimos sentiunt, exercéntque per te amatorem suum sæuitiam quàm violentissimè possunt, existimantes interuentu tuo carnificis E se nostram violaturos fidem, Doctrina cunctarum est sacrarum Scripturarum in Dei filium credere; primam & consummatam esse iustitiam. Hinc est quòd te victo quæstionario illi dæmones in te vincantur; quia victoriam non nostrorum fragilium nobis præstet corporum virtus, sed illius clementia ille sufficit vires, vt inter omne carnificinæ tuæ instrumentum durémus immobiles; vt non doloribus vulnerum, non ictibus quæstionum frangamur, sed potiùs erigamur. Hinc verus est Dei cultus; in quo mentes colentium seipsas Deo immaculatas victimas sistunt, & arbitraris Dei esse cultorum quemquam tam segnem ac stolidum, vt non illum ardor famæ cupidinis excitet & non armet, non instiget, non stimulet; non denique illis facibus amoris inflammet, quibus sunt sancti inflammati Prophetæ, Apostoli, ac Martyres: quem, inquam, nostrorum non cupiat animus inter manus tuas crudeles pro Christo interfici; quem ad Marty- F rij gloriam & culmina non tantum per hæc quæ tu ministras, sed etiam per crudeliora non peruenire vrgeat; quippè cum facilè superentur tua supplicia, si ipsorum suppliciorum ante oculos proponatur gloria. Nec enim id quod lacerat; consideratur, vbi pœnæ merces tanta præstetur: mercedibus incorruptibilibus, tua, Constanti, tormenta vincuntur, & cruciatus obteritur; mors subigitur, quæ cum inferatur, magis vitare paratur, Doletent, Imperator, vulnera per te inflicta, si statim non Dei amicos efficerent. Ac cum tunc verè victuros nos præsumamus si à te propter Dei plectamur Filium; tunc nihil salutis amissuros: quomodo fieri potest, vt tuis inanibus cedamus frendoribus, tuo nos potuisse ac posse vigore subigi es arbitratus, & credo adhuc frustrà arbitreris. Quovsque tandem abuteris Dei patientiâ, Constanti? Quinimò hortor, hæc pellens ex tenebrosis sensibus tuis, illas insulsa mens tua recipiat meditationes, quæ te possint in viam statuere, quæ ducant ad Dei regnum. Apprehende amœniter quod te ducat ad conuiuium Abra- G hæ, Isaac, & Iacob Dei amicorum, tu qui ausus fueris homo totius iniustitiæ, iustum te æstimare, omnibus te præponens Dei iudicio sanctæ Ecclesiæ constitutis Episcopis, fidémque sanctam quam semper tenuit ac tenet Ecclesia, reprobans, fueris nisus blasphemiam consacrilegi tui Arrij ore prolatam, nunc per satellites tuos, nunc edicto tuo, nunc spiritibus immundis, referro ore tuo prædicare, & iustè perfectum cultorem Dei, & omnia sanctè agentem vocitare, cum adhuc te neque crudelior, neque detestabilior, neque in blasphemis maiorum quam quisquam eorum regum, qui tyranni nuncupantur, fuisse reperiatur: quæ ita se habere quia in libro, qui titulatur, de regibus apostaticis, iam aperui tuam imprudentiam, nunc illud te scire volo, quia nisi te maturè conuerteris, nisi credideris, vt nos vnicum Filium Dei semper cum Patre regnasse, & numquam fuisse Patrem sine Filio, vnum etiam esse regnum Patris & vnici eius Filij, vnámque Deitatem possidere Patrem & Filium, in æternum te pe- H riturum: siquidem Arrius magister tuus creaturam dixerit Dei Filium, & tu eiusdem ad cœlum vsque laudibus extuleris blasphemiam. Nos te vrgemus, rogamus, impellimus Deo fieri amantissimum, & tu te iniuriam pati à nobis quæreris: sic inanem dignitatis tuæ tueris centuram, tanquam hæc sit te à perpetuis eruptura cruciatibus, erigis super domini Sacerdotes superbum caput, non aduertens scriptum, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Matt. 23. Luc. 18. Apostolus, *Qui cum in forma Dei esset*, dicit de vnico, quem in nos persequeris, Dei Philip. 2. Filio, *non est rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo, humiliauit se vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Ille qui in forma Patris semper & fuit, & est, & futurus est, quippè verus filius, quippè immutabilis & inconuertibilis, quia Deus sit totum potens Filius Omnipotentis, propter nostram tamen salutem sese humiliare dignatus est, vt nos iacentes, atque depressos, erectos exaltatósque efficeret, quæ

A eius sancta humilitas, te canem rabidum fecerit latrare
contra eius diuinam Maiestatem, sola videns de sacris
Scripturis, quæ præter susceptam humilitatem scripta
sunt, prætereuns ea, quæ æternam narrent eius Diuini-
tatem. Quid ad hæc respondes, Constanti? cui crebrò
109 sunt acclamantes Arriani dogmatis tui Episcopi,[109]
Episcopum te esse Episcoporum, morientes propter
Deum vnicum Filium credis, an non credis regnum pos-
sessuros cœlorum? Si credis, cur ad eius æternitatem
nos impellis negandam? Cur non desinis persequendo
nos, qui sumus credentes in eum? cur nobis es perin-
quietus & semper infestus, præbens te persecutorem, vio-
lentum, sub pacis vero titulo hostem subdolum? doleo
quod tanta tibimet acquisieris mala: lugeo te quod sis
omni ex parte positus sine spe vitæ æternæ. Cæterùm,
licet tu non gladiis tantùm scindas nosmet, sed & denti-
bus tuis sis mandens, tuam tamen rabiem, à Deo pro-
tecti superaturi sumus. Certum tene, nec in eo nos
B despicere digneris, quod videas corpora nostra fragi-
lia; quod est enim potissimum sapientiæ, recti ac mu-
niti valemus, habentes ornatus ac munimenta in cor-
dibus, ac sensibus nostris: vnde nunc nos ornatos vide-
mus, vnde munitos ac tutos esse sentimus, vnde nos sa-
pientes cognoscimus, nisi quia & blasphemiam tuam vi-
temus, & mortalia corpora nostra tuo ensi gratanter
propter Dei Filium tradamus, scientes, quod cum terre-
num nostrum domicilium interficere valueris, cœleste
quod habituri sumus, quia interficere non possis. Id-
circò etenim bona nobis, malàque proposita esse noui-
mus, vt vis omnis prudentiæ nostræ in discernendis bo-
nis malisque versaretur. Quid stultius quam temet verè
Deum negare? Quid sapientius, quàm nefandum tuum
calcare caput, & Deo propter hoc placere factum? Hinc
est quod perspicis omnibus nostris viribus nos stare para-
tos in agone iustitiæ, fide integrâ, virtute deuotâ, men-
te incorruptâ; nos ad aciem stare, quæ per te indicta est,
diuinos milites interritos. Fortiter etiam portatur a no-
C bis scutum fidei, vndè & protegente Deo quicquid ma-
nibus tuis diabolus iaculatur, extinguitur, quia calciati
sunt nostri Euangelico magisterio, & armati pedes cal-
caribus. Tu licet sis augustus, & in te obteritur rugiens
in nostram insontium necem serpens, siquidem mordere
& supplantare per te carnificem suum non præualeat:
premi etenim nos per te vult Deus, non vtique ad hoc,
vt fidem iterque deseramus Patriarcharum, Apostolo-
rum, ac Martyrum, sed vt coacti à te vnicum negare
Filium Dei, mortem etiam subire non recusemus. Non
sumus vt tu adeò stulti ac peruersi, vt malimus salutaria
excutere, mortalia verò suscipere, non sumus præsi-
dium cœlestis medicinæ fugientes; prospicimus, quod
enim licet ferro medicus secet, cauterio vrat, sinapis
incendio ad omnem dolorem ægrum deducat, tamen
nec secari, inuri, excedi, mordeerique esse inimicum: quip-
pè quod idcircò bonum sit, quia dolores inutiles aufe-
rat per adhibitos salutis causâ dolores. Vult nos Deus
mortem morte dissoluere, tormentis temporariis æter-
D na cruciamenta discutere, supplicia futura perpetua tuis
suppliciis euacuare: hi videlicet, qui cum vitam abstu-
leris à nobis, præsumamus magis posse conferri, &
quidem propter temporariam, æternam; propter fra-
gilem & caducam, incorruptibilem, perpetuam. Non
sufficere tibi censes confitentes se Christianos tantùm
gladio esse plectendos, nisi omnia genera suppliciorum
eorum infixeris corporibus, nihil interest quo genere
mortis nos punire digneris, dum per hæc ad vitam per-
fruendam admittamur æternam, dum per hæc tua mor-
rificetur rabies, nos contrà viuificemur. Si enim mise-
rum putas quod malim quouis crudeli supplicio pro Dei
interfici Filio, vt omittam æternam beatorum Marty-
rum gloriam, quocumque genere esse moriendum scio:
dabo denique tibi multos qui in lectulis crudelius pe-
reant, quos interior aliqua cerebri suppuratio infla-
uit, & neruorum secum luctantium dolore contraxit.
Interest, ex qua causa, non ex quo pendeam stipite. Quid
dicis, Rex stultissime, iniquè in ista supplicia, in huius-
modi pœnam mittor à te, an iustè? si iniquè, tua figentis E
erit crux, non mea quem fixeris: si iustè, culpa mea me
criminis mei, non pœna tua torquere incipiet. Cæterùm
quantùm ad exitum, nihil interest, clauo per te an lan-
ceâ moriar, restrictis post terga manibus an porrectis
sparsisque, vtrùm pronum, incuruum, an rectum, &
editum nihil refert: vtrùm quiescentem me in lectulo
occidas, an ceruicem mihi stanti incidas gladio, an se-
curi caput auferas: an ad palum me, an ad crucem al-
liges, igne torreas, an viuum humo condas, saxo præci-
pites, an in maria mergas,[110] labandagine magnis viribus 110
conatus vno vastissimo ictu longè à me meũ caput excu-
tias, an omni subtilitate subtilior sagitta diutissimè figẽs,
in meo corpore ludas, centũ millia licet formas pœnarum
crudelitas tua faciat. Ex his omnibus ad me sola per istam
mortem illatam, à te perueniet immortalitas, non possum
nisi gaudere cum talia ingesseris, quandoquidem per hæc
supplicia sciens sim, quod possit omne finiri supplicium.
Nam & illa quæ extrinsecùs sunt & accidere posse † per- F
petuam sæuitiam arbitror: nihil iudico ad me pertinere, † Videtur r-ponendum per tuam.
alitérne an canes meum corpus lanient, hæreant corpori
meo feræ, luminibus illis crudelibus te expectante insi-
liát, iacẽs humi vnguibus & dentibus ad ossa vsque redi-
gat, cum post hæc omnia Deo saluus sim. Cum enim cor-
pus meum talibus actis feritnæ immanitatis tuæ viribus
consumpseris, reficiet atque reparabit rerum Conditor,
& quidem ex corrupto in æternam incorruptibilitatem.
Tibi verò iniustissimo persecutori nostro venturum sine
fine supplicium scite debes, nec te putes impunè laturum,
qui nomen vnici Dei Filij vestigiis tuis subiiciendum
censueris impiè nefariéque calcandum. Beati Apostoli Rom. 8.
vox est, *Quod non sint condignæ passiones huius temporis ad*
superuenturam gloriam, quam videlicet sumus possessuri, si
per te interfici, quam negare Dei elegerimus Filium. Quæ
reuelatio ac claritas cum super omnes nos credentes
fulserit, famuli eius futuri beati semper in eius collocati
regno. Tu contrà si durandum censueris in tua perfidia,
futurus in tenebris exterioribus, desertor quippe militiæ G
atque expugnator veritatis, voluntatem qui feceris dia-
boli, vndè necesse sit te, nisi temet ab eius extraxeris la-
queis, cum ipso inextinguibili igne torqueri, sicut scri-
ptum est. Hæc dicimus non de quoquam ex nobis: de
vobis enim præuaricatoribus, de vobis blasphemis, vni-
cum Dei Filium, verum illum esse Filium negantibus, &
de omnibus in eum credere detrectantibus, legimus apud
sanctissimum Prophetam positum, *Vermis eorum non mo-* Marc 9.
rietur, & ignis eorum non extinguetur. Futurus semper
tu, si in hac manseris amentia, in inextricabiles tene-
bras. Vt enim qui Dei confitemur Filium immortalita-
tis consecuti præmia perenni luce potiemur, sic te eius
negatorem necesse est ad occasum & tenebras deferri æ-
ternas, deduceris ad illam quam tenes viam, non vt
Arriani tibi mentiuntur ad cœlum, sed ad visam mundi
arcem, ad læuam malorum, & ad impia tartara. Est
enim refugæ illius, cuius omnem voluntatem tu satel-
les illius implere repereris: est inquam illius serpentis,
qui te ab itinere vertit cœlesti, ad hanc tenendam in- H
iustitiæ viam. Hæc est illa lata & spatiosa quam nar-
rat dominus in Euangelio dicens: *Quam lata & spatiosa* Matth 7
est via quæ ducit ad interitum. Si itaque tibi consulere
nolueris, te esse inter illos dubitari non potest, quos Matth.3.
beatus Ioannes percutit dicens: *Iam autem securis ad* Luc. 3.
radicem arborum posita est, si quis non fecerit bonum fru-
ctum excidetur, & in ignem mittetur. Tu ergo & omnes
comparticipes tui, quoniam estis amarissimæ arbores
fructus portantes mortis, quippè peccantes in Deum,
nisi ad cœleste feceritis iter transitum, excidemini, vt
præcipitati veniatis dicto citiùs in altitudinem profun-
dam, vnde visurus sine dubio tu eos, quos nunc in-
iustè persequeris, vt tunc ille vidit diues Lazarum in
sinu Abrahæ, Isaac, & Iacob, amicorum Dei & om-
nium Prophetarum, Apostolorum, ac Martyrum. Non
eris, Constanti, illa euasurus supplicia, nisi primo in loco
vnicum Dei Filium verũ esse Dei Filium credideris. Dein-
de vt crebrò dictũ est, quòd semper cum Patre regnauerit,

A ac sit regnans, hoc est sine initio ac fine confessus fueris, atque te ad Catholicã Ecclesiã de nefando Arrianorum cœtu transtuleris, de morte scilicet ad vitam, & confessus fueris vt nos confitemur Catholici Patrem & Filium & Spiritum sanctum perfectam esse Trinitatem, & vnam habere Deitatem. Sic odis Christianos & omnibus persequeris modis, tanquàm possit maleuolentia tua eos vincere, qui durum asperúmque iter ingressi contemptui licet, derisui, odióque apud te sint, tamen in omni vita præsenti pauperes, humiles, ignobiles, subiecti iniuriis tuis esse velint, credentes omnia quæ amara esse noscuntur, propter Deum perferentes, se breui venturos tempore ad eximia præmia illa quæ Apostolus narrat consequenda, illa *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit,*
1.Cor.2. *nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Dominus diligentibus se.* Igitur quia illa diligentibus se repræsentabit Deus, diligentes Deum cum tibi displicemus, cum plectimur à te, Deo nos placere præsumimus; neque enim potest aliquam auctoritatem habere tua funesta sententia
B ad nos in æternum puniendos, cum qui damnas, damnandus sis, & quidem ad hoc vt perpetuas luas pœnas. Cæterùm nos quos torquens lanias, interficis, æterna suscipient gaudia, ingens habebit & immensa felicitas, perpetuáque accipiet beatitudo. Nobis igitur scias magis datam diuinitùs potestatem, vt te dum damnare nos putas, damnemus, dum punire nos posse præsumis, te Constantium sacrilegum puniamus. Siquidem ille quem negas, dare nobis Episcopis suis fuit dignatus auctoritatem, vt quæcumque ligauerimus in terris, sint ligata & in cœlis. Sustinemus propter Deum temporalia mala, vt possimus consequi æterna bona, fugimus temporalia, quæ à te veluti bona offeruntur nobis; propterea quod illa bona tua, æterna mala subsequantur. Idcircò præsentia quæ putas nobis nocibilia delegimus sustinere, vt illustris confessio dum perseuerat in nobis, æterna & immortalia consequi mereamur bona, sicut &
C tu cum eis qui te metuentes voluntati tuæ inueniuntur paruisse, & mandata deseruisse Dei, quoniam quidem præsentia magis bona fuerint eligere dignati, & futura contemnere, immortalia cum eis sis incursurus mala.
Ps.18. *Desiderabilia enim super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum. Etenim seruus tuus custodit ea. In custodiendis illis retributio multa.* Nouimus hanc vitam quam magnoperè auferre laboras esse breuissimam. Nouimus & bona istius vitæ & mala esse breuia, illius verò vitæ æternæ bona quæ consequi sumus desiderantes, quod sempiterna sint: nouimus enim quod pro bonis his breuibus, quibus tu delectaris ac frueris, mala æterna successura tibi, & nobis Christianis quos despicis, quósque omnibus virtutibus imperij tui laniando non desistis, quod sint pro his malis breuibus bona æterna successura. Hæc ita se habere legi-
Ps.125. sti in 125. Psalmo, *Magnificauit Dominus facere cum illis.* Et infrà: *Qui seminant in lachrymis, in gaudio*
D *metent. Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua,*
Ps.128. *venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.* Et in Psalm.128. *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius, labores fructuum tuorum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* Erit profectò in æternum bene eis, qui non negauerunt Dei Filium, qui labore sanctæ confessionis suæ potientur: contra tibi, si in hac amentia quâ viuis nunc semper censueris manendum, erit malè perpetuò, illa percipiens quæ nunc percipit Iscarioth Iudas: tunc te visuri nos supplicem, & tamen omnis lamentatio pœnitentiæ tuæ futura inefficax, quoniam quidem hic aut acquiratur vita perpetua, aut mors. Hæc semper voluere corde nostro, hæc diebus ac noctibus cogitare scire te volumus, tua supplicia perpetua, & præmia ac merita Dei seruorum æterna, quid neganti tibi persecutori nominis sui comminetur ad pœnam, quid autem è contrario confitentibus pollicetur ad gloriam sempiternam.

E

EPISTOLA FLORENTII AD Luciferum Episcopum.

Domino benignissimo Lucifero, Florentius.

NOmine tuo codicem quidam Domino & Augusto nostro obtulit, hunc ad Sanctitatem tuam perferri mandauit, & cognoscere desiderat, si idem codex à te destinatus sit. Id ergo quod in fide veri est, perscribere debebis, & codicem remittere, vt possit æternitati eius denuò offerri.

Florentio magistro officiorum Lucifer Episcopus.

COdicis perlatorem quem memorat honorificentia tua nomine meo adiisse imperatorem à mea fuisse destinatum mediocritate; ipsum quoque codicem; vt es admonere dignatus, sollicitè inspectum, atque Bonoso in rebus agenti perferendum traditum, † his formanda fuit religiosa prudentia tua, fili charissime. Iam tuæ erit generositatis agnitum à me sine vlla cunctatione defendere. Nos etenim propitio Deo cõtra ea quæ in nostram parantur necem stare lætos; cum causas, cur tali subscriptionem modo discutere cœperit, inueniet. F † Puto legendū infor manda.

Domino dilectissimo fratri Lucifero Episcopo & Confessori Athanasius in Domino salutem.

DEo fauente corpore valentes misimus etiam nunc charissimum nostrum Euthychetẽ Diaconũ, vt tua quoque Religiosa Sanctitas, quod est nobis optandum & desiderabile de tua incolumitate, tuorúmque omnium certiores nos efficere dignetur. Vobis namque Confes-
G soribus ac Seruis Dei viuentibus, credimus statum Catholicæ Ecclesiæ renouari, & quod hæretici conscindere tentauerunt, hoc Dominum nostrum IESVM CHRISTVM per vos ad integrum restituere. Quamquàm enim præcursores Antichristi per potentiam huius mundi omnia egerint, vt extinguerent lucernam veritatis; tamen diuinitas per vestram confessionem clariorem eius lucem ostendit, vt neminem latere possit eorum fallacia. Antehac vel simulare poterant, nunc Antichristi nominantur. Quis enim non exercetur, qui eorum communionem tanquàm maculam, ac virus anguis non fugiat? Omnis vbiq; Ecclesia luget, omnis ciuitas gemit, senes Episcopi in exilio laborant, & hæretici dissimulant, qui dum negant Christum, Publicanos se effecerunt sedentes in Ecclesiis, & exigentes vectigalia. O nouum genus hominum, & persecutionis, quod adinuenit diabolus, vt ipsis ministris ad malefaciendum, & tantâ crudelitate vteretur! Sed etsi hæc tanta agunt, & superbias & blasphe-
H mias extenderunt, Confessio tamen, & Religio, & Sapientia vestra non modicum, sed maximum solatium, & magna consolatio est fraternitati. Peruenit enim ad nos scripsisse Sanctitatem tuam Augusto Constantio, & magis magisque miramur, quia in medio tanquàm scorpionum habitans, animi tamen libertate vteris, vt vel monendo, vel docendo, vel emendando errantes ad lumen veritatis adducas. Rogo igitur, rogant mecum etiam omnes Confessores, vt digneris nobis exemplum destinare, vt non tantùm auditu, sed etiam ex literis perspicere possint omnes animæ tuæ virtutem, fideique fiduciam & libertatem. Salutant Sanctitatem tuam qui mecum sunt: Saluto omnes qui tecum sunt. Diuinitas te incolumem, vegetum, memorémque nostri semper tueatur Domine dilectissime ac verè homo Dei.

A His acceptis literis, Lucifer misit libros quos ad Constantium scripserat, quos cum legisset Athanasius, hanc infra Epistolam misit.

Domino gloriosissimo ac meritò desiderantissimo Coëpiscopo Lucifero, Athanasius in Domino salutem.*

ETsi credo peruenisse etiam ad Sanctitatem tuam de persecutione quam etiam nunc aduersus fraternitatem facere conati sunt inimici Christi, quærentes sanguinem nostrum; possunt tamen etiam charissimi nostri referre Religioni tuæ: in tantùm enim rabiem suam per milites extendere ausi sunt, vt non solum ciuitatis Clericos effugarent, sed etiam ad Eremitas exirent, & fu-
B nestas suas manus aduersus μονάζοντας immitterent. Inde factum est, vt etiam ego me longiùs abducerem, ne etiam qui nos susceperunt, negotium ab eisdem paterentur. Cui etenim parcent Arriani, qui nec animis suis pepercerunt? Quando autem possunt recedere à suis nefandis actibus, dum permanent negando dominum Christum vnicum Filium Dei? Hæc est radix eorum prauitatis, hoc suo arenoso fundamento ædificant peruersas suas vias, sicut scriptum inuenimus in tertiode-
Psal.13 cimo psalmo, *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Et mox sequitur. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in operibus suis.* Inde Iudæi negantes Filium Dei digni fuerunt audire, *Væ gens peccatrix, populus plenus delictis, semen malignum, filij sine lege.* Vnde sine lege? *Quippè quia dereliquistis Dominum.* Inde beatissimus Paulus cum cœpisset non tantùm credere in Filium Dei, verumetiam prædicare Deitatem ipsius, scribebat: *In nullo mihi mali conscius sum*, ita iuxta vestram
C confessionem etiam nos optamus tenentes Apostolicam traditionem viuere iuxta diuinæ legis mandata, vt possimus vobiscum inueniri in choro illo, in quo nunc exultant Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, ac Martyres. Licet igitur Arriana insania cum extranea potentia, ita se mouebat, vt non liceret nec fratres quantum illi sæuiebant liberè aërem videre, tamen iuxta orationes tuas Deo fauente, etsi cum labore & periculo videre potui fratrem, qui solet tam necessaria quam Epistolas tam Sanctitatis tuæ, quam aliorum destinare. Accepimus itaque Epistolas & libros religiosissimæ ac sapientissimæ Animę tuę, in quib. perspeximus imaginem Apostolicam, fiduciam propheticam, magisterium veritatis, doctrinam veræ fidei, viam cœlestem, Martyrij gloriam, triumphos aduersus hæresem Arrianam, traditionem integram, Patrum nostrorum regulam rectam Ecclesiastici ordinis. O verè Lucifer, qui iuxta nomen lumen veritatis ferens posuisti super candelabrum, vt luceat omnibus! Quis enim, exceptis Arrianis, non peruidet ex tua doctrina veram quidem fidem, maculam autem Arrianorum val-
D de & admirabiliter, vt est lumen à tenebris, ita separasti veritatem à calliditate, & hypocrisi hæreticorum defendisti Catholicam Ecclesiam, probasti nihil esse, sed tantùm phantasiam Arrianorum verba, docuisti calcandos esse frendores diabolicos. Quàm bona & iucunda hortamenta tua ad Martyrium, quàm desideratissimam ostendisti mortem esse pro Christo Filio Dei, quàm futuri sæculi & vitæ cœlestis amorem manifestasti? Videris esse verum templum Saluatoris, qui in te habitans hæc ipse per te loquitur, ipse qui tantam gratiam præbuit sermonibus tuis, quippè qui antè eras apud omnes amabilis, nunc tamen tantus est amor affectionis tuæ in animis omnium collocatus, vt Heliam te temporibus nostris nominent, & non mirum. Si enim qui Deo placere videntur, Filij Dei nominantur, tantò magis particeps Prophetarum Confessorem, & maximè te appellare dignum est. Crede mihi Lucifer, non tu solus hæc locutus es, sed Spiritus sanctus tecum; vnde hæc tanta memoria scripturarum, vnde sensus & intellectus eatundem integer? vnde talis ordo sermonis compositus? vnde tanta hortamenta in viam cœlestem? vnde fiducia contra diabolum, & probationes aduersus hæreticos, nisi Spiritus sanctus collocatus esset in te. Gaude igitur in eo te esse, iam peruidens, in quo etiam prædecessores tui nunc sunt Martyres, hoc est, in choro Angelorum? Gaudemus etiam nos habentes & exemplum virtutis, & patientiæ, & libertatis. Nam de his quæ scripsisti de nomine meo, erubesco aliquid proferre, ne videar adulator, sed scio & credo ipsum Dominum, qui Sancto & Religioso animo tuo reuelauit omnem notitiam, redditurum tibi etiam pro hoc labore præmium in regno Cœlorum. Quia ergo talis es, precatorem te esse pro nobis per orationes ad Dominum petimus, vt iam inspicere dignetur, vt est misericors, Ecclesiam Catholicam, & eripiat omnes famulos suos de manibus persecutorum, quo etiam hi omnes, qui propter metum temporalem ceciderunt, leuare se tandem possint, & reuerti ad viam iustitiæ, à qua seducti vagantur, nescientes in qua fouea sint miseri. Specialiter autem ego F
peto, si aliquid minùs à me dictum est, ignoscere digneris; à tanto enim fonte quod potuit imperitia, ea vix haurire valuit. De fratribus autem nostris sin minùs potui videre, eosdem iterum ignoscas peto. Est enim ipsa Veritas testis, optasse me & desiderasse hoc impetrare, & tantùm habuisse dolorem, quod non potui: nam nec lachrymæ cessauerunt ab oculis, nec gemitus ab animo, quia nec fratres permittimur videre. Testis est autem Dominus, quia nec parentes, quos habeo, potui videre, ex quo persequuntur nos. Quid enim non faciunt Arriani, itinera obseruant, curas agunt de proficiscentibus & exeuntibus de ciuitate, naues quærunt, Eremias gyrant, domos perturbant, concutiunt, fratres singulis negotiis concinnant: sed Deo gratias dum hæc agunt tantò magis & plus execrantur ab omnibus, & cognoscuntur verè, vt dicit Sanctitas tua, mancipia esse Antichristi, & ipsi miseri dum in odio habentur, durant in malignitate sua, donec morte aui sui Pharaonis G
& ipsi damnentur. Salutant Religionem tuam, qui mecum sunt, dignare salutare qui tecum sunt. Diuina Dei gratia incolumem te memorem nostri semper beatum conseruet, meritò homo Dei, famule Christi, particeps Apostolorum, solatium fraternitatis, magister veritatis, & in omnibus desiderantissime.

Epistola Liberij Papæ ad Constantium Augustum, quæ sequebatur, extat tomo 1. Conciliorum. Item S. Athanasij ad solitariæ vitæ studiosos, extat inter ipsius opera, ideò nos illas hîc omisimus.

SCHOLIA IOANNIS Tilij Episcopi Meldensis in Luciferi Calarit. H

OPVSCVLA.

1. PAcis *causa.*] Propter edictum pacificatorium à Constantio Arriano promulgatum prætextu pacis cum fratre Constante natu minore, qui Catholicus erat, vt postea videbitur.

2. *Vtique inspecta opera tua.*] Ablatiuus est absolutus more Græcorum, quem vsurpat pro plurali, inspectis operibus tuis, quo sæpenumerò vtitur tam in nominatiuo, quàm accusatiuo casibus.

3. *Proclamatum.*] Quod nos dicimus appellantem. Participium est iterùm ab auctore infrà repetitum, verùm in actiua voce, his verbis: Si iustum est iudicium audiri se proclamantem, id est, appellantem de iudiciis iniqua sententia, quam videlicet peruersè aduersus Athanasium tulerat Constantius.

4. Et

A 4. *Et interrogatu Cain sumit sententiam.*] Vbi sumere sententiam dicit, pro condemnari. Sumit ergo sententiam, id est, condemnatur à Domino, qui quidem dat nobis formam iudicandi, verum posteaquam audiuerimus, & diligenter percontati fuerimus. Quemadmodùm anteà dixit serpenti: *Quia tu fecisti hoc, maledictus ab omnibus pecudibus terræ,* &c.

5. Sæpissimè variat personas & numeros tàm in allegatione Scripturarum, quàm in contextu orationis, vt, Ego sum Dominus Deus vester, non nocebis proximo tuo, deinde subdit, Non facietis iniquum in iudicio, &c.

6. *Non odies.*] Dixit, pro non odio prosequeris, aut habebis fratrem tuum.

7. *Ad innocentis rogasti necem.*] Vide ab Imperatore deferri Episcopis iudicium sanguinolentum, & huius fit mentio toto hoc libro.

8. *Gens magna & dura multa.*] Pro multùm dura &
B aspera, suo more & Græcorum, qui sæpissimè vtuntur huiusmodi adiectiuis pro aduerbiis, vel apponenda virgula ante, multa, vt legatur, gens magna & dura, multa & potentior.

9. *Nunquàm profectò Moysis vocem superhabuissent.*] Id est, nunquàm Moyses hæc verba illis addidisset, numquàm sermonem ad illos prosequutus fuisset.

10. *Et inter te esse permitteret.*] Id est, apud te esse, in tua potestate atque arbitrio penes te. Dura est ac rudis admodum loquutio, quà tamen sæpissimè vtitur.

11. *Ad gerendum populum eius.*] id est, ad regendum ac gubernandum populum eius: vbi gerere, pro gubernare & regere vsurpat: vel fortè reponi debet regendum, quod immutatum est librarij vitio.

12. *Cohæreticum.*] & coapostatam, & in similibus vide compositionem è Græco & Latino, quod libellum hunc vulgari loquendi modo conscriptum declarat.

13. *Quem Dominus allegisset.*] Allegisset, dixit, pro
C elegisset, seu vocasset, aut ab eo allectus fuisset, vbi dignoscitur verorum Episcoporum institutionis forma, & quòd principi non licet instituere antistites, & de manus impositione.

14. *Vt eximiam possis cernere operam tuam.*] id est, eximia atque egregia facta tua & opera, vt antè iam diximus.

15. *Custodire & facere.*] Pro custodi & fac, infinitiuus pro imperatiuo more Græcorum, quorum loquutiones in talibus prorsus sequitur.

16. *In primo regnorum libro.*] Ita hos libros vocabant veteres, & non regum, vt videre est apud Tertullianum, Cyprianum, August. & alios antiquos.

17. *Et mortificauit ipse sacerdotes Domini.*] Id est, morti tradidit, morte mulctauit & interfecit, quemadmodum ipsemet posteà explicat linea sequenti. Et occidit illa die trecentos quinque viros.

18. *Et Obeu ciuitatem.*] Huiusmodi propria nomina
D vt hic à nostris Bibliis sunt ferè omnia diuersa, ita etiam in sequentibus non concordant, vt inde facilè videre sit longè aliam vulgarem tunc temporis ipsos à nobis habuisse versionem, quæ emendata posteà fuerit.

19. *Greges ouium, quæ.*] Ita habetur in vetusto exemplari, cum dicendum fuisset, qui.

20. *Et dempsit pinnam chlamydis Saul occultè.*] Id est, ademit occultè, & clàm abstulit oram chlamydis Saul. Vbi dignoscitur summa bonitas ipsius Dauidis, qui cùm Saul interficere posset, tamen ei pepercerit.

21. *In spelæo.*] ἐν σπηλαίῳ. id est, in spelunca, in loco abdito & concauo. Sic sæpenumerò dictiones integras Græcas vsurpat Latinis eas immiscens, vt antè dixit, thlipsen, θλῖψιν, pro afflictione: vnde facile intelligere est, tunc temporis sic ipsos fuisse locutos. Insulæ etiam illæ, in quarum vna hic auctor sedem suam habebat, atque in aula Imperatoris græcizabant.

22. *Quod enim non sumus vertentes Dei populum.*] Vbi non sumus vertentes, dicit more Græcorum, pro non vertimus, & vertimus, pro euertimus, sicut ait paulò
E infrà: Nos non euertimus Dei domum, sed tu, id est, non perturbamus Dei domum: non confundimus neque delinquere facimus Dei populum, quemadmodùm vos Ariani. Deinde paulò inferiùs, vertere vsurpat pro conuertere, sic inquiens: Nec post tanta dignatur semet vertere ad Deum, id est, conuertere ad Deum, & eum obsecrari, vt ipsi sit misericors.

23. *Ego superaui solus Prophetarum.*] Vbi superaui dicit, pro superfum, id est, solus inter Dei veros Prophetas remansi & superfum, qui vos quadringentos falsos Baal prophetas vincam.

24. *Et constipauit schizas super altare.*] Id est, collegit schizas, id est, ligna quæ secuerat & sciderat super altare. Nam σχίζειν, scindere est vel secare, & σχίζα, lignum sectum, & in particulas discissum.

25. *Et tu versasti cor populi huius retrò.*] Vbi versasti, pro auertisti, dicit, ac si diceret, propter malitiam populi eius, cum retrò à te auertisti, quæ interpretatio ad
versionem Hebraicam propius accedit. F

26. *Et cœlum contenebricauit nubibus.*] Id est, cœlum tenebrosum & obscurum factum est, sicuti fit adueniente pluuia.

27. *Et iudicare habitantes in Ierusalem.*] Id est, ad iudicandum, & vt iudicent habitatores Ierusalem.

28. *Et non sic opera Israël.*] Puto legendum, Et non sicut opera Israël, quod vulgata versio habet, & non iuxta peccata Israël.

29. *Aut si non is es, qui merearis numerari inter Antichristos.*] Phrasis rudis est, quasi dicat, tu mihi videris ille esse, de quo Psalmista loquens, de antichristis verba facit: vel etiam æstima, num tu is es, qui merearis numerari inter antichristos, qui Dei vnici filij negator existis.

30. *Iustissime Imperator.*] Hoc dicit ἀντιφραστικῶς, cùm eum iniustissimum atque impiissimum iudicet, quia ab-
sentem, & quod peius est, innocentem voluerit damnari Athanasium. G

31. *Scariothen.*] Iota ablato dicit, & ita sæpissimè nomina propria corrumpit, vt tunc vulgus loquebatur.

32. *Melius est modicum iustum.*] id est, præstat iustum esse modica bona possidendo, quàm iniustum esse, & ingentes diuitias cum peccatoribus possidere.

33. *Inficiari Athanasium.*] Pro, falsi criminis accusare Athanasium, & ei iniuriam facere.

34. *Non fuit tua tentamenta adire corda recta.*] id est, Deus, cui dicati viuimus, non permisit conatus tuos pestiferos ingredi corda nostra, liberauit nos à vanis conatibus tuis: vbi tentamenta, pro conatus dicit.

35. *Et superbus extitissem te contra.*] Clarius fuisset, si sic dixisset, & contra te superbus extitissem: verùm sic sæpenumerò transponit verba, & implicat dictiones.

36. *Quam ei se tulisse tuus arbitratus fuerat pater.*] Vbi tulisse dicit, pro abstulisse. Et notandum hoc loco
est, quòd principes Christiani hæreticos non recipiebant, verùm eos reiiciebant à suis ditionibus, eratque hoc illis pro confesso, & tali erant adstricti sacramento, hæreticos videlicet à regno suo expellendi. H

37. *Idcircò námque Athanasium perosum habuit à patre tuo.*] Hinc apparet, Imperatorem Constantium magnum in senectute fuisse Arianum, quod plerique etiam historici narrant.

38. *Germanicienfium.*] Antea dixit Germanensium, hoc loco in veteri codice legebatur Germanensium, quod veteri scriptura emendatum fuit Germaniciensium.

39. *Quasi holocaustam hostiam accepit illos.*] ὁλοκαυτώματος θυσίας, id est, sacrificium totum vstum & consummatum accepit illos.

40. *Eremias difficiles,*] ἐρημίας, id est, loca deserta, ardua ac difficilia. Iterùm vt suprà Græcam dictionem, quod sæpissimè facit, vsurpat.

41. *Digni quidem illi carere lumen.*] Pro, lumine & luce priuari, vbi accusatiuum pro ablatiuo vsurpat.

42. *Quia vt laqueum facti estis ad insidiam.*] Pro ad insidias,

A insidias, vt antè dixit, operam tuam, pro operibus tuis, & laqueum ponit in neutro:

43. *Scrutinabo Ierusalem cum lucerna.*] Vbi scrutinabo, pro inquiram, dicit, vnde scrutinium pro inquisitione & catechesi vsurpatur etiam apud veteres.

44. *Vt non obedirent legem meam.*]Pro legi meæ, vt suprà carere lumen, pro, lumine, idest, vt non parerent legi meæ.

45. *Quia cogis facere nos eam rem.*]Vbi quia, ponit pro cur: vno etenim pro altero sæpissimè vtitur, & pro cum etiam, vt, cum occurret, dicetur.

46. *Salutarem consequi baptismum.*] Videtur innuere, Constantium baptizatum ab hæreticis, rebaptizandum, vel nondum baptizatum, quod magis credo.

47. *Concarnifices tuos.*] Id est, carnifices, vt tu es. Sæpissimè his compositionibus vtitur, vt coarianos tuos, compestilentes tuos, comblasphemos tuos, coapostatas tuos, & his similibus.

B 48. *Appropiauit enim salutare meum aduenire.*] Vbi appropiauit pro appropinquauit, dicit, & aduenire, pro aduenit, infinitiuus pro perfecto. Ibidem: Et paulò inferiùs, num. videlicet 49. appropiare Deo desiderant, id est, percupiunt proximi esse Deo, appropinquare Deo.

50. *Cum torquendo vanè non desinas seruos Dei.*] Vbi gerundium torquendo, pro infinitiuo torquere vsurpat, vt suprà ferendo, pro ferre.

51. *Natos videlicet de impuderato patre vestro diabolo.*] Vbi impuderato dixit, pro impudente, qualis est diabolus omnium hæreticorum pater.

In lib. II.

52. *Non potentabitis sanguinem innocentis.*] Id est, potestatem vestram super innocentem non exercebitis, vt sanguinem eius fundatis: & ipsum interficiatis: vbi potentare, pro potestatem & dominium exercere

C vsurpat.

53. *Noluimus innocentum ferre sententiam.*] Vbi innocentum, pro de innocentibus dicit: clarius tamen fuisset, si dixisset: noluimus ferre sententiam in innocentes, siue in innocentem, & fortè in innocentem legendum est.

54. *Qui nec laniando Dei destiteris seruos.*] Dura ac rudis admodum loquutio est, & more Græcorum duæ negatiuæ pro affirmatione ponuntur. Item dicit laniando pro laniare, vt sæpenumerò antè dictum est, gerundium pro infinitiuo, seminans pro seminare, quod Latinius efferetur, Nisi tu quidem qui neque laniare Dei destiteris seruos, neque blasphemias tuas toto in regno tuo seminare.

55. *Non poterit dubitari.*] Pro nemo poterit dubitare, id est, nemo ignorabit, te conatum fuisse exterminare pascuam, pro pascua Dei.

56. *Vt si in votis gererent in suis considere sedibus.*] Vbi in votis gererent, dixit, pro in votis haberent,

D id est, si vellent in suis remanere sedibus securi, Apostolicam prædicare fidem non auderent: vbi notanda est hæreticorum aduersus catholicos crudelitas & sæuitia.

57. *Tanquam fugisset nos monella dicentis.*] Vbi monellam pro admonitione & exhortatione capit.

58. *Et abortiuerit non deformatum.*] Pro abortum passa fuerit, & pepererit non deformatum, id est, integrum & perfectum, nec membris captum aut mutilum: Et hæc lectio propiùs accedit ad textum Hebraicum, quàm nostra communis.

59. *Et non misisse crimen Athanasio falsum.*] Vbi misisse dicit, pro immisisse, id est, Si hæc, quæ de te assero, non egeris, iam non es Arianus, nec falsò Athanasium accusasti.

60. *Te falsa hæc cum consacrilegis tuis poëtasse.*] Id est, finxisse, & falsò artulisse, quòd poëtæ multa, quæ numquam fuerunt, fingant.

61. *Tu tenebra.*] Singulare, quod non est in vsu, vsurpat pro plurali, tenebræ, vt operam tuam, pro, operibus tuis. E

62. *In camino.*] Pro, in caminum, vt mox dicet: sed sæpissimè non multùm est diligens in obseruandis grammaticorum regulis.

63. *Qui nisi feceris, vt & nunc, semper futurus.*] Fortè reponendum, quod nisi feceris, vt es nunc, semper eris futurus.

64. *Est factum.*]Dicendum, sunt facta: & in veteri codice scriptum erat in singulari, arguatur opera eius, & manifestetur opera eius. Genera & numeros more vulgari non semper obseruat.

65. *Exorbitasse.*] Id est, aberrasse, declinasse, à iustitiæ regula discessisse.

66. Multa hîc desiderantur, quæ reponenda sunt ex Bibliis: Festus autem cum venisset in prouinciam præses, adscendit Hierosolyma à Cæsarea, adieruntque eum principes sacerdotum & primi Iudæorum aduersus Paulum: & rogabant eum, postulantes gratiam aduersus eum, vt iuberet produci eum in Ierusalem, insidias tendentes. F

67. *Et tu cùm mendax esse clarueris.*] Id est, cùm luce clarius sit te mendacem esse, & falsa contra Athanasium dixisse.

68. *Igitur cùm tu hinc doctrinam.*] Fortè hanc doctrinam: & mox blasphemis tuis manifestissimè comprobares, reponendum etiam puto blasphemiis tuis manifestissimè comprobaris: & postea, probat sequentia, probant sequentia, vel sequentia fœmininum facit.

69. *Identemmini Episcopi.*] Hoc nomen corruptum est, & puto reponendum esse, integerrimi Episcopi, vel tale aliquid.

70. *Tulisti Episcopos è plebibus.*] Id est, abstulisti, deposuisti Episcopos Catholicos, & arianos instituisti.

71. *Cor tuum iaculauit.*] Id est, iaculatus est cor tuum, feriit cor tuum. Actiuum vsurpat loco passiui, quod Latinè non dicitur, G

72. *Et quia falsò temperassemus crimini.*] Vbi temperassemus, pro obtemperassemus, paruissemus, falso crimini in Athanasium delato.

In lib. de Reg. Apostat.

73. *Et fecerunt sibi Israël ante faciem Madia cryptas in montibus.*] Id est, loca concaua & occulta in montibus. Nam κρύπτειν, occultare est & celare, speluncas, σπήλαιας, σπήλας.

74. *Quæ prædauit populus.*] Pro deprædatus est populus, & spoliauit Amalech, vt antea dixit, iaculauit, pro iaculatus est.

75. *Et regnificauerunt eum in Israël,*] Id est, regnare fecerunt in Israël, regem super Israël constituerunt.

76. *Erat exilis, & nomen ei Achiobeth, hic erat.*] Puto fuisse legendum, Erat ex Silo, & nomen ei Achiab, & hic erat, &c.

77. *Nisi pater meus benè fecisset conferre se ad Arianos.*] Hinc apparet, Constantinum Magnum in senectute deuenisse Arianum. H

78. *In duobus ædibus.*] Sic sæpenumerò confundit genera: dicendum enim erat in duabus ædibus, vel in duobus atriis, vt habet vulgata translatio.

79. *Qui cum sciti fuissent à Deo.*] Id est quos cùm Deus sciuisset delictorum suorum pœnitentiam minimè acturos, &c.

80. *Propterea fuerit ab initio malignum.*] Fortè propterea quòd fuerint ab initio maligni.

In lib. de non conueniendo cum hæreticis.

81. *Neque tradetis,* deinde sequitur, *neque dabis.*] Variat hic etiam numeros, vt iam dictum est, cùm in vulgata omnia sint in singulari.

82. *Qui finxeris pacem te facere.*] De edicto illo pacificatorio loquitur à Constantio pro Arianis facto &

promul

A promulgato, de quo postea In hoc libello mentionem facit.

83. *Te non Arij cancerasse sermonem.*] id est, non poteris dicere, quòd Arij verba non te cancerarint, hoc est, vt morbus cancer rodere ac putrescere corpora solet, te non consumpserint, & fœtidum reddiderint, quandoquidem fœtor cancerationis tuæ, id est, Ariani tui dogmatis, quod vt cancer vbique serpit, & omnes corrumpit, iam ferè totam Italiam peruaserit.

In lib. de non parcend. in Deum delinquent.

84. *Vt non occiderem.*] In veteri codice habetur, vt non ἐξωνήσωσα, & alia manu in interlinea, occiderem.

85. *A qua te per Arianos abigauit coluber ille.*] id est, à qua te abegit & expulit coluber ille refuga, qui Adamum & Euam seduxit, vbi abigauit, pro abegit, vsurpat.

B 86. *Ne inducas illos vniuersum populum.*] Pro, ne ducas in illos omnem populum: Sic sæpissimè inuertit dictiones more Græcorum, quo fit vt obscurior & rudior appareat.

87. *Legisti Oziam regem.*] Librarius hæc immutauit: vetus enim codex legit Odiam regem; & Oziam sacerdotem appellat, pro Azaria.

88. *Quia amaricauerunt me ipsi.*] id est, ipsi me exacerbarunt & exasperarunt, me amarum erga seipsos reddiderunt. Sæpenumerò hoc verbo vtitur, etiam in participio, vt sequitur paulò inferiùs, Quoniam domus amaricans est.

89. *Et abominauerunt coinquinationem.*] Pro, abominati sunt coinquinationem generis tui.

90. *Regis edicto, quàm Dei.*] Subaudiendum magis vel potius, & hoc modo sæpe loquitur.

91. *Cur me incusas, quod enim sim.*] Multis in locis illud enim redundat, vt apud Græcos particula δὲ, sed apud Latinos sensum facit obscuriorem, & sæpissimè ita loquitur.

C 92. *Et demoliet muros lapidum.*] Vbi demoliet, quod non est in vsu, pro demolietur, dicit, id est, destruet ac diripiet muros lapideos ciuitatis eorum.

93. *Aut habe certum.*] Pro, certò scias, sis certus, quod Deus ad nihilum tuam reducet superbiam.

94. *Consciotinum tuum.*] id est, inter eum, qui tecum, ac sicut tu, versatur in tenebris: nam σκότος tenebræ sunt. Alludit contrario nomine ad Photini nomen.

95. *Hetœmiu.*] ἕτοιμος paratum & promptum significat, quemadmodum etiam Bariesu interpretatur, quod nomen alij maleficum & magnum exponunt: & videtur ἕτοιμος legisse pro ἐλύμας, quod magnum siue corruptorem & perniciosum significat.

96. *Dolet enim te tam fidelissimum delicium suum.*] Singulare vsurpat, quòd non est in vsu, pro plurali, tam fidelissimas delicias suas, vt aliàs antè sæpissimè dictum est.

97. *Nos verò Romani.*] Se Romanum dicit, quia è Patriarcha Romana, cùm Sardus esset.

D 98. *Pronuntiantis.*] Fortè pronunciatis, vel sic distinguenda est lectio, ex illis anticluistis, ore pronunciantis Ioannis tenelatus.

99. *Quo cuncti possunt.*] Fortè possint, vt sit sensus: & tu deit tis illius, vt cuncti eam possint negare, extitisti traditor.

100. *Comitibus tuis.*] Comites tunc erant præcipui magistratus apud Cæsarem.

101. *Cuius tu satellis es.*] Pro satelles, minister, vt prophetis, prophetes, siue pro propheta.

102. *Iustitia hortamur.*] id est, Hortamur & inuitamus te ad iustitiam tuendam & conseruandam, admonemus te de iustitia.

103. *Dextrocheria.*] Videtur dictio è Latino & Græco composita, pro ornamento quodam in manu dextera.

104. *Vt desinas crimina falsa Dei mittere sacerdotibus,*] id est, vt desinas crimina falsa Dei sacerdotibus obiicere; falsò eos accusare: vbi mittere, pro immittere dicit.

105. *Deo oportuerat an Antiocho placendum.*] Pro placere, sicut antè dixit, nocitum pro nocere.

In librum, moriendum esse pro Dei Filio. E

106. *Vna tincta subscriptionis.*] Pro vna subscriptione: quæ tinctura seu atramento sit tincta nomen nouum.

107. *Cum multis tolerabilius.*] Fortè multò, vel multos tolerabiliùs.

108. *Conuertens.*] Participium pro gerundiuo, sic sæpè vtitur, conuertendo nos tuos clientes efficere.

109. *Episcopum te esse Episcoporum.*] Eodem modo hæretici de regibus nostris adulatoriè dicunt.

110. *Labandagine.*] Dictio barbara, pro forma quadam instrumenti, quod vi ducebatur. Vnde etiam apud nos illud, quo balistæ renduntur, vocatur bandage.

VITA VICTORINI AFRI, E. D. Hieronymo.

F *Victorinus natione Afer, Romæ sub Constantio Principe Rhetoricam docuit, & in extrema senectute Christi se tradens fidei, scripsit aduersus Arium libros more dialectico valde obscuros, qui ab eruditis modò intelliguntur: Et commentarios in Apostolum.*

Ex lib. 8. Confessionum S. Augustini, cap. 2.

Vbi Commemoraui Episcopo Ambrosio legisse me quosdam libros Platonis, quos Victorinus quondam Rhetor vrbis Romæ, quem Christianum defunctum esse audieram, in latinam linguam transtulisset; vt me exhortaretur ad humilitatem Christi, mihi narrauit quemadmodùm ille doctissimus senex, & omnium liberalium doctrinarum peritissimus, quique Philosophorum tam multa legerat, & diiudicauerat, & dilucidauerat, doctor tot nobilium Senatorum; quique etiam ob insigne præclari Magisterij, statuam in Romano foro meruerat, & acceperat; non erubuerit esse puer Christi tui, & infans fontis tui, subiecto collo ad humilitatis iugum, & edomitâ fronte ad crucis opprobrium, &c. G

Eusebius Nicomediensis hic fuit, Græcè sic legitur: καὶ πάντα κοινωνῶ καθ' ὑμῶν ὁ ἐπίσκοπος;

Multa licet colligas, ô amice Victorine, & argumenta, & exempla, quibus approbare nitaris natum Christum esse, non factum: Arius tamen vir acris ingenij, eiusque discipuli, & inter eximios excellens Eusebius suis epistolis de isto sententias protulerunt, quas epistolas nunc subiicimus Arij ad Eusebium. Domino desideratissimo, homini Dei, fideli, recta opinanti, Arius qui persecutionem patitur ab Alexandro Papa iniustè, propter omnia vincentem veritatem, pro qua & tu propugnas in Domino; salutem esse. Patre meo Ammonio veniente ad Nicomediam, ratione debitum apparuit salutare te per ipsum, simulque & commune facere charitatem tibi innatam, & affectionem, quam habes ad fratres, propter Dominum & Christum eius. Quoniam magnificè nos exportat & persequitur, & omne malum mouet aduersum nos Episcopus, vt fuget nos de ciuitate, quasi homines sine Deo, quoniam non consonamus ipsi publicè dicenti: Ingenito genitus est, semper Deus, semper Filius, simul Pater, simul Filius consubsistit ingenite, Filius Patri semper genitus est, neque ad intelligentia, neque exiguo aliquo præcedit Deus Filium: semper filius ex ipso est Deo filius. Et quoniam Eusebius frater tuus, qui in Cæsarea est, & Theodotus, & Paulinus, & Anasthasius, & Gregorius, & Aetius, & omnes qui circa orientem dicunt, quod præexistit Deus filio sine principio: anathema facti sunt, excepto solo Philogonio & Hellanico, & Macario hominibus hæreticis, quibus non insonuit, quod Filium dicunt alij eructationem, alij simul ingenitum.

H *prouerbialiter. Interpres legit in Græco ἄθεοι: ἀθέων, Arianorum dogmata. Passiuè dixit, persequitur.*

A *At istorũ sacrilegia nec audire possumus, etiamsi decies mille mortes nobis minentur heretici. Nos autem dicimus, & sapimus, & docuimus, & docemus, quoniam Filius non est ingenitus, neque pars ingeniti iuxta vllum modum, nec ex subiecto aliquo, sed quod voluntate & cogitatione subsistis ante tempora & Æones. Plenus Deus, vnigenitus & immutabilis, & antequam genitus esset, aut creatus, vel definitus, aut fundatus non fuit, ingenitus enim non fuit. Persequimur, quoniam diximus, principium habet Filius, Deus autem sine initio. Propterea persequimur, & quia diximus, quia non de existentibus est. Sic autem diximus, iuxta quod nec pars Dei est, nec ex subiecto aliquo, idcirco persequimur. Iam tu scis confortari te in Domino. Preces facio, memores tribulationum nostrarum Collucianista vere,* Ευσέβι. *Hac Arius dicit.*

Paulus Tyri Epi. *Et de his Eusebius iuxta istum modum talia ad Paulinũ. Quoniam enim neque duo ingenita audiuimus, neque vnum in duo diuisum, neque corporale aliquid quod patiatur: didicimus aut credidimus, Domine, sed vnum quidem ingenitum,* B *vnum autem quod ab ipso verè, & non ex eius substantia factum, vniuersale natura eius qua sit ingenita. Neque participans, vel non ex eius substantia, sed factum omninò, alterum naturâ & potentiâ, ad perfectam similitudinem & affectionis & potentia eius, qui efficit quod factum est. Cuius principium non solum sermone inenarrabile, sed & excogitatione. Nec hominum solùm, sed & eorum, qui super homines omninò esse incomprehensibile credidimus. Et hac non legimus nobis substituentes, sed à S. scriptura didicimus. Didicimus conditum eum esse, & fundatum, & factum, substantia & immutabili, & ineffabili natura, & similitudine ea qua sit ad faciendum didicimus. Sicut ipse Dominus dicit: Deus cõdidit me principium viarum suarum, & ante Æonem fundauit me, ante omnes colles genuit me.* (Prou.8.) *Si autem ex ipso, hoc est, ab ipso erat sicuti pars eius, aut ex effluentia substantia, non conditum iam, neque fundatum esse dictum, nec tu ignoras, Domine: Verè id enim, quod ab ingenito existens est, conditum ampliùs ab altero, vel à seipso, aut fundatum non fuisset, à principio ingenitum quod fuisset: Si autem natum illud dicere, substantiã quandam prastare est, veluti ex substantia paterna ipsum* C *fuisset, & habere ex ipso identitatẽ natura, cognoscimus quod de ipso solo natum esse dixerit Scriptura, sed & indissimilibus ipsi in omnibus naturaliter: etenim & in hominibus dicit: Filios genui & exaltaui, ipsi autem me respuerũt.* (Esa.1.) *Et Deũ qui te genuit, dereliquisti. Et alibi: Quis, inquit, est, qui pepererit glebas roris?* (Gutta.) *Non naturam ex natura exponens, sed natura vniuscuiusque eorum, qua generata sunt ex eius voluntate generationem: nihil est enim de substantia eius: cuncta autem voluntate eius facta vnumquodque vt & effectum est: Et ille quidem Deus, quadam autem ad similitudinem eius per ipsum* λόγῳ *similia futura: quadam autem iuxta participationem substantia facta, omnia autem per ipsum à Deo facta, omnia autem ex Deo Qua accipiens & destruens secundum qua adest tibi diuinitus gratia, scribere Domino meo Alexandro cura. Credidi enim quia scripseris ipsi, pudorem illi facias. Saluta omnes qui sunt in Domino. Saluum te, & pro nobis orantem diuina gratia custodiat, Domine.*

D

AD LECTOREM.

Opus istud Victorini ob obscuritatem cum iudicio legendum, nam nonnulla continet duriuscula, & ab vsu loquendi Theologorum aliena.

EX BELLARMINO, DE SCRIPTORIBUS Ecclesiasticis.

C. Marius Victorinus Afer floruit tempore Constantij Imperatoris, anno quadragesimo, vt ipse testatur, post Concil. Nicænum. In senectute conuersus ad fidem est, teste S. Augustino lib. 8. confess. c. 2. & post conuersionem relictis libris gentilium scripsit, teste S. Hieron. in lib. de Script. Eccles. *contra Arianos, & in epistolas B. Pauli:* de quo Commentario in epistolas idem Hieronymus scribit in proœmio epistolæ ad Galathas, non esse admodùm probandum. Extant nunc in tomo 4. vel 8. E Bibliothecæ sanctorum Patrum *lib. 4. de Trinitate, Hymni tres, & carmen Heroicum de Macchabæis,* quæ omnia cautè legenda sunt, cum author magis arti rhetoricæ, quàm Theologiæ & sacris literis operam dederit.

MARII VICTORINI AFRI, viri consularis, aduersus Arium.

LIBER PRIMVS.

IN primo sermone huius operis, & multa & fortiora quædam etiam horum, ô amice candide, proposita atque tractata abs te sunt, quamquàm vt oportuit, dissoluta, quæ tamen idcircò ista ex eorum epistolis audire voluimus, vt dum hæc omni refutatione conuincimus, illorum quoque ex istorum refutatione F vincamus. Et primùm definiendæ sunt Arij, Eusebiique sententiæ, in quo nobis consentiant, in quibus discrepent, in quibus ipsi sibi videantur aduersi. (*Arij sententia. Eadem autẽ est Eusebij sententia.*) Arius ait, quoniam Filius non est ingenitus. Item Eusebius hoc idem, quòd duo non sint ingenita. Nobis quoque ista sententia est: Arius, Filius, inquit, pars ingeniti non est, neque ex aliquo subiecto, hæc duo & Euseb. Et adiicit: neque vnum in duo diuisum, id est autem, Filium Patrem ingeniti non esse. Sed Eusebius: Neque pars, neque affluentia, inquit, est Hoc nos consimiliter negamus: Nam neque pars Patris Filius, neque affluentia, quæ manando inde minus fecerit vnde manârit: Iam verò ex non subiecto esse, ferre non possumus, non quod nos ex aliquo subiecto esse dicamus, sed quod à Patre & Filium. Arius, voluntate, inquit, Dei subsistit filius ante tempora, & Æones. (*Ante omnes Æones subsistat filius.*) Idem & Eusebius, Nos ante omnes Æones, & ante omnia tempora, sed genitum dicimus, non factum, non creatum, non fundatum. Arius dicit, filium factum, scilicet plenum Deum, vnigenitum, immutabilem, qui antequàm crea- G retur, non fuerit, propterea quod non sit ingenitus. Hæc eadem Eusebius, adiiciens, quòd filius omnia facienti sit similis: (*Similitudo nulla in diuinis.*) Nos contrà, non enim similem, sed eundem dicimus, quippè ex eadem substantia. Præterea addit Eusebius, principium filij sciri nec ab homine posse, neque ab aliqua superiore vel potentiâ, vel excogitatione; & audet tamen dicere, figmentum esse, filium voluntate & sententia Patris subsistere, non ex aliquo existenti. Istud non est principium filij dicere: si enim dicit, hoc ex non existentibus est, non est Patris neque pars neque affluentia. Non solùm principia nouit, sed & τοὺς λόγους principiorum. Si autem non, quæ audacia est dicere: Hoc Deus, hoc Christus est: hoc Pater, hoc Filius? Non autem dicimus, Patrem vt Patrem, Filium vt Filium. Et primum vt ille versiculis quinque quod asserebar, docuisse se credidit, filium factum esse, non natum, sic nos filium natum primum sacra omni lectione docebimus. Deinde idipsum, hoc est, substantialiter filium, permittente Dei Spiritu, vt possumus, asseremus. Atque ex hoc primum sumatur exordium. H Paulus ad Ephesios: *Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri* IESV CHRISTI, *ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloria sua virtute confortari, per spiritum suum in interiore homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, qua sit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profundum. Scire etiam supereminentem scientia charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Ei autem qui potest super omnia facere abundantiùs, quàm petimus aut intelligimus, secundum virtutem, quæ operatur in nobis, ipsi gloria in Christo Iesu, & ἐκκλησίᾳ, in omnes generationes sæculorum. Quid ex his apparet, possibile esse cognoscere Deum, & Dei Filium, & quomodo Pater, quomodo filius? Est autem & illud in Euangelio secundum Ioannem: *Deum nullus vidit vnquam: vnigenitus Filius, qui est in gremij Patris, ille exposuit.* (Ioan.1.) Possibile igitur dicere de Deo, &

A Cognosci Patrem in F. l. o. idcircò de Filio. Quis enim de Patre exposuit? Filius. Quis iste? qui in gremio. Non solùm igitur processit, sed & in gremio semper est Filius, sufficiens doctor de Patre. Quid enarrauit? quomodo Deus. Et Iudæi antè & Ethnici enarrauerunt: quid ergo enarrauit? Patrem Deum, se autem Filium, & quod ex eadem substantia, & Ioan. 14. quod à Patre exierit. Dicit enim: *Neque me nostis, neque Patrem meum. Si enim me nossetis, nossetis & Patrem meum.* Hoc numquam diceret, nossetis, nisi Filius, & Filius substantialiter, *Si me nossetis, nossetis, & Patrem.* Figmentum enim si esset, non ex ipso Pater nosceretur, sed potentia Rom. 1. Dei & Diuinitas, vt Paulus dixit: *Mirabilia enim eius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta noscuntur, æterna quoque eius virtus ac diuinitas.* Et Spiritus sanctus exposuit de Christo, sicuti dicit Saluator in Euangelio Ioan. 14. secundum Ioannem: *Spiritus sanctus, quem mittet Pater* Spiritus S. doctor fidelis. *in meo nomine, ipse vos docebit omnia.* Si igitur sic sunt ista, didicimus & Patrem & Filium & in sanctis Scripturis, B & à Spiritu, quem doctorem habet fide sanctus vir. Discamus igitur scripturas, & primùm secundum Ioannem: Ioan. 1. Dicit enim, quomodo Λόγος & *in principio*, & circa Deum erat, & quomodo Deus erat Λόγος. Nunquid de aliò dicit Λόγος? omnino de Filio. Quid ergo Λόγος, si ex nullo est subiecto? quomodo Λόγος potentiam habet, vt per ipsum creentur omnia, ipse qui sit ex nullo subiecto: Impossibile enim semen esse omnium quæ sunt, quod ex nihilo factum est. Deinde si in principio erat, quomodo principium: secundum quod principium est, sine principio est, qui erat in principio, erat semper. Quæ igitur audacia? quæ blasphemia? Non erat aliquando dicere, toties Ioanne dicente: Erat Λόγος in principio, erat ad Deum, erat Deus Λόγος ipse. Erat hic in principio ad Deum. Licet enim, erat, præteriti temporis significationem habeat, frequenter non sine principio, sed hic sine principio accipiendum, quoniam dixit: In principio erat. Quod & vos significatis ante tempora, ante Æonas dicentes. Omnia dicit, per ipsum facta sunt, & sine illo effectum est nihil. C Etenim sine Λόγῳ quid est, quod non vt sit, accipiat? Solus enim Λόγος, secundum quod Λόγος, est & sibi, & aliis Λόγος omnibus vitam præstat. ipsum, quod est, ipse præstet omnibus quæ sunt. Et idcircò æqualis quidem Patri. Causa enim principalis & sibi & aliis causa est, potentia & substantia. Causa existens, præcausa autem Pater. Vnde Filius dictabit hoc, quod mouetur & operatur in manifestationem, propter magna nobis incognoscibiliter operante Patre. Supra enim beatitudinem est Pater, & idcircò ipsum requiescere. Operari enim etiamsi imperfectionem operatur, in molestia motus ista beatitudo est, secundum quod est operari perfecta. Audi igitur & aliud: Quod est esse, Pater est: quod est operari, Λόγος: & prius est, quod est esse, secundum quod est operari. Habet quidem ipsum, quod est esse, intùs insitam operationem: si enim motu, id est, operatione, quæ vita, aut qui intellectus est: ergo non est solum esse, sed ipsum, quod primum est, esse, propter quod est ei quiescere solum ipsum esse, est isto modo, & quo est, operari, quod est secundum, quoniam non D intùs, sed cum foris operatur, operari dicitur. Apparente enim operatione, & est, & nominatur operatio, & vt generatio sui ipsius & æstimatur, & est: sic igitur idipsum, Operari. quod est operari, & ipsum esse habet, magis autem non habet: ipsum enim operari esse est, simul enim & simplex, & esse & operari, eorum quæ suprà sunt, natura est declarans & fortita, secundum quod est requiescere, ipsum esse & substantiam, secundum autem quod est in motu esse, actionem, operationem: hoc autem, quod est in motu esse, declaratio est eius, quod est esse secundum actionem. Et idcircò erat lumen, quod est verum, quod illuminat Ioan. 1. omnem hominem venientem in mundum. Λόγος ergo lumen est, quod est verum, & idcircò *quod est factum, in ipso vita est, & vita erat lumen hominum*, & ipse Λόγος lumen verum in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, qui est Filius Dei, de quo dicit: Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius, qui est in gremio Patris, ipse enarrauit de Λόγῳ. Omnia suprà dixit, & coniunxit de Filio, nullum alium Filium declarans, quàm τὸν Λόγον.

Erat igitur Filius ad Deum, & in principio erat, & ipse E Deus erat, & per ipsum omnia facta sunt, & ipse est vnigenitus, & veluti prodiens quidem à Patre, ad Patrem erat, propter hoc quod est operari, propter verò Filium à patre processisse, & sum per atud eum fuisse, quomodo intelligatur. quod est esse, in gremio Patris existens, enarrauit de Patre declaratio Patris effectus secundum quod est operari. Quod maximè Λόγος est ipse Filius, ipse lumen, ipse verò quod Deus est Filius, sic dicit Ioannes: *Et Deus erat Λόγος.* Et rursus: Nullus ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit. Quod vita est Filius, vt: Qui credit in ipsum, non pereat. Et rursus: Sed habeat spm, vitam Ioan. 3. æternam. Quod Filius: Vnde Filium suum vnigenitum tradit, Filium dixit, & suum & vnigenitum. Quid amplius ad verum Filium: quod ipse vita, vt: *Omnis qui* Ioan 3. *credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ibidem. Quod ipse Filius Christus est: *Non enim misit Deus Filium, vt iudicet mundum, sed vt saluet mundum.* Quod lumen, de ipso dicit: *Quoniam lumen venit in mundum.* F Ioannes non erat verum lumen, & idcircò dicit: *Non* Ioan. 1. *sum Christus, sed quod missus sum.* Missus est ergo Ioannes: Christus autem Filius, qui desuper venit, supra omnes est. Et rursùs: De cœlo veniens. Dicitur quidem quod sit missus à Deo, vt Filium enim misit Deus. Sed ista duo, & veniens, & misit, & Filium in Patre, & Patrem in Filio esse, significat, quoniam Christus vita Samaritidi dicit: *Tu ab eo peteres, & tibi daret aquam viuentem.* Et rursùs: *Omnis qui biberit ex aqua ista, iterùm sitiet: qui au-* Ioan. 3. *tem biberit ex ista aqua, quam ego dabo ipsi, non sitiet in omni sæculo, sed aqua, quam ipsi dabo, efficietur in ipso fons aquæ scatentis in vitam æternam.* Quod Christus Saluator: *Et scimus quoniam iste est saluator mundi.* Quod Ioan. 3. Filius Dei est: *Pater meus vsque nunc operatur.* Quis hoc Ioan. 5. dicit? Christus.

Quæ blasphemia ipsius, Patrem dicere qui non sit Pater? quæ ira Iudæorum audientium Patrem Deum, & irascentium in eum, qui dixit, quod Filius esset Dei, cum non esset Filius Dei: si enim non fuisset, non diceret, sed dixit, & Dei cultor dixit, veritate igitur di- G xit, & idcircò incredulitas Iudæorum punitur. Post ista omnis responsio ad Iudæos, & Filium Christum, & Patrem Deum declarat: Quæ facit Pater, & ego facio, non facit filius à semetipso, nisi viderit Patrem facientem: Pater enim amat filium, suscitat Pater à mortuis, suscitat & filius. Habet Pater vitam in semetipso, habet & filius. Et omnia deinde. Quod Λόγος filius, & Filius Christus: Et Λόγον eius non habebitis in vobis manentem, quoniam quem misit ille, ipsi vos non creditis. Quod filius: *Pater meus dat vobis pa-* Ioan. 6. *nem de cœlo verum.* Quod Christus non ab homine Ibidem. homo: panis enim ex Deo est, qui descendit de cœlo. Quod vita: Et vitam dans mundo. Et posteà dicit: *Ego sum panis vitæ.* Quod ex Deo: *Non vidit Patrem aliquis, nisi qui est à Patre.* Quod Pater & Filius alius in alio: *Sicut misit me viuens Pater.* Si vita filius, Quale. Qualitas viuens Pater, Filius in Patre: sicuti enim quale prius est, deinque qualitas, sic viuens primus Deus, sic vita. Qui enim genuit vitam, viuens est: viuit vita à vi- H uente Patre. Non enim antè vita, & sic Deus viuens, sed Deus viuens prior. Sic vita, & sic viuens vita. Et idcircò deindè dicit: *Et ego viuo propter Patrem.* Ergo & Pater in ipso. Quod & panis est & vita: *Et qui accipit me, ille viuet propter me. Hic est* Ibidem. *panis de cœlo descendens: Non sicuti patres vestri manducauerunt manna, & mortui sunt. Manducans istum panem, viuet in omne sæculum.* Numquid homo ista dicit de semetipso, qui sit solùm homo? etsi enim homo ista dicit, blasphemat, & peccantes Deus non audit. Sed enim dicit Christus, quòd audiat illum Deus: Non ergo peccator, neque homo. Et dictum est: *Vana spes in hominem.* Et dicitur: *Nos verò in Deum nostrum speremus.* Christus ergo Deus, non ab alia substantia: viuens Pater, & ego viuo propter Patrem. Ioan. 6. *Et panis vitæ sum ego, qui istum manducat, viuet in sæculum.* Cuncta ista vnam substantiam significant. Et idcircò dicit Iesus, quod desuper est, qui dicit ista: Si Ibid. igitur

A *igitur videritis Filium hominis ascendentem, vbi fuit prius?*

Ioan.4. Quod spiritus Deus est, dictum est: *Spiritus Deus est.* Et quod Filius spiritus est viuificans, quòd ista fides sit per-

Ioan.6. fecta in Christum, dicit Petrus: *Verbum vitæ æternæ habes, & nos credidimus in te, Domine, quoniam tu es Christus*

Ioan.14. *filius Dei.* Quid est verbum vitæ æternæ? quoniam si quis

Ibid. te audit, viuet in æternum. Quod à Deo: *ego scio ipsum, quod ab ipso sum.* Quod substantia Patris Christus: *Ego in Patre, & Pater in me.* Hoc non per dignitatem solùm, sed per substantiã. Si enim per dignitatẽ solùm, quomodo ipse dicit: *Pater meus maior me est:* & Pater mittat, mittatur Filius? Rursùs autem datur Filio à Patre dignitas. Secundum hoc igitur Pater in Filio. Numquid & Filius dat dignitatem Patri non habenti substantiam? Igitur & Pater in Filio, & Filius in Patre. Sed ista. Et iterùm, quod ipse Christus, qui Filius Patris, & ipse est Spiritus sanctus: *Ie-*

Ioan.7. *sus stabat, & clamabat: Si quis est qui sitit, veniat & bibat, qui credit in me, quemadmodum dixit scriptura, flumina ex*

B *ventre ipsius manant aquæ viuentis.* Et istud quidem dictum de illo qui accipit Spiritum, qui accipiens Spiritum efficitur venter, effundens flumina aquæ viuentis. Dat autem hunc Spiritum Christus, dat & aquam viuentem, vt ipse dicit, Scriptura de Spiritu dixit istud: Venter igitur, qui accipit spiritum, & ipse spiritus venter, à quo manant flumina aquæ viuentis: sicut Scriptura dicit: Hoc autem dixit de spiritu, quem futuri erant accipere credentes in ipsum. Nondum enim spiritus erat datus, quia IESVS nondùm erat glorificatus. Sed rursùm iterùm flumina spiritus, venter autem, ex quo flumina IESVS, IESVS enim est spiritus. Iam ergo IESVS venter, de quo flumina Spiritus. Sicuti enim à gremio Patris, & in gremio Filius, sic à ventre Filij spiritus, ὁμοούσιον ergo tres, & idcircò in omnibus vnus Deus. Quod

Vter effundens flumina aquæ viuentis.

Ioan.8. non sit ex mundo: *Ego sum lumen mundi*, propter ipsum enim viuit mundus, ac viuet, quamdiu obedierit ei. Quod omnes tres spiritus, iam dixit: *Deus spiritus est.* Et dicentibus quibusdam: *Vbi est Pater tuus?* dixit:

C *Neque me nostis, neque Patrem meum: Si me sciretis, scire possetis & Patrem meum.* Spiritus autem sanctus Spiritus manifestè, ista autem omnia & Pater, & ex Patre, ὁμοούσιον ergo. Non enim spiritus vt alij, illi enim à Deo, non ex Deo, ὁμοούσιον igitur ista tria. Quod Filius

Ioan.18. verus: *Ego enim ex Deo exiui*, vt ex gremio Patris, & aduenio in mundum. Quod antequam in carne esset, erat

Ioan.8. Christus: *Abraham pater vester lætabatur, vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est.* Et rursùs: *Ante Abraham ego sum.* Quod non homo: Cum sim in mundo, lumen sum mundi. Quis autem dedit cæco visum? homo? impossibile, & ego, quod Filius Dei. *Tu credis in Filium Dei? Respondit ille: Quis est, Domine, vt credam in eum? Dixit ipsi* IESVS,

Ioan.4. *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est.* Quod ex eadem substantia & potentia: *Ego & Pater vnum sumus.* Et rursùs: *Pater in me, & ego in ipso.* Vnde dictum in Paulo: *Qui in forma Dei existens, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Ista igitur significant, & vnam esse sub-

D stantiam, & vnam potentiam. Quomodo enim *ego & Pa-*

Ioan.10. *ter vnum sumus?* & quomodo *Pater in me, & ego in Patre,*

Phil.2. Ioan.14. Phil.2. si non à patre substantiam habuisset & potentiam genitus? de toto totus? & quomodo non rapinam arbitratus est æqualem esse Patri? Non enim dixit, non arbitratus est æqualẽ esse, sed *non arbitratus esse rapinam.* Vult ergo inferior esse, non volens rapinam arbitrari æqualem esse. In istis enim arbitrari est, aut non arbitrari rapinam esse æqualem, quæ sunt æqualia. Sed putauimus æqualem secundum potentiam dictum esse. Primum non est illud Arij dogma, quod maior est Pater dignitate, potentiâ, claritate, diuinitate, actione: æqualia enim dixit: & si secundum istud æqualia, impossibile secundum istud æqualia esse, si non & substantia eadem; Dei enim eadem ipsa est & potentia & substantia, & Diuinitas & actio: Omnia enim vnum, & vnum simplex. Huc accedit, si ab alia substantia erat Filius, & si maximè ex nihilo, quæ illa substantia recipere valens istas Diuinitates & potentias? æqualitas æquali connectitur, & simile simili. Æqualis igitur Filius & Pater, & propterea &

Declaratur locus Pauli ad Philip. 2. Ex Arij persona illud obijcit.

E Filius in Patre, & Pater in Filio, & ambo vnum. Sed ista nunc. At verò illa Ioannis videamus. Ipse Saluator dicit: *Ego sum resurrectio:* quoniam ipse vita: Ioan.11.

Quis autem iste? Martha dicit: *Quoniam tu es Christus Filius Dei viui, qui in mundum venisti.* Quod non sic filius, quemadmodum nos: Nos enim adoptione filij, ille naturâ. Etiam quadam adoptione filius & Christus, sed secundum carnem: *Ego hodie genui te.* Si enim istud, solum hominem filium habet: Sed ante Adam ego sum dicens, quod natura filius erat, primum declarauit. Non igitur Photinianum dogma verum. Deinde nos non genres solùm, sed & qui dispersi sunt filij. Dei igitur Filius Christus, filij & nos, sed nos per adoptionem, nos per IESVM CHRISTVM, vos, vt filij dispersi, num & Christus sic filius? Natura igitur IESVS filius, nos adoptione filij. Quod natura filius, & ipse dicit sæpè: *Pater gratias tibi ago, quod me audisti.* Et: *Pater salua me ex ista hora.* Ioan.11.

Christus etiam quadam adoptione filius est Photiniani. Psal.2. Ioan 8.

Et rursùs: *Ego ex ore Patris processi.* Ista non, vt nos dicimus, secundum Patrem dicta sunt. Non enim mendax Deus, nec impius, Filium se dicens, & Patrem Deum, qui omninò non esset: sed propter corpus passionem induxit, vt implerentur omnia in mysterio. Quod & ante- F

quam in corpore fuit Christus: *Et glorificaui, & rursùm* Ioan.12

glorifico: In mysterio enim in carne humiliauit semetipsum. Ergo ante istud, & post istud glorificatus est Iesus. Quod propter mysterium & timens inducitur, & postulans aliqua: *Non propter me venit hæc vox, sed propter vos.* Eadem similiter ista facio, non propter me, sed propter vos. Quod Filius hominis ipse Christus lumen in mundo Filius Dei est: *Nos audiuimus à lege, quoniam Christus* Ibid.

manet in æternum, & quomodo dicis tu, quod Filium hominis oportet altificari? Quis est Filius hominis? Dixit ipsis Iesus: Adhuc paululum tempus lumen in vobis est. Et dein- Ioan.14.

de: *Quamdiu lumen habetis, credetis in lumen, vt Filij luminis efficiamini.* Quod ὁμοούσιος Deo: *Ego sum via, &* Ioan.14.

veritas, & vita. Nullus venit ad Patrem, si non per me. Si cognouistis me, & Patrem meum cognoscetis. Et: *A modò cognoscitis ipsum, & vidistis ipsum.* Et rursum ad Philip- G

pum: *Qui vidit me, vidit & Patrem. Non credis, quod ego in Patre, & Pater in me est?* Et rursùs ista & talia, in quibus manifestum est, quod & Pater est iuxta quod est, & Filius est, iuxta quod est, & idcircò duo sunt. Sed quoniam & Pater in Filio, & Filius in Patre, ὁμοούσιοι. Non oportet igitur dicere, duæ personæ, vna substantia, sed duo, Pater & Filius, ex vna substantia: dante Patre à sua substantia Filio substantiam in hoc, in quo genuit filium, & ex ὁμοουσίου ambo. Quod ipse facit, & faciet omnia, quoniam ego à Patre: Et quod resurgitis in nomine meo, hoc faciam vt glorificetur Pater in me. Quod Paracletus & Christus: *Si me dilexeritis, & mandata mea custodieritis.* Et: *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt vobiscum sit in æternum.* Quis autem est alius Paracletus? *Spiritus veritatis, quem mundus videre non potest:* Quod cum non videt, alium autem Paracletum, id est, Christum viderunt, quod in carne, non crediderunt in ipsum. Quod potentia Christi sit Paracletus: *Vos au-* H

tem cognoscitis ipsum, quoniam apud vos manet: Ergo dedit ipsum ipsis Christus, dixit enim: manet in vobis, & in vobis est. Ex his quid apparet: Si Deus spiritus, & Iesus spiritus, & sanctus Spiritus, Spiritus, ex vna substantia tria, ὁμοούσια ergo tria. Quod à Christo Spiritus sanctus, sicut Christus à Deo, & idcircò vnum tria: *Non vos relinquam orphanos, veniam ad vos.* Et rursus dicit: *Illâ die cognoscetis, quoniam ego in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis:* Secundum spiritum ista. Quod à Filio Paracletus: *Paracletus autem sanctus Spiritus, quem pater mittet in nomine meo, ille vos docebit omnia quæ ego dixero.* Manifestum ex his, quod in Christo Deus, & in sancto Spiritu Christus, primùm Paracletus Christus, Paracletus sanctus Spiritus. Deinde misit Christus Deus, quæ locutus est Christus, ipsa loquitur sanctus Spiritus: Sed Christus locutus est in parabolis, & fecit signa: ergo in occulto omnia, quod ipse in carne erat, sicut ipse intùs, sic & verbum intùs in parabolis & signis. Spiritus autem sanctus docet omnia: Etenim Spiritus

Christus in parabolis loquutus.

sanctus

A

ſanctus loquitur ſpiritui hominum, ipſum quod eſt loquitur, & quod eſt loquitur in nulla figura: Et ideò *ipſe docebit vos*. Et quæ loquitur? *Quæcumque dixero*, dixit Chriſtus. Dixero, de futuro eſt. De quo futuro? Non eo quod nunc, ſed eo quod eſt poſt aſcenſionem ad Patrem. Et ſi iſte Paracletus veniens à Deo in nomine Chriſti, illa docet quæ dicit Ieſus: ipſe ergo Ieſus, an ipſe alter Ieſus? an ipſo altero Paracleto? hoc eſt, Spiritui ſancto ineſt Ieſus, ſicut in ipſo Deus? Iſta hac ſerie tribus exiſtentibus, & vnum ſunt tria, & ὁμοούσιοι: quippe dicente Chriſto: Eo, & venio ad vos, à Deo alius dabitur vobis Paracletus, qui quæcumque habet, à me habet, & quæcumque habet Pater, tradidit mihi omnia. Etenim omne myſterium, hoc eſt, Pater inoperans operatio, Filius operans operatio, id eſt, quod eſt regenerare: ſanctus autem Spiritus operans operatio in id, quod eſt regenerare. Sed iſta quidem & in aliis dicta. Quod λόγος, hoc eſt, Ieſus vel Chriſtus, æqualis eſt Patri, & inferior: *Eo ad Patrem, quoniam Pater maior eſt me.* Item dixit Paulus: *Non rapinam arbitratus eſt ſe æqualem eſſe Deo.* Et id quod dictum eſt: *Ego & Pater vnum ſumus.* Et quod operatio & Pater, & Filius: & quod non diceret, me maior eſt Pater, niſi fuiſſet æqualis, accedit etiam, ſi totus ex toto, & lumen ex lumine, & ſi omnia quæ habet Pater dedit filio: omnia autem ſunt & ſubſtantia, & poteſtas, & dignitas, æqualis Patri, ſed maior Pater: quod ipſe dedit ipſi omnia, & cauſa eſt ipſi Filio vt ſit, vt iſto modo ſit. Ad hoc autem maior, quod actio in actuoſa: beatior enim quod ſine moleſtia, & impaſſibilis, & fons omnium quæ ſunt, requieſcens, à ſe perfecta; & nullius egens: Filius autem vt eſſet, accepit, & in id quod eſt agere, ab actione procedens, in perfectionem veniens, motu efficitur plenitudo. Sed quoniam in ipſo, & in ipſum, & per ipſum gignuntur omnia, ſemper plenitudo, & ſemper receptaculum eſt, quâ ratione & impaſſibilis & paſſibilis. Ergo & æqualis & inæqualis: Maior igitur Pater. Quod Paracletus à Deo, & à Chriſto: *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre adueniet.* Quod duplex potentia τοῦ λόγου ad Deum: vna in manifeſto, Chriſtus in carne: alia in occulto, Spiritus ſanctus. In præſentia ergo cum erat λόγος, hoc eſt, Chriſtus, non poterat venire λόγος in occulto, hoc eſt, Spiritus ſanctus: Etenim ſi non diſcedo, Paracletus non veniet ad vos. Duo ergo & iſti, ex alio alius, ex Filio Spiritus ſanctus, ſicuti ex Deo Filius contrationaliter & Spiritus ſanctus ex Patre. Quod omnia tria vnum, Pater non ſilens ſilentium, ſed vox in ſilentio, Filius iam vox; Paracletus vox vocis: *Cum venerit Spiritus veritatis, præibit vobis in veritate omni:* non autem verum dicit à ſemet: Chriſtus enim veritas: ſed quæcumque audiet, loquetur, & ventura dicet vobis: Ille me honorabit, quoniam ex meo accipiet, & nunciabit vobis. Deinde adiungit: Omnia quæ habet Pater, mea ſunt. Dicit ergo: ex meo accipiet, quod vna motio, hoc eſt, actio agens Chriſtus eſt, & Spiritus ſanctus: & primum eſt viuere, & ab ipſo quod eſt viuere, intelligere: Viuere quidem Chriſtus, intelligere Spiritus: Ergo Spiritus à Chriſto accipit, ipſe Chriſtus à Patre, & idcircò & ſpiritus à Patre. Omnia igitur vnum, ſed à Patre. Quod Chriſtus & à Patre proceſſit, hoc eſt, quod Deus ipſum miſit, hoc eſt, à Deo proceſſit, dicit enim: quoniam ego à Deo proceſſi: proceſſi à Patre: Cognoſcendum quod & dixit: & exiui. Sed quod à Deo præpoſuit à Deo proceſſi: quod ſignificat, quod Deus ipſum miſit. Credite igitur hoc primùm, quoniam ego à Deo exiui. Quod autem à Deo, & vt quis? Ab illo Deo qui Pater meus eſt: *Exiui* igitur *à Patre, & veni in mundum.* Huius orationis naturalis ordo iſte eſt: Proceſſi à Patre, exiui à Deo, veni in mundum. Sed effectus & locutionis ordo ab hominibus: quoniam vos dilexiſtis me & credidiſtis, quod à Deo exiui; hoc enim primùm in fidem. Deinde autem proceſſi de Patre, exponens à ſuperioribus cuius erat dixit, vnde & ipſi dicunt: Credimus quod à Patre exiſti. Quid autem ſuprà dimiſit Deum & Patrem? non dicit enim, non ſum ſolus: quoniam Pater mecum eſt, & non eſt intelligere quod Pater paſſus eſt: neque enim ipſe, ſed homo eius. Quod in reſurrectionem carnis venit?

λόγος æqualis eſt & inferior patri.

B

Ioan. 14

Philip. 2.

Ioan. 10.

Pater quomodo maior ſit filio.

Ioan. 15.

C

λόγος in occulto Spiritus eſt, Filius Vox, Paracletus, vox vocis.

D

Omnia vnum à Patre.

Ioan. 16.

E

Glorifica Filium, vt Filius glorificet te: ſicut ei dediſti poteſtatem vniuerſæ carnis, vt omne quod dediſti ipſi, det ipſi vitam æternam. Ergo non ſolùm homo Chriſtus, ſed Deus in homine. Quod hoc ſit vitam habere, credere in Dominum & in Filium eius: *Eſt autem in æterna vita, vt cognoſcant te vnum & verum Deum, quem præmiſiſti* IESVM CHRISTVM. Quod fuit ante mundum: *Et nunc glorifica me Pater apud teipſum gloriâ quam habui antequam mundus eſſet.* Quod homines à Deo, non tamen ex Deo: *Manifeſtaui tui nomen hominibus quos dediſti mihi. Ex iſto manifeſtum: quod non omnes tui erant, & mihi eos dediſti, & verbum tuum cuſtodierunt: Nunc cognoui, quoniam omnia quæ mihi dediſti, à te ſunt.* Et quid mirabile, ſi homines à Deo, ſi & caro, quod ipſe eam formauit? Quid igitur? nunquid ſic & Chriſtus? Abſit. Totus hic locus hoc ſtruit, quod homines à Deo ſunt, ſed non omnes. Rursùs & iſtud, quod Chriſtus erat ante conſtitutionem mundi, quod omnia tradidit Pater Filio, ſi & nomen dedit, dicit enim: *Cuſtodiui eos in nomine tuo, quos mihi dediſti.* Habemus ergo quod Chriſtus habet nomen Patris, & quod vita eſt, & habet poteſtatem dare viuere. Quod ipſe vita eſt, & Pater vita, dictum eſt: Miſit me Pater viuens. Et hæc eſt ſubſtantia Dei & Chriſti, ὁμοούσιοι ergo. Deinde dictum eſt, lumen Chriſtus, & Deus verum lumen iſta enim ad intelligentiam: num aliud eſt Spiritus ſanctus? Nihil. Quod deinde lumen non ſubſtantia: ſic ergo ὁμοούσια. Et omnia quæ habet Deus, habet filius, ὁμοούσιοι ergo. Sed de iſto poſterius. Quod natus eſt: In iſtud natus ſum, & in iſtud veni in mundum, vt regnem. Quod à Chriſto Spiritus ſanctus: *Inſufflauit* Chriſtus *& dixit: Accipite Spiritum ſanctum.* Iſta omnia ſecundum Euangelium Ioannis. Videamus etiam & ſecundum Matthæum pauca, ſimilia enim prætereo. Quod & ſatanas fatetur Chriſtum Dei eſſe Filium, dicit enim: *Si tu es Filius Dei.* Et iſtud ter dicit: Sed in ſecundo confitens de Filio Dei tentauit, ſi ipſe eſſet Chriſtus, dicit enim: *Filius es tu Dei, mitte te deorſum. Scriptum eſt enim: quod Angelis ſuis præcipiet de te.* Confitetur, qui dicit, de te Dei Filium confitetur, & hûc confitetur. Deinde confitentur rursùs dæmones. *Exibant etiam dæmonia à multis, exclamantia & dicentia: Tu es Filius Dei.* Audi ARI, audi EVSEBI, & omnes audite Ariani, & maximè qui dicitis ab eo quo eſt eſſe CHRISTVM: ſed ſecundum ſerpentis intellectum: quoniam Pater ὢν eſt, qui fecit CHRISTVM: Ideo ex eo quod eſt eſſe Filium dicentes: Audite ergo, Filium dicit Dei, ſatanas, cui promiſit regnum mundi, ſcit omnia quæ in ſupernis: inde enim eſt. Quid enim poſt tertiam tentationem, quod diabolus abſceſſit, confeſſus eſt Filium eſſe Dei? Quod & dæmones dixerunt Filium eſſe Dei? *Quid nobis & tibi Fili Dei, veniſti?* Quod non oportet dubitare de CHRISTO: *Beatus eſt qui non ſcandalizatur in me.* Quod omnia Patris filius habet: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre, nullus cognoſcit Filium niſi Pater, nec Patrem niſi Filius cognoſcit, vt cui vult filius reuelare.* Quæ cauſa, ſolùm Filium ſcire Patrem, aut Patrem vt cognoſcat Filium? niſi quod nullus habet ſubſtantiam eius: Omnia enim quæ in claritudine, & in diuinitate, in potentia, in ipſa actione & cognoſcunt Patrem, & colunt. Sed quoniam cognoſcere, hoc eſt, ſcire ipſius Dei, ipſum quod eſt ei eſſe, hoc eſt, ſubſtantiam eius: Idcircò nullus cognoſcit Deum, niſi ſubſtantiam eandem habens Filium, & habens ab ipſo. Alio enim modo nullus potuit videre, ſicuti dictum eſt: Vnigenitus, qui eſt in gremio Patris, ille enarrauit. Quod eſt eſſe Deum? in gremio enim, & in μήτρᾳ ſubſtantiæ, ὁμοούσιοι ὄντες, vterque, & ſubſtantia & Diuinitate conſiſtens, vterque in vtroque, & cognoſcit vterque vtrumque. Quid igitur & tu Valentine dicis? Proceſſit primus αἰὼν, & volens videre Patrem non potuit. In gremio Patris eſſe Filium, & ſemper eſſe Ioannes dicit. Non ſolùm ergo Patrem videt, ſed etiam in Patre ſemper eſt. Quod eſt magnum peccatum aduerſum ſanctum Spiritum dicere: *Omnis blaſphemia & peccatū remittetur hominibus. Et ſi quis dixerit ſermonem aduerſum Filium Hominis, remittetur ei: Qui autem dixerit aduerſum ſanctum Spiritum, non remittetur* ei

Ioan. 17.

Credere in Deum eſt vitam æternam habere.

A Deo homines non ex Deo.

Ioan. 17.

Ioan. 6.

F

Ioan. 20

Teſtimonia ex Matthæo.

Matth. 4.

ibid.

G

Luc. 4.

Matt. 11

H

Scire Deum.

Ioan. 1.

Matt. 12.

Blaſphemia in Spiritum ſanctum.

A *ei neque in isto sæculo, neque in futuro.* Primum respiciendum, quod Spiritus sanctus Dei est. Dixit enim: In spiritu Dei ego eiicio dæmonia. Deinde de blasphemia & peccato quod peccarunt Iudæi, sicuti dixit, quale esset in sanctum Spiritum. Primùm, quod blasphemia & peccatum in Spiritum sanctum non remittetur alicui. Peccatum est, blasphemiter cum voluntate dicere. Sed istud non sufficit. Dixit secundum: etiamsi inuitus aliquis dicit qualemcúmque sermonem, quod non est peccatum non relinquetur illi in omni sæculo. Si igitur sanctus Spiritus, Dei Spiritus est, & sanctus Spiritus à Dei Filio omnia habet, vna substantia tribus à substantia Patris, ὁμοούσια: ergo tria, hoc est, simul ἴσα. Si enim Patris substantia Spiritus, & Filius, Spiritus sanctus autem Spiritus? Patris est Spiritus? In quo ordine ponitur sāctus Spiritus, & præcedit eum: si Patris & Spiritus, & sequitur, si à Filio habet quod est. Et rursus Filius, secundum quod Spiritus, vnum est & Pater, & est in Filio Pater, & omnes in alteruis existentes: ergo ὁμοούσιοι sunt, vnam & B eandem substantiam habentes, & semper simul ὁμοούσιοι diuinâ affectione secundum actionem subsistentiam propriam habentes. Sed ista rursùs sufficiunt nobis quæ dicta sunt in Euangeliis. Quod Christus Dei Filius ipse Saluator dicit: *Quomodo dicunt Christum Filium Dauid esse, & ipse Dauid dicit in libro Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis. Dauid ergo Dominum vocat, & quomodo Filius eius?* In isto Christum & antequam esset in carne mea, & spiritum Dei esse, & Deum esse ipse hæc demonstrat. Videamus igitur & Apostolum, dicit enim de Christo ad Romanos: Quoniam Deus est CHRISTVS *in diem iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* Sine dubio hoc de CHRISTO: ipse enim iudicabit: quoniam apud Deum τὸ μὴ ὂν nihil est. Exemplum de Genesi inducit Paulus: *Quia patrem multarum gentium posui te ante eum cui credidisti Deo, qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt tanquam sint.* Quoniam Spiritus Dei Spiritus Christi, & idem Spiritus Sanctus: vos C verò non estis in carne, sed in spiritu: si tamen spiritus Dei habitat in vobis: si quis autem spiritum Christi non habet, hic nō est ipsius. Totius mysterij virtus in baptismo est, eius potentia in accipiendo spiritu. Hoc si ita est, dictum est: vos in spiritu estis: quem sanctus Spiritus dedit vobis. Qui iste est spiritus, adiunxit: Si tamen spiritus Dei habitat in vobis. Quis est iste? Si quis autem spiritum Christi non habet. Idem ergo Dei spiritus & Christi spiritus. In quo & illud perspiciendum, quod idem est spiritus Christi quod ipse Christus Sequitur enim: Si autem Christus in vobis. Vnde & spiritus Dei Deus. Vna igitur substantia, qua idē spiritus: sed in tribus, ὁμοούσιοι igitur. Vnde non similis substantia, quia idem spiritus: nec tamen idcirco passiones eædem & in Patre, quia vnus spiritus: in duobus enim tantū velut passiones, quia iam progressi spiritus sunt. Sed ista pleniùs posteà: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso omnia,* & ipso vt dicitur, de Patre: per ipsū, vt de Christo: in ipso, vt de Spiritu D sancto. Alibi autem sic dicit: In ipso, per ipsum, ad ipsum. Quod Deus Christus. *Ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnes Deus benedictus per omnia sæcula sæculorū.* Ad Corinth. prima: *Si enim cognouissent, nunquam Dominum maiestatis crucifixissent.* Quod Christus, sicuti Deus; incomprehensibilis, aut vix comprehensibilis est, sed & quemadmodum dictum est, *Quæ oculus non vidit, quæ auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus se.* Deinde dicit, quod intelligit ista: sicut spiritus hominis ea quæ in homine, sic & ea quæ Dei, spiritus Dei. Si de Christo ista dicit, his apparet, quod non est facile scire generationem Filij: Nam neque νοῦς percipit Dei Filium, nec modum generationis scire potest. Si autem de præsentia eius, & istud supra oculum, supra auditum, supra νοῦν est. Si autem, vt quidam intelligunt, dicit ista de his, quæ præparauit Deus diligentibus ipsum: multò magis mirabilis est generatio, & vix comprehensibilis. Si ista sic sine intellectu sunt, quid ex his queas dicere, ab his quæ non sunt esse Christum, aut similis substantia est Christus? Comprehensibilia sunt & definita. At vero esse ὁμοιούσιον nō solum incom- E prehensibile, & habet contradictiones multas. Si enim ὁμοούσιος & ipse ingenitus: si ὁμοιούσιος quomodo alter quomodo alius Pater, alius Filius. Si ὁμοούσιος, quomodo alius passus est, alius non? Ex isto enim PATRIPASSIANI. Sed quoniam Dei voluntate inquirit omnia, & ea quæ Dei spiritus, qui in nobis inhabitat, inuenietur modus diuinæ generationis, iuxta quem & ὁμοούσιος manifestabitur, & illa exterminabuntur: Nos enim accepimus non mundi spiritum, sed Dei. Quod idem spiritus Deus & Christus est, & sanctus spiritus, & idem vnus spiritus. *Propter quod notum vobis facio, quod nullus in spiritu Dei dicit, Anathema Iesu.* Et, *Nullus potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Diuisiones autem gratiarum sunt, idem autem spiritus: & diuisiones ministeriorum sunt, sed idem Dominus, & diuisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui omnia in omnibus operatur.* Si igitur in spiritu nullus dicit Anathema IESV, F ipse est spiritus & Dei, & sancti Spiritus. De quo idem istud dicit: *Et nullus potest dicere Dominum IESVM, nisi in Spiritu sancto.* Præterea ampliùs istud dicit quod diuisiones gratiarum à spiritu sunt, à Deo quidem gratiæ, diuisiones autem à spiritu, in actionem enim alia existentia Spiritus sanctus, in substantia ὁμοούσιον, quoniam Spiritus sanctus sicut & ministerij Domini, ipse etenim diuidit ministeria in operatione vitæ operans, & ipse in substantia sua secundum operationem vitæ. In substantia autem ὁμοούσιος. Quod spiritus & operationes à Deo. Operationes autem multæ, sed in omnibus idem Deus. Differt autem Deus, quod ipse facit diuisiones operationum, ipse tamen in omnibus omnia operans, ipsum enim esse operationis causa cum sit, operationum diuisiones facit, & ipse Deus iuxta substantiam spiritus cum sit ὁμοιούσιον actioni, omnia ergo tria actione ὁμοιούσια & substantia ὁμοούσια. Quod omnia tria spiritus, & quod à Patre Spiritus: à Patre substantia. Quod Chri- G stus vita est, & quod spiritus, dictum est: *spiritus autem viuificat.* Et ibi rursùs dicit, *Dominus autem spiritus est.* Quod Christus de Deo, non ex his quæ non sunt: *vt non splenderet illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Si Imago Dei Christus, de Deo Christus. Imago enim imaginalis imago. Imaginalis autem Deus, imago ergo Christus. Sed imago imaginalis imago est, & quod imaginale est principale. Imago autem secunda, & aliud secundum substantiam ab eo quod imaginale. Sed non intelligimus ibi imaginem sicuti in sensibilibus. Hic enim nec substantiam intelligimus imaginem: vmbra enim quædam est in aëre, aut in aqua per quoddam corporale lumen corporalis effluentiæ per reflexionem figurata, ipsa per semet nihil, nec proprij motus, imaginalis solùm substantia, neque corpus, neque sensum, neque intelligentiam habens, & ablato, aut turbato in quo figuratum est, omninò nihil & nusquàm est. Alio igitur modo dicimus Christum imaginem Dei esse, primum esse, & per semet esse, & quæ sit intelligens esse, & viuentem E dicimus imaginem, & viuefacientem, & semen omnium quæ sunt, λόγος enim per quem omnia, & sine isto nihil. Sed ista omnia etiam Deo attributa sunt: ergo ὁμοούσιοι Deus & λόγος & quare imago Dei λόγος. Quoniam Deus occulto, in potentia enim, λόγος autem in manifesto: actio enim, quæ actio habens omnia quæ sunt in potentia, vita, & cognoscentia secundum motum producit & manifestat omnia: propter quod omnia quæ sunt in potentia imago est actio, vnicuique eorum quæ in potentia sunt speciem perficiens, & existens per semet, à nihilo enim nulla substantia: Omne enim esse inseparabilem speciem habet, magis autem ipsa species, ipsa substantia est: non quòd priùs sit ab eo quod est esse species, sed quod definitum facit species illud, quod est esse species. Etenim quod est esse, causa est speciei esse in eo, quod esse est. Et ideò quod est esse pater, est. Quod species, filius. Rursùs quod ipsum quod est esse, præstat speciei ipsum quod est esse: esse autem speciei imago est eius quod est esse. Quod est iuxta causam: Primum quòd est esse ὁμοούσιον, ergo esse ipsis duobus, &

Margin notes: Math. 22. — Psal. 109. — Rom. 2. — Ex Paulo testimonia. — Gen 11. — Spiritus Dei. — Rom. 11. — Rom. 2. — 1. Cor. 2. — Ibid. — Generatio filij inenarrabilis. — Patripassiani. — 1. Cor. 2 — 1. Cor. 12. — Ibid. — Diuisiones gratiarum à spiritu. — Christū imaginē Patris esse. — Ioan. 6. — Imago in diuinis.

A & secundum esse, imago est primi esse sine tempore: primum & secundum dico iuxta causam. Aliud alio ad ipsum quod est esse Pater & Filius. Quod autem non retrorsum causa, idcircò Pater Pater, & Filius Filius. In eo autem quod esse est, ambo simul sunt, & semper ambo, ὁμοούσιον iuxta quod est esse, secundum autem quod est potentiâ & actione, potentiâ Pater, actione Filius. Natus igitur Filius, habens in actione & potentialiter esse, sicuti potentialiter esse habet ipsum actionem esse in semetipso, quod est potentialiter esse. Ipsum autem habet, secundum intellectum accipite, non enim habet, sed ipsum est. Simplicia enim ibi omnia: Sed dixi secundum Euangelium: quæcumque habet Pater, eadem habet Filius. Secundum istam rationem & Pater in Filio est, & Filius in Patre, & ὁμοούσιον ambo, & imago Filius Patris; ipsum enim esse duorum ὁμοούσιον. Quod autem alterum ab altero imaginale & imago. Et rursùs, quod alter ab altero, vnum ingenitum, aliud genitum, sine
B tempore autem ista, quod in principio ista, & ab æterno in æternum. Neque igitur qui hominem dicunt Christum, neque qui ex nihilo, neque qui ex aliquo tempore, nec alij huiusmodi in ista perspectione locum habent. Videamus autem & istud. Dicit Moyses dictum Dei: *Faciamus hominem secundum imaginem nostram, & secundum similitudinem.* Deus dicit ista, faciamus: cooperatori dicit, necessario Christo, & secundum imaginem dicit, Ergo homo non imago Dei, sed secundum imaginem, solus enim Iesus imago Dei, homo autem secundum imaginem, hoc est, imago imaginis. Sed dicit secundum imaginem nostram. Ergo & Pater & Filius imago vna. Si imago Patris Filius est, & ipsa imago Pater, imagine ergo ὁμοούσιοι: Ipsa enim imago substantia est: vnum enim est & simplex & ibi esse & operari: ita autem sunt & substantia & species, Substantia autem cum sit imago, ὁμοούσιοι Pater & Filius, Patre existente secundum quod est esse, etiam quod est agere: Filio autem existente secundum quod est agere, etiam quod est esse, vnoquoque
C habente id quod sit, iuxta quod maximè est, antiquius existente quod est esse, ab eo quod est agere; Pater autem quod est esse, & maximè Pater ipsum quod est esse, cui inest & actio potentialiter. Et rursùs vt iuniore existente quod est agere Filius, vt iunior ab eo quod est esse, habens Filium in eo quod est agere à primo quod est esse. Propter quod vnus Pater iuxta quod est esse, vnus Filius iuxta quod agere, vterque simul existens in vtroque, sicut demonstratum est: ὁμοούσιοι ergo. Dicamus ergo: *Faciamus hominem, & ad imaginem* quid est? & quid est ad nostram? Deinde hoc quid est: & iuxta similitudinem: sic enim dictum, differentiam significat & imaginis & similitudinis. Multa cum sit quæstio de quo dixerit: *Faciamus hominem iuxta imaginem nostram*, concedendum nunc quod de anima hominis, siue de ambobus, siue enim de sola anima, nihil aliud intelligitur, nisi de anima: ipsa enim sola est iuxta imaginem Dei, & iuxta similitudinem. Imaginem dicimus esse Dei Christum,
D ipsum autem λόγον iuxta imaginem ergo Dei animum dicimus rationalem dicentes. Non enim λόγος anima sed rationalis: & quod totum vita Christus: anima autem viuit, quòd vita substantiam habet: Iuxta imaginem ergo Dei anima: Christus autem Dei. Quid autem intelligimus hoc, iuxta similitudinem? Quemadmodum λόγος substantia est, sicuti declaratum est: quoniam & λόγον esse ipsum est, & ipsum quod esse, λόγος autem est agere, & est motum esse, & quoniam simplex est ibi omne istud ipsum esse & agere, hoc est quod est, est esse, quod est ibi substantia, sic & anima quo anima est, hoc est quod est esse, & substantiam esse, quod autem est à sese mouens, imago est substantiæ: Magis autem ipsa substantia iuxta speciem substantiæ, & ideò in definitione animæ cum dicimus, quid est anima? propriè dicimus & substantialiter, quod à se mouetur. Manifestum & ex isto, quod substantialis imago, magis autem substantia est animæ, quod à se mouetur. Hoc autem est rationale iuxta imaginem τοῦ λόγου rationalem esse. Aliud igitur est iuxta imaginem esse, quod quidem substantia est, aliud

Christus imago Dei: homo secundum imaginem Dei.

Gen. 1. Imago à similitudine differt.

Anima quid sit.

Rationale.

autem iuxta similitudinem esse, quod non est substantia, sed in substantia nomen qualitatis declaratiuum. Sed sicuti Deum, sic & imaginem, hoc est, Christum substantiam accepimus: perfectionem autem iuxta quale significatiuum intelligimus. Et si simile quale significat necessariò, quomodo dicimus animam rationalem esse, & perfectè rationalem iuxta similitudinem perfectionis in Deo? perfectam esse dicimus animam, iuxta imaginem, ergo nunc & in mundo, iuxta similitudinem autem postea fide in Deum & in IESVM CHRISTVM, qualis esset futura si Adam non peccasset. In quo igitur rationalis est, ad rationem iuxta imaginem est, in quo futura perfecta est, secundum similitudinem. Aliud igitur est, imaginem esse, & aliud iuxta imaginem & magis aliud iuxta similitudinem. Quæ igitur blasphemia, ὁμοούσιον dici Patrem & Filium: cum imago sit Filius iuxta substantiam, non iuxta similitudinem? Sed nunc sic. Eamus verò ad alia. Quod in Christo creatura, sed non vna: Sunt enim creaturæ tres: vna quidem cum creata sunt omnia per Christum, secunda creatura nostra in Christo secundum baptismum, sed in Christo, & alia in Christo commutatio fit. Vnde *si qua in Christo noua creatura*, dictum est: Quod antequam esset Christus in carne: *Qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit.* Quod fuit tempus in quo peccatum non nouerat. Antequam esset in carne, ad Ephesios. Quod antequam esset Christus in carne: *Benedictus Pater Domini nostri* IESV CHRISTI, *qui benedixit nos in omni benedictione spiritali in cœlestibus, in* CHRISTO IESV, *secundum quod praelegit nos ante constitutionem mundi.* Quod fuit Christus antequam esset in carne: *Quoniam fueratis illo tempore sine Christo, abalienati à conuersatione Israël.* Quod Deus Christus: *Spem non habentes, & sine Deo.* Hoc est, sine Christo. Quod spiritus est qui omnia colligat: *Cupientes custodire vnitatem spiritus in colligatione pacis, vnum Corpus, & vnus Spiritus, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus Deus, & pater omnium, qui in omnibus, & per omnia, & in omnibus.* Ad Galatas, quod Christus Deus: *Paulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per* IESVM CHRISTVM, *& Deum Patrem.* Et rursùs: *Euangelium quod Euangelizatum est à me, non est iuxta hominem, non enim ego ab homine accepi ipsum, sed per reuelationem* IESV CHRISTI. Ad Philippenses, quod Christus: *Et in subministratione Spiritus* IESV CHRISTI. Quod ὁμοούσιος, & simul Patri Filius: *Istud enim sapite in his quod & in Christo, qui in forma Dei existens, non rapinam arbitratus est esse æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominis effectus, & figurà inuentus sicuti homo.* Primum PHOTINI, & ab isto, & ante istum, qui hominem dicunt IESVM & solum ab homine factum, cognoscant impiam blasphemiam in Christo, qui in forma Dei existens. Quando existens? Antequam veniret in corpus: dixit enim, quod exinaniuerit seipsum & acceperit formam serui: Erat igitur & antequam homo fieret. Et qualis erat? λόγος Dei, forma Dei. Quid est istud, æqualis existens Deo? quod est eius ipsius & potentiæ substantiæ: dixit enim æqualem esse: Etenim æquale & magnitudinis, & quantitatis est declaratiuum: magnitudo autem substantiæ molis magnitudo est, qualitas enim non habet magnitudinem, neque à substantia quod est esse habet. Solum autem quantum substantiæ magnitudine quantum est. Et idcircò declarans beatus Paulus Dei substantiam, omnia quanta dicit, *vt Dei cognoscatis altitudinem, longitudinem, latitudinem, profundum.* Secundum ista ergo æqualis Deo existit Christus: Non enim dixit similis Deo, quod non significat substantiam, sed in substantia alterum quid, ad similitudinem iuxta accidens, sicuti secundum similitudinem homo ad Deum, alia cum sit Dei, alia hominis substantia. Ex hoc nefas est dicere hominem æqualem esse Deo. Si igitur Christus forma est Dei, forma autem substantia est, idipsum enim forma & imago: est autem forma & imago Dei λόγος, & semper λόγος ad Deum, ὁμοούσιον λόγος Deo, ad quem & in principio, & semper est λόγος. Esse autem imaginem & substantiam, & simul cum sub-

E F G H

Perfectam esse animam.

2. Cor. 5
1. Petr. 2
Ephes. 1.
Ephes. 4.
Gal. 1.
Ibid.
Philip. 1.
Philip. 2.
Photiniani.
Æquale.
Ephes. 3.

A stantia, quod ὁμοούσιον dicitur, ex hoc manifestum. Dixit enim Apostolus: *Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Nunquid enim formam solùm accepit hominis, non & substantiam hominis? Induit enim & carnem,& in carne fuit,& passus est in carne,& hoc est mysterium,& hoc quod salutare sit nobis. Si igitur exinaniuit seipsum, & Christus exinaniuit seipsum,& antequam in carne esset,fuit Christus.Et si fuit ante istud,quoniam seipsum exinaniuit, ipse induit carnem: Quare enim se exinaniuit, si, vt dicis, ô MARCELLE, aut PHOTINE, assumpsit hominem quasi quartum esset:Oportebat enim λόγον qui esset manere,assumere hominem,& modo quodam inspirare spiritum ad actiones. Sed dixit, exinaniuit seipsum. Rectè: qui habebat induere hominem. Quid igitur est, exinaniuit se, vniuersalem λόγον non esse vniuersalem in eo quod est esse λόγος, carnis, & fieret caro: Non igitur assumpsit hominem, sed factus est homo. Est igitur forma substantia,cum substantia,in qua est forma,

Philip. 2.

Marcellus hic fortè est quem Athanasius Marcellienem appellat.

B ὁμοούσιος igitur formæ substantiæ principali, & potentialiter priori, quod ista præstat formæ esse, & in substantiam esse, & semper simul esse: sine enim altero alterum non est. Secundum igitur quod forma, à substantia, substantia est forma, quæ sit substantiæ, istud Dei Filius est. Quod forma substantia, quod autem semper substantia cum forma, semper Pater, semper Filius ad Patrem, hoc est, λόγος ad Deum, hoc autem semper.Sed quoniam ista forma substantia est, quæ imago est, & λόγος est, quem Filium Dei esse dicimus, secundum quod λόγος est omnium quæ sunt, λόγος est. Vniuersalis enim λόγος Filius Dei est, cuius potentiâ proueniunt, & procedunt in generationem omnia, & consistunt. Ipsius ergo potentia, procedens & simul existens cum Patre, facit omnia & generat, & ipsa hæc potentia in eo quod est ei præcedere, quæ quidem actio dicitur,ipsa patitur si quid patitur, iuxta materias & substantias, quibus præstat proprium ad id, quod est illis esse, inuersabili & impassibili existente vniuersali λόγῳ qui semper est ad Patrem, &

C ὁμοούσιος. Et idcircò de Filio dicitur, quod est impassibilis & passibilis, sed in progressu passio, maximè autem in extremo progressionis,hoc est,cum fuit in carne: illæ enim passiones non dicuntur,generatio à Patre,motus primus, & Creatorem esse omnium: ista enim substantialia cum sint, magis autem substantiæ: λόγοι enim existentium iuxta potentiam substantiæ sunt ipsorum: non igitur passiones. Sed ista. Et rursùs, quid igitur dicunt Photiniani, si ὁμοούσιος Filius Patri. Quomodo Deus ex Maria hominem natum Filium habuit? Quid autem & Arriani dicunt? si ὁμοούσιος & λόγος, & substantia simul est Filius cum Patre? Nefas enim dicere istud: Erat quando non erat. Et istud nefas: de iis quæ non sunt esse. Impij & illi rursùs, qui dicunt ὁμοιούσιον esse Filium Patri: Substantia enim secundum quod substantia est, non est alia, vt sit similis ad aliam: eadem enim est in duobus, & non est similis sed ipsa. Sed alia cum sit, non quo substantia est similis dicitur, sed secundum quandam qualitatem: Im-

Impassibilis & passibilis Filius.

D possibile ergo & incongruum ὁμοιούσιον esse aliquid. Præterea simile quod in alteritate est, aut in eadem est,diuisa in duas partes substantiâ, aut in alia: quo enim receptibile est dissimile esse, hoc receptibile est similem esse: Substantia autem secundum quod substantia est, non recipit similem esse, aut dissimilem: iuxta quod autem receptibilis est, qualitatis similis aut dissimilis dicitur, in potentia sua vel existentia manente substantiâ,vel eâdem vel diuersâ. Quid autem verò illa substantia vel Dei, vel τοῦ λόγου, nunquid receptibilis est dissimilitudinis,vt dicatur similis esse? Sed impossibile,nec similis ergo,non igitur ὁμοιούσιον. Videamus igitur & istud: Si simile aut in eodem genere substantia est, vt hominis aut animalis:similis enim est & homo homini, & animal animali: aut in alio genere, velut homini lapis, aut statua equo. Quomodo igitur dicunt ista duo ὁμοιούσια esse, si in eodem genere, vt in animali,magis præcedit substantia? Si autem in ipsa substantia aut diuisa, aut aliâ superiore substantiâ natâ, sed vtrumque aut subalternum est, & alterum subiectum, sed diuisa, neque in æqualia, neque in inæ-

Simile.

E qualia, habet alterum perfectum, sed duo perfecta, & à perfecto perfectum: Non igitur in ipsa similitudine, quippè & similitudo, si istud, sic necesse est in alio genere. Vnde igitur, an alterum quid? Ex nihilo igitur: aut duo principia, sed nihil horum: quoniam & vnum principium, & eorum quæ sunt omnia causa: Pater secundum τὸν λόγον,qui in principio erat,& idcircò semper erat: non ergo ex nihilo erat. Si verò & istud, neque & in eo quod alterum genus & similitudo. Quomodo autem dicit non quod IESVS arbitratus est semetipsum æqualem esse Deo, sed quod *non rapinam arbitratus est æqualem esse:* Ea enim quæ natura sunt æqualia, non per Diuinitatem propriam,sed quæ iuxta fortunam facta sunt æqualia, quasi rapina æqualia sunt. Philip. 2.

Magna igitur confidentia,& verè naturalis Diuinitas ad id quod est æqualem esse, non arbitrari rapinam Deo æqualem esse. Sed ista. Et rursùs ad Colossenses quid dicit: quod ante omnia primus IESVS. Duplex enim generatio eius: Vna quidem in Diuinitatem, & Filiationem, Col. 1.

F occulta, diuina, & quæ fide intelligatur: Alia autem in carnem venire, & ferre carnem: Illa quidem sola generatio à Deo potentiæ manifestatio, ista autem acceptio magis carnis, non generatio. Si igitur est prior, non ab homine est Saluator: Si generatio est, non est figmentum: Si autem à Deo generatio, non de nihilo: Si imago DEI IESVS, ὁμοούσιος est: Imago enim substantia cum substantia, cuius & in qua est imago.Et quod imago substantia, à substantia eius in qua est vel subsistit genita, in declarationem intus potentiæ: hinc Pater qui intus,hinc Filius qui foris.Rursùs quod filius λόγος, est in actionem festinans substantia: vita enim λόγος, & intelligentia λόγος, processit in substantiam eorum quæ sunt intellectibilium, & hylicorum, & idcircò actio ipsius τοῦ λόγου, propter imbecillitatem percipientium ipsum,& patitur, & passibilis est, vel potiùs passibilis dicitur, dicit enim beatus Paulus de Christo: *Qui eripuit nos de potestate te-* Col. 1.

G *nebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum: qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus ante omnem creaturam: Quoniam in ipso creata omnia, quæ in Cœlis & quæ in terris, visibilia, & inuisibilia, siue sedes,siue dominationes, siue principatus, siue potestates: omnia per ipsum, & in ipso constituta sunt, & ipse est ante omnia, & omnia in ipso consistunt, ipse est caput corporis Ecclesiæ quæ est principium, primogenitus à mortuis,vt fieret in omnibus ipse primarius: quoniam in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare & per ipsum reconciliare, & reconuertere omnia in ipsum, pacificans per sanguinem Crucis eius siue ea quæ in terris, siue ea quæ in cœlis.* Totum mysterium in ista expositione dictum est, quod ὁμοούσιος, dicit ex isto qui est imago inuisibilis Dei, quod Filius primogenitus, quod non creatus ante omnem creaturam dixit: si enim & ipse creatus esset, non diceret, ante omnem creaturam: & propriè dixit primogenitus quod est de Filio. Iungamus ergò sensum: primogenitus ante omnem creaturam. Col. 2.

H Ergo hic genitus vt Filius, illa creatura, vt quæ creata sit: non autem quod & alium postea genuit, sed quod ante omnem creaturam primogenitus. Est autem omnis creatura & eorum quæ in Cœlis,& eorum quæ in terris, visibilium & inuisibilium. Sine creatura ergo Filius, naturâ igitur & generatione Filius. Quod CHRISTVS λόγος est, & quod λόγος omnium quæ sunt, ad id vt sint causa, & idcircò dictum est, quod in ipso condita sunt omnia & per ipsum condita: λόγος enim & causa est ad id quod est esse iis quæ sunt, & est receptaculum eorum quæ in ipso sunt. Quod autem omnia in ipso, ipsum receptaculum completur omnibus quæ sunt, & ipsum est, & plenitudo: & idcircò omnia per ipsum, & omnia in ipso. Si igitur ex nihilo erat Filius, quomodo ista? Sine fide igitur & impossibile sic ista talia esse. Et rursùs, si non ὁμοούσιον quomodo & Pater plenitudo & Filius? simul enim omnia plenitudo, & ὁμοούσιον plenitudo velut animæ, & alia quæ creata sunt? Omninò impossibile. Etenim ὁμοούσιον, sicuti dictum, in alteritate est: alter enim similis substantia non potest dici, nisi in ipsa Rom. 11.

non

A non sit, illius autem potentiæ si altera substantia est, & ab ipsa quod est illis esse habent omnia quæ sunt, impossibile est vnum esse omne: nunc verò Deo Patre & Filio λόγῳ ὁμοίῳ existente, quoniam per λόγον omnia in vnum vocantur, & sunt à Deo omnia, & Deus omnia in omnibus, sine passione Patre existente, sicut idem monstratum est. Quod autem IESVS λόγος qui & omnium quæ sunt spiritus est viuificans, fons vitæ æternæ, secundum mysterium veniens in carnem, & in morte peccatorum vicit mortem, & in æternam vitam mortua suscitauit. Quod autem Deus potentia est ipsius fontanæ æternæ vitæ, & propterea Filius est λόγος, fons vitæ æternæ existens potentia patria, primogenitus à mortuis, & idcircò omnia in ipsum conuersa vnum fient, hoc est spiritalia: ergo ὁμοούσιος Dei Filius, quod æternæ vitæ fons est, sicuti Pater potentia ipsius, & quod per ipsum Filium vnum fient omnia, quoniam per ipsum omnia. Quod IESVS, hoc est λόγος & semen est, & velut elementum omnium quæ sunt, maximè autem iam in ἐνεργείᾳ & manifestatione eorum quæ sunt, quod in eo inhabitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter, hoc est, in operatione substantialiter: In Patre enim potentialiter omnia inhabitant. Et idcircò IESVS λόγος imago est Patris Dei, hoc ipsum quod est, potentia est, iam hoc quod est actionem esse: omne enim quod in actionem exit, & imago est eius quod est potentialiter, & eius quod est potentialiter Filius est quod in actione est, ex iis Filius & Pater ὁμοούσιον. Quod ex IESV omnia, & ideò ex Deo omnia, omnia dico quæcumque sunt, & non tenens caput Christi, ex quo omne corpus per actus & coniunctiones subministratum & productum, crescit in incrementum Dei, vnum enim omnia, etiamsi differentia sint, quæ sunt: Non enim corpus totius vniuersi velut aceruus est, qui aceruus tactu inter se solo granorum corpus efficitur, sed maximè quo alternatis in se inuicem partibus, vt catena continens corpus est: catena enim Deus, IESVS Spiritus, νοῦς anima Angeli, & deinde corporalia omnia subministrata: Igitur plenitudo, quippè producta est. Si igitur omnia vnum, quippè in substantia, multò magis Deus & Filius, non solùm insubstantiatum, sed consubstantiatum: Insubstantiata enim sunt omnia ὄντα in IESV, hoc est, ἐν τῷ λόγῳ sicuti dictum est: Omnia in isto sunt condita: ὁμοούσια autem ista non sunt: Non enim quasi ἰδέα est illud primum esse quod est Deus, neque autem vt substantia imago, quod est Filius, sed simul solùm istorum, quod est esse Diuinitatis ad causam, est esse iis quæ sunt: sola igitur ὁμοούσια Deus λόγος, ad Timotheum prima: *Etenim confidenter magnum quoddam est pietatis mysterium, quod manifestatum est in carne, iustificatum in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum in mundo, receptum in gloria.* Hoc non est de prima generatione, sed de secunda: hoc enim est magnum mysterium, quod Deus exinaniuit semetipsum cum esset in Dei forma; deinde quod passus est, primum in carne se esse, & humanæ generationis fatum habere, & in crucem tolli. Non autem fierent ista mirabilia, si fuissent illæ aut ex homine solùm, aut ex nihilo, aut ex Deo secundum facturam: Quid enim exinaniuit, si non erat antequam esset in carne? Et quid erat, quod dixit æqualis Deo? Æqualis autem quomodo, qui ex nihilo factura esset? Idcircò ergo magnum mysterium, quod manifestatum est in carne. Fuit ergo antequam esset in carne, sed manifestatum dixit in carne: intelligibiliter enim erat, & intellectualiter, sensibiliter autem, & incarnaliter tunc manifestatus est. Potentia enim τοῦ λόγου iuxta suam substantiam vitæ est, semper substantia, secundum quod vita, & viuefacit, & reuiuefacit, & non permittit esse in morte quæcumque viuefacit. In prima igitur motione omnia in vitam adduxit. & ista est descensio τοῦ λόγου, quod quoniam à Patre exiens, iis qui in Cœlis sunt, & Angelis, aut thronis, vel gloriis, & huiusmodi quæ sunt dedit suam propriam vitam potentia patria: λόγος enim omnium est, per quem facta sunt omnia. Et rursùs, quod non esset viuefacere, nisi esset materia ad potentiam viuefaciendi, effecta est materia mortua naturæ, quæ viuefacta suas

Marginalia (left): B Col. 2. — C — *In catena specie sunt omnia humana coherentia.* — 1. Tim. 3. — D — *Exinaniri quid sit.* — *Descensus Christi omnia ad vitam adduxit.*

E militias emisit viuificatione diuinâ, & corrupit hominem, sed λόγος, vita perfecta compleuit mysterium, & apparuit in materia, hoc est, in carne, & in tenebris. Quomodo enim erat possibile apparere quod fuisset, nisi in carne, hoc est, in sensu appareret? Omnia ergo effectus λόγος, & in omnibus, & genuit omnia, saluauit, & regnauit, vita æterna existens in spiritu: Ergo iustificatus est, apparuit Angelis, veniens ergo prædicatus est gentibus. Fuit igitur antequam veniret: Creditus est in mundo, sic enim & Isaias fatetur Prophetans: *Laborauit Ægyptus, & mercimonia Æthiopum & Sabaim: Viri altissimi in te ambulabunt, & tibi erunt serui, & retrò te sequentur ligati manicis, & te venerabuntur, & te precabuntur, quod in te Deus est, & non est Deus extra te: tu es enim Deus, & non sciebamus, Deus Israël.* Prædictus ergo in mundo, receptus in gloria Diuinitatis & ab initio, & initio, & posteà, & semper ab æternis, & in sæcula, sæculorum, Amen. Vide autem & istud ad ὁμοούσιον quomodo spiritus dicit Isaiæ: *In te Deus, & non est Deus extra te:* Quod Filio dicit Domino nostro, manifestum *in te Deus*, hoc est, quod dictum est: Pater in me. Aliud autem, *& non est Deus extra te.* In isto verbo omnes hæreses prædicit. Ad istud quid dicunt omnes Iudæi? & qui dicunt hominem esse IESVM? Et qui dicunt ex nihilo? & fuit quando non fuit? erat enim Deus & semper vnus Deus? Si enim IESVS λόγος & λόγος semper ad Deum, & λόγος vnus Deus; & non est alius, ὁμοούσιον ergo Deus. Et λόγος rursus si Deus est quod est esse, huius autem Dei, & eius quod est esse, virtus & sapientia IESVS, hoc est λόγος; vnus Deus, & non est alter. Vnalitas ergo λόγος & Deus; & ipsum quod est esse, & λόγῳ esse, idem simul in eo quod est esse subsistens, & idcircò ὁμοούσιον Quod autem λόγος est, hoc est, vitam & νοῦν esse? Ista enim sunt virtus & sapientia Dei, quod est Saluator IESVS, progressio est & generatio, & in substantiam filietas processio, & in actionem effulgentia. Hoc autem non fuit quando non fuit, sed semper fuit, semper ergo Pater, semper Filius: Et Pater tantùm Pater, & Filius tantùm Filius; ad Patrem autem, quoniam id quod est esse, quod est Deus & Pater, causa est τῷ λόγῳ ad id quod est ei esse, nec recursum autem: & est proprium eius, quod primum est esse, quiescere. τῷ λόγῳ autem proprium mouere & agere, & non localiter moueri, neque in locum translatione sed motione quæ animæ est meliore & diuiniore, quæ propriâ motione & vitam dat, & intelligentias parit subsistens in seipsa, & non discissa à propria potentia in operationem. Sed ista? Et rursùs: Sunt enim & alia in sacra Scriptura, quod DEVS IESVS, quod ante Æones; quod Filius, & naturâ Filius, & in carne Filius, & maximè in carne Filius vocatus, quod tunc saluauit omnia ὄντα, & tunc vicit inimicitias Diuinitatis, & omnem mortem, & quod ipse passus sit secundum motionem: Pater autem non secundum cessationem. Si ista sic sunt, hoc deest solùm, quomodo intelligendum ὁμούσιον, aut ὁμοιούσιον esse Filium Patri: Hoc enim dogma nunc expergefactum est, & quidem olim rumoribus iactatum, quod non oporteat dici ὁμούσιον, sed magis ὁμοιούσιον: nunc inuentum hoc dogma. Audent autem & hoc dicere, quod olim, non dico quando olim: sufficit enim quod mihi non ab Æone, neque à præsentia IESVS, sed olim datum sit ante annos centum, concedo, & plures. Vbi latuit? vbi dormiit ante vndecim annos? cùm in Nicæa ciuitate fide confirmatâ per 3-0. plures Episcopos, Arionitas excludentes, in qua Synodo istorum virorum Ecclesiæ totius orbis lumina fuerunt. Vetus igitur dogma quod fugerat: si non fuit, * conuictum est, & nunc cœpit: si fuit, aut contentione siluit, aut cognitionis & veritatis sententiâ fugatum est: fortè tu nunc patrone dogmatis non solùm in vita, sed Episcopus fuisti: tacuisti & tu, & socij & discipuli, & condoctores, & toto tempore posteà, vsquequò Imperator Romæ fuit præsens audisti multa contraria, conuiua existens istorum hominum quos nunc anathematizas: iratus vel quod sine te fidem scripserunt. An coactus à magistris legatus venisti in defensionem proditionis? Sed quid differt, siue triginta, siue septuaginta, siue

Marginalia (right): *Isa. 45.* — F — G — *Actio filij cuiusmodi.* — H — *Synodus Nicæna.* — * *Fortè conuictum aut nunc factum legendum est.*

A sine amplius, & siue sæpiùs eadem fides in destructionem aliarum ἀιρέσεων effecta est? vna cum sit, & ab vno incipiens, & operata vsque nunc. Tu autem scribis ista & dicis, quæ Samosatenus Paulus, & Marcellus, Photinus, & nunc Valens, & Vrsacius, & alij istiusmodi in hæresi Religiosi inuenti destructi sunt. Nunquid ὁμοούσιον dicentes? Non. Quomodo autem blasphemantes? Samosatenus sicuti Arius: ex nihilò, & quod fuit quando non fuit, quod facturâ Filius, & omninò omnimodis dissimilis Patri. Quid Marcellus & Photinus? Tantum hominem ex homine IESVM, & esse Triadem, extra IESVM. Et nunc Valens, & Vrsacius reliquiæ Arij. Propria ergo blasphemia, propter quam eiecti sunt. Tum autem idcircò vicisti eos, quod ὁμοιούσιον dicis, non enim dixerunt ὁμοούσιον: & sic victi sunt. Videamus ergo etiam & hoc quod dicis, & quomodo dicis, sic sapiunt & Afri, & Orientales omnes; quare igitur scribis ad illos, vt eiiciant à sancta Ecclesia ὁμοούσιον? Dicunt ergo istud: Non B oportuit ad eos scribi: si oportuit scribi, oportuit & persuadere illis, non solùm iussione, sed rationibus, & sacris Scripturis: debeas enim non solum ὁμοούσιον destruere, sed & ὁμοιούσιον adstruere. Nunc autem suprà infrà in ὁμοιούσια peruersionem nihil aliud dicis, quam quod istud dicentes necesse sit confiteri substantiam præexistere, & sic explosum Patrem & Filium esse. Primum non est necesse, Deus enim & substantia, & substantiæ causa est, & omnibus quæ sunt præexistit, & vniuersæ existentialitati, & vniuersæ essentialitati: Ab ipso enim omnia & ea quæ sunt, & nomina. Ex isto igitur Deo, substantiæ principium qui est, & ideò qui sit substantia ὁμοιούσιος Filius in ipso & cum ipso. Quippè forma eius qui sit & imago & character, sine quibus Deus non intelligitur nec intelligentiam ascendit: non tamen quod non sit, quod est simplex Deus: & non quod ista quasi aliud, quod in ipso sint, aut vt accidentia, sed istud ipsum Deum esse, & sic esse ὁμοιούσιον est quod est esse, & Pater quod est esse. Quod autem sic esse C Filius est, Deus enim quod est esse, sic autem esse λόγος, & hoc significat semper quod dicit: *Ego & Pater vnum sumus.* Et: *Pater in me, & ego in Patre.* Et: *si quis me vidit, vidit & Patrem,* ὁμοιούσια enim quod ergo dicit, dicens: præexistit substantia, ὁμοιούσιον est? Quid vero si ὁμοιούσιον est, non necesse est sic intelligere quod præexistat substantia, à qua duo ista substantialia similia facta sint? & secundum tuam rationem, & tu in idipsum incurris, quod metuis in ὁμοούσιον. An tibi soli licet intelligere ὁμοιούσιον, Patre dante substantiam Filio, nobis autem non est ista excogitatio ὁμοούσιον esse, Patre causâ existente ad hoc vt sit Filius, substantiam Deum esse, & tu fateris, ὁμοιούσιον esse enim dicis & Patrem & Filium. Quis, cui similis? secundum dignitatem, & dignitatem nominum Filius Patri? sed tamen & Pater Filio: sic enim sunt omnia ad aliquid, si istud est similitudo, vt dicimus ὁμοιούσιον similem esse dicimus Filium Patri, & quomodo accipiemus Esaiæ dictum: dicit enim: *Ante me non fuit alius Deus, & post me non erit similis.* Quid ergo λόγος? ante Deum, an post D Deum, an cum Deo? si ante Deum, non ingenitus Deus nec Pater Deus, nec principium principiorum: si autem post Deum οὐκ ὅμοιος, sed similis alius Deus. Sed si istud nefas dicis, non solùm potentiâ, dignitate, Deitate, sed & substantiâ: quid est esse substantiâ simile? Ex ipsa ista substantia, secundum quod ista ipsa substantia est, idem est, non simile: simile enim qualitate efficitur, quæ similitudo colore, habitu, affectione, virtute, formâ similitudo est. IESVS autem, hoc est, λόγος, imago est Dei non similitudo. Imago Dei dicitur, non enim Deus imago, sed Deus imagine & substantia Deus, non vt duo, vna enim substantia, & vna imago, vnde vnus Deus, & vnus λόγος, & vnus Pater, vnus Filius, & ista vnum: vnum enim & istud vnum non duo: & ideò simul, & substantia ipsum quod est alterum vnum, & ideò istud non alterum vnum, sed magis & solum vnum. Sed ista. Et rursùs, quid dicimus esse substantiam, sicuti sapientes & antiqui definierunt? quod subiectum, quod est aliquid, quod est in alio non esse. Et dant differentiam existentiæ & substantiæ, & existentiam quidem & existentialitatem præexistentem subsistentiam sine accidentibus, puris & solis ipsis quæ E sunt in eo, quod est solam esse quod subsistat, substantiam autem subiectum cum iis omnibus quæ sunt accidentia, in ipsa separabiliter existentia, in vsu autem accipientia & existentiam, & substantiam, vbicumque eodem modo esse aliquid significantes vtimur istis nominibus. Sit igitur sic, siue in æternis siue in mundanis: licet enim dici siue existentiam, siue substantiam, siue quod est esse verè substantiam: ibi motio est, & non simpliciter motio, sed prima motio, quæ genus sit, & ipsa status, & idcircò ipsa substantia. Sed ista & longioris, & alterius quæstionis. Nunc autem fatemur, quod sit ibi substantia, quæ habet secundum proprium significatum hoc: aliquid ὂν esse, aduersus autem eos qui dicunt nomen substantiæ non esse positum in sanctis Scripturis. Non quidem substantiæ forte non est, denominata à substantia sunt, vnde enim deductum ἐπιούσιον quam à substantia? Da panem nobis ἐπιούσιον, hodiernum. Quoniam IESVS vita F est, & corpus ipsius vita est, corpus autem panis, sicuti dictum est: Da nobis panem de Cœlo. Significat ἐπιούσιον ex ipsa, aut in ipsa substantia, hoc est, vitæ panem. Sic rursus & Paulus in Epistola ad Titum: populum περιούσιον, circa substantiam, hoc est circa vitam consistentem populum, sicuti & in oblatione dicitur: *Munda tibi populum circum vitalem æmulatorem bonorum operum circa tuam substantiam venientem.* Videtur mihi idem significari in Ieremia Propheta, vbi dicit: *Quia qui stetit in substantia Domini, & vidit verbum eius: qui præbuit aurem & audiuit.* Et post modicum dicit: *& si stetissent in substantia,* sed in substantia substantia scribunt, non insubstantia: Sed si quis intellectum certè intelligit, nihil aliud inuenit, nisi istud: Si quis in eo quod Dei est esse steterit, hoc est in substantia, quod in ipsa ὁμοούσιος filius, statim λόγον eius videt, debemus enim quod vlteriùs non est, interiùs aliquid stare facere, ἐν τῷ insubstantia substantia Dei, hoc est in substantia, & statim comprehendimus & Deum, & λόγον, ὁμοούσια enim, & simul ambo vnum. Sed G videris. Supponamus dicere substantiam Dei id illud quod est esse, & τὸ ἰησοῦ quod est esse, esse Deum, & pietas, & confessio: quæ igitur substantia Dei? Si substantia dicitur in mundanis, vt animal, vt homo, necesse est dicere in æternis substantiam esse Deum, sed vides ipsum Deum iuxta illud esse, quod dicimus, aut lumen, aut spiritum, aut ipsum esse, aut potentiam eius quod est esse, aut intelligentiam vniuersalem, aut potentiam vniuersalis intelligentiæ, aut vniuersalis vitæ vel actionis, aut aliorum istiusmodi in quo sit, fontem esse omnium eorum quæ verè sunt, aut quæ sunt: Sed dicunt Scripturæ lumen esse Deum, spiritum esse: hæc autem substantiam significant, non enim accidens, cui primo quod est esse accidit, si istud accidens? Sed nulli: Impossibile enim vltrà esse aliquid supra quod est esse. Ergo substantia, iuxta quod est esse lumen, & spiritus, quod est simplex & incompositum, quæ ibi & idem lumen & spiritus: est autem lumini & spiritui imago, non à necessitate naturæ, H sed voluntate magnitudinis Patris: ipse enim se ipsum circumterminauit. Et idcircò dicitur, tu teipsum intelligis, sed & Filio intelligibilis, Filius ergo in Patre imago, & forma, & λόγος, & voluntas Patris, iuxta quod voluntas Patris, alteri iuxta quod voluntas Patris Filius: Omnis enim voluntas progenies est, iuxta quod vniuersalis voluntas, vnigenitus, semel enim totius plenitudinis λόγος prosiliit è potentia Dei ista potentia λόγος existens genuit λόγον, hoc est, in manifestationem & operationem adduxit. Sic igitur voluntate Patris, voluntas apparuit ipse λόγος Filius, est igitur Dei voluntas λόγος cum ipso qui semper est, & ad ipsum ipsa voluntas filiatio est: Pater ergo, cuius est voluntas, Filius autem voluntas est, & voluntas ipse est λόγος: λόγος ergo Filius: Non enim λόγος locutio quædam est, sed potentia ad creandum aliquid, confabulans iis quibus futurum est esse secundum ὄντως virtutem vnicuique propriam substantiam, & ipse λόγος forma, quæ cognoscentia est Dei: per λόγον enim solum cognoscentia efficitur. Propter quod dictum est λόγον esse ad Deum, & est λόγος verbum, lumen à lumine, aut

Marginal notes: Pauli Samosateni hæresis. — Valens & Vrsacius reliquiæ Arij. — Ioan. 14. — Isa 41. — Similitudo de qualitate efficitur. — Substantia quid sit. — ἐπιούσιος. Matth. 6. — Tit. 1. — Oratio in Missa. Declaratur Ieremiæ locus. — Lumen esse Deum. — Voluntas Patris Filius est. Λόγος quid sit.

A aut spiritus à spiritu, & substantia à substantia, non prima & secunda secundum tempus, sed secundum quod causa est alij, vt sit potentia: semper simul, non enim abscissa est effulgentia luminis, sed semper in lumine est, & ipse lumen existens operatur omnia λόγος existens, à se mouens, & quæ semper mouens, copiam habens: illud Patris omnipotentem esse.

Quæ igitur hic similitudo, quæ consilio vt efficiatur & generetur, vt dicis, ad generationem filij? A se mouens Pater à sese generans Filius, sed potentia Patris sese generans Filius: voluntas enim Filius, vnde enim si ipsa voluntas non est à sese generans, nec voluntas est, sed quoniam Dei est voluntas, equidem ipsa quæ sit generans, generatur in Deo: Et ideò Deus Pater, voluntas Filius, vnum vtrumque, magis autem & vnum, & solum vnum non coüinitione, sed simplicitate: progressa quidem voluntate in potentiam actuosam; non abscedente tamen à substantia propria & eâdem motione: Ista enim

B tria ibi vnum sunt, substantia, motio, voluntas. Substantia Pater, iuxta idipsum motio & voluntas: rursus Filius motio & voluntas, & iuxta idipsum & substantia, & hoc est ὁμοούσιον. Habeamus exempli gratiâ istud quod ego nunc dico: sic enim nunc oportet dicere, quoniam multi in anima corpus esse dicunt, sed nunc secundum dicendi vsum anima sit in corpore. Anima in humano corpore est, in eo quod anima est, substantia est, sicuti vel hyle, vel corpus. Istæ enim mundanis duæ substantiæ. Et sicuti hyle formam habet, hoc est speciem, vt est corpus, aut aliud aliquid, vnum quidem ὑλικῶς est in molem concretum: Necesse est enim aliquid quandam quantitatem esse, quantumcumque igitur est quod est hylicum: Sic enim quantitate definitur hyle, vt subsistat, & substantia fiat, iam aliquid existens. Isto modo & anima, substantia incorporalis quæ sit, definitionem & imaginem habet: vitalem potentiam & intelligentialem, bipotens enim, & gemini luminis: etenim & viuificat vitam dans animali-

C bus, & habet coinquinatum τὸ νῦν, & ὁμοούσιον, & idcircò ὁμοούσια omnia, simul enim substantia & motus idipsum cum sit, secundum subiectum anima, iuxta quod viuit & viuificat: & iuxta quod intelligit, & intelligentia est vna motione, vt vna ipsa cum sit, quæ species est ipsius, definitur enim motione, & existit vnum ὄν, duplici potentiâ in vno motu existente: vitæ & intelligentiæ, impassionabiliter quidem ista, in actione duo, in vna motione, id est, quod generatur, & Filius vnigenitus animæ ipse vita, ipse νοῦς existens, & prima potentia cum eo quod ei esse vita est, quo enim est, hoc est quod est vita: illud enim esse isti ipsi quod substantia est, & vita est, & supra vitam est, non enim aliud viuificat, neque semetipsum: non enim ab alio quasi aliud accipit, hoc enim ipsius quod est esse, ipsi est moueri, & motionem esse, & quod est motio, hoc vita est, & quod vita est, hoc est intelligentia. Ista enim substantialia dico, motiones, vitam, intelligentiam, nullam dicens sensibilium motionum nec in locum transitum: duo ergo hæc, vita, & intelligentia ὁμοούσια

D sunt ei quod est esse, hoc est, animæ. Quæ duo vna est motio, quæ quidem prima potentia vitæ est, forma enim eo quod est esse, vita est. Definit enim infinitum esse, quod est prima potentia motionis, secunda autem potentia ipsa motio, quoniam quod definitur, & intelligentia comprehenditur à vita, innata intelligentia substantiaque sit, iuxta quod est intelligentia & subsistens, & per semetipsam deducta à substantia vitæ. Vnum hæc duo, & vnum iuxta motum Filius est, vnigenitus animæ, nihil passionis patientis iuxta quod animæ est, hoc autem est vel Mater, vel Pater vnigeniti Filij, motione in duplicem potentiam procedente, quæ sola patitur: motio enim passio, & motione passio, in motione enim motio & status: statum autem esse in motione passio est, & in motione esse à statu est passio, ergo & motio: motione igitur omnis passio. Hæc autem duplex, secundum vitam & intelligentiam, secundum vitam quidem passio, quod adhuc indiget alterius quod vult viuefacere, & ideò iuxta quod eius est particeps, & alias patitur passiones vsque in mortem. Secundum autem intelligen-

Hyle.

Anima gemina potestas

Substantialia in Deo.

Anima qua accidant.

E tiam, quoniam & ista indigens est eius quod intelligibile est, vt intelligentia subsistat, magis passiones & infirmitates incutit, & voluitur insensibilibus; & per phantasiam in falsam subsistentiam circumducitur. Istis igitur existentibus, ista patientibus, manet anima iuxta substantiam, custodiens in semine motionis potentiam vitæ & intelligentiæ, quâ semper manente vitâ & intelligentia accenditur, magis autem erigit, si in fontanam vitam, hoc est, in Christum, & fontanam intelligentiam, hoc est, in sanctum Spiritum resurgit resuscitatâ animâ. Sed ista sicut in similitudine. De Deo enim, & de λόγῳ; hoc est, Filio IESV CHRISTO, & Spiritu sancto diuiniore intelligentiâ vtentes, suscipiamus istorum ὁμοούσιον vnitatem. Primum inquirendum, si idem est Deus, & Deo esse, an aliud aliquid? Si idem, iam & esse est, & agere: Si autem aliud Deo esse, aliud Deum esse, præexistentiale est Deo esse, quippe in potentia existens ad id quod est esse, quod verè magis id est quod est esse: potentia enim omnia

F præexistens & principium, & ante est quam ὄν Sed istud beatè, in quiete esse æstimant omninò omnimodis: in motu solùm quod causa sit omnibus in qualicumque motione existentibus. Et dicunt istud prænoscentia concipi; quæ ipsa per semet nihil est, sed conceptione quod præexistit suscipitur. Sed scriptura; & omnis intelligentia istum Deum & esse dicit, & ante ipsum nihil esse; qui & id est quod est, esse, & id quod operari. Istum Deum confitemur & colimus, principium omnium quæ sunt: actione enim sunt; quæ sunt: ante enim actionem nondum sunt, actuosum enim Deum accipimus, sicut in principio fecit Deus Cœlum & terram, & fecit Angelos, hominem, & omnia in Cœlis, & in terra. Iste igitur verus Deus & solus Deus, quia & potentiâ & actione Deus, sed in æterna: vt Christus & potentiâ & actione; sed iam foris & aperta. Pater igitur Deus prima actio; & prima existentia & substantia, & principale τὸ ὄν, actione à se sua sese quæ generet sine principio, semper existens à se, exi-

G stens infinitus, omnimodis perfectus, omnipotens, immutabilis, semper sic & eodem modo existens, substantialis in semetipso, λόγος existens ad id vt sint omnia, non vt aliud aliquid, aut vt alterum, sed simul simplicitate coëxistens, & vnitione vnum est: hoc enim quod λόγος est, idipsum est quod est esse, & ipso quod est esse; λόγος est: ipse enim λόγος Deus est, vnum ergo & ὁμοούσιον, non enim sine actione Deus, sed operatur Deus, sicuti dictum. Substantia autem Dei imago est, actio, Filiusque est, per quam intelligitur, & quod sit declaratur: *Qui me vidit, vidit & Patrem.* Et ipsa substantia existens, habens esse, & à se. Quoniam autem causa ipsi est id in quo est; imago ipsa Filius est eius, in quo est ineffabili generatione, & maximè ingenerabili generatione, aut magis semper generante generatione: quod & Alexander dixit. Et dicitur semper Pater, semper Filius simul existens. Ergo & semper consubstantialis coëxistens, vnum existens, in Patre Filius est, cum autem operatur, procedit: cum procedit, in Filio est Pater. Quomodo autem istud dicimus?

H Deus & λόγος vnum est & vnitum, & idcircò ὁμοούσιον; sed quod Deus, iuxta quod Deus est, eius quod & esse potentia est, & omnium quæ sunt, ad id quod est esse, causa est λόγος iuxta quod est, λόγος paterna est potentia, ad subsistere facere ipsum quod est esse: principale ipsum quod est esse, & principium, & perfectio: Ab eo enim quod est esse vniuersale, & supra vniuersale omne vniuersale esse, & iuxta genera, & iuxta species esse; & indiuidua, quod est esse illis habet. Si igitur λόγος habet esse, est enim λόγος idipsum quod est esse ipsi & λόγος, ergo ex illo quod est supra vniuersale esse, esse est: sed vniuersale quod est esse λόγος est: Deus autem id quod est supra vniuersale esse, Filius autem quod est vniuersale esse: Pater ergo supra vniuersale quod est esse, ὁμοούσιον ergo in eo quod est esse, ad id quod esse, & quod supra vniuersale ad vniuersale: hæc autem & progressio est, ab eo enim quod est supra vniuersale, vniuersale egreditur, & magis certè intelligenti & egreditur, & manet, non enim derelinquitur vniuersale. Ergo & subsistit per semetipsum quod est vniuersale

&

Fontana vita Christus est.

Deus actuosus.

Deus prima existentia est.

Ioan. 14. Filius actio patris est.

Paterna potentia est.

A & intus est in eo quod est supra vniuersale, connexum ergo est, & inseparatum est, & istud luminis refulgentia dicitur, omnia luminis habens, sed non accipiens, neque enata, sed connaturalis, ὁμοούσιος semper existens. Non igitur motu locali, neque immutatione: immutabilis enim Pater, & immutabilis Filius, & semper Pater, semper Filius, etiamsi Filius credatur in Patre imago existens, & eius quod esse forma, sicut dictum est, siue iuxta progressum refulgentia luminis filius est. Iis sic existentibus, & magis vnum existentibus, refulgentia enim splendor luminis, & ipsa in se lumen habet à Patre & in lumine est, & foris: ergo & in Patre Filius, & quod annexus est splendor luminis, magis ad lumen esse splendor dicitur, non in lumine, etiamsi à lumine resplendeat in lumine est, & hoc significat: *In proprio erat λόγος*, & *λόγος erat ad Deum*, ὁμοούσιοι ergo & Filius & Pater, & semper ista, & ex æterno, & in æternum. Dicimus & alia, λόγον est ad Deum, in confesso est. Quid est λόγος, per quem omnia, & in quo omnia, & in quem omnia, istum esse &

Deus immutabilis.

Ioan.1.

B IESVM in confesso est. Quod λόγος est Filius Dei, Filius autem IESVS de quo dicit Paulus: *Qui nos eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij charitatis suæ.* Quis igitur iste Filius? ipse inquit, in quo habemus redemptionem, per sanguinem ipsius remissionem peccatorum nostrorum. Iste quis est? qui natus est ex Maria. Quid deinde? istud solum? nunquid maximè quod in eo, qui ex Maria erat? Erat & antequam ex Maria. Quid autem inducit, qui est imago Dei? numquid hoc solum, de Maria? non, imago enim Dei ab æterno imago. Si igitur in Filio habemus spem, & ipse per sanguinem suum redemit nos: ipse autem imago est Dei, imago ergo Filius est Dei. An ego dico istud? Non solus, sed & Paulus, quomodo enim dicit? *Primogenitus omnis creaturæ.* Quis primogenitus? Filius. Quis Filius? Filius qui ex Maria. Quis Filius ex Maria? primogenitus totius creaturæ. Quis totius creaturæ primogenitus? qui imago Dei est.

Coloss.1.

λόγος, imago Dei ab æterno. *Ibid.*

C Necesse est enim primogenitum esse ante omnem creaturam imaginem Dei. Quis autem est imago, λόγος? Qui λόγος, qui erat in principio: Siue enim imagine Deus quomodo? Et quis λόγος qui ad Deum erat, & per quem effecta sunt omnia, & sine quo effectum est nihil? Quomodo imago λόγος? & λόγος Filius? & ipse qui de Maria? magis autem qui in eo qui de Maria. Ex iis manifestum; si Filius Dei redemit nos per sanguinem suum, qui de Maria Filius est, & ipse imago est Dei, Dei est Filius: si enim totius creaturæ primogenitus, necessariò Filius nunquid alius? Absit, vnigenitus enim Dei est Filius. Necesse est ergo eundem ipsum esse Filium, & imaginem, & eum qui de Maria. Quomodo enim imago Dei Filius, si non primogenitus totius creaturæ? Et quomodo imago Dei, qui Filius de Maria post omnia facta natus est? Manifestum ergo, quod ipse primogenitus. Quid verò quod natum est de Maria? non creatura est, sed si Filius Dei, imago Dei ante omnem creaturam natus est, ipse est in eo, qui de Maria natus est. Manife-

Ioan.1.

D stum igitur quod ipse vnigenitus. Post illud perspiciendum, quomodo idem ipse & imago, & Filius λόγος est: in confesso est quod imago Filius est. Dixit enim Paulus: Filius Dei imago est Dei. Dico ipsum esse λόγον, de quo dictum est: *In principio erat λόγος.* Dicit enim Paulus quomodo Filius primogenitus totius creaturæ, quòd *in ipso creata sint omnia, quæ in cœlis, & quæ in terra, quæ visibilia, & quæ inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnia, & omnia in ipso consistunt.* Vides quæ dixerit de filio, quod ideò primogenitus, quia omnia creata sunt ex ipso, & per ipsum, & in ipso. Tria ergo dicit, ex quibus quod dictum est, omnia per ipsum, cui datum est semper, quod confessione est τῷ λόγῳ. Si igitur Paulus Filio dedit per ipsum, ipsum autem quod est per ipsum, dedit Ioannes τῷ λόγῳ primus Apostolus & Euangelistes, ante omnes consonant dicta. Quid erit dubitandum, vt non sit filius λόγος? Quid verò alia duo quę dedit filio, cuius magis propria? necessariò τῷ λόγῳ: potentia enim eius omnium quæ sunt subsistentia est. Sed si &

Ioan.1. *Coloss.1.* *Ordines Angelorum.* *Filius quare primogenitus dicatur creaturæ.*

E istud, in ipso sunt omnia, vt dictum est, quod in ipso creata sunt omnia, & ideò in ipso omnia, quoniam efficientur omnia spiritualia, quod & Paulus significat, in consummatione Mundi: *Nam cum omnia illi subiecta fuerint, tunc ipse subiicietur ei, qui subiecit ei omnia, vt sit Deus omnia in omnibus.* Quid istud, & quomodo posterius. Nunc quomodo spiritualia: Verum igitur quod de Maria Filius est Dei, & ipse imago & ipse λόγος & ipse ante sæcula & omnem creaturam, & quod omnis creatura per ipsum creata est, & in ipso, ex ipso, & consequenter, quæ dicta sunt. Quis ergo sine sensu, quis sacrilegus Arius? quis sine Deo non videt quis IESVS? & vnde Filius vnigenitus? Esse autem & Deum λόγον ὁμοούσιον hoc est, & Patrem, & Filium, ex istis manifestum, dedit Filio Paulus, eadem dedit & Patri, tria ista cum dignitate paterna in vno, vt appareret, & Diuinitas vna, & substantia, & Potentia paterna. Ad Colossenses istud dixit de Filio. Ad Romanos autem de Patre eadem: *Quis enim cognouit mentem domi-*

1.Cor. 15.

Arius.

F *ni? aut quis consiliarius fuit eius? aut quis prius dedit, & reddetur ei? Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso omnia.* Vides quemadmodum eadem, & sic eadem dedit, & Patri, & Filio, in ὁμοούσιον: primum tria & tria, deinde eadem & Patri, & Filio: hoc autem per quem omnia & Patri & Filio datum est: quoniam Filius λόγος, qui est omnium quæ sunt potentia actuosa, in ea quæ sunt, & quod in Filio Pater est, in ipso & Pater actuosa potentia existit: simul enim & Filius, & in Patre, & Pater in Filio: vna ergo potentia, hoc est, vna substantia existit: ibi enim potentia, substantia: non enim aliud potentia; aliud substantia. Idem ergo ipsum est & Patri & Filio: Hoc autem ex quo omnia, & ipse Filius: hoc igitur Patri vt proprium, in quo omnia; quod λόγος, & locus est: factorum enim & operum per semetipsum ipse est receptaculum: Ibi autem existentibus omnibus quæ sunt efficitur plenitudo: etenim & IESVS Pater est omnium operum, eorum quæ per semetipsum. Vnum ergo Pater & Filius. Sed quod non extrinsecùs ingrediuntur opera: vnde

Rom.11.

Eadem est Dei potentia quæ substantia.

G illud? nihil enim extra, in seipso ergo omnia, ipse ergo & receptaculum & habitator. Et quoniam in filio pater, & pater habitator, proprium igitur filio in quo omnia, reliquum ergo hoc, & in ipso hoc dico esse commune, in consummatione enim vnum omnia, & ideò Paulus ad Corinthios dicit: *Vnus Deus Pater ex quo omnia, & nos in ipso, & vnus est Dominus* IESVS, *per quem omnia, & nos per ipsum.* Aut quomodo alij in ipso? quoniam & in aliis locis sic positū est de patre, ex quo omnia, per quem omnia, in ipso omnia. De filio autem, in quo omnia, per quem omnia, in quem omnia: æqualia igitur omnia & filio & patri dedit Paulus rectè. Quod ὁμοούσιοι pater & filius, & idcircò dictum est: *Tunc ipse subiicietur ei, qui subiecit ipsi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus:* Vide virtutem dicentis; † conducit enim ὁμοούσιον, filius subiicit patri omnia virtute suâ, vt videtur, sed vt est paterna: dicit enim subiiciēte ei omnia. Cui subiicietur? Deo. Quis subiicietur? Filius, cui subiicit omnia Deus. Actio igitur &

1.Cor. 8.

1.Cor. 15. *† Conclusio.*

E Pater & Filius. Substantia igitur vbi? In qua actio ipsa, magisque fit actio, quæ est substantia, ὁμοούσιον ergo dicit Paulus & hoc cum tradiderit regnum Deo & Patri. Ipse igitur nunc regnat, & secundum propriam actionem Christus subiicit omnia, & inimicitias, & ipsam mortem exterminat, ipse igitur subiicit, sicuti dicit Paulus, cum euacuauerit omnem potentiam. Sic dicit quod Filius propriâ virtute facit ista. Adiicit, & istud: Oportet enim illum regnare, Deus quidem Rex omnium, sed quoniam, ὁμοούσιος, & Filius, & magis λόγος, hoc est, potentia, & sapientia Dei, necesse est regnare primum sapientiam, per quam subiicientur omnia, λόγῳ enim & subsistunt, & subiicientur omnia: quoniam & dicitur, & dictum est, quod λόγος hoc est Filius, subiicit omnia, & idcircò adiecit Paulus: *Quousque ponat inimicos omnes eius sub pedibus ipsius.* Quis? Cuius? manifestè, quia Filius Patris. Sed quoniam in Filio Pater, idcircò Pater Filio subiecit omnia, & ideò maximè filios inimicos habet, non Pater, & quoniam ambo, id est, bona ambiguitas intellectus, & idcircò ὁμοούσια, postremus inimicus

Heb.10.

A euacuabitur mors: si enim IESVS vita est, & æterna vita, euacuabitur à vita mors: omnia igitur IESVS, id est, Filius subiicit Patri. Sed quoniam ὁμοούσιον Patri, & ipsa substantia, & ipsa potentia, secundum quod primum est esse Patrem, & quod esse primum est, secundum autem operari, viuere, intelligere, quoniam duobus causa est quod primum, necesse est dicere Patrem subiicere Filio. Dicit ergo, *cum tradiderit regnum Deo & Patri*, necessariò Filius, & cum euacuauerit omnem principatum & potentiam, necessariò filius. Dicit rursùs: cum autem omnia subiecta sunt, manifestum quod extra ipsum qui subiicit ipsi omnia non parua intelligentia. Sed nunc dimittamus. Quid vult nos intelligere, quod Deus causa qui sit, & præpotens, & præprincipium potentiæ, ipse fecit omnia? cum Filius facit: & si Pater in Filio, & Filius in Patre ipse in Filio facit: quæ Filius facit, & quæ Pater facit, Filius facit indifferenter, igitur aut Patri, aut aut Filio dantur omnia, siue operationes, siue requies: in

Filio dantur non Patri inimici.

B altero enim ad alterutrum, & nihil alterum, quod in vno alterum. Et idcircò vnum solum, & nihil alterum, sed subsistentia propria & Pater & Filius est, ab vna ex Patre substantia Filius autem, hoc est, λόγος, actiua potentia est, & quæ faciat, & quę viuificet, & sit intelligētialis: omnia igitur iusta & generat, & facit secundum vitam, & regenerat secundum intelligentiam veritatis & Dei, quam dat IESVS omnibus, λόγος, cum sit, omnium & intellectuum, & vniuersaliter omnium quæ sunt. Si igitur iste generat, & iste regenerat omnia, iste subiicit omnia, non solùm homines, sed & vt dicit Paulus, omnem principatum, & omnem potentiam, nunquid ista vt homo, an vt λόγος? Etenim ipsum subiicere non temporis solùm eius, ex quo de Maria Filius, sed & antè, & posteà. Si enim diluuium factum est, si Sodoma & Gomorrha incensa, si hæc & talia multa facta sunt, si in præsentia prima triũphat inimicos in semetipso, si in secunda præsentia nouissimus inimicus euacuabitur, mors, Filius λόγος facit ista, sed potentia paterna. Facit igitur omnia spiritus spiritua-

Gen. 16.

C lia, tunc & ipse subiicietur Deo, subiiciēti ei omnia: euacuatis enim omnibus, requiescit actiua potentia, & erit in ipso Deus secundum quod est esse, & secundum quod est quiescere, in aliis autem omnibus spiritualiter, secundum suam & potentiam, & substantiam. Et hoc est, *vt sit Deus omnia in omnibus*: non enim omnia in vnoquoque, sed omnia in omnibus: Manebunt igitur omnia, sed Deo existente in omnibus, & ideò omnia erit Deus, quod omnia erunt Deo plena. Dicamus & alia: *Non enim erubesco Euangelium Dei.* Virtutem & potentiam Paulus dicit CHRISTVM IESVM, hoc enim Euangelium dicit & de isto, Christus ergo Dei & sapientia & virtus. Quid deinde sapientia & virtus Dei? non ipse Deus? Non enim vt incorporibus, aut in corporalibus, aliud est oculus, aliud visio. Aut in igne, aliud ignis, aliud lumen eius: eget enim oculus & ignis alterius. alicuius, & oculus alterius luminis, vt sit ex ipso, & in ipso, visio ignis & aëris, vt sit ex ipso lumen. Sed sicuti visionis po-

1. Cor. 15.

Omnia Deus.

Rom. 1. 1. Cor. 1.

Deũ omnia in omnibus esse.

D tentia in se habet visionem tunc foris existentem cum operatur potentia visionis, & generatur à potentia visionis visio, vnigenita ea ipsa: nihil enim aliud ab ea gignitur, & ad potentiam visionis visio est, non intùs, solùm, sed & intùs in potentia, in actione magis foris, & ideò ad potentiam, quippè visio cum sit, ὁμοούσιον, ergo visionis potentiæ visio, & vnum totum. Et potentia quidem quiescit, visio autem in motu est: & per visionem omnia visibilia fiunt, & passiones circa visionem sunt, visionis potentiâ impassibili existente, & sine passione visionem generante. Sic igitur & virtus & sapientia Dei ipse Deus, est totum, quod simplex, & quod vnum, & vnus, & eiusdem substantiæ, & simul ex æterno, & semper, & à Patre, qui sui generator est existens. Sapientia igitur & virtus operationis, hanc enim virtutem nunc significat: coniunxit enim sapientiam & virtutem. Ergo horum potentia est Deus, & ideò Pater, quod ab ipso ista: gignit enim ista in actionem & impassibiliter, quod ὁμοούσια sunt potentia & actio & Deus, & Dei virtus, & sapientia: quæ cum actiua sunt, iuxta ea quæ foris sunt curá habentia, ad

B Deum sunt semper sapientiam dantia, semper viuificātia, non Deum, sed à Deo factam per semetipsa omnem creaturam, & si qua passio, in actione passio est. Isto modo siue λόγος est IESVS, siue lumē, siue refulgētia, siue forma, siue imago, siue virtus & sapiētia, siue character, siue vita ὁμοούσιον, apparebit λόγος & Deus Pater, & Filius, Spiritus, & Christus. Adhuc inducamus eadem ipsa. Vitam dicentes Christum, quomodo ὁμοούσιον est Deo: dicit Ioannes: *Quod factum est, in ipso vita erat*: Et iterùm: *Sicuti enim Pater habet vitam in semetipso, sic & Filio dedit vitam habere in semetipso*: Quid tam simul? Quid tam idem? Habet Pater in se vitam? habet & Filius in semet vitam. Quid est habere vitam in se ipso? Ipsum sibi vitam esse, non ab alio accipere vitam, sed à seipso & aliis dare. Dicit aliquis similis substantiæ esse, non tamen ὁμοούσιον esse. Illud iam dictum, quoniam, simile substantia non dicitur, neque enim est iuxta quod substantia est, magis autem si eiusdem substantiæ est, idem substantia dicitur, non

Nomina Christi.

Ioan. 1.
Ioan. 5.

F simile: simile enim iuxta qualitates, vt ignis substantia est, & aër, secundum substantiam idem, ὕλη enim ambo qualitatibus autem simile, aut dissimile, notione virtutum, & aliis simile. Dic & terra, & aqua grauitate & densitate, aut aliis talibus, in quibus & istud accidit, quæcumque sint similia, eadem esse dissimilia, aliâ & aliâ qualitate. Simile enim non idem, neque idem vnum sed idem geminum: vnum & ista non substantiâ, sed numero vnũ. Nos nunc de substātia perquirimus, quæ in Deo, aut Filio, aut ipsa est, aut eadem: aut modo quodam & ipsa & eadem. Quomodo ergo ipsa est aduenientante Filio, & tanta faciente & in cœlo & in terra, & intrante in carnem? Quomodo IESVS Filius, quod significat Patrem, quomodo & tres sunt substantiæ, Deus, λόγος, Spiritus sanctus. nõ enim oportet dicere, nec fas est dicere, vnam esse substantiam, tres esse personas. Si enim ista ipsa substantia & egit omnia, & passa est, Patripassiani ergo & nos, absit. Quid igitur? eadem est? Non ipsa, sed si istud,

Similia omnia aliqua ratione esse dissimilia possunt.

Patripassiani.

G aut præexistente substantiâ duo, aut ab eadē scissione, aut amissione partis eiusdem ipsa facta est eadem neque dimissione, neque diminutione Filius natus est, sed perfectus Pater, & semper perfectus, & semper Pater: perfectus Filius, & semper perfectus, & ex æterno & in æternum Filius. Quomodo igitur eadem, in duobus enim quæ eadem? sed Pater & Filius vnum, & qui Pater, Pater: & qui Filius, Filius. Et non idem Pater & Filius, nec idem Filius Pater eius cuius Filius est. Non ergo vnum sunt neque ipsa, neque eadem est substantia. Relinquitur ergo modo quodam esse & ipsam & eandem: Non enim fas est dicere alterius esse substantiæ Patrem & Filium: quoniam quod sit ipsa dicemus, siue Deum & λόγον dicemus, siue Deum & Dei virtutem sapientiam. Siue quod est esse & vitam, siue quod est esse intelligere, aut intelligentiam, siue esse & vitam intelligere, siue Patrem & Filium, siue lumen & effulgentiam, siue Deum & characterem, siue Deum & formam & imaginem, siue substantiam & speciem, sicut ibi, non vt hic,

E siue substantiam & motionem, siue potentiam & actionem, siue silentium & effatum ipsum substantiam esse confitendum. Deum enim quod est esse dicentes, Filium vitam, quomodo separamus vitam ab eo quod est esse? siue in Patre, siue in Filio? Etenim Pater in se ipso habet vitam, & Filius, excepto quod Filius à Patre accepit quod habet. Pater ergo & Filius à se orti, à se potentes ad vitam, sic mihi intellige habere dicere? quomodo Euangelium, & Pater enim habet in se vitam. Habere ergo non quasi aliud sed ipsum est, sed in intellectu. Ista diximus: Si igitur Pater in semetipso habet vitam, vita est, & substantia eius vita est, & sic Filius. Dicit enim: *Ego sũ vita*, Pater ergo vita est, & Filius vita. Omnis vita iuxta quod vita est motus est, viuificans quibus posse est viuificari. Et idcircò definitio animæ & vitæ ista est: quod à se mouetur esse. Et vt substantia eius istud dicitur, multò magis ergo ista in Deo & λόγῳ. Quid ergo dicemus? vita Pater & substantia est, & se mouens substantia, & nihil aliud se mouens motio nisi vita ipsa: igitur & substantia, & vita? Sed quoniam in motu intel-

Nomina Christi.

Ioan. 14.

Anima & vita definitio.

A ligentia quasi aliud adintelligitur, & non perfectè aliud. Ipsum autem viuere ad aliud veluti mixtione in vtroque alterius, iuxta quod vita est, & motus est, vnum est. Rursùs iuxta quod motus est, & vita est, idipsum aliud vnum, & idcircò eadem substantia: Sed siue ipsa, siue eadem, ὁμοούσιον necessariò & simul est: quoniam duo simul sunt, etenim sine altero nunquàm fuit alterum. Vnum ergo & vnum sunt ista. Hoc igitur quod est esse vitam, & per semet esse motionem, Pater est: Hoc autem quod est motum esse, & per semet esse vitam, Filius est. Causa enim motionis vita. Pater ergo & magis principalis vita, motionem requiescentem habens in abscondito, & intùs se mouentem: Filius autem in manifesto motio, & ideò Filius, quoniam ab eo quod est intùs processit. Magis autem motio existens, quod in manifesto. Isto modo & vita Filius à Patre vita, qui sic accipit vitam esse à præprincipali principio. Natum vniuersale ab vniuersali, tota ex tota, & idcircò dicit: *Viuens Pater misit me, & ego viuo propter ipsum.* Si igitur generans in vita, & Filius secundum motionem Filium, secundum autem motum vitam esse, vitam Filio dante Patre in motionem, generationem & simul vitam, ipse autem in semetipso ὁμοούσιον, ergo Pater & Filius & vnum est semper, & ex æterno natus est, & alter in altero, & inseparabilis separatio, & in Patre Filius, & in Filio Pater, & maximè Filius actio, quoniam Filius cum actione vita: Pater autem secundum id quod est esse, vita; & secundum quod est vitam esse, actio. Manet igitur Pater, & impassibilis manet. Operatur Filius, & in manifestationem ducit. Et Deus intùs operatur, existente actione iuxta potentiam. Et in patre, & in Filio iuxta actionem actio est. Ista huiusmodi oportet reuocare ad illa omnia quæ præposuimus, siue Deus est λόγος, siue lumen & effulgentia, siue silentium & effatum, siue alia in quibus vnum & simul & ὁμοούσιον apparet, & ingenita generatio. Vbi igitur habet locum quod simile est ὁμοιούσιον, dicere? quâ causâ dicitur? Semper & mysterium totum hoc est: Vnus Deus & Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnus Deus. Simile ergo quomodo vnus Deus? At ὁμοούσιον necessariò vnus Deus. Si enim velut non simul, necessariò duo, si autem simile illud alterum, necessariò alterum ὁμοιούσιον, ergo necessariò alterius substantiæ: Isti Ariani, isti Lucianistæ, isti Eusebiani, isti Illyriciani, sed abiicientes aliqua, auferentes aliqua, & mutantes, omnes diuersæ opinionis hæretici. Hûc accedit, si ὁμοιούσιον Pater & Filius, quomodo dicit Saluator: *Ego sum veritas?* Si id quod dictum est verum est, Filius cum sit veritas: minor Pater, similis qui sit veritati, non veritas. Quanta blasphemia ista? Si autem veritas Deus, veritas Filius, sicuti ipsi Filius dicit, & verè dicit, ὁμοούσιον Deus est Filius, non ergo duplex, sed vna semper veritas, & valdè foris, & deorsùm valdè, quod est simile veritati, quod forte in mundo existat similitudo veritatis, vbi & error, & corruptio, & omnis passio. Ipsum ergo veritatem esse substantia est, non enim aliud substantia, aliud veritas: quod enim simplex, hoc veritas, simplex Deus, simplex Filius, veritas Deus, veritas Filius, & Deus & Filius vna veritas: Veritas enim in semetipsa veritas: Item si similis veritati est Filius, id est, quod simile est ducit, quæ ducit? si autem veritas, in veritatem ducit. Sed enim ad Deum ducit, & Deus veritas, in veritatem ducit ergo. Sed impossibile, cum ipse veritas non sit, in veritatem ducere: Veritas ergo & Pater, & Filius, sicuti & dicitur: *Quem mittit ad me Pater, iste ad me veniet.* Ex istis omnibus non solùm concluditur, sed manifesta efficitur confessio, extra mutationem esse motum in Deo: Non enim localis neque cum passione generatio, aut corruptione, aut augmento, vel minutione, neque aliquâ immutatione, est enim mouere ibi, & moueri ipsum quod est esse simul & ipsum, & simplex, & intellectu, vnum in vno, sicut in potentia, & actione. Semper quidem, ὁμοούσιον in eo quod est esse, secundum autem agere ab eo quod est esse, Filius, & Pater. Sed sicuti dictum est, & in Filio Pater, & in Patre Filius: num timor ex isto nascitur, esse nos ista dicentes quasi Patripassianos? Multum differt serpentinum dogma à veritate, illi enim Deum solum esse dicunt, quem nos Patrem dicimus, ipsum solum existentem & effectorem omnium, & venisse non solùm in mundum, sed & in carnem, & alia omnia, quæ nos Filium fecisse dicimus. Si enim dicimus Patrem, Patrem: & Filium, Filium: vnum & dicentes, & ideò λόγος, id quod vnum, non solùm vnum dicentes, sed vnum & vnum. Aliud autem impassibile, vnum aliud passum, quomodo ergo Patripassiani sumus? Deus enim nec procedit à semetipso, neque in manifesto actio est, neque velut in motione: quod intus motio veluti non est motio, λόγος autem qui sit in motionis potentia, magis motio & actio est, fertur potentia sua in effectionem eorum quæ sunt? quo enim λόγος, hoc causa est eorum quæ sunt, quo autem causa, hoc non in se manet semper, qui sit in eo quod est λόγος. Et secundum hoc est iste inuersibilis & immutabilis, sed in iis quæ sunt iuxta genera eorum, quæ sunt alius & alius, ipso quo vniuersalis λόγος est, in Patre manens idem ipse. Passiones igitur vbi? neque in Patre, neque in Filio: sed iuxta quæ sunt genere suo non recipienda, virtutem totam τοῦ λόγου, quodlibet vniuersalis: vnoquoque existente, & illo distribuente suum proprium, vt Angelorum, Potentiarum, Thronorum, Dominationum, Potestatum, animatum, & sensibilium, & ipsius carnis. Passio igitur in istis, & iuxta hæc non τοῦ λόγου, hoc est, Filij. Secundum carnem ergo Saluator passus est, secundum spiritum autem quod erat, sine passione. Vnde differt nostrum dogma à Patripassianis. Non enim Filium esse passio est, sicuti dictum, nec facere aliquid nec loqui: Diuina enim potentia sine passione fiunt omnia, & ista magis sua, & substantialis, & diuina motio est, non passio. Deinde de isto non fuerunt Patripassiani, sed de cruce: Quod Pater crucifixus est dicentes sacrilegi: Impassibili passiones implicantes, & non intelligentes, necessariò aliquid impassibile esse, si est aliud quod patiatur. Nos tamen impassibilem & Filium dicimus, iuxta autem quod λόγος caro factus est, passibilem. At verò miseratio, & ira, & gaudium, & tristitia, & alia huiusmodi ibi non sunt passiones, sed natura, & substantia. Si igitur spiritus beneuolentia, ipse per se optimus, quibusdam in vitam, quibusdam in mortem est, non suâ naturâ mutatus, sed patientium materiâ & voluntate, signaturam immutabilem Diuinitas pro accipientibus aut vt oportet, aut aliter affici dicitur, vel pati: quoniam à nostris sensibus quæ diuina sunt æstimamus. In sensibilibus enim iuxta quod animal est animal, hoc est, anima vtens corpore, vel corpus animatum, iuxta sensum pati dicitur: verè autem neque per semet solius animæ sunt passiones, multò magis spiritus λόγου & Dei. Impassibilis enim diuina Natura est. Discedant ergo Patripassiani, quoniam nos & Patrem dicimus & Filium, ipsum solum passibilem iuxta motum in hyle. Discedant Arriani, quoniam nos naturæ Filium dicimus, ante omnem creaturam genitum. Discedant & ἀπὸ τοῦ ὄντος dicentes Christum esse, quod à Deo factus sit, qui Deus ὢν est. Nos enim Filium dicimus naturam, & à Patre ipsum esse, & in Patre. Discedant Marcelli & Photini discipuli, ipsum enim Verbum dicimus in carne fuisse, non aliud Verbum esse, & aliud hominem, in quo Christum dicunt esse, sed ipsum λόγον carnem induisse. Illi enim dicunt esse & Deum, & λόγον, & Spiritum. Quartum autem Filium, id est hominem, qui ex Maria, quem assumpsit λόγος, & vt ministrum rexit cui homini dicunt, & sedem paratam esse. Exciderunt ergo à Trinitate. Si autem manet Trinitas sola, ipse homo & λόγος, quem λόγον, nos supra Filium demonstrauimus. Non autem hoc significat: & λόγος, caro factus est, corruptus λόγος in carnem conuersus est, sed λόγος, per quem effecta sunt omnia, & omnia effectus, & caro factus est, vt in carne cum esset, totum hominem suâ passione & morte iuxta passiones corporis mercaretur. Si enim non erat ipse homo de Maria, quare exinaniuit semetipsum? Et quid est *formam serui accipiens?* & quid rursus est, *& λόγος*

caro

Margin notes, left column: *Pater.* — *Filius.* — *Totum ex toto.* Ioan. 6. — B — *ὁμοούσιον. A Scripturis alienum.* — C — *Lucianistæ Euseb. Illyriciani.* — Ioan. 14 — *Veritatem esse Christi quid sit* — D — Ioan. 6. — Ioan. 14. *Patripassianorum hæresis qualis.*

Margin notes, right column: E — F — *Patripassiani vnde dicti sint. Affectuū nominā Christe.* — G — *Diuina humano iudicio æstimamus.* — H — *Marcell. Photin.* — *Quaternitas Photini.* — Phil. 2.

A *Basilius.*

caro factus est? Discedant & Basilij, ὁμοιούσιον. Non enim ὁμοιούσιον dicimus, & veritate, & iuxta Synodum in Nicæapoli. Sic enim & Pater, & Filius vnum ambo, & semper, & simul ambo, & quoniam ὁμοούσιον. Quod autem ὁμώνυμον dicunt, & si confitentur Filium à Patre habere substantiam, sed aliud quidam dicunt, dicentes neque generatione Filium, neque faciendo esse à Deo, sed compulsu istorum duorum, & generationis & faciendi, veluti lapidis & ferri, atque inde emitti flammam. Ista dicentes occulti Arriani sunt. Primùm non generatione dicentes Dei Filium esse, sed facturâ, quod dogma est Arrij, factura enim est, quod à compulsu exilit, & ex nihilo est. Non enim à ferro aut lapide flamma, quod maximè Arius insanus sapit. Etsi collisio facta est, fuit quando non fuit: & si compulsum faciendi & generatione factus est Filius, præextitit factio & generatio antequam fuisset Filius. Posteriora autem ista. Quomodo ergo

B *Arij commentum de Christi natiuitate.*

compulsio? Et hoc Arij: deinde quomodo ista collisio: & quorum & in quo? Nunquid voluntatum in Deo concursio? Nunquid passionum aut differentiarum, maximè contrariarum motionum. Et si istud passus est Pater, qui est sine passione, & non ex sua substantia apparuit ei Filius: collisione enim duarum aut voluntatum, aut passionum, nec voluntas facta est, nec passio, multò magis nec substantia à substantia paterna, sed extra quædam substantia, quæ ex nihilo existeret de λόγῳ ad Patrem. Suspicari ista impia blasphemia: Diximus de ὁμοιούσιος, & sufficienter diximus: hoc enim nobis propositum. Quomodo autem si ὁμώνυμον, Filius, & semper cum Patre est, & procedit, & descendit, & ascendit, & mittitur, & facit quæ voluntatis sunt Patris, & quomodo imago cum sit Dei, in dextera sedeat Dei, & quid sit dextera, & quid sedere, & quid est per quem facta sunt omnia, & quomodo omnia, & quid est quod nihil factum est sine ipso, & quomodo & ipse voluntatem habet, & quæ facit, voluntate Patris facit, & quomodo perfectus, & à perfecto Patre vt imperfectus & corpus accepit, & nunc

Christi corpus quale nunc sit.

C

corpus fert, & si sanctum spiritale, & simile eorum hominum, qui post sancti erunt, & quomodo semperque qui moueatur, & à se genitus potentiâ quidem Patris, ista enim omnia ὁμώνυμον, definiunt. Si quis dignus sit intelligere, & in isto libro inueniet Fidem sic esse, & permittente Deo, & IESV CHRISTO Domino nostro, & Spiritu sancto dicimus, ne quis blasphemiter intelligens meum dogma dixerit, omnia enim à sancta Scriptura & dicuntur, & sunt. Dicemus maximè illud, è quo gignuntur multæ hæreses, quod Euangelia, & Apostolus, & omnis vetus Scriptura de Deo quidem dicit omnia, & de

1.Cor.2.

IESV CHRISTO, hoc est de λόγῳ incarnato, hic enim mysterium salutis nostræ egit, hic nos liberos fecit, redemit: in istum credimus secundum crucem, & iuxta resurrectionem à mortuis Saluatorem nostrum, idcircò Paulus dicit: *Non enim iudicaui quicquam scire in vobis, nisi* IESVM CHRISTVM, *& hunc crucifixum.* Confitemur igitur Deum Patrem omnipotentem, confitemur Filium

D *Victorini confessio de Trinitate.*

vnigenitum IESVM CHRISTVM, Deum de Deo, lumen verum de vero lumine, formam Dei, qui habet substantiam de Dei substantia, naturam, generationem, Filium simul cum Patre consubstantiatum quod Græci ὁμοούσιον, appellant, primogenitum ante constitutionem mundi, & Primogenitum ante omnem creaturam, hoc est, & ante substantiam veniendi, & generationis, & reuiuendi, primogenitum à mortuis λόγον, qui sit omnium vniuersalis λόγος, λόγον autem ad Deum, λόγον in postremis temporibus incarnatum, & cruce vincentem mortem & omne peccatum, Saluatorem nostrum, iudicem omnium, semper cum Patre consubstantialem & ὁμοούσιον, potentiam actiuam à patria potentia & generantem, & facientem omnia, & substantiam existendi omnium, & generationem, & reuiuiscentiam: quoniam vita est æterna, & Dei virtus, & sapientia, ipsum inuersibilem, mutabilem iuxta quod λόγος est, & quod semper λόγος est: iuxta autem quod est creare omnia, & maximè iuxta in hyle actionem impassibiliter patientem. Vt fons aquarum immutabilis, impassibilis, extra omnem motionem,

E

cum fluit, & in flumen aduenit, iuxta alueum & genera & qualitates terræ creditur pati, semper seruans potentiam aquæ suam, & sicuti flumen irrigat terram, nullam diminutionem sentiens, ad hoc quod est esse aquam, sic Christus ille est fluuius, de quo Propheta dicit: * *Qui irrigat, & infundit totam terram*, sed Christus totus omne irrigat, & visibilia & inuisibilia, flumine vitæ omnium, eorum quæ sunt substantia irrigat: In quo autem vita, est Christus: in quo rigat Spiritus sanctus: in quo potentia est vitalitatis, Pater & Deus, totum autem vnus Deus. Confitemur ergo & Spiritum sanctum ex Deo Patre omnia habentem, τῷ λόγῳ, hoc est, IESV CHRISTO tradente illi omnia, quæ Christus habet à Patre. Et isto huiusmodi modo simul confitemur esse hæc tria, ex isto quod vnum, & vnum Deum, ὁμοούσια ista, & semper simul & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum ineffabili potentiâ, & ineloquibili generatione Filium Dei, IESVM CHRISTVM, λόγον, qui sit, & Deum, & imaginem, & formam, & characterem, & refulgentiam Patris, & virtutem, & Sapientiam Dei, per quæ appareat & declaratur Deus in potentia omnium, & existens, & manens, & agens omnia secundum actionem Filij, id est, IESV CHRISTI, quem incarnatum, & crucifixum, & resurgentem à mortuis & ascendentem in Cœlos, & sedentem ad dexteram Patris, & iudicem futurum venire, & viuentium, mortuorum, Patrem omnis creaturæ & Saluatorem, & voce, & toto corde confitemur semper, ἀμήν. Gratia & pax à Deo Patre, & Filio eius IESV CHRISTO Domino nostro, sic ista confitenti in omnia sæcula sæculorum, Spiritus, λόγος, νοῦς, sapientia, substantia, verum idem omnia, an altera à se inuicem? Et si idem, communione quâdam, an vniuersitate? Si communione quâdam, quid primum, quid ex alio, & quâ communione? si vniuersitate & ista, & quæ differentia, & quæ communio? si à se inuicem altera omnimodo, altera in alia vt subiectum, alia vt accidens: an iuxta alium alterum modum? Si igitur omnimodus altera, & ἑτερότης, & alterius substantiæ. Sed nihil omnimodis alterius substantiæ, eorum enim qui sunt ὂν genus, & magis genus in eo quod est esse. Sed quoniam esse dupliciter, & ipsum τὸ ὂν, dupliciter, est enim verè esse, est & solum esse. Si igitur τὸ ὂν verè ὂν, & solum ὂν ad omnia ὄντα & solum ὂν, ad solum ὄντα siue, συνωνύμως siue, ὁμωνύμως dicuntur, non omnimodis altera sunt: participatione igitur cuiusdam communionis omnia quæ sunt, ad altera sunt.

** Videtur hic nobis fuisse secundi libri elenchus: Nam paulò post vtetur ipse Victorini 9. testimonio repetito ex primo libro vt ipse ait. Et eiusmodi sub illa, vt facilè quiuis indicare possit sic esse totius libri summam à diligenti aliquo lectore perstrictam. Nos tamen Religio quadam vetustissimi exemplaris monuit, ne quid nouaremus; quod tamen videbamur nobis & excusatè & rectè facturi.*

F

G

Quædam eadem sunt & altera.

De Patre.

Etenim quod τῷ ὄντι est, hoc quod non ὂν est, opponitur, quasi contrarium secundum priuationem nullâ participatione ad se inuicem, ergo nec alterum. Si igitur quæ sunt, etiam differentia sint & altera, quadam tamen communione eadem sunt, & secundum istum modum & eadem & altera sunt, & istud duobus modis siue altera in identitate, siue eadem in alteritate, sed si eadem in alteritate, magis in alteritatem vergunt: Si autem altera in identitate, maximè identitas apparet. Quid igitur istis concinat hinc perspiciendum. De Deo & λόγῳ hoc est, de Patre & Filio Dei

H

permissu sufficienter dictum, quoniam vnum quæ duo. Dictum & de λόγῳ, hoc est de Filio & de Spiritu sancto, quod in vno: Si igitur quæ duo, vnum, & in vno duo, illud vnum in quo sunt duo, quoniam cum illo est, & ex æterno cum ipso semper, quæ simul sunt sibi inuicem eadem, duo vnum sunt, necesse est igitur ista idem esse. Quomodo istud sit: Audi, vt dico, Ante omnia quæ verè sunt vnum fuit siue ipsum vnum, antequam sit ei esse vnum. Illud enim vnum oportet dicere & intelligere, quod vnam imaginationem alteritatis habet, vnum solum, vnum simplex, vnum per concessionem, vnum ante omnem existentiam, ante omnem existentialitatem, & maximè ante omnia inferiora, ante ipsum ὄν, hoc enim vnum ante ὄν. Ante omnem igitur essentitatem, substantiam, subsistentiam, & adhuc omnia quæ potentiora vnum, sine existentia, sine substantia, sine intelligentia. Supra enim hæc, immensum, inuisibile, indiscernibile vniuersaliter, & his quæ in ipso, & his quæ post ipsum, etiam quæ ex ipso.

A Suli autem sibi & discernibile, & definitum ipsa sua existentia, non actum, vt non quiddam alterum sit ab ipso consistentia, & cognoscentia sui, impartile vndique, sine figura, sine qualitate, neque in qualitate: sine qualitate quale, sine colore, sine specie, sine forma, omnibus formis carens. Neque quod sit ipsa forma, quâ formantur omnia, & vniuersalium & partilium omnium quæ sunt. Prima causa omnium principiorum, principium omnium intelligentiarum, præintelligentia omnium potentiarum, fortitudo ipsâ motione celebrior, ipso statu stabilior. Motione enim ineloquibili status est, statu autem ineffabili superelatiua motio est. Continuatione omni densior, distantiâ vniuersâ altior, definitior vniuerso corpore, & maior omni magnitudine, omni incorporali purior, omni intelligentiâ & corpore penetrabilior, omnium potentissimus, potentia potentiarum, omni genere, omni potentiâ, omni specie maius, totum verò quæ sunt omnia ipsum existens omni toto maius, corporali,
B & incorporali, omni parte magis pars inenarrabili potentiâ. pura, existens præ omnibus, quæ verè sunt. Hic est Deus, hic Pater, præintelligentia, præexistens & præexistentia, beatitudinem suam & immobili motione semetipsum custodiens, & propter istud non indigens aliorum, perfectus super perfectos, tripotens in vnalitate, spiritus perfectus & supra spiritum. Non enim spirat, sed tantùm spiritus est in eo, quod est ei esse, spiritus spirans in semetipsum, vt sit spiritus, quoniam est spiritus inseparabilis à semetipso, ipse sibi & locus, & habitator in semetipso manens, solus in solo, vbique existens, & nusquam simplicitate, vnus qui sit, tres potentias coüniens existentiam omnem, vitam omnem & beatitudinem. Sed ista omnia & vnum. & simplex vnum, & maximè in potentia eius quod est esse, hoc est existentia potentia, vitæ & beatitudinis quo enim est & existit potentia, quæ sit existentiæ, * ac potentia est vitæ & beatitudinis ipsa per semetipsam, & ideò & λόγος sui ipsius, & viuere, & agens, habens secundum ipsam suimetipsius inexistentem existen-
C tiam, indiscernibilis spiritus coünitio, diuinitas, substantialitas, beatitudo, intelligentialitas, vitalitas, optimitas, & vniuersaliter omnimodis omnia, purè ingenitum ὤν, vnalitas coünitionis nulla coünitioni: Isto igitur vno existente, vnum proinde exiliit vnum, in substantia vnum, in motu vnum, & motus enim existentia, quoniam existentia motus. Istud igitur vnum existentialiter vnum, sed non vt Pater inexistentialiter vnum, qui est secundum potentiam existentialiter vnum: Habet enim potentiam, & magis habet quod ei futurum est secundum operationem esse, & secundum veritatem non habet, sed est: quoniam potentia, coactio actuosa sit omnia, est sine molestia, & verè omnimodis non egens, quæ sit ab hoc vt sit omnia potentia: Etenim qua potens nata actio eget, agens ipsa vnalitas Igitur ista secundum istud quod esse dicimus vnum, vnum vita est, quæ sit motio infinita, effectrix aliorum, vel eorum quæ verè sunt, vel eorum quæ sunt, existens λόγος, ad id quod est esse quæ sunt. omnia à
D sesemet mouens semper in motu, in semetipsa habens motum, magis autem ipsa motus est: sic enim Scriptura diuina dicit: quod dedit ipse Pater Deus in ipso esse vitam esse. Iste Filius est λόγος, quod est ad Deum, iste per quem facta sunt omnia, iste Filius & filietas tota paternitatis totius semper qui sit & Filius, & ex æterno: Filius autem & semet motâ motione, potentiâ enim progrediente, & veluti immobili præexistentiâ, & non motâ iuxta quod potentia fuit. Ista motio nusquam requiescit & à semetipsa exurgens, & in omne genus motus festinans: quippè vita quæ sit infinita, & ipsa in viuificatione veluti foris apparuit. Necessariò igitur vita nata est, vita autem Filius, vita motio, à vitali præexistentia vita existentia in constitutione, & apparentia omnium totorum, quæ iuxta potentiam Pater est, vt ab eorum quæ verè sunt intelligentia præintelligentia apparet. Ista igitur existentia totius existentiæ est vita, & iuxta quod vita motus quasi fœmineam sortita est potentiam, hoc quod concupiuit viuificare. Sed quoniam sicut demonstratum, ista motio vna cum sit, & vita est sapientia, tota

Alterius personæ talia est proprietas.

** Hoc potentia*

Vitam id est. Filium natum esse.

conuersa in sapientiam, & magis in existentiam patriam, E
magis aut retrò motæ motionis in patriam potentiam, & ab ipso viuificata vita recurrens in Patrem, vir effecta, descensio enim vita, ascensio sapientia. Spiritus autem & ista, spiritus igitur vtraque: in vno duo, & sicut existente vitâ primâ existentiâ, necessitas fuit in Virginalem potentiam subintrare, & masculari Virginis partu virum generari Filium Dei. In prima enim motione, primam dico in apparentiam venientem, veluti defecit à potentia Patris, & in cupiditate insita viuefaciendum, intùs quidem existens vita, motione autem foris existens in semetipsam recurrit: Rursùs in semetipsam conuersa venit in suam patriam existentiam, virtute effectâ & perfectâ in omnipotentem virtutem effectus est perfectus spiritus, nutù in superiora conuerso, hoc est intrò. Sic secundum typum oportuit ordinem esse, & cum est in corpore spiritus, hoc est, Filio Christo, & quasi diminutionem pati, & à Virgine nasci, & ipsa veluti diminutione suà patriâ virtute, hoc est, existentiâ diuiniore & F
primâ resurgere & renouari, & reuerti in Patrem, hoc est, in existentiam & potentiam patriam. Quomodo istud est, adhuc audeo dicere, vt nostra incidentia plurimâ expositione manifesta sit. Ponamus intelligentiam, secundum istum modum Deus potentia est istarum trium potentiarum existentiæ, vitæ, beatitudinis, hoc est, eius quod est esse, quod viuere, quod intelligere. Quod autem in vnoquoque istorum tria, manifestum & quod est esse primum, & secundum quod est esse secundum ipsum viuere & intelligere, sine vlla vnitione, sed simpliciter simplicitas & istud manifestum sicuti demonstratum, illud & tale quod est esse Deum esse manifestè, sicuti demonstratum, potentia potens præstandi quod esse omnibus, non ab eo quod esse vt partem dans & paternam & effectricem potentiæ vnicuique quod est esse ei proprium consistens: hoc autem per ministrantem λόγον, hoc est per vitam quæ omnibus præstat viuere, & tunc substitit, aliquis accipiens quod est esse secundum quod est vitam accipere. Si igitur esse Dei, non ab eo quod sibi esse omnibus præstat, sed ministrante hoc quod est vitam esse, G
ipsum autem vitam esse in eo est quod est Dei, esse vnum & idem est quiescenti, quod est esse Patri, cum eo quod est esse vitæ secundum identitatem, motus est ex sua potentia à patria potentia dependens. Et quoniam omnis potentia naturalis est voluntas, voluit vitam mouere semetipsam, insitâ iuxta substantiá motione impassibiliter, erectè in id quod est: Naturalis enim voluntas, non passio. Secundum igitur quod est esse Dei, in quo potentia existentiæ est, substantialitas patria, secundum potentiam, secundum istud esse ipsum & vita est. Si ergo mouit vita semetipsam, motio autem voluntas, patria ergo motio, & patria voluntas, quoniam patria potentia vita. Sed si secundum quod est esse vita, motio est, propria ergo motio vitæ est. Sed quoniam motio aliunde ad aliud fertur, veluti ab eo quod est intus foras, quod vita & potentia est, & natura, & voluntas: & maximè istud existentia ipsius ideò effulgentia dicitur esse vel progressio, aut eleuati H
spiritus manifestatio, operatrix in viuefaciendo id quod omne totum est essentitatis. Intùs igitur existentis vitæ, iuxta quod est motionem esse ipsam vitam, proles eius quod est Patrem esse vita est: secundum quod motio est. Sed quoniam motio iuxta quod motio est nullam elationem habens, ab eo quod est intùs progressa foràs est, sicut sensus ab eo qui ὤν est, potentiam fontanam & vniuersalem accipiens, iuxta motionem & intùs & foris est: motio enim νοῦς est, sic & vita iuxta quod motio est, Filius est factus manifesta motio à motione patria, quæ in occulto est, quæ secundum primam potentiam existentia est. Rursùs vita secundum quod motio est, procedens à patria motione, & intùs & foris est, sed enim vita motio est: vita igitur & intùs & foris est: viuit igitur Deus, viuit ipsa vita, ergo & Deus & vita vnum: Igitur ista duo & in vnoquoque, & alterum & idem, in Filio igitur Pater, & in Patre Filius. Exclamat igitur veritas, quod ὁμοούσια ista secundum identitatē coünita alteritate. Rursus si Pater vita, & Filius vita, quoniam Filius vita cum sit

secundum

A secundum quod motus est, & intùs & foris est, viuit Deus, viuit Filius, & foris viuunt omnia vbique Filio existente: Et quoniam in Filio Pater, vbique & Pater. Rursùs item quoniam in Filio Pater: cum videritis Filium, & intellexeritis, videbitis & intelligetis Patrem. *Si quis me videt, videt & Patrem:* Proptet hoc enim dictum est: Quoniam Filius forma est Patris: non autem nunc forma esse foris extra substantiam intelligitur, neque vt in nobis adiacens substantiæ facies; sed substantia quædam subsistens, in qua apparet & demonstratur quod occultum & velatum est in alio. Deus autem vt velatum quiddam est: nemo enim videt Deum: forma igitur Filius, in quo videtur Deus: Si enim existentia Deus, potentia, substantia motus, & vita in occulto Deus velut sine forma. Ergo si manifesta vita, & manifesta iuxta motûs potentiam, vita iuxta motum in occulto, in apparentia, in existente motione intelligitur, pronuntiatur, videtur. Adhuc

Ioan. 14. *Filius forma Patris est.*

B sic quod est esse, Pater: quod autem vita, Filius, cum sit impossibile id quod est esse comprehendere: in occulto enim illud est, vita autem iuxta quod vita est, iam & illud est esse: in vita igitur apparet quod est esse, igitur vita eius quod est esse. Sed enim Pater Deus quod est esse, Filius autem vita, Filius ergo vita Patris Dei forma est, in qua speculatur potentiâ patriâ. Credendum igitur in Filium Dei, vt vita in nobis fiat, quæ est & vera, & æterna vita: Si enim habebimus Fidem in Christum Nazaræum, incarnatum de Maria, in Filium Dei, Fidem habebimus, qui fuit & effectus est Spiritus incarnatus. Quomodo istud? Audiui dico. Sed oportet priùs videre, quomodo alia cui attribuentur Patri, an Filio? Dico autem Spiritum, λόγον, νοῦν, sanctum Spiritum sapientiam, substantiam, primum Pater & Filius idem, Filius autem & sanctus Spiritus idem: existentia igitur & vita idem, ergo existentia & beatitudo idem: rursùs esse & vita idem, & vita & intelligere idem. Dictum de istis est in libro qui ante istum, & in aliis, quoniam in vno tria, & idcircò eadem

In vita, id est Christo apparet esse, id est, Pater.

C tria: συνώνυμα ἄρα τὰ τρία, secundum nomen quod obtinet vnumquidque istorum potentiam suam. Etenim quod est esse, & vita intelligentia, sic & aliud ad alia, eadem igitur & συνώνυμα, eadem congenerata, igitur & consubstantialia ista. Sed quasi apparet alteritas quædam in istis, & maximè, idcircò eadem non ipsa, quædam enim suâ potentiâ in occulto & manifesta alia & sunt, & intelliguntur: existentia autem in eadem potentia simul potentia & consubstantialia sunt, & in istis solis inest vnum esse eadem, aliis verò ab istis in identitate altera esse & eadem. Nunc autem perspiciendum quid significent alia nomina in primis posita. Dico autem spiritus, λόγος, νοῦς, sanctus Spiritus, sapientia, substantia. Spiritus substantiæ nomen est vel existentiæ, quod quidem esse significat, & in eo quod quid est & appellatur & intelligitur. Si voles nosse quid est Deus, Spiritus eius quod sit esse significat: ergo Deus & Spiritus quod est esse significat. Rursùs quid est vita? Quod Spiritus. Spiritus ergo & vita quod est esse significat: sic & Spiritus sanctus quod est esse secundum istud ipsum nomen significat, cùm dif-

D ferentia duorum primorum vno nomine nominatorum. Quæ differentia substantialis cum sit, quod est esse significat. Ex iis iam apparet, quoniam substantia vnoquoque existente quod est esse significat. In istis igitur tribus spiritus substantia, ὁμοίσια ergo: Quoniam Spiritus non diuiso Spiritu: quippè vnus cum sit in tribus, sed naturæ, potentiæ & actionis vna cum sit existentia patria, & ipsi quod est esse habenti tria sese generantia substantia sunt omnipotentia: neque igitur præextitit existentia: Pater enim suæ ipsius substantiæ generator, & aliorum secundum verticem fontana est existentia: neque scissa est ipsa existentia: & existentia, & potentia in eo quod est esse, in vnoquoque istorum trium iuxta maiestatem omnem & omnipotentiam, & omnibus modis perfectionem, quæ semet generat, ipsam se substituentem, à sese mouentem, se semper mouentem, consubstantialem, simul potentem ipsum hoc quod sic est esse, & ipsum quod est esse Patre dante. Dicit Saluator: *Omnia quæ habet pater mea sunt, & idcircò dixi: ex meo accipiet:* Non enim loquetur à

Spiritus à Filio accipit, Filius à Patre. Ioan. 16.

E semetipso, sed quæcumque audit, loquetur. Sanctus igitur Spiritus si loquitur, à Filio loquitur; ipse autem à Patre. Vox igitur, & λόγος, & Verbum, isti tres; propter quod vnum tres: Sed Pater quidem in silentio loquitur; Filius in manifesto; & in locutione sanctus Spiritus non in manifesto loquitur, sed quæ loquitur spiritualiter loquitur. Ista igitur tria vera lumina, magis autem vnum lumen, verum vnus λόγος, vna vox, vnum verbum, hoc est, vna potentia actiua; consonat, antequam faciet esse quiddam. Animæ autem quod alia substantia sit, manifestum: Facta enim à tripotenti Spiritu, neque purè vox, neque verbum, sed sicut ἠχὼ audit vt loquatur, imago magis vocis quàm vox. Et hoc est Ioannis *vox exclamantis in deserto: Dirigite viam Domini:* anima enim in deserto, hoc est in mundo exclamat, quoniam scit Dominum Deum & vult mundari, vt Domino fruatur Deo, & ista dicit testimonium de Deo; & præmissa est in mun-

Anima est substantiâ. Deserti pro mundo accipitur. Matth. 3.

F dum ad testimonium testimonij: testimonium enim Dei IESVS CHRISTVS, Filius ergo Dei, Filius Ioannes Domini. Etenim Ioannes non erat lumen, sed venit vt testimonium diceret de lumine, verbum igitur, & vox Filius est, ipse vita, ipse λόγος, ipse motus, ipse νοῦς, ipse sapientia, ipse existentia, & substantia prima; ipse actio potentialis, ipse ὄν, primum vero ὄν ex quo omnia ὄντα; & per quem & in quo, qui est medius in Angelo Trinitatis; Patrem declarat præexistentem, & complet sanctum Spiritum in perfectionem: vt enim dicit Paulus beatus: *Euangelium virtus est Dei & sapientia,* per virtutem Filium significans, quod omnia per ipsum, verbo enim virtutis fient omnia, & sancti Spiritus sapientia perfecta fiunt omnia. Si igitur Deus ista, simul ista tria: Quoniam autem vnum duo, omnia simul existunt in coünitione simul existente vita in Patre in qua est sanctus & Spiritus secundum existentiam, quoniam tria vnum erant, & semper sunt. Si igitur æterna vita Filius elucescentia est prææternæ vitæ, ipse autem vita cognoscentia perfecta & æterna vita:

Rom. 1.

G Tunc enim perfecta cum cognouerit & quæ, & cuius sit, quoniam & semetipsa & iussione Patris: Tunc enim in semet existens, non fit infinita, saluans & saluata à semetipsa, necesse est intelligere & dicere: quod potentia Dei in ipsa est, hoc est Pater in Filio, ipsa autem per semetipsam infinita fuit. Et hoc significat: & λόγος caro factus est: Infinito enim motu in inferiora vita descendit, & viuefecit corruptionem, cuius causa vniuersalis λόγος & potentia vitæ caro factus est, vt dixit Angelus: *Spiritus sanctus adueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* Natus est igitur IESVS CHRISTVS secundum carnem de Maria, & ex sancto Spiritu, virtute altissimi. Omnia igitur Christus Dominus noster, caro sanctus Spiritus, altissimi virtus, λόγος. Ipse impleuit mysterium, vt omnis vita cum carne adimpleta lumine æterno recurrat ab omni corruptione in Cœlos. Neque igitur solùm caro, neque solùm sanctus Spiritus, neque solum Spiritus, nec λόγος solùm, sed simul omnia Dominus noster IESVS. Sanctus ergo Spiritus omnis beatitudo in prima ingenita generatione, quæ sola generatio est & dici-

Ioan. 1. Luc. 1.

H tur, ipse Pater, ipse Filius fuit: Spiritu enim moto à semetipso, hoc est vitæ perfectæ in motione existentis, volentis videre semetipsam, hoc est potentiam suam, Patrem scilicet, facta est ipsa manifestatio sui, quæ generatio est & dicitur, & iuxta hoc foris existens: Omnis enim cognoscentia, secundum quod cognoscentia est, foris est ab illo quod cupit cognoscere. Foris autem dico, sicut in inspectione secundum quod est videre semetipsam: quod est scire vel videre potentiam illam præexistentem in patriam. In isto igitur sine intellectu temporis tempore, ab eo quod erat esse veluti egrediens in inspiciendum ipsum quod erat, quoniam ibi omnis motus substantia est alteritas nata, citò in identitatem reuenit: Non enim secundum dorsum effulgentia, sed sicuti lumina, aut vultus se intuentes visione in se inuicem, idipsum vnum eodem modo & perfectum substitit. Lumina autem vndique vt vultus se aspicientes sunt, & dorsum non habent, & mysticè dicitur Deus, secundum dorsum videtur: nullâ igitur diminutione totum semper

Generatio filij manifestatio est sui.

A

vnum mansit, maximè potentificata coünitione potentia patria. Sanctus igitur Spiritus motus primus intùs, quæ sit excogitatio patria., hoc est suiipsius cognoscentia: Præcognoscentiam enim cognoscentia præcedit. Iuxta istum ergo cognoscentiæ modum naturalem foris effectam intelligentiam natus est Filius, vita factus: Non

Christum vitam factum quid sit.

quod non fuerit vita, sed quoniam foris vita magis vita, in motu enim vita. Hic est λόγος qui vocatur IESVS CHRISTVS, per quem effecta sunt omnia, semen omnium ad id vt sint, quippè vita quâ sine, impossibile est esse aliquid in iis quæ sunt, & in iis quæ non sunt, quæ consecutiones sunt. Quoniam autem diximus vnam motionem & eandem, & λόγον & sanctum Spiritum, λόγον in eo quod vita est: sanctum Spiritum quod est esse cognoscentiam, & intelligentiam esse: Quoniam quæ diximus id ipsum esse vitam & cognoscentiam: & quoniam diximus motam in prima motione intelligentiam: Iste enim ordo naturalis & diuinus potentia cum sit, necesse fuit intelligentiam ad suimetipsius cognoscentiam moueri.

B

Cautè lege, nam abhorret à more loquendi Theologorum. Spiritũ sanctũ quasi Matrem esse Iesu.

Natus est Filius, λόγος qui sit, hoc est vita virtute patriâ, generante intelligentiâ, hoc est quod esse omnium quæ sunt, veluti æternum fontem. Non falletur ergo, si quis subintellexerit sanctum Spiritum matrem esse IESV, & supra & deorsùm, supra quidem vt dictum, deorsum autem isto modo: Necesse fuit liberationis gratia omne diuinum, hoc est seminarium spirituum omnium vniuersaliter existentium, & id quod est esse primum hoc est vniuersalem λόγον ab inferiore hyle & corruptione omni incarnari, in mortificationem omnis corruptionis & peccati: tenebræ enim & ignoratio animæ direptæ ab hylicis potentiis eguerunt lumine æterno in auxilium vt λόγος animæ, & λόγος, carnis mysterio mortis detrusam corruptione in reuiuiscentiam, & animas, & carnes per sanctum Spiritum administratorem ad diuinas & viuefacientes intelligentias erigerent cognoscentiâ, fide, amore.

Luc. 1.

Respondit igitur Angelus Mariæ & dixit illi: *Spiritus sanctus adueniet in te, & virtus altissimi inumbrabit tibi.*

C

Hæc duo in motu, quæ sunt λόγος & sanctus Spiritus, ad id vt grauida esset Maria, vt ædificaretur caro à carne, Dei templum & domicilium aduenerunt: Sanctus quidem Spiritus potentia in motu, generationis enim principium motus, virtus autem altissimi ipse λόγος est: virtus enim & sapientia Dei λόγος IESVS. Sed de λόγῳ hoc

Diuina non capit mens humana.

hoc est de Filio obumbrabit tibi, dixit. Perfectum enim, diuinum & splendidè vt est clarum non capit humana natura. Et hoc significat: & λόγος caro factus est. Magis autem obumbrationem significat, quod dictum est:

Phil. 2.

Exinaniuit semetipsum. Habemus ergo secundum ordinem præmissa Dei & Patrem, & Filium ὁμοούσιος, & ὁμοούσια secundum identitatem in substantia. Vna enim substantia Spiritus, is ipsum esse est. Ipsum esse autem & vita & intelligere est. Ista tria, in singulis quibusque, & ideò vna Diuinitas, & vnum, quod omne vnus Deus, quia vnum Pater, Filius, sanctus Spiritus: secundum potentiam & actionem solùm apparente alteritate: Quod Deus in potentia, & in occulto motu mouet & imperat omnia, vt

D

in silentio, λόγος autem Filius, qui est Spiritus sanctus, & voce confabulatur ad generanda omnia secundum vitam, & secundum intelligentiam substituentia, ad id quod est esse omnibus. Ex iis apparet, λόγος ipse & Spiritus sanctus νοῦς & sapientia: idipsum etenim & Paulus dixit diuinè.

Rom. 11.
1. Cor. 1.

Quis cognouit νοῦν Domini? Et rursùs de ipso: *Virtus & sapientia Dei.* Salomon etiam sapientiam de ipso dicit, & multa nomina in Filium reuocantur, & ipsum & substantiam dicit Paulus ad Hebræos: *imago substantiæ eius.* Et item consubstantialem populum dixit.

Ier. 1.
Substantiæ nomẽ in Scripturis
Matth. 6.
Luc. 15.

Et Ieremias: *quia qui stetit in substantia mea, & vidit Verbum meum.* Et rursùs: *Si stetissent in substantia mea, & audissent verba mea.* Et Euangelium secundum Matthæum: *Panem nostrum consubstantialem da nobis hodie.* In parabola Lucas: dixit Iunior de filiis patri: Da mihi congruam partem substantiæ. Et rursùs ibi dissipauit substantiam suam: Quod enim inde descendit, potentias suas non tenuit. Ista animæ sunt, sed dixi istud aduersum negantes οὐσίας nomen positum esse in sacris Scripturis. Accedit autem, quod ani-

E

mam, hoc est hominem Deus fecit ad imaginem & similitudinem suam. Quid vero ista significent, audi vt dico: Summus νοῦς, & sapientia perfecta, hoc est λόγος vniuersalis, idem ipsum enim in æterno motu, circularis motus erat à σημείῳ primo & in summo vertice circularis existens iuxta ipsum σημεῖον, cyclica causa inseparabiliter conuersa, vt à Patre, & in Patrem, cum Patre existens, incedens, simul existens, & in Patre erat Filius, & in Filio Pater. Prima substantia, & in subsistentia iam substantia, spiritalis substantia secundum, νοῦς, generatrix, & effectrix substantia, præprincipium vniuersæ intelligibilis, & intellectualis & animæ, & hylicæ vniuersæ substantiæ in hyle. Si igitur prima motio vita, inquam, & intelligentia: ista enim illud perfectum vnum & solum. Non solùm circularis motio ista, sed sphærica, & magis sphæra, & verè omnimodis perfecta sphæra: Si enim esse & viuere & intelligere, & si vita ipsum esse est & intelligentia, & summitates, & medium est in vnoquoque, sic & intelli-

F

gentia: vnum igitur istorum tria sunt in se circulata & participantia inuicem sibi. Magis autem simul existentia sine aliquo interuallo, sphæra est & prima, & perfecta, & ipsa sola sphæra: at verò alia iuxta similitudinem sphæricam magis. Ex ista ratione necessariò, & σημεῖον, potentia est, & χάμμην & γράμμην operans σημεῖον est: & à semetipso exiens, & exiens non semper, in mansione, & in motu simul semper simul, κύκλῳ semet circulans vndique sphæram esse Deo vbique existente. Quippè cum sit σημεῖον à quo, & in quod omnis motio conuersione reducitur hic est Deus λόγος totus, νοῦς totus, totus sapientia, omnipotens substantia, substantia quem veremur, quem colimus, solo Spiritu videntes, ipsius nutu & voluntate in ipsum erecti gratiâ Crucis miserante nos Domino nostro IESV CHRISTO: ἀμήν. Erectâ motione cyclicâ rectam dico, quòd à σημείου in σημεῖον, hoc est à Patre in Patrem in apparentia istius motionis & Diuinitatis vniuersæ, τοῦ λόγου, & Filij existit iussione Dei imago iuxta imaginem & similitudinem Dei imago imaginis, hoc est Filij:

G

imago enim Patris Filius, vt demonstratum est: hoc autem est, quoniam Filius vita est, imago igitur vitæ anima effecta est. Anima autem cum suo νῷ, ab eo qui νοῦς est, potentia vitæ intellectualis est, non νοῦς est, ad νοῦν quidem respiciens quasi νοῦς est: visio enim ibi vnitio est, vergens autem deorsum, & auersa à νῷ, & se & suum νοῦν trahit deorsùm, Intelligens tantùm effecta, non iam vt intelligibile, sed si sic perseuerauerit, eorum quæ super Cœlum sunt mater est, lumen non verum lumen, & quidem cum suo proprio νῷ lumen. Si verò in inferiora respicit, cum sit petulans, potentia viuificandi fit, viuere quæ faciet in mundum, & ea quæ in mundo vsque ad lapidem lapidum more, ipsa etiam cum νῷ facta, Etenim cum quidem, λόγος, sit anima non λόγος: cumque in medium spirituum, & intelligibilium, & τῆς ὕλης proprios νῷ ad vtraque conuersa, aut diuina fit, aut incorporatur: ad intelligentiam etenim suæ licentiæ est, & priuatione veri luminis propter scintillam tenuem proprij τοῦ νοῦ rursùm vocatur, quoniam quidem solum est, tenebrata autem deorsùm dicitur. Etenim summitates τῆς ὕλης

H

puriores animandi vim habentes, causa sunt lumini velut in sua descenderet. Quare enim dictum est: & ista discernis, dicit aliquis, si talis est anima. Quomodo dictum est: *Faciamus hominem iuxta imaginem & similitudinem nostram?*

Hominis constitutio ex quibus.
Gen. 1.

Inspiciendum priùs quid est homo, denique quid imago, & quid differt imago à similitudine, & quomodo homo iuxta imaginem & similitudinem, non imago ac similitudo effectus sit: & quid est, ad nostram? Dualiter enim homo, quod est in consuetudine, ex corpore & anima intelligitur.

Imago similitudo. Non anima triplex.

Quidam putant ex corpore & anima triplici: Quidam autem ex corpore & anima tres potentias habente. Quidam rursùs dicunt ex corpore & νῷ partili, & animâ & spiritu, quo consistit fluens corpus: Adhuc quidam de corpore quadripotenti quatuor elementorum & animâ duplici, & duplici τῷ νῷ. Mea intelligentia hæc: Corpus enim, sicur demonstratum: accepit enim puluerem Deus, & plasmauit Adam, hoc est, fabricatâ iam terrâ, summitates terræ & florem habemus principia corporis.

Geminum

A Matth. 24. *Declaratur locus Euangelij de duobus molentibus.* Luc. 17.

Geminum etiam νοῦν, geminam animam declarat Euangelium κατὰ Ματθαῖον & Λουκᾶν: sic enim dicunt *sicut erit & præsentia Filij Hominis: Tunc duo erunt in agro, vnus accipietur, & vnus relinquetur: duæ molentes in pistrino, vna accipietur, & vna relinquetur.* Lucas autem adiecit de corpore duo, *ipsa nocte erunt duo in vno lectulo, vnus accipietur & alter relinquetur.* Alia autem similiter. Ergo quia in agro, λόγος duo sunt, vel νοῦς & λόγος cœlestis, & alius hylicus, Et molentes duæ animæ, cœlestis & hylica, & accipietur igitur cœlestis νοῦς vel λόγος cœlestis anima, hylicus autem λόγος, & anima relinquetur. Quomodo istud, audi. Homo ex anima & corpore cõfitendus. Ex corpore, quod à terra compositum, habet ergo animam terra hylicam, & factus est Adam, iuxta corpus animal, sicuti est animal de aqua & terra. Alia animalia in animam viuam, sed Adam non sic, insufflauit enim Deus in faciem eius ibi omnem potentiam sensibilem, cui adest νοῦς in discretionem sensus. Alia igitur anima diuinior

B

cum suo νῷ: sensibili enim potentiæ hylicus νοῦς est insitus, & consubstantialis hylicæ. Si igitur istud est, λόγος, cœlestis, hoc est νοῦς vel Spiritus diuinus est in anima diuina. Ipsa autem diuina anima in hylico spiritu, hylicus autem spiritus in hylica anima, hylica autem anima in carnali corpore, quod oportet purgari cum tribus omnibus; vt accipiat lumen æternum, & æternam vitam: hoc autem perficit fides in Christo. Dicamus igitur quomodo talis anima iuxta imaginem Dei, & iuxta similitudinem effecta sit, & si sola anima homo, vt dicit Paulus, alius terrenus, alius animalis, alius spiritalis, & ista omnia in vno homine, sed maximè hominem interiorem frequenter dicit, sic enim est anima: colligit enim νοῦν, & diuinam animam; & dicit cœlestem hominem; reliquum autem terrenum hominem. Si istud est, anima nostra iuxta imaginem est Dei, & Domini IESV CHRISTI: Si enim Christus vita, & λόγος est, imago est Dei, in qua imagine perspicitur Pater Deus, hoc est quod est esse in vita: hoc est

Purgatio animarum. 1.Cor. 15.

C

enim imago vt dictum est, & si est Christus vita, quod est autem viuere, hoc est λόγος: ipsa autem vita, hoc est quod est esse, hoc autem quod est esse, Pater est: Et si rursus ipsa vita hoc est quod intelligere: id autem est sanctus Spiritus, & tria ista sunt omnia, & in vnoquoque tria, & vnum tria & omninò ὁμοούσια. Si igitur anima, secundum quod anima est, & animæ esse est, & viuere & intelligere est: tria ergo superioris Triados anima est, vt imago imaginis? Est enim iuxta quod anima est in eo quod est esse, & vitam dans, & intelligentiam, ante intelligere simul habens, ὁμοούσια in vno, & sunt singula vt sua substantia, non scissione, non diuisione, non effusione, nec protensione, neque partu præcisa, sed sempiterna tria: aliud existens in alio existente, & ista substantialiter; iuxta imaginem ergo. Et sicut Pater esse est, Filius autem duo, sed in motu & in actu, sic anima in eo quod anima, vt potentia patria: viuificatio autem & intelligentia in motu: Ista ergo esse animæ iuxta imaginem Patris & Filij: sic autem

D

esse iuxta similitudinem, ὁμοούσιον ergo etiam ipsa in sua vnalitate, & simili substantia: in triplici potentia, ipsa generans, ergo ipsa se mouens, & semper in motu in mundo motionum, fons & principium, sicuti Pater & Filius ipsius animæ motionis & creator, & præcausa, & præprincipium. Adhuc dico in occulto mysterium magnum, sicuti diuinior Trinitas vnalis, secundum quod per se effulgenter fecit animam in mundo intellectibili in substantiam & propriam substantiam, quam propriè dicimus substantiam, sic animæ Trinitas vnalis secunda explicauit imaginationem in sensibili mundo, ipsa anima semper quæ sursùm sit mundanas animas gignens, & istud ergo iuxta imaginem & similitudinem. Videamus ergo si & iuxta carnem quidem, & iuxta carnem dicunt præ diuinatione, quoniam futurum erat vt IESVS indueret carnem. Ego autem dico forte si & in isto quod λόγος, & carnis est λόγος, & Deus & corporalis, & super omne corpus dicitur: potentia enim vniuersorum & omnium Deus, non frustra secundum imaginem corporis. Si enim futurum est nostrum corpus & carnem resurgere, & induere incorruptionem, & fieri spiritualis caro, si-

E 1.Cor. 15.

cuti & Saluator noster iuxta omnia & fuit, & resurrexit, & ascendit, & futurum est vt veniat: & si post resurrectionem immutabitur, accipientes spiritale indumentum; nihil impedit iuxta imaginem carnis superioris τοῦ λόγου hominem factum esse. Ad istud enim testimonium dicit Propheta, dicens: & fecit Deus hominem iuxta imaginem Dei. Si fecit Deus secundum imaginem, Pater iuxta Filij imaginem: Si autem istud dicit, fecit ipsum masculum & fœminam, vt prædictum est fecit hominem iuxta imaginem Dei, manifestum quoniam & iuxta corpus & carnem valdè & mysticè, τῷ λόγῳ in mare & fœmina existente: quoniam ipse sibimet filius erat, in primo & secundo partu spiritaliter & carnaliter. Gratia Deo Patri, & Filio eius, Domino nostro IESV CHRISTO, ex æterno in omnia sæcula sæculorum, Amen.

Gen. 1.

F

MARII VICTORINI AFRI Viri Consularis aduersus Arium,

LIBER SECVNDVS.

DEum omnipotentem omnes fatemur, CHRISTVM IESVM nos nunc, mox tamen fatebuntur omnes, quibus fides in Christum Filium. De vtroque quod sint ambo, & singuli: quippè vt Pater Deus, Filius IESVS CHRISTVS, tota nobis Religio est, & spes tota, & in isto fides. Sed cum fatemur singulos duos, vnum tamen Deum dicimus, & ambos vnum Deum, quod & Pater sit in Filio, & Filius in Patre. Alij vnum Deum dicunt Patrem solum, Filium verò hominem, sed hos nunc omittamus: Etenim IESVM Filium cum dicimus & antequam de Maria nasceretur, fuisse Filium confitemur: Nam si in principio fuit λόγος, & λόγος, fuit ad Deum, & Deus fuit ipse λόγος, & hoc fuit in principio, qui cum postea λόγος, caro factus est, idem est λόγον esse

G *Filium quidam tantum hominem dicunt.* Ioan. 1.

& IESVM: Si enim *in principio erat λόγος*, in principio Filius, qui posteà in carne IESVS, propter mysterium, quod mandato Patris impleuit. Fatendum est igitur à principio fuisse Filium: De Patris substantia, an extra dicimus? Sed istud quærendum. Num Deum non fatemur esse? Fatemur. Qui igitur esse istud ἀνούσιον dicimus, an ἐνούσιον? id est sine substantia an substantiam? Ἀνούσιον inquiunt. Accipio, sed quæro ἀνούσιον quomodo, qui substantia non sit omninò? an qui supra substantiam sit, id est ὑπερούσιον? Sine substantia quis dicat, Deum qui esse fateatur? esse enim illi substantia sua, non illa nobis nota, sed ipse quod est ipsum esse, est ipse non ex substantia, sed ipsa substantia, parens omnium, à se sibi esse tribuens, prima substantia, vniuersalis substantia ante substantiam substantia. Per id igitur quod ὑπερούσιον est, ἀνούσιος à quibusdam dicitur, non quod sit sine sub

Deus ἀνούσιος sit an ἐνούσιος.

H

stantia, quippe cum sit: veneremur ergo Deum, & esse dicamus, id est ἐνούσιον, qui constituit omnia, cœlum & terram, mundum, spiritus, Angelos, animas, animalia, & hominem ad imaginem, & similitudinem imaginis eorum. Quid igitur cum sit ἐνούσιος? Deus Pater vtique dicitur, sic fatemur, & Pater Vnigeniti, omnium fides ista. Num igitur fallit intelligentiam verbum, ambigo suo? Genuit enim vos, & de hominibus dixit Deus, si igitur significat genui & creaui, vt creaturam, & naturaliter de mea substantia genui. Quid magis vnigenito? quid ei qui Filius est? quid ei qui vnus & solus? quid ei in quod Pater est? quid ei qui in patre est? quid ei qui λόγος est, qui in principio erat, & erat apud Deum & Deus est, & per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil. Quid autem hoc significat, quod Christus vnigenitus? Si enim Deus omnium Pater est secundum creaturam, quomodo huius vnigeniti Pater si non alio modo & ex substantia, non ex nihilo? Erat autem non alia substantia ante omnia quàm Patris: de Patris ergo substantia Christus. Age: nunc esse in Christum fatemur. Quæramus eodem modo hoc, esse ἐνούσιον est an, ἀνούσιον? Iam supra dictum ἀνούσιον esse non posse

Ioan. 1.

A

cui sit esse. Quid igitur? istud esse, vnde est; ἐκ τοῦ ὄντος, an ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, id est, ab eo quod est esse, an ab eo quod est non esse; Deus, vt inquiunt, esse est: Christus item esse, sed cœpit tamen. Verum hoc est. Sed istud esse quod cœpit, ab eo cœpit, quod fuit aliquomodo fuisse, vt omnia diuina, & à diuinis orta, potentia semper sunt ac fuerunt: processus autem eorum actus est, & ex motu manifestatio, & quidem natalis: Quid enim Dei nascitur, cum Deus sit ingenitus; an illud credibile est, aut fas est dicere, ex nihilo vel natum esse Christum, quem dicimus Dei Filium? qui est Dominus maiestatis; & cætera quæ supra diximus & in aliis libris. Hoc vero postremo hæresis dicit, cui similis & illa est, vel quæ à Maria dicit cœpisse Christum, vel quæ non ipsum λόγον induisse carnem, sed assumpsisse hominem, vt cum ipse λόγος regeret, atque hoc Marcellus: quod superiùs autem Photinus. Excludamus igitur omnes qui hæc atque huiusmodi de Christo sentiunt, loquamur cum his, qui Christum Dei Filium dicunt, & filium natum, quippe cum fateantur vnigenitum, genitum vtique, non factum. Parum istud est, adiiciunt, de Patre Filium, de Deo Deum; de vero lumine lumen verum, vtique & consequentia de Spiritu, Spiritum, & in Patre Filium, & in Filio Patrem, hæc cum fateantur consilio nullo, ratione timoris potiùs quam veritatis. Alij substantiam hic nominandam negant, alij nominant, sed similem volunt, non eandem dicere. Quibus illud primum perspiciendum est, quod Propheta Isaias dixit: Nullus fuit ante me Deus, & post me nullus erit similis Deus, Si Filius Christus, vtique post Deum Christus, nullus autem similis post Deum, Christus ergo non similis Deo. Aut si non post Deum, certè cum Deo, nam ante Deum nullo modo ὁμοιούσιος. Et Dauid sic *nullus similis tibi*. Deinde quod multis docuimus, substantia in eo quod substantia est, maximè si sit eiusdem generis, & hæc in duobus pluribusve sit, hæc eadem non similis dicitur esse substantia, vt anima substantia est, sunt licet multæ animæ, in eo quod animæ sunt, vna est illis eademque substantia.

C

Non quod præcesserit illa substantia & præextiterit, sed simul semper extiterit, ita & in cæteris. Quantò magis in Deo? cum ipse sit origo substantiæ, cum quo diuino quodam ortu Filius à Patre acceptâ substantiâ, semper cum eo, & in eo, vt alter atque idem eiusdem substantiæ, nulla vel illius diminutione, vel huius acceptione consubstantiali completiuâ vnalitate Deus atque virtus eius semper qui fuerit, & semper extiterit, hoc est Deus & λόγος, Deus & forma eius, Pater & Filius, Deus & IESVS CHRISTVS, Deus & virtus sapientia, ὁμοούσιον, ergo hoc si dictum ὁμοίως vt ὁμούσιος, cùm in eadem sunt specie simul existentes ὁμοειδεῖς eiusdem temporis & ætatis. Hic verò ὁμοηλικής significat consubstantiale simul & substantiam, sine composito vel discretione, sed simul semper quod sit rerum virtutibus actionibusque discretum. Hic oriuntur quæstiones: Prima, quod in sacris Scripturis substantiæ mentio facta non sit, & magis non ὁμοούσιον non sit lectum. Alia quod si hoc ita est, compassus est Filio Pater: Tertia, quod si hoc ita sit, neque Pater maior, neque minor filius, neque alius mittens, alius missus. Et hæc & huiuscemodi talia. Primum igitur illud de substantia videamus, non est in Deo substantia, neque in Christo: An non est lectum? si non est vt suprà diximus: quia omninò non est, sic accipimus, an quia omninò suprà substantiam est, Deum non esse nobis nefas dicere: substantia est enim quod Deus est, quod spiritus, quod lumen est. Cur enim addimus & verum lumen? Etenim in diuinis, & in Deo sic accipiemus substantiam, vt in hylicis corpora, & in corporalibus animum. Hæc enim est ibi substantia, esse supra substantiam, Deum esse omnes fatentur cùm sit potentia substantiæ, & ideò supra substantiam atque ex hoc substantia: etenim potentiæ inest esse. Certè Deus omnipotens est, & quorum origo vel causa est, ipse ille omnia est, virtute scilicet & modo quodam, vnde dictum à Paulo: *Vt sit Deus omnia in omnibus*, ergo & ὂν est, & existens, & substantia, quæ omnia cum sit: quia parens omnium est, potentiâ igitur omnia est. Non dubitandum ergo dicere substantiam Dei: quia cum nos circa prima vel summa propriè verba deficiunt, non incongruè demum apud nos quod conuenire possit intelligentiæ aptamus, vt hic quod est, Deo esse, substanti iure dicamus. Eodem modo accipiamus Christum & esse substantiam, & de Patre eius esse substantiam, quippè cum sit & ipse lumen de lumine, de Deo, Spiritus λόγος per quem facta sunt omnia: Et cum sit ita, vt vsque ad mysterium corporale substantia sua venire voluerit, de quo dictum ad Apostolo. Et non secundum Christum: *Quia in illo habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter* quod est σωματικῶς; Deus enim potentia, & λόγος actio, in vtroque vtrumque: nam & potentia quod potest esse est, & quod est, potest esse. Ipsa igitur potentia actio est, & ipsa actio potentia. Actio est ergo & Pater, agit & Filius, agit & Pater: ideò Pater, quia potentiâ gignit actionem: & ideò Filius actio; quia actio ex potentia: ergo & Pater in Filio, & Filius in Patre, sed vtrumque in singulis, & idcircò vnum. Duo autem, quià quò magis est, id alterum apparet: magis autem Pater potentia, & actio Filius, & idcircò quia magis actio, magis autem actio, quia foris actio. Hoc si ita est, & substantia Pater & Filius, & vna substantia, & de Patre substantia, & simul substantia, & semper, & ex æterno simul Pater & Filius, eadem simúlque substantia, hoc est, ὁμοούσιον, an non est lectum in Scripturis diuinis? Primum qui hoc negat, rem fatetur, sed Scripturæ quærit authoritatem. Quomodo autem non iniquum est, ideò rem non admittere, quia maiores omiserint, aliquo fortasse casu, vel causa, cum ratione vincaris? Verum quid lectum negant substantiam? an de Deo & Christo substantiam? an ὁμοούσιον ipsum? De Deo lecta in Propheta Hieremia: substantia lecta est: De Deo lecta in Propheta Hieremia: *Qui fletit in substantia Domini, & vidit verbum eius, qui præbuit aurem, & audiuit.* Item paulò pòst: *Et si stetissent in substantia, & audissent verba mea.* Item lecta substantia apud Prophetam Dauid: *Et substantia mea in inferioribus terræ.* Lectum apud Paulum ad Hebræos de Christo: *qui est character substantiæ eius.* Sunt & alia exempla, verum hæc sufficere arbitror. At enim apud Græcos posita est ὑπόστασις, non οὐσία, Videamus quid intersit. Ὄντα nominant Græci tam ea quæ sunt in æternis, quam ea quæ in mundo atque terrenis: in æternis igitur Deus est omnipotens, causa omnium, & fons & origo omnium quæ sunt, id est τῶν ὄντων πάντων. Qui igitur damus Deo? hoc quod est esse, an omnibus damus esse, do, non damus? Equidem ratio sic se habet vt primum esse sit Deus: Verum quia potest accipi esse non apertè quid sit illud esse, si iam comprehensibile erit, ὂν dicitur, id est, forma quædam in notitiam veniens, quod tale esse iam ὂν & ὕπαρξις dicitur, omnis ὕπαρξις habet quod est esse, quod autem est esse, non continuò καὶ ὕπαρξις est, neque ὂν, nisi potentialiter, non in manifesto vt ὂν dicatur, est enim ὂν figura quædam formatum illud quod est esse, quod tamen purum tunc purum intelligitur, cum intelligitur iam formatum: forma enim intellectum ingenerat, manifestè pronuntiat aliud esse formam, aliud quod formatum est. Quod autem formatum est, hoc est esse: forma verò est, quæ intelligi facit illud quod est esse. Hoc ergo quod est esse, Deo damus, formam autem Christo, quia per Filium cognoscitur Pater, id est, per formam, quod est esse, & hic dictum est. *Qui me vidit, vidit & Patrem.* Est ergo & Deus ὕπαρξις, & Christus ὕπαρξις; τῆς ὑπάρξεως. enim cum forma quod est esse, & quia semper simul sunt, & forma esse est, & ipsum esse forma, vnde Pater in Filio, & Filius in Patre: est enim esse & in Patre, quod est potentia, quod priùs est ab eo quod est forma. Est item rursùs & in Filio esse, sed istud, quod est esse proprium à Patre habet, vt sit illi formam esse, alter ergo in altero, & ambo vnum. Ergo ὂν Deus, ὂν Filius, id est enim τὸ ὂν esse cum forma: omne enim quod est ὂν esse, est cum forma, hoc & existentia dicitur, &

Left margin notes: Marcel. — B — *Diuinarum rerũ processio* — *De substantia Christi controuersia.* — Isai. 43. — Psal. 70. — C — *Quæst.* — D — *Contra negantes substantiam in Deo.* — *Verum lumen quare dicatur.* — *Deum omnia esse.* — *Circa summa rerũ diuinarum verba nos destituũt.*

Right margin notes: E — 1 Cor. 15 — *Dei est substãtia.* — Coloss. 2 — F — *Pater & filius quare duo.* — NOTA. — *Substantia verbum reperiri in scripturis.* — G — Psal. 138 — Hebr. 1. — Ὄντα. — *Deus origo τῶν ὄντων πάντων.* — H — Ioan. 14. — *Forma patris Christus.*

A ſubſtantia & ſubſiſtentia, quod enim ὤν eſt, & exiſtit & ſubiectum eſt. Hoc autem eſt quod eſt eſſe ſine connexo vllo, quod ſimplex eſt, quod vnum; manifeſtior igitur ſubſiſtentia eſt, & exiſtentia eſt, & ſubſtantia dicitur. Si ergo dicitur de Deo ſubſiſtentia, magis de Deo dicitur ſubſtantia, & magis iſta quoniam ſubiectum ſignificat, & principale quod conuenit Deo: Non ſit autem ſubiectum ſicut in mundo ſubſtantia, ſed quod honoratiùs & antiquiùs & ſecundum fontem vniuerſitatis: Verum quod eſt eſſe, quod præſtat Deus his quæ ſunt, vt vnumquodque ſit ὁμοούσιον, ergo eſſe formam habens, & primum ſolum verum: quoniam quod eſt illud eſſe putum eſt, hoc magis ſubſtantia eſt. Quoniam autem rurſus & forma eſt eſſe, & ipſa ſubſtantia eſt, ſed hoc ὑπόστασις dicitur: iam enim formatum eſſe ſubſtantia eſt, formatum autem eſt Deus, quod Deus eſt, & Pater, ſic & filius, quod λόγος & filius. Subſiſtentia ergo propriè dicitur de ambobus, quod eſt ſubſtantia: quoniam quod eſt eſſe principale, cum forma ſubſtantia dicitur. Hæc autem & B ſubſtantia dicitur, & ideò dictum eſt, de vna ſubſtantia tres ſubſiſtentias eſſe, vt ipſum quod eſt eſſe ſubſiſtat tripliciter, ipſe Deus, & Chriſtus, id eſt, λόγος & Spiritus ſanctus. Ergo ὑπόστασις iure Deo datur, iure λόγῳ, id eſt, Patri & Filio. Id autem Latini ſubſtantiam dicunt, quia diximus & ſubſtantiam dici poſſe, ſcilicet id quod eſſe eſt, magis formatum eſſe. Quæ cum ita ſint, lecta eſt ὑπόστασις, hæc autem eſt οὐσία, ſicut probauimus. Nunc videamus vtrum ibi, vbi legimus, aliud ſignificet: ὑπόστασις. quàm οὐσία. Multi enim æſtimant copias atque fortunas ſignificari hoc verbo, ὑπόστασις ſcilicet, ſed ſi dixit: Si ſtetiſſent in ὑποστάσει Domini vidiſſent verbum eius. Quod hic intelligimus, ὑπόστασιν Domini, niſi id quod eſt Deus? Eſt autem Deus ſpiritus, lumen, potentia, omnipotens, & huiuſmodi talia: Hic qui ſtat & intelligit non autem erat qui intelligit, ſtat ergo: intelligens autem Deum intelligit & videt, λόγον Dei Filium, manifeſtum ergo hanc Dei eſſe ὑπόστασιν, quia intellecta C & verbum intelligitur, ſimul enim ſunt, & hoc eſt ὁμοούσιον. Hoc & iterum dicit: Quia ſi ſtetiſſent in mea ὑποστάσει, & verbum meum audiſſent. Supra videre, hic autem poſuit vtrumque, hoc eſt quo intelligere. Is enim rem intelligit, qui in rei ſubſtantia ſtat, id eſt, in primo fonte rei, vt omnia quæ ſunt eius intelligat. Quid deinde? cum alibi vel in Dauide, vel in Euangelio poſita eſt & lecta ὑπόστασις numquid aliud quam οὐσία intelligitur? ὑπόστασις mea, inquit, Dauid: de Deo vtique, ἡ ὑπόστασις mea in inferioribus terræ. Dicit enim occultum ſe nemo credat, quia vtique ſum & omne quod ſum & ſubſtantia mea, & in inferioribus terræ: Vbique eſt enim Deus, vel ſpiritus Dei, quæ Dei ſubſtantia eſt, Volo nunc & illud videre in Euangelio per parabolam & exemplum poſitum, dixit enim Pater familias quidam duobus filiis, ὑπόστασιν ſuam diuiſit, vtique fortunas & patrimonium intelligimus. Sed ſi hoc referri ad Deum oportet, erit ὑπόστασις & hic potentia omnis & virtus. Hanc conſumit vnus filius qui à Deo recedit: etenim qui D peregrinatur à Deo, nec ſpiritum Dei habet, nec lumen, nec Chriſtum, hic apud ſe conſumit ſubſtantiam Dei. Hæc eſt enim Dei ὑπόστασις vt diximus, ſiue nunc hic diuitias dicamus, vel patrimonium, nihil differt: ſic enim dictum eſt ab Apoſtolo Paulo: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Si igitur diuitiæ Dei, ſapientia & ſcientia ſunt: & ſi ſapientia & ſcientia ipſa virtus Dei eſt, virtus autem Dei Chriſtus eſt, Chriſtus autem λόγος eſt; λόγος & verè Filius, Filius autem in Patre ipſe eſt: ipſe ergo, diuitiæ Patris; ipſe ὑπόστασις eſt. Iam igitur nihil intereſt, vtrum ὑπόστασιν diuitias intelligamus, an οὐσίαν, dummodo id ſignificetur quo ipſe Deus eſt. Ergo lectum eſt de Deo vel ὑπόστασις vel οὐσία. hoc autem & de Chriſto intelligitur. Dictum eſt: *Ego in patre, & Pater in me.* Quod quidem ideò bis dictum, quia in Patre eſſe potuit Filius, non tamen & in Filio Pater, ſed vt plenitudo atque idem vnum in ſingulis eſſet. Si autem eadem ὑπόστασις, ὁμοούσιον ergo. Eadem, autem, nam Chriſtus Deus de Deo, & lumen de lumine. Ergo ὁμοούσιον. Id autem ſi ex æterno & ſemper neceſſariò ſimul, ergo verè ὁμοούσιον. At enim hoc ipſum ὁμοούσιον lectum eſt. Omnia enim quæ dicimus lecta ſunt, vobis dico, quia iam fatemini de Deo, vel quod lumen ſit, vel quod Spiritus. Dicitis ergo de Deo Deum, de inuiſibili Spiritu Spiritum, & verum lumen de vero lumine, quæ ſunt ὑποστάσεις Dei. Verum cum dicitis Chriſtum, Deum de Deo, lumen de lumine, & talia: vbi ſic legiſtis? an vobis licet ſic dicere, vnde magis ὁμοούσιον, probatur nobis dicere, ὁμοούσιον non licebit? Verum ſi ideò dicitis lumen de lumine, quia & Deus lumen dictus, & Chriſtus lumen & item & Pater Deus, & Chriſtus Deus dictus, id quidem manifeſtum, verum de Deo non lectum, lumen de lumine, at licuit ſumere: Liceat ergo de lectis non lecta componere. Ὁμοούσιον lectum negatis, ſed ſi aliqua ſimilia, vel ſimiliter denominata lecta ſunt, iure pari & iſtud denominatum accipere debemus Dei ὤν lumen eſt, hoc lumen vita eſt, & iſta vita, iſta intelligentia, hoc eſſe Deum, hoc eſſe Chriſtum ſatis declaratum eſt. Viuit Pater, & ego viuo, Pater habet in ſe vitam, & filio dedit habere apud ſe vitam, quæ habet Pater, ea mihi dedit omnia. His & aliis ſæpè probamus, eadem in Patre eſſe, & in Filio, & quod ſemper & ex æterno: Et ideò ὁμοούσιον appellatum eſt. Sed vnde hoc verbum, audi Euangelium, audi Paulum Apoſtolum, audi orationem oblationis, quoniam vita eſt Deus, & æterna vita. Nos Chriſtiani, id eſt, qui in Chriſtum credimus, docemur in Euangelio quomodo Deum Patrem rogare debeamus, in qua oratione cum multa petimus, tum petimus panem, qui panis vita eſt, ſic enim dictum eſt: *Hic enim eſt panis, qui de cœlo deſcendit*, Hanc vitam & Chriſti & Dei, id eſt, æternam quod nomine ipſe dicit? ἐπιούσιον ἄρτον, ex eadem οὐσίᾳ panem, id eſt, de vita Dei, conſubſtantialem vitam. Vnde enim filij Dei erimus, niſi participatione vitæ æternæ? quam nobis Chriſtus à Patre afferens dedit. Hoc ergo eſt, δὸς ἡμῖν ἐπιούσιον ἄρτον id eſt, vitam ex eadem ſubſtantia: etenim ſi quod accipimus, corpus Chriſti eſt, ipſe autem Chriſtus vita eſt, quærimus ἐπιούσιον ἄρτον, diuitiæ enim in Chriſto corporaliter habitant, Græcum igitur Euangelium habet ἐπιούσιον, quod denominatum eſt à ſubſtantia, & vtique Dei ſubſtantia, hoc Latini vel non intelligentes, vel non valentes exprimere, non potuerunt dicere, & tantummodo quotidianum poſuerunt, non ἐπιούσιον. Eſt ergo & nomen lectum, & in Deo ſubſtantia, & dici poteſt Græcè quod etiam Latinè non exprimitur, dicitur tamen Græcè quia intelligitur. Ergo nos qui Chriſtum credimus, quia ab eo vitam æternam ſperamus, quia ipſe vita eſt, cum ipſum ſequimur, & cum eo, & circa ipſum, & circa vitam æternam ſumus, & appellamur λαὸς περιούσιος. Hinc ſanctus Apoſtolus ad Titum Epiſtola ſic dixit Græcè: ἵνα λυτρώσηται ἡμᾶς ἀπὸ πάσης ἀνομίας καὶ καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον ζηλωτὴν καλῶν ἔργων. Latinus cum non intelligeret. περιούσιον ὄχλον, περιούσιον τὸν περιόντα, id eſt, circa vitam, quam Chriſtus & habet & dat, poſuit populum abundantem. Quid meriti eſt vt ſalutur populus quo abundat? Hoc autem rurſus magna cauſa & veluti neceſſitas, quo περιούσιος. Hinc oratio oblationis intellectu eodem precatur cum: σῶσον περιούσιον λαὸν, ζηλωτὴν καλῶν ἔργων. Ergo lecta ſunt omnia, denominata ab οὐσίᾳ hinc itaque compoſitum ὁμοούσιον de Deo & Chriſto, quod & ab ratione non eſt alienum: habet enim λόγον, quam habent ſuperiora nomina & eodem modo denominatum eſt, & hoc nomen omnes excludit hæreticos, neceſſariò ergo poſitum à maioribus. Dicendum ergo & ſemper tractandum eſt. At enim quia non intelligitur, & ſcandalum facit tollendum, & de fide & tractatu, aut certè Latinè ponendum. Non intelligitur, dicunt. Ergo nec Latinè poteſt dici. Non intelligitur, quare vos timetis iſtud? qui enim oppugnant, timent tamen: ſi timetis; hæretici eſtis, hoc excluſo ſubintrare cupitis. Num ſi οὐσίαν in Deo negatis, ὁμοούσιον ideò tolli vultis, quia οὐσίαν fatentur? Ergo intelligitis & timetis. Si autem & Baſilius ὁμοούσιον dicit, & hoc quoque nomen aduerſum vobis

Marginal notes: De vna ſubſtātia tres eſſe ſubſiſtētias οὐσία & ὑπόστασις in quo differāt. — Intelligere quid ſit. — Pſal. 138. — Luc. 15. — Rom. 11. Diuitiæ Patris Filius. — Ioan. 14. — Lumē de lumine nuſquam legitur in ſcripturis. — Ex ſcriptis in ſacris iterum non ſcripta componimus. — F — Chriſtiani oratio oblationis. Ioan. 6. Matt. 6. — G — Latini non potuerunt aſſequi περιούσιον proprietatem — H — Oratio oblationis. — Hæc ex Arij perſona dicit.

vobis est, & ideò & hoc repudiatis, quia semel οὐσίαν negatis in Deo. Si autem ideò repudiatis, quia intelligitis, & ipse Basilius intelligit qui ὁμοιούσιον dici vult, de quo post loquemur, non est ὁμοούσιον nomen, quod non intelligitur. Latinè, inquiunt, dicatur. Quia difficile dicitur, ideò expetitis & si dicatur, sequimini. Magnum miraculum, verbum vos hæreticos facit, vel potiùs sonus verbi, quod Græcè dicitur. Deindè si Latinè dixero, quia Ecclesia habet Græcos, & quia omnis Scriptura vel veteris testamenti, & noui, & Græcè & Latinè scripta est, si non ponimus Græcè, interrogati à Græcis, quid respondebimus? Necessariò dicendum est ὁμοούσιον, ergo ponendum. Quid autem? In Scripturis non multa sunt nomina, vel Græca, vel Hebraica, aut interpretata, aut non interpretata? vt Ηλωι, ηλωι λαμα σαβαχθανι. Item Golgota, & Emmanuel. Item: *quis non amat Dominum nostrum Christum filium* ἀνάθεμα μαραναθα. Sexcenta alia aut interpretata, posita tamen: aut non interpretata, & sola posita, aut anathema, quod non exprimitur, nec latinè nec Græcè, & tamen positum est, & quotidiè vsurpatur, sicut & Alleluia, & Amen, quæ in omni lingua incommutabiliter dicuntur. Licet igitur ponere eodem modo ὁμοούσιον. Certè verbum cum tollendum est, aut quia obscurum est, tollitur, aut quia contrarium, aut quia minùs vel plùs exprimit, aut quia superuacuum est. Hoc non obscurum est, nam & nos diximus quod significet, & vos quia intelligitis, timetis: & Basilius, quia intelligit, mutat. Contrarium autem non est, nam cum de substantia iam omnes fateamur: substantia est enim Deus Spiritus lumen quæ de Deo Patre & Christo dicuntur hoc verbum ὁμοούσιον, cum de substantia dicatur, non potest esse contrarium. Sed minùs aut ampliùs exprimitur. Corrigendum potiùs quam auferendum: iam verò superuacuum quomodo? quia iam dictum, vbi dictum, an quia non vtile quod excludit hæreticos maximè Arianos? Quod maioribus positum vt murus & propugnaculum? Sed nuper est positum. Quia nuper erupit venenata cohors hæreticorum, quo tamen conditum iuxta veterem fidem, nam & ante tractatum, & multi orbis Episcopi trecenti quindecim in ciuitate Nicæa quam per totum orbem decretam fidem mittentes, Episcoporum millia in eadem habuerunt, vel illius temporis, vel sequentium annorum. Probatū autē ab Imperatore Imperatoris nostri patre. Sed latinè hoc nos dici volumus: nec hoc vobis negabitur, vos qui substantiam negatis in Deo, quamque à Basilio vincamini, & tu Basili qui substantiam confiteris, verique vestris vocibus ὁμοούσιον confitemini: Nempè dicitis Deum, & eundem dicitis lumen, eundem spiritum. Qui dicit ista, substantiam dicit Dei: Nam qui dicit Patrem vel omnipotentem vel bonum, vel infinitum, & talia, non substantiam, sed qualitatem dicit. Item filium dicitis Λόγος, lumen, spiritum, & ista substantiam significant. Rursùs cum dicitis Deum dicitis, Deum de Deo, verum lumen de vero lumine, argumentum timoris Basilij tollitis, ne sit superior substantia, ex qua duo sunt. Si enim de Deo Deus, & lumen de lumine, vtique Patris substantia filij est: quia ipse Deus Pater, ipse substantia est, de qua substantia Filius Λόγος, lumen, spiritus etenim cum dicitur filius, item Saluator, item Iesus Christus, secundum qualitatem, non secundum substantiam dicitur. Sic reliqua vel Patri dantur, vel filio, ergo substantiam fatemini. Vos autem certè Basilio credite, qui eadem de Deo, & de Christo dicit, lumen Deum spiritum, λόγον, & substantiam confitetur. At enim in istis ὁμοούσιον non est? ita est, si non in ὁμοουσίῳ eandem substantiam intelligas. Sin autem cum componitur verbum, idem in duobus vel pluribus significatur, ὁμοειδὴς, quo de eadem sit specie: & ὁμῆλιξ, quo eadem ætate, & quod ὁμώνυμοι, eodem nomine concordia ὁμόνοια, eodem corde eadem οὐσία, ergo consubstantiale quod sit eadem substantia est: Sin autem ὁμοιομοῦ intelligitur, erit ὁμοούσιον, Latinè simul consubstantiale, non ab aliquo alio, sed Dei potentia ex æterno. Etenim si in principio erat Λόγος, & Λόγος erat ad Deum, quoniam principium aute nihil habet: si enim habuerit, desinit esse principium. Ex æterno Deus, & ex æterno λόγος, Simul ergo ambo, & semper simul, nec aliquando alter sine altero, nec filius ex eo quod non est aliquando. Hic ergo exclusus Arius, qui protulit ἦν ποτε οὐκ ἦν sententia eius fuit & illa ἐξ οὐκ ὄντων esse filium, id est de nihilo: Significat ὁμοούσιον simul esse, & substantiam: Aduersus vtrumque sacrilegium verbi huius potentia repugnat, quo ὁμοούσιον dicitur, siue enim ita est, vt ὁμοούσιον sit eiusdem substantiæ, vt ὁμοειδὴς, sicuti suprà docuimus, excluditur quod dictum est, esse Christum ex nihilo: si enim Deus & Λόγος eadem substantia sunt, Deus & Λόγος non solùm non ex nihilo, sed ne ex simili quidem substantia. Si verò ὁμοούσιον ex eo quid est, simul esse substantia intelligitur, hoc est simul esse substantiarum, simul Deus & λόγος & ex æterno semper simul Pater & Filius.

Mat. 27
1.Cor. 6.
Basilius.
Noua hæresis noua vocabula formare cogit.
Constantius Imperator sub quo Victorinus scripsit, confirmauit ὁμοούσιον nomen.

Ex hoc excluditur quod dictum est: fuit quando non fuit. Hoc si ita est, hoc vno, id est, ὁμοούσιος, omne venenum Ariani dogmatis internecatur. O docti Episcopi, ô sancti, ô fidem spiritu confirmantes, ô verbum vere, verbum Dei, quod Deus & λόγος ostenditur, simul ex æterno, & semper eademque substantia. Dictum igitur Latinè est ὁμοούσιον: vnde necessariò etiam Græcè ponendum atque tractandum. Sed adiiciamus etiam nunc aliquid, quo per confessionem vestram & per lectionem deificam Latinè expressum ὁμοούσιον approbetur. Lectio diuina dicit: Pater in Filio, & Filius in Patre. Et ne parum sit, ad fidem ipse Dominus noster IESVS CHRISTVS dicit: *Ego in Patre & Pater in me.* Quid ergo? Hæc nomina insunt sibi inuicem? an virtutes, an substantiæ, an sapientiæ & potestates? Pater quo Pater est, in filio esse non potest: Item Filius, in Patre esse non potest, sed quo virtutis substantiæ sibi est, hoc est in altero. Inde alterum in altero, vnum redditur etiam subsistentibus singulis, vnum tamen, quia idem in vtroque intelligitur & nominatur. Ergo & Pater in Filio, & Filius in Patre. Sed isto modo. Hoc si ita est, videamus cætera. Dicitis, & rectè dicitis, IESVM CHRISTVM Dominum nostrum, Deum de Deo, & lumen de lumine. Vicinum est, similiter dicere & istud. Dicamus ergo, vereque dicamus in Deo, lumen in lumine. Quod quidem ideò non & reuersim dicitur, quia vnum verbum est in duobus. Nam Pater & Filius duo sunt vocabula: & idcircò verti inuicem possunt, vt & Pater in Filio dicatur, & Filius in Patre. At verò cum vnum nomen in duobus dicitur, Deus in Deo, eodem modo dicetur & cum de altero dicitur, eadem ratio & cum dicitur lumen in lumine. Necessitate igitur nominis vnius semel quidem dicitur, sed propter duo Patrem & Filium bis & intelligitur & auditur. Dicamus igitur Iesum Dei Filium, Deum de Deo, lumen de lumine. Dicamus & illud, Deum in Deo, lumen in lumine: Si enim, vt fatemur omnes, & Filius in Patre est, & Pater in Filio; est autem Pater & Deus, & lumen, ita tamen vt de Patre Filius hic sit, vnde necessariò & verè est dicere: & Deus in Deo, & lumen in lumine. An durum illud est? sed necessariò fatendum est & sic esse, & sic se habere. Quid si etiam lectum est, & ex duobus istis vnum apertissimè sic positum, vt à me non inuentum, sed sacrâ lectione sit iam probatum? Hymnidicus Dauid in libro Psalmorum, qui clauis mysteriorum omnium dicitur, sic Deo psallit: *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen:* Deo dictum æstimamus, an Christo? an vtrique? Quia cuicumque rectè: In Patre enim Filius, & in Filio Pater. Sed si Patri Deo, hoc erit illud: Si in substantia mea stetisset, & verbum meum audisset. Si autem filio, hoc erit illud: *Qui me videt, videt & Patrem.* Ergo *in lumine tuo videbimus lumen.* Est igitur lumen, in lumine tuo videbimus lumen. Neque enim dubitandum est quando & hoc sequatur, cum illud quod eodem modo est, & re sit, & lectione probatum. Quod si ita est, colligamus omnia, iam ὁμοούσιον apparebit, & Græcè intellectum, & Latinè pronuntiatum. Credimus in Deum Patrem omnipotentem, & in filium eius vnigenitum.

Ioan. 14.
Psalterium. Psal. 35
Lumen est in lumine.
Ioan. 14.
ὁμοούσιον in scripturis.

A genitum. Verum fiat: Satis eſt iam de hoc. Iſaias ſic ita: *Laborauit Ægyptus, & mercimonia Æthiopum & Sabaim. Viri altiſſimi in te ambulabunt, & tibi erunt ſerui, & retro ſequentur ligati manicis, te venerabuntur, & te precabuntur quod in te Deus eſt, & non eſt Deus extra te.* IESVM CHRISTVM dominum noſtrum, Deum de Deo, lumen de lumine: conſubſtantialem, ſimul ſubſtantialem, ſic reliqua ad ſymbolum quæ iunguntur, & ad fidem explicitum eſt, & abſolutum ὁμοούσιον plenum eſt, & de eadem ſubſtantia, & in eadem ſubſtantia, & ſemper ſimul, ſi placet Latinè ſic habeatur. Si autem vnum verbum Græcum, quod magnâ expreſſione, magnaque breuitate vtrumque concludit, placet manere, de Deo & Domino noſtro perſeueret; ὁμοούσιον vero magis ac magis teneatur, ſcribatur, dicatur, tractetur, in Eccleſiis omnibus prædicetur. Hæc enim fides apud Nicæam, hæc fides Apoſtolorum, hæc fides Catholica: Hinc Ariani, hinc hæretici vincuntur vniuerſi. Pax cum his qui ita ſentiunt, à Deo Patre, & à IESV B CHRISTO Domino noſtro, Amen.

Iſai 45.

MARII VICTORINI AFRI,
Viri conſularis, aduerſus Arium.

LIBER III.

ΛΟΓΟΣ vel νοῦς diuinus vt ſede vtitur, atque vt corpore animâ cœleſti, eâ verò ſenſuali νοῦ, vel Λόγος inſenſuali animâ, vt ipſe ſenſualis in corpore eſt, & ideò in qualicumque corpore. Omne autem quod ex Diuinis eſt, ad ſua quaſi pars eorum eſt, ſed vt imago, vt id in aliis & aſſertum eſt, & probatum; quippè cum in ipſis diuinis Λόγος Dei imago ſit, ſic igitur cætera, ergo omnium diuinorum. Vt enim Dei Λόγος imago eſt, ita τοῦ Λόγου anima quæque hoc genus ibi, cætera imagines ſunt: At in natura ſenſuali non imagines, ſed magis ſimulachra, ac ſimulamenta dicenda: Ita enim C rerum progreſſio eſt, vt effulgentia luminis imago ſit luminis, vnde ſubſtantia eadem eſt in ſummis & æternis, quia imago luminis lumen eſt, vt enim de Spiritu non niſi Spiritus: & de vero, verum, & de Deo, Deus: ſic & de ſubſtantia, ſubſtantia: Spiritus enim, & verus, & Deus ſubſtantia eſt. Omne autem quod eſt vnicuique ſuum eſſe, ſubſtantia eſt. Sed hoc eſſe quod dicimus, aliud intelligi debet in eo quod eſt eſſe: aliud verò in eo quod eſt ita eſſe, vt vnum ſit ſubſtantiæ, aliud qualitatis. Sed iſta ſic in ſenſibilibus & in mundo. At in diuinis & æternis iſta duo vnum: omne enim quod ibi ſimplex, & hoc Deus quod lumen, quod optimum, quod exiſtentia, quod vita, quod intelligentia, ac de hoc & in aliis diximus. Omnia ergo ibi ſubſtantialiter ſimplicia, inconnexa, vnum numero, vnum, nec numero vnum, ſed ante numerum vnum, id eſt, ante vnum quod eſt in numero, hoc eſt planè ſimplex, ſolùm ſine phantaſia, quod alterum. Vnde quod inde naſcitur, imago, non ſciſſio, nec effuſio, ſed effulſio: nec D protenſio, ſed apparentia, nec germinatio potentiæ quàm potentiæ actio: vbi enim actio, aut vnde? niſi in potentia atque ex potentia? Et quando aut vbi potentia? niſi cum actione & in actione? Non ergo alterum in altero, nec aliquando ſimile, quia idem ſemper: Et quia effulgentiâ declaratur lumen, vel actio declaratur potentiâ: idcircò, *qui me videt, videt & Patrem.* Et quia potentiam ipſam ſolam nemo videt, *Deum nemo vidit vnquam.* Et quoniam potentia ceſſans vita eſt, & ceſſans intelligentia, hæc autem vita & intelligentia actio eſt, ſi quis Deum viderit, moriatur neceſſe eſt: quia Dei vita & intelligentia in ſemetipſa eſt non in actu: omnis autem actus foris eſt, hoc verò eſt noſtrum viuere, quod foris eſt viuere: ergo eſt mors Deum videre, *nemo,* inquit, *vnquam Deum vidit & vixit*; ſimili enim ſimile videtur. Omittenda igitur vita foris, omittenda intelligentia, ſi Deum videre volumus, & hoc nobis mors eſt.

λόγος imago. Dei anima vero imago τοῦ λόγου.

[Ioann] 14. [Ioann] 1. ... *Videre Deum mors est.*

E Quoniam autem hæc vita & intelligentia Λόγος eſt, qui Chriſtus eſt per Chriſtum & nos omnia, per ipſum eſt ergo Λόγος, & vita, & intelligentia. Quare? quia iſta omnia motus, & adiectio eſt: nos ergo ſi ſumus in Chriſto domino, per Chriſtum videmus, id eſt vitam veram, hoc eſt per imaginem veram. Et quia veram, ergo eiuſdem ſubſtantiæ, quia & in actione potentia eſt, ibi ergo Deum videmus, & hinc illud: *Qui me videt, videt Deum.* Quòd verò de potentia actio, ideo de Patre Filius, ac de Spiritu Λόγος: & quia de ſpiritu Spiritus, ideo de Deo Deus: ergo de ſubſtantia eadem ſubſtantia, vt ſupra docuimus. Potentia Deus eſt, id eſt, quòd primum exiſtentiæ vniuerſale eſt eſſe, quod ſecum, id eſt, in ſe vitam & intelligentiam habet, magis autem ipſum quod eſt eſſe, hoc eſt, quod vita atque intelligentia motu interiore & in ſe conuerſo: eſt ergo motus in Deo, & ex hoc & actio, vnde dictum: *Amen, amen dico vobis, non poteſt filius à ſemetipſo facere aliquid, ſi non viderit Patrem facientem: quæ enim ille facit, eadem & filius facit.* Similiter ergo & Pater & facit & agit, ſed intus; vnde cum nullo eget extrinſecus, ſemper plenum, ſemper totum, ſemper beatum eſt. Verum quoniam vita atque intelligentia motus ſunt, omnis autem vita viuificat, omne verò quod viuificatur foris eſt: itemque intelligentia quod intelligit foris eſt, & id quod intelligit intus, tracta & vita & intelligentia, vel effulgente vel illuminante intelligit. Vnde de Deo atque ex eadē ſubſtantia eſt, & ſubſtantia, & vita, & intelligentia, itemque motus cum intus in ſe eſt, idem eſt quod ſubſtantia: qui cum inde ſpectat, & vt foras emineat, id eſt, vt operetur atque agat, hic partus eſt, hic natalis. Et quia motus vnus eſt, vnigenitus Filius, motus autem vnus ſiue illa vita, ſiue intelligentia: etenim vitam motum eſſe neceſſe eſt. Viuefacit enim omnis vita, vnde motus eſt vita, qui ſiue in ſe exiſtens, atque in ſe conuerſus ſubſtantia ipſe ſibi eſt, ſiue foras ſpectat, vnde magis dicitur motus: nam intùs motus ceſſatio eſt, vel mota ceſſatio, ceſſánſque motus: debet enim Deus vtriuſque, ceſſationis dico & motus & parens eſſe, & ipſa ſubſtantia, quod ſocietate, & quâdam formâ, ad vtrumque fons eſt, eſt ſimplex ipſe & vnus ſempérque vnus ac ſolus, & vt ſuprà diximus, totus. Qui cum in ceſſante motu accipitur atque intelligitur, hoc eſt Deus, atque ipſe Pater eſt, ſemper atque ex æterno Pater: quia ſemper motus ex ſubſtantia, & in ſubſtantia, vel potiùs ipſa ſubſtantia, qui cum foras ſpectat, hoc eſt autem foras ſpectare, motum vel motionem eſſe: quod ipſum hoc illud eſt ſe videre, ſe intelligere, ac nolle velle: cum autem ſe videt, geminus exiſtit & intelligitur videns, & quod videtur: ipſe qui videt, ipſum quod videtur, quia ſe videt, hoc eſt igitur foras ſpectans, foris genitus vel exiſtens, vt quid ſit intelligat. Ergo ſi foris eſt: & ſi genitus, Filius: & ſi Filius, vnigenitus, quia ſolus, qui eſt omnis actus, atque omnis & vniuerſalis, & vnus eſt motus, idem autem motúſque ſubſtantia, ergo & Pater, & Filius vna eadémque ſubſtantia: conſubſtantiale igitur, id eſt, ὁμοούσιον. Omnia ergo Filius, vt omnia Pater. Sed quia potentialiter prior eſt ſubſtantia, quam actus ac motus. Priùs autem ad vim dixi & ad cauſam, quia motui cauſa ſubſtantia: omnis enim motus in ſubſtantia, ergo neceſſariò generator eſt Pater, & item neceſſariò omnia quæ Pater habet, habet & Filius: Omnia, inquit, quæ habet Pater, mihi dedit. Et item, Pater, vt ipſe habet ex ſe vitam, ita dedit Filio ex ſe habere vitam: ergo vt Pater, ita Filius vita eſt, & ex ſe vita: Ipſa eſt enim vita, quæ ſibi & aliis eſt vis viuendi, non aliundè vita. Igitur motus, & principalis motus, & vnus motus, & à ſe motus, & vnigenitus motus, hic eſt Λόγος: etenim vita eſt, per quem viuunt omnia. Et quia vita eſt, ipſe eſt per quem ſunt facta omnia, & in quem facta ſunt omnia: quia purgata omnia in vitam æternam redeunt. Et omnia in ipſo facta ſunt, quia quæ facta ſunt, in ipſo vita ſunt: nihil enim quod ſit, cui ſit eſſe ſuum, ex quo ipſi vita ſit eſſe quod ſit. Ergo in Chriſto facta ſunt omnia, quia Chriſtus Λόγος eſt: Vita autem nec cœpit, quia à ſe ſibi ſemper eſt, vnde nunquam deſinit, & infinita

Ioan.14.

F Ioan.5.

Deus ceſſationis & motus cauſa. G

Foras ſpectare quid ſit.

Subſtãtia motu eſt prior. H

Ioan.5.

A semper est, & per omnia, & in omnibus vsque à diuinis & à supra cœlestibus adusque cœlestia, cœlósque omnes, æthera, aëra, humida atque terrena, omniaque quæ oriuntur è terra, omniáque cætera. Ergo & corpus caróque nostra habet aliquid vitale, omnisque materia animata est, vt mundus existeret, vnde reperunt iussu Dei animalia. Ioan.1. In carne ergo inest vita, id est λόγος, vitæ autem inest Christus: quare λόγος caro factus est. Vnde non mirum quod mysterio sumpsit carnem, vt & carni & homini subueniret, sed cum carnem sumpsit, vniuersalem λόγον carnis sumpsit: nam idcirco omnis carnis potestas in carne triumphauit, & idcirco omni subuenit carni, vt di-
Ps.52. ctum est in Isaia: *Videbit te omnis caro salutare Dei.* Et
Ps.64. in libro Psalm. *Ad te omnis caro veniet.* Item & vniuer-
Ps.16. Matt.17. salem λόγον animæ: nam & animam habuisse manifestum,
Ezech. cum idem Saluator dixit: *Tristis est anima vsque ad mor-*
17. *tem.* Et item in Psalmo: *Non derelinques animam meam in*
λόγοι irasci *inferno:* Quod autem sumpserit vniuersalem λόγον ani-
Matt.12. mæ, his manifestum in Ezechiele: *Omnes animæ sunt*
B *meæ, vt anima Patris, sic & anima Filij.* Item vniuer-
Matth. salis animæ λόγος, & ex hoc ostenditur, quod & irasci-
26. tur, cum maledicit & arbori fici, & dicit: Sodomis & Gomorrhis in illa die commodius erit quam vobis. Sic etiã multis in locis: Item & cupit, cum dicit. *Pater si fieri potest, transferatur à me hic calix.* Ibi etiam ratiocinatur: sed fiat potiùs voluntas tua. Hæc & alia multa sunt quibus ostenditur animæ λόγος vniuersalis: assumptus ergo homo totus, & assumptus, & liberatus est: in isto enim omnia vniuersalia fuerunt, vniuersalis caro, anima vniuersalis, & in crucem sublata atque purgata sunt per salutarem Deum λόγον, vniuersalium omnium vniuersalem, per ipsum enim omnia facta sunt, qui est IESVS CHRISTVS Deus & Saluator, & Dominus noster, Amen.

ΛΟΓΟΣ igitur quæ sunt, quæque esse possunt, quæve esse potuerunt, veluti semen ac potentia existendi, sapientia ac virtus omnium substantiarum de Deo ad
C actiones omnes Deus potentiâ Patris actuque, quo Filius ipse cum Patre vnus Deus est. Etenim cum sint ista existentiæ viuentes, intelligentésque, animaduertamus hæc tria, esse, viuere, intelligere, ita tria esse: vt vnum sem-
Deum viuere quid sit. per sint, atque in eo quod est esse. Sed in eo quod est esse dico, quod ibi est esse: in hoc igitur esse, hoc est viuere, hoc intelligere omnia substantialiter, & vnum subsistentia: viuere enim ipsum id est quod esse, neque enim ita in Deo, vt in nobis aliud est quod viuit, aliud vita quæ efficit viuere. Etenim si ponamus accipiamúsque ipsum vitam esse, atque existere, quodque ei potentiæ sit, id ipsum sit ei esse, clarum fiet vnum atque idem nos accipere debere esse & viuere; hæc ratio est, visque eadem intelligentiæ est vtique illi. Hoc ipsum ergo intelligere, hoc est quod est ei esse, idque esse quod est intelligere: ipsum hoc intelligere intelligentia est esse, ergo esse & vitæ & intelligentiæ est, id est, quod vita & intelligentia, vnum igitur quod vita, & idem esse quod
D est intelligentia. Quod si hæc in singulis atque in binis vnum, sequitur vt ipsum viuere hoc sit, quod intelligere: nam si esse hoc est viuere, atque esse id quod intelligere, fit vnum viuere atque intelligere, cum sit illis vnum quod est esse. Huc accedit quod ipsum esse nihil est aliud quam viuere: quod enim non viuit, ipsum esse ei deperit, vt quandiu quidque sit, hoc sit ei suum viuere, vnde commoritur esse cum vita. Sed nos cum de æternis loquimur, aliud viuere accipimus, sed hoc ipsum scire quod viuas, scire porro hoc est quod intelligere: Ergo scire intelligere est, & scire quod viuas, hoc
Viuere & intelligere vnum in Deo. est viuere, id ergo erit intelligere quod viuere. Quod si ita est, vt vnum sit viuere & intelligere, & cum vnum sit esse quod est viuere atque intelligere, substantia vnum, subsistentia tria sunt ista: cum enim vim ac significantiam suam habeant, atque vt dicuntur & sunt, necessariò & sunt tria, & tamen vnum, cum omne quod singulum est vnum, tria sint, idque Græcis ita dicitur: ἐκ μίας οὐσίας τρεῖς εἶναι τὰς ὑποστάσεις, Hoc cum ita sit, esse vt fundamentum est reliquis: viuere enim & intelli-

gere vt secunda & posteriora, vt natura quadam in eo quod est esse, velut inesse videantur, vel ex eo quod esse quodammodo vt extiterint, atque in eo quod est suum esse, illud primum ac fontanum esse seruauerint: nunquàm enim esse sine viuere atque intelligere: neque viuere atque intelligere sine eo quod est esse iam probatum est. Huius rei ad intelligentiam hoc sit exemplum: Ponamus visum vel visionem per se vi suâ atque naturâ potentialiter existentem, hoc est eius esse, potentiam habentem visiuam ad videndum, quod erit ius videre: & item potentiam habentem videndo visa quæque discernere, quod est contra intelligere: hæc si potentia sunt, nihil aliud quam esse dicitur, & manent, & vt quieta sunt, atque in se conuersa tantùm vt sint, operantur solum visio, vel visus existentia, & idcirco solum esse numeranda: At cum eadem visio operatione videndi vti cœperit, quasi progressione sui visio, quasi inquam, non enim progreditur, nec à se exit, sed intentione ac vigore propriæ potestatis, quod est ei vi- F
uere omnia quæ sunt ei obuia, vel quibus incurrendo obuia conspexerit cum officio viuendi fungitur, vita ipsius visionis est, quæ motu operante viuere indicat visionem, tantum in eo quod videt puro videndi sensu non discriminante, nec diiudicante quod videt. Quod quidem nos accipimus æstimatione, vt opinemur videre solùm sine intelligentia: cum autem videre, quod est viuere visioni, videre non sit, nisi capiat comprehendátque quod viderit, simul ergo est & iudicare quod viderit: ergo in eo quod est videre, inest diiudicare: neque enim si viderit, quomodocumque viderit non diiudicauit illud ipsum, vel quod viderit. Ergo vt dicimus in eo quod est videre, est diiudicare: in eo autem quod est esse visionem, inest videre: inconnexa igitur ac magis simplicia in eo quod sunt, non aliud quam vnum, visio, videre, discernere, quo pacto & in eo quod est discernere, inest videre, & in eo quod est videre: inest esse, visione, atque vt verè dicam non inest, sed eo quod est visio, in eo est videre atque discernere, ita in singu- G
lis omnia, vel vnumquidque omnia vnum. Extolle te igitur atque erige spiritus meus, & virtute, quâ à Deo mihi es inspiratus, agnosce Deum, intelligere difficile, non tamen desperatum: nam ideò nosse se voluit, ideò mundum & opera sua diuina constituit, vt eum per ista omnia cerneremus, λόγος certè, qui eius Filius, qui imago, qui forma est, à se ad Patrem intelligendi transitum dedit: Deum igitur in qua natura, in quo genere, In qua vi, in qua potentia ponimus? intelligimus? æstimamus? vel quâ phantasiâ intelligentiæ attingimus? atque in eum prouehimur? Et cum intelligibilem esse dicimus, certè insufflatione Dei anima nobis atque ex eo pars in nobis est, quæ in nobis est maxima: attingimus igitur cum eo, quo inde sumus atque pendemus. Certè post Saluatoris aduentum, cum in Saluatore ipsum Deum vidimus, cum ab eo docti atque instructi sumus, cum ab eo sanctum Spiritum intelligentiæ magistrum accepimus, quid aliud tantus intelligentiæ magister dabit, nisi Deum nosse? Deum cognoscere? Deum fateri? Et maiores nostri quæsierunt quid esset, aut quis esset Deus, & his ab eo qui in eius gremio semper est responsum est ita: *Me videtis & Patrem meum quæritis, olim vobiscum sum, qui me vidit, vidit & Patrem, ego in Patre, & Pater in me.* Ergo quid dicimus? Deum nempè Spiritum, & Spiritum vitæ: Dictum enim est, vita Pater est, & item Christus spiritus est. Et ipse rursùs de se dixit: *Ego sum vita.* Et *Vt Pater habet in se vitam, ita & Filio dedit habere ex se vitam.* Eodem modo Spiritus sanctus Spiritus est, vtique & ipse vita: Nam omnia Christus accepit à Patre, *& omnia, inquit, ei dedi.* Et item: *Quæ habet mea sunt.* Ergo habet vitam, & vitam à se esse. Quare istud? quia vbi vita est, ibi est, à se esse vitam: & si istud ita est, ibi est intelligere se vitam esse, & quid esse sit viuere: & quid esse quod vita est: coniuncta igitur omnia, & vnum omnia, & vna substantia, & verè ὁμοούσια, vel simul, quod est ὁμοῦ, vel eadémque substantia.

Pater igitur necesse est, hoc enim cæteris principium

&

E

Visus non est sine intelligentia.

Per opera sua voluit cognosci Deus.

Gen.2.

Diuina intelligimus ea parte

H

qua diuina & ipsa est.

Ioan.14

Ioan.14

Ioan.6.

A & primum ad phantasiam secundorum: hic Deus, is cum duobus cæteris Deus, hic vnus Deus, quia quod est viuere & intelligere, hoc ipsum est quod est esse, & duobus istis quod viuere atque intelligere, ab eo prouenit quod est esse. Nemo igitur separet Spiritum sanctum, & prophana blasphemia esse nescio quid suscipitur, quia & ipse de Patre est, quia ipse est & Filius, qui de Patre est: namque post id quod est esse, id est existentia vel substantia, vel in altius metu quodam propter nota nomina conscendas, dicásque vel existentialitatem, vel substantialitatem, id est, ὑπαρκτότητα, οὐσιότητα, ὀντότητα, omnibus his esse quod dico manens in se, suo à se motu viuificans potentiâ suâ, quâ cuncta viuificentur, & potentificantur, plena, absoluta, super omnes perfectiones omnimodis est diuina perfectio. Hic est Deus supra ὂν, supra veritatem, omnipotens potentia, & idcircò non forma, ὂν autem, & veritas, forma, sed non vt inhærens alteri inseparabilis forma, sed vt inseparabiliter annexa ad declarationem potentiæ Dei B Patris eadem substantia vel imago vel forma. Illud igitur primum quod esse diximus, quod Deus est, & silentium dictum, & quies atque cessatio. Quod si ita est, potentiæ progressio, quæ non quidem progressio, sed apparentia est, & si progressio non dimittens vnde progreditur, sed cum connexione progressio, magis autem apparentia: non enim fuit aliquid extra quod progressio fieret: Vbique enim Deus, & omnia Deus: ergo potentiæ progressio actus extitit, is actus, si silentium Deus est, verbum dicitur: sed cessatio, motus: si essentia, vita. Quod vt docuimus, in eo quod est esse & viuere, in eo quod est silentium est tacens verbum, & in eo quod est quies vel cessatio inest vel occultus motus, vel occulta actio. Necessariò itaque ex hac cessatione natus motus, & nata actio est, vel à silentio verbum, vel ab essentia vita. Ergo ista essentia, silentium, cessatio, Pater, hoc est, Deus Pater: At vero vita, verbum, motus aut actio, Filius & vnicus Filius, quia nihil aliud C quam vnum, vel vita, vel verbum, vel motus aut actio, magísque omnia ista motus aut actio: etenim omnia illa actiua sunt, vita & verbum, motu vigent, & motu operantur, vniuersalis autem motus, qui principalis est motus, à se oritur: quid enim est motus, nisi à se sibi motus sit? Nam si ab alio mouetur, est quiddam aliud quam motus, quod ab alio mouetur: Et si illud quod hoc nescio quid mouet, motus non est, mouere non potest: vnde enim moueat non habebit. Sin motus à motu nascitur: motus ergo à se nascitur. Sed hoc est: Dedit ei Pater vitam, vt ei vita esset.

Ergo motus, & vnus est motus, & à se motus. Et cum in parte occultus sit, atque inde hic motus apparens à Patre motus. Et quia à motu motus, ideò à se motus, & vnus motus, vnde vnicus filius. Hic Λόγος vniuersalis in omnibus per quem facta sunt omnia. Hic vita omnibus quia quæ facta sunt viuunt omnia. Hic etiam IESVS CHRISTVS est, quia ad vitam saluabit omnia. Vnus ergo motus, & vnus Filius & vnicus, quia vnica D vita, & vna vita, soláque æterna. Ergo ὁμοούσιος Filius Patri: Vita enim Pater, & vita Filius, quæ οὐσία est: item motus Pater, & motus Filius quæ οὐσία est, neque enim ibi aliquid accidens: ergo & Verbum Pater, licet tacens Verbum, Verbum tamen, & Verbum Filius, & hoc οὐσία. Quidquid enim vel est, vel agit atque operatur οὐσία, & vbi magis οὐσία. Verbum. Non enim vt hic aër sonans verbum, sed vt hic aliquid agens verbum. Vnus ergo Filius, quia vnus motus: vna vita, quia vna sola vita quæ æterna. Nec enim vita, quæ aliquando moritur. Nunquam autem moritur, si se sciat. Scire autem se non poterit, nisi Deum sciat, & Deum qui vita est, & vera vita est, ac fons vitæ. Hoc si ita est, Deo cognito cognoscet omnia: quia à Deo omnia, & in omnibus Deus, & Deus omnia. Hoc Ioannes clamat: *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te solum & verum Deum, & quem misisti* IESVM CHRISTVM. Cognitio est vita. Porrò autem siue vita, siue cognitio motus est vnus, & idem motus agens vitam, & per vitam cognitionem, & per cognitionem vitam: idem ergo motus, duo officia complens, vitam & cognoscentiam. Λόγος autem motus est, & Λόγος E Filius. Filius igitur vnicus in eo quod filius, in eo autem quod Λόγος, geminus. Ipse enim vita, ipse cognoscentia, vtroque operatus ad animarum salutem mysterio crucis: & vita, quia de morte liberandi fueramus: mysterio autem cognoscentiæ per Spiritum sanctum: quia is magis est datus & ipse omnes docuit, & testimonium de Christo dixit. Quod est cognitionem vitam agere, & ex hoc Deum cognoscere, quod est vitam veram fieri, & hoc est testimonium de Christo dicere: Ita Dei Filius Christus, id est Λόγος, & Filius vita, & quia id est motus etiam & cognoscentia, Filius est opere quo vita est Iesus existens. Opere autem quo cognoscentia est, Spiritus sanctus & ipse existens, vt sint existentiæ duæ Christi & Spiritus sancti, in vno motu, qui Filius est. Et hinc & à Patre Iesus, ex ore Altissimi processi, & Spiritus sanctus, etiam ipse à Patre, quia vnus motus vtrumque in existentiam protulit. Et quia quæ habet Pater Filio dedit omnia: ideò & Filius qui motus F est, dedit omnia Spiritui sancto: omnia enim quæ habet, de me habet inquit, etenim quia & ipse motus est, de motu habet: non enim Filius illi dedit, sed ille, inquit, de meo habet. Principaliter enim motus vita est, & ipsa vita scientia est & cognoscentia: ergo quicquid habet cognoscentia, de vita habet. Hæc summa Trinitas, hæc summa Vnalitas: *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Hoc igitur satis clarum faciet, esse quod Pater est, & vitam quod est Filius, & cognoscentiam quod est Spiritus sanctus, vnum esse, & vnam esse substantiam, subsistentias tres, qui ab eo quod est esse, quæ substantia est motus, quia & ipse, vt docuimus, ipsa substantia est, geminans potentia valet, & vitalitatis, & sapientiæ, atque intelligentiæ, ita scilicet, vt in omnibus singulis tria sint: ergo Spiritus sanctus scientia est & sapientia: Hoc ita esse probant sacræ lectiones. *Quis* G *Dei mentem cognouit, nisi solus Spiritus? Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro.* Quis testis sine scientia? Et scientia ipsa quia sapientia est, docet nos esse Filios Dei. Item: Quis autem scrutatur corda? quis scit cogitationes spiritus? Item quomodo ad scientiam iunguntur ambo? *Veritatem dico in Christo.* Vbi veritas, ibi scientia, quia veritas Christus, ideò & scientia, quod est Spiritus sanctus. Et item: *Non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu sancto.* Quid est enim aliud conscientia, quam cum altero scientia? Nunc nostra cum Spiritu, ergo Spiritus scientia: & Christus est scientia, quia veritas, ergo & Christus & Spiritus scientia. At enim Christus vita? Quid si spiritus vita, vnus enim vt dixi motus est, & eadem vita quæ scientia: quid enim in Christo doctus, id est, à Deo, & cum dico doctus, à scientia dico, quod siue à Christo, siue ab Spiritu, vnum atque idem est; Quid enim dicit Paulus, cum vtrumque idipsum esse declaret? *Prudentia verò spiritus, vita est.*

Æstuat enim & rebellat, ac repugnat se cum error, imprudentia, inscientia & hoc prudentia carnis, quæ impru- H dentia, & quia Deum nescit, mors est: ergo prudentia spiritus vita atque pax est: quo modo iam iuncti isti sunt, & vnum sunt. Doceamus quod Deus & scientia sit & vita, quamquam ab ipso ista Paulus. O, inquit, *altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.* Sic dictum ab eodem: *Multiformis sapientia Dei.* Hinc & secretum Dei, hinc & Christus dictus sapientia, hinc & illud: *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, altitudo, profundum, scire etiam supereminentē scientiæ charitatem Christi.* Ita & scientia Deus est, & nos scientia liberat; sed per Christum tamen: quia ipse est & scientia, & ianua, & vita, & λόγος, & omniū per quē facta sunt omnia. Ergo & scire ista, & etiam charitatem in Christum habere debemus. Hæc atque alia plurima, & Deum scientiam esse, & Christum, & Spiritum sanctum, satis clarum etiam vitam esse, vnô licet satis probatur exemplo, nam in aliis libris vberiùs approbauimus. *Sicuti enim Pater* vitam

Marginalia: ὁμη. — Ioan. 17. — *Filius vnus & geminus.* — Ioan. 17. — Ioan. 16. — 1. Cor. 2. — Rom. 8. — Ibidem. — *Conscientia dicta.* — *Prudentia carnis mors est.* — Ibid. — Ephes. 3. — Ioan. 5.

A *vitam habet in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Item dicit: *Sicut me misit viuus Pater, ita & ego viuo propter patrem.* Sunt igitur ista sic singula, vt omnia tria ista sunt singula, vna omni, ergo substantia est Pater, ergo Filius Spiritus sanctus, Deus, λόγος ἀδάλαλος, vnum sunt, quod substantialitas, vitalitas, beatitudo, silentium, sed apud se loquens silentium, verbum, verbi verbum: quid etiam est voluntas Patris, nisi silens Verbum? hoc ergo modo cum Verbum Pater sit, & Filius Verbum, id est, sonans Verbum atque operans: ergo, inquam, si & Pater, & Filius Verbum est, vna substantia est. Deinde *iustum*, inquit, *meum iudicium est, quia non quæro facere voluntatem meam, sed eius qui me misit.* Ergo vna voluntas, vnde vna substantia: quia, & ipsa voluntas substantia est. Verbum autem ipsum vitam esse sic ostenditur: *Non vultis ad me venire, vt vitam habeatis.* Deinde & de hoc totum mysterium est, quod expono: *Omne quod mihi datum est à Patre apud me habeo:* Quia verò idem motus est quod esse, & quod est esse, motus est, & quia quàdam intelligentiâ priùs esse, ab eo quod moueri, sed priùs κατὰ τὸ αἴτιον, id est, secundum causam: Ideò dedit Pater Filio & motum, qui & quod est esse habet: Ergo motū esse est λόγος, igitur qui motus est, habet & esse: esse autem vita est & scientia: habet igitur omnia, quia Patris habet esse: Ergo voluntatem Patris implet Filius. Quæ autem voluntas? nisi quia cum Pater vita sit, motus est vita eius: hæc voluntas est, viuere facere alia. Hæc ergo & τοῦ λόγου, id est, Christi. *Quæ est*, inquit, *voluntas Patris qui me misit? vt ex eo quod mihi dedit nihil perdam, sed resurgere faciam id ipsum postrema die. Hæc enim voluntas est Patris mei, vt omnis qui videt Filium, & in ipsum credit, habeat vitam æternam, & in die nouissima resurgat.* Videre autem est, Christum scire Deum Dei Filium, vitam, & vitæ Deum, & hoc est accepisse Spiritum sanctum Verbum, id esse quod vita. Hinc probatum est, *post quem ibimus: Verbum vitæ habes, & nos credimus, & cognouimus, quod tu es Christus Filius Dei.* Totum mysterium Christus Dei Filius, Christus verbum, & ipsum verbum, vitæ æternæ verbum. Ergo hoc verbum quod vita, & hoc qui audit, & credit, vtique cognoscit Deum: ergo & Spiritum sanctum habet. Pronunciata hic plena fides est, quippè à discipulis. Item ad Iudæos dicit: Me si sciretis, sciretis Patrem meum. Neque me scitis, neque Patrem meum. Et rectè. Quamquam enim & in Patre Filius, & in Filio Pater, existentia vel substantia in vita, & vita in substantia inuisibilis tamen cum sit substantia, non intelligitur nisi in vita.

Ioan. 6.

Caute lege nam nimis ob curè loquitur, cum ait Patrem esse Verbū silens, & Filiū Verbum sonās & esse Verbū Verbi, aliena enim hæc sunt, nec cū Theologia recte cōcordant, nisi dura ista & absona locutiones emolliantur Patrem esse verbū productiuè, quia generat verbum, sed nunquam ita loquendum.

B

Verbum vitam esse. Quomodo Filius habeat omnia quæ Pater.

C

Ioan 5. Videre Christū quid sit.

Magis autem vita Christus, quamquam & substantia: ergo Pater in Filio cognoscitur. Vnde? *Quia non scitis me, nec Patrem; si sciretis me, sciretis & Patrem.* Ipsum hoc quid est? Sciretis à me esse, quia ipse & scientia, quod est Spiritus S. Item ad illos quia Verbum est, & Verbum Pater: ergo vna substantia. *Item qui me misit verus est, & ego quæ audiui ab ipso, ea loquor.* Pater filio loquitur, Filius mundo: quia Pater per Filium, & Filius virtute Verbi Patris facit omnia, id est, secum loquens verbum per verbum in manifesto loquens facit omnia. Secum autem loquens verbum Deus est cum filio, quia Pater & Filius vnus Deus. Ipse prætereà dicit: *Amen, amen dico vobis, si quis verbum meum custodierit, mortem non videbit,* Et ipse rursùm: *Noui enim Patrem, & verbum eius custodio.* Vterque verbum, sed vt dixi. Illud quantum aut quale est in Ioanne? *Propterea me Pater amat, & ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. Nemo illam à me tollit, sed ego eam pono à meipso: licentiam habeo ponere eam, & licentiam habeo sumere eam.* Christum nunquam dictum esse animam, satis manifestum est: sed nec Deum dictum animam. Etenim Pater Deus dictus, Spiritus dictus. Item filius λόγος dictus, spiritus dictus, & sine dubio Deus: quippè cum ambo vnus Deus. Ergo hæc, λόγος πνεῦμα supra animam sunt, suâ superiore substantiâ, longè aliâ substantiâ animæ & inferiore, quippè à Deo insufflata & genita, & sola verè substantia dicta, quod subesset suis in se speciebus, & eodem pacto vt hyle. Hùc accedit quod vita Deus, vita Christus, & ex se vita vtique, sed vt Patre dante Christus habeat ex se vitam: ergo vita superior ab anima.

Ioan. 8.

Ibid.

D

Ioan. 10.

Deū non dicit animā.

E

Priora enim ζωὴ & ζωότης, id est, vita vitalitas quam anima: ergo illa δυνάμει Deus & λόγος, Pater & Filius. Quippè vt ille Spiritus, & hic Spiritus: & hic vita, & ille vita. Item Verbum & Verbum, & cætera. Spiritus igitur habet potestatem animam sumendi, ponendi, & resumendi. Etenim vita, & à se vita potestatem habet sumendi, ponendi illud, quod suâ potentiâ, sui participatione facit viuere: etenim anima ad imaginem imaginis Dei facta. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Ergo inferior, & à Deo atque λόγῳ magis orta vel facta. Nunquam ipse Deus aut λόγος, sed quidem λόγου, non ille qui Filius generalis vel vniuersalis, atque omnium, quæ per ipsum facta sunt, semen, origo, fons. Illius vero λόγος anima quomodo, aut qui, & dixisse memini, & suo loco esse dicturum; Ergo vniuersalis, quia spiritus & vita, non anima habet potestatem, à semetipso animam ponere, & rursùm animam sumere. Deus igitur & λόγος, vel quia vita sunt, vel quia Spiritus, viuunt, & semper viuunt. Quippè qui à se viuunt. Ergo illa ὁμοούσια. Anima verò ὁμοιούσιος, hæc cum assumitur à diuinis, id est, à λόγῳ, neque enim à Deo: λόγος enim motus est, & motus anima, & motus à semetipso motus, vnde imago & similitudo anima τοῦ λόγου est. Ergo cum assumitur, nihil adiicitur vitæ: quippè cum ex vita, id est, ex viuendi potentia animæ vita sit: Animam igitur cum assumit Spiritus, veluti ad inferiora traiicit potentiam atque actiones, cum mundum & mundana complet: ergo Spiritus, & maximè λόγος spiritus, qui vita est, in potestate habet & sumere animam, & ponere: cum autem sumit, mundo veluti nascitur, & potentia eius cum mundo colloquitur: cum verò ponit, à mundo recedit: & non operatur in mundo carnaliter, nec tamen spiritaliter. Hoc nos mortem eius nominamus, & tunc esse dicitur in inferno, non vtique sine anima. Hinc petit, ne Deus animam suam relinquat in inferno. Ergo eam quia rediturus ad mundum est, & ad eius actum secum ab inferis ducit, quasi resumit ergo animam, id est, actus, mundum iterùm accipit, & quia actus in mundo plenos ac totos λόγος agit, & qui Spiritus est, & anima, & corpus, rursùs ergo sanctificandum fuit, quia rursùs ista susceperat. Iuit igitur ad Spiritum, & sanctificatus redit, cum Apostolis egit, post sanctum Spiritum egit. Quis igitur est Spiritus sanctus? id est, λόγος, vnus enim motus, & ideò dictum: & si discedo & præparo vobis, rursùs venio.

Gen. 1.

Anima ad imaginem imaginis facta est.

F

Anima à verbo assumitur.

G

Ponere animam & resumere quid sit.

Esaia. 53

Quis enim venit post abitum Christi, nisi Spiritus S. Paracletus? Id ita esse quod dico: vt Pater & Filius vnum sint: item quod IESVS & Spiritus sanctus vnum sint: ac propter eà omnes vnum sint, iunctâ lectione Ioannes declarauit, cœpit nàque à λόγῳ: *Ego sum*, inquit, *via, & veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Quis enim ad id quod est esse, & verum esse peruenit, quod pater est, nisi per vitam: vita enim quæ vera vita est, quia æterna est, hoc est verè esse: nihil enim mutatur, nihil corrumpitur, quæ genera mortis sunt vera esse, verum vita est: *Viuit*, inquit, *Deus.* Ergo vitam esse, Deus est. *Et ego*, inquit *viuo.* Quicumque ad Christum venit, ad vitam venit, & sic per vitam ad Deum: ergo iuncti sunt Deus & λόγος: Et hinc illud est; *Qui me cognouit, cognouit & Patrem:* Et: *Qui me vidit, vidit & Patrem.* Hinc & illud: *Non credis, quod ego in Patre, & Pater in me.* Hinc & illud mysticè: *Et si quid aliquando petieritis in nomine meo, istud faciam.* Quid est petere in Christi nomine? animam æternam fieri, lucem Dei videre, ad ipsum videndum venire, æternam vitam habere, non diuitias, non filios, non honores, nihilque mundanum, sed spiritale omne, atque omne, quo vniti Deo Christo iungamur: hoc enim est, vt glorificetur in Filio, id est, vita æterna, quâ petentibus dabo. Subiungitur deinde plenissimè de Spiritu sancto, quid sit, vnde sit, quod ipse sit: *Si enim*, inquit, *me amatis, mandata mea custodite. Et ego rogabo*

Ioan. 16.

Ioan. 14

E

Mortis genera, vita esse Deum esse.

Ioan. 14.

In nomine Christi petere quid sit. Patrē in filio glorificari quomodo intelligatur.

A bo Patrem meum, & alium Paracletum dabit vobis, vt vobiſcum ſit in omne tempus. Quid eſt Paracletus, qui aſſerat adſtruátque apud Patrem homines omnes fideles atque credentes? Quis eſt iſte? vnus ne ſolus Spiritus ſanctus? an Idem & Chriſtus? Etenim ipſe dixit: *alium Paracletum dabit vobis Deus.* Dum dixit alium, ſe dixit alium: dum dixit Paracletum, operam ſimilem declarauit, & eandem quodammodo actionem. Ergo & Spiritus Paracletus, & Spiritus ſanctus, alius Paracletus, & ipſe à Patre mittitur. Ieſus ergo Spiritus ſanctus: motus enim Spiritus, vnde & Spiritus motus, eo quod Spiritus: ſpirat enim vbi vult. Et ipſe nunc dicit, Spiritus veritatis, & ita ei nomen eſt Spiritus ſanctus, Spiritus etiam Chriſtus, Spiritus & Deus, omnes ergo Spiritus. Verum Deus ſubſtantialiter Spiritus: ineſt enim in eo quod eſt ſubſtantia & motus: vel potiùs ſubſtantia ipſa, qui eſt motus, ſed in ſe manens, vt ſæpè iam diximus, & retinendi cauſa ſæpè

Alius Paracletus in Ioanne quid ſit.

Ioan. 3.

B repetemus. At verò Ieſus & Spiritus ſanctus motio, verè mota motio, vnde foris operans, ſed Ieſus ſpiritus apertus: quippè & in carne: Spiritus autem ſanctus occultus, Ieſus quippè qui intelligentias infundat, non iam qui ſigna faciat, aut per parabolas loquatur ipſum ſe eſſe, ipſe ſic docet: *Non vos dimittam orphanos, veniam ad vos.* Ipſe autem in Spiritu ſancto eſſe occultum, ſic docet: *Mundus me iam non videbit, vos autem videbitis me, quoniam viuo ego & vos viuetis.* Hoc etiam ſancto Spiritui datum, *vt penes vos ſit in æternum ſpiritus veritatis.* Et de ſe dixit: *Ego ſum veritas.* Deinde adiecit: Quem mundus non poteſt videre. Et de ſe dixit: *Iam me mundus non videbit.* Deinde adiecit: *Quoniam ipſum non videt, neque cognoſcit ipſum.* Sed & Chriſtum nemo cognouit: *In ſua venit, & mundus eum non cognouit.* Adiecit: *Vos cognoſcetis ipſum, quoniam manet in vobis, & in vobis eſt.* Et ipſe de ſe ita: *Vos videbitis me.* Et quoniam Chriſtus vita eſt, de ſe adiunxit. *Quoniam ego viuo, & vos viuetis.* Et quia Spiritus ſanctus

Ioan. 14.

Ioan. 1.

C intelligentia eſt, vtroque autem mundus ipſe caret, ideò adiecit: *Quoniam apud vos manet, & in vobis eſt.* Vnde autem aut eſt in illis, aut iam manet Spiritus ſanctus, ſi adhuc poſteà venturus eſt; & non iam per Chriſtum apud illos eſſe cœpit? Ergo iuncti atque ex vno ſunt, qui motus eſt, id apertiùs in ſequentibus declaratur, ait enim: *Hæc vobis dixi apud vos manens, Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, vos docebit omnia quæcumque dico. Ego,* inquit, *in vobis maneo*, Data eſt enim vita, nec ab illis iam Chriſtus abſcedit: ſunt igitur & ſpiritali motu, quod eſt Chriſtum in illis manere: ipſi autem animæ, in quibus ſpiritus manet, nec aliquando diſcedit, dictum tamen: Nunc ibo ad Patrem. Quid iſtud ſit, facilè intelligi poteſt, ſi accipiatur ex myſterio dictum, & corporali myſterio: nam ſpiritaliter cum & ipſe in Patre ſit, & Pater in ipſo, quò, aut quare ibit? Ex eodem myſterio eſt, quod ad Chriſtum Spiritus columbæ ſimilis venit, & quod nunc Spi-

Chriſtũ ad Patrẽ fuiſſe.

D ritus mittetur à Patre, & mittetur ad Patrem, Chriſto eunte & petente vt mittatur: à morte enim vita reuocata, & vita non ipſa vita, quia λόγος eſt: hæc enim mortem neſcit, magis hæc ipſa interficit mortem, ſed vita quæ in hominibus reſurrexit à morte. Quam vtique induit ſimul cum corpore, & eam ab inferno reſumpſit. Propter hanc igitur ſanctificandam, eundum fuit ad Patrem, ſed corporaliter atque animaliter, id eſt, in id quod in ſe Pater fuerat penetrandum potentialiter atque exiſtentialiter: hoc igitur modo iuit ad Patrem. Denique nec abſentiæ tempus edictum, ſed contradictum, quod nocte quæ ſabbatum ſequitur, apparuerit Mariæ, tangi noluerit priuſquàm iret ad Patrem, nuntiauit Maria diſcipulis, eàdem nocte ad ipſos venit oſtendens manus & latus, vtique tangi iam non prohibens. Poſt Thom. palpauit, tetigit, ipſo quidem hortante, quia ille deſperabat, quod ſignificat ſanctificatum iam fuiſſe. Quam ergo breue hoc tempus eſt, ſed propter myſterium

Ioan. 21.

E dictum: ibo ad patrem: nam cum ipſe in Patre, & in ipſo Pater ſit, quo ibit? Eodem ergo myſterio: quem vobis mittit Pater, quia Pater mittit, cum Chriſtus mittit, denique ſic ait: *Mittit Pater in nomine meo*, id eſt, pro me, aut in nomine meo: quoniam ſpiritus Chriſtus, & ipſe Spiritus ſanctus: aut in nomine meo; quia Spiritus ſanctus ipſe de Chriſto teſtimonium feret, ſic enim dictum: *Ille teſtimonium dicet de me.* Quis ille? quem vobis ego mitto à Patre: iuncti ergo omnes, ego mitto, à Patre mitto, Spiritum veritatis mitto, medius ergò λόγος, id eſt, Ieſus ipſe mittit: Motus enim principalis vniuerſaliſque qui vitalis ac vita eſt, mittit intelligentiæ motum, qui ſicuti docuit, ex vita atque ipſa vita eſt: ſcire enim quid ſis, hoc eſt viuere, hoc eſt eſſe. Hoc autem eſſe quid eſt, quàm ex Dei ſubſtantia eſſe, quod eſt Spiritum eſſe? vnde nos ſpiritales efficimur, accepto Spiritu à Chriſto, & hinc æterna vita: Spiritus ergo appellata eſt iſta Trinitas. Nam dictum:

Ioan. 15.

Spiritales ab accepto ſpiritu diuimur.

F Deus ſpiritus eſt. Item dictum à Paulo ad Corinthios ſecunda: *Dominus autem Spiritus eſt, vbi autem Spiritus Domini, ibi libertas.* Vtique iſta de Chriſto, ipſe verò Spiritus ſanctus dictus, quod ſanciat Sanctos, id eſt Sanctos facit, & certè ipſe eſt Spiritus Dei: dictus eſt enim prudentia, ſapientia, omniumque rerum ſcientia, ita enim de eo ſubiungit: *Ille conuincet mundum de peccato, & de iuſtitiâ, & de iudicio: De peccato*, inquit, *quoniam in me non credunt*, vel quod vita ſit Chriſtus, vel quod Dei Filius, & à Deo miſſus, & qui peccata dimittat. *De iuſtitia autem, quoniam ad Patrem pergo*: tot enim in myſterio paſſionis, quia fidem mandatorum ſeruauit & impleuit: quippè cum dixerit, cum aliud vellet: *Fiat voluntas tua.* Itemque quia monitos derelinquens, iam non ita videndus relinquebar, iuſtitiæ fuit, iis actis omnibus ire ad Patrem, nec ire ad Patrem tantùm, ſed cum illo iam eſſe: Nam idcircò dicitur: *Sedet ad dexteram Patris. De iudicio: quoniam princeps huius mundi iudicatus eſt*: myſterio enim crucis omnes aduerſæ Chriſto ab eodem Chriſto triumphatæ ſunt poteſtates. *Hæc,*

Ioan. 4.

Ioan. 16. *Spiritus vnde ſit dictus Spiritus ſanctus.*

2. Cor. 3.

Matt. 16. *Crucis myſterio triũphũ*

G inquit, *docebit Spiritus ſanctus.* Quid eligitur? De ſalute myſterium Paracletus complet, & non completa Chriſtus abſcidit: An quia idem ipſe Chriſtus eſt & Spiritus ſanctus? vel quia ipſe eum mittit? vel quia Spiritus habet omnia Chriſti? Habet omnia, per Chriſtum celebratur.

agit de omnibus poteſtatibus.

Et tamen videamus quid acturus eſt, Spiritus ſcientiam daturus geſtorum, & inſinuationem ſcientiæ, quaſi vim teſtimonij, ac magis iudicij habiturus, vel ad pœnitentiam vel ad pœnam, de peccato, inquit, quod in me non crediderunt. Ergo vt ſciat mundus iam pœnam ſuam. *De iuſtitia autem, quod ad Patrem vado.* Et hoc poteſt eſſe de peccato quod iniuſtè fecerunt, qui eum in crucem ſuſtulerunt: quia ſe Filium Dei dicebat: Et nunc pergit ad Patrem, quod item erit omnium, ſi in Deum credant, & faciant Dei iuſſa, vt & ipſi ad Patrem pergant: iuſtificantur enim: nam *Abraham credidit, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Deinde de iudicio inquit, quod princeps mundi iudicatus

Ioan. 16.

Gen. 15.

H ſit. Hæc, vt cernitur, non ad ſalutem, quæ iam à Chriſto completa eſt, ſed pertinent ad ſcientiam rerum geſtarum: Eſt enim Pater loquens ſilentium, Chriſtus vox, Paracletus vox vocis. Ergo Spiritus ſanctus in iſto actu alter Paracletus, in ſalutis myſterio cooperator vt Chriſtus, in Spiritu verò ſanctificationis quod Deus. Si igitur & hoc modo Chriſtus quod ſpiritus, ſed Deus in myſterio æternæ vitæ Chriſtus, in ſanctificatione Spiritus ſanctus: Sanctificat autem Deus, vt dictum: *Sanctifica eos in veritate*, Patri Filius dicit, ergo ſanctificat Pater: Item Chriſtus ſanctificat, vt dictum: *Et pro iis ſanctifico meipſum vt ſint ipſi ſanctificati in veritate.* Item ſanctificat Spiritus ſanctus, nam & baptizare ad ſanctificationem pertinet: dictum ergo in Actis Apoſtolorum: *Ioannes baptizauit aquâ, vos autem Spiritu ſancto tingemini*, Quod ſuperfudit ſe illis ad ſcientiam: nam iam ſanctificati fuerant baptiſmo inuocato Deo

Ioan. 17.

Actor. 5.

A *Spiritum veritatis accipere.*

Christo, Spiritui sancto etenim sic dictum est: *Sanctifica eos in veritate.* Et veritas Christus est: paracletus etiam spiritus est veritatis: ergo omnis qui baptizatur, & credere se dicit, & fidem accipit veritatis, id est, Spiritum sanctum, fitque sanctior à Spiritu sancto, & ideò dictum in Actis Apostolorum: *Sed accipietis virtutem adueniente in vos Spiritu sancto.* Non ad sanctificationem, sed scientiam, & ad ea quæ promisit in Euangelio Christus de Spiritu sancto, id est, de Paracleto. Primum vt testimonium de Christo dicat, sic enim ait: *Accipietis virtutem adueniente in vos Spiritu sancto, & eritis mihi testes in Ierusalem.* Sed & Lucas dicit: Nondum quidem misso spiritu. Iam tamen testimonium dicit.

Paulus solus post abscessũ Christi, Christũ vidit.

Paulus tamen in omnibus Epistolis suis quid aliud agit, nisi de Christo testimonium dicit? & post abscessum Christi solus Christum vidit, & soli apparuit. Spiritus ergo per Christum, & Christus per Spiritum sanctum adfuit. Item dicit testimonium Ioannes & Petrus: *Quod audiuimus, quod vidimus, quod palpauimus.*

B Ioan 1.

Et in Actis Apostolorum & ipse, & Lucas qui scripsit de iis, de Dauid ita dicit: *Propheta cum esset, & sciens quia iureiurando iurasset illi Deus; ex fructu ventris eius sedere super thronum illius, prouidens locutus est de resurrectione Christi: quia neque relictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem: Hunc ergo Iesum resuscitauit Deus, cuius nos omnes testes sumus.*

Actor. 2. Actor. 2.

Quando ista dicunt? *Cum iam factus esset de cælo sonus, & tanquàm vi magnâ, Spiritus ferretur, qui repleuit totam domum, & repleti sunt Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis.*

Peccatũ mundi est non credere Deo. *Ibid.*

Deinde dicunt Apostoli: de peccato mundi, quod non credidit Christo, in Actis ita: *Sicut vos scitis, hunc decreto consilio & præscientia Dei traditum per manus scelestas, & suffixistis eum cruci, & occidistis quem Deus suscitauit.* Item in Actis Apostolorum referente Petro, Dauid non ascendisse in cœlum, sed dixisse ita: *Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram.*

Rom 8. C

Hoc etiam Paulus dixit: *Qui resurrexit, qui est in dextera Dei.* Ergo docuerunt quod post resurrectionem ad Patrem iuit: Idem mox adiecit: *Qui & interpellat Patrem.*

Actor. 1.

Ergo si Christus interpellat, Paracletus etiam ipse. Item in Actis, quod ad Patrem ierit, testimonium est: *Videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis ipsorum, cúmque intuerentur euntem illum in cœlum*, & reliqua.

De iudicio Dei.

Dicta sunt iam tria de testimonio in Christum, de peccato, de iustitia, nunc de iudicio. Sic per Spiritum sanctum locutus Paulus ad Romanos: *Deus autem pacis conteret satanam sub pedibus vestris velociter.*

Rom. 16. Ephes. 4 Apoc 1. Ibid.

Item ipse ad Ephesios: *Qui ascendit in altitudine captiuam duxit captiuitatem.* Item in Apocalypsi ipse dixit: *Et habeo claues mortis & inferi.* Item ibi: *Et factum est prælium in cælo, Michaël & Angeli eius bellarunt aduersus draconem.* Et totus locus demonstrat diabolum iudicatum. Cum igitur approbatum sit tres istas potentias, & communi & proprio actu & substantiâ eâdem, vnitatem Deitatemque conficere, non sine ratione rerum in duo ista reuocantur, in Filium ac Patrem:

D

etenim cum quasi geminus ipse Pater sit, existentia & actio, id est, substantia & motus, sed intus motus, αὐτόϛετος motus, & hoc quo substantia est motus, necessariò & Filius, cum sit motus, & αὐτόγονος motus, eadem substantia est: eadem enim hæc inter se sine coniunctione vnum sunt, & sine geminatione simplex, suo vt proprio existendi versum, vi autem potentiâque: quia nunquàm sine altero alterum, vnum atque idem tantum actu, sed qui foris est, in passiones incidente, alio autem interiore semper manente atque æterno, quippè originali & substantiali, & idcircò semper Patre, quâ ratiocinatione & semper Filio. Paulus in omnibus Epistolis: *Gratia vobis & pax, à Deo Patre nostro, & Domino nostro* Iesv Christo. Item: *Non ab hominibus, neque per hominem, sed per* Iesvm Christvm, *& per Deum Patrem.* Item in Euangelio: *Ego & Pater vnum sumus: Ego in Patre, & Pater in me.*

Ioan. 10.

Nos quoque Patrem & Filium religiosè semper vsurpamus, & rectè secundum rationem supradictam: etenim motus, vt suprà docuimus, filius, atque ipse motus vita & scientia, vel sapientia.

E

Certe Paulus plenissimè expressit quod intelligi volumus: *Gratias ago*, inquit, *Deo meo semper pro vobis in Christo Iesu, quod omnes locupletati estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia.* 1. Cor. 1.

Verbum Christum diximus, id est vitam, scientiam Spiritum sanctum, ergo vnum: *in Christo enim*, ait, *locupletati estis*, quod cum ita sit, si Deus & Christus vnum, cum Christus & spiritus vnum, iure tria vnum, vi & substantiâ: prima tamen duo vnum diuersè, hoc vt sit Pater, actualis existentia, id est, substantialitas, Filius verò actus existentialis: duo autem reliqua ita duo, vt Christus & Spiritus sanctus in vno duo sint, id est, in motu, atque ita duo, vt vnum duo: prima autem duo, vt duo vnum, sic cum in vno duo, & cum duo vnum, Trinitas existit vnum. Nam quid ego de Spiritu sancto, de quo tractatum est pluribus, multa commemorem? ex ipso concipitur Christus in carne, ex ipso sanctificatur in baptismo, Christus in carne, ipse est in Christo qui in carne, ipse datur Apostolis à Christo qui in carne est, vt baptizent in Deo, & in Christo, & Spiritu sancto: ipse quem Christus in carne promittit esse venturum, quâdam agendi distantiâ, idem ipse & Christus, & Spiritus sanctus, & quia Spiritus, idcircò & Deus: quia Christus quod Spiritus, ideò Deus: vnde Pater, & Filius, & Spiritus, non solum vnum, sed & vnus Deus. F

MARII VICTORINI AFRI, viri consularis, aduersus Arium.

LIBER IV.

Viuit ac vita vnumne, an idem, an alterum? Vnum. Et cur duo nomina idem, & quomodo? cum sit aliud in actu esse, aliud ipsam actionem esse, ergo alterum: Sed quomodo alterum? cum in eo quod viuit, vita sit, & in eo quod vita est, viuat necesse est: non enim caret vitâ quod viuit, aut cum sit vita non viuit, alterum igitur in altero, & ex hoc in quolibet altero duo: & si vt duo, non vt purè duo, quippè cum alterum in altero, & id in vtroque, idem ergo. Sed idem in duobus est, & à se alter, is ergo & idem est, & alterum in quolibet horum aliquo. At si idem est, & ad se vtrumque idem & vnum est, quodlibet enim altero existente quod alterum est, neutrum vt geminum, ergo si vtrumque hoc ipso quod est, & alterum est, erit apud se vtrumque vnum: at cum vtrumque apud se vnum est, in altero idem vnum est: at cum idem vnum est, verè vnum est vtrumque: nullo enim vtrumque distat, nec existendi virtute, nec tempore, fortasse causâ, & hoc altero priùs est. Hoc quo faciliùs iudicetur, sic ista meliùs retractabimus: Viuere ac vita ita sunt, vt & hoc quod est viuere, vita sit: & hoc quod est vita sit viuere, non vt duplicatum alterum in altero sit, neque alterum cum altero est: hæc enim est copulatio: num & ex hoc etiamsi inseparabiliter iunctum sit, vnitum est non vnum? nunc verò cum ipso eodem opere vitam esse sit viuere, & eodem modo vitam esse sit. De iis enim loquimur duobus, de viuere, & vita, non de eo quod ad effectum vitam habet & viuere. Quanquàm & ipsum tertium, & in eo quod vitam habet, & vt alterum ex altero, sed vt vnum vtrumque. Ex quo apparet, quid ipsa per se existentia in suis rebus valeant, cum substantia vna atque eâdem manente, esse suum nullâ sui innouatione custodiant: namque vitæ esse suum est moueri: ipsum autem moueri, hoc est viuere: Esse igitur & viuere est, & esse vitam: vna ergo eademque substantia; namque vnicuique in eo quod sit suum esse, substantia est: Etenim in supernis æternisque, id est, in intellectibilibus atque intellectualibus, nihil accidens, nihil qualitas, nihil geminum, vel

G H

A cum altero, sed omnia viuentes sunt, intelligentésque substantiæ, puræ, simplices vniusmodi, hoc ipso quo sunt & viuunt & intelligunt, conuersúmque quo intelligunt, hoc ipso etiam sunt. Viuit igitur ac vita vna substantia est, sed quoniam intellectus ita se pandit, atque ita sermo processit, vt & in eo quod est viuere, vita sit, & in eo quod vita sit, ideò sit vita, quia viuit. Videndum, & intentâ ratione quærendum, vtrum naturalis ista complexio, & bigemina existentiæ modo pura simplicitas vnáue sit, an duæ. Si nihil interest, viuere, & vita sit; & vitam esse, vi insit & viuere, iure ac merito vnam istorum, non geminam copulam ad existentiam sui esse dicemus. Sin autem primum, aliud est viuere, aliud vitam esse. Et item si distantia est, vt nunc vita causa sit ad viuendum, nunc ipsum viuere causa sit, vt vita sit: duo sunt ista, sed gemina inter se, atque apud se simpliciter vnita: potentia enim & Λόγῳ suo atque diuino refert ista geminari, vt eiusdem naturæ ac potentiæ, alterum cuius sit id, à quo hoc alterum. Atqui non est nonnulla distantia, parua illa sit licet, vnde non est frustrà geminatio. Etenim non idem actio & agere, nec potentia & operatio, nec vt verius dicam, idem causa est, quod effectus: illa enim origo, hic partus est. Vnde cum duo ista, viuit ac vita, sit actio atque agere: quanquàm in se simulque sint, tamen & alia vi atque naturâ existimanda sunt, vt alterum alterius causa sit, alterum existat effectum. Sed vt mihi intelligentia est, ac probata sententia, cum in principali naturalique primæ Diuinitatis exordio, primum sit quod est viuere, secundum vero quod vita, ita enim ratio docebit, & ipsa veritas approbabit, fit vt viuere causa sit, effectusque viuendi vita sit, quod tamen ipsum viuere & vita sit: simul enim ista, & simul semper, quod cognoscitur, erant. Aliud vita ad secunda tertiaque, vel deinceps quæ viuunt ordinata causa atque principium, ita scilicet vt idem sit simúlque vita quod viuere, sed hoc viuere, secundum de vita, cum vita est: Illud primum ac principale viuere, simul & vita causa est vitæ, & fons, & origo viuentium. Scio hoc obscurum videri posse, non tam rerum, quam eorundem repetitionem sermonum, quod duo ista tali copulatione nectuntur, vt cum sit viuere, vita sit: & cum sit vita, sit viuere, vnde constituto quolibet vno, frustrà alterius videbitur facta geminatio. Audi lector, audi quod miraberis lector, ista tam dura, tam tortuosa, tam clausa tractatu de Deo & de diuinis, simplici disputatione pandemus. Deum certè fatemur omnes, Deum omnipotentem, Deum suprà omnia, Deum ante omnia, Deum à quo omnia: Hunc cum fatemur, etiam esse sine dubio confitemur: Esse huic quid credimus? quid putamus? Spiritus inquit, Deus est, lumen; & verum lumen Deus est. Quid hoc esse creditur, quod spiritus dicitur? nempè spiritum intelligere cogimur quandam existentem, viuentem, intelligentemque substantiam: in supernis quidem, & circa Deum maximè quasi humilem & alienum, & in posterioribus nomen non credunt conuenire substantiam. Sed cur à nobis fugiatur hoc verbum? cum esset, cuique hoc ei sit esse substantiam. Et in Ieremia Deus loquens ita dicit: *Quod si in mea substantia staretis, videretis verbum meum.* Sic etiam ibi non multò post, & aliis in locis multis. Est igitur spiritus substantia, id est esse eius: colligamus igitur κατὰ Ἰωάννην dictum: *Spiritus Deus est, & adorantes eum in spiritu & veritate adorare oportet.* Deus inquit spiritus est, hoc est Dei, quod est esse: ergo substantia Dei, spiritus est, eadem substantia, hoc est quod viuens: non vt aliud sit substantia, aliud viuens, sed ipsum viuens vt sit ipsa substantia. Si enim dictum est ab eodem: *Spiritus est qui viuificat*: vtique is qui viuificat, qui viuit, & vitæ potentia est: ergo viuit spiritus, viuit Deus: Porrò autem quia viuit, vt suprà diximus, & vita est, Spiritus ergo & vita est, vt idem Ioannes ait: *Spiritus vita est*: Ergo Deus cum est Spiritus, & viuit & vita est. Paulus etiam ad Romanos: *Nulla ergo damnatio iis qui sunt in Christo Iesu, & non iuxta corpus ambulant: lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati & mortis.* Spiritus vitæ, inquit, tria enim ista spiritus sunt, Deus, Iesus, Spiritus sanctus.

Geminatio. B *Actio. Agere.* *Viuere causa vitæ.* C *Substantiæ nomē quidam fugiunt.* D Ioan. 4. Ioan. 6. Rom. 8.

E Ac de Deo probatum puto & Spiritum esse, Spiritum autem & viuere, & viuere facere, & vitam esse substantialiter, vt ista intellecta sint, & simplex & vna substantia, vt hoc sit Spiritum esse, quod viuere, & vitam esse. Sed non istud quod nostrum est viuere, quod animalium, quod elementorum, quod creatorum ex elementis, quod mundi, quod omnium in mundo, quod Angelorum, dæmonum, vel etiam eorum quos in mundo de mundo Deos nominant: non, inquam, illud viuere in Deo est. Hoc Deus est, quod est viuere animæ, aut vniuscuiusque, aut illius vniuersalis atque fontaneæ, non vt ibi Angelorum, non vt ibi thronorum, gloriarum vel cæterorum in æternis existentium, vel in intellectualibus, vel intellectibus, sed illud viuere, vnde hæc pro suo existendi genere vitam recipiunt & viuunt, illo quodammodo progrediente, & ista prout capere possunt potentiam viuentis vigoris afflante, à se sibi, per se, in se solo simplex, purum sine existendi principio à quo fusum magis, vel progressum, vel natum principium est, per quod crearetur viuere cæterorum: Etenim viuere vitam parit, nam vi naturali prior actor, quàm actio: Agens enim actionem genuit, & quasi ex ipsa vocabulum & rem cum ipse tribuerit, ipse suscepit. Hoc cum rectum, etiam ratione admodum verum est: certè Deus, cui ad omnipotentiam principalemque summitatem hoc nomen conuenit Deus: Deus, inquam, primum, si in Dei operibus dicendum aliquid primum: sed intelligentia humani ingenij vt se exerat, & res capiat, rebus vel simul existentibus, vel simul-fusis, & ortus, & diuersos ortus, & quasi tempus attribuit. Deus inquam primo vniuersalium existentias substantiasque progenuit, has Plato idæas vocat, cunctarum inexistentibus specierum species principales, quod genus in exemplo est ὀντότης, ζωότης, νοότης: Et item ταυτότης & ἑτερότης, adque hoc genus cætera genera igitur generum profunduntur, adeò omnium potentiarum potentiæ vniuersaliter principales: Ergo ὀντότης, id est, existentialitas, vel essentialitas: siue ζωότης, id est, vitalitas, id est, prima vniuersalis vitæ potentia, hoc est, prima vita fónsque omnium viuendi. Item νοότης, intelligendi vis, virtus, potentia, vel substantia vel natura: hæc tria accipienda vt singula, sed ita, vt qua suo plurimo sunt, hoc nominentur, & esse dicantur: nam nihil horum est, quod non tria sit: esse enim, hoc esse si viuat, hoc est in vita sit: Ipsum verò viuere, non est viuere quod viuat intelligentiam non habere, quasi mixta igitur & vt res est, triplici simplicitate simplicia. Quicquid enim hoc ipso quo est, & alterum est, non aliquando dicendum geminum, sed semper vnum.

Verum de iis pluribus alibi. Deus igitur est viuere, quod summum, primum, fontaneum, principaliter principale, tria ista genuit, id est, suo viuendi opere, vt existerent procreauit: Ista igitur opere prouenerunt, & hæc proles, ista generatio est, vt ab agente actus, ab eo quod est essentitas vel essentia, à viuente vitalitas vel vita, ab intelligente νοότης, intelligentiam vniuersalium vniuersalis intelligentia nasceretur. Priùs est igitur viuere, quàm vita: quamquàm in eo quod est viuere vita sit, sed viuere vt parens vitæ est, vita & proles, & quod gignitur quippè à viuente generata. Deus igitur est viuere illud primum, viuere à semetipso viuere, ante omnium viuere, & ante ipsius vitæ viuere: agens enim & semper agens, & nullo principio agens, non ab actione agens est, ne actio vel phantasia principij sit ad agentem, sed vt actio agentis opere, vel progenita sit, vel extiterit, vel effusa sit. Hoc vtique agere in eo ponimus, quod est viuere: Deus ergo viuere est, & principale viuere: vita autem vt genitum. Viuere ergo Pater est, vita Filius: námque quod in eo factum est, vita est, & ipse Filius dicit: *Ego sum via, ego veritas, ego vita:* Hæc vita est, quæ orta est ab eo quod Pater viuit, & hoc illud est: *Ego enim de Deo exiui.* Item ipse de se, ita dicit. *Qui sitit, veniat ad me, & bibat, qui* credit

Spiritus vita non talis, qualis est verū creatarum. F *Quadam vt intelligantur aliter accipiūtur, quā re ipsa sunt.* *Idæa Platonis.* G *Vita Dei* H Ioan. 14. Ioan. 16. Ioan. 7.

A Ioan.4. *credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Hinc & illud est, quod Samaritanæ respondit: *Si scires donum Dei, & quis est qui dicit tibi, da mihi bibere, tu magis petisses eum, & dedisset tibi aquam viuam.* Item posteà: *Omnis qui biberit ex hac aqua sitiet iterum.* Samaritana aqua, mundana est anima: *Qui autem biberit de aqua, quam ego dedero ei, non sitiet in sempiternum, sed aqua quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* (Samaritana aqua mundanam animam significat.) Iis atque huiusmodi innumerabilibus exemplis satis clarum fit, Christum Dei Filium vitam esse, & æternam vitam: quippe qui & ipse vt Pater Spiritus sit. De Spiritu enim quod nascitur, spiritus est: Spiritus verò spirat, & à se spirat: spirare autem viuere est. Porrò quod à se spirat, à se viuit: quod à se viuit, ex æterno & in æternum viuit: Nunquam enim se deserit, quod sibi causa est, vt hoc ipsum sit quod existit: Cum igitur Pater sit quod est viuere, vt suprà docuimus: viuere autem sit vitam esse, itémque cum vita id sit quod gignitur ab eo quod est viuere, necessariò id est vita, quod viuere: viuit enim & vita hoc ipso quia vita est, atque ex se vita est: ex se enim ei est viuere: verumtamen ex illo primo, quod est principaliter viuere, quod est Pater, vbi & vnde existit vita, cui inest & viuere, & ex se viuere, quod esse Filium IESVM CHRISTVM probamus, intelligimus & fatemur. Ista omnia quæ à me dicta sunt, quemadmodum in Euangelio κατ' Ιωάννην significata atque asserta per ipsa Saluatoris verba videamus: *Misit me viuus Pater, & ego viuo propter Patrem.* Ac ne qui istum in carne Christum dixisse istud crederet, subiunxit statim: *Hic est panis qui de cœlo descendit.* (Ioan.6.)

(Declaratur locus Ioan c.6. de corpore & sanguine Christi.) Deinde vitam esse, & æternam vitam sic testatur, sic docet: *Nisi acceperitis corpus hominis, sicut panem vitæ, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis: qui autem edet carnem eius, & bibet eius sanguinem, habet vitam æternam.* Omne ergo quod Christus est, vita æterna est, vel spiritus, vel anima, vel caro: horum enim omnium ipse λόγος ἐστι, λόγος autem principalis vita est: ergo etiam ea quæ induit, vita sunt, vnde ista & in nobis vitam æternam merebuntur per Spiritum, quem Christus nobis dat, facta & ista spiritalia. Ac ne qui crederet de Christo carnali Christum ista dicere, & non de toto se, qui est Spiritus, anima, caro, quid ait? Quid si videritis Filium Hominis ascendentem? Quis est Filius Hominis: Spiritus, anima, caro: Hæc enim habuit cum ascendit, & cum quibus ascendit. Quid ergo est quod adiicit? vt spiritus intelligatur: vbi primum fuit, hoc est, spiritus, atque vita, quod Pater, quod Deus, vnde hæc ὁμοούσια, id est, consubstantialia sunt, nullo tempore extra se existentia principaliter principalia, vna eadémque substantia, vi pari, eâdem potentiâ, maiestate, virtute, nullum altero priùs nisi quod causa est alterum alterius, & idcircò alterum: Sed idem alterum verum, quia idem vnus Deus: quia vero alterum, idcircò primum & secundum: & quia causa alterum alterius, idcircò Pater, quod causa est, id verò quod ab altero, filius: in substantia verò nulla distantia, nulla temporis discretio, nulla significatio, vnus motus, vna voluntas, & aliquando phantasia alterius voluntatis, sed semper eadem. Hæc ita esse sacrâ primum lectione doceamus, deinde ordo poscit, vt rerum necessitas flagitat, & perspiciamus in iis quibus est vna eadémque substantia, cur alter mittentis, alter missi potestatem gerant: imperantis alter, alter ministri: alter motu agendi à passionibus libera, alter per infinitos actus in creandis sæculis infinitus, & iis quæ sunt in sæculis, subiecit vsque ad mortem innumeras passiones. (Consonantia eorum quæ videntur secus de Filio dici atque Patre.) Viuit quod primum est, viuit ex sese, viuit æternum, & hoc Deus est. Quod ipsum viuit, vt docui, existentiæ, vel substantiæ vim habet, & naturam vitæ, & intelligentiæ, imò ipse in eo quod est ei esse, hoc est illud quod dicimus viuere, & hoc quod intelligere, & hoc Deus est: ergo quod est Deo esse, existentiæ causa & Pater est: Et quoniam in ipso suo esse vita ei est, & in eo etiam nosse qui sit, & vitæ vniuersalis, & intelligentiæ fons est. De tribus enim istis quæ simplici existentia in Deo sunt, vel quæ Deus sunt, magis esse Deus est: quod ex se habet viuere, & vitam esse, vel intelligere, & intelligentiam esse, vt suprà docuimus, & in pluribus. Vt iam reliqua duo, vitam dico & intelligentiam accipiamus, vt genita ab eo quod est esse, suum esse habentia ab eo quod est primum esse motum, pro priore existendi vim ac nomen vitæ intelligentiámve sortita: (Vita & intelligentia.) Omnia enim in tribus terna sunt quodammodo & ordine nominata: non quod non in singulis tribus trina sunt, sed quod motu id operantur quod esse dicuntur: esse enim primus motus est, qui cessans dicitur motus, idem intùs motus: cum enim se vt existat operatur, rectè & intus motus, & cessans motus est nominatus. Hinc nos motum esse dicimus, quod est viuit ac viuere: iam verò cum ex eo quod est viuit ac viuere confecta quodam modo & genita in habitus speciem ipsius quod est viuit ac viuere forma formata sit, hæc vita, hæc Filius nominatur: Vt enim forma qualibet, vel ibi posita vbi est, vel alibi ducit nos ad cognoscendum cum cuius est, sic vita facit nos nosse quid sit viuere: Actus enim est viuere, & in actu momentis omnibus cursus, & ideò dictum: *Deum nemo vidit vnquam.* Quis enim videat viuere, quod Deus est, sine vita quæ lineamentis agendis in quadam specie coït & existit, vt sit forma viuentis? (Forma in cogitationem ducit. Ioan.1.) Ergo eius quod est viuere, forma est vita, per quam, vel in qua quod est, viuit, ac viuere videtur, accipitur & agnoscitur, quod à Patre significat dictum Saluatoris: *Qui me videt, videt & Patrem:* Filius enim Dei, forma Dei est, id est, vita, quæ est forma viuentis. (Ioan.14. Philip.2.) Dictum enim à Paulo ad Philippenses: *Qui cum in forma Dei constitutus esset, non rapinam arbitratus est, vt esset æqualis Deo.* Item ad Colossenses: *Qui est imago inuisibilis Dei.* (Colos.1.) Ergo IESVS CHRISTVS & imago, & forma Dei. Diximus autem quod in forma videtur, id cuius forma, & eodem pacto & imagine videtur is, cuius imago est, maximè si is, cuius imago est inuisibilis, sicut hic dictum: *Imago Dei inuisibilis.* (Ibid.) Eodem modo dictum in Euangelio κατ' Ιωάννην: *Deum nemo vnquam vidit, nisi Vnigenitus Filius, qui de sinu eius exiuit.* (Ioan.1.) Et item sic Moysi dictum: *Faciem meam non videbis, quis enim faciem meam vidit & vixit?* (Exod.33.) Permisit tamen posterganea sua videri, id est, deorsum, cæteráque præter faciem. Quot hic mysteria? quot genera quæstionum? quot signa ad declarandum & Deum, & Iesum Christum, & substantiam esse? & vnum ambo esse substantiam? & simul vtrumque vnam esse substantiam, & à Patre Filio esse substantiam? (Ioan.3. Ioan.6.) Quæ cuncta, atque huiusmodi alia, nullo modo explicari, intelligi, atque approbari possunt, nisi superior tractatus manifestis perceptionibus illucescat. Sit igitur nobis fixa sententia, quod Deus spiritus sit, & spiritus de quo & Filius spiritus, & spiritus Spiritus sanctus. De spiritu enim quod nascitur, spiritus est, spiritus autem viuificat. Quid viuificat, vtrique ipsum viuit: quod viuit, quia spiritus est, à se viuit: & quod à se viuit, hoc ipsum est quod viuit: & quia quod à se viuit, cum ipsum sit, quod est viuit, nec aliud habet quod viuere dicatur: non enim viuificatum est, sed viuit ipsum, viuit vel viuere existens: & quia viuit, ac viuere agere est, in eo quod à se viuit, nunquam cœpit: non enim expectauit alterum, vt nunquàm se deseruit, aut deseret, ex æterno igitur atque in æternum viuit principalis & vniuersalis substantia viuendi, non vt substantia sit, & sic viuens, sed ipsum quod est viuens, hoc ipsum substantia est: neque enim cum ipsum viuens, ac viuit, & viuere esse, & quodammodo esse intelligatur, non suum sibi esse quod sit substantia est, hoc & lectione omni sacrâ, & rerum ipsarum vocibus spiritus nominatur. Spirat autem spiritus, & à se spirat, & Deus spiritus est: spirat verò, hoc est, quod viuit: Viuit ergo à se & semper spiritus, qui Deus est: (Spiritus.) viuit inquam, atque in actu viuendi, & ipso opere vita cum viuit, opere vitam cum viuit, operatur: Nata ergo est viuente Deo vita æterna generata est, & quia viuit, ipsum substantia est: & quod est ab eo quod viuit, & vita ipsa substantia est, per eadem æqualis ac simul, quia ipsum viuit vita est, atque ipsa vita viuendo existit,

A existit vt vita sit. Spiritus ergo est viuere, & vita spiritus est: complectitur se vtrumque, & in vtroque est, & alterum non vt geminum, & adiectum, sed simplicitate ex se atque in se existentis, quasi alterius substantiæ duplicatum, nunquàm à se discretum, quia in singulis geminum. Etenim viuere cum vita est, & vita rursùs cum eo est quod est viuere: Viuere autem docuimus, Deus est, vita Christus: & quia viuere vt generator est vitæ: actu enim, quod est viuere, vt quædam prolis vita generatur, fit viuere Pater, Filius vita, ista ipsa quidem, qui alterum altero, idcircò duo. Vnde enim duo, nisi alterum ab altero? & semper quod ab altero est, Filius est, illud autem vnde alterum, Pater. Sed nunc non ita alterum vt discretum atque diuersum, sed tantum alterum ab altero, vt conficiens atque confectum, & generans atque generatum, coniunctione substantiæ vtrumque vnum, cum & viuere vita sit & vita ipsa viuere: hinc Pater & Filius vnus Deus: Et quia conuersio naturalis existentiæ
B non nisi vna est: vt enim in eo quod est viuere inest vita, & item in eo quod est vita, inest viuere, vna sola & conuersio est. Vnde cum in eo quod vita est, insit & viuere, idcircò vnigenitus Filius consubstantialis Patri, vnus & ipse Filius, Pater vnus. Vnde vna eademque substantia, & simul ac semper: Hoc est enim ὁμοούσιον, ὁμοουσίαν ἔχων, simul substantiam habens, paremque existendi vim atque virtutem, eandemque substantiæ naturam, nullo tempore præeunte: quod nos consubstantiale dicimus, causatiuo priore quod est viuere, ad id quod vita est, vt illud generans ac Pater, hoc genitum ac Filius, & sit, & esse dicatur. Ergo quia insunt sibi, & licet Pater cum sit, Filius non sit: rursùsque cum Filius, qui est eius cuius est Filius, Pater non sit, tamen vi rerum, & substantiæ paritate: cum viuere vita sit, & vna sit viuere, meritò diuinâ Saluatoris voce pronuntiatum est: *Et ego in Patre, & Pater in me.* Hinc & illud est: *Ego & Pater vnum sumus:* Ioan.10.
Etenim cum rerum vi & naturâ ipsâ duce nihil sint omnia si non viuant, & motu vitali vacua, nec molem hy-
C licum aut existentiæ vel imaginem, vel speciem habere credantur: Fluendi enim ac refluendi natura inconditè subsistendi, non recipit vis lubrica inconstans, nec formam recipit, vt aliquid esse dicatur.

Vnde carens eo quod est aliquid esse, etiam esse suum tenet, vt rectè nullo modo esse dicitur. At nunc comprehensa & tota, atque in partibus circumsistens, & formata, atque hoc corporata, & ad aliquid esse specie aliqua capta & esse creditur: quia motu vitali, & ab infinito certis lineamentis septa, in sensus certissimos promouetur. Ergo hylica quæ sunt, vt esse videantur, facit vis potentiaque vitalis, quæ defluens à λόγῳ illo qui vita est, quem dicimus Filium, per Archangelos, Angelos, Thronos, Glorias, cæteraque quæ suprà mundum sunt, primo in corpora, atque ἄυλα, naturali suâ substantiâ munda atque puriora cum currit ac labitur, lucem suam maiore sui communione patitur, mox in animam fontemque animæ gradatim veniens. Quia anima imago τοῦ λόγου est,
D quasi quâdam cognitione maiorem defluendi accipit cursum. Et quia in animanda anima properat, fit ei in animanda eius petulantior appetitus. Hinc in hylen mersa, & mundanis elementis, & postremò carnalibus vinculis implicata, corruptioni, atque ipsi morti sese miscens, viuendi idolum materiæ fæcibus præstat. Viuunt ergo cuncta terrena, humida, aërea, ignea, ætetea, cœlestia, non λόγῳ illo priore, nec vitæ integro lumine, sed propter copulationem hylicam sauciâ luce vitali, viuunt supra cœlestia, & magis viuunt, quæ ab hyle, & à corporeis nexibus recesserunt, vt puriores animæ, & Throni, & Gloriæ: Item Angeli atque ipsi Spiritus, alij vt in alio, id est in sua substantia vitam habentes: alij ipsa vita sunt: IESVS autem CHRISTVS, & sanctus Spiritus: nam & de hoc mox docebimus: simul cum Deo, sed à Deo tamen vita sunt, sed vniuersali vitâ viuunt, & à se viuunt, & non in altero habentes quod viuunt, sed vt hoc ipsum illis esse sit viuere & vitam esse, & scientiam esse Patre tradente, hoc est, principaliter existente eo quod est viuere. Ergo hæc omnia enumerata viuant,

Quæ à corporeis nexibus sunt immunia rectiùs viuunt.

E & nihil sit vel in æternis, vel in mundanis aut hylicis, quod non pro natura sua viuat: vtique confitendum est, esse vim quandam vel potentiam quâ cuncta viuefiant, & quasi viuendi fonte in vitales spiritus erigantur, vt ex hoc & viuant, & quia viuunt, esse sortita sint. Quis est iste, vnde in æterna, atque in mortalia vitalis spiritus spirat, quo vigent cuncta, quo subsistunt, quo actus proprios sumunt, quo & generata sunt, & generatura proueniunt? Deus sine dubio Deus, & quod menti nostræ venerationi est viuendi patet, numenque viuendi. Hunc vel potentiam vitæ, vt in aliis diximus, vel vitam summam principemque, & generaliter generalem, atque omnium viuentium originem, causam, caput, fontemque dicemus: Principium existentium substantiarum Patrem, qui ab eo quod ipse est, esse cæteris præstat, secundum vim ac naturam percipientium viuendi potentiam, substantiamque moderatus. Quid ipse, aut in quo? Quippè viuus verusque: Vnus, vt nos de se loqui sinit: Viuit,
F & ex æterno, & in æternum viuit, ex se habens istud ipsum, quod ei substantia est: Viuit, non enim ei accedere actus aut debuit aut potuit, ne aliquando à se minùs, sed semper perfectus, plenus ac totus, in eo quod est ei esse, inest etiam sic esse, cæteraque post Deum sunt, & potentiæ sunt, & actiones potentiæ, quæ vi suâ iam esse creduntur, vt omnia & esse, & habere videantur, quæ maturis processionis actibus existentia in suo opere hic habere prouenit: Actiones autem dicuntur, cum existendis processibus gignunt, ac forâs promunt quod esse possunt: Vt semen iam potentia est, & culmus, & folia, vel mas aut fœmina venereæ cupiditatis effusio: sed hæc in mundo atque sub Luna: suprà verò in æthere, atque Cœlo actiones sunt, atque actionibus viuunt, sed genita etiam quod futurum fuerant facta: ex ortu enim suo in operationes proprias, suasque dimissa, suos actus naturæ continentis contagione discurrunt. Quod si hæc quæ in mundo sunt, actus sunt, quantò magis illa, quæ in æternis, ac supra cœlestia sunt, actus sunt & actiones sunt,
G quæ mundana ista genuerunt? Item & anima & Angeli ex animis, & supra animas. Nam & anima αὐτογόνος, id est, suo & à se sibi orto motu fertur, αὐτοκίνητος dicitur, vnde ἀκίνητος: ergo semper in motu est, quod est semper agere, & esse ipsam ἐνέργειαν, vt sit ei substantia, ille motus. Dictum est enim: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Habet ergo αὐτογένετον κίνησιν, id est, motum à se ortum, vt Deo est, vt Christo: Sed quia non est ille prior spiritus, idcircò alia substantia, & facta, non à se existens, sed facta vt à se haberet motum: quippè anima aliud, aliud vita, vita enim viuendi habitus est, & quasi quædam forma, vel status viuendo progenitus, in se continens ipsum viuere, atque id esse quod vita est, vtrumque sit vna substantia: non enim verè alterum in altero, sed vnum simplici suo geminum & idcircò in se, quia ex se, & ideò ex se, quia aliud operatur in septima simplicitas: quies enim nihil gignit, mo-
H tus verò & agendi operatio format sibi ex se quod sit, vel potiùs quonam modo sit: namque esse viuere est: vitam autem esse, motus quidam est, id est, forma viuentis, confecta ipso illo cui forma est: illud autem quod est conficiens: id est viuere: quia nunquàm cœpit: à se enim quod viuit, non incipit, quia semper viuit, vnde nec vita incipit: cum enim conficiens sine exordio, & id quod conficitur caret exordio. Simul ergo vt vtrumque & consubstantiale. Viuere autem Deus est, vita Christus: Et in eo quod est viuere, vita est, & in eo quod est vita, viuere. Hoc quidem modo alterum in altero, quia confectum & conficiens alterum in altero. Vt enim conficiens in confecto, ita confectum in conficiente, maximè si semper ista, ergo & Pater in Filio, & Filius in Patre: etenim conficiens & confectum conficiens, & confectum conficiente confectum: ergo vna substantia non vna duobus, & in vna duo, sed quia in qua Deus, in eadem Filius, id est eiusmodi. vt enim viuit Deus, ita viuit & Filius, in quali substantia Pater, in tali Filius. Sed si viuit inquiunt, Pater, viuit & Filius, & idcircò eadem talique substantiâ ambo: Substantia autem istius viuit, cum

Deus ex quo omnia.

Angeli ex animis & supra animas. Animæ proprietates. Ioan.1.

A

vtrumque sit, viuit vtrumque, sine ortu est vtrumque sempiternum. Sed hoc excluditur Euangelistæ sacratis verbis, loquente ipso Filio Domino nostro IESV CHRISTO: *Viuit Pater.* Hic fons sine ortu est. At vbi aliundè principium? *Et ego*, inquit, *viuo propter Patrem.* Si ergo propter Patrem à Patre accepit: & si accepit, genitus ab ingenito: & si viuit existentia certa est, visque substantiæ, in vtroque cum isto vniusmodi viuit eadem Patri & Filio, sed Filio à Patre substantia est. *Quod enim de spiritu nascitur, spiritus est:* ergo de tali Patris substantia, talis Filij substantia. Atque vt ostendatur magis à Patre data & substantia, & eadem vnaque substantia dictum quod viuit, ac vita substantia est: ergo eadem Deo, & à Deo Christo Filio substantia. Hoc dicente Euangelista: *Vt enim Deus habet ex se vitam, ita & Filio dedit ex se habere vitam:* ὁμοούσιος ergo Christus cum Deo: id est consubstantialis, quod est eiusdem substantiæ, id est primæ, principalis, vniuersalis, vnde omnia quæ sunt, & viuunt vitam habentia ἐπακτόν, id est, in latam, non à se genitam, neque quo sit ipsorum viuere, quod est Dei & Filij. Tantùm quippè omnibus est cæteris ex vita quantùm largitur Christus. In Deo viuere vt principale conficiens est vitam, vno atque eodem existentiæ fonte nullo priore vel tempore vel potestate, dumtaxat circa substantiam. Vnde siue hoc accipiamus esse ὁμοούσιον, quod eadem sit substantia, nulla dubitatio est, eandem esse, quia & qui viuit, iam vita est, quod est Deus: & qui vita est, viuit, quod est Christus: & vtrisque à se vita est, sicuti dictum est: Vt habet ex se vitam Pater, ita & Filio dedit ex se habere vitam. Si autem hoc accipimus ὁμοούσιον esse, quod est ὁμοούσιον τῷ, simul eandem esse substantiam: faciliùs id & manifestiùs approbatur quo Patrem dixi esse vel Filium. Viuere enim & vita ita simul sunt, & semper simul vt & in eo quod est viuere, vita sit: & rursùs id sit vita, quod viuere. Etenim capiamus exemplum: quanquàm quod dico res ipsa est potiùs, non exemplum. Deum nihil aliud esse diximus quam viuere, sed illud principale, illud vnde omne viuere omnium, cæterorum actio ipsa in agendo existens, atque in huiusmodi motu esse suum habens, quod est vel existentiam, vel substantiam suam habens: quanquàm ne habens quidem, sed existens ipsum, quod sit principaliter & vniuersaliter viuere. Id autem quod conficitur ex isto actu, & quasi forma eius est, vita. Vt enim αἰὼν conficitur præsenti semper rerum omnium actu, ita viuendo & ipso viuendi semper præsenti opere vita conficitur. Et vt ita fingamus, vitalitas hoc est, vt vitæ forma ad potentiam suam substantiamque generatur. Sed & nostrum viuere constat ex præsenti semper tempore. Non enim viuimus præteritum, aut viuimus futurum, sed semper præsenti vtimur. Hoc enim solùm tempus est, quod ipsum solum, quia solum tempus est, imago esse dicitur τοῦ αἰῶνος, id est, æternitatis. Quomodo enim αἰὼν semper per præsentia habet omnia, & hæc semper. Nos quoque quia per præsens tempus habemus omnia quæ habere possumus, idcircò hoc tempus nostrum τοῦ αἰῶνος imago est, quia nostrum præsens non iisdem, neque idem semper est præsens: conficitur ergo viuendo vita, ac simul existendo formatur: ac formatio apparentia est, apparentia verò ab occultis ortus est, & ab occultis ortus & natalis est, & eius natalis, qui & antequàm sic oriretur extiterit: hinc & in viuendo vita, antequam vita, & posterior tamen vita, quia viuendo vita, & semper atque ex æterno vita: quia in eo quod est, viuit, & ex æterno viuit, est vita. Cum igitur viuat Deus, sit vita Christus, quia vita oritur existens ab eo quod & viuit, necessariò viuit Pater, est vita Filius, ita vt suprà docuimus, vt & in eo quod est viuit, vita sit: & in vita insit & viuere: Ergo filius ὁμοούσιος Patri, vt suprà docuimus cum exemplis. Nunc illud sequitur quid sit cum his sanctus Spiritus explicatus. De Deo ista & dicta sunt, & probata: Deum esse quod esse, Spiritum esse quod est viuere. Item lumen esse quod est intelligentiam esse, & scientiam. Etenim lumen nihil occultum, nihil obscurum esse permittit, aperit, illustrat, illuminat. Est igitur Deus hoc ipsum quod Deus, est esse, est esse

Ioan. 8.
Ioan. 3.
Ioan. 5.

B

Prius & posterius non sunt in diuinis.

ὁμοούσιον nomen quod significare possit.

Deus quid sit.

C

D

Luminis vis.

E

primum, & principale omnibus quæ sunt, pro modo percipientium esse, præstans, vt ante docuimus, hoc id est, viuere, hoc intelligere, id est, hoc quod est esse, hoc est spiritus, hoc lumen. Ista enim in vno ac simplici, imò vnum ac simplex. Hoc sunt quod est esse, hoc vel existentiam, vel substantiam iure dicimus. Verum cum principale istorum sit illud, quod est esse, duo autem alia viuere & intelligere motus esse intelligantur, cum omnis motus à quiete nascatur. Quies autem est id quod est esse, ab eo vero quod esse nascitur motio, exin actio: motio autem primi illius quod est esse, viuere & intelligere. Vtrumque enim motus est, & vnus motus, duas virtutes præstans officio gemino, vna eademque substantia. Nam substantia iis motus est, non enim in iis aliud est esse, aliud moueri. Sic item non aliud est viuere, aliud intelligere, quantùm ad substantiam pertinet. Etenim viuentis est intelligere, & intelligentis viuere, per actus se vertente vno motu: ita tamen, vt manente operâ actuque viuendi intelligentiæ actus agitetur: vnde cum Christus vita sit, Spiritus autem sanctus scientia & intelligentia, omnia tamen Spiritus sanctus quæ habet à Christo accepit, Christus à Patre, id est ab eo quod est esse extiterit vita, & viuere extiterit scientia & intelligere: nec tum, cum illud esse primum ita sit, vt cum esse sit, sit & moueri.

Intelligere & viuere eadē quantum ad substantiam.

F

Christus vita est, emanationes diuinæ.

Quanquàm dicatur quies, mouetur autem intùs motu vnde viuit sibi, & intelligit semetipsum. Ergo à motu interno extra & quod est foris natus est motus, ab eo quod est intùs esse, & foris esse, & ab eo quod est intùs viuere, foris viuere, ab eo quod est intùs intelligere; foris intelligere, mouente se vita & intelligentia: Sunt enim motus eodem modo existente simul, eo quod est esse, vt & intùs esset & foris, ista Trinitas intus, cum Deus vnus & solus foris, cum IESVS CHRISTVS intus & foris, cum ambo Deus vnus, atque ex iis cum Deus ὁμοούσιος Christo, necessariò & Christus ὁμοούσιος Spiritu sancto, ac per & hoc per Christum Deo: ipse etenim de Deo egressus est. Si enim omnis motus qui foris est, à Dei motu, qui intùs motus est, ergo & iste à Deo: Etenim scientia, & intelligentia, existentia est, vtriusque ac potentia cognoscentiæ, idque hoc ipsum motus est, hoc ipso quòd motus substantia, necessariò igitur in Christo, vel Christus est, & ab ipso habet omnia, quia à vita, quod Christus est, substitit intelligentia, & ideò alter. Hoc enim dictum: & à me habet omnia. Habet autem & à me, duo sunt: ergo alter & alter: Sed quia motus & ipse Spiritus sanctus, motus & Christus, & quia vita vera Christus est, & credentibus in se dat vitam veram, hoc est æternum, & adest apud Deum credentibus in se, quod Dei sit Filius, idque per fidem: idcireò per Christum reconciliamur Deo, propter verò hominum obtusam sui & Dei memoriam, opus est Spiritu sancto, si accesserit scientia, *& intelligere quæ sit latitudo Dei, quæ longitudo, quæ profunditas, & altitudo*, & confirmata fuerit charitas, & fides in Christum per Spiritum sanctum, quia scientia est, fieri saluus: plenè namque ipse dicit testimonium de Christo, & docet omnia, & est interior Christi virtus, scientiam tribuens, & ad saluationem proficiens, vnde alter Paracletus. Etenim mortuis per peccata hominibus vita priùs danda fuerat, vt erigerentur in Deum per fidem, quod erat iam viuere ex Dei vita, quam attulit Christus in carne, vt carni etiam subueniret. Quare confirmatis hominibus per fidem in Christum Filium Dei, etiam scientia danda videatur, & de Christo, & perinde de Deo: Item de mundo, vt eum argueret: Quæ cum intellexissent, faciliùs ad Dei lucem hominis sui diuinorumque intelligentiâ liberarentur terrenorum mundanorumque contemptu, & desiderio quod excitat scientia diuinorum.

G

Ephes. 3.

H

Venit ergo posterior, id est fides posterior operari: recedente enim Christo, qui per miracula, & per præcepta seminauerat fidem; quod ipse Dei Filius esset, & vitam in se credentibus daret, completa sunt spiritu omnia, & fides cognitione in Christum adulta succreuit, & ipso in Christo semper præsente, sic enim dixit:

Scientia diuina mundana contemnit.

A

Ioan. 18.

Non enim loquetur à semetipso, sed quaecumque audierit loquetur, & futura annuntiabit vobis, ille me honorificabit, quoniam de meo accipiet. Ergo de vita intelligentia, & ipsa vita de viuendo, Id est, de Patre Filius, de Filio Spiritus sanctus, sic enim subiunxit:

Ioan. 17.

Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, mea sunt, quia quae Pater habet Filij sunt, esse, viuere, intelligere: haec eadem habet Spiritus, omnia ergo ὁμοούσια: Idem tamen vt

Matt. 28.

ostenderet suam praesentiam semper κατὰ Ματθαῖον sic loquitur: *Euntes nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quaecumque mandaui vobis, & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem saeculi.* Ex hoc ostenditur quodammodo idem Iesvs, idem Spiritus sanctus, actu scilicet agendi diuersi, quod ille docet intelligentiam, iste dat vitam. Etenim idem ipse & vnus motus & primus motus, quo contingit, vt qui viuit, & verè viuat, & intelligat, & verè intelligat, qui

B

verè intelligit, verè viuat, atque vt idem manifestetur Iesvs, & Spiritus sanctus, attendamus istum, nempè Spiritus sanctus doctrina est, intelligentia, ipsaque sapientia & Christo & Deo sapientia datur, atque hoc Christus nomine nuncupatur, quod est Euangelium, Christum esse Dei Filium, quod Euangelium definitur Dei virtus atque sapientia, vt Paulus ad Romanos. Item

Rom. 1. Ephes. 1.

Salomon: *Omnis sapientia à Deo est, & cum eo fuit semper ante aeuum.* Ecce ὁμοούσιον apparet cum sapientia & de Deo datur, & à Deo datur, vtique Christo & Spiritui sancto. Et cum dictum est, quod cum Deo semper fuerit, quod ὁμοούσιον est appareret, cum sapientia & de Deo datur vtique Christo & Spiritui sancto: Et cum dictum est, quod cum Deo semper fuerit, quod ὁμοούσιον est, ostenditur simul cum Patre. Deinde cum dictum, ante aeuum, non ergo cum in carne tunc Christus. Item prior omnium creata est sapientia, si primogenitus Christus, sapientia Christus. Deinde quod sequitur, *Spiritus sanctus:*

Ibid.

C

& intellectus prudentiae ab aeuo? Si Spiritus sanctus prudentia est, & intellectus, si scientia & doctrina. Christus est sine dubio, quia ipse est ab aeuo, id est, ex aeterno, & primogenitus, & quod est ampliùs, vnigenitus. Haec & alia in multis tractata libris à me ὁμοούσιον probant non solùm Deum & Christum, sed etiam Spiritum sanctum.

Deus quid sit.

Demus igitur vel accipiamus Deum id esse, quod est primum & principale viuere, quod est verum & principale esse: non enim est quod non viuit, hoc ipsum viuere operatione ipsâ conficere, & generare vitam, apertum fecimus. In eo vero quod vita est, scientia & intelligentia inest: viuit ergo Deus, & viuendo vita est Deus, & cum vita est, intelligentia est. Sed haec tria vt vnum ac simplex, & in eo vt principale sit, id est, hoc sit quod esse magis existentia principalis est Deus viuens, necessariò & semetipsum intelligens. Hinc enim omnia intelligens, quia semetipsum intelligit. Omnium existentiarum causa est, & ideò omnia: ergo vita & intelligentia in id accepta, quod est esse intus semper operantur, quod est viuere. Viuere autem Deo hoc est quod est esse: Esse igitur cuncta, vnus

D

& omnipotens Deus est. Quid igitur? si intùs in se operatur, vel se potiùs operatur vita & intelligentia? Quomodo ista veluti foris apparere potuerunt? & quid est foris aut intùs ὂν λόγον. Quaesierunt Philosophi & docti

Quaestiones quid est, vbi est.

ad legem viri, quid sint & vbi sint; Quid sint, substantiam eorum vel existentiam vt explicemus: vbi sint, vtrum inde an extrà, & in omnibus reliquis, an in vtroque & vbique.

Haec quidem nos in aliis libris exequenter pleneque tradidimus. Verum nunc ista summatim breuiterque dicemus: Ante ὂν, & ante λόγον vis & potentia existendi illa est, quae significatur hoc verbo quod est esse, Graecè quod est τὸ εἶναι. Hoc ipsum esse duobus accipiendum modis: vnum, vt vniuersale sit, & principaliter principale: vndè in caeteris esse sit, alioque esse est caeteris quod est, omnium post vel generum vel specierum, atque huiusmodi caeterorum. Verum esse primum ita imparticipatum est, vt nec vnum dici possit, nec solum, sed per praelationem ante vnum, & ante solum, vltra simplicitatem,

Esse primum quale sit.

E

praeexistentiam potiùs quam existentiam, vniuersalium omnium vniuersale, infinitum, interminatum, sed aliis omnibus, non sibi: Et idcircò sine forma intellectu quodam auditur. Et prae intelligentia potiùs quam intelligentia accipitur, cognoscitur, creditur. Hoc illud est quod diximus viuere vel viuit, illud infinitum, illud quod supra vniuersalium omnium viuere est ipsum esse, ipsum viuere, non aut aliquid esse, aut aliquid viuere, vnde nec ὄν. Certum enim etiam quiddam est ὄν, intelligibile, cognoscibile. Ergo si non ὄν, nec λόγος, λόγος enim definitus est, & definitor: siue enim est ratio, siue existentiae ipsius potentia, siue res illae quas intelligentia accipit, vt vniuscuiusque sit ei esse: cognoscat quod non cognoscit, nisi animaduertat & capiat quae sint illa, quae praestant vnicuique substantiam, & hic λόγος, rerum per quem creata sunt omnia, vniuersalis potentia, continens vniuersaliter omnium res, praestans ad existentiam vnicuique sua & propria. Ergo quia sua vnicuique & propria praestat, definit, & determinat, etiam illud ὄν facit. Imponendo enim infinito terminum rebus ad existentiam sui vnicuique format rem, & Intelligentiam infinitate sublatâ subiicit. Est ergo in eo quod rerum est potentia ad pariendas efficiendasque existentias λόγος, ex eo autem quod definit, atque concludit vnumquodque formam tribuens, ὄν, est iam existens, cum fuerit eius quod est esse certa forma. Hoc cum ita sit, videamus an nullius primi, quod est esse, sit λόγος; Si dicimus Infinitum, si dicimus immensum, indiscretum, res quibus esse consistit, non capimus, non tenemus, ergo λόγος eius nullus est. Sed quoniam fieri non potest, vt sit quoquo modo & sine λόγῳ, suo sit hoc ipsum existens quod est, infinitus est, sine dubio ei λόγος, suus est, sed latitans, & occultus, vt sit in eo quod est esse ipsum λόγον esse, vel potiùs ipsum λόγος nihil aliud est, quam ipsum esse, hoc autem est quod dixi verè primum, illud & vniuersaliter vniuersale viuere, quamquàm vt docuimus, sit ipsum viuere, & vita, & intelligentia definita: nam potentiae τοῦ λόγου, etenim definitum quidnam atque formatum est: intelligentia verò & definiens, tamen quia ista intùs sunt, & in se conuersa sunt, omnia ἄγνωστα, ἀδιάκριτα, incognita, & indiscreta sunt: ita & Deus quod est esse, id est viuere, incognitus & indiscretus est, & eius forma, id est, vitae intelligentia incognita & indiscreta est, sunt enim ista nihil aliud quam esse quod est viuere. Quod cum infinitum, & forma eius infinita est, ibi manens, & nihil aliud quam esse existens: Cum autem foris esse coeperit, tunc forma apparens imago Dei est, Deum per semet ostendens, & est λόγος, non iam inde περὶ τὸ ὂν λόγος, in qua vita & intelligentia, iam ὂν quia certa cognitio & existentia, quae intellectu & cognitione capitur, sed quemadmodùm foris exierunt ista, & vtrum ipsa forma, quae intùs est emissa foras est, an seipsum eiecit? sed cum illa intus forma indiscreta & infinita sit, quomodo & in ea quae foris est, illa cognoscitur, an alia est haec? sed si alia, non ergo ab illa nata vel emissione, vel suâ motione: & si ita vt alia non pars, nec eadem nec omnimò ὁμοούσιος, & deinde vnde haec apparuit.

H

De altero ergo duo principia, an de nihilo, nihilum non est sub Deo τὸ ὂν. Deinde si Dei potentiâ vel voluntate extitit, non est nihilum Dei potentia vel voluntas: Etenim si omnipotens Deus, omnipotentia eius & causa omnibus, & ipsa existentia est. Num ergo quod reliquum est dicere audemus, à se orta haec forma est? & quomodo cum esset in Patre, inscio Patre, an iubente? si iubente, non ergo à se: an insciente? est ergo aliquid quod non potentiâ Dei fuit, aut est quod sine illo fuit, cum de λόγῳ: qui eius dicitur forma, ita dictum sit. *Per quem facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil.* Quid illud est? tantarum confusionum quae separatio? quae si non veritas vel vita est veritatis. Adsit Spiritus sanctus, quid inspiratum nobis sit, modo auditor attendat, purâ exponentes simplicitate pandemus. Interea vnum moneo, sine tempore haec accipi conuenire, ex aeterno semper nullo temporis principio, sed vt sit vnum vtrumque principium & generator & genitum. Primum in rebus

Ioan. 1.

Generationis diuinae explanatio.

aeternis,

A æternis, diuinis maximeque primis manentia quieta, & in eo quo sunt existentia, nulla sui per motum mutatione generarunt. Primus Deus, deinde λόγος, vel νοῦς, vel quicquid alter est, vel vterque, vt spiritus; vt viuere, vel vita, vt intelligentia, vel cognoscentia: anima verò sola mota generationes habet. Hæc omnia sic domus: τριδύναμον, est Deus, id est, tres potentias habens esse, viuere, intelligere: ita vt in singulis tria sint, sitque ipse vnum quodlibet trium nomen, quo se præstat accipiens, vt suprà docui, & iis multis: nihil enim esse dicendum, nisi quod intelligit: Triplex igitur in singulis singularitas, & vnalitas in Trinitate, ista verò tria progressu suo exponemus. Omnium quæ sunt, quæque esse possunt, aut esse potuerunt, existentiam, vitam, intelligentiamque pro rerum ac substantiarum captu, & participationes præstant, sortita sunt: Est enim in omnibus esse suum, viuere suum, intelligere suum, suumque sentire, vt sint ista vmbra vel imago trium omnium superiorum:
B ergo Deus cum sit, vt ab omnibus dicitur, vnum, & solum vnum: Nonnulli autem dixerunt Deum esse vnum omnia, & nec vnum: omnium enim principium, vnde non omnia, sed illo modo omnia. Istud autem hac de causa & primum quidem Deum, esse vnum & solum. Illa tria, quia non copulatione consistunt, sed existendo quod sunt ipso, & quod alterum credimus sunt, necessariò vnum, nec vllo modo alterum. Sed de hoc sæpè dictum. Quod vero dictum vnum omnia, & nec vnum, omnium enim principium, satis apertè dilucideque declarat, Patrem rerum omnium & principium Deum: qui cum vnum non est, magis omnia est: quia & omnium causa est atque principium, & in omnibus omnia. Quæ cum ita sunt erit Deus omnia, existens omniuiuens, omniuidens, & omniintelligens. Et quoniam diximus, confici ab actu potentiam: sic enim se prima habent, vt cum sint omnia à diuina energia, id est actus, & operationes, necessarium est, vt à Deo principio omnium potentiarum, vniuersalitet vniuersalium
C fons & origo nascatur: Iste namque rerum progressus est, vt cum omnia à Deo, potentiæ & actus à Deo, qui supra potentias & actus accipitur, orta hæc esse credantur. Verum cum à nobis dictum sit Deum actum quendam esse, quod est viuere, sed hoc viuere quod supra omne est viuere, & ex æterno, atque in æternum, viuere simul intellectu accepris, & eo quod est esse, & eo quod intelligere, sed sic simul, vt ne phantasia quidem copulationis sit: necessariò autem viuendi actu, vti docui, confitetur atque existit forma quam vniuersalem potentiam nominamus, per singula illa formata, quam ex omni existentia, ex omniuiuenti omniuiuentia, ex omniuidenti omniuidentia. Hæc singula potentiæ vt nota & determinata: Sed cum in vno omnia, vel vnum omnia, aut cum vnum omnia, vel nec vnum, nec omnia, fit infinitum, fit incognitum, indiscernibile, incognoscibile: Et quod verè dicitur ἀπειρία, id est, infinitas, & indeterminatio. Etenim omnium esse sit, & omnium viuere, &
D omnium intelligere, & id vnum, & sine phantasia alterius vnum: vnde nec vnum, quia omnium principium: vnde & ipsius vnius. Ex hoc cogimur iam necessariò & illa de Deo dicere, vt eius incomprehensibile sit & esse; & viuere, & intelligere, nec solùm vt incomprehensibile eius sit esse, viuere & intelligere vt nec esse quidem ista videantur quod ille supra omnia sit, quare & ἀνύπαρκτος, & ἀνόητος & ἄνους. & ἄζων sine existentia, sine substantia, sine intelligentia, sine vita dicitur: Non quidem per στέρησιν, id est, non per priuationem, sed per supralationem; omnia enim quæ voces nominant post ipsum sunt: Vnde nec ὄν, sed magis προόν. Eodem modo præexistentia, præuidentia, præcognoscentia horum quæ conficiuntur: Ipse autem præexistens, præuiuens, præcognoscens, sed hæc omnia apparentibus secundis & intellecta sunt, & nominata. Postquàm enim apparuit cognoscentia, & intellecta & appellata est præcognoscentia, eodem modo & præexistentia, & præuiuentia. Erant quidem hæc, sed nondùm animaduersa, nondùm nominata. Vnde & incognoscibile omne quod Deus est. Sed

Deus omniuiuens.

Vniuersalis potentia.

Dei cognomina.

Præcognoscentia Dei.

E quoniam tunc cognoscibile & habetur & dicitur, cum est cognoscentia: relatiua sunt enim, & se inuicem tenent, & pariunt, aut inuicem interimunt, nondùm cognoscibile illud non fuit, quia non fuit cognoscentia: Non quo non fuit illud, quod cognoscibile sibi fecit cognoscentia, sed quia erat quidem quod cognoscibile esse posset, non quo cognoscibile esset: quod tunc fit & accipitur, cum adintelligitur, quod & intelligentia esse possit. Hoc modo igitur & in Deo & esse poterat, & erat ex hoc cognoscibile, quia & esse poterat, ex hoc erat cognoscentia. Quid ergo ex his? Quoniam si hæc posteà nata sunt, fuerunt in Deo & si fuerunt; quia Deus vnum, & ista vnum, & id quod Deus, & ista vnum quia Deus. Ista idem ergo cognoscibile & cognoscentia, sed ita vt cognoscibile quod sit, hoc sit cognoscentia. Etenim cum virtus horum trium vna sit: esse enim nihil aliud est quam viuere, atque ipsum viuere intelligere, cum sit & intellectum esse, tota vis singulorum id eo est quod est cognoscere, vel esse cognoscentiam. F
Sed esse cognoscentia non potest, nisi sit cognoscibile: In his autem primis vbi quod est esse, id est quod viuere, & quod intelligere, esse cognoscibile non potest, nisi ipsa cognoscentia nondum apparens, sed se intùs tenens, manensque quieta, cessans, atque in se versa sibi se cognoscibilem præbens: cum enim ipsa cognoscentia lateat, atque apud se sit, forinsecùs in se intrans, sed naturaliter mersa in eo, in quo ei esse est manens, eius formæ est, vt cognoscibile esse possit cum excita cognoscentia velut egressa se circumspiciens cognoscentiam se fecerit, cognoscendo se fit cognoscibile suum facta. Hoc igitur, si fas est dicere, hoc inquam, modo illud primum, vnum illud solum, illud Deus, vel spiritus, vel spirans, vel lumen, vel luminans, vel existens, vel omniexistens, vel existentia, vel omniexistentia, vel viuens, vel omniuiuens, vel vita, vel viuentia, vel omniuiuentia, vel intelligens atque cognoscens, vel omniintelligens, omni cognoscens, vel omniintelligentia, G
omnicognoscentia, omnipotens, omnimodis perfectus, interminatus, immensus, sed cæteris, sibi terminatus & mensus, super omnia, & idcircò nullum de omnibus, ac magis ex quo omnia, ergo vnum & solum vnum: principium enim omnium.

Vnde non vnum omnia manens in se, neque in se, ne duo auditor accipias, sed ipsum manens vel mansio, quies quietus, quiescens magis, quia à quiescente quies, vt suprà docuimus. Vnde dictus est & sedere quasi in centro τῶν πάντων ὄντων, id est, omnium quæ sunt, vnde vniuersali oculo id est, lumine substantiæ suæ, quâ vel esse est, vel viuere, vel intelligere, in eas τῶν ὄντων, non versabili aspectu videt, quia & quies est, à centro simul in omnia vnus est visus. Hæc Deus, sed quomodo Deus Pater, & quis Filius, aut quomodo Filius, & posteà quomodo IESVS Filius omnium esse principium, ante omnia esse, est omnium esse, principium non tam quietam esse est, quam ipsam quietem esse. Omnia enim quæ H
genita factáve sunt, ex motu genita factáve sunt. Motus autem ipse, quo motus est, antequàm mouetur quies est, contrarius enim ortus contrariorum fiunt, ita vt contrario ortu contrarium vnde hoc ortum est pereat non esse vt ex vita mors, & ex morte vita. Item ex eo quod est esse, & ex eo quod non esse, esset. Et item ex quiete motus, & ex motu quies. Sed aduertamus acriùs, atque audaci intelligentiâ rerum vim, altitudinemque videamus, vt proposita ista sunt, si diligens circumspector aduertat, reperiet esse existentiam quandam & in his, quorum phantasia quadam est interire: namque cum vita sit cui adest esse, ex qua mors nascitur, est etiam morti esse, si ex morte nascitur vita. Itemque si ex eo quod est esse, efficitur non esse, necessariò erit etiam ipsum non esse, si ex eo nascitur quod est esse: itemque si cessatio est, motus esse cessationem necesse est, si motus nascatur: Quid igitur? nonne ortu contrarium contraria, aut mori, aut non esse creduntur? Videtur ita, sed contra est: nam vtraque manent, nec intereunt ab æterna substantiali suâ qualitate. Quomodo istud sit, dicam,

Relatiuorum natura.

Deum sedere in centro omnium.

Contrariorum ortus contrarij.

A dicam, adsit Deus, fiet facilior explicatio. Esse in æternis hoc est esse, quod viuere, quod intelligere. Sæpiùs hæc & diximus, & probauimus. Id autem esse ita est, vt sint ibi viuentes, intelligentesque substantiæ, has accipiamus pro modo existentium res tres præstare, & participatione sui cuncta retinere, & in noëtis vigere, sola esse simplicia, diuina, æterna: In mundanis vero & hylicis inesse quidem, sed carnalibus variis ac mortalibus sustineri: Hic ergo mors si est corporum mors est, & si plenior adhibeatur intentio, nec corporum, id est, in eo quod hyle sunt, sed horum corporum, in ea specie, quæ nunc est, effecta quodam interitu dissolutio: sola igitur corporis species dissoluta cum in elementa dispergitur, manent ac sunt vnde victura reparantur. Etenim cum in mundo & hyle sit, quæ elementis certis semper existit, & cum imagines illorum trium, hic quoque, id est, in mundo se præbeant, quid mors agit illa cum & in suis imaginibus æterna sint? Imagines dico potentias per omnia à lineis animæ defluentes. Cum igitur
B *Imagines.*
æterna sint ista, æterna & in hyle elementa, mors si sola composita soluit, nihil funditùs interit. Vnde rectè dicitur, quod ex vita mors efficiatur, quod ex vigore viuendi compositi cuiuslibet corporis fiat vsque ad certa resolutio. & rursùs in aliam compositionem iisdem cunctis fiat ex morte reparatio. Hoc modo & esse in mundo accipiendum, hoc modo hic & quies, & motus: at in diuinis, quia nulla sunt corpora, mors nulla, sed & vita alio modo, quippè illa principalis & vera, & idcircò ibi progressio non natalis, aut si placet, natalis magis apparentia & manifestatio. Item illa alio modo esse, & non esse, & alio motus atque cessatio, etenim Deus viuit, id autem est esse & intelligere, quæ ista vnum tria conficiunt, potentias tres, existentiam, vitam, intelligentiam. Sed quia illa tria vnum quodammodo sint docui: Vnum quodlibet tria sit, sic & ista tria vnum sunt, sed in Deo hæc tria esse sunt, in Filio viuere, in Spiritu sancto intelligere, ergo esse, viuere, intelligere,

Vita æternorum alia quā nostra.

C in Deo esse sunt: existentia autem, vita, intelligentia, forma sunt: actu enim interiore & occulto eius, quod est esse, viuere, intelligere: Intùs enim ita sunt & occulta, magisque supra esse, & suprà viuere, & suprà intelligere Deus est. Vnde & ἄνοος, vel ἀνύπαρκτος & item ἄζων ἄνους dicitur, præintelligentia quadam inuentus, & magis per formam suam cognitus, sed inhærentem & consubstantialem sibi. Et hoc est, quod in Patre est Filius, quod cum ita sit, idem Filius quod Pater, vnde & Filius Deus, quia hoc est forma, quia id quod est iis cuius forma. Etenim cum esse, viuere, intelligere Deus sit, forma autem sit existentia, vita, intelligentia. Ista me dicere sic accipias velim, vt supra ista sit Deus. Quod si ita est, fit idem forma quod substantia: Eodem enim modo valent & sunt ista habentia vel existencia esse, viuere, intelligere; ita cum duo λόγοι sint, vnus per quem vnum quidque sit: alius per quem quomodo sit: tamen quia eâdem vi habet quomodo & quidque sit, necessa-

Forma eadem quæ substantia.

D riò fit vnus λόγος, idem valente formâ quod substantia. Ergo si idem valet, & idem est forma, istius tamen substantiæ quod ipsa substantia, substantialis enim forma est, idem erit Filius quod Pater, aut neque Pater, neque Filius ante egressum foràs, sed vnum ipsum solum. Hoc cum ita sit, cum sit ei intelligere, & intelligentia, sit idem intelligentia quod vita & quod est esse: cum autem magis agendi virtus sit intelligere, quàm esse, quàm viuere, & cum hoc esse sit intelligere quod sit, & cum hoc sit viuere, intelligere quod viuat, necessariò sit intelligere vel intelligentia Deus est, cum intelligit Deus, seipsum intelligit, cum autem seipsum intelligit, non vt alter alterum, sit vt intelligentia ipsa se intelligat. Quod cum est, se esse efficit, atque in existentiam prouenit, fitque sibi quod est esse, atque eodem modo intelligendo existit & suum viuere, quibus cunctis à se natis, vel magis à se existentibus, ingenitus Deus est, existens ex ingenitis, quæ vnum cum sint, vnum & simplex vnus Deus est, & hæc est vt intùs intelligentia, quæ sine aliquo motu se intelligit, quippè quæ cum intelligit,

existit: & cum existit, intelligit. Et hoc est Deus, & vtique hoc ex æterno atque in æternum. Verum quoniam E
imaginem Dei Filium dicimus Dei, genita est enim forma, vt ab eo quod est esse, viuere, intelligere, gigneretur existentia, vita, intelligentia. Quædam enim in his forma est, per quam vt per imaginem intelligitur quid sit esse, viuere, & intelligere, necessariò per formam intelligitur Deus, nam ipsum *nemo vidit vnquam.* Ergo Ioan. 1.
forma Dei cum accipitur in Deo Deus est: cum autem intelligit se Deus, per formam se intelligit, sed & ipsa forma intelligat necesse est. Etenim intelligens, ac viuens existentia, cum nihil aliud intelligat, quam quod ista Deus sunt. Et hæc sæpè iam docui. Cum autem ipsa intelligentia intelligit quod sit intelligentia, necessariò enim sequitur, vt & se intelligat intelligentia, veluti existens à semetipsa se intellexit, fecitque se extra: quod foris est intelligendo, se, id est, motu suo. Vnde est hæc foris intelligentia, & hic est Filius, hic est νόος

Deus se per formam intelligit. Duæ intelligentiæ Dei.

natus Filius, quia alius à Deo, de Deo tamen, id est, de F
eo quod est existens, & viuens, intelligentia, quæ Deus est, atque intùs intelligendo se intelligentia foràs se protulit, atque extitit Patri, in quo & ipsa fuit, atque est semper imago existens per intelligentiam internam, quæ esse est atque existere, ac propterea imago imaginis genita. Duæ igitur intelligentiæ, vna intùs existens quod est illi esse: alia existens, quod est illi intelligendo esse. Hæc foris, hæc Filius: Quoniam verò intelligendo se intelligentia Deum intellexit, vtique intelligentiam internam, illa autem Deus est, intellexit & verum esse, & verum viuere, & verum intelligere, intelligendo extitit & ipsa verum esse, verum viuere, verum intelligere. Etenim qui vnum intelligit, & habet vnum, & est vnum secundum eius apud se intelligentiam, sic ergo Filius, id est, intelligentia, intelligendo se genita, intelligentia intellexit Deum, & omnia illa quæ ingenita Deus sunt, & intelligendo πλήρωμα quærendo, & πλήρωμα intelligendo, vnde idem extitit quod pater. Etenim cum πλήρωμα Pater sit necessariò, χώρημα suum habet infinitum, licet G
& sibi finitum: vbi πλήρωμα suum tenet & capit, eodemque modo Filius recipiendo & quærendo: hoc est enim recipere χώρημα existere, intelligendo autem totum quod Pater, πλήρωμα extitit genitus, & ipse totus ex toto: & quia intelligentia est intelligens intelligentiam, cum lumen rerum sit intelligentia, existit, lumen ex lumine: & quia intelligentia vtraque, verum lumen ex vero lumine. Itemque cum Deus sit intùs intelligentia, ista intelligendo se intelligentia Deus ex Deo est, ὁμοούσιον ergo in omnibus, in eo quod est esse, & viuere, & intelligere: Item in eo quod vterque χώρημα & πλήρωμα est: item in eo quod imago & imago, dictum est enim ad imaginem nostram. Et in eo quod lumen & lumen, & in eo quod verum lumen, & verum lumen: & in quod Spiritus & Spiritus: & in eo quod motus & motus, sed Pater motus quiescens, id est, interior, & nihil aliud quam motus, non motione motus: Filius autem motione motus est, vterque tamen motus: Item H
vterque actio & opera, vterque vita, & vterque à se habens vitam, voluntas & voluntas, eadem virtus, sapientia, verbum Deus, & Deus Deus, viuus, & Deus viuus, ex æterno & ex æterno, inuisibilis & inuisibilis: nam dictum à Matthæo: *Nemo nouit Filium, nisi Pater, neque* Mat. 11.
Patrem, nisi Filius.

Simul ambo: hoc enim significat ὁμοούσιον, præter eandem οὐσίαν: Hæc cuncta illo pleno intelligi possunt: *Omnia quæ habet Pater, mihi dedit.* Et, *Omnia quæ habet Pater, & ego habeo.* Omnia, inquit: si omnia, ὁμοούσιος Filius Patri: Idem ergo, & si idem, par, & si par, rectè Paulus de Filio Dei IESV CHRISTO dixit: *Qui cum esset* Philip. 2.
in Dei forma, non rapinam arbitratus est vt esset æqualis Deo. Multa hic diuina & magnifica mysteria continentur. Primum quod Christus forma Dei est, in quo ostenditur omnia habere quæ Deus habet: hoc enim est quod & imago dicitur, sicuti de ipso dictum: Qui est imago Dei. Habet igitur & Deus imaginem suam, & Filius imago Dei est, etenim si dictum: *Faciem Dei nemo vn-*

Multa mysteria Paulus breuissimis versibus cōplexus est.

quam

A *quam vidit.* Et dictum: *Posterganea mea videbis:* Est sine dubio facies Deo, est Filio, vel potiùs est & Filius imago Dei, vt dictùm est: *Qui cum in forma Dei fuisset.* Vnde iure dictum: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Est ergo Filius, & si alter, est: non enim idem Pater idem Filius: illis rebus omnibus suprà à me positis idem, idem autem, hoc est, eadem habens existentia sua propria. Vnde & idem, & alter, etenim cum hic dictum: cum fuisset in forma Dei, vtique aliud accipiendum quod forma est, aliud Deus. Sed videris, sit calumniæ locus, vt forma Dei sit in ipso Deo forma, vt sit vna & indiscreta substantia. Quid sequentia quemadmodùm intelligemus? *Non est arbitratus rapinam se æqualem Deo.* In sua existentia positi est se cum altero
Philip.2. credere, vel dicere æqualem. Quid verò illud, *se exinaniuit, & formam serui suscipiens?* De Christo accepimus, quod mortuus est, an de Deo? At nullus dixit vnquàm. Deinde cum dicitur de Patre, qui Filium
B suum excitauit à mortuis, nonnè satis clarum est; alium esse Patrem, alium Filium? alium esse suscitantem, alium suscitatum? Ergo forma Dei. Aliud forma, aliud Deus est, & est quidem Deo forma, sed Filius Dei forma in manifesto, Dei vero in occulto: sic enim omnia & existentia, & vita, & cognoscentia Dei intùs in occulto, Filio in manifesto, sic cætera χώρημα, πλήρωμα, imago, lumen verum, veritas, spiritus, motus, actio, operatio, vita, & à semetipso vita, voluntas, virtus, sapientia, verbum Deus, Deus viuus, & cætera alia omnia. Sed hæc veluti foràs, & in manifesto, illa in se atque circa existentiam, vel ipsa potiùs quod est existentia: hæc autem in actu agente quod est in manifesto. Postremo hæc omnia Filius habet, sed Patre dante, quod vehementer expressum in eo, quod cum Filius habet à se inquit, sed adiunxit: Pater ei dedit vt haberet à se vitam. Vera igitur imago, atque existentia in omnibus eadem, sed Patre dante, ergo ὁμοούσιον & Pater & Filius, sed Patre dante. De eo enim quod diximus Patrem esse, vi-
C uere, intelligere, existentia genita est, vt vita, intelligentia: & hæc est Dei forma, hæc est Filius: sed Filius cum in Patre est, vnum totum intùs, Deus agens, operans, se vtens, se fruens, fons atque in se plenitudo omnium. Sed quoniam, vti docuimus intelligentia vi potentiæ suæ, necessariò dum in semet sese vertit, intellexit semetipsam, hoc quodammodo gemina facta, velut intùs & foris Filius est, genitus ab existentia Patris: nam existentia est intelligentia, quæ & vita est: apparens ergo & existens est Deus de Deo. Et quoniam in quolibet vno de tribus cuncta sunt, esse, viuere, intelligere: cum intelligentia intelligentiam genuerit, genitus est Filius, & omnia habet Filius quæ Pater, & habet à Patre. Item quoniam hæc omnia sunt per quæ creantur omnia: quæcumque enim sunt, accipiunt suum esse, suum viuere, suum intelligere, Filius cum hæc omnia sit, quippè imago Patris, & actu actuoso sit, id est, vt hoc præstet cæteris pro natura existentium, est necessariò vniuersis totisque cunctis λόγος, id est, vis & potentia, per quam, quæ sunt vt sint esse prouenit, per quem Deus fecit & facit omnia, & sine quo nihil fit. Hoc appellant

Filius est quadam à seipso faciat refert tamen ad Patrem

D alij motum actiuum, verbum, rationem operantem. Quoniam tamen cum operatur, inest in illo vis patria, in se operatur, vnde multa ita dicuntur, vt cum ipsius sit quod faciat, tamen ipse in Patrem refert omnia, vt:
Ioan.6. *Pater me misit.* Et: *Non meam, sed Patris facio volunta-*
Ioan.5. *tem:* Et mille talia. Attendamus tamen istum locum, in-
Phil.2. ueniemus quasi ipsum per se facere, vt suâ sponte; *non est arbitratus rapinam se æqualem Deo.* Et item: *Se exinaninit, & formam serui sumens,* qui habebat dominium. Ista omnia sunt suâ voluntate facientis. Sed potest credi ipse facere, cum in ipso Pater sit, ex quibus sunt & illa:
Ioan.10. *Ego do vitam in æternum.* Et: *Ego sum ianua, ego vita,*
Ioan.14. *ego veritas.* Item: *Sicut enim Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & Filius quos vult viuificat.* Hæc vera, hæc varia, & in omnibus magis vera intelligentia facit & Filium in Patre esse, & in Filio Patrem, & tamen vt Pater, vt alter sint & vnum, tamen duo sint, quoniam au-

Pater vt fons ad Filium veluti flumen.

E tem alter Pater, alter Filius: quippè cum Pater Filij fons, Filius vt flumen, quod excurrit ex fonte: in fonte autem vt manens aqua, & quieta est, pura, immaculata, sine scatendi specie, sibi occulto motu apertiore per diuersa discurrens, terrarum quas sulcat qualitatibus & afficitur, & quodam modo patitur, sic & Filius aquâ suâ, suaque substantiâ, quæ Patris est, semper purus, immaculatus, impassibilis, regionibus per quas discurrit, locisque, vel supra cœlestibus, vel cœlestibus, vel intra cœlestibus, nunc spumat, vt occurrentibus saxis, quæ sunt ex generibus animarum campus quietus excurrit. Recipit igitur passiones, non in eo quod substantia est, sed in actu atque operatione: Nam cum mysterium aduentus sui compleret, tum iam passionem sustinuit, vt se exinaniret, vt personam serui susciperet. Sic & reliqua, in quibus omnibus actus est & operatio. Quanquàm & in primo existentiæ suæ actu sicuti in multis libris docuimus, passio extiterit recessionis à Patre, vnde tenebræ, id est, hyle consecuta est, non creata. Sed hæc ple-
F niùs alibi. Nunc quid assertum est, quid probatum? Deum Patrem, Filium Deum ὁμοούσιον esse, esse tamen & Patrem in substantia, & Filium in ea quidem substantia, sed sibi existentem actum agente in actu passione extitisse, nunquam separatum à Patre, ex æterno & esse, & fuisse, & futurum esse. Actu, quia intra naturam agendi est, & cum Patre, vel in Patre esse, & extra hoc dici, & intùs & foris cum ipse agat, quia de Patre ei actus est, Patre agente agere dicitur, & tamen omnia Patrem per illum agere dicitur, hunc esse λόγον omnium, & vniuersaliter vniuersalium, & generum, & specialium, & particialium λόγον. Et quia omnium & incorporalium, ergo & corporalium pro sua vi ad id quod esse possunt, vt sint λόγος, vnde & mysterij ordinatione nouissimis sæculis λόγος, quia omnium existentium adumbratâ per Spiritum sanctum Mariâ Virgine incarnatus est ipse ille, quem suprà demonstrauimus, Filius, eodem modo vt esset in corpore, quo Spiritus sanctus in nobis, non totus: nam
G vt Deus vbique est, sed vt pars eius: omnium enim diuinorum pars hoc semper est, quod est totum, vt est anima in corporibus, vt virtus ac disciplina in animis, vel sol aut eius lux in oculis, ipsum autem λόγον, ipsumque illum quem demonstrauimus Filium, fuisse in corpore, omnia Euangelia declarant, Apostolus omnis, omnes Prophetæ. Cùm enim prædixerunt futurum Christum, in carne futurum prædixerunt, quippè cum ante in carnem dicant & visum, & apparuisse, vt Abrahæ, vt Iacob. Et
ipse in carne dixerit: *Abraham vidit diem meum, & gaui-* Ioan.8.
sus est. Et Apostolus, in sacro isto, ac mysteriis pleno loco, declarat maximè Filium Dei ante carnem, & ipsum
posteà sumpsisse carnem: *Hoc enim sentite in vobis, quod* Phil.2.
& in CHRISTO IESV, *qui cum in forma Dei constitutus fuisset.* Vtique hoc quando ante carnem fuit, ergo & ante carnem & fuit qualis & quantus. Forma, inquit, Dei. Quid istud est, forma idem quod Pater. Quid est forma? in qua Pater cernitur. *Qui me videt, videt & Patrem.* Vtique non in eo quod videbatur, sed in eo quod ipse Deus diuina substantia, λόγος, vita. Hoc igitur fuit
ante carnem: namque quid, adiungit? *Non arbitratus* Ioan.14. H
est rapinam vt esset æqualis Deo. De se ergo cogitat, & de Deo, facit igitur vt non sit æqualis, sed fuit. Quid deinde adiicit? *Sed se exinaniuit.* Quid exinaniuit? aut vnde, si
non fuit? Adiicit adhuc: *Et serui sumpsit formam, in simi-* Phil.4.
litudinem hominum factus, & habitu inuentus tanquam homo, humiliauit semetipsum, subditus factus vsque ad mortem, mortem autem Crucis; Quid hic non ex omni parte declarat IESVM CHRISTVM & Filium Dei? Nam sic dictum: *Deus misit Filium suum* & missum suæ potentiæ, ac suæ etiam voluntatis arbitrio cuncta facientem, vt se nollet æqualem, vt se exinaniat: vt induat serui formam: fuit ergo qui fuit Dei forma, fuit qui se exinaniuit: is autem ipse est IESVS, qui sumpsit imaginem serui, & inuentus homo est, qui se subdidit vsque ad mortem, vt designetur plenius IESVS CHRISTVS, vsque ad mortem Crucis: Hæc viris fidelibus satis probata sunt, & ante carnem fuisse, & in carne eundem Filium fuisse, illum

qui

A qui ante sæcula est genitus, illum qui ascendit in Cœlum, & inde descendit, illum qui nobis de Cœlo panis est: illum qui in carne dicit: *Redde mihi pater honorem meum, quem habui apud te.* Vtique supra Cœlos, & ante carnem, illum λόγος est, & in principio λόγος, & iuxta Deum λόγος, & qui λόγος Deus est, & *per quem λόγον facta sunt omnia, & sine quo factum est nibil*; illum *qui illuminat hominem in hunc mundum venientem*: Illum qui λόγος *caro factus est*: Audisti in principio λόγος, audisti quod λόγος ipse caro factus est: Audi quod ipse Dei Filius sit, & de Patre genitus, sit illa quam diximus supra generatio. Dicit Euangelista: *Deum nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus solus filius, qui est in sinu Patris.* Meliùs autem dicemus græmio. Græci ἐν κόλπῳ, id est in gremio. Sed vel hoc verbum, vel illud significat & genitum Filium, quod est foris esse, tamen cum Patre esse, cum dictum est: Quid est in sinu Patris. Omnibus lectionibus ita esse diligens & fidelis quæsitor intelliget. Iam vero Spiritum sanctum alio quodam modo ipsum esse IESVM CHRISTVM occultum, interiorem, cum animis fabulantem, docentem ista, intelligentiasque tribuentem, & à Patre per Christum genitum, & in Christo: quippè cum vnigenitus Filius Christus sit, multis nos libris exposuimus, & quod exemplis plurimis approbauimus, satis clarum est. Hoc modo atque hâc intelligentiâ vt Pater & Deus cum Filio ὁμοούσιον, & Filius quod ipse vita est cum eo. Quia autem ipse intelligentia est Christus, & Spiritus sanctus ὁμοούσιον intelligitur: Vnde iuncto Patri Filioque accepro, quod sit idem quod Spiritus sanctus, eo quidem modo, quo Filius idem est quod Pater, ita tamen, vt quomodo Pater & Filius vnum cum sint, sic tamen Pater sit etiam Filius existentia vnusquisque sua, sed ambo vna eademque substantia, sic Christus & Spiritus sanctus cum ambo vnum sint, existit tamen Christus suâ existentiâ, & Spiritus sanctus suâ, sed ambo vna substantia, ex quo omnes, id est, tota Trinitas vna, atque eodem modo iuncto Patre cum Filio, Filioque cum Spiritu sancto. Atque ista

Ioan.17. Ioan.1.

Filius in sinu.

B

C ratione Patre cum Spiritu sancto per Christum iuncto, singulis quidem existentibus vnum omnis Trinitas sit, atque existet illud ὁμοούσιος, cum sit omnibus vna eademque simul ex æternitate substantia. Hæc nobis salus est, hæc liberatio, hæc totius hominis plena saluatio, sic Patrem omnipotentem Deum credere, sic IESVM CHRISTVM Filium, sic Spiritum sanctum, Amen.

FABII MARII VICTORINI AFRI V. C. Ad Iustinum Manichæum Liber contra duo principia Manichæorum, & de vera carne Christi.

D LOQVI ei, qui iam olim multâ lectione, continui laboris vigiliis indefessis, tenuerit quid ad fidem legis debeat confiteri, errantis est, Iustine, sed amantis. Vnde ergo malui, quanti te habeam, pandere: & libenter accepi id me apud te laborasse, vti præintelligeres adhuc tibi esse requirendum quod Manichæus, & vt is Andræas actibus eloquitur, atque Thesauro reuelauit. Quo ego conuentus attentè disquiro verè hæc diceres, necne: diuersa contrariaque nobis ab vno esse principio, differendum habens pro voto, eadem non abnui respondere. Volo autem faxis, frater, operæ esse pretium hunc laborem. Libellum frequenter relege destinatum, & ipse voluendo quæ dicuntur altioris inquisitionis secretò penetra vel indaga. Vincit enim verba visus interior, & abditum immensæ etiam ipsius mentis suspiciones fastigat & cæcat: quibus cùm piè & reuerenter quæritur, delectat potiùs quàm terrere intelligitur. Namque homo vterque victurus, cùm vnum principium esse sanctæ mentis intentio percontatur, caroque hæc nostra, quam abditis cum herbis & graminibus quæ diligitis, vnum eundemque suum, ac totius mundi, prout sibi est agere, veneratur auctorem. Admirans autem ego ipse, & obstupescens pertinax tuum consilium, quod carnem oderis, & gramina venereris, nondum scio verùm hæc ab

E vno an diuersis fatearis. Quòd si ab vno dices, in quid incidas vides. Si ab altero, incautum est alterius propter alia laudare factorem: suum verò propter ea quæ in se sunt arguat & obiurget. Sed ne hæc dicendo increpem potiùs quàm respondeam, si monetur, post dicentur: modò accipe quæ quæsisti. Valere & licere nobis quærere de his quæ vltra nos atque mundum sunt, cùm pænè ipsi nobis simus incogniti, amens est & insanum: verique periculi ambigere, vnde & quomodo, vel à quo sis, cùm esse te & cum carne haberi non audeas dubitare: videasque perspicuè in mundo te degere, & tui conditoris ope, cùm ei es tamen obtemperans, liberari: habeasque confessum quòd saluator vnus sit, & quòd ab vno factore sis paucas confiteri: diuidens quidem alterum factorem car-

F nis, animæ alterum conditorem. Dicimus igitur hæc imaginantes quòd mundo vterque dominatur, & facturam suam in homine custodit; insistens pariter ne dispereat quod de suis regnis quisque perfecit. Respuit hæc sol præclarus, & casta Virginitas, atque gloriosus syderum chorus, totiusque mundi omnis hæc fabrica refutat atque abiicit, originem sibi à duobus diuersis & duobus ingenitis obuenire. Violarut enim profanis sensus nebulis, si tantus splendor fulgoris immensi antiquioribus tenebris atque earum parte consistat. Sic enim contingit vt ex ipsis Sol sit, si de duobus principiis omnis mundus, vt esset, accepit. Planè quia nostrum non est in his intelligentiam detinere, atque in hac sensus peregrinatione consistere, fugimus & horremus eum, cuius etiam ipsi victores sumus, à se esse confiteri. Denique capias desidero quale est dicere carnem absque eo esse à quo exordium cuncta sumpserunt, eamque in regnis superioribus habitare, vbi est illa virginitas memorata, gloria, lux prædicata, quæ quia in Christum inde descendit, ibi non esse non

G potest æstimari. Inde enim est Christo habere carnem, cùm de Maria dicere tua non patitur veneratio. Dicemus ergo ab altero esse quod Deus sumpsit? Quid agendum erat sumpturo, si non qui est conditor fabricaret? Ac si composuit, numquid est digna mereri? Hic, vt video, laudatur inuentor & conditor, si in ea dignata est æternitas habitare. Si autem alia illa caro quæ in Christo, non tamen antiquior, & Deus factor posterior inuenitur. Si antiquior, cur ipsa in mundo non est, & cur in Cœlo est, vbi carneus nullus est? & si ipsa in mundo non est quæ in Christo, vnde in regnis alienis externi oris obuenit creatura? aut vnde hic animæ copulatur? aut quare valet tam frequenter sibi animas captiuare, vt pænè plus potens in regnis pareat alienis? & quid laborat auctor interioris hunc interiorem è carne liberare? aut cur vnde liberandus erat eum vt clauderetur admisit? Certè totum hîc quod mundus est regnum est veritatis & lucis, & qui factor eius est dominatur. Si in hoc omni proprio sibi

H regno vnum est alterius quod caro dicitur, hæcque sola tantùm possit & valeat, vt impulsu eius anima iactetur fluctuans & fatigata languescat, quantus in suis regnis esse possit qui factor carnis est intuemur. Si enim hoc regnum quod mundus omnis est, eius esse capiamus, à quo carnem credimus ministram eius, dicemus Solem, & illum chorum, ac Virginem singularem, è latebratum fonte claruisse. Quod ego quidem libens amplector, & elatâ lætitiâ gaudeo profiteri vnum his omnibus creditorem, eumque quem lucem esse, & veritatem, atque totum haberi fas sit, piæ inquisitionis secreto causâ curæ penetrantis agnitum venerari. Ita habere exultantis animæ recordatio eleuat sensus, & omnes curas spiritus fluctuantis festis rationum causis origo melior consolatur. Quicquid sæcula dicuntur, aut regna numerantur, vel mundi habentur; quicquid omni prisco priùs anteuenit, vnum esse, existere singularem. Quodque immensum haberi ex eo colligitur, quòd totum sit, sed vnus dicatur. Aliter qui-

A dem, Iustine, quod ipse est, aliter quæ ab ipso. Quod ipse st, vnum est, totumque est quicquid ipse est, quod verò b ipso est, innumerum est. Et hæc sunt, quibus repletur omne quod vno toto clauditur & ambitur. Verùm quòd variè sunt quæ ab ipso sunt, qui à se est & vnum est, variis eum conuenit dominari. Et vt omnipotens appareret, contrariorum etiam origo ipse debuit inueniri. Idque planè iam illius syluæ est, quæ omne lignum materie discreuit specierum arborum genere dispar atque dissimile, & tota tamen sylua ac pœnè discreta confusio, in innumeris millium millionum materie lignum esse conspicitur & videtur, & non tamen natura denotatur. Hæc similitudinum esse quæ decreta sunt, atque quæ ab altero vt essent eis contigit prouenire, mecum & tu intuens recordaris. Illa verò, illa immensa & à semetipsis, ipsa carere similitudine, comparatione viduari, exemplo deficere nemo dubitabit, quo cogitur confiteri, & ad id vrgetur arctari nostræ intentionis ingressio ad illa excelsi B abdita indefessis finibus meantia, ad secretius secretorum penetrare venerandum rerum, sola quidem quantùm tamen valet naturâ, quantùm sermo sufficit fari, aggredi, attingere, vel temptare. Et ideò immenso quid erit simile iam requiro. Dicito si vales qui comparationibus fidem largiens consecutum te credis per imaginum vmbras veritatem. Sed vt video deficis non tu, Iustine, rebus, quàm tibi res. Atque si, vt aisse soles, & nunc dicis aliud regnum, numquid hoc est aliud nescio quod regnum quod & immensum? Sed non video conuenire vt immensum dicatur, si esse & alteri non negatur, vbi enim incipit esse alteri, illic deficit finis alterius, & neuter est infinitus. Quòd si ita est vt finitum sint, à quoquo ipsorum esse respuo vel abutor. Tamen quia ab altero sumus, & mundus à se non est, quique quantúlvis sit, est tamen finitus, si non cæteris, vtique vel factori, adeò infinitum factorem eius sacrosanctum est confiteri. Ergo omnia quæ in mundo sunt, ea quæque sunt quod ipse mundus est, ab eo esse principio intueor & cognosco, quod vnum C & solum à se ipso in se sibi est, quodque immensum totumque infinitè porrigitur, & eò meat vt non sit atque deficiat, vbi alteri esse sit vel existere, aut haberi aliud nequit esse quod tamen externum sit vel diuisum, fiatque æmulum, aut consistat inimicum, quod in suis positum & commanens vinci recipiat, & pòst captiuetur, atque intra victoris regna adsit attractum, translatumque ibi esse desinat, cesset vbi ei esse fuerit ante bellum. Certè si in eo adhuc est, adhuc superatum non est, ac si est, fortè reparetur, quoto id numero fiet? quantis sæculis pugna ista durabit? quando cessabit? extinctus aut si iam victus est, in suis non est & vsquam est? quin imò ei esse iam desit & cessat. Ita & omnia quæ eius erant cum suo fonte perierunt, atque sublata sunt. Si perierunt, nulla eius vnquam sunt, & caro quæ est non eius est, sed illius qui vicit potiùs. Tu fortè malis victorem istum trophæum sibi ad sua regna vexisse ex his aliqua quæ, qui victus est, possidebat. Esto licet sint hæc, non tamen inimica sunt, quæ manubias qui vicit abduxit. Inimicam D tu verò carnem Deo adhuc hodie confiteris. O ignauiam triumphantis! ô otium verberati! ô læsi totpotem! ô lacessiti pigras vires! ô Domini auctoritas conquiescens! Captiuis tuis in tuo regno fatigaris: & qui vincere bellando valuisti, assuescis parcendo superari. Habeantur tali ordine quæ prima sunt, & longè retrò antequàm mundus est errores colligat ista suspicio. Certè à se vtrumque ais, quos bello coïsse commemoras, par his virtus est, quibus à se origo & vna æternitas reperitur. Audeam hîc ego alterum dicere meliorem, atque maius esse in altero suspicari? nonne incido vel incurro, & æterno ipsi, quod vnum semper est, reus constituor & addicor? Habendo quod æternum est superari, & quod à se est vnum esse non paucam profiteri, atque quod omnipotentem fateamur, alicui non aliquando asseram dominatum? Cæca res & omni obscurius tenebroso panditur sacrilegi erroris. Cura dementi fando victum esse quod à se est, vt & victorem qui à se est metus exagitet captiuari, quod est ingenitum subiacere. De oppressi ergo

E regnis se victor auxit omnipotens, & quod ingenitum percontaris, promis abolesci vel auferri. Quin & erit à se esse quem sequitur non futurum, cùm victoris succumbens virtuti aut occidet, aut ducetur. Deinde quem dicemus suis non fuisse contentum, vt pugna quam memoras oriretur? lucem an tenebras? Si lucem, eguit tenebris, & delectata est retrò. Vbi est quod habetur omnipotens, quod intelligitur totum, si in eo aliquid non erat, quod extrinsecùs erat, & aliis regnis habebatur, & sibi erat veritas, qui quidem erat, quod adhuc omnipotentis dominatio non habebat? At nunc mouisse bellum tenebras opinemur, & statuamus vmbram fulgoris ingeniti existentem suis propriis solidis conspirasse. Si lux illa ignis est, tenebræ ad incendium conuenerint, vt earum solidum, quod ipsis erat, ad conflictum veniens extrinsecùs vreretur. Sin autem inanes sunt, & ideò non vruntur, vbi rogo est coire solidis cum inani? Hæc sentire, atque meando sensu ad tam interna venisse, planè audax est & F vesanum. Imaginari conflictum inani cum solido, profundo cum excelso, finito cum infinito, cum luce tenebris, falso cum vero, & quantillo cum toto? Non patior, si frater, hæc dissonantia pari modo exorta condicere, atque ea æternitate memorare & ita locare, vt vtrique his esse sit, sed esse vni ei tribuo, qui à se est, alteri verò asserens non haberi velim. Namque ista si respuis, edoceas quæ substantia sit inani, quid exterius infinito, quid æterno antiquius, quid toto tantumdem, vt capiam id esse & te haberi, & duas rebus origines non negabo. Hæc si aliquis Indus eloquitur, aut Persa commemorat, suæ genti præcipiat, suo cardini consenescat. Est enim illic aliter diuina sapere, quibus est aliter vti iure. Tametsi natura homines sint: tamen vt separantur sermone, sint & ratione discreti, nec aliter habeatur de talibus, quorum aliter & & corpus alitur, aliter aptatur habitus, aliter species limatur vsu sumendi, aliter retinetur, forma altera etiam plerique nascuntur, & quod loquor sint gẽtes innumeræ. Iam vidisti ne ergo quot Manis, Zoradis, aut Buddas hæc docendo decepetiur? ad quærenda reuocemur. Quod su- G mus, Iustine, ab eo sumus qui omnipotens est, & à se existens constitisse perspicitur, cui in quod non sit non esse est. Adeò nec obuenit esse qui & prælium commoueret. Verùm quod duæ habentur species, hæque contrariæ vel diuersæ, boni malive, solidi & inanis, excelsi & profundi, veri & falsi, lucis ac tenebrarum, æterni & temporalis, vitæ & mortis, & omnium contraria, non à duobus esse principiis rerum ordo edocet & reuelat. Nam si duo æterna intueri, eaque inimica adnectere sit sentire, hæc tenuisse subeuentus est. Ipsa principia collocasse, & formidinis trepidæ anxio pauori ingenita tradidisse, cùm pugnatura regna tristis cura vexaret, Parthis licuerit fortasse, qui euentus bellantium fuerint, fabulari: quæ conditiones pactaque conuenerint, qui finis compressetit bellum, quem Dominum constituit è duobus securior casus. Sed quia vtrum tractatur, ingenito & victori, vt video, sit periculum, ergo, frater, vincitur quod à se est, & quod sine initio est, finietur & non erit, aut iam finitum est. Euasi, H respiro, non est alter qui meus factor dicatur, aut si adhuc petite & manet, in suis habitat regnis, & ipse meus in hoc mundo non erit factor, isque mihi est conditor, qui & opifex mundo, à quo casta Virginitas, gloriosus sydereum chorus, sol præclarus, Cœlo sunt constituta, aut supernis, vt aisse soles, nauibus collocata. Itaque exultemus ouantes, iam non peritura caro gratulare, à tuo enim Christo es saluatore, siue cùm in Adam es & Maria, seu cùm in superioribus sumpta vasa æterni esse meruisti, iam non spe promissionis desolata, imis detrusa, defluis consenescens, iã crucis pretio restituta immortalitatis gloriâ vestieris. Et hoc dignũ est eã, quæ totũ quod æternitas est & immensũ emeat, intrata cepisti; hîc enim iam delectat Babylonis magos ac Ctesiphonticos cantatores secretorũ suorum notare mysteriis, quorũ posse est carmini nunc suscitare spiritus, nunc vocare. Melius verò est, & planè diuinũ, nostri Saluatoris carnẽ sepulchris obrutam suscitasse. Non enim ambigit quispiam mortuum fuisse quod potuit sepeliri, & si carni desuper veniẽti vulnerum mors

A inhæsit, in Christo caro nostra resurrexit. Quid tamen causæ erat carnem sumere, si non ipsa leuabatur? Sed si alia illa est, mortalis certè est quæ recepit occidi. Hoc immensum & inæstimabile, hominis habitasse membris, nisi æterno esset, non esset omnipotens, hoc eodem in æterno esse quæ contraria dicuntur agnosce. Eidemq; mori fuit, cui pater ingenitus, & ætas & æternitas inuenitur: & vt omnipotens verè noscatur, nasci de Virgine non negatur. Quid iam sit quod omnipotens est, æternum, infinitum, totumque, quid quod immensum & excelsius cuncto summo sit, & sublimi, à quo omne quod rebus est, manet ac veniat, aduerto commonitus dicente omnium saluatore, qui se filium docens, patrem sibi esse dignatus est indicare, quem Deum pandens, omnia ipsum esse etiam admiratus IESVS, quantum mensura mundi meruit, reuelauit. Ob quod vnum & solum principium Deus est, & Deus solus veritas, atque ipsa veritas lux est, & lux semper æterna, omneque quod verum est, solidum B est, & semper est, atque perspicuum perseuerat & manet. Quod autem à se verum est, nunquam vincitur; quod solidum est, inane nihil habet; quod lux est, tenebras non admittit; atque eas nescit; ac si admittit, & in eam veniunt, sibi esse desistunt; magis verò aliis non sunt, quæ sibi esse cessarunt. Sin autem adhuc in suo sunt, extra hunc mundum sunt, & cum his adhuc confligitur, estque incertùm an superentur, an verè pereant aliquando. Quòd si adhuc ambigitur, etiam mundus, aut caro, in eo non vt ab altero esset accepit: sed de eo illi obuenisse est, à quo & præclarus Sol mundo minister est constitutus. Imaginans namque tenebras id esse quod malum dicitur, capies & intelliges, non quidem accipiens ita esse dari tenebris, vt luci esse habetur & lumini: sed ita quod ex actu alterius, qui verè est, efficitur vel apparet. Est enim in rebus tam supernis, quàm aëris, atque ex his ipsis nostris, quod ex actu alterius vt esset, inuenerit, vt ex radio solis calor, ex flatu venti frigus, quod ligat amnes, quod scindit terram calore. Terra ergo ar-C dore solis aperitur, amnium fluenta ligantur gelu. Hæc quidem ita aduertenda, alterius actu aliud effici, vt in his quæ sunt videre sit, quod in eis qualitate non inest, ex actu alterius inueniat oboriri. Aliter verò est quod è re æterni quæ est quod totum est alterius se datur euenire. Sunt enim tenebræ non sistentes, non solidæ, non penetrantes: sed inane quid quod luce depereat, & esse sibi non habere cum illa resplendet. Contigit enim his non esse lucis actu, quia ipsæ substantia non sunt, lucis substantiâ recipiunt deperire. Si ergo est tenebris à lumine deperire, ab eodem illis aduenit apparere, eo modo vt profundo obuenit ab excelso, atque nihilo à toto. Nam cùm totum æternus sit, tamen & nihilum est quod nulla substantia vsquam est. Excelsum enim est, sed profundum eius est, nam si excelsum non sit, profundum non potest apparere. Solidum si nescias, inane non perspicis. Sunt ergo quæ substantia sunt, sunt & quæ non suâ substantiâ vtentes sunt, quia illa sunt quæ substantia sunt, ex his D apparere illis obuenit quæ substantia non sunt, vt pruinæ, vt gelus, quæ apparent, sed quia substantiâ suâ non vtuntur, & ex actu frigoris illis esse obuenit, fluescunt & soluta depereunt, & glacies tamen ex aqua est, sed aëris rigore constringitur. Duo ergo video aquæ esse, liquorem & gelum. Igitur substantia quod est, liquor est; quod autem ei actu obuenit, eius ipsius sit in glaciem quod gelascit. Sed quia glacies ipsa substantia nulla est, deperit & aufertur, & tamen aquæ liquor manens substantia perseuerat. Et hæc quidem mundana sunt: quæ aut à creatore sunt, aut natura. Verùm illa superiora postrema, atque sine initio prima, quæ similitudine carent, comparatione deficiunt, quæ non imaginum exemplo formantur, quibus nihil par est, nihil prius, quibus vltra non potest æstimari, quæ eo solo comprehensa sunt, quod incomprehensa noscuntur, non ea causa vel forma actum habent, atque illa quæ dicta sunt, quæ mundus habet iste compositus. Sed vt eis est valere, quæ infecta, quæ ingenita, quæ infinita, quæ totum sunt, ita his esse perspice vel intende, vt sit vnum & solum quod

E omnipotens est, quod totius omne habetur, quod perspicitur infinitum. Hoc est & consistit, suique solido inuisibili extans dominatur & regnat, vtensque venerationis suæ admirandâ substantiâ illo diuino actu suo, quo aut motum est, aut immotum. Verumtamen id ipsum quod quidem est falso originem præstat vt totum. Nihilo enim, cùm totum est omnipotens, per eum obuenit vt & nihil appareat. Non enim omnipotens ita erit vt totum sit, si præter ipsum aliud quicquam nihil erit. Ergo est quod dicitur nihil, sed substantiam non habet: est & quod dicitur totum, & substantiam habet. Sed ei esse est, illi non esse est. Deus est ergo veritas, qui totum est, & infinitus consistit. Quia nihilum extra totum esse potest, rectè illud, Iustine, quod alocale intelligitur, & extra fines habetur, falsum dicitur: si tamen potest ratio aliqua admittere, vt finem vbicumque intelligas ei quem totum esse perspicis, & indagas. Etenim si æterno totum occupatur, nihilum vbi sit non habet, ac si omnipotens omnia est, nihilo esse eo modo tantùm intelligetur quod est, F quod extra totum est, non aliquid sit habeatur. Denique si omnipotentem ita metiaris, vt sit tibi & alius qui non sit omnipotens, Deo maior locus dicetur, atque vtroque ingentior: si propriis regnis diuersa principia ingenita vtentur, atque æmula consistunt. Hoc intelligere, vel tenere æterno omnipotente aliquid esse maius, incantæ confusionis barbarus sensus est, atque coæternum esse quod bellat, & opinari vinci alterum de æternis, eius est qui dicat & ipsam lucem quocumque sæculo non futuram. Idipsum tamen si exaudis, iam solem intelliges non futurum. Et cùm ei esse sit cœpisse, si & à se existenti quod periturum sit, sit periculum, ergo bellat ingenitus, ingenitumque est quod ab ingenito superatur. Numquid audes de ingenitis quid prius cœperit æstimare? ac de solo ordine fortè dissimules, cœpisseque pariter fabuleris. Potésne maius & minus de æternis ingenitis arbitrari? Si tenebras anteferes, ipsis dabis omne principium, & eatum erit esse maiores. Si lumen fateris antiquius, ab eo omnia confiteris. Si vtrumque æquè coæuum perspicis, G aut vinci neutro erit, aut manebit alteri quod vnus exceperit. Et vbi hic erit omnipotens vel æternus? numquid in altero ipsorum qui victor erit, & in pari existentia fiet causa dissimilis, & ingenitorum bellum reget euentus, aut suscipiet casus? Absit animæ sensui aduertere hunc errorem, atque tam amentem intelligentiam confiteri abiiciat spes humana. Vnus extat ingenitus, ab vno Domino cuncta prouenerunt. Verùm quòd diuersa eiusdem sunt causa, omnipotens inuenitur ab omnibus creaturis, & ante principia & fines. Ita ergo ex vero quod est prouenit & falso esse, vt & vmbræ de solidis. Si enim solidum non sit, neque vmbra sit. Et hoc est mysterium veri verum. Quæ enim verè sunt, ex his apparent, & quæ non sunt, vt & sibi à se sit, atque aliis vt sint, fundat ex se, non sui operâ, non labore, non materiâ, non naturâ, neque substantiâ. Si enim est omnipotenti esse totum, quod extra est, eius est. Quòd si quid sine eo obuenit, est neuter omnipotens, & actu casu principia accedentibus cre- H scunt, minuta vtique quando addita fecerunt. Vmbra denique, quæ materia, quæ natura est, quæ sine altero non apparet, neque habetur in tenebris? Sed quia hæc sua substantia non est, neque à seipsa est, euanescit ac deperit: & tamen solidum, è quo interdùm vmbra est, consistens suo robore perseuerat. Mirare Manis Babylon ista mysteria, & has omnipotentis diuitias: confitere nihil esse quod non eius sit quem æternum venereris, quem Dominum fatearis, cui sit nihil anterius. Et quemadmodum conuenit aliquid non eius vel ab eo esse, ante quem aliud nihil intendas? Sed quod turbaris anceps vagi erroris curâ sollicitus, imò vani studij labore confusus, deceptus hebeti sensu, auspicantis animæ rudimenta maioris inquisitionis amentia sauciasti. Reuoca in prima vestigia curas indomitas, & cessa credere vnam æternitatem duo regna sumpsisse, & se quidem, vt ais, ipsa temptantia. De duobus æternis si vinci vni erit, æternitas præcisa residebit. Habent ergo lux & tenebræ paria, atque in se diuersa; imò contraria, potentia vna conuenit, sed in altera

aliquando cessabit. Iam non eadem est, si vbicumque speratur, si alter ipsorum antè deficiet, erit, Iustine, vt fatearis vnum esse principium, si vnus victor est de duobus. Certà quod intelligo in superioribus excelsis, & omni altitudini extremo, nihil habitare quod malum dicatur, quod vltra Angelos & Archangelos humanæ deuotionis pauens veneratio suspicatur. Sacrilegum est eloquium malum in talibus habitare, aut si ei illic est sedes, & ipse creator accipitur, creaturæ omni, & ipsi soli diabolus dominatur. Si enim coæternus est, ibi est, aut si ibi non est, in suo nescio quo regno est. Credo alterum non habet solem, non Cœlum, non mundum, non lucem, non veritatem. Et si ei ipsi alibi regnum est, nihil commune eius est nobis; aut si in hoc mundo est, iam victus est, iam sole est, iam non habet vires. Quòd si fateris, intelligis ipse hoc dici non posse principium, quod dominanti perspicis captiuatum. Numquid conuenit rebus duo esse summa, duo ima, duo infinita? Infinita duo dici non possunt: quia vbi alter incipit, est finis alterius: summum autem ideò est, si vltra eum nihil est: atque ita imum, si intra eum nihil est: totumque tunc habetur, quando aliud non habetur. Hoc si vnus & solus Deus est, summus, infinitus, ac totum, atque omnipotens, atque omnitenens, ipse principium vnus & solus est. Ne perturberis, ne auxius tam venerandi veri admiratione territus obstupescas & cæceris, quòd de bono auctore malum non potest oboriri. Rectè in creaturis ista percontor, vt quæ creata sunt aliud ex se quàm ipsa sunt non emittant, vt amarum de dulce, ex igni aqua, ex vmbra inferi partus, ex ligno homo, ex incarneo caro, & alia quæque omnis mundus enumerat. Verùm omnipotenti hæc adscribi non possunt. Est disciplina vt lex ei sit quid ex eo esse possit, quid non possit, quid ab ipso, quid per ipsum. Rectè ista colligis & astringis, si omnipotentem minimè confiteris. At si sparsa per totum eius virtus est & æternitas, neque ei vt esset ex altero obuenit, vtique omnia aut ab eo, aut de eo, aut per eum, aut obueniunt, aut creantur. Ideò ergò & malum ab eo, vt esset, accepit: malum tamen hoc quod Dæmon dicitur: cætera enim, si qua sunt, quæ malum dicas, substantiam non habent, aut naturam. Dæmon autem nunc bonus, nunc malus, Angelica creatura consistit, sicuti docet Attici oris expressio, dicentis ΑΓΑΘΟΣ ΔΑΙΜΩΝ, & ΚΑΚΟΣ ΔΑΙΜΩΝ. Et eum ipsum bonum esse, qui ... dicitur, post dicemus. Reliqua autem quæque malum dicis, si errorum vitia conquiescant, nascendi originem non habebunt. Nec sanè confiteris mali impulsu esse qui in vitia ire præcipitet, quasi existentis alicuius, aut orti factiue substantia. Anima est, quæ in libertate consistens, dominationem sibi concessam liberi arbitrij licentiâ violauit: cupiditate & concupiscentiâ curiosâ potiùs decipitur quàm superbâ. Deinde duarum substantiarum Dominum nobis esse dominantem, aut geminæ vel potiùs multiformis naturæ humana regna innumeris gentibus dominantur. Ita enim delectaris exemplis, vt diligas æterna & perpetua per mortalia & caduca perspicere. Carnem negas in Christo, & hominem confiteris. Natum non vis, & vixisse non abnuis. Occisum à Iudæis clamas, & quod vulneratum est, æstimas non fuisse. Ita mortua membra asseris damnatorum dextra læuaque cruciatorum, vt in ipsis Christi est impletus interitus: & verum hominem carne non vis, vbi veram inuenis sepulturam. Ecce, Iustine, quod verè est, non fuisse conaris asserere, & quod non est, nec fuit, persistere niteris approbare. Sed te ipso commonitus præceptore constanter eloquor. Mori æterno possibile fuit, carnem habere non fuit possibile? Possibile ei & firmasse quod non erat, non fuit possibile duas naturas mundo concedere, lucis & tenebrarum? Dominus contrariorum origo virtute non esset, qui sibi vt esset ex se est? Cessa, Iustine, cessa istius vanitatis barbariem diligenti curâ captare, & Romanus vir à Persico vel Armenorum sacrilegio nitere remoueri. Nequaquam enim conuenit tenebris, aut diabolo auctoribus Mani in vitæ æternæ gloriâ regnis veræ lucis habitare. Et cassum nunc vsque iugi inediâ, inimicæ, vt ais, carnis membra tenuasti, censens ipse animæ officere meritis, ac naturæ pasti corporis succos, ac pinguedinis distentæ grassamina, atque ipsorum abdominum mole prægrauari, si post hunc ieiuniorum laborem ad creatorem tuum, quem ais aut diabolum, aut exteriores tenebras, reuerteris. Melius arbitror ac planè pronuntio, Deum omnipotentem tuum conditorem esse fatearis, vt verè templum Dei sis: sicut Apostolus eloquitur Paulus dicens, *Vos templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis.* [1.Cor. 3.16.] Quòd si hoc honore viduaris, vt neque templum Dei sis, neque spiritus eius habitet in te, Christus non saluator hominis venit, sed abactor: quod quidem dicere prohibet fas diuinum, & maiestatis eius æternitas non admittit. Si enim templum eius non sumus, neque spiritus eius in nobis est, quid ei & nobis est? Si enim eius sumus, vtroque eius sumus, & anima & corpore: & est illud verum ac Catholicum sancto ore prolatum, *Omnia in omnibus Deus*, [1.Cor. 15.28.] qui vnus & solus principium est, omnipotens sine initio, & vniuersi totum, infinitus per omnia. Cui est honor & gloria.

VICTORINI EIUSDEM de verbis Scripturæ, Factum est vespere & mane dies vnus.

Cœperitne à vespera dies, an à matutino.

SI diuinæ Scripturæ simpliciter legerentur, nunquam lectio cuiusquam capituli ab aliquo malè intelligeretur, sed vt se continent piè & iustè vnanimiter fulcirentur. Cessabat philonica disputatio, cessabat & syllogisticus sermo, cessabat omnis superstitiosa adinuentio: nec vnquam agnosceretur in quocumque hominum tenebrosa consolatio. Omnes vnum sentirent, inuicem sibi acquiescerent, eadem profiterentur, vt lucidissima lectio se declarat. Namque carus noster & amicus fecit nobis quæstionem, vtrùm totus mundus competentes sibi horas haberet, néne. Denique ait, "Ego enim dico, si hic prima hora est, totum mundum prima hora teneret. Nam absurdum mihi videtur audire diuersas horas dici per quatuor partes terræ contineri. Dico autem cum sint omnes habitabiles, quomodo probari mihi potest vnam horam non omnes homines possidere? Sed dico, cùm hic dies sit, ostendite mihi in qua parte noctem esse asseuretis, quando totæ plagæ Cœli per diem illucidentur. Nec enim Moyses aliter nos docuit libro Geneseos, quàm vt dies toti mundo esset, & nox orbem vniuersum tenebris obtineret." Itaque, amice, si sufficiunt ad quæstionem hæc quæ à te dicta sunt, peto vt concedas patienter, & audias à nobis quæ vera sunt. Sed non quo deprehendas humana commenta, quàm magis approbes diuina esse dicta. Vnde si auctoritatis inuenta fuerit lectio, locum nobis concedere habes dicendi, vt possis planius ediscere, qualiter beatissimus Moyses breuiter de die ac nocte significauerit. Namque & Salomon docet nos dicens, *Bonus spiritus tuus est in omnibus: ideòque eos, qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant, admones, & alloqueris: vt relictâ malitiâ, credant in te Domine.* [Sap. 12.1.] Omnis enim Scriptura spiritu Dei inspirata, dicit Apostolus Paulus, indiget interpretatione. [1.Petr. 1.20.] Nam & Apollo potens in scripturis erat maximè, qui & spiritu feruebat. Et tamen hunc reprehenderunt Aquila & Priscilla, & diligentiùs illi viam Domini manifestauerunt. [Act. 18. 24.] Facile enim sapientes reprehenduntur. Scit enim Dominus cogitationes sapientium quoniam vanæ sunt. Pandimus itaque singula quæ lectio Geneseos doceat. Sed longum est sermonem de his quæ supra dicta sunt facere: & de Cœlo ac terra, tenebris & abysso, aqua & spiritu disputare intermittamus, quia necdum tempus est aliquid de his dicere, quàm nunc magis ad proposita respondere, atque

satis

A satisfacere. Est quidem quod tenebræ totum mundum possidebant, vt lectio superiori textu declarat. Sic nam- Gen.1. que dictum est: *Fiat lux, & facta est lux.* Requiritur à sapientibus vbi facta sit lux; nec enim tenebræ substantiuæ erant, vt Philosophi dicunt, & figuratio quædam materialis in illis erat: nihil sunt. Sed absit à nobis cum illis aliquid sentire, quando diuina Scriptura dicat Deum creasse tenebras & fecisse Cælum. Quod ergo à Deo fit, substantiuum esse creditur. Vnde si substantiuæ sunt, non luce factâ in nihilum redactæ sunt. Sed neque simul mixtæ sunt, quia vtrumque substantiæ sunt, quæ sibi contrariæ hodiè sunt, vt calidum frigido, vel dulcedo amaritudini; sed quando temperantur inuicem, sibi necessaria esse dignoscuntur. Cesset itaque calumnia, si secundùm substantiam contrarias diximus, sed necessarias in gignendi creatura, & requiescendi ab operibus omnibus esse. Ostendimus tamen luce factâ tenebras non ablatas, sed imò docet B scriptura in parte eas redactas, hoc est in medio orbe condensatas, vt lux facta mediam partem mundi illuminaret. Nec enim Dei substantia est lux mundialis, quæ facta est vt totum orbem possideret. Alia autem lux quæ vera est, quæ totum mundum illuminare Ioan.1.9. potest, de qua Euangelista dicit, *Est lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Vera itaque lux illuminat totum mundum, quia tenebræ cedunt locum suo auctori: sicut & sol à vero lumine obscurabitur, tenebrisque contegetur. Illa autem quæ vera lux necdum est. Ideò mundum vniuersum suo apice desemel illuminare non potuit, imò non debuit, ne Deus definitus adiudicaretur, sed momentis horarum velociori cursu statueretur. Infirmitas enim creaturæ apparet totum mundum non posse circumuallare. Ideoque partibus hodieque dignoscitur peragrare. At verò si totum orbem luce sua possideret, nequaquam horam in die aliquam demonstraret, quandoque totum mundum C illuminaret, non erat quod perambularet. Secundùm hanc rationem, quam disputauimus, rectè intelligere Gen.1.4. poterimus Prophetam Moysem dicentem, *Et diuisit lucem à tenebris.* Quid autem est separare, si non distantiam inter hæc faceret. Qui si distantia instituit & contra alterum, & ea ipsa in diuisione esse decreuit, ita vt lucem vocaret diem, tenebras verò noctem, aliud nunc audimus ex alio appellatum. Cur verò aliud non erat gratum, si quod primum denuntiatum est sufficeret, posteà vocaret diem tanquàm in mentem illi venerit. Sed absit à nobis nolle requirere manente prædicto nomine diem appellari, quod subsecutus est vtique duodecim horarum spatium conclusit significare. Nec enim dies hodie si dominica appellatur, sine horis competentibus definitur. Cùm ergo diem dicis, horam quamcumque definitam vsque ad vesperam statuis. Ita Dominus meus Moyses lucem vocatam dicit esse diem, vt nos non sine officio duodecim horarum vsum quotidianum dictum fuisse dignosceremus. Deinde subsecutus ait: *Et* D *factum est vespere, & manè, dies vnus.* Quòd si vespe- Gen.1.5. ram & posteà diem factam appellat, consummatas horas facturæ illius designat. Namque Salomon in libro Eccl.1.9. Ecclesiastes interrogat, *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.* Igitur, amice, si hodie dies ita definitur, quare non credamus Prophetæ dicenti ipsum in initio factum esse quod hodie fiat. Nihil nouum sub sole esse, neque adiectum aliquid esse, neque diminutum. Manet vespera vsque in matutinum, noctisque horas adimplens, & sic vna dies definita appellatur, in quo matutinum non primi diei esse dicatur, sed secundi initium inueniatur. Requirimus autem vtrùm in die Dominus noster operatus est, an in nocte? Certè si in die, matutinum istud non primi diei esse adiudicabitur, quando firmamentum Cæli in eo fieri mandatur. Si autem secundâ die firmamentum factum est, secundi diei matutinum esse apparuit: æquilibratio enim diei & noctis definita exstiterat: propter quod vnus dies in numero appellatus Gen.1.9. erat. Iterum dicit Scriptura: *Congregentur aquæ quæ sub Cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida*, quam ger- E minare mox præcepit herbam pabuli secundum genus suum, & ligna fructifera. In quibus factum est vespere, factum est manè dies tertius. Itaque si matutinum istud de die tertia suscipis, cur dicit Scriptura, *Fiant duo lumina-* Gen.1.14. *ria in firmamento Cæli, sic vt luceant super terram in inchoatione diei & noctis: ita vt diuidant inter diem & noctem, & sint in signa, dies, & tempora & annos?* Nullus autem hominum legem sciens, qui tibi consentiat tertia die solem & lunam facta fuisse. Fortè si teipsum interrogem, respondebis mihi quarta die facta esse, & contendes matutinam istam de tertia die esse. Quæ matutina verè de tertia die si fuisset, nunquam priores nostri quarta die factum solem & lunam professi fuissent. Qui si quarta die facti sunt, matutinum istud non de tertia die est, sed de quarta, in qua sol & luna & cætera facta sunt. Denique diuidunt inter diem & noctem in inchoationibus suis. Sic enim æquilibrauit inter eos auctor eorum; vt tantumdem mundi spatium tenerent, percurrerent, non quo ad- F impleto officio receptaculum haberent requiescendi, sed imò suis limitibus incessabiliter currunt. Namque sol quod per annum ambulat, luna illud triginta diebus currere dignoscitur. Peragrantes cyclum orbis ad punctum primum reuersi sunt, vnde processerant. Non ergo pausauerunt cùm totum cyclum cucurrerunt, aut doce scriptum esse, & ego conquiesco. Sed non doces, quia nec inuenis, sicut Salomon dicit, *Oritur sol, & occidit, & ad lo-* Eccl.1.5. *cum suum reuertitur. Ipse oriens vadit ad Austrum, & gyrans circumit vsque ad Aquilonem.* Si existimas occidere solem, redde nobis rationem quomodo ad suum locum reuertitur. Vnde si subterfugit te sensus falsa effingere, crede Salomoni dicenti ipsum orientem ad Austrum ire, ita vt gyrans perueniat ad Aquilonem. *Quia gyrans gy-* Ibid 6. *rando peragrat spiritus, & in circuitum suum conuertitur spiritus.* Quid apertius poterimus nos disputare, quando Propheta paucis verbis quæstionem nostram delineauerit, spiritum esse qui gyrans gyrando incessabiliter orbem G totum peragret? Sic dies vnus definitur, & ad alium matutinum transitur; propter quod in dies, menses, annos instituti sunt. Fac tibi de cætero satis, & consenti parentibus nostris prioribus hæc tradentibus quæ suprà memorati sumus, lucem istam non totum orbem tenere, sed medium. Et ideò quacumque Sol respexerit, diem & horas fieri. Ita cùm peragrans agrando delato spatio horas mutet. Quòd si verum est, vbi matutinum factum fuerit, manere diutius non poterit ibi matutinum, quia cùm sol ambulat ad alia loca, horæ semper se mutant, & ita fit vt perueniatur ad vesperam. Sequens verò est in officio noctis quod horæ supplent. Sed cùm matutinum oriri videmus, defectum tenebrarum esse recognoscimus, & quādo vespera fit, dies occasum patitur. Sic enim climata cæli distinxit inter diem & noctem, vt quacumque parte sol gressum fecerit, matutinum habeatur: totidemque luna vbi peragrarit, vespera esse agnoscatur, quæ sequentis diei H esse dicitur. Stultum namque est audire noctem priorem secundum vesperam factam fuisse, postque matutinum ortum esse. Quòd si vespera prior facta fuisset, non aliquem noster legislator reueritus esset, vnam noctem in numero noctium illam pronuntiare. Nemo quod primum & principale habet contemnit illud enuntiare, & id quod subsequens est audiat nominare. Itaque si ab hominibus nihil tale deprehenditur, quomodo à vobis reputatur vt matutinum posterius factum dies vnus appelletur? Quare non profiteris quod prius legisti, lucem factam & diem appellatam, postque tenebras noctem vocatam? Non ergo antè nox facta est, quàm dies. Sic nec vesperam credere debes, quàm matutinum diei primum intelligas factum fuisse. Quòd autem matutinum scriptura tacuit, rationem pandit quando lucem fieri præcepit. Quid autem ortus lucis ostendere potuit, si non matutinum esse definiuit? Nec enim dies extra matutinum appellari potuit, rectèque dicimus, Deus cùm lucem vocauit diem, matutinum intra eum conclusit. Namque finito die, vespera oriri cœpit, quæ nocte totâ operādo peruenit ad matutinū de secunda die, in qua firmamentū fieret.

A Et licet de tertia & quarta die, in qua solem & lunam fabricauit, disputauerimus: tamen pleniùs requiramus in qua die homo factus sit, vtrùm quinta die aut sexta, vt inueniatur vespera si prior est à matutino. Dixit enim Deus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit illum: masculum & feminam fecit eos, deditque illis omne pabulum ad escam. Et factum est vespere, & manè, dies sextus.* (Gen. 1. 26. 27. 31.) Vnde si matutina ista de sexta die est, homo ergo quinta die factus est; nam si sexta die factus est, approbatur matutina ista de septima die esse, in qua Deus requieuit. Quòd si minimè, redde mihi hic opera sexti diei vbi sunt, quo consummata sunt omnia quæ die sexto facta esse dixit. Quinto autem die inuenio aquas produxisse, reptilia, atque volatilia, non hominem, qui de terra factus cum quadripedibus & bestiis terræ. Quòd si quinta die homo cum supradictis factus est, neque ea quæ aquæ produxerunt inuenimus, neque illa quæ sexta die B consummata sunt. Et quomodo scriptura dicit septimâ die requieuisse Deum ab omnibus operibus suis, quando inuenio post hominem & ea quæ cum homine sunt facta, consummatam esse omnem operam quam Deus initiauerat facere? Itaque si quintâ die homo & supra memorata facta sunt, quintâ die omnia consummata inuenimus esse, vt sextâ die definiamus Deum ab omnibus operibus suis requieuisse. Quòd si post aquarum creationem intelligas vesperam, inuenire poteris non quarti diei principia, sed quintæ noctis initia. Quòd si verum est, matutinum istud, quod post vesperam appellatum est, non ad quintam diem pertinere, sed ad sextam, quia in eo scriptura docet nos quòd homo factus est. Vnde post facturam eiusdem hominis vesperam factam dicit, & matutinum, quod verè septimi diei est principium. In ipso enim matutino requieuit Deus ab omnibus operibus suis, quæ cœperat facere, non in vespera, quæ sexti diei sequentia erat. Tu nunc, amice, perspice planiùs lectionem, & fac animo tuo satis, non posse noctem præponi C diei, sicneque vesperàm matutino, in quo actus & opus diei definitum ostenditur, & sic vespera prosecuta appellatur. Denique post sexti diei vesperam cessauit mentionem facere ex ipsa, sicut de matutina, quam apertè lucidéque septimam diem Propheta denuntiauit ipsam esse. Vnde si non ipsa, tu nunc doce de lectione septimam vesperam, vt sequatur illam & matutinum. Quòd si non inuenis, crede lectioni septimam diem ipsam esse, quæ post vesperam matutinum appellata est.

MARII VICTORINI AFRI, Viri Consularis, de Trinitate.

HYMNVS I.

Adesto lumen verum Pater, omnipotens Deus.
D Adesto lumen luminis, mysterium & virtus Dei.
Adesto sancte Spiritus, Patris & Filij copula.
Tu cum quiescis Pater es, cum procedis Filius.
In vnum qui cuncta nectis, tu es Spiritus sanctus.
Vnum primum, vnum à se ortum, vnum ante vnum Deus.
Præcedis omne quantum, nullis notus terminis.
Nihil in te quantum, quia neque quantum ex te est.
Namque ex te natum vnum gignit magis, quam tenet quantum.
Hinc immensus Pater est, mensus atque immensus Filius.
Vnum autem & tu Pater es, vnum quem genuit Filius,
Quod multa vel cuncta sunt, hoc vnum est quod genuit Filius.
Cunctis qui ὄντως semen est, vera virtus seminis.
In quo, atque quo gignuntur cuncta, virtus quæ fundit Dei.
Rursusque in semen redeunt genita quæque ex semine.
Operatur ergo cuncta Christus qui omnis est virtus Dei.
Namque Christus in quiete motus est, summus Deus.
E Atque ipse motus sapientia est, & virtus Dei.
Nullo à substantia distans: quia quod motus
Hoc substantia est, quique motus, quia in ipso atque ipse est.
Ex Deo dictus Deus, natus autem: quia motus est,
Omnis enim motus nutus est, vnumque cum sit Deus.
Ac Dei motus, vnus & idem Deus existit.
Tamen motus ipse esse, vt sibi sit hoc quod ipse motus est.
Sed quia Dei motus est, habet in se motus Deum.
Rursusque isto ipso quia Dei motus est, habet in se motum Deus.
In Filio igitur Pater est, & in Patre est ipse Filius.
Sunt ergo singuli atque in semet semper, cum sint singuli.
Hinc duobus vna virtus, hic vna substantia est.
Sed Patre dante, quæ sibi sit Filius substantia est.
Esse enim priùs est, sic moueri posterum.
Non quo tempus illi adsit, sed in diuinis ordo virtus est.
F Esse nam præcedit motum, re priùs non tempore.
Hoc esse dicti Deo memorant substantiam.
Hic autem motus ortus est, nam gignit motus substantiam.
Substantiæque generatio quid aliud quàm substantia est?
Ergo motus & Patris est, Filius ergo eadem substantia est?
Hunc λόγον Græci vocarunt, intus in Patre Deum.
Causa qui sit ad partum atque ad ortus omnium.
Nihil namque absque hoc creatum est, per hunc creata cuncta sunt.
Hic λόγος, si Christus est & si λόγος, vita est genitus,
Λόγος, à Patre est: est enim viuus Deus, in quo cum
Substantia Deus sit, Deusque sit vita substantia.
Genitus autem Filius vita est, vna est substantia.
Λόγος Deus, indiscretus ergo semper, semper & alter.
Simul missus, mittenti par, & fons tamen manans, semper
Discurrit, spargens vitas, missus vt flumen Filius.
Hinc substantia vnum ambo, fons Deus, flumen Filius.
Sed quia in diuinis substantia hoc idem quod vita est.
G Viraque ipsa est sapientia, vt præcedit esse.
Cui inest princeps ac simplex viuere, sic adest.
Intelligens sapiensque semper cum præcedit viuere.
Non quo præcedat quicquam alterum, neque quo sit omninò alterum.
Sed quo progressu actum, sit ter triplex alterum.
Filius, actusque vita est, quâ procedunt & creantur omnia.
Fit idem doctor & magister, idem perfector Spiritus.
Seminatas sæclis animas irrigans scitis sophiæ.
Sophia autem cum sit Christus, idem Christus Filius docet,
Profectus Patre Patrem & Christum Spiritus.
Hinc Patris cuncta Christus: hinc habet Christi cuncta Christus:
Sic Christus meus inter parentem & sese alterum
Spiritum implet parentem, dum esse præstat omnibus.
Atque esse cunctis vita est: & hoc est quod in Christo factum est.
H Quid quia iungit ac saluat omnia, ac docet verum Deum
Christum sequentes, Christo renatos sanctus iungit Spiritus.
Ergo Christus omnia, hinc Christus mysterium.
Per ipsum cuncta & in ipso cuncta, atque in ipsum omnia.
Cuius altitudo Pater est, ipse verò totus:
Progressu suo longitudo, & altitudo Patris est.
Hinc Christus apparens sæclis, ad profundum doctum idque arcanum,
Et intimum intùs docendo, Christus occultus factus Spiritus.
Omnes ergo vnum Spiritu, omnes vnum lumen.
Hinc singulis vera, hinc tribus vna substantia est.
Progressa à Patre Filio, & regressa à Spiritu,
Quia tres existunt singuli, & tres in vno singuli.
Hæc est beata Trinitas, hæc beata vnitas.

A

MARII VICTORINI AFRI, viri consularis.

De Homoousio recipiendo.

Pagani Iudæi.

MIROR adhuc rationem intelligendi vnam inter nos non certâ mente teneri: Omnes rectè intelligimus, nec tamen iungimur. Dicam ergo omne mysterium, omnium verba, sententias, intellectus, oratione breui, Arium vt possimus excludere. Græci quos Ἕλληνας, vel Paganos vocant, multos deos dicunt. Iudæi vel Hebræi vnum: Nos, quia posterior veritas & gratia est, aduersum Paganos vnum Deum dicimus: Aduersum Iudæos, Patrem & Filium: ita dicentes duos, Patrem & Filium, sed vnum tamen Deum complexi religiones ambas, aduersum vtramque alterius contrario repugnamus. Et Pagani quidem lapsi multùm, & elementa & cibos suos deos esse dixerunt. Iudæi errore carnali Christum negant, quem aliter confitentur. Nostrum igitur dogma est ad probandum, quod docuit veritatem, & correxit errorem. Id autem facile cognitu erit, si cognoscatur vis verbi à maioribus positi, quod ὁμοούσιον nominatum est; nec errare quemquam volo, cùm tantum de Patre & Filio ὁμοούσιον dixero: quia Spiritus sanctus & à Patre est, & in Filio. Hæc autem ratio contra Arianos, & contra hæreticos maximè præualebit. Esse Deum fatemur, ita est esse, Christum fateamur sic esse, isto modo dico est Deus, est Christus. Quid est autem istud esse? lumen esse, Spiritum esse, Deum esse, λόγον esse fatemur. Ergo hæc nemo negat: hoc esse Græci οὐσίαν, vel ὑπόστασιν dicunt, nos vno nomine Latinè substantiam dicimus. Et οὐσία Græci pauci & rari, ὑπόστασιν omnes. Distat quidem, verum nunc omittamus, Scriptura diuina Græcè ὑπόστασιν sæpè dixit, Latinè substantiam. Et dixit de Dei substantia Propheta Ieremias: *Quod si stetissent hi in substantia Domini, verbum meum vidissent.* Quid autem est stare in substantia: intelligere Dei substantiam, quod verum lumen sit, quod spiritus infinitus sit. Hoc cum intellexissent, intelligerent λόγον Domini, hoc est, verbum Domini vidissent. Et sic & paulò post idem Ieremias loquitur.

Idololatria.

B

Οὐσία. Ὑπόστασις.

C *Substantia. Stare in substantia Domini quid.*

Psal.13. Dicit Dauid: *Et substantia mea in inferioribus terræ*, & de Deo dicit, & substantiam dicit, & quid sit hoc manifestum est. Dicit Apostolus ad Hebræos: *Qui est character substantiæ eius.* Characterem enim dixit Spiritum substantiæ Dei. Sunt alia multa exempla, sed quid interest? lectû est quod sit, & dicatur Dei substantia. Est autem substantia Dei, lumen, Spiritus, Deus. Item substantia Christi est, λόγος, lumen, Christus: Hinc omnes verè dicimus Christum verum lumen de vero lumine, Deum de Deo: rectè ergo dicitur eiusdem esse substantiæ, hoc est ὁμοούσιον. Fatemini ergo ὁμοούσιον, cùm dicitis lumen de lumine, Deum de Deo, cur repugnatis? propterea quod est Græcum? ὁμὸ, tale est, vt cui iungitur nunc significet eiusdem rei, nunc simul cum re res est, vtputa species, quod Græcè εἶδος dicitur iunguntur ista ὁμὸ & εἶδος, & significat eiusdem speciei: sic ὁμώνυμον, eiusdem nominis. Ergo cum iungitur ad οὐσίαν ὁμὸ, fit ὁμοούσιον, eiusdem οὐσίας, id est eiusdem substantiæ. Ex hoc excluditur Arius, qui dixit, ex nihilo Christum. Item diximus ὁμὸ ὁμοῦ significare cum iungitur rei nihil aliud, quàm simul esse rem dicere, vt ὁμήλικας simul vnâ ætate, & ὁμότροφοι· ὁμοτροφίστας, simul nutritos? ergo ὁμοούσιον, simul substantiale dicemus, vel consubstantiale. Ecce habemus & Latinè nomina, quod si ita est, & ex hoc excluditur Arius, qui dixit, fuit quando non fuit: Etenim si dicimus, semper Pater, semper Filius, & si in principio erat λόγος, & λόγος apud Deum, quoniam principium sine ortu est, & sine tempore semper fuit, Deus, semper λόγος, semper Pater, semper Filius. Hoc si ita est, exclusum est, vt dixi, fuit quando non fuit. Ecce est in vtroque ὁμοούσιον, contra Arium positum, vniuersamque Arij hæresim. Hæc si vera sunt, accipite ὁμοούσιον: Nam si non vultis, nouelli Arij non latetis, sed vt ex vestris actibus clarum est, dicitis quidem Christum Deum de Deo, lumen de lumine, verum factum, atque hoc modo natum non de substantia Dei, sed de nihilo, idque ab aliis cogitis per argumenta vestra, vt audite possitis magis quam dicatis ipsi & quare argumenta? O Deus, ô Christe succurre, si de Deo natus est Christus, aut diuisus aut minutus est Deus. Hæc atque huiusmodi indigna sæpè profertis quasi corpus sit Deus, aut corporeus, aut hyle, hic enim diuisio vel diminutio potest esse. Sed de isto multa iam diximus, quemadmodùm in diuinis, in corporeis maximéque in anima, in spiritu, in mente & magis in Deo aut motus sit, aut partus omnimodis. Etenim perfecta neque augeri, neque minui possunt, maximè circa substantiam, ἀνώτερα enim cum sunt & ἀνενδεῆ de Deo dico de spiritu, qualia ipsa sunt, talia emittunt: Nec ibi generatio immutatione generatio, neque vlla passio ibi, vel phantasia aliqua passionis. Intereà his rationibus vestris quid cogitis nos fateri de nihilo Christum esse natum? Num minor vestra blasphemia est, cum vos eadem sentiatis? Aut cur non est aperta vestra professio: si ita sentitis? Verùm contraria vos loqui non videtis: Dicitis enim Deum de Deo, lumen de lumine. Hoc de nihilo est, cùm dicatis vnde? Ergo de Deo Christus, non ergo de nihilo, de lumine non de nihilo, de Deo enim de ipsius substantia intelligitur. Nam aliud est quod à Deo est: nam omnia à Deo, Christus autem de Deo est: ipse verò Christus λόγος est, vel λόγος Christus est. Postremò quærite quid sit λόγος, & inuenietis λόγον de nihilo esse non posse. Sed illi vos fallunt, illi inquam, qui non intelligentes modum generationis, dicunt, *natiuitatem Domini quis enarrare potest?* Primum de hominibus dictum videri potest, quis? vel, nemo. Spiritus autem sanctus & insinuare, & narrare potest. Vnde & nos Dei Patris, & IESV CHRISTI Domini nostri permissu diximus, & certè non desperatum hoc, sed cum miraculo dictum est. Deinde sit modus generationis ignotus, nos de substantia loquimur: si Pater & Filius ὁμοούσιοι. Quomodo autem Deus Pater, & quomodo λόγος Filius sit, cognitu difficile. Nunc autem hoc non videtur esse quærendum: priùs enim confitendum, quod de substantia Patris Filius, & sic quomodo Filius, qui modus est verè difficilis, & à nobis alibi tractatus. Ergo nunc de ὁμοουσίῳ certè vt satisfiat vobis, pacem enim volumus cum omnibus, habemus quomodo exprimamus ἐν οὐσίᾳ, primùm consubstantiale vel simul consubstantiale: Deinde si dicimus Deum de Deo, lumen de lumine: Lumen autem Pater est, item Filius lumen, cum dicamus quia in Patre est Filius, & in Filio Pater est, dicamus etiam qui rectè dicimus Deum de Deo, lumen de lumine, quod verum erit, & plenum ὁμοούσιον: An dubitatis? Quid si & hoc lectum est? blasphemia est contradicere. Dauid 35. Psalmo. Est enim fons vitæ, & : *In lumine tuo videbimus lumen.* Fatemini iam & hoc, & ὁμοούσιον. Similiter hoc obiici potest ei qui dicit similem substantiam, eandem enim nos dicimus & simul substantiam, certè dictum in Isaia. *Nemo ante te Deus, & nemo post te similis Deus.* Et Dauid: *Quis tibi similis erit Deus?* Hæc aduersus eos, qui similem substantiam dicunt, sed & multa prætereo, quæ pleniùs vberiúsque tractata sunt, contra eos tractatus, quos ipsi emiserunt: Nam de illis non loquendum, qui dissimilem dicunt: nec de illis, qui eos, qui ista tractant quæ dicimus, Patripassianos putant. Omnes enim isti & alij hæretici facilè refutati sunt maiore tractatu. Deus adesto Pater, & Deus Domine IESV CHRISTE, vt sit in plebe tua ὁμοούσια, per ὁμοούσιον. Amen.

* * *

Hebr.1. Character substantiæ Dei filius.

D

E

Perfecta mutationum sunt expertia.

F

Isai.13.

Quis? Nemo.

G

Psal.35.

H

Isai.43.

Psal.34.

MARII VICTORINI AFRI, Viri consularis.

HYMNVS II.

MIserere Domine, miserere Christe, miserere Domine, quia credidi in te, miserere Domine, quia misericordiâ tuâ cognoui te.

Miserere Domine, miserere Christe, tu spiritus mei λόγος es, tu animæ meæ λόγος es, tu carnis meæ λόγος es.

Miserere Domine, miserere Christe: viuit Deus & semper viuit Deus, & quia ante ipsum nihil est, à se viuit Deus.

Misere Domine, miserere Christe: Viuit Christus, & quia Deus ei generando dedit, vt à semetipso viuat Christus, quia à semet viuit semper, viuit Christus.

Miserere Domine, miserere Christe: Quòd si à semetipso viuit Patre: & Patre generante à se viuit Filius, consubstantiale Patri est, quod vt semper viuit Filius.

Miserere Domine, miserere Christe: Animam Deus dedisti mihi, anima autem imago vitæ est, quia viuit anima in æternum, viuat & anima mea.

Miserere Domine, miserere Christe: Si ad similitudinem tuam Deus Pater, & ad imaginem Filij homo factus sum, vitam crearus sæculis, quia me cognouit filius.

Miserere Domine, miserere Christe: Amaui mundum, quia tu mundum feceras, detentus mundo sum: dum inuidet mundus tuis: nunc odi mundum, quia nunc percepi Spiritum.

Miserere Domine, miserere Christe: Succurrere lapsis Domine, succurre pœnitentibus: quia diuino & sancto iudicio tuo quod peccaui, mysterium est.

Miserere Domine, miserere Christe: cognosco Domine mandatum tuum, cognosco reditum in anima scriptum mea, propero si iubes redire, nostri Saluator Deus.

Miserere Domine, miserere Christe: Diu repugno, diu resisto inimico meo, sed adhuc mihi caro est, in qua victus diabolus, tibi triumphum magnum, nobis fidei mutum dedit.

Miserere Domine, miserere Christe: Velle mihi adiacet, mundum & terras linquere, sed imbecilla pluma est, velle sine subsidio tuo, da fidei pennas, vt volem sursum Deo.

Miserere Domine, miserere Christe: Iam portas quæro spiritus, quas pandit Spiritus testimonium de Christo dicens, & quid sit mundus docens.

Miserere Domine, miserere Christe: Patre qui genitus semper, qui repræsentas Deum, da claues Cœli, atque in me vince diabolum, in sede lucis vt quiescam, gratia saluatus tua.

MARII VICTORINI AFRI, viri consularis.

HYMNVS III.

Cautè lege, ter, id est in tribus, alioquin certum est substantiam seu naturam non numerari, sed esse vnam Simplicissimã plusquam vnam numero

DEus Dominus, sanctus Spiritus: O beata Trinitas.
Pater, Filius, Paracletus: O beata Trinitas.

Præstator, minister, diuisor: O beata Trinitas.

Spiritus operationum, Spiritus ministeriorum, Spiritus gratiarum: O beara Trinitas

Vnum principium, & alterum cum altero & semper alterum cum altero: O beata Triniras.

De qua Pater substantia, & ipse substantia Filius, Spiritusque substantia, sed ter ipsa substantia: O beara Trinitas.

Pater perfectus, perfectus Patre perfecto Filius; perfecto Filio sanctus perfectus Spiritus: O beara Trinitas.

Fons, flumen, irrigatio: O beata Trinitas.

In tribus ter gemina, sed vna actio: O beata Trinitas.

Existentia, vita, cognitio: O beata Trinitas.

Charitas, gratia, communicatio: O beata Trinitas.

Charitas Deus est, gratia Christus, communicatio sanctus Spiritus: O beata Trinitas.

Si charitas est, gratia est, si charitas & gratia communicatio est, omnes ergo in singulis, & vnum in tribus: O beata Trinitas.

Hinc ex Deo Apostolus Paulus, *Gratia Domini nostri* IESV-CHRISTI, *& charitas Dei, & communicatio sancti Spiritus vobiscum:* O beata Trinitas. 2. Cor. 13

Ingenitus, vnigenitus, id est procedens genitus: O beata Trinitas.

Generator, genitus, regenerans: O beata Trinitas.

Verum lumen, verum lumen ex lumine, vera illuminatio: O beata Trinitas.

Status, progressio, regressus: O beata Trinitas.

Inuisibilis inuisibiliter, visibilis inuisibiliter, inuisibilis visibiliter: O beata Trinitas.

Omnis potentia, omnis actio, omnis agnitio: O beata Trinitas.

Impassibilis impassibiliter, passibilis impassibiliter, impassibilis passibiliter: O beata Trinitas.

Semen, arbor, fructus: O beata Trinitas.

Ab vno omnia, per vnum omnia, in vno omnia: O beata Trinitas.

Vnus simplex, vnus vnum, & solum vnum, & solum, & semper vnus. Alter vnus, ex vno vnus idem vnus, & omnia vnus vnitor omnium, virtus vnius, operans vnum, vt fiant omnia: O beata Trinitas.

Ex æterno ingenite, ex æterno genite, vt omnia æterna sint genite: O beata Trinitas.

Tu creari imperas, tu creas, tu creata recreas: O beata Trinitas.

Tu Pater cunctis substantia es, tu Filij vita, tu Spiritus saluatio: O beata Trinitas.

Substantia ipsa vita est, vita ipsa qui est, æterna saluatio est, Pater ergo, & Filius, & Spiritus sanctus est: O beata Trinitas.

Tu esse cunctis præstat, tu filij formam, tu Spiritus reformationem: O beata Trinitas.

Tu Deus infiniti & definiti pater es: O beata Trinitas.

Tu ô fili, quia vita es, infinitus es, qui à mortuis vitam reuocas, definitus es, tu quoque & infiniti & definiti pater es: O beata Trinitas.

Tu etiam Spiritus sancte, quia saluatio es, definitus es, & quia definito quod infinitum est retines, & infiniti & definiti parer es: O beata Triniras.

Si ergo ter Pater vnitas, omnis autem à te ô Deus paternitas, vnum & Deus, & omnis parernitas: O beata Trinitas.

Cautè lege, nam solus Victorinus creandi & faciendi verbo pro generandi & producendi vti

Tu λόγον Deus creasti, hinc Deus factus Pater, & quia à te creatus est λόγος, & ipse quia in illo es, factus est λόγος Deus. Hæc duo vnum sancto vnxisti Spiritu, simplex ergo & vnum es factum in tribus, spiritus λόγος, Deus: O beata Trinitas.

Primum ὄν, secundum ὄν, tertium ὄν, & simplex tria: O beata Trinitas:

ὄν omne substantia est, ὄν formata substãtia est: formata substantia aut sibi tantùm, aut alteris, aut sibi aut alteris nota est: O beata Trinitas,

Substantia Deus est, forma Filius, notio Spiritus: O beara Trinitas.

ὄν primum, ὄν verum Deus es, ergo omnis & tota substantia, Deus es: O beata Trinitas,

ὄν secundum omnis forma Christus est, vniuersalis autem substantia, cum vniuersalis est, forma est substantia, igitur cum forma est, & Deus Christus est: O beata Trinitas.

ὄν tertium sanctus est Spiritus sanctus Spiritus, totius existentiæ demonstratio est. Demonstratio autem nunquam nisi nota demonstrat: Nosse autem in diuinis hoc est quod habere est. Cognoscentia enim ipsa eademque substantia est. Habet ergo Deum, haber Christum quem demonstrat Spiritus sanctus: O beata Trinitas.

Immensus, infinitus, inuisibilis Deus es, sed aliis immensus, infinitus, aliis & inuisibilis: tibi mensus, tibi infinitus,

nitus, tibi visibilis: Hinc ergo & forma tibi est, ergo & λόγος, idem es, quia λόγος forma est: & quia forma tibi notitia es, notitia autem Spiritus sanctus est: id ergo & Deus, & λόγος, & Spiritus sanctus es: O beata Trinitas.

Tu Filij visibilis, es enim vniuersalis & omnium forma: Cùm enim viuificas cuncta, fit forma de vita: Forma autem semper in substantia, & forma omnis notitia est: Ergo in substantia Deus es, in forma λόγος, in notitia Spiritus sanctus: O beata Trinitas.

Tu quoque Spiritus sanctus notio es, omnis autem notio formæ & substantiæ notio est: Cognoscis igitur Deum, & habes Dei formam. Hinc & Deus, & Filius, & Spiritus sanctus es: O beata Trinitas.

Esse Deus es, Spiritum esse Christus, apparere quod sit Spiritus Paracletus: O beata Trinitas.

Hinc Christum misit Pater, Christus Paracletum, Christus vt Paracleto, Christo vt appareret Pater: O beata Trinitas.

Secreta atque in occulto substantia Deus est, secreto atque in occulto forma Deus es, secreta atque in occulto notio Deus est: Hinc pro ὂν istorum τῶν ὄντων Deus es: O beatas Trinitas.

Publica iam apparénsque substantia λόγος es: & quia publica & apparens, forma autem quia Patris forma es, hinc tibi substantia es. Ergo in te Pater, est, quia Pater substantia est. Eadem autem substantia, neque enim alia vlla substantia. Si ergo λόγος apparens forma est, forma substantiaque ipsa, apparens autem forma apparénsque substantia notio est, idem tu λόγος, & Deus, & Spiritus sanctus es: O beata Trinitas.

Omnis notio cognoscentia est, omnis cognoscentia substantia est, cognoscentiaque ipsa forma est: es ergo Spiritus sanctus publicata forma, apparénsque substantia, sed saluans regenerénsque, non manens generánsve substantia es: O beata Trinitas.

Vna igitur Deus, λόγος spiritusque substantia est, manens in tribus, existensque ter in omnibus tribus. Hoc autem & forma & cognoscentia est, sic triplicatur omnis simplex singularitas: O beata Trinitas.

Tu Deus incognite, tu incomprehensibilis Deus es, sed incogniti atque incomprehensibilis Deus es, quasi quædam forma sine forma est. Hinc pro ὂ cum ὂν diceris magis defectus ac requies. Hinc cessantis cognoscentiæ forma est noscentiæ: O beata Trinitas.

Tu λόγος forma cum sis, forma Patris es, hinc ergo & imago Patris es. Et cum forma Patris es, est tibi forma, & ipsa substantia, & quia forma eadem & substantia est, hinc in te Pater est, & tu in Patre. Item quia forma es, notio ibi est, ergo & substantia tibi nota, ex hoc notus & Pater est. Quippè cum in sinu eius sis ab eo genitus, verum ergo & tu ὂν verum, ἐκ τοῦ ὄντος τὸ ὄν: Omne autem ὂν semper in tribus: O beata Trinitas.

Tu Spiritus sancte connexio es, connexio autem est, quicquid connectit duo, itavt connectas omnia, primò connectis duo, ésque ipsa tertia complexio duorum, atque ipsa complexio nihil distans vno vnum cum facis duo: O beata Trinitas.

Tres ergo vnum, & ergo ter, ergo ter tres vnum: O beata Trinitas.

Hinc Pater summus mittit λόγον, missus creat, & ministrat omnia, portans in salutem nobis carnem simul & sanctam crucem, remeans victor ad Patrem, saluandis nobis esse misit alterum: O beata Trinitas.

Semper cum Deo Christus est iuxta substantiam: Etenim vita semper est. At quoniam vita, actio autem vt agat incipit, hoc est Christus natus est, ex æterno autem Deus & Christus agit, ex æterno igitur Deus Christus natus est: O beata Trinitas.

In cœlos qui ascendit Christus est: de cœlis qui descendit idem est. Non ergo ab homine, sed vsque ad hominem Christus est: O beata Trinitas.

Hic est Deus noster, hic est Deus vnus, hic vnus & solus Deus: O beata Trinitas.

Hunc oramus cuncti, & oramus vnum, vnum Patrem & Filium, sanctumque Spiritum: O beata Trinitas.

Da peccatis veniam, præsta æternam vitam, dona pacem & gloriam: O beata Trinitas.

Libera nos, & salua nos, iustifica nos: O beata Trinitas.

MARII VICTORINI Afri, de fratribus Macchabæis interfectis ab Antiocho Epiphane.

REx fuit Antiochus Syriæ ditissimus olim,
In cuius regno mater natique fuisse
Septem (vt fama refert) de sancta gente creati:
Quos cura assidui generis meminisse iubebat
Et legi seruire datæ: sic namque volentes
De populo meliore Dei sua iura tenebant.
Rex auidus mutare fidem, mutare timorem
Voluit, & vt populo pariter misceret iniquo,
Præmia promitti matri, promittit & illis,
Et quicquid posset totum perquirere regnum,
Si demutaret mentes, sensúsque priores,
Cogeret & natos alios sibi fingere mores.
Illa negat, tacitumque premit sub corde dolorem.
Hanc postquam nulla potuit compellere præda,
Tentauit primùm tormentis vincere sæuis.
Pertulit illa tamen gemitus, & tristia regis
Verbera non timuit, victum se vidit vt ille:
Heu quid agam! dixit: vincor, quid plura? dolendo
Non tamen effugies: plus est, quod plura dolebis.
In natos sæuibo tuos, licet improba perstes,
Hâc certè ratione meum sanabo dolorem.
Sustulit illa manus, cœlumque inspexit in altum,
Emittens gemitus, & talia verba locuta est,
Tu licet & gazas tradas, & regna tyranne,
Non capimur regum donis, nec munera sanctis
Eripiens promissa Dei: spes certior illa est,
Quæ vitam nobis promittit tempore longo:
Hanc sequor, hanc didici, non lubrica tangere regna.
Sumere diuitias facile est, & perdere vitam.
Sed licet & flammas post verbera sæua mineris,
Nil mutare potes: primis accepimus annis
Virtutem cum lege datam: mihi linquere certum est
Quicquid sæue iubes. Natis, quòd dura minaris,
Hoc solùm poteris matrem turbare timore:
Est mihi námque Deus spes, est mihi certa meorum,
Per quem iam spetem te uullum vincere posse.
† faue, cœlique Parens, te iusta rogamus.
Rex furit Antiochus, turbataque corda tumebant,
Concutit & sæuos testatus lumine vultus,
Miraturque diu possit quòd fœmina tantum.
Miles, ait, pare regi, pateque satelles,
Vos famuli parete mihi, data regna furenti
Fœmineo tormenta malo, sæuire furentem
Fœmina me cogit, quod plùs est, fœmina vincit
Regis iussa sui, sed non impunè locuta est,
Membratim pereat: septem nam perfida natos
Intra regna tenet, quorum qui primus habetur,
Hic primus pereat: pereant sic ordine cuncti:
Cratibus impositos subiectis vrere flammis
Cernat vt ipsa suos, sic cernat vt aspera natos
Pœna aut quem maneat, celeres decet esse ministros.
Intereà fœcunda parens, iam crine soluto,
Astitit hortanti similis, iam pectore nudo
Vbera protendens, natorum alimenta suorum,
Non confusa stetit, natumque vt vidit ad ignes
Inconstante gradu timidum procedere, dixit:
Tu mea progenies, tu primus respice matrem.
Tu nunc certè meus, matris tu nate memento,
Te primum peperi, tu nunc imitare parentem,
Sume meos mores, & regem vince tacendo,
Tum poteris durare diu, sic tempora vinces

Perfida,

A Perfida, ne superet sanctos violentia regis.
Vtere consilio, regis ne damna timeto,
Fortior est isto, saxoque potentior ipso:
Ingredere vt iuuenis, patienter vince dolorem.
Ille modo ad matrem vultus, modò tollit in altum.
Dumque tacet, tacitusque rogat quem debet,& orat,
Non sensit rapidos subiectos cratibus ignes,
Corpus inane fuit, mater gauisa dolore est,
Et dixit: Vici, vincam si sæpiùs orem,
Duret natorum virtus incognita regi,
Sed iam nota Deo populi qui pectora nouit.
Finierat primi partus fœcunda dolorem,
Sed remanente metu, pro pluribus anxia mater:
Dissimulatque tamen, ne regem gaudia tangant.
Rex stupet Antiochus, nec credit posse sequentes
Pœnæ tale genus similes peruincere natos,
Cœpta iubet peragi, mater non territa mansit.
Sed tamen vt vidit pallentem assistere natum,
B Hæc secum voluens, aliquâ iam parte leuata:
Ecce secunda mihi partus producitur ætas,
Quàm similis fratri formoso pectore, dura
Si sequeris primi partus vestigia nostri,
Esse meus poteris, & sic reparare salutem
Quam iam frater habet, matris præcepta secutus,
Pone metus, regisque minas contemne furentis,
Regnaque quæ paruo labitantia tempore dantur.
Non poterit post ista tibi Rex iste nocere.
Temporis ecce leuis accensus cogitur ignis,
Virtutis locus est, languentem pone timorem,
Sume animos, nostri generis si sensus inhæret,
Hic qui sceptra tenet, regno qui sæuit in isto,
Tempus inane regit: regnum vitamque cremari;
Damnarique nocens æternos sentiet ignes:
Tu securus eris, turbâ comitante piorum.
Accipe nate meos vultus, & respice cœlum,
Anctoremque Deum, per quem tibi vita paratur
Hæc melior, fratrisque tui vestigia calca.
C Non quod Rex iussit, sed quod Deus imperat, audi.
Sicut erat monitus matrem cœlumque videre,
Constitit, atque hilari vultu contemnere regem
Cœpit: & vt ridens ardentes irruit ignes,
Collapsusque iacens animâ superante quieuit.
Mater vt hoc vidit, rigido sic ore locuta est:
Fœlix parte aliquâ, cùm iam vis, nec potes omnes
Sæue tyranne meos trucidando vincere natos.
Te grauior nunc pœna manet, crudelis in igne
Quàm patiẽte breui: Deus hic namque omnia cernit
Iam duo securi contempto rege manebant.
Spes melior iam matris erat, iam tertius instat
Ecce locus pœnæ, si pœna est vincere regem,
Et seruire Deo laus est, non pœna furentis.
Tertius attrahitur iuuenis mandante tyranno
Qui nondùm satiatus erat: furor intùs & ira
Sæuibant pariter, quòd fortia pectora fratrum
Viderat impauidi regis superasse furorem.
Constitit antè pedes iuuenis florentibus annis,
D Egregius formâ: diro qui regna teneret
Dignior Antiocho, & sic meliora secutus
Regna, vocante Deo. Mater cui talia fatur:
Accipe nate tuæ securus dicta parentis,
Accipe, ne segnis reddas virtutis honorem.
Sunt tibi iam fratres pietatis sede manentes,
Iam locus est melior quàm regna labentia regis:
Quorum si proprios attingis pectore sensus,
Victor apud populos regem superasse fereris,
Sicut fama tuos iam misit in ardua fratres:]
Hùc accede precor: sunt hæc, sunt apta dolenti
Contempsisse nefas, & iura relinquere regis
Indomiti, quem nulla manet post ista voluptas.
At iuuenis tacito mittebat murmure vocem,
Oranti similis, palmas tendebat in altum,
Subnixoque genu matris figebat in ore
Quà licet aspectum corpus, quà turba tenebat.
Qui simul admonitus, cratem conscendit, in ignemque
Intrepidus, certaque fide sua membra locauit,
Sanctaque quæ superest anima inuiolata recessit, E
Conciderant flammæ tepidâ remanente fauillâ,
Illæsum corpus tellus adaperta recepit.
At mater dubitans gemitus an gaudia sumat,
Hæsitat, & querulo sic est sermone locuta.
Quid nunc dire paras? iussis paremus, & omnes
Munera sed partus custos ne subtrahat vlla,
Sed licet ipse velis non sum passura tyranne:
Omnes nam pariter pereant certamine tanto,
Temporis ipse tui mutes licet horride pœnam,
Duraque quæ sanctis eadem sententia natis
Sed grauiora paras, si sunt grauiora, minaris,
Quodque meos cernis vultus horrore teneri,
Gauderes patrem quoties decernis in istam.
Ardet at ipse magis rapidâ Rex concitus irâ,
Contemnique putat, sicuti nec cætera fratrum
Turba ferat pœnas, matrem hoc quoque quærere sentit,
Duraque in exitium quartum producere natum
Penè manu voluit: lassati námque ministri F
Nec regis furias, nec regem ferre volebant.
Proh pudor! erubuit vultus ostendere matri
Natus, & attonitam mentem confundere cœpit.
Hunc postquàm stantem summisso lumine vidit,
Talibus aggreditur dictis, monitura timentem:
A primo quartus partus, mihi quartus ab imo,
Quæ nunc verba tibi, quæ possum dicere nate?
Hoc nisi, quòd cœli durata potentia tecum
Sit simul & virtus, & sanctus originis auctor.
Illi debemus regi, quodcumque rogamur.
Ille dedit nobis Abraham cum semine sancto,
Per quem nobilitas, per quem genus omne probatur,
Quod manet in Dominum: sanctus cui nascitur Isâc
Tunc cùm iam nullum natum sperare senectus
Sponte suâ poterat, sterilis quia Sarra manebat:
Attamen hæc peperit, generique propagine cœptâ
Ex insperato remanent tibi Sarra nepotes,
Esaus & patriam deductus Iacob in vnam,
Quos certum est partu gemino peperisse Rebeccam: G
Hinc sumus, hinc orimur, genus hoc tibi nate petendum,
Tu tibi pande viam generis, quis in arce piorum,
Quorum progenies totum dispersa per orbem,
Inuidiam patitur? Dominum quia sola potentem
Mente colit, mixtæ nec turbæ accessit iniquæ.
Quid tibi cum tristi vultu? quid lumina terræ
Fixa tenes? cœlum potiùs cœlique parentem
Conspice: ne dubita, mater tibi prospera monstrat.
Quicquid id est, patienter adi, consensibus auge
Turbam nate meam, numerúmque hortare sequentum.
Nec decreta parens luctus & gaudia mixta
Finierat claros monitus, tum luminis orbes
Ipse leuat, matremque oculis attendere cœpit,
Nil iam triste gerens: habitus, vultúsque fatentur
Se timuisse nihil, nisi tristia vulnera matris
Per partus diuisa suos: sed & ipse citato,
Elapsus manibus, cursu conscendit in ignes,
Mira loquar, non flamma comas, non contigit ora:
Exanime vt corpus flammæ superauerat ignis, H
Ore patente tamen, tacitè qua spiritus iret,
Vnde acceptus erat, pariter cum sanguine fudit.
Hoc ipso est gauisa parens, quòd qui modo tristi
Constiterat vultu, fretus quòd pectore tuto
Paruerit monitis, regis contemptor & iræ.
Sic exorsa parens, cùm Rex dubitaret in illos
Qui superant, gemitusque daret pia turba, ministri
Regem execrantur, tanto sermone querentes:
Protrahe, quid dubitas? nulli iam parcere debes,
Nec potes, vt cupias, decretum rumpere nulli:
Appello Regem, totum qui temperat orbem,
Qui mare, qui cœlum, cœli cui sydera parent:
Quòd nisi producis, timor est, iam segnius instas,
Iam sentis quem pœna petat, iam gloria nobis
Parte in vtraque manet, liceat producere nullis.
Nam quoscumque tuum iussisti excedere regnum,
Forsitan hoc morem credas furiose tyranne,
Longa magis vita est, regnoque potentior isto

Quod

A Quod regis, extremâ huius iam parte moraris?
Hos quoque si metuis, superant ætate minores,
Contemptuque simul vincunt tua regna superbe.
Sed perage imperium, nec partus diuide nostros,
Hos quoque da flammis, & viribus vtere regni:
Mortalis tamen es, nec in æuum regna tenebis.
Concipit Antiochus furias, sæuusque tyrannus
Exhibet, & gemitus intra sua pectora voluit:
Consentit cum mente color, tristisque grauatos
Attollit vultus, & talia verba profatur.
Hæc tua libertas, & dira potentia linguæ,
Atque hic quem tumidâ portas ceruice rigorem
Sentiet irati regis quid vulnera possint.
Si nondùm es satiata malis, & fingere tentas
Lætitiam, luctusque tuos in gaudia vertis,
Non mutabo necem, gaude, lætare, triumpha,
Dummodò sic vincas, vt sis suprema tuorum.
Sic furiosa nimis natorum funere gaudes?
B Hoc quoque do flammis, hoc nec mutare potestas
Vlla potest decreta, modò tu viue superstes
Natis orba tuis, & ne mea iussa morentur,
Ordo suos peragat cursus. Producite natum,
Vlli nec parcant ignes, dubiumve videre
Rex post ista reor, timor est mihi fœmina nullus,
Præcipuus de gente tuâ produceris index,
Quàm specie mirande puer, cui pectore virtus
Firma manet, iam quæ poterat vel vincere regem.
Ad quem sic placido mater sermone locuta est:
Si dare complexus matri tibi nate liceret,
Confiteor soli, post vulnera nate dedissem.
Sed me dura vetat, tristisque potentia regis:
Sed neget amplexus, dum sit vox libera nobis,
Et liceat meminisse Dei, legemque tenere
Non à rege datam, sed quam Deus arbiter orbis
Tradidit, & mundi rector, Mosesque petitam
Accepit, populoque dedit: quàm maxima laus est
Nosse Deum, meritò cui nos tribuamus honorem.
C Tu modò ne dubita monitis parêre parentis:
Sed vigor & virtus, penitusque in pectore toto
Mens maneat iam plena Deo: sit fortior ætas
Quàm regi sperare fuit, sperare iubentis.
O quanta est virtus, quanta est fiducia fortis!
Sed tu quid dubitas medias euincere flammas?
Victor eris (mihi crede) puer, victorque redibis.
Ossibus & validis miscebit corpora neruus,
Seruatasque animas iterùm in noua viscera reddet.
Sed ne fortè tamen rapidus te terreat ignis,
Fratrum sume animos, æternumque inspice numen.
Iussa facit, tacitusque Deum testatus, & orat
Murmure quo poterat, puerum non impedit ætas,
Ampliùs haud timet ille necem, matrique volenti
Paruit, & dicto citius superirruit ignis.
Cesserunt flammæ, cessit dolor omnis, & vnà
Corpus & ignis erat, corpus superauerat ignem,
Spiritus antè tamen placidas superiuerat auras.
Læta dolet tacitè mater, pressitque dolorem
Lætitiâ, luctúsque suos in gaudia vertit,
D Non de præteritis, sed de puerilibus annis
Qui superant, ne fortè negent, ne fortè timorem
Concipiant animis, regíque accedere malint.
Quò minor est ætas, maior metus, anxia secum
Diuidit & curas, & spes, & sic timor vnà
Luctantur, matrisque piæ per viscera cursant.
Spes tamen est melior, natum vt producere vidit,
Et procul intrantem: Videam quid possit in isto
Spes conferre mihi, vultus agnoscere nostros
Debet & hic, fratrum & numero parere suorum.
Forsitan hunc solum puerilia pectora tangent,
Indignéque feret quòd sic velut hostia detur.
Alloquar, & paucis conabor dicere verbis,
Sit memor vt potiùs generis, quàm temporis huius:
Si te nobilitas generis, si tangit origo,
Respice nate tuos, & nos quoque respice nate.
Noli annos memorare tuos, puer incipe verum
Pectore ferre Deum, tradent hoc sæcula sæclis,

E Quod tu fortè petis: des nunc exempla futuris
Temporibus, mundo quod ames nil ampliùs hoc est:
Respice quæ fugias, & quàm meliora petantur.
Nec te sollicitet miseri fallacia regis:
Sed crescas ipsi nunc in contraria victor.
Spiritus extinctus flammis sic deinde recessit:
Quod dederat corpus, tellus adaperta recepit,
Sanctáque quæ superest anima inuiolata recessit.
Quamuis lassa parens per tot sua vulnera, regem
Pertulit, ast animo pariter manibúsque supinis
Has habuit voces, & talia verba locuta est.
Qui regis imperium cœli, terræque, marisque,
Sidera qui cœlis, qui das animantia terris,
Æquoribus pisces, ventum qui verberat auras,
Ad te prima mei cupidæ fiducia surgit,
Qui chaos implicitum cæcâ caligine miscens
Diuidis in partes, & das noctemque diemque,
Lunamque & rapidum solem, qui tempora seruent:
F Et post hæc hominem, cuius de semine mundus
Completur, mortale genus, tum lingua liquescit
Dissona per gentes, sapor est tamen omnibus vnus:
Sed qui mutauit meritis hominumque loquelas.
Longa referre mora est, cœptis insistere certum est:
Tu mare diuisum virgâ voluísque tenésque,
Dum pede per siccum populus transcenderet æquor,
Ægypti effugiens mortem, regémque Pharaon,
Qui sibi sanctorum numerum seruire iubebat,
Quem tua maiestas Mose duce transtulit omnem,
Seruatumque tuâ totum virtute redemit.
Terra dabat fructus, quos te cogente ferebat,
Occupat & totis quæsitam lympha latebris:
Humor erat nullus, cuncti clamore querentes
Poscebant Mosen, daret vt sitientibus vndas,
Ad quos ille breui sic est sermone locutus:
Credite posse Deum, quicquid petieritis illum,
Sed tamen hanc virgam durum diffindere saxum,
Vt veniant fontes totâ regione morati.
G Percussitque simul: dicto velociùs, amnis
Emisit saxum fontes dulcedine primâ.
Confiteor, totus cùm sit tibi debitor orbis,
Tu quicquid possunt gentes, potes omnia solus:
Tu mortale genus curas, onerásque leuásque,
Te precor, attonitâ confirma mente timentem,
Ne desit fratrum numero meus infimus infans,
Ignarúsque sui, quem iam procul ecce teneri
Conspicio, turbâ circumueniente frequenti.
Hunc propter solum lachrymas, quas commouet ætas,
Vnus enim superest, de quo mihi maxima cura est,
Ne tener ignoret qua sit de gente creatus.
Hunc ego si possim secretò apprêndere solum,
Blandirer, patriúmque genus patriámque docerem:
Sed quacumque tamen potero, solatia mittam.
Parue puer, tenerísque tuis mihi carior annis,
Carior es regno, vita quoque carior ipsa:
Tu potes in totum victricem reddere matrem,
Tu finis paruus, finísque future malorum:
Si te cura mei tangit, si matris odorem
H Mente create tenes: quamuis & carus, & infans,
Hoc magis aure piâ dictis attende parentis.
Primum disce puer, quid sis post ista futurus,
Si patiens fueris: tunc te mihi care futurum
Facta docent, fratrum sanctorum in parte locatus;
Et i[illegible]ie securus eris, dum sæcula rursùs
Sæua suos peragunt, finito tempore certo
Hanc lucem repetes, æternáque regna videbis,
Non maculata malis, sed erit concordia sanctis,
Nec morti locus vllus erit, nec bella citatis
Exercentur equis, sed pax æterna manebit.
Matrem crede tuæ semper cupidam esse salutis,
Hæc mihi cur tristi vultu sic dicta repellis?
Quid refugis? miserere mei, miserere tuique.
Si liceat, prior ire velim: vereor ecce, sed ibo
Tunc, cùm victorem cernam te nate malorum.
Quid sperare iubes? solus mea dicta moraris?
Solus adhuc æquum renouas mihi nate dolorem?

Annuis,

A

Annuis, an damnas quoque me fratresque genusque;
Quod ne fortè velis oro te, & deprecor audi:
His ego te paruum nutrini nate papillis,
Te per ego has precor, & fletus lachrymasque meorum,
Vt remeare velis, remeabis solus & huius
Non tibi iam fratres dederint solaria vitæ:
Dedecoras fratrum sanctissima nomina, matrem.
Et genus, & patriam, si talia dicta recusas.
Heu quando melius vitam seruabis in æuum,
Si facias tandem, quicquid fecêre priores!
Audenter depone metus, depone timorem:
Concipe mente Deum, vires dabit ille viriles.
Hæc dum mater agit, puer ad præcepta parentis
Respicit, & solum se vidit vt esse relictum,
Sustulit ad cœlum vultus, palmasque supinas,
Et sic voce petens æternum numen adorat,
Sensu & sic pariter secum nutuque rogabat:
Vinceret vt regem, sænos & vinceret ignes.
Atque ita non segnis, nec pro puerilibus annis
Prosilit intrepidus, medios delapsus in ignes,
Vicit quicquid erat, sic vitam vt iret in altam
Spiritus, & fratrum peteret secreta piorum.
† Dum puer ista gerit, soluerunt gaudia matrem:
Iamque vt erat lassata malis, iam voce negatâ
Suspirans, interque manus collapsa suorum,
Concidit exanimis, resolutaque membra quierunt.
Sic ipsa & nati sanctorum in patre recepta est.

† Dissentiunt à Victorino in genere mortis

B

matris Maccha bæorum, alij fer mè omnes Patres, Consule Sixt. Senens Bib. lib 5 annot. 284. & serm in 2. Machab. 7.

PHOEBADI EPISCOPI, Liber contra Arrianos.

Ex D. Hieronymi Scriptor. Ecclesiast. Catalogo.

Sebadius, siue Phœgadius, siue Phœbadius Agennensis in Gallia.

C

Sæbadius Agenni Galliarum Episcopus edidit contra Arrianos Librum: Dicuntur & eius esse opuscula, quæ needum legi: Viuit vsque hodie decrepitâ senectute.

vixit tẽpore S. Athanasij & S. Hilarij. Laudes eius extant apud Sulpit. lib 2 hist. ex Bellarm. de scriptoribus *Sophronilegit* Σοϐάδιος.

NISI illam zabolicæ subtilitatis fraudem viderem, quæ omnium ferè sensibus occupatis, & hæresim persuadet vt fidem rectam, & fidem rectam damnat vt hæresim, nullum omninò super his, quæ nuper ad nos scripta venerunt, sermonem haberem, Fratres charissimi. Sufficiebat enim conscientiæ paruæ tenere quod credit: æstimanti fore rectiùs tueri propria, quàm extranea & aliena discurere. Sed quia (vt diximus) aut hæresis suscipienda est, vt Catholici dicamur, aut verè Catholici non futuri, si hætesim non repudiamus, ad hanc tractatus conditionem necessitate descendimus, quam zabolicum virus sub modestia religiosæ venerationis occultum, in medium proferre nos conuenit: vt & malum quod sub opinione verborum simplicium latet, deprehendatur, & mendacio detecto veritas interclusa respiret. Destruenda sunt enim aliena, vt nostris credatur: nostris autem, nisi ea fuerint destructa, vt solis credi debeat, non nisi credendum video. Igitur ante hæresim zabolicâ fraude cæcatam proferre in conscientiam publicam possim, tamen dum de ipsa mihi sermo est, dans fidei meæ pignus, Catholicum me probabo, probarum quidem (vt spero) Deo primum, dein conscientiæ meæ: sed & his probandum, quos aut metus, aut sæculi ambitio non vicerit. Incipientes igitur ab ipso capite perfidiæ, non fidei, ac deinceps per totum corpus decurrentes, probabimus multa per fraudem communis professionis, quæ scilicet nec recipere possumus: nonnulla verò sine vlla pudoris similitudine esse congesta. Nam & vnus Deus non sine fraude proponitur, nec duo simpliciter negantur: nomen verò substantiæ idcircò penitùs iuratur, vt scindatur à Patre Filius: denique natiuitas eius referatur ignota, quæ si, vt est ex Patre, ita credatur, ipsa sui confessione satis nota est. Maior Pater Filio dicitur, non tamen eâ differentiâ quâ Filio Pater maior est, sed omnibus diuinæ gloriæ bonis maior: quibus si minor est Filius, nec ipse esse in Patre dabitur, quia nihil in semetipsam recipiet æterna eius beatitudo, nisi proprium. Non autem proprium Dei, nisi plenum atque perfectum, nec rursùm in eo Pater esse dignabitur, in quo totus esse non possit. Habere initium Pater negatur, hoc ideò, vt Filius non ad authorem, sed ad tempus habere credatur. Puto autem, cui initium sic ascribitur, fini obnoxius non negetur. Subiectus deinde Patri Filius dicitur, non tamen vt Filius Patri, sed vt seruus Domino, quum legamus seruum hæredem esse non posse. Denique cum omni creatura subiectus Deo refertur, inuisibilis, immortalis Pater nuntiatur, vt scilicet in contrariis eorum Filius iaceat. Sic hæc igitur singula non humanâ præsumptione, sed authoritate diuinâ loqui refellimus, consequens erit in ea parte Catholicam fidem stare, quæ talem recipit Deum, qualis debet esse qui Deus est. Vnum, inquit, constat Deum esse. Videri quidem non possunt calumniantibus coniecturis argumentari, & sanctitatem fidei simplicis malignâ interpretatione torquere. Sed respiciendum ad Vrsatium & Valentem, & Potamium, quia sæpenumero iisdem verbis vnicum Deum subdolâ fraude confessi sunt. Nihil simplex in hac fidei professione suscepi, quæ primâ fronte ad decipiendos imperitos, credulos, incautos, hæreticâ subtilitate blanditur: pari modo quo veneni poculum mella commendant. Vnum, inquit, constat Deum omnipotentem Patrem. Nemo nostrûm abnegat, quia nemo ignorat: Sed (vt probari ipsorum tractatibus potest) dicimus illos hoc loco non tam vnum Deum professos, quàm vnum Patrem omnipotentem. Namque & eâdem constantiâ Filium nolunt, & Deum tamen Filium confitentur. Puro suscepisse alterum non negabunt, & idcircò integrum illis est in hac sua perfidia, non fide, vnum Deum Patrem, quàm vnum Deum dicant. Quanquam in omni professionis suæ corpore sic ipsum Dominum nostrum non negant, vt Deum destruant, hoc est, vt tantùm nomine Domini dicant, quo nomine etiam nos appellari soliti sumus. *Ego*, inquit, *dixi: Vos dij estis.* Quo nomine & Moyses antè donatus est. *Faciam te*, inquit, *Deum Pharaoni.* Ne quis ergo putet his verbis perfici Catholicam professionem, si & vnum Deum Patrem confitemur, & Deum Filium non negamus. Potest enim & Deus Pater sic vnus Deus dici, vt sit vnus Pater, non Deus vnus. Potest & sic Filius Deus dici, vt Deus non sit. Duos, inquit, Deos nec posse, nec prædicari debere scimus. Hoc nec vnquàm ex ore nostro duos Deos proferimus. Deus enim si non vnus & verus est, Deus non est. Sed aduertendum est quâ istud definitione ponatur, cui perfidiæ paretur hoc totum, in quod piaculum communia nobiscum verba prorumpant: Statim enim cur duos deos negauerint ponunt: Quia ipse Deus ait: *Vado ad Patrem meum & Patrem vestrum, ad Deum meum & ad Deum vestrum:* quâ definitione malæ interpretationis in tantum à Patre Filius separatur, & infra omnipotentem Deum ponitur: vt nobis, & natiuitatis conditio, & humanitatis infirmitas societur. Denique subiungunt Deum omnium, Vnus est Deus, quo dicto Dominus non Deus absolutè denegatur. Deo etenim Patri non Filij nomine, sed creaturæ conditione subiicitur. Et credo hoc loco authoritas Apostolica vindicabitur, vt Deus Christus dicatur potiùs quàm sit: quia dixerit: *Et donauit illi Deus nomen quod super omne nomen est.* Sed & ipsius Domini negantis esse se Deum verum, quum dicit: *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum & verum Deum*, &, *Quid me*, inquit, *dicis bonum? nemo bonus nisi vnus Deus.* Adhuc audies: Cur honorem ab vno & solo Deo non quæritis? *De die autem & hora nemo scit nisi Pater solus.* O duces cæci! ô sæculi ambitione decepti! non distinguentes Dominicæ potentiæ duplicem statum, in sua vnumquemque proprietate distantem, & quicquid de homine eius dictum est Deo applicatis, vt ipse Deus hominis imbecillitate societur. Et idcircò duplicem

D

E

F

Venenum melle litũ

G

Psa'. 81. Exod. 9.

Deus vnus aut nullus.

Ioan. 20.

H

Philip 2

1. Ioan 17 Luc. 18.

Matt. 24.

Cæci hæretici Potamius.

hunc

A hunc statum, non coniunctum, sed confusum vultis videri, vt etiam vnus vestrûm, id est, Epistola Potami, quæ ab oriente & occidente transmissa est, quâ asserit; carne & Spiritu Christi coagulatis per sanguinem Mariæ & in vnum corpus redactis, passibilem Deum factum. Hoc ideò ne quis illum ex eo crederet, quem impassibilem satis constet. Fecisti igitur de Spiritu Dei & carne hominis nescio quid tertium: quia nec verè etiam Deus est, si verbum esse desinit (caro enim factus est) neque verè homo, quia non propriè caro, fuit enim verbum, ac si ex vtroque iam neutrum est, ille, inquam, ille qui contra hoc venenum vtramque substantiam suam affectus proprietate distinxit. Nam & Spiritus in illo res suas regit, id est, virtutes & opera & signa: & caro passionibus suis functa est. Cibum desiderauit, quum tentaretur à zabulo, sitiuit ad puteum Samariæ, cum Prophetæ vox sit: Deus æternus neque sitiet neque esuriet. Quid adhuc de hominis affectu fleuit Lazarum & Ierusalem? postremo anxius fuit ad mortem. Sed quod expressit affectu, nunquid non testatus est verbis? Ait enim Nicodemo: *Quod de carne natum est, caro est, & quod de Spiritu, Spiritus*: *& caro*, (inquit) *infirma, spiritus promptus est.* Non ergo fit Spiritus caro, nec caro spiritus, quod isti volunt egregij doctores, vt factus sit scilicet Dominus & Deus noster ex hac substantiarum permixtione passibilis. Ideò autem passibilem volunt dici, ne & impassibilis credatur. Sed quid necesse est altiora scrutari, & virus internum per argumenta prodiens communi exponere & publicare iudicio, quum lucifuga serpens per anfractus euoluens seriem suam tortuoséque procedens, qualis, quantusque sit aliquando prodiderit, & venenum priùs solito solitus aspergere libertate, victoriis totum pariter effuderit? Ab Episcopis procedit edictum: Nemo vnam substantiam dicat: hoc est: Nemo in Ecclesia prædicet Patris & Filij vnam esse virtutem. Quid egistis, ô beatæ memoriæ viri, qui ex omnibus orbis partibus Nicæam congregati, & sacris voluminibus pertractatis, perfectam fidei Catholicæ regulam circumspecto sermone fecistis, dantes bene credentibus communis fidei dexteras, errantibus verò formam credendi? En labor vester, en anxia sollicitudo quo recidit, qua orientis mali semina, quantum in vobis tunc fuit, professione Catholicâ necauistis? Vetatur in Ecclesia prædicari quod solum sanxistis ob hæreses detegendas debere in Ecclesia prædicari. Tollitur quod probastis, & quod damnastis inducitur: quia mendacium astrui, nisi destructâ veritate non poterat. Destructioni quidem illa non subiacet, & vt est semper incorrupta durabit, sed manus sibi sacrilegas inferentes, tanquam violatam puniuit. Nemo vnam substantiam dicat. Quod piaculum, quod facinus in hoc verbo, qua ex parte Catholicam fidem pulsat? vtrúmne sono vocabili, an interpretatione rei ipsius? Nihil fallor, interpretatio caret culpâ. Substantia enim dicitur id quod semper ex sese est: hoc est, quod propriâ intra se virtute subsistit, quæ vis vni & soli Deo competit. Vsitatum vero & familiare diuinis voluminibus hoc nomen nec ipsos puto ignorare qui negant. Dauid enim ex persona Christi: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Et rursùm, *substantia mea in inferioribus terræ.* Et *substantia mea ante te est semper.* Et *substantia mea tanquam nihilum ante te.* *Scrutetur fœnerator substantiam eius.* Sed & Salomonis sententia, *substantiam*, inquit, *tuam & dulcedinem tuam.* Et Ieremias, *Si stetissent in substantia mea.* Et in prouerbiis, *substantia diuitis, ciuitas munita.* Et in eodem, *domum & substantiam diuidunt Patres filiis*: Sed & Tobias, *Si fuerit*, inquit, *tibi copiosa substantia.* Et idem, *fili ex substantia tua fac eleemosynam.* Sed & Ioannes: *Qui habuerit substantiam mundi.* Et in Euangelio; *Ecce*, inquit, *dimidium do ex substantia mea.* Ideò hæc in vnum exempla congessimus, ne sermo ille caperet indoctos, quod testati sunt, idcirco substantiam non prædicatam, quia in diuinis Scripturis nusquàm inueniretur. Ergo si neque ipsum vocabulum substantiæ sacris literis nonum est, neque interpretatio eius habet crimen; superest vt despiciamus qua ex causa repudietur hoc nomen. Despicientes autem inuenimus illos non nomen, sed nominis repudiare virtutem. Quod si relucebit, erit apud nos intuitus nominis status, erit & illorum sensus in vitio, qui dum nouellas prophanæ intelligentiæ vias quærunt, à recto Euangeliorum limite recesserunt. Priùs tamen quàm astruo quod spopondi, occurrendum est illis quæ in contrarium proponuntur. Aiunt enim inueniri quidem in diuinis voluminibus nomen substantiæ, sed non statim pertinens ad eandem speciem quæ inducatur à nobis. Ibi enim per substantiæ vocabulum, aut virtutem, aut Diuinitatem significari. Et nos ergo vnam Patris & Filij substantiam vindicantes, quid aliud quàm in vtroque pares diuitias, vnius scilicet Diuinitatis prædicamus? De quibus diuitiis ait Apostolus: *Notas*, inquit, *fecit Deus diuitias gloriæ suæ*, quod est Christus. Et vnam vtriusque dicimus esse virtutem, de qua idem Apostolus ait *Christus virtus Dei est.* Quæ quidem virtus, quia nullius extraneæ opis indiget, dicta substantia est, vt supra diximus quicquid illud est sibi debens. Nihil ergo in hoc vocabulo nouum, nihil extraneum dicimus, nihil incongruum Diuinitati, etiam in quamuis partem significantiæ transferatur. Sed (vt cœperam dicere) omnis ista quæstio nominis, alterius est doloris: nec vocabulum, sed vis vocabuli displicet. Quibus enim accipere auribus possim vnam Patris & Filij substantiam prædicari, hoc est, honorem, dignitatem, claritatem; virtutem, maiestatem pari in vtroque veritate communem; qui à Patre Filium separant, & diuisis substantiis in sua vnumquemque proprietate degentem, repudiatâ Diuinitatis communione proponunt? Hic ergo blasphemiæ, hic dictus sacrilegus dolor, quo in Patre & Filio recipitur Deus vnus. Mortuis enim authoribus huius veneni, scelera tamen eorum & doctrina non moritur. Illis inquam authoribus in tantum à Patre separantibus Filium, vt ore sacrilego protulerint, Filium Dei ante sæcula quidem creatum & fundatum, sed viuere & esse à Patre suscepisse: & fuisse antequam nasceretur, & Deum quidem esse, sed non esse verum Deum. Successoribus igitur huius perfidiæ, non fidei, per quos malorum serpit hæreditas, meritò vna substantia displicet, quam tollit velut scandalum & vnitatis diuortium postulant, ignorautes illos tantùm Catholicos esse dicendos, qui in huius professionis communione concordant. Illud autem quis ferre æquanimiter possit? vt quem initium habeant habere pro certo asserunt, huius natiuitatem habeant incertum? Aut vtrumque in occulto habendum est, quia contemporale est: aut vtrumque esse cognitum debet. Alterum enim neque nosci, neque ignorari sine altero potest. Habet (inquit) initium Filius, sed est eiusdem occulta natiuitas. Non est iniquum, quis prodidit de natiuitate? cur tacuit? Imo ipsa natiuitas vnde nota, quæ asseritur ignota? Sed hoc loco homines omni spe bonâ vacui præscribunt Prophetæ authoritate dicentis: *Natiuitatem eius qui enarrauit?* non intelligentes iam tunc eos prophetali spiritu esse præuisos, qui daturi erant initium Dei verbo, hoc est, Dei Filio. *Natiuitatem*, inquit, *eius quis enarrauit?* hoc est dicere: Nemo hominum poterit. Nemo enim potuit præter ipsum, qui sinum patris edissetens, principaliter nobis secreta natiuitatis suæ reuelauit. Nam, & legimus ad eandem speciem dictum esse; *Quis cognoscit sensum Domini?* Sed rursùm docemur; Nisi spiritus qui in ipso est. *Natiuitatem eius quis enarrauit?* hoc est dicere; Nemo audeat enarrare quod non potest. Cur autem nemo poterit? Quia scilicet non solùm ex eo & cum eo, sed & in eo est qui caret natiuitate. Genitus enim ab ingenito, his diuinæ gloriæ bonis natus est quæ penes ingenitum erant, & penes eundem ingenitum desinit Pater habere quod genuit, eundem in semetipso habendo quem genuit. Huius igitur natiuitas ideò inenarrabilis nuntiatur, quia per ipsam inconceptus est, sed perfectus ex Deo Patre Filius Deus est, quia secundum Scripturas de Filio diximus, ex eo, & cum eo, & in eo. Ne quis significationum

Marginalia (left): Ioan. 11. B; Ioan. 3.; Mat. 20.; C Nicæna synodus.; Substantia.; D; Psal. 68.; Ps. 138.; Psal. 38.; Ps. 108.; Prouer. 3.; Prou. 10.; Tob. 4.; 1. Ioan. 1.; Luc. 19. — (right): E; Colos. 1.; 1. Cor. 1.; F; D. Arrius non moritur.; G; Catholici.; H; Ignota Christi natiuitas.; Isai. 53.; Ibid.; Rom. 11.

A

Ex Deo, in Deo, cũ Deo.

varietate turbetur, reddenda est ratio dictorum: & ne proposita confundantur, reddenda compendio. Ex eo authorem: cum eo, ad vnigenitum: In eo, ad natiuitatem substantiæ respicit. Hoc auditur in omnibus. Tene diuinæ dispositionis mysteria. Satis nosti.

Isai. 53. Ibid.

Natiuitatem, inquit, *eius quis enarrauit*; Quis enim possit secundum naturam enarrare natiuitatem quæ contra naturam est? Hic enim solus est natus, natiuitatis suæ conscius. Hic enim qui cui bona pararentur intelligens, per naturam originem, Patri inerat, ipsâ illâ conditione quâ natus est. *Natiuitatem*, inquit, *eius quis enarrauit?* Et subiungunt nulli hanc proditam, quia soli scilicet & patri nota sit. Hoc est dicere sine subtilium fraude verborum: Genuit quidem Filium Pater, sed nemo scit vndè. Nam & similiter

Ioan. 9. *Verbis nobiscum hæretici, non sensu conueniunt.*

Iudæi dixerunt: *Nos scimus quòd Moysi loquutus est Deus: hunc autem nescimus vnde sit.* Quamuis enim aliquando nobiscum faciant communione verborum, & nonnulla videantur dicta simpliciter infamiâ hæreticæ

B

prauitatis aspergere, tamen quia ferè eorum veniunt aduersus fidem veram, necesse est secundum plura intelligi pauciora, præsertim cum si quid receptum fuerit contra fidem veniens, totius fidei damnum sit.

Ioan. 1.

Nemo scit, inquit, *quomodo genitus sit Filius, nisi Pater solus.* Quid ergo sibi vult illa sententia, quia hoc Dominus ignorare nos nolens: *Ego*, inquit, *de Patre exiui, & de sinu Patris?* Proh dolor! Cur sectantes ignorantiæ tenebras ignorare nos voluit? & vtique noluit, vt authore nobis cognito, status sui quæstio tolleretur. Non enim erat quærendum, quis, quomodo, vel qualis esset, cum vnde esset nosceremus. Sed si hoc loco ipsius Domini sententia id confirmatum esse proponitur, dicentis, scilicet:

Matt. 11.

Nemo nouit Patrem nisi Filius, nec Filium quis nouit nisi Pater, audient à nobis, ne fraudem faciant diuinæ definitioni. Sequitur enim: *Et cui voluerit Filius reuelare.* Non est enim penitùs occultum quod non potest reuelari. Reuelatur enim, si dignus reuelatione quis fuerit.

C

Iam ergo hæc notitia secreti causâ non tegitur, quæ reuelatur ex causa & consequens est vt nos indigni cognitione, non iniquus habendus sit Deus qui ignorantiam punit, non autem puniret, si scientiam non dedisset. Dedit enim per Spiritum sanctum.

Ioan. 16

Denique, *Spiritus*, inquit, *veritatis enarrabit vobis omnem veritatem.* Cum dicit omnem veritatem, certè nihil excipit. Hic est spiritus notitiæ & veritatis, per quem Salomon de Dominica natiuitate:

Sap. 6.

Quid sit, & inquit, *sapientia, & quemadmodum facta sit, referam, & ab initio natiuitatis inuestigabo eam.* Ergo per eundem spiritum possumus inuenire quod quærimus.

1. Cor. 2.

Nam & Apostolus: *Reuelauit nobis*, inquit, *Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam alta Dei.* Nemo scit quæ sunt in Deo, nisi Spiritus Dei: quem Spiritum, si in nobis habitare idem Apostolus probat, possumus ergo per eundem Spiritum,

Per spiritũ Dei secreta cognoscimus.

D

Dei nos inserere secretis: Et sanè, *Quærite*, inquit, *& inuenietis: petite, & dabitur vobis, pulsate, & aperietur vobis.* Et rursùm: *Pater quæ abscondisti à sapientibus, reuelasti ea paruulis:* nobis vtique, ad quos Dominus:

Luc. 11. Matt. 11. Matt. 13.

Vobis, inquit, *datum est nosse mysterium Dei*, illud vtique mysterium de quo Apostolus: *Quod ante*, inquit, *non fuit notum filiis hominum, nunc reuelatum est sanctis eius.* Reuelatum planè. Ostendit.n. eminentes diuitias gloriæ suæ, in bonitate super nos Christo, qui ipse est gloria Dei Patris. Ipse vera progenies. Ingeniti. Hoc est: Nemo scit quomodo genitus sit Filius. Nemo vtique, sed ex his in quibus (vt

Ioan. 8.

ait Dominus) *verbum eius non capit*: sicut nec Iudæis, ad quos idem Dominus ait: *Vos*, inquit, *ignoratis vnde veniam, & quò eam*; quia secundum carnem iudicatis.

Psal. 44. Eccl. 24.

Quomodo enim nemo, si Pater dicit: *Eructauit cor meum verbum bonum?* Quomodo nemo, Filius ait: *Ego ex ore altissimi prodiui.* Noli quærere ampliùs, & non habes quod requiras, nosti enim totum, quia quod dicitur totum est. *Ex ore*, inquit, *altissimi prodiui*. Hæc est enim natiuitas perfecta sermonis, hoc est principium sine principio.

Natiuitas verbi.

Hic est ortus habens initium in natiuitate, in statu non habens. Ex Deo enim innascibili Deus nascibilis exiuit, vnus ab vno, verus à vero, plenus à pleno: ac sic nascendo in his quæ erant semper non cœpit esse quod natum est de non conceptis, nec habet tempus quod est intemporali Patri congenitum per naturam.

E

Ioan. 4.

Scriptum est enim, *Deus spiritus est*: &, *ex Deo natus est æternus* Vt ergo eius naturæ, quâ constat æternitas. Non igitur imperfectus Filius, licet natus, quia natus est à perfecto: Nec imminutus ille qui genuit, quia genuit de semetipso. Totus enim dedit totum, vt secundum Spiritus virtutem totus esset in toto. Sed iam se mali doctores intra artis suæ secreta non continent, & aduersus veritatem, & ipsa veritate consistunt, habentes cornua vt agni, & loquentes tanquam dracones. Volentes igitur à Patre Filium scindere & infra Deum ponere, de Euangelio præscribunt.

Mali doctores. Ioan. 14.

Pater, inquit, *maior me est*; & quomodo maior, statim hæreticâ præsumptione definiunt, Honore, claritate, dignitate, maiestate. Quod si ita est, cur iubetur vt omnes honorificent Filium, sicut

Ioan. 5.

honorificant Patrem? Quod si ita est, ergo quotidie blasphemamus in gratiarum actionibus, & oblationibus

F

Oblatio sacrificiorum.

sacrificiorum, communia hæc Patri & Filio confitentes, quia scilicet non potest Filius non totum habere quod patris est, cum ipse totus in Patre sit. Denique

Ioan. 1.

Ioannes ait, *Deum nemo vidit vnquàm, nisi vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* Et ideò, inquit: *Omnia tua mea sunt, & mea tua*: &, *Nihil potest Filius facere à semetipso*, &, *non veni voluntatem meam facere, sed eius qui me misit.*

Ioan. 17.

Quod vtique non infirmitatis confessio est, sed vnitatis assertio. Dixerat enim & contra infirmitatem & pro vnitate: *Qui me misit, mecum est, & Pater in me manens, facit opera sua*: &, *Verba quæ loquor, non sunt mea, sed Patris.* Quicquid ergo detrahitur Filio, derogabitur & Patri. Nam nihil alter sine altero facit: quia esse alter

Ioan. 14. Ioan. 10.

sine altero non potest. Nec Filius est Filius, nisi Patrem habet: nec Pater Pater, nisi habens Filium. *Pater*, inquit, *maior me est.* Sed plenitudo eiusdem Diuinitatis in Filio est. Denique Apostolus, *Quotquot*, inquit, *promissiones Dei sunt, in illo EST.*

G

1. Cor. 1.

Nunquid ergo obsequia Filij Diuinitatis statum soluunt? Soluitur enim in Christo omne quod Deus est, si maiestatis alterius accipitur: Alterius autem erit, si maiestate Pater maior me est. Quæ quidem maiestas, quia vna est, vnius scilicet Dei non potest non esse perfecta: imperfecta inæqualis est, inæqualis autem, si altero minor est. Sed in hoc loco illud vobis applaudet quod Matthæus refert, Filium hominis, quasi priuatum scilicet & minorem, legite in eodem Matthæo, Filium esse venturum in maiestate Patris.

Matt. 25. Luc. 21.

de quo aduentu & Lucas: *Cum venerit*, inquit, *Filius hominis cum gloria sua & Patris.* Non tam ergo à vobis minor maiestate Filius dicitur, cum hoc dicitur, quàm

Sap. 7. Ioan. 10.

Deus negatur. Ille, inquam, ille de quo Salomon ait: *Splendor est lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis.* Planè speculum sine macula. Custodit enim Dei vultus, & figuram fideliter exprimens plenam Patris imaginem reddidit. Et quid ampliùs de statu eius in quo se Dominus Christus agnouit?

H

Cur pater maior.

Pater, inquit, *maior est me.* Meritò maior, quia solus hic author sine authore est. Denique Apostolus de Filio: *In ipso*, inquit *habitat omnis plenitudo Diuinitatis corporaliter.* Ergo vt Filius in

Colos. 2.

Patre ita & Pater perfectus in Filio est. Denique dicens Dominus noster proficisci à Patre Spiritum sanctum,

Ioan. 16. 1. Ioan. 1.

subdidit: *De meo accipiet* Sicut Ioannes cum dixisset: *Annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem*, addidit: *Hæc vita in Filio eius est.* Ac si cum ambo & alteruter perfecti sint, vnus tamen perfectus Deus est in duobus.

Ioan. 10. *Sabellius.*

Pater, inquit, *maior me est.* Meritò maior, quia non ipse descendit in Virginem, quod Sabellius noluit, apud quem Pater & Filius ambo non sunt, hoc est, duûm nominum vna persona, quum Patris vocem audierit per Isaiam: *Ecce Filius meus quem ego elegi, ponam Spiritum meum super eum.*

Isai. 42. Ioan. 14. Isai. 61.

Ac deinceps per eundem Prophetam loquentem Filium recognoscat, *Spiritus Domini super me propter quod vnxit me.* Quam hæresim Dominus præuidens: *Non creditis*, inquit, *quia ego in Patre & Pater in me?* Certè non dixit: Ego sum pater, & ego

in

A in me: sed, *Ego in patre & Pater in me*: quo dicto duas hæreses elisit, Sabellianam scilicet & Arianam. Patrem & Filium non esse vnam personam, vt Sabellus: aut duas substantias, vt Arrij, sed (vt fides Catholica confitetur) vnam substantiam & duas docuit esse personas. Sed quid argumentis opus est? cum ipse Dominus pronuntiauerit definitiuâ sententiâ *Quæcunque Pater facit, eadem & Filius*, quomodo eadem, si aspirare ad summam paternæ illius gloriæ non potest; Imò quia potest, rectè Ioannes: *Sine ipso*, inquit, *factum est nihil*. Et ipse Dominus: *Ego*, inquit, *& Pater vnum sumus*. Vnum vtique per naturam: quia quod erat in Filio hominis, & in Patris sinu manebat. Denique: *Et me*, inquit, *nostis, & nostis vnde sim, & non veni à me, sed est verus qui me misit, quem vos nescitis. Ego noui eum, quia apud illum sum, & ille me misit*: &, *Solus*, inquit, *non sum, sed ego & qui me misit, Pater*: &, *Sicut me nouit Pater, & ego noui Patrem*. Nescio autem an nosse potuerit Patrem Filius, si

Ioan. 1.
Ioan. 7.

B initium sortitus est Filius. Genitus enim nosse non potuit ingenitum, antequam genitus est. Iam ergo non sic Patrem nouit, vt notus à Patre est, & ascribendum ei mendacium (quod in Domino cadere non debet) & meritò ascribendum, si assertio eius ratione non steterit. Non stabit autem nisi ille est, & qui non solum exiuit à Patre, sed in Patre & est, & fuit semper. *Omnia*, inquit, *tradidit Pater in manu eius*.

Ioan 3.

Quomodo omnia, nisi & omnis temporis? Quomodo autem omnis temporis, si initio non caret? Quamlibet enim ante omne tempus natum dicatis, tamen quia vultis cum aliquando cœpisse qui natus est, nec fuisse quod factum est, nescio quomodo defendatis omnia illum à Patre & omnis temporis consequutum. Subiectus inquit, Patri Filius cum omnibus his, quæ ei ipse Pater subiecit. Quod venenatum virus exquisitorum verborum velamine tegitis. Nos quæ audiuimus à patribus nostris, constanter prædicamus: & vos ergo doctrinam

Filius ante omne tēpus.

C patrum vestrorum deserere nolite. Illi, inquam, liberè Deum gloriæ cœlestis non Deum verum esse, sed creaturam Dei perfectam esse dixerunt. Vos tamen idem sentientes abruptâ blasphemiâ, verba vitantes ambigua sectamini ad decipiendos simplices & incautos. Subiectum enim Patri Filium non Patris vel Filij nomine, vt Sancta & Catholica dicit Ecclesia, sed (vt suprà diximus) creaturæ conditione profitemini. Dicentes enim: Cum omnibus his quæ illi Pater subiecit, Patri Filium esse subiectum, nonne ipsum in creaturarum ordine, quæ ex tempore sunt instituta, numeratis? Nihil enim secundum vos omni creaturâ ampliùs habet Deus & Dominus noster, nisi quòd primus in numero est, nisi quòd ei etiam illa seruiunt cum quibus seruit. Seruus enim & ipse si seruit, & licet nonnullorum Dominus, sed Dominus voluntate, si voluntate Domini Dominus effectus, hoc ipso seruiens, quòd iussus est imperare. Hoc est illud quod vos occultè, & patres vestri cum libertate dixerunt: Filium Dei sine tempore editum à Patre, & fundatum non priusquàm nasceretur.

Ambiguè loquuntur hæretici

D Quæ ista est, rogo, cordis, hebetudo? quæ obliuio spei? Imò quæ tam amens & blasphema confessio Deum dicentis, quem omnibus his quæ ex nihilo facta sunt, comparastis? Hoc est & filium falso nomine Diuinitatis illudere, si esse verbo dicitur, quod corde negatur? & Deum Patrem mendacem notare dicentem scilicet: *Ego sum qui sum*: &, *Ego sum Dominus solus*, &, *Claritatem meam alteri non dabo*: &, *audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est*: &, *nomen meum non quæras, Deus nomen est mihi*. Si ergo vnus Deus, vni hoc competit nomen. Vnus autem iam non erit, nisi in Patre Deo Filius Deus sit? & meritò Dominus iuxta Prophetam, qui dixerat: *Benedictus qui venit in nomine Domini. Ego*, inquit, *veni in nomine Patris mei*. Quod nomen Patris, nisi Dei nomen & Domini? quod Ioannes in Filio recognoscens: *Qui est*, inquit, *& qui erat, & qui venturus est omnipotens*. Patrem inquit initium non habere. Hoc est dicere Filium habere. Nam quæ necessitas id de Patre asseuerare quod notum est, nisi præ-

Exod. 3.
Num. 6.
Apoc. 1.

E iudicium eius opinionis quæ de Filio paria suscepit? Patrem, inquit, initium non habere. Quis negat? Sed puto, & imago inuisibilis & ingeniti Dei non potest cœpisse post Deum. Denique interroganti Moysi quis esset, respondit: *Ego sum qui sum semper*. Erat enim semper qui est & erit semper. De quo Ioannes; *Quod erat ab initio, oculis nostris vidimus*. Et rursùm: *annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Patrem*: vtique & in Patre: Nam quod ex ipso erat, extra ipsum esse non poterat. Et sanè cum dicitur. Erat in ipso tempus; non ipse fuisse in tempore nuntiatur. Æternæ enim substantio vis non facta est à Deo, sed egressa à Deo, ideò, *Et ego* (inquit) *à Patre exiui*: &, *Ego & Pater vnum sumus*: *& qui me videt, videt & Patrem*: &, *Ego in Patre, & Pater in me*: &, *Qui me misit, mecum est*. Ideò & Dauid: *Tecum principium in die virtutis tuæ*. Dei enim verbum, hoc est, Dei Filius, ante omne principium cum eo qui ex eo, & in eo cui nullum potest esse principium. In-

Exod. 3.
Ioan. 1.
Ioan. 10.
Ioan. 14.
Ps. 109.

F uenimus quidem dixisse Salomonem ex persona sapientiæ (quam Christum esse defendimus) *Dominus condidit me, & ante sæculum fundauit me, & prior abysso genita sum*. Sed non ideò credendum est Deum factum. Nam si factus est, non fuit: si non fuit, non erit. Et quomodo Deus, cui, ne Deus sit, vtrâque conditio præscribitur? Ideò autem sapientia Dei nata & condita nuntiatur, ne quid præter ipsum Deum Patrem, qui est etiam suis origo virtutibus, crederetur in natura. Exinde enim rectè diceretur; Ex ipso, & in ipso creata sapientia, ex quo effulsit ab eo vnigenita & beata natiuitas. Qui ergo probauerit sine verbo, sine sapientia, sine ratione, sine virtute, sine Spiritu aliquando Patrem fuisse, is probauit cum Patre & in Patre Filium ante omne principium non fuisse. Tamen nescio si his virtutibus carens Pater possit Deus dici. Non modò enim Deus qui in sua æternitate perfectus est, sed nec creatura quidem vlla secundum suum genus non consummata constabit. Non

Prou. 8.

G potest enim quid esse, quod non sit, non erit autem si id illi fuerit, quod esse debebit. Totum igitur defuit Patri, si aliquid defuit de toto. Defuit autem, si Filius suus, hoc est virtutum suarum pleniendo, initio non caret: & necesse est hanc opinionem alterutram blasphemiæ partem profanâ & sacrilegâ finitione transire. Aut enim Pater credendus est cum Filio suo initium fuisse sortitus, quia sine Filio, hoc est sine virtutibus suis, esse non potuit, & erit autor huic illorum initio nescio quis tertius Deus: aut si solus ipse sine initio dicitur vsque ad Filij generationem, imperfectus fuisse dicendus est. Imperfectus enim, si cœpit habere quod ante non habere voluit. Is omnia autem habere debuit semper, qui semper debuit esse perfectus: quia non recipit augmentum quicquid occupauerit totum. Patrem inquiunt initium non habere, inuisibilem esse, immortalem esse, impassibilem esse, Hæc ideò proponunt vt contraria his Filio ascribant. Quicquid enim de Patre negant, de Filio confitentur, qui si habere initium probatur, meritò

Pater nō est sine Filio.

H mortalis, meritò passibilis. Præiudicatum quidem esse deberet, & cætera passionum genera in Filium non conuenire, primâ propositionis specie destructâ, quæ initium dabat Dei verbo. Ne quid tamen diffidentia præ cæteris quæ sunt profanè proposita, retractemus. Nam vt initium non habenti ascribi, cætera quæ sunt huic definitioni subiecta non possunt: ita si vni eorum affinis deprehenditur, æquum est etiam illa quæ fuerant defensa dissolui. Inuisibilem, inquit Patrem esse. Quasi verò vsquam inueniamus vel Filium sine transfiguratione fuisse visibilem, antequam Patri obediens fieret ex æternitate corporeus. Quamuis enim & Abrahæ visus sit, & Iacob, & Moysi, & Isaiæ, & Ezechieli, tamen visionis illius qualitas explicatur. In somno enim & in speculo & in ænigmate visus refertur. Denique & Moysi postulanti vt cognosceretur eum videret, *Nemo potest*, inquit, *faciem meam videre: quia nemo qui eam viderit viuet*. Ergo hoc loco aut Patrem locutum fuisse contendant, qui inuisibilem esse se dicit: aut si Filium non negant, hunc locutum sciant, &

Quomodo visibilis Deus.

Exod. 33

A illum suo nomine inuisibilem fuisse, vt sermonem, vt spiritum. Inuisibilis Deus denique quomodo visus sit, eadem scriptura testatur. Refert enim loquutum cum eo Deum, tanquàm ad amicum, facie ad faciem. Ac deinceps subiungit postulasse Moysem, vt faciem eius videret: quàm vtique si viderat, non statim postulasse videndam. Ait quidem Iacob: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea:* sed quomodo eam faciem videndo saluatus est, quæ, si videatur, occidit? Quomodo & dominus ostenderat faciem suam, quam videri non posse postmodùm dixit, nisi illâ conditione quâ suprà diximus, in speculo scilicet & in ænigmate, in somnio & visione? Hoc est ergo illam visibilem materiam assumpsisse cum placuit, statim verò inuisibilem perseuerare: quia necesse est, si visibilis docetur, non ex eo illum esse quem inuisibilem confitemur. Sed hanc assertionem, vt quæstionibus testamenti veteris expediant, de nouo testamento sumunt confirmationem.

Gen. 32.

B Ait enim Dominus & Deus cum de Patre loqueretur, nulli Patris imaginem visam: quod si imago Patris ipse est Filius, vt Apostolus probat, negat visibilem fuisse, dicendo, nulli Patris imaginem visam. Et ideò, *Nec me*, inquit, *nostis*, *neque Patrem meum.* Et hîc certè duos confirmat ignotos, tam autem duos quàm inseparatos. Nam si ipsum nossent, & Patrem nossent: quia per indiuiduitatem neque sciri neque ignorari alter sine altero poterat. Similis igitur de mortali & passibili ratio subsequitur. Nam si neque initium habet Filius, vtpotè qui semper in eo & fuerit & sit, cui initium non datur: neque visibilis, qui in sinu inuisibilis perseuerat: iam nec mortalis nec passibilis habendus est, ex ea tamen substantiæ parte qua Deus. Scimus enim nihil spiritum Dei passum, dumtaxat suo nomine: quia impassibilis Deus, quia Deus spiritus. Scimus quòd omnis illa passio propriè carnis & animæ, id est hominis: in quo quidem homine cum pateretur erat & Filius Dei

Ioan. 14

Ioan. 4.

C cohærens illi per naturam (à quo venerat) Patri, & vnitatis vinculum seruans, in terris hominem gestabat, nec aberat à cœlis. Sic mediator dictus, sic sequester vtriúsque substantiæ. Non ergo passibilis Dei spiritus, licet in homine suo passus: quem ideò nec in passione deseruit, vt ei pati posse præstaret, quod nisi ita recipitur, fidei nostræ ratio non stabit, dantis scilicet ei hominis infirmitatem quem Deum non negant. Nam si & initium habens dicitur, & visibilis docetur, & mortalis inducitur, non video ab homine quid distet, in quem regnant huiusmodi passiones. Confitemur, inquiunt, Filium Dei, Deum ex Deo, lumen de lumine. Videri quidem sacrilegum non potest, perfectam Fidei Catholicæ professionem, malignâ disputatione vexare, sed concedendum non est vt tollatur nobis illud quod nobiscum non tenent, per hoc quod nobiscum tenent. Agnoscimus igitur & cum veneratione suscipimus communis fidei verba, sed quid faciemus? Sic vesana Arriomanitarum doctrina

Christus in cælo & terra mediator.

Sym. Nic.

D tradit. Et ipsa enim, dicens Deum ex Deo, lumen ex lumine, facit ex Deo alterum Deum, ex lumine alterum lumen: vt sit Filius ex Patre & non in Patre, hoc est, vt factus Deus à Deo, non sit vnigenitus in Deo: Sed quid hic ampliùs, cum nonnullorum ex iis, qui nuper ad nos hanc fidem egregiam miserunt, scripta teneantur, quibus dicentes Deum ex Deo, lumen ex lumine, tamen separatum à Patre & penitùs excisum hæreticâ disputatione ducuerunt? Ipsum inquiunt Filium Dei hominem de Maria suscepisse per quem compassus est. Congruo igitur omnia fine claudentes, quod mente conceperant, scripturâ confessi sunt, respondente ea sensui suo, & occulta eorum venena referante: dicentes scilicet Filium Dei hominem de Maria suscepisse per quem compassus est. Primum, non video cur malueriint compassibilem dicere, quàm liberè passibilem confiteri. Quasi verò aliud sit compati quàm pati. Porrò autem si impassibilis Deus, vtique & incompassibilis. Tam ergo compassus non est, quàm nec passus est, ex ea tamen conditione quâ Deus. Denique Apostolus: *Passus est*, inquit: *ex infirmitate*, vtique carnis. Caro

Arriomanita.

Hæretici aliud corde aliud ore sensit.

2. Cor. 13.

Matt. 20.

E enim infirma, spiritus promptus. *Sed viuit ex virtute Dei*: vtique ex semetipso. Ipse enim, Dei virtus habens vitam in semetipso: quod credimus Dominum nostrum ex duabus substantiis constitisse, humanâ scilicet atque diuinâ, & ita illum immortalem fuisse diuina, vt mortalem eâ quæ fuerit humana: Ex vna enim natus, ex alia probatus: ex vna immortalis, ex alia mortalis. Denique idem Apostolus, *Christus*, inquit, *mortuus est*, id est, vnctus. Hoc enim nomen ad vnctionem deducitur: Si ergo non aliud quam caro vncta est, caro igitur tantummodò mortua dicitur, quoties Christus mortuus nuntiatur. Sed si quis extorquere è duobus alterum velit, vt aut vnum Deum singulariter determinemus, si vnum fatemur, aut duos liberè proferamus, si & Patrem Deum & Filium Deum dicimus: illud ante omnia sciatur, nec vnum nos cum præiudicio, nec duos dicere, quia vnum dicimus in duobus ipso Domino sugge-

1. Cor. 15.

M. vel Christi.

Ioan. 10.

F rente: *Ego & Pater vnum sumus*, vt duo crederentur in vna virtute. Non enim dixit tanquàm ex vna persona, Patris & Filij, quasi Filius Patrem se confirmans: *Filius meus sum*: &, *Ego hodie genui me*: &, *Ante luciferum genui me*: &, *Dominus condidit me initium viarum mearum*: &, *Ante sæcula fundauit me.* &, Ego & Pater vnum sum: sed reddens notitiam sacramenti distinctione, non diuisione personarum: *Ego* (inquit) *in Patre*, *& Pater in me*: *Ego & pater vnum sumus*: &, *Qui me videt, videt & Patrem*: videri enim Patris Filius, imago vera & figura expressa substantiæ eius, hoc est Dei sermo, non sonus vocis, sed res substantiua ac per substantiam corpulentia. Non enim sine substantia constitit quod de tanta substantia fecit. Nihil ergo vacuum de pleno, nihil inane de solido, quia Dei sermo spiritus Dei Christus, instructus est, & (vt euidentius dicam) sermonis corpus est: Corpus enim spiritus, sed corpus sui generis. Nam & inuisibilis & incomprehensibilis spiritus. Nunquid tamen inane & vacua res Deus? Deus enim spiritus est. Denique *nemo scit*) inquit *quæ*

Psalm. 2.

Ioan. 14

Hebr. 1

Sermo Dei

Ioan. 4.

G *sunt in Deo, nisi spiritus qui in ipso est.* Legimus quidem: *Quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Nemo vtique sed extra spiritum suum nemo: quem spiritum Propheta sapientem, architectum & mirabilem consiliarium dicit: nec immeritò. Nam idem spiritus sermo & sapientia Dei est: ex cuius persona Salomon: *Cum pararet* (inquit) *cælum, ego aderam illi.* &, *Ego* (inquit) *eram cum illo, & mihi adgaudebat.* Non ergo consiliarius nemo, quia per ipsum facta sunt vniuersa quæ facta sunt. Denique cum eadem sapientia & verbum Dei, & spiritus Dei sit, singulorum tamen nominum officia nuntiantur. Sapientia condenti omnia Patri aderat, sermone eius cœli solidati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Apparet ergo vnum eundemque venisse nunc in nomine spiritus, nunc in appellatione sapientiæ. Ergo hic sermo *cum in forma Dei*

1. Cor. 2.

Rom. 11

Prou. 8.

Psal. 32

H *esset*, Sapientia & ratione & spiritus ratione & spiritus virtute constructus, hoc est, totam vim Dei possidens, non se Deo Patri adæquauit, sed *formam serui accipiens humiliauit se vsque ad mortem.* Induerat enim quod seruiret, quod mori posset: hominem scilicet quem excitatum exhibuit ad cœlum, & secundus Adam per obedientiam restitueret quod primus transgressione perdiderat. Si qui igitur adhuc & de Apostolo requirit dominicum statum, id est, singularis substantiæ qualitatem, quæ per naturam autori suo iungetur, audiat ad compendium quid idem Apostolus senserit, cum Dei Patris inuestigabiles vias & recondita retrò sacramenta loqueretur. *Ex ipso*, inquit, *& per ipsum, & in ipso omnia.* Cum dicitur per ipsum, agnosco Filium significari: legi enim, *Per ipsum omnia.* Cum in ipso nuntiatur, nihil noui est, in ipso enim omnium seminum initia constiterunt. Sed cum refertur. Ex ipso, certè ad Patrem vt ad rerum omnium respicitur autorem. Et si ita est, vt est, quomodo his ratio constabit distincta iungentibus, hoc est referentibus ad vnum omnia, cum alius sit, ex quo omnia, & alius, per quem omnia? quia alius ingenitus, alius vnigenitus, nisi alia

Philip. 2

condi

A conditione quâ rectè dicitur: & ex Filio omnia, dum in eius corde est per naturam, ex quo omnia, & per partem omnia, dum in eo semper est per quem omnia. Pater enim sensu agit: Filius verò, qui in Patre sensus est, videns perficit. Non ergo Apostolum temerè pronunciasse credendum est: sed illud credendum non ita est credidisse, Filium scilicet Dei secundum carnem factum esse quod non erat, secundum spiritum verò esse quod fuerit, quia quod fuit semper, non potest non fuisse. Tenenda est igitur ratio quæ per arduum & angustum tramitem repit, circumiacentibus hinc & inde præruptis quæ zabolicâ fraude cæcata plana & facilia submittunt, vt in ruinam mergant excessus. Nam si vnum Deum singulariter nominamus, excludentes vocabulum secundæ personæ, furorem eius hæresis approbamus, quæ ipsum asserit Patrem passum. Si admittimus numerum cum diuisione, iungimur cum Arrianis, qui factum à Deo Deum, nouamque asserunt ex nihilo substantiam constituisse. Tenenda est igitur vt diximus regula quæ Filium in Patre, Patrem in Filio confitetur, quæ vnam in duabus Personis substantiam seruans, dispositionem Diuinitatis agnoscit. Igitur Pater Deus, & Filius Deus: quia in Patre Deo Filius Deus. Hoc si cui scandalum facit, audiat à nobis spiritum esse de Deo, quia illi cui est in filio secunda persona, est & tertia in Spiritu sancto. Denique Dominus: *Petam,* inquit, *à Patre meo & alium aduocatum dabit vobis.* Sic alius à filio Spiritus, sicut à Patre Filius. Sic tertia in Spiritu, vt in Filio secunda persona: vnus tamen Deus omnia, tres vnum sunt. Hoc credimus, hoc tenemus, quia hoc accepimus à Prophetis: hoc nobis Euangelia locuta sunt, hoc Apostoli tradiderunt, hoc Martyres passione confessi sunt: in hoc mentibus fidei etiam hæremus, contra quod etiamsi Angelus de cœlo annunciauerit, anathema sit. Sed non sum nescius, his omnibus discussis & in lucem intelligentiæ publicæ propositis, antiquissimi sacerdotis & promptæ semper fidei Osij nomen quasi quemdam in nos arietem temperari, quo contradictionis temeritas propulsetur. Sed hanc contra nos erigentibus machinam breui admodùm sermone respondeo. Non potest eius authoritate præscribi quia aut nunc errat, aut semper errauit. Nouit enim mundus quæ in hanc renuerit ætatem, quâ constantiâ apud Sardicam & in Nicæno tractatu assensus sit & damnauerit Arrianos. Quid si diuersa nunc sentit, & quæcumque ab eo retrò damnata fuerant, defenduntur: quæ defensa, damnantur? Rursum dico, non mihi eius authoritate præscribitur. Nam si nonaginta ferè annis malè credidit, post nonaginta illum rectè sentire non credam. Aut si nunc rectè, quid de his opinandum est, qui eadem signati fide in qua ipse erat, de sæculo transierunt? quid & de ipso pronunciaretur, si ante hanc synodum dormiisset? Ergo vt suprà diximus, præiudicatæ opinionis authoritas nihil valebit, quia contra semetipsam ipsa consistit. Et sane legimus, Iustitia iusti non saluabit eum in quacumque die exerrauerit. Amen.

Patripassiani. B Ioan. 14 Ibid. Fidei constantia. Galat. 1 C Osius. D Ezech. 33.

S. PACIANI BARCILONÆ Integerrimi quondam Episcopi,

Epistolæ tres ad Sympronianum Nouatianum. Eiusdem Parænesis ad Pœnitentiam. Altera eiusdem de Baptismo.

S. PACIANI VITA.

Ex S. Hieronymi Ecclesiasticorum Scriptorum Catalogo.

Pacianus in Pyrrhinei iugis Barcilonæ Episcopus, castitate & eloquentiâ, & tam vitâ quàm sermone clarus, scripsit varia opuscula, de quibus est Κέρβος & contra Nouatianos. Sub Theodosio principe, iam vltima senectute mortuus est.

E

Ex Bellarmin. de Sriptorib. Eccles.

Pacianus Episcopus Barcilonensis obijt Theodosio imperante; & scripsit Epistolas tres contra Nouatianos, quarum meminit S. Hieronymus in lib. de script. Eccles. Nunc verò in Biblioth. Patr. & seorsim in editione Romana anni Domini 1564. non solùm extant tres illæ epistolæ, sed etiam Parænesis eiusdem Paciani ad pœnitentiam, & Libellus de baptismo. Neque aliquid occurrit, vnde de eorum librorum auctoritate dubitari possit.

S. PACIANI BARCILONENSIS Episcopi, ad Sympronianum Nouatianum de Catholico nomine, Epistola I.

F

PACIANVS Sympronian0 fratri, S. Si non carnalis intentio, sed, vt ego arbitror, vocatio spiritualis est (Domine) quod ex nobis fidem Catholicæ veritatis examinas: tu potissimùm quæ vel quam diuersa sequeris indicare debueras, qui à riuulo procul in quantum apparet exorsus, fontem atque originem principalis Ecclesiæ non tenebas; te, vt quæ causa potissimùm de vnitate corporis nostri soluisset, aperires: nudari enim eas partes oportet, quibus medicina deposcitur. Nunc clauso (vt ita dixerim) literarum sinu, quæ membra nobis potissimum curanda sint, non videmus. Tantæ enim à capite Christiano hæreses extiterunt, vt nominum ipsorum sit volumen immensum. Nam vt Iudæorum hæreticos prætermittam, Dosytheum Samaritanum, Sadduceos & Pharisæos, quanti Apostolorum temporibus emerserint, dinumerare perlongum est, Simon magus, & Menander, & Nicolaus, & cæteri quos fama recondit obscura. Quid posterioribus temporibus Ebion & Appelles, & Marcion, & Valentinus & Cerdon; nec longè post eos, Cataphryges, & Nouatiani, vt examina nouella prætercam; Quis ergo mihi primùm per literas refutandus est? ipsa (si voles) nomina omnium charta non capiet; nisi quòd scriptis tuis, pœnitentiam vsquequaque damnantibus, secundùm Phrygas te assensisse pronuntias. Verùm his ipsis, Domine clarissime, tam multiplex & diuersus est error, vt non hoc vnum in illis quod contra pœnitentiam sapiunt, sed quasi quædam capita Lernæa cædenda sint. Et primùm hi pluribus nituntur authoribus; nam puto, & Græcus Blastus ipsorum est: Theodotus quoque & Praxeas, vestros aliquando docuêre; ipsi illi Phryges nobiliores qui se animatos mentiuntur à Leucio, se institutos à Proculo gloriantur. Montanum & Maximillam & Priscillam sequuti, quàm multiplices controuersias excitarunt de Paschali die, de Paracleto, de Apostolis, de Prophetis: multaque alia, sicut & de Catholico nomine; de venia Pœnitentiæ. Quare si omnia ista discutere velimus, docili præsentiâ opus est: si hæc sola quæ scribis non satis instruerem, tamen quia quomodo admirantibus seruiendum est, informandi tui gratiâ, summatim ad ea de quibus scribere dignatus es colloquimur: Si quid scire pleniùs de nostro voles, oportet vt de tuo profitearis simpliciùs; ne obscuriùs consulendo, non scire nos facias, vtrum interroges an lacessas. Intereà quod ad præsentes pertinebit, ante omnia te rogatum volo, ne ob hoc ipsū authoritatem mutueris errori, quod (sicut ais) per orbem totum nullus intùs sit, qui te reuinceret aut persuadere tibi posset contrà quàm crederes. Nam & si nos imperiti, peritissimus Dei Spiritus: & si nos infideles, fidelis Deus, qui negare se non potest. Tum porrò, quod obtinendo, Sacerdotibus Dei diu contendere non licebat, *Nos* (inquit Apostolus) *talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.* Post vnam correptionem, sicut scis ipse, contentiosus omittitur. Persuadere autem quis aliquid possit inuito? Tua ergo frater non illorum culpa est, si tibi quod erat optimum nemo persuasit. Nam & hodie in potestate tua est, vt nostra etiam scripta contemnas, si ca mauis vincere quàm probare. Cæterum & ipsi Domino

Hæreseon numerus infinitus. G Hæreticus vt. H doceri possit. Hæresicus primum deponat opinionem subsilitatis. 1. Cor. 11. Tit. 3. c.

A

Veritas, inuito persuaderi non potest.

& Apostolis eius plurimi restiterunt, nec persuaderi veritas cuiquam potuit, nisi ei propria religione consensit. Itaque domine, & nos non ea fiducia scripsimus, qua repugnanti aliquid persuadere possimus; sed ea fide qua volenti, bonae pacis aditum non negemus; quae si animo tuo & cordi est, de Catholico nomine nullum habet esse luctamen.

Ecclesia cur dicta Catholica.

Si enim per Deum id populus noster adipiscitur; nec interrogandum est, praecedente authoritate diuina. Si per hominem; quando vsurpatum, detegendum, Tunc si bonum nomen est, non recipit odium: si malum, caret inuidia. Nouatianos audio de nouato aut Nouatiano vocari: sectam tamen in his, non nomen accuso: nec Montano aliquis aut Phrygibus nomen obiecit. Sed sub Apostolis, inquies, nemo Catholicus vocabatur: Esto, sic fuerit, vel illud indulge. Cùm post Apostolos, haereses extitissent; diuersisque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare per partes & scindere niterentur; nonne cognomen suum plebs Apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret vnitatem, ne intemeratam

B

Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne appellatione propria decuit caput principale signari? Ego forte ingressus populosam vrbem hodie cùm Marcionitas, cùm Apollinariacos, Cathaphrygas, Nauatianos & caeteros eiusmodi comperissem qui se Christianos vocarent; quo cognomine congregationem meae plebis agnoscerem, nisi Catholica diceretur? Age, quis caeteris plebibus nomina tanta largitus est? Cur tot vrbibus, tot nationibus sua quaeque descriptio est? Ipse ille qui Catholicum nomen interrogat, causam sui nominis nesciet, si requiram vnde mihi traditum est.

Certè non est ab homine mutuatum quod per saecula tanta non cecidit, Catholicum istud; nec Martionem, nec Appellem, nec Montanum sonat, nec haereticos sumit authores.

Multos nos Spiritus sanctus edocuit, quem Paracletum Apostolis & magistrum Deus misit è coelis; Multa

C

ratio sicut dicit Paulus, & honestas, & (vt ait) ipsa natura.

Quid? Parua nobis de Apostolicis viris, parua de primis Sacerdotibus, parua de beatissimo Cypriano martyre, atque Doctore currit auctoritas? An volumus docere doctorem? An sapientiores illo sumus, & spiritu

Patrum authoritas.

carnis inflamur aduersus eum, quem aeterni Dei testem, nobilis cruor, & clarissimae passionis corona produxit? Quid tot earum partium Sacerdotes, quos per totum orbem cum eodem Cypriano pax vna solidauit? Quid tot annosi Episcopi, tot Martyres, tot Confessores? Age; si illi, vsurpando nomini huic, authores idonei non fuerint, nos idonei erimus negando? Et nostram potiùs authoritatem patres sequentur, & emendanda Sanctorum

Tempora vitiis putrescentia.

cedet antiquitas, & iam putrescentia vitiis tempora, canos Apostolicae antiquitatis eradent? nec tamen aestues frater: Christianus mihi nomen est, Catholicus verò cognomen. Illud me nuncupat: istud ostendit: hoc pro-

D

bor, inde significor. Et si reddenda postremò Catholici vocabuli ratio est; & exprimenda de graeco, interpre-

Katholikos Vniuersalis.

tatione Romana: Catholicus vbi vnum *a*, vel (vt doctiores putant) obedientia omnia nuncupatur; mandatorum scilicet Dei. Vnde Apostolus; *Si in omnibus obe-*

Rom. 5.

dientes estis. Et iterùm: *Sicut enim per obedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: sit per obeditio-*

Catholici nomen quid significet.

nem vnius, iusti constituentur multi. Ergo, qui Catholicus, idem iusti obediens. Qui obediens, idem est Christianus: atque ita Catholicus, Christianus est. Quare ab haeretico nomine noster populus hac appellatione diuiditur cùm Catholicus nuncupatur: sed & si Catholicus vbique vnum est, sicut superiores putant, idipsum Dauid in-

Psal. 44.

dicat dicens: *Astitit regina in veste aurata & variegata*; hoc est vna in omnibus. Et in Cantico Canticorum Sponsus haec loquitur: *Vna est columba mea, perfecta mea, vna*

Cant. 6. Psal. 44.

est matri suae, electa est genitrici suae. Et iterùm: *Adducentur Regi virgines post eam.* Et adhuc: *Adolescentulae, quarum non est numerus.* Ergo in omnibus vna, & vna super omnia. Si rationem nominis quaeris, apparet. De poenitentia verò. Deus praestet vt nullis fidelibus necessaria sit, nemo post sacri fontis auxilium, foueam mortis in-

E

currat: nec tarda solamina ingerere Sacerdotes, aut docere cogatur, ne peccandi iter aperiant, dum peccanti remediis blandiuntur. Sed nos hanc indulgentiam Dei nostri, miseris, non beatis; nec ante peccatum, *sed post pecata detegimus: nec sanis medicinam, sed male habentibus nunciamus.

** Non enim opus est medico valentibus.*

Si nihil in baptizatos possunt nequitiae spirituales, nihil fraus illa serpentis, quae primum subuertit hominem, quae posteris eius tot titulos damnationis impressit; si recessit à Mundo, si regnare iam coepimus, si nullum oculis, nullum manibus, nullum mentibus nostris crimen obrepit, abiiciatur hoc Dei donum, repellatur auxilium, nulla Exomologesis, nulli geminus audiantur: contemnat omne remedium superba iustitia. Mat. 9. b Mat. 2. c

Exomologesis.

Quod si haec homini suo Dominus prouidit, si idem stantibus praemia, qui iacentibus remedia largitus est: desinite Diuinam accusare pietatem, tot coelestis clementiae titulos obiectu rigoris eradere, aut gratuita domi-

F

ni bona inobsecrabili asperitate prohibere. Non largimur ista de nostro. *Conuertimini ad me*, dicit Dominus, *simúlque in ieiunio, & fletu, & planctu scindite corda vestra.* Ioël 2.

Et iterùm: *Relinquat impius vias suas, & conuertatur ad Dominum, & misericordiam consequetur.* Itemque Propheta in hunc modum clamat: *Quoniam Deus pius, & mitis, & patiens est, & qui reflectat sententiam aduersus malitias irrogatam.* Prou. 28. 1. Io. 4

Habetne tam diuturnum serpens venenum; & Christus non habet medicinam? Diabolus in mundo interficit, Christus hîc non potest subuenire? Pigeat sanè peccare, sed poenitere non pigeat. Pudeat periclitari, sed non pudeat liberari. Quis naufrago tabulam, ne euadat, eripiet? Quis sanandis vulneribus inuidebit? An non Dauid dicit: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, in lachrymis stratum meum rigabo.* Psal. 9.

Et iterùm: *Peccatum meum ego agnosco, & facinus meum non texi.* Psal. 31.

Et adhuc: *Dixi confitebor aduersum me delictum meum Deo meo, & tu remisisti impietatem cordis.* Ibidem.

Nónne ille post caedis & adulterij reatum, pro Bethsabee poenitenti, Pro-

G

pheta respondit, *Dominus abstulit à te peccatum tuum?* Num Babylonium regem post tot idololatriae facinora damnatum, Exomologesis non liberauit? Et quid est quod ait Dominus: *Nonne qui ceciderit, resurget; & qui auersus fuerit, conuertetur?*

Exomologesis. Hier. 8. b

Quid illa tot similitudinum dominicarum argumenta respondent? Quòd drachmam inuenit mulier, & gratulatur inuentam; Quòd pastor ouem reportat erraticam; Quòd filio reuertenti post * prodacta omnia bona, & cum meretricibus & fornicariis epotata, pater blandus occurrit, & inuidum fratrem ostensa ratione castigat: *Filius* (inquiés) *meus hic mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuentus est.* Luc. 15. Ibidem.

† à prodigo ergi, prodacta in iuxta Catonis dictum proter niam facere.

Quid ille in via vulneratus, à Leuita & Sacerdote praeteritus? Nónne curatur? Reuolue quae Spiritus dicat Ecclesiis. Ephesios desertae dilectionis accusat, Stuprum Tiathyrenis imputat, Sardos in opere cessantes, Pergamenos docentes diuersa reprehendit, Laodicenorum diuitias inurit; & tamen omnes ad poenitentiam satisfactionis inuitat. Apo. 2. Ibidem

H

Satisfactio.

Quid Apostolus ad Corinthios, cùm ira dicit, *Ne cum venero, lugeam multos ex his qui ante peccauerunt, & non egerunt poenitentiam ex his quae ante gesserunt in fornicatione & immunditiis suis?* 1. Cor. 12

Quid cum rursus ad Galatas? *Si quis praeuentus fuerit in aliquo delicto; id est, quocumque, vos qui spiritales estis, instruite eiusmodi in Spiritu mansuetudinis, cauens ne & tu tenteris.* Galat. 6

At numquid paterfamilias in magna domo, argentea tantùm & aurea vasa custodit? Nónne & fictilia & lignea, & composita quaedam & refecta dignatur? *Nunc gaudeo*, inquit Apostolus, *quia contristati estis ad poenitentiam.* Chr. 7.

Et iterùm: *Quia secundùm Deum tristitia poenitentiam in salutem stabilem operatur.* Sed poenitere non licuit. Nemo sine fructu imperat laborem, *Dignus est enim mercenarius mercede sua* Nunquam Deus non poenitenti, comminaretur nisi ignosceret poenitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est: sed & quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. *Merces.* Luc. 10

Sacerdotum potestas.

Nam quid est illud quod Apostolis dicit; *Quae ligaueritis in terris, ligata erunt & in coelis: Et quaecúmque solueritis in terris soluta erunt & in coelis.* Cur hoc, si ligare hominibus ac Mat. 16.

soluere

A soluere non licebat? An rantū hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum sanctum dare solis, & solis gentium peccata purgare: quia totum hoc, non aliis quàm Apostolis imperatum est. Quòd si vno in loco, & resolutio vinculorum & sacramenti potestas datur; aut totum ad nos ex Apostolorum forma & potestate deductum est; aut nec illud ex decretis relaxatum est. 1.Cor.3.b. *Ego*, inquit, *fundamentum posui, alius autem superædificat.* Hoc ergo superædificamus, quod Apostolorum doctrina fundauit. Denique & Episcopi, Apostoli nominantur, sicut de Epaphrodito Paulus edisserit. Phil.2.d. *Fratrem & commilitonem*, inquit, *meum; vestrum autem Apostolum.* Si ergo & Lauacri & Chrismatis potestas, *Chrisma.* maiorum & longè charismatum ad Episcopos inde descendit; & ligandi quoque ius adfuit, atque soluendi. Quod etsi nos ob nostra peccata temerariè vindicamus; Deus tamen illud, vt sanctis & Apostolorum *Apostolorum cathedra* Cathedram tenentibus, non negabit; qui Episcopis, etiam vnici sui nomen indulsit. Plura scriberem frater, B ni & celeritate pueri reuertentis vrgerer, & vel præsenti tibi vel de omni proposito confitenti, copiosiora seruarem. Nemo Episcopum hominis contemplatione despiciat. Recordemur, quòd Petrus Apostolus Dominum nostrum Episcopum nominarit; 2.Pet.2.d. *Sed conuersi*, inquit, *modò ad Episcopum & Pastorem animarum vestrarum.* Quid Episcopo negabitur, in quo Dei nomen operatur? *Episcopi iudicium & dignitas.* Reddet quidem ille rationem si quid perperam fecerit, vel si corruptè & impiè iudicarit. Nec præiudicatur Deo, quominùs mali ædificatoris opera rescindat: interea si pia illa administratio est, adiutor Dei operum perseuerat. Ecce Apostolus ad Laicos scribit; 2.Cor.1 *Laici.* *Si cui quid donatis, & ego: Nam & ego quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi, vt non possideatur à satana; non enim versutias eius ignoramus.* Si autem quod Laici donant, Apostolus donasse se dicit, quod Episcopus fecerit qualiter respuetur? *Chrisma. Innouatio Corporis.* Ergo nec Chrisma, nec Baptisma, nec criminum remissio, nec innouatio C Corporis, sanctæ potestati eius indulta est, quia nihil propria vsurpatione mandatum est, totumque id ex Apostolico iure defluxit? Scio, frater, hanc ipsam pœnitentiæ veniam non passim omnibus dari; nec antequam aut interpretatio diuinæ voluntatis, aut forsitan visitatio fuerit; relaxari: magno pondere magnoque libramine post multos gemitus effusionemque lachrymarum, post totius Ecclesiæ preces, ita veniam veræ pœnitentiæ non negari, vt iudicaturo Christo nemo præiudicet. Si apertiùs quid tu sentias, scripseris frater; pleniùs instrueris.

a Catholicus vbique vnum. *Ecclesiam Catholicam appellari Græca dictione quòd vbique terrarum diffundatur, interpretatur D. August. Epist.* 170. *ad Seuerinum. Et in Breuiculo contra Donatistas, Collationis* 3. *diei, cap.*3. *narrat dixisse Catholicos meritò se tales esse & vocari, quòd Ecclesiæ toto Orbe diffusæ communicarent: respondisse verò Donatistas; non Catholicum nomen, ex vniuersitate gentium, sed ex plenitudine Sacramentorum institutum.* D *Alioqui epist.* 48. *cùm reprehendit Vincentium ex Heresi Rogatiana, quòd acutum aliquid dicere sibi videretur, cum Catholicæ nomen non ex totius Orbis communione, sed ex obseruatione omnium præceptorum diuinorum, & omnium Sacramentorum interpretaretur, non tam illam reprehendit nominis interpretationem, (quam hoc loco doctiorum esse dicit D. Pacianus) quàm quod ex ea persuadere nitebantur Rogatianistæ se remansisse solos qui ex diuinorum Præceptorum obseruatione Catholici rectè appellarentur. Mihi enim multò potiùs videtur illam probare cùm enarratione in Psal.*65. Ecclesia, *inquit*, totum tenet, hæretici in parte sunt: *Illa enim eadem Epist.* 48. *non negat fortè appellari Catholicam non à toto orbe terrarum, sed à toto quod veraciter tenet*, cuius veritatis, *inquit*, nonnullæ particulæ in diuersis etiam hæresibus inueniuntur.

* * *

SANCTI PACIANI BARCILONENSIS Episcopi, ad Sympronianum de eius literis.

EPISTOLA II.

E PAcianus Episcopus Semproniano fratri salutem. In quæstione prolixa, quantùm potero breuitatem sequar. Neque tibi frater sub interrogationis bonæ specie, occulta verborum tela iaculanti atque obiicienti, quæ ipse machinare, aliquam vicem malitiæ repensabo. *Orare pro persequentibus iubemur, maledicentibusque benedicere.* Matth.5. Fraus enim quasi vulpeculæ, vis autem leonis est: *Hæreticorum fraudes.* vtrumque ab homine alienissimum, sed fraus odio digna maiore. Nam cùm plùs nocere credas, quasi ignarus interrogas, cùm docere te putes, simulas erudiri. *Rabbi*, Dominum vocabant veteres Pharisæi, cùm ænigmata legis opponerent, magistrum appellabant, F cùm sibi omne magisterium vindicarent. Quidlibet agas, frater, totum ex me simpliciter recognosces. Malo imperitus quàm malitiosus intelligi: malo fatuus quàm callidus iudicari. Quare priusquàm rationem fidei nostræ (de qua moueris) assignem, accipe pauca de literis tuis, quas tractatui prætulisti. Refectum esse te dicis prioribus epistolis meis, & statim addis me cum amaritudine respondisse quæ scripserim. *Amarè, magis salubriùs.* Si amara reficiunt, quid dulcia operentur, ignoro; nisi quia, vt in medicinæ poculis, solet amarum magis quàm dulce medicari. Sed quæso, literas meas, an aliquo felle respersæ sint, quid superbum, quid insuaue responderim. Plures me, ais, hæreses nominasse, de quibus nemo quæsierit. Age, quid tua, si hæreticus non eras? Qui cùm de fide nostra moueres quæstionem, & doceri velle te diceres scripsi ignorantiæ causas esse multiplices, quæ vos potissimum haberet, vt aperires, ne retexendis pluribus æstuarem. De Catholico nomine multa respondi G placidè. Dixi enim, nihil alterius interesse quid alius vocaretur. Ac si vim nominis postulares, quodcumque illud esse mirificum, seu vnum in omnibus, seu vnum super omnia, seu quod antè non dixi, filius regis, id est, populus Christianus. Adeò certè non indirum nobis quod per sæcula tanta non caderet. Et sanè gratulor quòd licet alios antepofueris, etiam circa nos assentiare de nomine. Quid si negares? Natura clamaret. Aut Iudic.13. si adhuc dubitas, taceamus. Ambo, quod vocabimur, hoc erimus teste nominis vetustate. Cæterum si pertinaciùs flagitaueris, vide ne tibi vir ille virtutis exclamet. *Quid interrogas nomen meum? Et ipsum est mirabile.* Tunc addidi sanè, vnde Catholici nomen hoc traherent, non esse reputandum; quia nec Valentinis si à Valentino, nec Phrygibus si à Phrygia, nec Nouatianis, si à Nouatiano vocarentur, imputari solere. *Fingit eum ciuis in plebem Catholicam.* Hîc tu grauiter commoueris, & quasi aculeo fixus erigeris; nam sic iratus exclamas: Nunquid Cypriano sancto viro hoc obest, quòd populus eius Apostaticum nomen habet, vel Capitolinum, vel * Syndreum? ** Arbitror hic legendum σund-ρ-ιον, est autem conuitiū à Concilij nomine ductū in inuidiam Cypriani.* Conuitiaris; & ecce non moueor. Horum-ne aliquid appellati sumus? Interroga sæculum, frater, totosque ex ordine annos; an nobis nomen hoc hæserit, an Cypriani populus aliud quàm Catholicus nominatus sit. Nunquam nomen vllum ex his audiui. Iam vide, si vocari aliquis eo nomine potuit, quod sibi nescit impositum. Quid ergo? Maledicta sunt ista, non nomina, & maledicta irascentium, maledicta petulantium. Quomis & ego vos possum appellare nominibus, si liceat irasci. Cyprianum sanctum vocas, & populum eius Apostaticum? Quomodo: *si initium sanctum, & farina; & si radix sancta, & rami.* Rom.1 *Εἰ δὲ ἡ ἀπαρχὴ ἁγία, καὶ τὸ φύραμα, καὶ εἰ ἡ ῥίζα ἁγία, καὶ οἱ κλάδοι.* Egone Apostaticus, an Nouatus? Nouatus, inquam patre prodito, Ecclesiâ derelictâ, partu vxoris elfuso? Egóne Apostaticus, an Nouatianus, quem absentem epistola Episcopum finxit; quem consecrante nullo, linteata sedes accepit? verùm ista posteriùs; interim ipsi vos dicite quid vocemini. Negatisne Nouatianos à

A Nouatiano vocari? Quodlibet nomen imponas, semper istud hærebit. Scrutare totos (si videtur) Annales, & crede tot sæculis; respondebis Christianum. Inquirente me genus sectæ; Nouatianum non inficiaberis. Nec tamen ego Nouatiani tui nomen accuso, quod toties requisitum circumloquentibus lineis, & operto quodam sinu claudis. Fatere simpliciter, nihil est sceleris in nomine. Quid te toties interrogatus abscondis? quid causam nominis erubescis? Cùm primùm scripseras, Cataphrygem putabam. Tunc secundis quidem literis confiteris? Meo inuides nomini, & tuum vitas? Vide quid sit pudoris in causa quæ refugit quod vocatur. Quæ castigas & agis? Quasi ad Rhetorem venerimus aut ars sit tractanda, aut de versibus Virgilij, versus enarrarem? Cùm plures hæreticos nominassem, addidi: *Et quos fama recondit obscura.* Et vnde tu hoc de Virgilij versu tractum putas, si Virgilium omnino non noueras? Atqui ego, non ex ordine versum posui. Dixi enim; *Quos fama recondit obscura*; vt loquentibus moris est, ex copia sermonis humani

B dicere aliquid quod antè dictum sit. Tu verò versum suo ordine, sua compage repetisti. Adeò Virgilium plus amasti vt nefas fieri putares si versum eius infringeres? Et tamen ego à paruulo didiceram. Quid mirum si in ea incidi quæ sciebam? In te, frater, tantus est labor, vt ea nunc demùm legas quæ lecta quondam ab aliis erubescebas? Latinis institutum, Latinè loquentem tam accusare debebis, quàm Græcè Græcum, quàm Parthicè Parthum, quàm Punicè Pœnum: Medis, Ægyptiis, Hebræis

Lingua. 120. sua lingua est secundùm copiam Domini, qui eam in centum viginti ora modulatus est. Poëticum versum Episcopus dixit. Quid Paulus Apostolus? Erubescit, cùm Atheniensem illum versum & dixit & comprobat? Nam in Actis Apostolorum ita ponit; *quidam etiam secundùm vos dixerunt; Huius namque genus sumus: cùm igitur genus simus Dei.* Et rursus ad Titum dixit: *Dixit quidam ex illis proprius eorum Propheta, * Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* Et addidit: *Testimonium hoc verum est.* Sic peccamus exemplo: nec rethores sumus, sed quamcumque vocem, copiam Dei credimus. Latium, Ægyptus, Athenæ, Thraces, Arabes, Hispani Deum confitentur, omnes linguas Spiritus sanctus intelligit. Tu ipse cur ais, Literas tuas viuaci cedro perlinam propter catiosos hostes musarum? Quarum, oro, musarum? An quæ inuenerint literas & scripserint chartas quas tineæ persequentur? Dic oro, frater, musæ literas repererunt? nonne per Dominum omnia, & à Deo omnia? Præter illas centum & viginti linguas, fuit adhuc alia musarum? Hesiodus istud in Helicone mentitus est, sed Atheniensium studio, quibus vt Apostolus ait, nihil vacabat nisi loqui. Nos teste Apostolo, omnium vocum modos, omnium genera linguarum à Deo inspirata retinemus. Ignosco tamen, frater, si quid & tu de tuo authore præsumis, & Nouatiani Philosophiam, per quam ille in naufragium Religionis incurrit, cum Hesiodi authoritate coniungis. Veruntamen Apostoli meminisse debueras, qui ait; *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem seductionem.* Iam quale illud est quod Catholicis imputandum putas, si quando vos Reges aut imperia persecuta sunt? Ergo è contrario vobis debuit imputari quoties Regum * & persecutionem Catholici pertulerunt; atque nostros pagani principes persecuti sunt. Vos Christianorum odia pertulistis? Sed nostri magis * questi sunt. Viderit qui hoc fecit, quâ mente, quo spiritu; pacemne an discordiam procurarit. *Verùm & si quidam eorum deliquerunt, inquit, nunquid fidem Dei destruunt?* Nec tamen tu querelam putes fuisse nostrorum. Sed cùm per nostram fidem Christiani principes esse cœpissent; ipsi principes Catholicæ, hoc est suæ parti fauentes proprio dolore commoti sunt; nisi fortè Danieli imputabitur quod à Dario vindicatus est; aut Hesteri sanctissimæ fœminæ, cùm pro ea Dux Regis occiditur; aut tribus pueris, quòd propter eos post experimenta flammarum, prophanis & incredulis Rex Babylonius comminatur! Nónne Simonem Petrus, iudice adstipulante confundit? Num Elymam fauente Sergio Paulus excæcat? * Vindicatus esset & Hierosolymis, si quid fidei ligatus habuisset. Nescis seruire ipsas innocentibus potestates, & in bonum sanctis patribus ministrare? Sicut Apostolus dicit; *Principes non sunt timori bono operi, sed malo: Vis autem non timere potestatem? Bonum fac & habebis laudem ex ea per Dominum: Minister enim est tibi in bonum.* Et tamen ego de nullo questus sum, de nemine vindicatus. Nec * impedire mihi Nouatianos puto, quorum paruitate si vellem atque defectu poteram gloriari. Ecce plebem tuam Imperatori nullus accusat, & solus es. *Oportet nos tamen omnes stare ante tribunal Dei:* quod vnum scio quererentur Nouatiani, si causa eorum esset vllis grata principibus. Vtilius esset, ais, vincere quàm placere. At qui vincendi ardore ducuntur, contentione proficiunt: Apostolus verò ait; *Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei.* Contra de studio placendi: *Omnibus, inquit, per omnia placeo, non quærens quod mihi vtile sit, sed quod multis, vt saluentur.* Vos autem dum vestra, non fratrum commoda cogitatis, vincendo mauultis elidere, quàm placendo recreare. Malum bono vicisse, rationis est; cæterum, in quacumque causa velle superare, præsumptionis insanæ est. Non de Apostolico iure, sed de Græco; apud quos scriptum putatur, omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum esse cupiditate vincendi. Sus quoque ille lutulentus, & insana tygris, quid aliud velint nisi vincere quàm placere? Vacare tibi scribis, & ideò te contentiosa delectant. Mihi verò Catholicis negotiis occupato, post triginta fermè dies literæ tuæ traditæ sunt, post alios quadraginta repetitæ. Irasci me ais; Absit. Stimulari vt apem, credo, quæ interdum aculeo mella defendit. Verùm recole vtrimque literas, iam videbis spiculisne an floribus paginam conseramus. De similibus quidem Apostolus, quos oportet * indentari. Sed attende. Nos tecum quasi columbæ, ore potiùs quàm dente, confligimus. Vtinam verum esset quod doceri velle te dicis, iam ipsa tibi manibus meis sancti Spiritus vnguenta suggererem. Amas me? Non læsi, scio. Sed tunc demum amares, si non diuersa sentires, atque operi meo blandus accederes. Cypriani Epistolas mihi placere miraris? Quidni beati Martyris & Catholici Sacerdotis? Nouatianum mihi ingeris? Philosophum sæculi fuisse audio, nec satis miror ab Ecclesia Dei vini degenerasse. Cognosco, radicem legis antiquæ, fontem veteris populi reliquisse, Cornelio inuidentem, Nouati insaniæ commodatum, sine consecratione legitima Episcopum factum, ideoque nec factum per Epistolam eorum qui se Confessores esse simularent, qui matris vnius membra diuellerent. Hæc ego tibi, frater, confessione vestrorum, literis approbabo. Ita tuus iste Philosophus, *sapientiam suam quærens statuere,* sicut Apostolus ait, sapientiæ Dei non est subiectus, quoniam per sapientiam suam mundus non recognouit sapientiam Dei. Nam quòd, antè passum Nouatianum, putas, & Cyprianum dixisse subiungis; *Præcessit me aduersarius meus*; vide quàm manifestè respondeam. Nouatianus Martyrium nunquam tulit, nec ex verbis beatissimi Cypriani auditum istud, aut lectum est. Habes eius Epistolas quibus Cornelium vrbis Episcopum, cui tunc Nouatianus inuiderat, inimicis principibus resistentem, sæpe confessum, sæpe vexatum refert; plurimis Confessoribus, plurimis quoque Martyribus ducem factum, & cum plurimis gloriosissimè coronatum viuente tunc Nouatiano, etiamque securo. Nam & ideo ab Ecclesia Christi recesserat, ne illum labor confessionis vrgeret. Qui primùm stimulatus inuidia, Episcopatum Cornelij non ferebat; inde se, Nouato, paucorum Epistolis derisus addixerat. Hæc te omnia de Nouatiano Cypriani literæ perdocebunt. Porrò etiamsi passus est aliquid Nouatianus, non tamen etiam occisus. Etiamsi occisus non tamen coronatus. Quidni? Extra Ecclesiæ pacem, extra concordiam, extra eam matrem cuius portio debet esse qui Martyr est, Audi Apostolum: *Et si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem non habeam, nihil sum. Et si in cibos pauperum diuisero omnem*

substan

Marginal notes (left): Lingua. 120. — Paulus ex Arato Solensi id mutuatus est. — C — * Id ex Epimenide. — Lingua. 120. Act. 17. — Nouati Philosophia. — D — Col. 2. — * Impietatem. — * Queri debuerunt. — Rom. 3. a — Dan. 6. f. — Hest. 7. d — Dan. 3. g.

Marginal notes (right): E — * Locus hic obscurior. — Rom. 13. — * Pro, impedimento esse. — 1. Cor. 11. a. — 1. Cor. 10. — F — Non igitur Iudie primum ebstinatiosi haeretici. — * Noui. Pro in quod oportet dentem infringi. — G — D. Cypriani Epistola. — 1. Cor. 1 — Cypriani falso citabat Sympronianus. — H — Cornelius Papa Martyr Nouatiani Schismatis causa. — Notate Luterani — 1. Cor. 13.

A *substantiam meam, & si tradidero corpus meum ad comburendum, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Cyprianus autem in concordia omnium, in pace communi, in Confessorum grege passus est, & sæpe confessus iteratis persecutionibus & multa laceratione vexatus, & nouissimè salutari calice propinatus est: Hoc fuit coronari! Quare sibi habeat Nouatianus Epistolas suas, sibi tumorem, sibi superbiam*, qua dum in altum leuatur, elisus est; dum nemini paret, effusus. En qui salutis viam fratribus inexorabili Religione præcludat! En qui se * palàm ferre, & aream Domini purgare confidat! Miserere tui, Sympronianе frater, ne te Nouatianus sub hac fronte decipiat, vt ideò iustior putetur quia reliquos sui comparatione despexit. Sæpè fiduciam mentitur audacia; & desperatis quibusque peccatoribus, falsa bonæ conscientiæ imago blanditur. Contrà verò omnis humilitas innocentia est, etiam illa debitrix, etiam illa peccatrix, etiam illa quæ animam suam cum peccatore blanditur.

Cyprianus Martyr.

** Alias, aleam auferre.*

B *Dele me*, inquit Moyses, *de libro tuo quem scripsisti*; nec peccatores perirent. *Optaueram*, inquit Apostolus, *anathema esse ipse ego in Christo pro fratribus meis cognatis secundùm carnem.* Vtique ambo pro peccatoribus deprecantur; & propter hoc Deum, nec Moyses, nec Paulus offendit. Nouatianus his melior? Emendator Prophetarum? Doctor Apostolorum? Iam cum Christo videtur vt idem Moyses? Iam vt Paulus in tertium Cœlum sublimis euehitur? Iam neglectis omnibus solus auditur? Hæc ad literas tuas respondisse suffecerit. Sed quia de pœnitentia non agenda, vel ante baptismum agenda latiùs disputasti; multisque capitulis exemplorum, tractatus ipsius paginam refersisti, respondebo ad singula ex abundanti: quæ fides verior habeat, non tacebo. Tu, vt auditui nostro largiter imperare dignatus es, benignam rursus vicem præbeto tractatui. Præstabit fortasse Dominus, vt qui nos tibi patienter obtulimus, fructum aliquem de tua etiam patientia reportemus. Dominus te in æternum custodire & protegere dignetur, & Christianum atque Catholicum viuere faciat, & concordare nobiscum, Amen.

Exo.32. Blanditur pal. Rom.9. 1.Cor. 12.a.

C

S. PACIANI BARCILONENSIS *Episcopi ad eumdem contra tractatus Nouatianorum.*

EPISTOLA III.

Capitula Nouatianorum.

PAcianus Episcopus, Semproniano fratri, salutem. Tractatus omnis Nouatianorum, quem ad me confertis vndique propositionibus destinasti, Sympronianе frater, hoc continet. Quòd post Baptismum pœnitere non liceat; Quòd mortale peccatum Ecclesia donare non possit; imò quòd ipsa pereat recipiendo peccantes. Præclarus honos, singularis authoritas, magna constantia; reiicere nocentes, attactus peccantium fugere, innocentiæ suæ malè confidere! Quis hoc vindicat, frater

D Moyses, an Paulus, an Christus? At Moyses deleri è libro pro blasphematoribus optat. Et Paulus *anathema esse pro fratribus*; & ipse Dominus pro iniustis pati mauult. Nullus horum, inquies. Quis ergo? Nouatianus hoc præcepit. Immaculatus aliquis & purus qui Nouatum non audierit, qui nunquam Ecclesiam deseruerit, qui ab Episcopis Episcopus factus sit, qui iure ordinariò consecratus, qui vacantem Cathedram in Ecclesia consequutus? Quid ad te? inquies; Nouatianus hoc docuit. At vel quando frater, quibusve temporibus? Statim post Domini passionem? Post Decij principatum, id est, post trecentos propè annos Dominicæ passionis. Quid ergo tunc? Prophetas sequutus est vt Cataphryges, an * Philomenem aliquam, vt Apelles; an ipse tantum authoritatis accepit? Linguis loquutus est? Prophetauit? Suscitare mortuos potuit? Horum enim aliquid habere debuerat vt Euangelium noui iuris induceret. Etsi contrà clamet Apostolus; *Licet nos, aut Angelus de Cœlo Euangelizet vobis: præterquàm quod Euangelizauimus vobis anathema sit.*

Exo.32. f. Rom.9. Nouatianus non idem qui Nouatus. Prius Episcopus. Haeretici Nouatores.

** Lege Philomenem.*

Galat.1.

E Nouatianus sic intellexit, inquies: sed Christus hoc docuit. Ergo à Christi * vsque Decij principatum nullus intelligens? Post Decium denique omnis Episcopus impatiens; omnes alij dissoluti, qui se miscere perditis mallent, qui perire cum miseris, qui alieno vulnere vulnerari? Nouatiano vindice, iustitia liberatur; authore corrigitur quicquid errauit. Age, inquies, certemus exemplis & ratione pugnemus. At ego huc vsque securus; ipsa Ecclesiæ serie, congregationis antiquæ pace contentus; nulla discordiæ studia didici, nulla certaminum argumenta quæsiui: Tu postquam à reliquo corpore segregatus es, & à matre diuisus, vt rationem facti tui redderes, totos librorum recessus assiduus scrutator inquiris; occulta quæque sollicitas, quicquid exinde securum est, inquietas. Nostri nihil vltrò disputauere maiores, nuda est apud nos ipsa securitas; quid attuleris de tua parte, munitum. Ergo nescio quid Nouatianus egerit, quid Nouatus admiserit, quid Euaristus tumuerit, quid Nicostratus nuntiarit: arma vestra dum de'pi cio, non noui; vide si cum inermi veritate confligis.

** Subaudi, Aduenitu.*

Ecclesiæ series.

Student haeretici post schisma.

Catholici vltro non disputant.

F Expectemus tamen quid obiicias, quid loquaris. Poteritne vel nuda veritas, innocentiáve imperita subsistere? Proponis, & rectè quidem, Ecclesiam esse populum ex aqua & Spiritu sancto renouatum, sine negatione nominis Christi, templum & domum Dei, columnam & stabilimentum veritatis, Virginem sanctam castissimis sensibus, Sponsam Christi ex ossibus eius & carne, *non habentem maculam neque rugam*, integra Euangeliorum iura seruantem. Quis hoc nostrum negat? Quinetiam addimus, Ecclesiam esse *Reginam in veste aurata & variegata, fœcundam vitem in lateribus domus Domini*; Matrem adolescentularum, quarum non est numerus? Vnam speciosam columbam matris suæ, atque perfectam; Ipsam omnium matrem, ædificatam in fundamentis Prophetarum & Apostolorum, *& ipso angulari lapide* IESV CHRISTO; Domum magnam vasorum omnium diuersitate locupletatam. Sed hæc nostra posterius, interim tua illa videamus: *Ecclesia est populus ex aqua & Spiritu sancto renatus.*

Veritas inermis. 1. Tim. 3.d.

Eph 5.f. Ps.44.c.

Ps.127.a Cant.6.c

Eph.2.d.

G Age, Quis mihi fontem Dei clausit? Quis spiritum rapuit? Quinimò apud nos aqua viua est, ipsa quæ salit à Christo; tu à fonte perpetuo separatus, vnde generatis? Spiritus quoque sanctus à principali matre non abiit: Ad te vnde peruenit? nisi forte discordantem secutus est, tot Sacerdotibus derelictis non consecrata sede contentus, detritum lacum adulterini fontis adamauit? Vestræ plebi vnde spiritum, quam non consignat vnctus Sacerdos? Vnde aquam, quæ à matrice discessit? Vnde innouationem, quæ cunabula pronubæ pacis amisit? *Ecclesia est populus sine negatione nominis Christi.* Nullíne apud nos Confessores, Martyres nulli, nulli immaculati atque integri Sacerdotes, quos catenæ, quos ignes, quos gladij probauerunt? Fuere, inquies, sed negatores recipiendo, perierunt. Taceo, ne hæc quidem colligio, quòd libellum de Negatoribus vel lapsis recipiendis Nouatianus vester, cùm adhuc in Ecclesia degeret, & scripsit, & suasit, & legit. Interim, cui persuadere poteris quòd lapsis receptis Ecclesia tota conciderit? Quòd admissis pœnitentibus, admittentium populus negator effectus sit? Quòd si & remissior plebs aliqua fuit, etiam cæteræ, quæ non factum eius probarint, sed consuetudinem & pacem sequutæ sint; Christianumne nomen amiserunt? Accipe Ieremiæ vocem: *In diebus illis non dicent; Patres manducauerunt vuam acerbam & dentes filiorum obstupuerunt: sed vnusquisque in suo peccato morietur.* Nec apud Ezechielem tacet Dominus. *Quomodò anima Patris, ita & anima Filij, meæ sunt: Vnusquisque in suo peccato morietur.* Item infrà: *Filius non accipiet facinus Patris, neque Pater accipiet facinus Filij, Iustitia iusti super eum erit.* Ipse tu illud ponis exemplum: *Et si fuerint tres hi in medio, Noe, Iob & Daniel, non liberabunt filios neque filias, ipsi soli salui erunt.* Ecce salui sunt ipsi qui in medio peccantium constituti sunt, qui alios liberare non possunt. Tu totum orbem paucorum vinculis alligas, tu totam Ecclesiam exiguæ portionis infirmitate condemnas. Quid apud te sancti omnes, quos Nouatus erudit, quos Euari-

S. S. non adest hæreticis.

Sacerdos v. Bon. Innouatio.

Nouatiani non aliquando Catholici.

Ier.31.

Ezec.18.

Ibid.14.

stus

A stus elegit, quos Nicostratus docuit, quos Nouatianus instituit? Tu spinas & tribulos refugisti, tu non habes in tua fruge zizania, tibi iam grana purgata sunt, ad te sine ventilabro purgator ille venturus est, tu solus ex omnibus paleas non habebis? 1.Cor.12 Agè, dic reliqua: *Ecclesia est corpus Christi.* Corpus vtique, non membrum: corpus multis in vnum partibus membrisque collectum, sicut 2.Tit.2.c. ait Apostolus; *Nam & corpus non est vnum membrum, sed multa.* Ergo Ecclesia plenum est corpus, & corpus & solidum, & toto iam orbe diffusum. Sicut ciuitas, inquam, cuius partes in vnum, non vt vos estis, Nouatiani, quædam insolens portiuncula tuberque collectum, & reliquo corpore separatum. Rom.5.d *Ecclesia est templum Dei,* templum certè amplificum, domus magna, habens quidem *vasa aurea & argentea,* sed & lignea & fictilia, *quædam in honorem,* multa verò magnifica in multiplices vsus variorum operum destinata. *Ecclesia est virgo sancta, castissimis sensibus; sponsa Christi.* Genes.2. Virgo, verum est, sed & mater. B *Sponsa,* manifestum est: sed & vxor & coniunx de viro suo sumpta. Ideóque *os de ossibus eius, & caro de carne.* Psal.127 Nam de hac Dauid dicit, *Vxor tua sicut vitis fœcunda in lateribus domus tuæ, filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Multus igitur huic virgini partus, & proles innumera, quâ totus orbis impletur, quâ circumfluis semper aluearibus populosum feruet examen. *Ecclesiæ Catholicæ disciplina* Magna in filios cura matris istius, & mollis affectus: honorantur boni, castigantur superbi, curantur ægroti, nullus perit, nemo despicitur, secuti fœtus sub indulgentia matris retinentur. Ephes.5.f. *Ecclesia est non habens maculam neque rugam,* hoc est, hæreses non habens, non Valentinos, non Cataphrygas, non Nouatianos. ** Dicas præsens Ecclesia, non demum quæ Luterænos.* * In his sunt enim quidam sinus maculosi atque rugosi pretiosarum vestium ornatibus inuidentes. Cæterùm peccator & pœnitens non est Ecclesiæ macula, quia quandiu peccat, & non pœnitet, extra Ecclesiam constitutus est. Vbi desinit peccare, iam sanus est. Hæreticus verò vestem Domini, Ecclesiam Christi scindit, intercipit, viciat, irrugat. 1.Cor.3.c. *Cùm enim schismata, inquit, & contentiones in vobis sint, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?* C 2.Tim.2.c. Sed & *sermo eorum quasi cancer serpit:* hæc est macula vnitatis, hæc ruga. Denique vbi super his Apostolus loquitur, de amore Christi & dilectione proponit. Ephes.5. *Sicut Christus, inquit, dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea;* vt hæreticos summoueret, quia diligere non nouerunt. Cæterùm, cur hæc misero pœnitenti? quia & amare optat & amari. *Ecclesia est integra, Euangeliorum curam custodiens.* Integra vtique quia tota, quia plena. Vbi præmium fidelibus datur, vbi miseris lachrymæ non negantur, vbi rogantium fletus auditur, vbi alligantur vulnerati, vbi curantur ægroti, vbi nihil sibi vendicat insolens sanitas, & superba iustitia, vbi sollicita in omnibus charitas perseuerat, omnia credens, omnia sperans, omnia sustinens. Vnde illud 2.Cor.11 Apostoli; *Quis infirmus est, & non ego infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* *Fraternitas communiter dolens.* Vbi onera sua sustinet tota fraternitas communiter dolens, mutua pietate secura, cuncti inuicem sustinentes in dilectione, satis agentes D seruare vnitatem Spiritus in coniunctione pacis. Ephes.4. Hoc erit Ecclesia, Sympromiane frater; hoc erit populus ex aqua & Spiritu sancto renatus in Christo. Nescio, ais, an remitti peccatum ab Episcopis possit, cùm dixerit Dominus; Matt.10. *Qui me negauerit coram hominibus, negabo eum coram patre meo qui in cœlis est.* *Nouatianus Episcopus nō sacerdos, inuidus.* Cur igitur Nouatianus tuus, ne falso quidem adhuc Episcopatu sacerdos, longè antequàm Cornelius Romæ Episcopus fieret, antequàm sacerdotio illius inuideret, hæc suasit? Epist.52 Habes Cypriani testimonium; Cypriani quem nec vos vnquam infamare potuistis. Nam quodam in loco, ad Antonianum hoc modo scripsit: *Additum est etiam Nouatiano tunc scribente; & quod scripserat, sua voce recitante; & Moyse, tunc Confessore, nunc iam Martyre subscribente; vt lapsis infirmis, & in exitu constitutis pax daretur; quæ literæ per totum missæ sunt, & in notitiam Ecclesiis omnibus prælatæ sunt.* Quid ais, Sympromiane frater? *Nouatianus varius in religione.* Nouatianus hæc scripsit, & vt obsequium meræ voluntatis adiungeret, etiam scripta recitauit. Testis est eius dextera, testis quę scripsit manus, E testis lingua quæ legit. Adhuc Cornelius, pro quo omnis hæc vestra erupit inuidia, episcopus non erat. Longè posteriùs cum plurimis Coepiscopis, cum plurimis Confessoribus, statimque Martyribus, vt idem Cyprianus scribit, assensus est senum consilio, licere dare pacem. Si pœnitentiæ negandus est aditus, Nouatianus in crimine est, qui hæc scripsit, suasit, & legit. Vbi tunc impatiens rigor? vbi ferox illa censura? Si nemo vobis Cornelium prætulisset, maneret illa scribentis authoritas.

Nunc displicet tota sententia, nunc in nos tela iaciuntur, his ipsis subministrantibus, quorum authoritate conualuit causa telorum. At in hanc ipsam hæresim, Nouatiani quando * cœperunt? ** Locus videtur à Nouatianis corruptus, nisi forte loquatur* Audite quæso, & totum ordinem vestri erroris aduertite. Cornelius iam Romæ Episcopus à sexdecim Episcopis factus, locum Cathedræ vacantis acceperat, & in illa qua fuit præditus castimonia virginali, crebras persecutiones irati Principis sustinebat. F *de peccatoribus in hæresim lapsis, vt annotauit Bellarminus lib. 3. de Ecclesia, cap.9. ad septimū argumentum.* Tum fortè quidam presbyter Nouatus † ex Africa, fraudatis in Carthaginensi Ecclesia viduis, spoliatis pupillis, pecunia Ecclesiæ denegata, proiecto extra domum patre, & eodem fame mortuo nec sepulto, vxoris grauidæ vtero calce percusso, partuque eius effuso, Romam venit. Et cùm apud Carthaginem, vrgentibus in Ecclesia Fratribus, dies cognitionis ipsius immineret, & hic latitauit: nec multò post, Nouatianum istum Episcopatu Cornelij anxium (nam sibi sperauerat) cum aliquantis, vt in tali re solet, ex sua parte fautoribus nutantem impellit, dubitantem fouet; vt magnum aliquid speret, hortatur. Inuenit aliquos ex eorum numero qui tempestatem persecutionis illius euaserunt; ** Subaudiendum vero. prolabi.* apud quos, hanc ipsam de lapsis receptis, Cornelio conflatet inuidiam; dat eorum epistolas ad Nouatianum. *† Nouatus qui fuerit vide apud* Ille ex authoritate epistolarum, sedente iam Romæ Episcopo aduersum fas sacerdotij singularis, alterius Episcopi sibi nomen assumit: Cornelium lapsis communicasse arguit, se vendicat innocentem. G *D. Cypr. Ep.49 ad Cornelium, de Nouati scelestibus.* Contra hunc mihi reddenda ratio est, contra hunc asserendus pudor, contra hunc vita purganda. Sed & vos, inquies, Episcopi, talia cur probatis? Dicat hoc alius, tu Nouatianum defende. Inexcusabilis videatur hæc cæteris causa, tibi licet grata sit. Tibi innocens sit quisquis est pro te nocens. Ne accusaueris alium eo crimine, quo tu non potes liberari. Agè, iam totum pudorem nos Episcopi debeamus, quia & Apostolorum nomen accepimus, quia Christi appellatione signamur. Negantem, inquis, Dominus negat, tu negantem, nolo fatearis. Quis eum negantem confitetur? qui ad pœnitentiam cogit, obiurgat, crimen ostendit, vulnera aperit, supplicia æterna commemorat, interitu carnis emendat? Hoc castigare est, non fateri. Matth.5 Ait nobis Dominus: *Vos estis sal terræ.* Rectè ergo psallimus ista dicendo, nec ad nihilum valebit quisquis audierit. Vides non proculcari à nobis sententiam Domini, sed probari; non abiicit seueritatem, sed voluntatem eius aperiri. Sed pœnitenti, inquies, peccata dimittis; cùm tantùm in baptismate tibi liceat relaxare peccatum. H Non mihi planè, sed Deo soli, qui & in baptismate donat admissum, & pœnitentium lachrymas non repellit. Cæterùm quod ego facio, id non meo iure, sed Domini. 1.Cor.3. 1.Cor.3.a. *Dei sumus adiutores,* inquit; *Dei ædificatio est.* Et iterum: *Ego plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit: Ergo neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* *Christo authore, peccata remittunt Sacerdotes.* Quare siue baptizamus, siue ad pœnitentiam cogimus, seu veniam pœnitentibus relaxemus; Christo id authore tractamus. Tibi videndum est an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit. Si pœnitentibus remissio peccatorum dari potuit (ais) baptisma non fuit necessarium: insulsissima comparatio! *Meritum confitentis. Baptismus est donum, pœnitentia autē labor.* Baptismus enim sacramentum est dominicæ passionis. Pœnitentium venia, meritum confitentis. Illud omnes adipisci possunt, quia gratia Dei donum est; id est, gratuita donatio; Labor verò iste paucorum est qui post casum resurgunt, qui post vulnera conualescunt, qui lachrymosis vocibus adiuuantur, qui carnis interitu

reuiui

A

Ezc.18.f.

reuiuiſcunt. Fruſtra me poſuiſſe aſſeris illud exemplum quod Deus dixerit; *Malo pœnitentiam peccatoris, quàm mortem:* Quid ſi adiecιſſem illud Iſaiæ; *Cùm conuerſus ingemueris, tunc ſaluaberis, & ſcies vbi fueris?* Quid ſi id

Apoc.2.a

Rom.3.

Apocalypſis: *Memento vnde cecideris, & age pœnitentiam, & fac priora opera?* Hæc (inquies) gentibus dicta ſunt ante Baptiſmum: Audi Apoſtolum; *Scimus autem, quoniam quæcumque lex dicit, iis qui in Lege ſunt dicit, & loquitur.* Ergo eos qui ſine Lege vixerunt, pœnitendi conditio non tenebit. Qui etſi pœnituiſſent, libera id fide fecerant, non impoſito per legem vinculo pœnitendi. Ergo & vel Iudæi (inquies) qui ante Baptiſmum pœnituerunt, poſt Baptiſmum pœnitere non poſſunt. Quis hoc te docuit frater Sympronianc: Quis ſuaſit, vt qui ante pœnituerit, poſteà pœnitere non debeat? Sed poſteriùs hoc videbimus. Interim, ſi Iudæis poſt Baptiſmum præcluſa eſt pœnitentia, quia illam antè perſoluerint; concede vel gentes quæ pœnitentiæ legem antè neſcierint, poſteriùs

B

pœnitere debere. Sed & de Iudæis, nolo, fallaris. Illi enim propterea priùs pœnituerunt, quia vetus Baptiſma corruperant, & quaſi poſt fidem fide prodita pœnitebant.

1.Cor. 10.

Audi Apoſtolum: *Nolo enim ignorare vos, fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes per mare tranſierunt, & omnes in Moyſe Baptizati ſunt in nube & in mari: & omnes eumdem cibum ſpiritalem ederunt, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt. Bibebant autem de ſpiritali petra ſequenti; Petra autem erat Chriſtus.* Hoc ergo Baptiſma violauerant, & ideò pœnitebant. Videamus deinde quid dicas. *Si Deus ſæpius iubet hominem pœnitere* (inquis) *ſæpius peccare permittit.* Quid ais? Ergo qui ſæpius remedium criminis monſtrat, crimen oſtendit. Et medicus ille cùm curat, aſſiduè vulnerari docet. Deus nec peccare vult hominem ſemel, & tamen liberat à peccato. Nec vtique cùm liberat, peccatum docet; ſicut nec qui ab incendio liberat, incendium monſtrat, nec qui naufragum eripit ſcopulis, in ſaxa compel-

C.

Pœnitentia non ſunt delicia.

lit. Aliud eſt de periculo liberari, aliud ad periculum cogi. Et fortaſſe pateret hoc credi, ſi pœnitentia deliciæ putarentur; cui labor tantùs imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui iuges lachrymæ, cui gemitus ſempiterni. Volet ergo ille ſanatus iterum ſe ſecari, rurſus exuri? Volet peccare iterum, & iterum pœnitere cùm ſcriptum

Ioan.5.

* *Mihi videtur citare illud.*

Eccl.12 non eſt ei bene qui aſſiduus eſt in peccatis.

ſit; *Noli adiicere peccatum, ne quid tibi deterius contingat?* Et adhuc * *aſſiduè peccanti non miſereor.* Quòd ſi (vt ais) ad peccatum cogitur, cui pœnitentiæ medicina monſtratur; quid tandem ille facturus eſt, cui pœnitentia ipſa præcluditur; cui deſperato remedio, totum vulnus aperitur; cui prorſus ex integro, vitæ aditus denegatur? In Baptiſmo (inquies) ſemel morimur, ſicut ait Apoſtolus;

Rom.6.

An neſcitis quoniam quicumque Baptizati eſtis in Chriſto Ieſu, in morte eius Baptizati eſtis? Conſepulti ergo eſtis ei per Baptiſmum in mortem, vt ſicut Chriſtus reſurrexit ex mortuis, ſic & vos in nouitate vitæ ambuletis. Quid mirum? Docebat Apoſtolus quod eſſemus noui; vt nemo peccaret: ſequebatur tamen vt qui peccauerat, pœniteret. Hic

D

integer, ille curatus viueret: Innocens coronam, pœnitens veniam ſubiret: Ille præmium, iſte medicinam acci-

Rom.5.

peret. Denique idem Apoſtolus dicit, *Nam ſi cùm adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multò magis iuſtificati nunc in ſanguine eius, ſalui erimus per eum ab ira.* Ab ira vtique, quæ peccantibus debebatur. Quòd ſi Gentilem populum non paſſus eſt mori; multò magis

Rom.14

redemptū nō patietur extingui. Nec abiiciet, quos magno redemit pretio; nec enim leuis illi eſt iactura famulorum. Non morietur quidem ampliùs qui reſurgit, vt ſcriptum eſt. Sed ipſe eſt aduocatus apud Patrem, ſed ipſe interpellat pro peccatis noſtris, haud deſpicabilis miſerorum patronus, parumve idoneus deprecator. Reſponde frater, an famulos Dei diabolus poſſit opprimere, an non poſſit Chriſtus abſoluere? Petri pœnitentiam dicis ante Domini paſſionem fuiſſe? Hoc tibi nemo propoſuit. Et tamen Petrus iam baptizatus erat; huic enim dixerat

Ioan.13.

Dominus; *Qui lotus eſt ſemel, non neceſſe habet iterum lauari.* Accepit tamen poſteà remedium Chriſti, ſed antè pœnituit, & antè ſanctus eſt habitus, quam ad remedium perueniret: Nec pœnitentia eius in memoriam

E

Matt.26

ſcriberetur, niſi profuiſſet aliquid pœnitenti. *Fleuit,* inquit, *amariſſimè.* Non vis facere fidelem, quod Petrus fecit? non vis prodeſſe nobis, quod Petro profuit, Age; Thomas meus nonne poſt Domini reſurrectionem de reſurrectione dubitauit? Nónne perfidiæ reus notatur à Domino, cùm illi clauorum notæ, cùm præfoſſæ manus; cùm lateris vulnus oſtenditur, cùm ſic ad eum ait Domi-

Ioan.20.

nus; *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis?* Quid ergo? erubuit pœnitere? nónne humiliatus eſt? Nónne Deum & Dominum ſuum illicò confitetur? Nunquid non illum Exo-

Exomologſis B. th.ma.

mologeſis iſta commendat? Iam quàm argutè caput illud abſoluis, quod ego potui; datam Epiſcopis poteſtatem, vt quæ ligaſſent in terra, ligata eſſent & in Cœlis. Dicis, hoc non ad Fideles, ſed ad Catechumenos pertinere; vt Baptizandis adhuc ſcilicet populis, ſolui liceret crimina, vel tenêri. Duorum denique Euangeliſtarum capitula coniungis, vt vnum eſſe videantur; & adiicis,

F

quod Matthæus minùs integrè proſequutus ſit, compleſſe Ioannem: vt quia apud Matthæum dixerat Domi-

Matt.28

nus; *Ite & docete omnes gentes, Baptizantes eis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti;* apud Ioannem impleuerit dicens: *Si cuius dimiſeritis peccata dimittentur illi; cuius retinueritis, & tenebuntur.* Vt hoc dimittere vel ligare ad gentes quæ Baptizandæ erant, pertinuiſſe videatur, quia prior Euangeliſta de gentibus præloquutus ſit, de ſoluendo autem & ligando poſterior impleuerit. Quid

Euangeliſtarum integros & non dimidiatos eſſe ſenſus.

ais? Euangeliſtæ duo dimidiatos inuicem ſenſus, & ſemiintegros retulerunt? Verba his inuicem, ratióve defuerat; aut non in omnibus totum Spiritus ſanctus implebat, propoſitos perferens ſenſus, & ad plenum dicta definiens? Hominis confirmatum teſtamentum nemo ſuperordinat: Dei tabulam, tabula diuerſa mutabit? Quænam in vobis hæc vincendi cupido eſt, vt tale aliquid audeatis? Quid, quod apud Matthæum ipſum

Matt.16.

G

ante Paſſionem ſuam dixerat Dominus: *Quæcumque ligaueritis in terra, erunt ligata & in Cœlo; & quæcumque ſolueritis in terra, erunt ſoluta & in Cœlo?* Apud Matthæum hoc prædixerat Dominus, & nullam ibi gentium fecerat mentionem: Cur ergo illi capitulum Ioannis adiungis, vbi ſuum poſuit; & ita poſuit vt à gentibus ſepararet; quod vtique ſi ad gentes pertinere voluiſſet, potuit ipſe coniungere quod ipſe ponebat. Totum ergo quod quæris, apud Matthæum habes. Cur non vniuerſa legiſti, qui Epiſcopum doces? Primum præcepti iſtius caput repete. Ipſo referente Matthæo, paulo ſuperius ad Petrum loquutus eſt Dominus; ad vnum, ideò vt vnitatem fundaret ex vno; mox idipſum in commune præci-

Matt.16.

piens, qualiter tamen ad Petrum incipit; *Et ego tibi dico,* inquit, *quia tu es Petrus, & ſuper iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni Cœlorum, & quæcumque ligaueris ſuper terram, ligata erunt & in Cœlis; & quæcumque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in Cœlis.* Dic frater; de ſolis gentibus hoc loquutus eſt; *Super*

H

hanc Petram ædificabo, inquit, *Eccleſiam meam?* Eccleſiam, non baptizatas gentes, vocat? homo necdum renatus, corpus eſt Chriſti? quid ſoluo gentibus, quod non eſt ligatum? Nam ſi non reputatum eſt, nec ligatum, quid alligo, quod nullo iure conſtringo? Gentilis homo liber eſt Legi. Vide nunc econtrario, an in baptizatum vtraque conueniant. Soluitur venia, quia peccato tenebatur; ligatur anathemate, quia ſolutus fuerat fide & per gratiam liberatus. Quòd ſi ad gentes hanc ſoluendi licentiam vel ligandi ſpectaſſe concedam; multò magis ad baptizatos pertinuiſſe conuincam. Nam ſi is ſolui potuit vel ligari qui non habuit vinculum, quantò magis ille quem fidei iura tenuerunt? Ais poſuiſſe Matthæum: *Si peccauerit in te frater tuus; vade & corripe eum ſolus,*

Matt.18.

cum ſolo; ac ſtatim ſubiunxiſſe Dominum: *Quæcumque ſolueris in terra, ſoluta erunt & in Cœlis;* vt ad fratris offenſam pertinere videatur. Age non vides quod ſuprà dicit; *Si in te peccauerit frater tuus:* hîc verò addit; *Amen dico vobis, Quæcumque ſolueritis in terra,* &c. Illud vni iuſſit, hoc pluribus relaxauit: illud ipſe ſoluit, in quem

admit

A admittitur, hoc vero, Ecclesiæ: illud, sine sacerdote, sine fratribus, hoc ab omnibus impetratur, *Quæcumque solueritis*, inquit; omninò nihil excipit. *Quæcumque*, inquit: vel magna, vel modica: Attende quod ad Petrum dicat inferiùs, id quod peccatur in hominem, septuagies & septies relaxandum; vt ostendat, alias vel semel posse. Tamen qui in Petrum peccat, Dominum lædit: sicut ad Sa-
1. Reg. 8. a. muel ipse significat: *Non te nullius momenti fecerunt, sed me.* Conceditur ergo vel semel Ecclesiæ, quod nobis ipsis toties imperatur. Nunc ad erraticam ouem drachmam illam, & adolescentiorem filium reuertamur: quæ ego exempla cum strictim scripto priore tetigissem, tu plena repetisti, edocens & ostendens drachmam & ouem & filium minorem ad Publicanos & peccatores; hoc est, humilem populum; non ad Christianæ plebis imaginem, nec ad formam fidelium pertinere. Gratulor me doce-
† For. Adesse. ri, intellectum verò non esse † molestè fero. Nam quid asseram? Ea quæcumque lex dicat, his qui sub
B lege sunt, dicere vtique & hoc principaliter ad priores dictum esse consentio, sed in forma fidelium, sed in imagine futurorum, sicut Apostolus dicit: *Hæc autem in*
Rom. 7 / 1 Cor. 10. *figura contingebant illis: Scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum deuenerunt.* Et iterùm: *Quæ omnia illis vmbræ erant futurorum bonorum.* Certè ipse annuis, ad Publicanos & peccatores, hoc est, humilem populum, & ideò iuniorem illa dictata. Dic ergo: an populus Christianus ipse est iunior? an in radicem cohæserit? an illa membra compegerit? *adi-*
Ephes. 2. *ficatus* (vt scriptum est) *in fundamentis Apostolorum & Prophetarum, & ipso angulari lapide Christo* IESV: *An Iudæorum Deus tantùm? Nonne & gentium? Imo & gentium.*
Rom. 3. Siquidem vnus Deus, qui iustificat impium ex fide, &
† Deest pars sententiæ in exclesiæ̃tibus literis. per fidem.* Certè ille humilis populus, quem Deus, drachmæ, filio minori & ouiculæ conferebat, Ecclesia fuit: vnde Apostoli, vnde omnis turba Credentium, vnde populus Christianus. Huic corpori, nostra etiam membra coniuncta sunt, & totæ credentium portiones: vt in bo-
C nam oliuam, ex oleastro gentium conuenirent, sicut Apo-
Rom. 12. b stolus dicit: *Participes pinguedinis eius effecti*; atque ita vnum omnes essemus in Christo Iudæus & Græcus, seruus & liber. Si ergo cum illis hominibus, vnum corpus sumus, dicta sunt & ad nos, quæ veterum humiles audierunt: atque ita omni corpori nunciatum est, quicquid de corporis parte prædicatum est. Dicam adhuc planiùs: Ille posterior populus, ille pauper, ille mediochris, imago Ecclesiæ fuit, anima humilis & modesta, anima liberata per Christum. Hanc venit Dominus saluam facere, hanc apud inferos non reliquit: hæc est ouis illa quæ humeris reportatur: id est, nisu & vigore patientiæ. Hæc est drachma, quæ quæritur: & vicinis, inuenta monstratur. Vides formam eius, similitudini pœnitentium conuenire? Vides misericordiam vsque ad hoc tempus extendi? Vides quæcumque Ecclesiæ nascen-
Luc 15. ti dicta sunt, ad plenitudinem Ecclesiæ pertinere? Inde ibi Dominus adiecit: *Sic maius erit gaudiū in cœlo super vnū*
D *peccatorem pœnitentiam agentem, quam super nonaginta nouem iustis, quibus non fuit opus pœnitentiâ.* Nam si omnia illa ad commouendos nos scripta sunt, cui tandem populus peccator ille peccator humilis comparabitur, nisi populo pœnitenti? Ac si figuris in ordinem recurrentibus, nonaginta nouem sanæ, omnis Ecclesiæ est, vna verò erratica, delinquentium portiuncula est: ac drachma quæ periit, miser ille peccator est. Rediens post mala sua filius, redempto illi similis æstimatur. Iam rectè à me situm vides, cum de pœnitentium curatione tractarem,
Mar. 2. dixisse Dominum: *Non est opus sanis medico sed male ha-*
Luc. 5. *bentibus.* Rectè & illud: *Beati lugentes, quoniam ipsi*
Matt. 5. *consolabuntur.* Quicquid de Publicanis & peccatoribus dictum est, ad ægros omnes & omnes miseros pertinebit. De solis, ais, scriptum esse martyribus: *Beati lugentes.* Nemo ergo præter illos, peccata sua plangit? Non Dauid clamat: *Lauabo per singulas noctes lectum*
Ps. 6 & 101. *meum?* Et iterùm: *Quoniam cinerem, sicut panem edebam: & potum meum cum fletu miscebam.* Non Iacob dicit, *Anni vitæ meæ durissimi?* Non Apostolus ad Timotheum,

Desiderans te videre, memor lachrymarum tuarum. Nec E Gen. 47.
tamen hoc de Martyre loquebatur. Quid nunc? miseri 2. Tim. 1.
pœnitentes siccos habent oculos? Et qui peccasse se dolent flere non norunt? Ipsi communicantes, ipsi fideles, Communicantes.
lachrymas non habemus. Quempiam nostrum, gaudente mundo gaudere delectat? Vos Nouatiani, *iam satiati estis, diuites facti estis, sine nobis regnare cœpistis.* Non ergo 1. Cor. 4 b
† quisque miserabilis est, ita incipit esse miserandus. Post † Vt.
hæc proponis, & dicis scriptum esse per Dominum: *Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: Qui autem in Spiritum sanctum peccauerit, non dimittetur ei neque hic, neque in futuro.* Aut ego fallor, aut istud exem- Mat. 12
plum contra te valet, Nam si omne peccatum & blasphemia relaxabitur, vides veniam pœnitentibus non negari: Ergo omne peccatum, ergo ipsa quoque blasphemia. Habes additum secundum Lucam: *Et qui in filium Hominis* Luc. 12. b.
peccauerit, remittetur ei. Quid hoc ampliùs de misericordia Dei, de clementia iudicantis? An non inuidet ocu-
lus tuus quia bonus est paterfamilias: non licet illi fa- F
cere, quod vult? Quinimò, *tu quis es qui iudicas seruum? Domino suo stat aut cadit: Potens est autem Deus statuere* Rom. 14.
illum. Sed qui in † *Spiritu Sancto blasphemauerit*, ait, *non* † Lectio Ecclesiæ habet, Spiritū sanctum.
remittetur ei. Soles totas percurrere lectiones: cur hic non legisti, quid sit istud, *In spiritu*? Habes supra scriptum, cum Dominus dæmonia verbo fugaret, & virtutes multas speciali vigore compleret, dixisse Pharisæos: *Hic nō expellit dæmonia nisi in Beelzebub principe dæmoniorum:* hoc est, in Spiritum sanctum deliquisse, in ea blasphemasse quæ per sanctum Spiritum gerebantur. In cæteris Mat. 12.
quippè peccatis aut errore labimur, aut metu frangimur, aut carnis infirmitate superamus. Hæc cæcitas est non Peccare in S. spiritum. quid sit.
videre quod videas, & sancti Spiritus opera diabolo deputare, eamque gloriam Domini quâ diabolus ipse superatur, diaboli appellare virtutem. Hoc est ergo quod non dimittetur; reliqua bonis pœnitentibus frater Symproniane, donantur. Posthæc, de sarmentis, & vite †
proponis sic; ait Dominus, apud Ioannem; *Ego sum vitis* Ioan 15.
vera, & Pater meus agricola est: Omne sarmentum in me H
quod non affert fructum, tollet illud: & omne fructiferum, purgabit illud. Vides igitur in sarmentis, fructum requi- Matt. 3.
ri, id est, bona opera pœnitentiæ, sicut Ioannes ait: *Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Vides sarmenta purgari, quæ sunt detrimenta carnis, damna lætitiæ, damna patrimonij, vitæ labores: qui actus proprij pœnitētium sunt. Vides etiam agriculturam Domini, qui ipsa etiam sarmenta non perdat, sed purget & colligat aliqua planè in ignem, aliqua nouellandis pastinandisque vineis. Eli sacerdos, ais, loquitur & dicit: *Si vir in virum peccauerit, orabunt pro eo: si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo?* Ioannes itidem: *Si quis scit peccare fratrem suum peccatum non vtique ad mortem, postulabit pro eo, & dabit illi vitam Deus: Est autem peccatum quod ad* 1. Ioan. 5. a.
mortem ducit, non pro illo dico vt depreceris. Vides hoc totum ad peccata manentia pertinere, non ad eos qui aliquando peccauerint, & cœperint pœnitere antequam quisquam pro illis roget. Longum est, vt exempla repli- H
cemus. Attende vniuersa peccata quibus Dominus comminatur, iam videbis esse præsentia. Quòd si non proderit Ezec. 18 f.
Iusto, in tempore iniquitatis suæ, præterita iustitia, non oberit impio, in tempore iustitiæ suæ iniquitas derelicta, cum scriptum sit: *Relinquat impius vias suas, & vir facinorosus cogitationes suas: & conuertatur ad Deum, & misericordiam consequetur.* Quod si Deus etiam peccata Ios. 6.
præterita puniuit, de quo transactis & prætermissis pœnam suppliciumque constituit, age, non habet in sua potestate mutare sententiam? Non Raab, non Nabuchodo- Dan 3.
nosor regem, non Gabaonitas, non Niniuitas, non Segor Iob. 9. Gen. 19.
à prædicto interitu liberauit? Non per ipsum, Iohel va- Ioel. 2.
tes hæc intulit: *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, simulque in ieiunio, & fletu, & planctu: quia misericors est, patiens, & magnanimus, & multæ miserationis, & pœnitens* † mirè, passiuâ voce dixit. pœnitebitur.
in malitiis; Et quis scit si reuersus † pœnitebitur, & relinquet post se benedictionem? Quare sicubi constitutam peccantibus pœnā probaueris, hoc tenebis, aut in peccatis perseuerantibus constitutam, aut libertatem Deo

relictam

A Matth.5 Deut.13 relictam mutandæ, si pœniteas, ad meliora sententiæ. Ais adhuc scriptum: *Quod si manus tua vel pes tuus scandalizauerit te abijce eum abs te.* Quid sit hoc: Moyses, Deuteronomio testificante, prædixit: *Si autem precatus fuerit te frater tuus* (hi sunt enim oculi & manus nostræ) *aut filia tua, aut vxor tua quæ est in sinu tuo, aut æqualis animæ tuæ, dicens: Eamus & seruiamus Diis, quos non noueras:* Deinde adiecit inferiùs: *Deferes eum, & manus tua erit super ipsum ad occidendum eum.* Vides ergo, non de pœnitentibus dictum, sed de his, qui non solùm ipsi in facinore perseuerant, verùm etiam nos scandalizare non desinunt? Hi quamlibet chari sint relinquendi: quamlibet vtiles deserendi sunt. Proponis adhuc dixisse Apostolum Paulum, *Auferte malum ex vobisipsis:* malum vtique perseuerans. Cæterum, pœnitentia malum non est, cum Dauid dicat, *Bonum est* * *Exomologesim facere Deo.* Nec tamen mecum est ille quem pœnitet, nec parte sanctorum, nec pace coniungitur. Sed dicit Apostolus: *Si quis frater nominatur, & sit aut fornicator, aut simulachris seruiens, aut auarus, aut maledicus, aut ebrius, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere.* Vides non sine causa esse positum, *& sit*, id est, quem necdum pœniteat, qui necdum improbus esse desierit. Et certè de Auaris, & ebriosis, & maledicis simul dictum est. Responde frater, an nullus eiusmodi, vestra pace teneatur. Ergo inde est, & quod per Isaiam Deus clamat, *Simul iniqui & peccatores peribunt:* non pœnitentes, non misericordiæ opera procurantes, quibus apud eundem rursùs Isaiam Deus dicit: *Et si fuerint peccata vestra vt phœnicium, vt niuem dealbabo:* Et, *si vt coccinum, vt lanam candidam ea efficiam.* Attamen, vt ais, Apostolus condemnauit errantem. Nam ad Corinthios prima ita dicit: *Ipse ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu: Iam iudicaui eum qui tale facinus admisit: In nomine Domini nostri* IESV CHRISTI, *congregatis vobis omnibus in virtute Dei, tradere eiusmodi Satanæ, in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.* Nota, frater, primùm quod non damnat eos cum quibus iste communicat: solus ipse qui tale facinus admiserat, Satanæ traditur, solus excluditur, saluâ pace sanctorum: Vos, omnes Ecclesias pro vno peccatore damnatis? Deinde vides, quod hic ipse peccator incestus, non morti traditur, sed Satanæ ad emendandum, ad colaphizandum, ad pœnitendum. Denique ait, *Ad interitum carnis*, non tamen animæ, non etiam spiritus: sed ad solius carnis interitum, tentationes scilicet, carnis angustias, detrimenta membrorum, sicut alibi de intemperantibus dicit, *Tribulationem autem carnis patientur eiusmodi.* Vis hoc scire? in secunda Corinthiorum, hunc ipsum impium idem Paulus absoluit, Nam de ipso ait: *Sufficit illi qui eiusmodi est, obiurgatio ea quæ fit à pluribus, vt è contrario magis donetis & consolemini, ne forte maiore tristitiâ absorbeatur, qui eiusmodi est: Propter quod obsecro vos, vt constituatis in eum charitatem.* Item infrà: *Si cui autem aliquid donastis, & ego: Nam & ego quod donaui, propter vos in persona Christi vt non possideatur à Satana.* Vides Apostoli indulgentiam, proprias etiam sententias temperantem? Vides mitissimam lenitatem, longè à vestro supercilio separatam? Longè à Nouatiani fronte dissimilem, communi verò vitæ ac saluti omnium consulentem? At etiam in nos seuerus censor inueneris. Dicis, ex lege cœlesti, vnum ex mandatis soluere non licere, nec communicare lupis agnos, & quod omnis consensus in crimine sit, & ideò qui picem tetigerit, inquinetur, nec sit vlla societas lucis ad tenebras, aut templo Dei cum idolis, aut conuentio Christi ad Belial. Ideóque Dauid dicit, *Furem videbas, & concurrebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Ain tandem, quia nos Domini mandata rescindimus. Nos, vnum apicem Legis inflectimus? Nouatiani, quia tota Ecclesiæ, tota concordiæ, an potiùs iura violarunt, qui post tot pacis annos, tot fœdera sanctitatis, nouas tibi leges, noua instituta, nouos ritus pepererunt, arcanum iustitiæ, inexorabili fronte simulantes? Nos in Ecclesiam lupos recipimus, qui Hæreticorum ora vitamus, an potiùs Nouatiani, qui cum ipsi sint rapaces lupi, paulò miseriores ouiculas reformidant? Nos consentimus malis, nos picem tangimus, nos tenebris cohæremus, nos Idolo & Belial iungimur: aut illi qui Euaristum, qui Nicostratum receperunt, cæterósque ab Ecclesia recedentes, linguâ, manu, moribus inquinatos? Nos cum adulteris & furibus conuenimus: an illi qui Nouatum, vitæ suæ & capiti prætulerunt: post interceptam pecuniam pupillorum atque viduarum: miseri parentis & partus vxoris parricidam, non modo non pœnitentem, verùm etiam gloriantem? Verum Paulus Apostolus dixit: *Manus citò nemini imponas.* Docet idem: vel tardè, vel post pœnitentiam non negandas. Sed perdita Hiericho * Ahar filius Carini, propter furtum vestis, occisus est. Age: vos totos fures interficite pecuniarum nostrarum atque librorum: & in Nouati ossa sæuite. Iugum illud rursùs accipite, *quod neque nos, neque patres nostri portare potuerunt.* Quid cessatis, Nouatiani, *oculum pro oculo, dentem pro dente* deposcere, animam postulare, Circuncisionis & Sabbati redintegrare commercium? Necate fures, lapidate petulantes. Nolite in Euangelio legere quòd pepercerit Dominus etiam adulteræ confitenti, quam nemo damnarat: quod peccatricem, quæ lacrymis pedes eius lauabat, absoluerit: quod Raab, apud ipsam Hiericho vrbem Phœnicum, liberauit: quod Thamarem à sententia Patriarchæ absoluerit: quod Sodomis quoque pereuntibus, Lothi filias non extinxerit: liberaturus & generos, si futurum excidium credidissent. Age: non tenes dicere apud Dauid Dominum: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus?* Salomonis quoque sententiam non tacere: *frater fratrem adiuuans, exaltabitur?* Quid Apostolus? *Fratres, etsi praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis, considerantes vosmetipsos ne tentemini. Inuicem onera vestra portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Et illud quod ante iam retuli. *Opto enim anathema esse in Christo pro fratribus meis cognatis secundum carnem.* Et iterùm: *Omnibus omnia factus sum, vt omnes lucrifacerem:* hoc est: cum vulneratis, gemitus: cum ægrotantibus, laborem: mortem cum morientæ partiti, casum fratrum, cum statu suo posse miscere, aliquid de sua sanitate decidere, & deficientibus adhibere medicinam. Quid vobis prodest superbâ & asperâ fronte durati, altis regere ceruicibus, vultus torquere, à miseris auditus oculósque præcludere? Nunquam (vos oro) cecidistis? Nulla in vestris mentibus macula est? Nulla in oculis (oro) festuca? Quis gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse à peccatis? Credo, vos iusti, beneuoli, temperantes, quibus membra omnia sana sunt, quibus omne corpus intactum, quibus medicus necessarius non est, nec medicina languorum. Intrate iam cœlum, paradisi aditus, romphæâ cædente penetrate, tot nostrorum populis, Deum vnicum confitentibus, dona vestra pia cludite. Quæ si se longè aliter habent quam implacabilis rigor rerum & * vestra mentitur, iam intelligitis, Nouatiani, Deum posse misereri, iam, miseris Fratribus de præterito confitentibus, vel seram patere medicinam: iam vulneratum illum à Leuita & Sacerdote prætetitum, per Christum posse curari: iam Ecclesiæ preces humilibus non negandas, iam manus Sacerdotum miserandis fratribus exhibendas. Nos autem intelligimus, vt exprobras, Ecclesiam Dei, columbam non felle amaram, non vnguium laceratione violentam, paruulis quoque plumis exiguísque. * Scimus etiam vt eum aquæ viuæ, fontémque signatum, nullâ hæretici gurgitis labe sordere, hortúmque conclusum plenum oleribus magnis pariter & paruulis, vilibus atque pretiosis. Octo quoque animas ex Arca, sed inter quas, & Cham fuerit,

† Ritè intellige Lector verba S. Paciani, reliqua peccata dimitti bonis pœnitentibus; non autem blasphemiam in Spiritum sanctum, quia ordinariè, & vt plurimùm peccatum eiusmodi non curatur per veram pœnitentiam, iusto iuditio, deserente Deo, ac in reprobum sensum trahente eos, qui ita peccant. Vide Bellarminum libro 2. de pœnitentia, cap. 16.

Margin (left): 1.Cor.5. Psal.91. * Confiteri Exomologesis. Ephes.5. B. Isa. 1. 1.Cor.1. C. Tradi Satana quid sit. 2.Cor.2. D. Psal.49.

Margin (right): E. Catholicorum & Nouatianorum comparatio. Nouati scelera. 1.Tim.5. F. * Achâ filius Charmi. Iosf.7. a. Act.16 b. Deut.19. Ioan.8. Ioan. 12. Psal.119. Prou.8.d. Gal. 6. Rom.9. G. 1 Cor. 9. Prou.20. H. * Immanitas. Luc. 10. * candentem. Cant.4.

A

Genes.7. fuerit, & millia illa volucrum atque ferarum bina atque septena, munda pariter & immunda: fontes verò siccos, & nebulas turbinibus excitatas, hæreticorum sterilitatem, & insanarum vocum impetus arbitramur. Nec promittimus libertatem, cum ipsi serui simus pœnæ, sed crimina nostra confessi, reliquos etiam vt fateantur hor- *Deus reflectit sententiam.* tamur, credántque in eum qui iustificat impium ex fide, qui reflectit sententiam aduersus malitiam irrogatam. Attendimus quoque à falsis Prophetis & lupis rapacibus, cum cauemus à vobis. Iamnem verò & Mambrem sic restitisse Moysi, sicut vos Catholicis, arbitramur. In- 2.Tim.3 de sic ponit Apostolus: *Quia sicut Iamnes & Mambres restiterunt Moysi, ita & hi resistunt veritati: homines mente corrupti & à Deo reprobi, sed vltra non proficient:* Insipientia enim eorum, manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit. Quod in vos dictum esse, manifestum est, qui Eccl. 34 d. neque proficere ampliùs, neque insipientiam vestram celare potuistis. *Qui baptizatur à mortuo, nihil proficit;* vti- B que qui hæretico fonte dilutus, sic & qui peccatoris oleo vngitur, id est, qui spiritu satiatur immundo. Ergo & filij sanguinum vos eritis. Non enim pacem Fratrum, sed sanguinem concupiscitis. Fides falsa, est vestra crudeli- *Adultera mulier, hæresis.* tas. Adultera mulier, hæretica congregatio est: Catholica enim, ab initio, de viri sui thoro & thalamo non recessit, nec alienos amatores aut extraneos concupiuit. Vos exulem formam nouo colore pinxistis, vos thorum vestrum à coniugio separastis antiquo, vos à matris vnicubæ corpore recessistis, nouo placendi genere, nouis cor- *Nouatiani testem Cypriani citant.* ruptelarum illecebris expoliti. Nam quòd Cyprianum beatissimum, mihi pro contrario teste proponis, quia in Epistola quæ de lapsis est, Moysem & Danielem & Iob Ezec.14. orasse pro peccatoribus dicat nec impetrasse, dicente Domino: *Et si tres in medio eorum fuerint Noë, Iob, & Daniel, non liberabunt filios neque filias, sed ipsi soli salui erunt.* Vtinam, vtinam Cypriano teste nitaris, vtinam tam salubribus sententiis acquiescas? Ille enim, cum lapsos ad pœnitentiam cogeret, qui pœnitere nolebant dicentes à C Confessoribus siue Martyribus accepisse se pacem, docuit & ostendit, quòd nec Patriarchæ illi prô non pœnitentibus impetrarent. Etenim quis liberare possit inuitum? quis pro superbis humiliari? quis pro non pœ- *Exomologesis.* nitentibus impetrare? Quod vtique cum diceret, ad pœnitentiæ cogebat remedia. Nec contra se locutus est aliquid vir illius grauitatis & meriti, sed fundendas à peccatoribus preces docuit, & Exomologesim diligendam. Ipsa tamen Cypriani exempla te permouent, qui- Exod 32 d. bus & Moysen & cæteros sanctos non impetrasse commemorat, qui pro peccatoribus postulabant. Ain? Non vides Moysen, pro quibus non impetrauerit? Reuersus ad populum, quid audit in castris? Voces ebriorum & canens idolothiti personabant. Adhuc perseuerabat in nequitia populus, adhuc in ipso crimine permanebat, ac pœnitere non nouerat. Attamen quis tibi nostrûm dixit, quod Moyses non impetrauerit? Dixerat quidem illi † Si quis. Deus; † *Deliquit ante me, delebo eum de libro.* Dixerat D tamen authoritate iudicis, & Domini potestate; sed vi- Exod.32 g. de quam citò reflexerit sententiam, aduersus populi malitiam irrogatam. Ausculta Propheta statim ibidem: *Et precatus est,* inquit, *Moyses in conspectu Domini Dei sui: Quare Domine irasceris ita in populum tuum: & reliqua.* Item infrà. *Et propitius factus est Dominus de malignitate quam dixerat facere populo suo.* Vides lenitam esse iram Ezec.14. Dei? Vides offensam esse placatam? Et pro populo non rogauit, nec quod fecerat pœnitenti. Sed Noë (inquis) & Daniel, & Iob, filios & filias liberare non potuerunt. Et Gen. 7. Iob.42. Gen.19. Act.27.d hoc tale est: Si pro non rogantibus petant: si pro perseuerauti in crimine, deprecentur: si non singulos, si non paucos, sed millia multa defendat. Cæterùm Noë, domum suam à ruina publica liberauit; & Iob recepit cuncta quæ perdidit; & Daniel, instantem illum sapientibus Babyloniæ gladium, oratione decussit. Loth certè pro salute oppidi, Paulus pro vectoribus nauis orat. Sic absoluuntur Ezec.14.e à Iustis, qui pœnitere nouerunt. Postremò vel illud aspicito quod scriptum ait; *Ipsi soli salui erunt.* Qui illi? Ipsi vtique qui pro peccatoribus deprecantur, impunè pro

E

talibus postulabunt. Et cur Ecclesiam damnas; cur pro pœnitentibus prohibes deprecari; si etiam pro his petere licet, pro quibus non licet impetrare? Lege igitur diligentiùs Cyprianum meum. Lege totam de Lapsis Epistolam: Lege aliam, quam ad Antonianum dedit; vbi exemplis omnibus, Nouatianus vrgetur; iam scies quid de pœnitentium curatione pronunciet. Cyprianum lo- *Ep. 52. inter Epistolas D. Cypriani.* quor, vestra oppugnantem & Catholica iura retinentem. Tertullianus post hæresim, (nam multa inde sumpsistis) ipsum, epistola sua, & ea ipsa quam Catholicus Psal 44 edidit, audies confitentem, posse Ecclesiam peccata dimittere. Vides ergo Ecclesiam esse Reginam in veste aurata & variegata: multorum vtique corporum; multorumque populorum varietate compositam. Non est coloris vnius, ista Pictura: nec in vno habitu emicat tanta diuersitas. Pars illa indumenti, tegit; ista, componit. Nonnulla pectori adhæret, aliqua vltimo sinu trahitur, & inter vestigia ipsa sordescit. Quædam, purpuræ Martyrum comparatur: aliqua, serico virginali; nonnulla, F sinu plicante subsuitur, aut acu inserente reparatur. *Ecclesia est vitis.* *Alius enim sic, alius autem sic;* & tamen vna in omnibus, Regina componitur. Ergo eadem fœcunda vitis & locuples, plures habens ramos, multo palmitum crine distentior; nihílne ex istis hyberno frigore laborauit; nihil asperas grandines pertulit? nihil torridas incusauit æstates? Asperior est hæc gemma palmitibus, ista fortior, illa syncerior; hæc se diffundit in fructus, hæc in solas exuberat frondes. Vitis tamen vbique formosa Cant.1.c Mater hæc adolescentularum *quarum non est numerus.* Calculare denique si potes Catholicos greges, & duc in digitos nostræ plebis examina. Nec illa modo quæ toto orbe diffusa sunt cunctis plena regionibus, sed hæc, frater Symproniane, quæ tecum in proximis finibus & *Catholicorum numerus maior, quam hæreticorū.* vicina vrbe consistunt. Contemplare, quot nostros vnus aspicias, quot meorum populis, solus occurras. Nonne vt stillicidia fontibus magnis, nonne, vt ab Oceano quædam gutta, sorberis? Dic, dic, an istæ adolescentulæ ex vestra plebe generentur, an tu solus hoc patias. G Nostra est (inquam) ista Regina electa matri suæ atque perfecta. Nihil quippè electum, nisi melius & maius ex *Ecclesia electa & perfecta.* alio, nihil perfectum potest esse, nisi plenum. Iam & illud attendite, an hæc potissimum ædificata sit *in fundamentis Prophetarum & Apostolorum ex ipso angulari lapi-* Ephes.2. d. *de* IESV CHRISTO. Si ante te cœpit, si ante te credidit, si à fundamentis prioribus non recessit, si non illa *Hæretica congregationis signa.* migrauit, si non à reliquo corpore separata suos sibi magistros & propria instrumenta constituit, si quid insolitum argumentata est, si quid noui iuris inuenit; si corpori suo repudium pacis indixit: planè tunc à Christo recessisse videatur, tunc extra Prophetas & Apostolos constitisse. Hæc igitur erit domus magna, locuples omnium diuersitate vasorum, in qua purum refulget aurum, in qua ductile lucet argentum? verum, quæ etiam lignea (sicut scriptum est) & fictilia vasa dignatur. Magna enim domus, multos monet vsus, opera di- 2.Tit.2. uersa sollicitat. Non solum quærit argentum, nec aureo tantum delectatur ornatu. Subinde plùs decet ma- H gna, contemptus, & inter nobiles ambiens, exigua quoque iucunda sunt. Nullus artifex opera sua despicit, nec vilia sibi putat esse quæ fecit. Et vnde pro peccatoribus *Christus cur passus.* passum putas Christum, nisi quod perdere noluit quicquid ipse formauit? Vnde illum putas, hodiéque, interpellare promiseris, nisi quod modicum, cúmque & despectissimum, non repellit; Neminem, ex his quos acceperit, perditurus; ligneo licet ac fictili comparentur, atque ita *Exhortatio ad hæreticū vt resipiscat.* in domo sua omnia vasa componit? Tandem, frater Symproniane, non pigeat esse cum multis, tandem libeat reduuias Nouatianorum, & præsegmina vestra contemnere, tandem Catholicos greges & tam latè patentes Ecclesiæ populos intueri. Vbi vnus (inquies) ibi & ego, & vbi duo, ibi Ecclesia: vbi vnus, tamen concors, vbi duo, pacifici. Vbi vnus, & Ecclesia, quantò magis vbi plures? *Meliores,* inquit, *duo quam vnus: & spartum triplex non rumpitur.* Audi Dauid: *Psallam nomini tuo in Ecclesia multa.* Et iterùm: *In populo graui laudabo te.* Et; *Deus Deorum* Psal.49.

loquutus

A

loquutus est: & vocauit terram ab ortu Solis vsque ad occasum. Quid semen Abrahæ, secundum stellarum modos & numeros arenarum, vestrâ paupertate contentum; *Benedicentur in te*, inquit, *omnes tribus terræ*. Dic, Nouatianus has impleat? Non tam parum, sanguine suo redemit Deus, nec tam pauper est Christus. Cognosce iam, frater, Ecclesiam Dei dilatantem tabernacula sua, & aulæorum palos dextrâ sinistrâque figentem: intellige, *ab ortu Solis vsque ad occasum laudabile nomen Domini.* Vide, vide quæso, Nouatianis in verba luctantibus, Catholicas agi toto orbe diuitias. Super omnibus, quibus à te sum consultus, instruxi. Nullum ex propositis caput sententiamve præterij. Ad ipsos apices & verba respondi. Si consulentis animo requisisti, amanter ostensum est. Si lacessentis, haud segniter disputatum. Subiungam, cum vacuum erit, & aliam Epistolam, in qua nos vestra redarguam, sed nostra proponam: quam, si benignè & sine fastidio legeris, fortasse non lædet. Interim in ista, peto vt singula quæque percenseas.

Genes. 22 d.

Psal. 112 a.

Haretici in verba luctantur.

B

Omnia citò lecta prætereunt, si charismata meliora desideras, & bonæ eruditionis animam geris, non facile tam vera contemnis. Dominus te in æternum custodire & protegere dignetur, & Christianum viuere faciat ad concordiam spiritualem. Amen.

Anima bona eruditionis.

a Quidam presbyter Nouatus. De hoc Nouatiani Pseudo-episcopatu, Cyprianus *libro de vnitate Ecclesiæ*: *Hi*, inquit, *sunt, qui se vltrò apud temerarios conuenas sine diuina dispositione præficiunt; qui se præpositos sine vlla Ordinationis Lege constituunt; qui, nemine Episcopatum dante, Episcopi nomen sibi assumunt.* &c.

b Lege totam de Lapsis Epistolam. *Extant plures D. Cypriani Epistolæ de Lapsis; videlicet* 10. *ad Presbyteros & Diaconos: de iis qui temerariâ festinatione precipites Lapsis communicauerunt*: 11. *eiusdem prope argumenti ad Martyres & Confessores*: 13. *ad Clerum de Lapsis Catechumenis ne vacui communione exeant.*

C

PARÆNESIS SIVE EXHORTATORIUS libellus S. Paciani Barcilonensis Episcopi ad Pœnitentiam.

ETsi aliquoties, tumultuosè licet, de pœnitentium curatione non tacui: memor tamen Dominicæ solicitudinis, quæ propter vnius ouiculæ detrimentum, ceruicibus etiam suis & humeris non pepercit, integrato gregi referens peccatricem delicatam: conabor (vt potero) tantæ virtutis exemplum etiam stylo concedere, ac Dominici laboris industriam, mediocritate (quâ dignum est) seruus imitabor. Vnum illud vereor, dilectissimi, ne solitæ contrarietatis aduersis, inculcando quæ fiunt, admoneam magis peccata quam reprimam: meliúsque fuerit, Attici Solonis exemplo, tacere de magnis sceleribus, quam cauere: eoúsque progressis nostratum moribus, vt admonitos se existiment cum vetantur. Hoc enim (puto) proxime, Ceruulus ille profecit, vt eo diligentior fieret, quo impressiùs notabatur. Et tota illa reprehensio dedecoris expressi ac sæpe repetiti, non compressisse videatur, sed erudiisse luxuriam.

Luc. 15. a

De peccatis dicere ad plebẽ non semper est commodum.

Solon.

Ceruulus.

D

Me miserum! Quid ego facinoris admisi; Puto, nescierant Ceruulum facere, nisi illis, reprehendendo, monstrassem. Verum sit illud. Dei refugæ, aut extra Ecclesiam constituti, etiam exasperati sunt castigationis iniuria: indignati scilicet, mores suos ab aliquo posse reprehendi. Atque vt cœnum solet tùm maximè fœtere cum moueas, & incendium tùm magis ardere, si vertas: & rabies tùm vehementiùs sæuire, si prouoces: ita illi obiurgationis necessariæ stimulos, contrario calce fregerunt, non sine suo quidem malo & vulnere repugnantes. Vos tamen, dilectissimi, à Domino mementote positum: *Argue sapientem, & amabit te: atque stultum, & odio te habebit.* Et iterùm: *Ego quos diligo, redarguo, & castigo.* Atque ideò blandam huius mei operis ac sollicitam diligentiam, & secundum Domini voluntatem à meipso fratre vestro ac sacerdote susceptam, amorem potiùs credite quam rigorem, sequendo amabiliter, non pertinaciter repugnando.

Impij, reprehensione exasperantur.

Prou. 9.

Apo. 3 d. Heb. 12. b.

De sacerdotali reprehen-

E

Prætereà nullus existimet, hunc ipsum de pœnitentiæ institutione sermonem, solis tantummodo pœnitentibus ordinatum, ne propter hoc, quisquis extra hunc gradum positus est, ea quæcumque dicentur, velut in alios destinata fastidiat; cum in hanc quasi fibulam, totius Ecclesiæ disciplina * notetur, quando & Catechumenis, ne in hoc transeant: & fidelibus, ne in hoc redeant, prouidendum sit: ipsis verò pœnitentibus, vt celeriter ad huius operis fructum perueniant, laborandum.

Sermo quid sentire debeat.

** Alias coarctetur.*

Sermonum tamen meorum hic ordo seruabitur: Primum vt de modo criminum edisseram, ne quis existimet omnibus omninò peccatis summum discrimen impositum. Tum de his Fidelibus dicam qui remedium suum erubescentes malè verecundi sunt; & inquinato corpore ac pollutâ mente communicant. In conspectu hominum timidissimi, ante Dominum verò impudentissimi, prophanis manibus, & polluto ore contaminant sanctis quoque & Angelis altare metuendum.

Sermo de Pœnitentia. omnib. necessarius. Peccatores male verecundi.

F

Tertiò, de his erit sermo, qui confessis bene apertisque criminibus, remedia pœnitentiæ, actúsque ipsos Exomologesis administrandæ, aut nesciunt aut recusant. Postremò illud apertissimum enitemur ostendere, quæ pœna sit aut non agentibus pœnitentiam, aut etiam negligentibus, atque ideò in vulnere suo ac tumore morientibus: quæ rursùs sit corona, quod præmium, conscientiæ maculas rectâ & ordinariâ confessione purgantib. Primum igitur, vt diximus, de modo peccantium retractemus, sedulò requirentes quæ sint peccata, quæ crimina: ne quis existimet, propter innumera delicta quotum fraudibus nullus immunis est, ne omne hominum genus, indiscretâ pœnitendi lege constringere. Apud Mosem & Veteres, minimi quoque peccati, & quadrantis vnius (vt ita dixerim) rei, in eodem infœlicitatis æstuario voluti sunt. Et qui Sabbatha violauerant, & qui immunda contigerant, & qui escarum vetita præsumpserant, & qui murmurabant, & qui pariete corrupto, & qui veste maculatâ in Templum summi Regis intrauerant, & qui altarium his obnoxij manu contrectauerant, aut veste contigerant, vt in cœlum ascendere citiùs fuerit, aut emori satiùs quam hæc vniuersa seruare.

Altare Angelis & hominib. metuendũ. Exomologesis.

G

His igitur nos omnibus multisque prætereà carnalibus vitiis, vt citiùs ad destinata quisque perueniat, sanguis Domini liberauit redemptos à seruitute legis, & libertate fidei emancipatos. Ideóque Apostolus Paulus: *Vos autem*, inquit, *in libertatem vocati estis.* Hæc illa libertas, quod non omnibus astringimur quibus veteres tenebantur: sed donatâ (vt ita dixerim) syluâ delictorum, & remediorum indulgentiâ destinatâ, In pauca conclusi sumus & necessaria: quæ & seruare facillimum esset credentibus, & cauere: vt meritissimo tartarum non recusaret qui tantæ donationi ingratus, ne hæc quidem pauca seruasset. Quæ sint autem ista videamus. Post Domini Passionem Apostoli, tractatis omnib. atque discussis epistolam tradiderunt, his qui ex gentibus crediderant, perferendam. Cuius epistolæ sententia hæc fuit: *Apostoli & presbyteri fratres his qui sunt Antiochia & Syria, & Cylicia fratribus, qui sunt ex Gentibus salutem. Quoniam audiuimus quosdam ex nobis exiisse, & conturbasse vos verbis. Item infrà: Visum est enim sancto Spiritui & nobis, nullum ampliùs imponi vobis pondus præterquam hæc: Necesse est vt abstineatis vos ab idolothytis, & sanguine, & fornicatione, à quibus obseruantes, bene agetis. Valete.*

Christi sanguis soluit nos à iugo Caremonialium Gal. 5.

Act. 15.

H

Hæc est noui Testamenti tota conclusio. Despectus in multis Spiritus sanctus, hæc nobis, capitalis periculi conditione, legauit. Reliqua peccata, meliorum operum compensatione curantur: hæc verò tria crimina, vt Basilisci alicuius afflatus, vt veneni calix, vt lethalis arundo, metuenda sunt: nõ enim vitiare animam, sed intercipere nouerunt. Quare tenacitas humanitate redimetur, conuitium, satisfactione pensabitur; tristitia iucunditate; asperitas lenitate, grauitate leuitas, honestate peruersitas; & quæcumque contrariis emendata, proficiunt. Quid verò faciet contemptor Dei? Quid aget sanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? Nunquid aut placare Dominum desertor ipsius poterit: aut conseruare sanguinem suum, qui fudit alienum: aut redintegrare

Noui Testamenti præceptorum Sũma.

Peccata leuiora quomodo redimantur.

A

Peccata mortalia.

tegrare Dei templum, qui illud fornicando violauit? Ista sunt capitalia, fratres, ista mortalia. Nunc audite Ioannem, & confidite si potestis. *Si quis scit*, inquit, *fratrem suum peccare peccatum non vsque ad mortem, petat pro eo, & dabit illi vitam Dominus si quis deliquit peccatum non ad mortem. Est autem peccatum quod ad mortem ducit, non pro eo dico vt depreceris.* Sed si placet, etiam separatim audite de singulis. Mosem pro blasphematore populo deprecantem, sic appellat Deus: *Si quis* (inquit) *deliquerit ante me, delebo illum de libro meo.* Et de homicida, Dominus hoc indicat: *Si quis* (inquit) *gladio occiderit, gladio morietur.* Et de fornicatore Apostolus dicit: *Ne violaueritis* (inquit) *templum Dei quod estis vos: Qui autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus.* Scripta sunt hæc. † DD. FF. & perpetuis cæsa monumentis; scripta & incisa non dico ceris & chartâ & ære vel calamo, sed libro Dei viui. *Cœlum & terra transibunt, iota vnum* (inquit) *aut apex non poterunt transire priusquàm omnia compleantur.* Quid ergo? moriendum est? Multi etiam animo in hæc peccata ceciderunt. Multi sanguinis rei, multi idolis mancipati, multi adulteri. Addo etiam non solas manus in homicidio plecti, sed & omne consilium quod alterius animam impegit in mortem: nec eos tantùm qui thura mensis adoleuere prophanis, sed omnem prorsùs libidinem extra vxorium thorum & complexus licitos euagantem, reatu mortis astringi. Hæc quicumque post fidem fecerit, Dei faciem non videbit. Desperauere tantorum criminum rei. Quid vobis ego feci? Nunquid non fuit in potestate ne fieret? Nullúsne admonuit? Nemo prædixit? Tacuit Ecclesia? Nihil Euangelia dixerunt? Nihil Apostoli comminati sunt? Nihil rogauit Sacerdos? Quid quæritis sera solatia? Tunc decuit cum licebat. Dura ista vox est; sed qui vos fœlices dicunt, in errorem vos mittunt, & semitas pedum vestrorum conturbant. Facinoris viam monstrat innoxiis, qui nocentib. post scelera blanditur. Ergo (inquiet aliquis) perituri sumus? & vbi misericors Deus, qui mortem non inuenit, nec lætatur in perditione viuorum? Moriemúrne in peccatis nostris? Et quid facies tu sacerdos? Quibus emolumentis tot Ecclesiæ detrimenta pensabis? Accipite remedium si desperare cœpistis; si miseros vos agnoscitis, si timetis. Qui nimium confidit, indignus est. *Super quem* (inquit Dominus) *respiciam, nisi supra humilem & quietum, & trementem verba mea?* Vos ergo primum appello, fratres, qui criminibus admissis pœnitentiam recusatis: vos, inquam, post impudentiam timidos, post peccata verecundos: qui peccare non erubescitis & erubescitis confiteri: qui cum mala conscientia, Dei Sancta contingitis, & altare Domini non timetis: qui ad manus Sacerdotis, qui in conspectu Angelorum sub fiducia innocentiæ acceditis: qui diuinæ patientiæ insultatis; qui tacenti Deo, veluti nescienti, pollutam animam & prophanum corpus ingeritis. Audite, quid fecerit Dominus: tum deinde quid dixerit. Cum populus Hebræorum, Hierosolymis Arcam Domini reportaret, & ex domo Aminadab Israëlitis: Ozas, qui non exploratâ conscientiâ, latus Arcæ attigerat, occisus est: & tamen ille, non vt aliquid ex ea sumeret; sed vt declinantem, ad lapsum vituli, contineret, accesserat. Tanta infuit cura diuinæ reuerentiæ, vt audaces manus, nec ob auxilium sustineret. Clamat idem Dominus, & dicit: *Omnis mundus manducabit carnem, & anima quæcumque contigerit de carne sacrificij salutaris & immunditia super illa est, pereat anima illa de populo.* Antiquáne ista sunt, & modo non fiunt? Quid ergo? desiit Deus nostra curare? an vltrà conspectum mundi recessit, & neminem spectat è cœlo? An patientia illius, ignorantia est? Absit, inquies. Videt ergo quæ facimus, sed vtique expectat & patitur, & pœnitentiæ tempus indulget, & Christo suo præstat vt differat, ne citò pereant quos redemit. Bene, tu peccator, intellige: spectaris à Domino, potes illum placare si velis. Sed antiquum sit istud quod ad mensam Dei accedere non licuit immundis: euoluite Apostolos, & nouella cognoscite. In prima Corinth. Paulus hæc intulit: *Quicumque, inquit, manducauerit, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.*

1.Ioan.5. — Exod.32 — Exod.21 & Matt 26. — 1.Cor.3. — *† Dilectiss. fratres significari arbitror.*

B

Matth.5. — *Cogitatio punitur lege Christiana.* — *Hoc à sanctiss patre à tàm comminatiuè dictum indicat, quod paulo post subiungit. Accipite remedium*

C

si desperare cœpistis, &c — Isa.3.c. — Esa.66. *Contra impœnitentes.*

D

Ozas. 1.Reg.6. — Leuit. 7. & 22. *Dei longanimitas ad pœnitentiam nos adducit.* Rom.2.a *Quem locum citat D. Petrus.* 2.Petr 3. c.

E

Item infrà: *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini: Propterea*, inquit, *inter vos multi infirmi & ægri, & dormiunt multi: Quod si nosipsos iudicaremus, non vtiq. iudicaremur: Cum iudicamur autē, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Intremuistis, an non? *Reus erit*, inquit, *Corporis & Sanguinis Domini.* Humanæ animæ reus non posset absolui: Dominici corporis violator euadit? *Qui manducat*, inquit, *& bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* Euigila peccator: time in viscerib. tuis præsens iudicium, si quid tale fecisti. *Propterea*, inquit, *inter vos, multi infirmi & ægri, & dormiunt multi.* Iam si quis futura non metuit, vel præsentem ægritudinem præsentémque obitū reformidet. *Cum iudicamur*, inquit, *à Domino corripimur, vt non cum hoc mūdo damnemur.* Lætare peccator si in hoc sæculo aut morte interciperis, aut languore cōsumeris, ne puniaris post sæculum. Intellige quantum sceleris admittat, qui ad altare venit indignus: cui pro remedio computatur, cū aut morbis laborat, aut morte dissoluitur. Quod si vestra vobis vilis est anima: parcite populo, parcite Sacerdotib. Clamat Apostolus: *Exiguum fermentum totam massā fermentat.* Quid facies tu: propter quem omnis massa corrumpitur: propter quem laboratura est tota Fraternitas? Viues tot animarum reus? Excusaberis cum tibi cōmunionem suam imputauerint innocentes, cum te Ecclesia dixerit suæ cladis authorē? Ecce iterùm Apostolus ad Sacerdotem: *Manus citò nulli imponas, nec communices peccatis alienis.* Quid facies tu qui decipis Sacerdotem? Qui aut ignorantem fallis, aut, non ad plenum scientem probandi difficultate confundis? Rogo ergo vos, fratres: etiā pro periculo meo, per illum Dominum quem occulta nō fallūt, desinite vulneratam † regere conscientiā. Prudentes ægri medicos non verentur, ne in occultis quidē corporum partibus etiam secaturos, etiā perusturos. Meminimus quosdam, remota etiam & verecunda membrorum non erubescentes, in ferro & cauterio, & grauissimâ illâ pulueris mordacitate durasse. Et quantum est illud quod homines præstiterūt? Peccator timebit? Peccator erubescet perpetuam vitam præsenti pudore mercari? & offerēti manus Domino, vulnera malè tecta subducet? Et habet aliquid quod in illo erubescat, qui Dominū læsit? An sic illi meliùs est perire, ne tu pudore timidus sine pudore moriaris, non faciens pudori locum, plus de detrimento eius acquiras cui pro te meliùs est perire? Quod si Fratrū oculos erubescitis, consortes casuum vestrorū timere nolite. Nullum corpus membrorū suorū vexatione lætatur: pariter dolet, & ad remedium collaborat. In vno & altero, Ecclesia est: in Ecclesia verò, Christus. Atque ideò qui fratrib. peccata sua non tacet, Ecclesiæ lacrymis adiutus, Christi precib. absoluitur. Nunc ad eos sermo fit, qui benè ac sapienter vulnera sua, pœnitentiæ nomine, confitētes: nec quid sit pœnitentia, nec quæ vulnerum medicina, nouerunt: similésque sunt illis qui plagas quidē aperiunt ac tumores, medicísque etiā assidentibus confitentur: sed admoniti, quæ imponenda sunt, negligunt; & quæ bibenda, fastidiunt. Quod tale est ac si dicat aliquis: Ecce ego æger, ecce ego vulneratus sum: sed nolo curari stomachū. Hoc erat, sed videte quid stultius. Additur etiam morbus ad causam, & vulnus adiungitur, & contraria quæque imponuntur, perniciosa potantur. Quo maximè malo Fraternitas hæc laborat, delictis veterib. noua insuper adiungēdo peccata. Ergo grauiùs erupit in vitium, & perniciosissimâ iam tabe cruciatur. Quid ergo faciam nunc Sacerdos qui curare compellor? Serum est in eiusmodi. Veruntamen si quis est vestrûm qui secari & exuri sustineat, adhuc possum. Ecce scalpellū propheticum: *Conuertimini*, inquit, *ad Dominū Deum vestrum, simúlq. in ieiunio & fletu, & planctu, & scindite corda vestra.* Nolite hanc secturam timere, dulcissimi. Sustinuit illā Dauid, iacuit in cinere sordenti, sacco insuper horrente deformis. Ille quondam gēmis assuetus & purpuris, texit in ieiunio animam suam: cui maria, cui syluæ, cui flumina seruiebāt, promissásque diuitias terra parturiens: madidus lacrymis consumpsit oculos illos quibus gloriam Dei viderat, & infœlicem se, miserumque confessus est pater Mariæ, Iudæi etiam dominator

Domini nostri longanimitatem, salutem arbitramini, sicut frater noster Paulus scripsit, &c. 1.Cor.11 *Præparatione opus est ante sacram communionem. Ægritudo, pœna*

F

est pro indigna communione. 1.Cor.5. *Fraternitas pro Ecclesia. Ecclesiæ clades, vel ob vnius indignam communionem.* 1.Tim.5.d. *Contra perfunctoriè cōfitentes peccata*

G

ante Cōmunionem. † Legendum est, tegere. Digna exhortatio ad synceram Exomologesim. De iis qui peccata quidem confitentur, & non satisfaciunt.

H

Fraternitas. — Ioel.2. — *Pœnitentia Dauidis*

A
Maria ex stirpe Danielis.
Dan.4.
Exomologesis Nabuchodonosor.

Imperij Rex ille Babylonius, Exomologesin desertus operatur, & septenni squalore decoquitur. Leonum in illo iuba, impexa cæsaries & barbarus horror exuperat: & longè incurius vnguibus manus horrentes, aquilas mentiuntur cum fœnum in morem bouis ederet pallentium ruminator herbarum. Hæc tamen illum Deo pœna commendat, & in sua quondam regna restituit. Quem horrebant homines, Deus recipiebat, ipsâ illâ malæ tractationis calamitate fœlicem. Ecce sectio, quam spopondi; qui potuerit tolerare, sanabitur. Admouebo adhuc ignes de cauterio Apostolico; videamus an ferte possitis.

1.Cor.5

Iudicaui, inquit, *congregatis vobis & spiritu meo, in virtute domini* IESV CHRISTI, *tradere eiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in diem Domini.* Quid dicitis pœnitentes? Vbi est vestræ carnis interitus? An quod in ipsa pœnitentia lautiores semper inceditis, conuiuio fatti, balneis expoliti, veste compositi?

Lautitia in pœnitentia, plebs superat, vel imitatur saltem quantum potest magnatû luxus.
B

Ecce aliquem video aliquando frugi, aliquando pauperculum, aliquando vili tunicâ sordulentum: nunc bene cultus & locuples, & decorus est, quasi imputet Deo quod illi seruire non potuit, & morientem animam reficeet voluptate membrorum. Bene quod mediocres sumus, cæterum & illa faceremus quod quosdam & quasdam non putet lautiores, marmoribus regi, auro opprimi, serico fluere, cocco rubescere. Si quid ferruginei pulueris in supercilio fulgeret, aut ficti nitoris in genas rutilet, aut coacti ruboris in labia desudet: ista forsitan non habetis. Non desunt tamen vobis hortulani maritíve secessus, & exquisitius vinum, & lautiora conuiuia, & defæcatio senectutis. Sic agite, sic credite, quando viuetis? Non sustineo iam, fratres, Daniel cum sodalibus suis sacco tectus & cinere, ieiunio etiam exanguis, hæc loquitur;

Dan.6.

Peccauimus, facinus admisimus, impiè gessimus, transgressi sumus præcepta & iudicia tua. De Azaria itidem scriptura diuina; *Stans* (inquit) *Azarias precatus est, & aperiens os suum Exomologesim faciebat Deo simul cum sodalibus suis.*

C
Dan.2.
Azaria Exomologesis.
Psal.6

Dauid ipse, *Lauabo* (inquit) *per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Nos verò, quid tale, quid simile? Non dico illa quæ congregamus ad cumulum, cauponando, mercando, rapiendo; foris lucra, intùs libidines aucupando; nihil agendo simpliciter, nihil pauperibus largiendo, nihil fratribus remittendo.

Ne vulgares quidem in pœnitentia Caremonias obseruari.

Ne hæc quidem quæ videri etiam à sacerdote possunt, & Episcopo teste laudari: ne hæc quidem quotidiana seruamus, flere in conspectu Ecclesiæ, perditam vitam sordidâ veste lugere, ieiunare, orare, prouolui: si quis ad balneum vocet, recusare delicias: si quis ad conuiuium roget, dicere; Ista fœlicibus, ego deliqui in Dominum, & periclitor in æternum perire; quo mihi epulas, qui Dominum læsi; Tenere prætereà pauperum manus, viduas obsecrare, Presbyteris aduolui, exoratricem Ecclesiam deprecari, omnia priùs tentare quam pereas. Scio quosdam ex Fratribus & Sororibus vestris cilicio pectus inuoluere, cineri incubare, ieiunia sera meditari; & non talia, fortassè, peccarunt.

D
Capra, Dictamo plagu suis medentur.
Exomologesis.
Hirundo, pullorum oculis medetur, Chelidonia.
† Oculare, verbû nouo positum.
Mala tractatio, pro afflictione corporis.
2.Thess.2

Quid de Fratribus loquar? Captæ feræ, vt dicunt, remedia sua nouerunt: confixas quippè, audio, venenatis sagittis, saltus peragrare Dictæos, quoad Dictami caule detonso, salutarium virulento latice succorum, pulsa decutiant tela corporibus. Nos, ignita diaboli spicula, nullo pœnitentiæ succo, nullo Exomologesis gramine repellimus. Excæcatos hirundo, pullos nouit † oculare de sua Chelidonia: nos, lumina mentis amissa, nullâ malæ tractationis radice curabimus? Ecce nec capreis, nec hirundini homo similis, cæcitati suæ inuidet & dolori. Considerate nunc, fratres, quid in fine promisimus: quis fructus hæc opera, vel contra, quis exitus consequatur. Peccatoribus delicatis & pœnitentiam non agentibus spiritus Domini comminatur & dicit. Dilectum veritatis non receperunt vt salui fierent, ac proptereà mittet illis operationem erroris vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed sibi placent in iniustitiam. Item Apocalypsis de meretrice sic loquitur: *In quantum clarificauit se & delicias exercuit: tantum date ei tormentum & luctum.*

E
Apoc.18
Rom.2.
Corporû in gehennâ cruciatus.

Et Apost. Paulus: *An ignoras quoniam bonitas Dei in pœnitentiam te perducit? Tu autem secundum duritiam tuam thesaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iusti iudicij Dei.* Timete igitur, dilectissimi, iusta iudicia, omittite errorem, damnate delicias: properat iam tempus extremum; tartarus & gehenna laxatos impiis sinus pandunt. Post animarum tempestiua supplicia, rediuiuis quoque perpetua corporibus pœna seruatur. Nemo Titij iecur credat, & vulturem Poëtarum: Ipse sibi materiam recrescentium corporum reparat ignis æternus. Attendite, si non creditis; aquarum impetus qui ignibus furit, supplicio nutriente reparabitur.

Contra vitiosum Confessionis pudorem.

Si de cruciatu Exomologesis retracti, gehennam recordemini; quam vobis Exomologesis extinguet. Vim eius, & de præsentibus æstimate; cuius fumariola quædam, maximos montes subterraneis ignibus decoquunt.

Æthna, & gehenna ignib. ardet.
F
Luc.16.f
Mat.8.b: 13.e.
Luc.13.f
Pœnitentia nullus locus in Gehenna.
Mat.8.d.
Obsecratio vt Pœnitentiâ agât.

Æstuant in defessis flammarum globis Æthna, & Lisaniculus, & Vesuuius Campanus: & quo nobis iudicij perpetuitatem probent, dissiliunt, deuorantur, nec vllis tamen sæculis finiuntur. Attendite, in Euangelio, Diuitem solius adhuc animæ suppliciis laborantem: Qualis tandem illa, reditutis pœna corporibus? quis in illa stridor dentium? quis fletus oculorum? Mementote, fratres, quia apud Inferos Exomologesis non est; nec pœnitentia tunc tribui poterit, consumpto tempore pœnitendi. Festinate, dum in vita estis; dum cum aduersario iter facitis. Sæculares ecce ignes timemus; & carnificum vngulas expauescimus: comparate cum his æternas torquentium manus; apicésque flammarum nullâ ætate morientium. Per Ecclesiæ fidem rogo vos, Fratres: per sollicitudinem meam: per communes omnium animas obtestor & deprecor, ne pudeat in hoc opere; ne pigeat, opportuna quamprimum remedia salutis inuadere; deiicere mœroribus animum, sacco corpus inuoluere, cinere perfundere, macerari ieiunio, mœrore conficere, multorum precibus adiuuari.

Deus mutat sententiâ vera satisfactio.
G
Luc.15.d.e.

Inquantum pœnæ vestræ non peperceritis, in tantum vobis Deus parcet. Est enim mitis & patiens, & multæ miserationis, & qui sententiam flectat aduersus malitias irrogatam. Ecce promitto, polliceor, si ad Patrem vestrum verâ satisfactione redeatis nihil vlterius errando, nihil pristinis adiiciendo peccatis, dicendo etiam humile aliquid & flebile. *Peccauimus in conspectu tuo Pater; iam non sumus digni nomine filiorum:* continuò de vobis & pecus illud recedet immundum, & siliquarum esca deformis. Continuò reuertentes, & stola † vestiti, & annulus honorabit, & paternus iterùm complexus accipiet, ecce ipse loquitur:

† Melius, vestiet.
Ezec.33
Rom.14

Nolo mortem peccatoris, quantum vt reuertatur & viuat. Et iterùm: *Nonne (ait) qui ceciderit, resurget: & qui auersatus fuerit, conuertetur?* Et Apostolus dicit, *Potens est Deus statuere illum.* Apocalypsus etiam septem Ecclesiis, nisi pœnitentiam egerint, comminatur. Nec vtique, non pœnitentibus comminaretur, nisi ignosceret pœnitentibus. Etiam ipse Deus dicit, *Memento ecce vnde cecideris; & age pœnitentiam.*

Apo.2.a.

Et iterùm: *Cum conuersus ingemueris, tunc saluaberis, & scies vbi fueris.* Nec quisquam adeò peccatricis animæ vilitate desperet, vt se iam non necessarium Deo credat.

H
Luc.15.

Neminem nostrûm perire vult Dominus, etiã modici & minimi requiruntur. Si non creditis, intuemini, ecce in Euangelio Drachma requiritur, & vicinis inuenta monstratur Ouicula, suppositis reportanda ceruicibus non est onerosa pastori. Super vnum peccatorem pœnitentiam agentem in cœlis Angeli gaudent, & chorus cœlestis exultat. Heus tu peccator, rogare ne desinas! Vides vbi de tuo reditu gaudeatur: Amen.

SANCTI PACIANI BARCILONENSIS EPIscopi, sermo ad fideles & Catechumenos, de Baptismo.

Non dubitaui Titulo huius Operis verba hæc adiicere; *Sermo ad fideles & Catechumenos:* quod præsentibus Catechumenis habitum fuisse ab Episcopo hunc Sermonem, perspicuè indicet quod statim initio: *Vestri me tantum cura sollicitat*, inquit, *& horum maximè Competentiû:* Quippè Catechumeni olim Competentes dicebantur.

APerire desidero qualiter in baptis. nascamur, & qualiter innouemur. Verbis sanè ipsius loquar, fratres,

A

Orationis initium quale decet virû sanctissimum cõpetenter.

ne fortè me ob nitorem sententiarum, stylo exultasse credatis, & vt rem mysticam intelligere possitis: atque vtinam inculcare possim, gloriam non requiro; Dei enim solius gloria est. Vestri me tantum cura sollicitat, & horum maximè competentium, si quomodo possimus intelligere tantæ fœlicitatis examen. Aperiam igitur quid fuerit ante Gentilitas, quid Fides præstet, quid Baptismus indulgeat. Quod si ita (vt ego sentio) vestra corda penetrauerit, iudicabitis, fratres, nullam nobis adhuc prædicationem ampliùs præstitisse. Accipite ergo, dulcissimi, homo ante Baptismum in qua morte sit positus. Scitis certè illud antiquum, quod Adam terrenæ origini præstitutus sit, quæ vtique damnatio legem illi æternæ mortis imposuit: & omnibus ab eo posteris quos lex vna retinebat, hæc mors in genus omne dominata est, *ab Adam vsque ad Moysen*; per Moysen verò, vnus tantùm populus electus est, semen scilicet Abrahæ, si mandata iustitiæ seruare potuisset. Intereà nos omnes sub peccato tenebamur, vt fructus essemus mortis: siliquarum escis & porcorum custodiæ destinati, id est operibus immundis, per malos Angelos, quibus dominantibus, nec facere licuit, nec scire iustitiam: parere enim talibus dominis, res ipsa cogebat. Ab his potestatibus & ab hac morte qualiter liberati sumus, attendite. Adam postquam peccauit (vt retuli) dicente tunc Domino, *Terra es, & † in terra ibis*; addictus est morti. Hæc addictio, in genus omne defluxit: Omnes enim peccauerunt, ipsâ iam vrgente naturâ, sicut Apostolus dicit; *Quia per vnum hominem † peccatum introiuit, & per delictum mors, & sic in omnes homines deuenit, in quo omnes peccauerunt.* Dominatum est ergo peccatum, cuius vinculis quasi captiui trahebamur ad mortem, mortem scilicet sempiternam. Hoc verò peccatum, ante Legis tempora, nec intelligebatur sicut Apostolus dicit: Donec enim Lex poneretur, peccatum in mundo non habebatur, hoc est, non videbatur, ad Legis aduentum reuixit. Apertum est enim vt videretur, verùm frustrà, quia id propè nemo seruabat, dicebat enim Lex: *Non mœchaberis, non occides, non concupisces*, tamen concupiscentia cum vitiis omnibus permanebat: ita peccatum istud ante Legem occulto gladio interfecit hominem, Lege districto. Quæ igitur spes homini? sine Lege ideò periit, quia peccatum videre non potuit, & in Lege, ideò quia in idipsum quod videbat, incurrit. Quis eum ab interitu potuit liberare? audite Apostolum: *Miserrimus † ergo homo! Quis me liberabit à corpore mortis huius? Gratia* (inquit) *per Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM. Quid est gratia? peccati remissio; id est, donum. Gratia enim donum est: Ergo Christus adueniens hominemque suscipiens, ipsum illum hominem de potestate peccati purum & innocentem Deo primus exhibuit. Dicit Isaias: *Ecce virgo* (inquit) *in vtero accipiet, & pariet filium, & vocabitis nomen eius Emmanuel, butyrum & mel manducabit, priusquàm sciat aut proferre malum aut eligere bonum.* Et de ipso iterùm: *Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius.* Sub hoc innocentiæ patrocinio, vt primum defensionem hominis aggressus est Christus in ipsa carne peccati, continuò ille peccati inobedientiæ Patens, qui primos homines aliquando deceperat; festinare incepit, æstuare, trepidare: Vincendus enim erat solutâ Lege peccati, quâ solâ hominem vel obtinuerat, vel poterat obtinere. Armatur ergo in aciem spiritualem, aduersus immaculatum; ac primùm, eo artificio quod in Paradiso Adam vicerat; specie dignitatis aggreditur; & velut sollicitus de potestate cœlesti, *Si filius Dei es* (inquit) *dic vt lapides isti fiant panes*: vt dum erubescit, aut non vult dissimulare se Filium Dei; tentantis iussa compleret. Ecce adhuc non tacet, suggerens vt si se misisset ex alto, acciperetur manibus Angelorum, quibus mandasset Pater vt humeris eum ferrent, ne fortè offenderet ad lapidem pedem suum, dum probare vult Dominus se esse de quo Pater istud mandasset facere quod tentator vrgebat. Elisus nouissimè coluber, quasi iam cederet, ipsa illa quæ primo homini

Rom 5.c — Luc.15. — B — Seruire Dæmonibus miserrimum est. — Genes. 3. — Non loquitur de absoluta coactione, sed de necessitate conditionata, & ex suppositione. — † Aliàs, in terrâ. — † In Mundum. — Rom. 5. — C — De peccato originis loquitur. — Rom. 3. c.7.b. — Exod 20. — † Peccati ratio ante & post legẽ. — † Aliàs, ego. — Rom. 7. — Christus à peccati seruitute hominem liberauit. — Isa. 7. — 1.Pet.2. — D — Christus quâ arte à Dæmone tentatus. — Matth.4

E

eripuerat Mundi regna promittit; vt dum vicisse se credit hominis Aduocatum, recepto (quod defendebat) imperio inclinaret ad dictam ab impio dignitatem, ac sic aliquando peccaret. Verùm in his omnibus superatur inimicus, & cœlesti virtute dissoluitur, sicut Vates ad Dominum, *vt † resoluas* (inquit) *inimicum & vindicatorem, quoniam videbo cœlos opus digitorum tuorum.* Debuerat cedere Diabolus; necdùm tamen desinit. Scribas & Pharisæos & omnem illam impiorum cateruam, notis subornat insidiis, furoribus agitat. Igitur illi post varias artes & corda mendacia, quibus Dominum more serpentis obsequendo decipere cogitarunt; postquàm nihil proficiebant, nouissimè eum aperto latrocinio & crudelissimo genere passionis aggressi sunt: vt vel indignitate rerum, vel dolore pœnarum aliquid iniustum aut faceret aut diceret, atque ita perderet hominem quem gerebat, & relinqueretur anima eius apud Inferos; quibus vna Lex fuit vt peccatorem tenerent. *Aculeus enim mortis peccatum.* Perstitit ergo Christus, & *peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius*, vt diximus; nec tum quidem cùm ad victimam duceretur. Hoc fuit vincere, sine peccato condemnari. Diabolus enim in peccatores acceperat potestatem, quam sibi ille super immaculatum vindicauit; ac sic ipse superatus est id decernens super Iustum quod illi per legem quam acceperat non licebat. Vnde Prophetes ad Dominum; *Vt iustificeris*, inquit, *in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Atque ita, sicut Apostolus dicit, *transductis potestatibus Christus condemnauit peccatum in carne affigens illud cruci, & chirographum mortis absoluens.* Inde est quòd non *dereliquit Deus animam eius apud Inferos, neque dedit Sanctum suum videre interitum:* Inde quòd calcatis mortis aculeis, die tertiâ resultauit in carne, reconcilians illam Deo & restituens æternitati, victo eosque peccato. Sed si solus ille vicit, quid cæteris contulit? Breuiter audite: Peccatum Adæ, in genus omne transierat: *Per vnum enim hominem* (sicut Apostolus dicit) *delictum introiuit, & per delictum, mors; sic & in omnes homines deuenit.* Ergo & iustitia Christi, necesse est vt in genus transeat: ac sicut ille per peccatum stirpem suam perdidit; ita Christus per iustitiam, Genus suum omne viuificet. Hoc vrget Apostolus dicens: *Vt sicut per inobaudientiam vnius, peccatores constituti sunt multi, sic per dicto audientiam vnius, iusti constituantur multi: Ac sicut regnauit delictum in mortem, similiter & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam*, Dicet mihi aliquis; Sed peccatum Adæ meritò transiuit in posteros, quia ex ipso geniti erant: Et nunquid nos à Christo geniti sumus, vt propter ipsum salui esse possimus? Carnalia cogitare nolite; iam videbitis qualiter Christo parente generemur. Nouissimis temporibus animam vtique cum carne accepit Christus ex Maria, hanc venit saluam facere, hanc apud inferos non reliquit, hanc Spiritui suo coniunxit, & suam fecit. Et hæ sunt nuptiæ Domini, vni carni coniunctæ, vt secundùm illud magnum sacramentum, fierent duo in carne vna, Christus & Ecclesia. Ex his nuptiis Christiana plebs nascitur, veniente desuper Spiritu Domini: nostrarumque animarum substantiæ superfuso & admixto protinùs semente cœlesti, visceribus matris inolescimus, aluoque eius effusi viuificamur in Christo. Vnde Apostolus: *Primus Adam, in animam viuentem, nouissimus Adam, in spiritum viuificantem.* Sic generat Christus in Ecclesia, per suos Sacerdotes, vt idem Apostolus: *In Christo autem ego vos genui.* Atque ita, Christi semen, id est, Dei spiritus nouum hominem aluo matris agitatum, & partu fontis exceptum, manibus Sacerdotis effundit, fide tamen pronubâ. Neque enim aut insertus in Ecclesiam videbitur, qui non credidit, aut genitus à Christo, qui Spiritum ipse non recepit. Credendum est igitur posse nos nasci. Sic enim ait Philippus: *Si credis, potes.* Recipiendus est Christus vt generer, quia sic Ioan. Apostolus dicit, *Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Hęc autem compleri aliàs nequeunt, nisi Lauacri, & Chrismatis, & Antistitis Sacramento. Lauacro enim

Psal.8. — † καταλύσαι pro resoluo & destruo. — Christus in passione tentatus. — 1 Cor.15 B. — F — Esa.53. — Psal 50. — Col.2. — Psal. 15. — G — Rom.5. — Ibidem. — Genes. 2 — Christianorum generatio in Ecclesia — H — 1 Cor.15 — 1.Cor.4. c. — Act.8. b. — Ioan.1. — Chrisma in Baptismo.

peccata

A peccata purgantur, Chrismate sanctus Spiritus superfunditur, vtraque verò ista, manu & ore Antistitis impetramus: atque ita totus homo renascitur & innouatur in Christo: vt *sicut resurrexit Christus à mortuis, sic & nos in nouitate vitæ ambulemus*, id est, vt depositis vitæ veteris erroribus, idolorum seruitute, crudelitate, fornicatione, luxuriâ, cæterisque vitiis carnis & sanguinis, nouos per Spiritum mores sequamur in Christo, fidem, pudicitiam, innocentiam, castitatem. Ac sicut portauimus imaginem terreni hominis, portemus & eius qui de Cœlo est: *Quia primus homo de terra, terrenus: secundus à Cœlo, cœlestis.* Quod agentes, dilectissimi, iam non moriemur ampliùs. Etiamsi in hoc corpore resoluamur, viuemus in Christo, sicut ait ipse: *Qui in me crediderit, licet moriatur, viuet.* Certi denique sumus, ipso teste Domino: & Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes sanctos Deo viuere. Denique de his ipsis ait Dominus, *omnes autem illi viuunt, Deus enim viuorum est, non mortuorum.* Et Apostolus de se dicit: *Mihi viuere Christus est, & mori lucrum: optarem dissolui & cum Christo esse.* Adhuc: *Nos autem dum in corpore hoc sumus, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, non per speciem.* Hoc est quod credimus, dilectissimi fratres. Cæterum si in hoc sæculo sperantes sumus: miserabiliores omnibus hominibus sumus. Vita mundi, & pecudibus, & feris, & alitibus, vt videtis ipsi, aut nobiscum est communis, aut longior. Et illud homini proprium, quod per Spiritum suum dedit Christus, id est, vita perpetua: sed si iam non peccemus ampliùs. Quia sicut mors scelere acquiritur, virtute vitatur; ita vita sceleribus amittitur, virtute retinetur. *Stipendia ergo peccati mors, donum Dei vita æterna, per* IESVM CHRISTVM *Dominum nostrum.* Ante omnia vos retinete, paruuli: omnes aliquando gentes (sicut suprà diximus) Principibus tenebrarum & potestatibus traditas: nunc per IESV CHRISTI Domini nostri victoriam liberatas. Ille est, ille qui redemit, donans nobis omnia peccata, sicut Apostolus dicit, *& delens quod aduersus nos erat chirographum inobauditionis, quia & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, exuens se carnem, traduxit potestates liberè triumphans eas in semetipso.* Soluit compeditos, & vincula nostra disrupit, sicut Dauid dixerat; *Dominus erigit elisos, Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos.* Et iterùm: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Soluti itaque de vinculis, vbi per Baptismi Sacramentum ad signum Domini conuenimus, diabolo & omnibus Angelis eius renuntiamus, quibus antè seruiuimus, ne iam illis vlteriùs seruiamus, sanguine Christi & nomine liberati. Quòd si quis posthàc oblitus sui & redemptionis ignarus, rursùs ad Angelorum seruitutes & infirma illa & egena mundi elementa transierit, antiquis illis compedibus & catenis, id est peccati vinculis alligabitur, *& fient nouissima eius deteriora prioribus*, quia & diabolus eum quasi per fugam victum vehementiùs illigabit, & Christus pro eo iam pati non poterit, *quia qui resurrexit à mortuis, iam non morietur ampliùs.* Igitur, dilectissimi, semel abluimur, semel liberamur, semel in regnum immortale suscipimur: semel *fœlices sunt, quorum remissa sunt facinora, & quorum tecta sunt peccata.* Tenete fortiter quod accepistis, seruate fœliciter, ampliùs peccare nolite. Puros vos, ex eo, & immaculatos in diem Domini reseruate. Grandia & infinita sunt præmia fidelibus præstituta, *quæ nec oculus vidit*, inquit, *nec auris audiuit, nec super cor hominis ingressa sunt.*

Rom. 6. — 1. Cor. 15. — Ioan. 11. — Matt. 22. c. — B — Mar. 12. e — Luc. 20. f — Philip. 1. — 2. Cor. 5 b. — Rom. 6. — C — Col. 2. — Psal. 145. — Psal. 115. — *Signum Domini.* — Luc. 11. — Rom. 6. — Heb. 6. a. — D — Psal. 31. — 1. Cor. 2. — *Iustitia labores.*

Hæc vti accipere possitis, iustitiæ laboribus & votis spiritualibus obtinete; Amen.

* * *

E

DIDYMI ALEXANDRINI,

qui præceptor Diui Hieronymi fuit; Opuscula quæ extant, nimirùm de Spiritu sancto, Libri 3. D. Hieronymo interprete, extant inter eiusdem S. Hieronymi opera. Ideò hîc illos omisimus.

Enarratio breuis in Epistolas Canonicas.
Contra Manichæos liber.

Hieronymus in Catalogo Scriptor. Ecclesiast.

F

Didymus Alexandrinus captus à parua ætate oculis, & ob id elementorum quoque ignarus, tantum miraculum sui omnibus præbuit, vt Dialecticam quoque & Geometriam, quæ vel maximè visu indiget, vsque ad perfectum didicerit. Is plura opera & nobilia conscripsit: Commentarios in Psalmos omnes: Commentarios in Euangelium Matthæi & Ioannis: & de dogmatibus: & contra Arrianos libros duos: & de Spiritu sancto librum vnum, quem ego in Latinum verti: in Isaiam tomos 18. in Osee ad me scribens commentariorum libros tres: & in Zachariam meo rogatu libros 5. & infinita alia quæ digerere proprij indicis est. Viuit vsque hodie, & octogesimum tertium ætatis excessit annum.

G

Equidem etsi Didymus sanctitatis & doctrinæ nomine, nedum S. Hieronymi variis in locis: sed etiam aliorum Patrum plurima tulerit elogia: constat nihilominùs illum postmodùm in errores Origenis prolapsum, insignem Origenistam extitisse, sicque tanquàm hæreticum vnà cum Origene & Euagrio Pontico condemnatum ab Ecclesia fuisse in quinta Synodo generali, vt testantur S. Tharasius Episcopus Constantinopolitanus in confessione fidei, quæ habetur in secundo Concilio Nicæno, action. 3. *& Niceph.* lib. 17. hist. Eccl. cap. 27. *Cedrenus* in compendio Annalium. *Eundem Didymum similiter cum Origene & Euagrio damnauit V. Martinus Papa & Martyr in Concilio Lateranensi,* Secretario 5. Canone 18. *vt hinc iam quo in pretio Didymi scripta sint habenda, facilè Lector intelligas: Quamquam hoc de Spiritu sancto opus egregiè à S. Hieronymo laudatur, Vide tom. 4. Annal. Eccles. Baronij.*

H

Ex Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Didymus Alexandrinus cœcus à prima ætate dictauit opera plurima, & nobilissima, teste S. Hieron. *in lib. de Script. Eccles.* Nunc solum extat *liber de Spiritu sancto*, inter opera S. Hieronymi, quoniam eum librum idem S. Hieronymus latinitate donauit: & *expositio in Epistolas Canonicas* in Biblioth. Patr. extat etiam *lib. contra Manichæos*, quem edidit Henr. Canys. *tom. 5. antiq. lection.* Claruit sub Valentiniano & Valente principibus. In eo reprehenditur ab ipso etiam S. Hieronymo, eius alioqui admiratore, quòd Origenis errores secutus sit. Vide Apologiam aduersus Ruffinum.

A

DIDYMI ALEXANDRINI, in Epistolam Beati Iacobi Apostoli, breuis enarratio.

CAPVT I.

IACOBVS *Dei & Domini nostri* IESV CHRISTI *seruus, duodecim tribubus quæ sunt in dispersione, salutem.* Sicuti mortalem gloriam homines appetentes, in suis conscriptionibus dignitates, quas putantur habere præponunt: ita sancti viri in Epistolis quas scribunt ad Ecclesias, principaliter proferunt seruos se esse Domini nostri IESV CHRISTI, æstimantes hanc appellationem supra regna totius mundi consistere. Iure namque Iacobus Circumcisionis Apostolus his, qui ex Circumcisione sunt, scribit: sicut & Petrus cùm eorumdem probetur Apostolus Iudæus scribit in dispersione
B constitutis. Possunt enim hæc quæ iis scribuntur, aptari etiam illis qui occultè spiritualiter sunt Iudæi. Nam & Ioannes vnà cum Iacobo & similibus eorumdem existens Apostolus, de Israëlitis spiritualibus, & Tribubus eorum habuit sermonem contemplationis in Apocalypsi.
1.Pet.1. *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis, scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes.* Ad perfectionem virilem & patientiam simul inuitans consequentes fratres suos appellat, & non filios quibus scribit. Quomodo enim perfecti non sint, qui non solùm sine tristitia, sed etiam cum gaudio propter Christum tentationes ferre noscuntur? Nam quicumque varias tentationes cum delectatione sustinet, eum probatissimum opus sequitur, à quo etiam patientia corrigitur perfecta, & fortitudo præcipua. Hæc itaque patientia benè certanti opus noscitur esse perfectum, quod opus nunc euenit, quando non propter aliud, sed diuinâ charitate perficitur.
C Quod enim maius studium est, quam vt aliquis perfectus sit, & omnes virtutes habeat? consequenter quibus agitur vt possidentibus eas indigentia nulla proueniat? His itaque simile est illud: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio spem, spes verò non confundit.* Verborum enim differentia non sensuum in his sermonibus esse probatur
Rom.5. Apostolorum. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.* Dum sufficienter inuitasset, cum gaudio sustinendas esse tentationes, vt opus portabile, & perfecta patientia teneantur, quæ perficiuntur propter se, non propter quicquam aliud gesta, per alteram monitionem suadere contendit promissionibus, vt præsentia corrigantur, beatum esse dicens qui tentationem suffert. Fiet, inquit, quisquis fortiter certamen exceperit, vir perfectus, & in cunctis exercitatus: qui verò talis apparuerit post tristitiam, merebitur ad præmium vitæ coronam à Deo eum diligentibus præparatam. Ex
D quibus agnoscimus, quoniam secundum vniuscuiusque virtutes potuit à Deo corona præberi, alij quidem iustitiæ, alij immarcescibilis & rectæ fidei. Par est autem præter istas coronas etiam alia corona, sperantibus & futura sustinentibus conferenda, cuius materies Dominus est ipse. Super has autem reposita est & altera fruentibus Domino & experimentum habentibus Paradisi delitiarum, & potatis de torrente delitiarum Dei. Exempla verò prædictarum coronarum sunt hæc: *Reposita,* in-
1.Tim.4. quit, *mihi est corona iustitiæ.* Et iterùm: *Portabitis im-*
1.Pet.5. *marcescibilem gloriæ coronam.* Itemque: *Erit in illa die*
Prou.4. *Dominus Sabaoth corona spei.* Iterumque: *Corona delitiarum protegat te.* Quæ corona considerandа est, ne fortè ipsa sit de qua dictum est, corona gratiarum, an altera. Sicut enim qui fruitur corona delitiarum, & qui habet gratiam Dei cooperantem, coronam gratiarum percipit: sic & qui iustitiam operatur, & rectè sectatur de his quæ sapienda sunt, aut qui appetit perfectam gloriam, coronam iustitiæ & gloriæ promeretur, ita & qui sustinere tentationem non despicit, insistens etiam ipsi morti, coronam æternæ vitæ percipiet, pro qua temporalia bona contempsit. Quærendum est si materia coronæ vitæ, quam præparauit Deus diligentibus se, ea sunt quæ scilicet propter magnitudinem maiestatis aspectui & auditui nequeunt subdi, nec ad purum intellectum hominis cuiuslibet admitti. *Omne datum optimum, & omnium perfectum de sursum est descendens à patre luminum.* Patrem luminum intelligibilium, hoc est, illuminatorum rationalium Deum dicit, à quo tanquam à datore rerum venire ad homines, inquit, diuina dona, quæ eò quòd prosint optima dicit data, eò quòd plena & sine defectu sunt, dona perfecta indubitanter appellat. Et quomodo aliquid dicunt, quantùm ad istam vocem, sola quæ meliora sint, à Deo esse, non etiam quæ molesta iudicantur & tristia, ponendum est illud vbi ait Scriptura: *Ipse deduxit super eos mala.* Et illud: *Descen-* Baruc.1.
derunt mala à Domino super portas Ierusalem, & his simi- Matt.1.
lia. Ex quibus & aliis huiusmodi exemplis agnoscitur F
sententia, ex iudicio Dei suauia atque tristia hominibus prouenire. Cùm ergò cuncta Dei prouidentia deferantur, attamen consequens erat, vt qui inuitabat ad patientiam perfectionemque virtutis, non malorum illationem, sed memoriam deberet habere meliorem, dum omnis qui studet secundum virtutem viuere, non tristia, sed optima data potiùs & dona perfecta meretur. Alter verò quidam Scripturas subtiliùs animaduertens, & ea quæ piè de prouidentia sunt exponens dicit, meliorem ministrationem fieri præcedente voluntate Dei, aduersa verò propter quandam vtilitatem per accidentiam destinari.

CAPVT II.

SIcut *enim corpus sine Spiritu mortuum est, sic & fides sine operibus mortua est.* Quoniam sicut Spiritus cohærens corpori vificat eum, & opera fidei coaptata, viuam eam esse procurant, cogitandum est vt Fides habea- G
tur cum operibus virtute dignis, vt non mortua sed viua consistat. Nam & qui habet corpus animale non mortuum, sed viuum, illud per societatem spiritus vult habere. Notandum scilicet quia cùm fides mortua sit præter opera, iam neque fides est. Nam neque homo mortuus, homo est. Quomodo verò aliqui causam esse spiritum dicentes, quo corpus viuat, honorabiliorem esse corpore dicunt, & ideò consequenter & opera honorabiliora magis quàm fidem asseuerant viuificantia eam, perfectiùs studui, vt quod mihi videtur exponerem. Non enim sicut indubitanter Spiritum corpore meliorem, ita sine reluctatione opera fidei præponenda sunt, quando gratia saluatur homo non ex operibus, sed ex Fide: nisi fortè & hoc in quæstione sit, quòd saluet Fides quæ cum operibus propriis viuit, tanquàm aliud genus operum sit, præter quæ salus ex fide proueniat: nec autem sunt opera quæ sub vmbra legis obseruantur.

Forsan locus deprauatus ab hæreticis: equidem corpus est, neque enim de essentia fidei est vita, vt est de intrinseca ratione hominis viuere, nō autem de intrinseca ratione corporis est vita, vnde exemplum Didymi alienū est ab instituto.

CAPVT III.

H

SI *quis verbo non offendit, hic perfectus est vir, potest etiam fræno circumducere totum corpus suum.* Quoniam verbum duplex est, aliud quod ad sensum, aliud ad effectiuam prolationis pertinet rationem, secundum mentis sermonem præsentia sunt sumenda. Quisquis enim non offendit in sensu rerum sapiendarum & agendarum, perfectus vir est subditum faciens totum corpus velut equum, & quo vult educens eum comprimit & ad seruitium redigit, & proprias mortificat passiones. Quia verò de sermone animæ scribit hæc, palam est aduertenti textum congruenter aptatum, cuius initium est: *Nolite* Iac.3.
plures magistri fieri, fratres mei. Et paulò pòst: *In multis enim offendimus omnes.* Et mox intulit, *si quis in die verbo non offendit,* hoc est, docendo. Quando enim de his quæ agenda sunt & sapienda aliquis docet, si habuerit veritatem, sensus de huiusmodi rebus, tunc inoffensibile habet verbum. Non enim putandum est de peccato prola-

A tiui sermonis, quæ solœcismos & barbarismos quidam vocant, hæc fuisse dicta: Nisi fortè quis dicat inoffensibilem habere quemque voce sermonem, quando irreprehensibilem eum, & sine vitio profert: licet aliquid vanum aut risibile, aut iniuriosum dicere videatur, eò quòd secundum artis regulam sit loquutus. Quòd verò non sine consideratione dicimus, totum corpus fuisse sumptum pro passionibus & operationibus eius, aduerte quod scriptum est: *Lingua enim cùm sit modicum membrum, & magna exaltat.* Accusans sermonem pro ea linguam accusare dignoscitur, tanquam ponentem, & alia vana loquentem. Cùm verò hæc in isto corpore ita sint, consequenter & de omni corpore talia oportet intelligi.

CAPVT IV.

B *Non habetis propter quod non postulatis. Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in concupiscentiis vestris insumamini.* Cùm vera sit expositio Saluatoris dicentis: *Petite & dabitur vobis:* quam etiam facit esse credibilem cum dicit: *Omnis qui petit, accipit:* quærere libet quomodo aliqui orantes non audiantur, vt accipiant quæ habere postulauerunt per suam petitionem: Ad hæc dicendum est, quoniam qui viâ congruâ ad postulandum venit: nihil relinquens eorum quæ pertinent ad impetranda quæ cupit omnia, percipit quod sibi dari rogauit. Si quis autem extra intentionem traditæ petitionis poscere videatur, iste neque petere modo debito creditur, & ideò non percipit quòd petit. Nonne falsum quod dictum est: *omnis qui petit, accipit.* Nam cùm doctor dicat, omnis qui accedit ad me causâ doctrinarum, habebit disciplinas earum, accedere ad doctorem de rebus ipsis accipiendum est, hoc est, vt etiam desiderium habeat doctrinarum, vt exerceat & meditetur eas, & summâ intentione respiciat ea quæ à magistro dicuntur & naturam habeat bonam. Indubitanter enim huiusmodi homo percipiet disciplinam, quam magister dare promisit. Si quis C alius accesserit ad Doctorem, non faciens quæ prædicta sunt, sed tantummodò vt videatur ab eo, & videat eum, volens falsam facere promissionem Doctoris, dicendum est ei, non accessisti ad eum sicut inuitauit, sed aliter, & tantummodò ad videndum eum. Apertiorem enim faciens scriptor Epistolam, & qui petere videantur, nec accipiant indubitanter malè petentes illos dicit, qui vanis cupiditatibus inhæserunt. Quia verò instant aliqui dicentes: Quare illi, qui pro scientia & perceptione virtutis petunt & non accipiunt? dicendum est illis. Quomodo & ipsi non propter ipsa bona percipienda petunt, sed vt per ea laudentur. Est enim amor concupiscentiæ velle laudes acquirere: vnde etiam his non datur, quoniam ad concupiscentias insumendas volunt possidere quæ poscunt. *Nescitis quia amicitia mundi inimica est Dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse mundi, inimicus erit Dei.* Quoniam nequitia prouidet amicitias mundi, virtus autem acquirit charitatem Dei, cùm virtus & nequitia, non possint vnà subsistere. Qui peccando amat mundum, D inimicus Dei esse monstratur, sicut è diuerso qui non peccando amicitias apud Deum pietate confirmat, continuò mundi aduersarius inuenitur. Vnde sicuti impossibile est seruire Deo & mammanæ, ita amicum Dei esse simul & mundi. Denique veniens IESVS vt Dei amicos faceret obedientes sibi, gladium & diuisionem misit in terram. Sermo namque & doctrina illius diuidit & abiungit à terrenis atque materialibus rebus, per hæc præparans vt inimicitiæ sint apud mundum & vnitas apud Deum: Hæ sunt amicitiæ apud illum. Quapropter & pacem dat, non sicut mundus amanti. Ille namque per pacem quam dat ad corporeos actus inuitat, amatores concupiscentiæ & passibiles eos facit: IESVS autem pacem præbens amicos Dei constituit, ex toto corde eum diligentes. Mundum verò intelligere debemus, desideria corporalia & conuersationem huius mundi.

Matt. 7. Luc. 11. Ibidem.

E

DIDYMI ALEXANDRINI in Epistolam Petri primam, enarratio.

CAPVT I.

Petrvs Apostolus IESV CHRISTI, *electis aduenis dispersionis.* Positus Petrus Circumcisionis Apostolus, omniumque Iudæorum habens studium, scribit eis qui in totius orbis dispersione morabantur, tanquàm aduenis ciuitatum extranearum, cum vtique nequaquam plures eorum in Iudæa consisterent. Si quid autem supra textum hic potest intelligi, animaduertendum est hoc de animæ ratione, quasi aduenam eam velit agnosci. Vnde etiam dictum videtur *peregrinus ego in terra & aduena, sicut omnes Patres mei.* Et iterùm: *Heu me! quoniam incolatus meus prolongatus est.* Aduenæ siquidem fiunt hominum animæ corporibus copulatæ, F dum in eis temporaliter esse constituuntur. Nam si essent ex ea substantia, verè corpora essent habitatrices terræ. Denique animæ habentes compassionem carnis, esse in habitatione carnea nuncupantur & velatione, quamquàm aduenæ sunt in terram, sed magis assimilantur indigenis. Vnde & terrores inferuntur super habitatores terræ, sapientes vtique ea quæ terrena sunt, & terreni indutos imagine. *Secundum præscientiam Dei Patris.* His concordant quæ à Paulo dicta sunt ita: *Sicut elegit nos in ipso ante originem mundi esse sanctos, & immaculatos coram eo in dilectione, prædestinans eos in adoptionem filiorum.* Licet enim quidam dicant quoniam semper, & ante mundum rationalium substantia sit. Verumtamen præuidens Deus fidem & actus hominum quæ agunt, per Euangelicam doctrinam præscienter elegit eos in Christo ante mundi originem, iam tunc prædestinans eos filios esse participio sanctos adoptionis. Præscientia enim nihil aliud est putanda, quàm contemplatio futurorum: quæ non est iam præscientia posteà, sed scientia, dum ea G quæ primitùs contemplata sunt veniunt ad effectum. Licet igitur secundum præscientiam electi erant quibus Petrus scribit, verumtamen existentibus eis Petrus loquitur. Abiicit itaque fabulam Manichæorum de naturis & intellectus præsens. *In hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, & immarcescibilem conseruatam in Cœlis in vobis.* Vt ostendat quomodo in infinitum beatorum permanebit hæreditas, incorruptam & immarcescibilem eam dixit, per hoc manifestans & diuinam & puram hæreditatem, eo quòd sit incontaminabilis eius perceptio apud eos, qui proprietatis præmio diuitiarum præsentium bona despiciunt, scientes se habere meliorem & perpetuam facultatem. Quam dum dicit mansuram, perpetuitatem eius aperit: & dum probat meliorem, Diuinitatem repositæ hæreditatis ostendit. Si ergo in Cœlis fidelibus hæc seruatur hæreditas, friuola quædam & tepida proferunt aliqui putantes eam se percipere in terrena Ierusalem. Mille annis, existimant esse deliriarum præmia proprietate recepturos. Qui H etiam interrogandi sunt, quomodo astruant delitias corporales, cùm dicatur hanc hæreditatem nec corrumpi posse nec marcescere, maximè cum ipsi dicant, hæc posse finiri completo anno millesimo. His copulanda sunt illa verba, quibus indicatur, quòd in regno Cœlorum sit hæreditas constituta, & nequaquàm corruat, eo quòd sit intelligibilis, quando sensibilia, non sicut intelligibilia cognoscuntur. Illa namque Spiritus sanctus dignissimis manifestat. *In quo exultabitis modicum, nec si oportet contristari in variis tentationibus, &c.* Probatur fides eorum, qui propter eum in tentationibus diuersis tribulantur, & vsque ad finem in huiusmodi probata fide persistunt. Quos vtique conuenit exultare, licet aliquis labor eorum voluntatibus importunus esse videatur. Hunc enim laborem hic sub tristitiæ nomine designat, tanquam sit aliqua tristitia quæ possit è diuerso per hæc verba cognosci, cum & apud Paulum duo tristitiæ genera declarentur, quarum vnam mortem operari, alteram verò pœnitentiam

Psal. 38. Psal. 119.

Ephes. 1.

Cautè lege, nam subdolè videtur insinuare hæresin Origenis de præexistentia animarum ante corpora, & nūc dum visibilē. Deinde obscurè nimis hic Didymus loquitur de prædestinatione, quasi Deus præuidēs fidē & actus nostros bonos præscienter eligat homines: cū enim prædestinatio est ex ante visione fidei & meritorū hominū, nisi seriò loquamur de electione ad gloriam quā quidem improuidè nihilominùs disti. xerūt à prædestinatione & ex præuisis meritis fieri dixerunt.

A nitentiam stabilem ad salutem, quæ ita describit. *Mundi* (2.Cor.7) *tristitia mortem operatur, Dei verò pœnitentiam stabilem ad salutem.* Certum est enim quoniam qui tristis est laborando, dum pro fide decertat, neque secundum mundi tristitiam tristatur, neque secundum pœnitentiam. Illa namque pro amissione delectabilium rerum, hæc autem pro honore transactorum geritur peccatorum. Vtrumque verò harum tristitiarum extraneus esse cognoscitur qui tentatur. Et quomodo diuersus decertantium prouectus, alij cum labore quæ tristitia vocatur, tentationes ferunt, alij autem sine tristitia, & sic excellenter eas & cum delectatione suscipiunt, vt lætentur, quoniam digni sunt facti pro nomine Christi pati. Et arbitrantur se incomparabilem gloriam possidere, quando Christi nomine tribulantur. *De qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vos gratia prophetauerunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret, qui in eis erat Spiritus Christi, qui prænuntiabunt in*

B CHRISTO IESV *passiones, & post hæc glorias, quibus reuelatum est, quod non ipsis, vobis autem ministrabant hæc.* Quoniam quidam minorem asserunt promissionem & salutem sanctorum, qui ante aduentum Saluatoris fuerunt, existimantes plus aliquid habuisse posteriores, eò quòd viderunt IESVM sensibiliter, etiam signa ab eo corporaliter facta, & doctrinam eius audierunt, ostendendum est quoniam huiusmodi opinio falsa esse dignoscitur: Duo aduentus sunt Christi. Vnus quidem intelligibilis secundum quem recipitur tanquàm Deus verbum. Alter verò sensibilis secundum quem videtur ex Maria progressus. Sed diuinior intelligibilis quàm sensibilis, qui etiam prauis hominibus est collatus. Omnibus itaque sanctis qui post aduentum fuerunt & ante aduentum, intelligibiliter adueniens Dei verbum, proportione actuum quos vnusquisque gessit, sanctificant eos, quibus semetipsum decenter irradiauit, non minoratis scilicet eis propter sensibilem præsentiam qui fuerunt ante eius aduentum. Non enim propter malitiam, sed propter temporis di-

C uersitatem hoc aduentu frui nequiuerunt. Igitur licet Prophetæ perscrutati sunt, in quod vel quale tempus finem acciperet animarum salus, & Christi fierent passiones, & posteà gloriæ. Cognouerunt tamen per reuelationem, quam non sibi, sed eis qui post aduentum eius erant futuri ministrabant hæc. Non ergo minorem sanctitatem eorum esse dicendum est, quando diuiniorem Filij Dei præsentiam habuerunt. Quomodo enim minor alicuius eorum qui post aduentum fuerunt videbitur, Abraham qui Deum vidit, cùm omnes vtique qui secundum Christum finiuntur, in eius sinum proficiscuntur? Quomodo minores erunt Moyses & Elias, qui IESV in gloria transformati simul apparuerunt, licet non viderint sensibiliter eum de Virgine procreatum? Non enim præponendus est eis, qui intelligibilem aduentum eius habuerunt, ille, qui eum secundum carnem vidit, dum multi etiam peccatores hoc viderint. Quod autem & peccator videt multò inferius est illo, quod venit ad solos sanctos: Perfectiore verò probatio-

D ne etiam hoc dicendum est. Apostolis nullus est celsior fide aut conuersatione inter eos qui Christi Euangelium sunt secuti, sed neque Ioanne Baptista. Putas ergo quod hi, quos contigerit circa finem mundi consistere, & viderint secundam & gloriosam Christi præsentiam, beatiores erunt Baptista & sanctis Apostolis? Absit:

Matt.11. Nullus enim sic hebes est, præcipuè cùm sit dictum, quòd nullus in humano genere maior sit Baptista Ioanne. Igitur si non minorantur qui non viderint sensibiliter, sed secundum præsentiam ab illis, qui eam visuri sunt, neque minores erunt eorum qui sensibiliter secundum Euangelium dispensationem Christi viderunt. Necessariò siquidem hæc diximus propter eos, qui minores faciunt priscos posteris. Multi sunt etenim etiam hæreticorum, qui hac falsa sententia seducuntur, desiderium habentes maximum vt veteri derogent testamento. Sed & his dicendum est, quoniam & si non viderunt aut sensibiliter audierunt quæ dixit Iesus & fecit, verumtamen desiderium habuerunt. *Mul-*

(Quod etiā ab surdū est Vide Bellarminū lib. 2. de gratia, & libero arbitrio cap. 5.)

E *ti enim (inquit) Prophetæ & iusti concupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non* Matt.13. *audierunt.* Et de Moyse dicitur, *quomodo æstimauit maiores esse diuitias Christi, quam thesauros Ægyptiacos.* Dictum est autem & de Isaia, quòd vidit gloriam Christi. Isa.6. *In quem concupiscunt Angeli prospicere.* Notandum quòd apud Græcos, in quæ, legatur, non in quem. Et sic exponitur: Si quis existimauerit quæsitam à Prophetis salutem in fine esse mundi, quod in omnibus & in summo est appetitu, quando ipsius quidem causa alia cuncta fiunt, ipsum verò cuius causa nullius agitur. Non abs re est etiam intelligi de sanctis Angelis, & simpliciter cunctis beatis rationalibus hoc dictum, cùm omnes appetitum habeant, prospicere ea quæ in fine sæculi sunt agenda. Si verò alium quemdam statum viderunt beatum (per ea quæ reuelata sunt à sancto Spiritu eis, qui Euangelium susceperunt) præter eum qui dictus est, dicendum est & concupiscere in eum prospicere Angelos qui in trans-

F gressione quâdam inuenti sunt. Nam licet quidam eorum praui sint, attamen detenti supplicio, resipiscentes vnde ceciderunt (quod etiam studiosis hominibus compromittitur) habebunt desiderium vel per fenestras ea respicere. Sed verò dicunt Manichæi de Angelis (quos creatorem putant) hoc esse dictum, interrogandi sunt, si habet quisquam naturam ea concupiscendi, quæ præter naturam sunt, & non ei conueniunt, & si propter multam fatuitatem hoc concesserint, rursùs interrogandi sunt, si appetitus infinitus est omnis? Namque necessarium est appetitum compleri, dum res quæ desideratur affuerit. Si verò hoc ita non est in prædictis Angelis, erit ademptio eorum, quæ manifestauit Spiritus sanctus quando nequaquàm habere possunt concupiscentiam eorum, quorum ad hæc natura apta denegatur. *Sed secundum eum qui vos vocauit sanctum, & vos sancti in omni conuersatione eritis, quia scriptum est, sancti eritis, quia ego sum sanctus.* Cùm Deus qui per Euangelium euocauit ad salutem, sit sanctus, necesse est obedientibus vocatio-

G ni omni conuersatione atque prudentiâ fieri sanctos eius, præcipuè dum is qui vocat ad hæc inuitet & tribuat sanctitatem. Ait enim, quomodo ego fons sanctitatis sum, per substantiam sanctus existens, vos studete participari sanctitate quos diligo, vt sitis sicut & ego. Et vide dispensationem. Sic namque sanctum esse dixit, accedentes autem ad eum fieri, vel futuros sanctos inuitat. Quærendum est in qua veteri scriptura homini verba sint posita. Et notandum est quoniam in Leuitico legitur, *& locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere* Leu.19. *omni congregationi filiorum Israël & dices eis: Sancti eritis, quoniam Dominus Deus vester sanctus est.* Dicendum tamen est, quòd si non inueniretur ita positum, non omninò secundum dictum sermonem huiusmodi dicta quæreremus, sed intelligibiliter dum omnia spiritualia diuinitùs eloquia doceant, quoniam & qui vocat sanctus est, & qui vocantur, vt sanctificentur, adueniunt. Requirendi verò sunt Manichæi, si creator est qui hæc dicit, quomodo sanctus est sanctificans eos quibus hæc reuelata

H sunt, qui scilicet vltra eum sunt quorum nec aliquando habuit scientiam? Si verò Pater Saluatoris est, & Filius cum eo hæc dicens, quomodo Prophetæ non eius sed Dei Creatoris existentes desiderium habuerunt promereri ea quæ diligitis? Qui vltra Deum eorum est, huius notitiam non habet. Quapropter oportet eum Deum Prophetarum & Euangelij confiteri secundum pietatis verbum cùm nihil occurrit. *Et si Patrem inuocatis eum qui sine discrimine personarum iudicat secundum vniuscuiusque opus, &c.* Si is quem vocant Patrem iudex est, personam non accipiens eorum qui iudicantur ab eo, & secundum vniuscuiusque iudicat actionem, cum timore & omni sancta conuersatione perficere omne tempus incolatus nostri festinemus. Sic enim poterimus & Patrem eum tribuentem promissiones agnoscere, & extra omne supplicium permanere. Quærendum est enim si Pater iudicat nullum, & omne iudicium dedit Filio: quid hic possit intelligi? Si enim Patrem qui significatur, quomodo iudex iste, & iudicans secundum vniuscuiusque

opus:

A opus: Si verò Filius iudicat secundum vniuscuiusque opus omne iudicium sumens, quomodo Pater existit? Pro quibus dicendum est, quoniam & Filius eâdem diuinitate est, iudicante Filio, Pater est qui iudicat. Sic & Filius Pater est genitorum generans eos participio sanctitatis. Sæpiùs enim filios suos vocauit Apostolos. Et alij dixit: Luc.5. *Fili remittuntur tibi peccata tua*, alteri verò ait: *Fides* Matt.10. *tua te saluam fecit*. Et hæc, qui Diuinitati derogantes, possunt sufficienter arguere. Dicens enim esse iudicem creatorem, non dubitetis eundem putare qui Pater est dilectorum Christi. Quapropter vna Diuinitas etiam, per hæc verba: *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, verbo Dei viui, & permanentis*. Regenerationis & restitutionis nomine, significat introductionem natiuitatis post destructionem priscæ generationis factam. Quomodo enim non habuit destrui cùm esset corruptibilis vt posteà incorrupta veniens maneret æterna; seruans perfectè & sine aliqua circumscriptione vitæ eos B qui nascuntur ex ea? Est enim prima natiuitas secundum Adam mortalis, & ideò corruptibilis, posterior autem ex spiritu & verbo semper viuente Dei. Et hoc ergo verbum quod pro semine ponitur, incorrupta demonstrat: quia ex virtute & spiritu ei congruente dicitur incorru- 1.Ioan.3. ptum: *omnis enim qui nascitur ex Deo peccatum non facit, quoniam semen eius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*. Ad hoc quoque percipiendum est Matt.13. etiam illud: *Filij regni sunt semen bonum*: Hæc ergo natiuitas incorruptibili semine consistit verbo Dei viui & permanentis. Viuum verò & permanens verbum dicimus, secundum Euangelicam disciplinam. Hoc ergo conscriptor Epistolæ confirmare volens, assumpsit exemplum fœni dicens: *Aruit fœnum, & flos eius decidit, verbum autem Domini manet*. Quæ cùm dixisset, verba Pro- Isa 40. phetica interpretatus est, dicens: *Hoc est autem verbum quod Euangelizatum est inter vos*. Secutus est illic Domi- Matt.24. num, vbi ait: *Verba mea non transibunt*. Si viuum est verbum & permanens in his, significari putamus illud, quod C erat in principio apud Deum Dei verbum, requirendi sunt hæretici circa quos dicunt fieri regenerationem, putásne circa terrenos? Sed impossibile est. Non enim naturam habet secundum eos incorruptibile suscipiendi semen. Si verò hoc impossibile est, erit potiùs impossibile de spiritualibus hæc intelligi. Nam si animæ semen per substantiam spirituales sunt vt ipsi volunt, quid eis ampliùs generatio præbebit vtilius? Quapropter de voluntaria regeneratione hoc sapiendum est, vt possint congruere quæ sequuntur. Sic enim habet.

CAPVT II.

Ioan.3. Ibid. DEponentes *igitur omnem malitiam, & omnem dolum & simulationes, & reliqua*. Turbat enim hæreticos etiam illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu*, & illud: *Oportet vos nasci denuò*: & quæcumque reperiuntur his esse similia, quibus ostenditur non esse naturam bonam & malam. *Ad quem accedentes lapidem viuum,* D *ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum, & vos tanquàm lapides viui ædificamini in domum spiritualem in Sacerdotium Sanctum, offerentes hostias acceptabiles Deo per* IESVM CHRISTVM. Qui ad Euangelium accesserunt renati ex incorruptibili semine, genus electum atque probatum sunt, simul & viui lapides constituti, superædificati viuenti lapidi, electo & honorato, fundamento Apostolorum & Prophetarum, ad perficiendum Deo spiritualem domum, ad quam perducuntur, magis autem offerentur spirituales hostiæ, de Psal.49. quibus dictum est: *Immola Deo sacrificium laudis*, & ite- Psal.4. rùm: *Sacrificate sacrificium iustitiæ*. Hæc verò sunt sanctorum orationes contemplatio & actus egregij oblati, non per figurarum Pontificem, sed per Sacerdotem qui secundum ordinem Melchisedech permanet in æternum. Hic enim est IESVS summus Pontifex, pertransiens omnes Cœlos. Illius ergo personam gerit homo assumptus à Dei verbo, vnde non ei, sed per eum, Deo hostiæ dicuntur offerri, cùm Diuinitas vna sit Patris & Filij, & quæ Deo Patri sacrificantur, offeruntur & Filio. *Vobis* E *ergo honor credentibus, non credentibus autem lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, & lapis offensionis, & petra scandali, qui offendunt verbo nec credunt, in quo & positi sunt*. Sicut IESVS cùm sit lumen iterùm ad iudicium venit in mundum, vt illuminaret eos qui cæci erant ante eius aduentum, & excæcaret qui malè videbant. Sic etiam positus est ad ruinam & resurrectionem multorum in Israël, excitans eos qui peccato corruerant, & corruere faciens qui in peccatis statum firmissimum possidebant. Sic & cùm lapis electus, & honoratus sit, honorem præstat eis qui per fidem superædificantur in eo, fundamentum eorum robustissimum vehementer existens. Apud eos qui non credunt, non honorabilis sed offensionis est lapis, & petra scandali, cùm similes existant ædificatoribus, qui despexerunt eum. Hi namque sunt Scribæ & Pharisæi. Ad hoc vnum, hoc est, ad non credendum, & offendendum, in eo positos dicit eos, qui ab eius doctrina dissentiunt. Est autem positio F quâ positi sunt voluntaria, initium non credendi gerens. Sicut enim mundus qui in maligno positus est, non ex natura sed ex passione propria positionem habuit in maligno; ita & de quibus sermo est, ad non credendum à semetipsis sunt positi, cognati existentes eorum, qui traditi sunt ad contumelias passionum, & reprobum sensum. Quia enim peccantes in multa patientia eos portabat Deus, contemnentes benignitatem & longanimitatem eius, post multam inuitationem, monitionem doctrinamque: reliquit eos secundum propriam pergere voluntatem, quando alios autem diuersis concupiscentiis cordis sui ad impudicitiam. Nemo in se quidem miretur, audiens quoniam vna res aliis fit ad vtilitatem, aliis ad læsionem. Videmus enim eundem cibum aliis quidem salutem, aliis ferre necem. Idem odor vnguenti, aliis quidem nocet atque mortificat, aliis prodest, sic & spiritualiter accipiendum est, quoniam Apostoli Christi bonus odor sunt, aliis odor ex vita in vitam, aliis ex morte in mortem. Hunc sermonem extendimus; eò quòd G malè quidam istis vtuntur. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eis, &c.* Secundum veterem dispositionem legis, aliud erat regnum, & aliud Sacerdotale genus. Sacerdotale namque à Leui, regale ex Iuda genere succedebat. Alter enim apud Hebræos regnabat, & alter Sacerdotium obtinebat. Post illam itaque constitutionem successit Euangelium, vnum & eundem Sacerdotem, regemque constituens, Christus namque vtrumque est. Ad eum namque dictum est: *Tu es Sacerdos in* Psal.109. *æternum*, Et iterùm: *Ego suscitaui eum Regem cum iustitia*. Isa.45. Sed & ipse de se dicit: *Ego autem constitutus sum Rex ab* Psal.2. *eo*, hoc est, à Deo. His itaque dispensatis necessarium erat dispersos ab eo qui simul Rex & Sacerdos est, electum esse genus & regale simul atque sacerdotale. Patre siquidem eorum vtrumque habente principatum, necesse eos tanquàm ex Rege regale, & tanquàm ex Sacerdote esse sacerdotale genus. Quapropter gens sancta dicuntur, vocati ab eo, qui sanctus est, vt sancti sint. Hi namque H super hoc, quod sancta gens vocantur, etiam populus acquisitionis existunt, extranei ab omni perditione facti, acquisitio, quæ fit ex his qui suscipiuntur, non qui proiiciuntur. Fugiendum est itaque de naturis loqui, quod Manichæi proponunt, dicentes bonam seu malam naturam, etiam propter præsentes voces. Nam quod eligitur, non ex natura, sed virtutis munere possidetur. Quærendum est autem, quomodo dum ex omnibus gentibus sint vocati fideles, vnam gentem sanctam eos esse dixerit. Et dicendum, quia forsan licet ex diuersis gentibus sint vocati, tamen eo quòd respuerint omnem vanitatem, propter quam gentes dispersæ videbantur, & susceperint voluntatem, vnam eandemque mentem, vnam respicientes vtique disciplinam & fidem vnam. Quando anima & cor vnum fit omnium credentium, ideò vna Actor.4. gens dicti esse noscuntur. *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, quorum aliquando non misertus est, nunc autem miseretur*. Intelligenti quoniam de his qui

A crediderunt ex gentibus, hæc conscripta sunt, nihil occurrit aduersum, quoniam ante vocationem, cùm non essent populus, neque his misereretur, vt essent populus Dei, & misericordiam consequerentur, euocati à Deo venerunt. Multa namque ex hoc aduersitas consistit contra eos, qui putant hæc de diuersis esse conscripta naturis. Non enim possibile est de spiritualibus dici, quia fuerunt aliquando non populus, & misericordiam non habentes, neque rursùs de terrenis, quoniam de non populo populi, & de non misericordiam consecutis, misericordiam consecuti sunt. Malitia namque nec populum, nec miserandum, cùm malitiæ perceptibiles spirituales non sunt, sed ex virtute misericordiam consequuntur, & populus Dei fiunt, terrenæ verò virtutis è diuerso susceptibiles non sunt. Frustrà igitur arbitrantur diuersitatem naturæ hæc verba significare. *Charissimi obsecro tanquàm aduenas & peregrinos abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam, &c.* Qui propter diuinam B pietatem digni sunt vt amentur, iure charissimi nuncupantur, non eò quòd tales naturà fuerint, sed quia esse meruerunt. Conscriptor ergo huius Epistolæ dicit, quoniam præcipuo circa vos affectu constringor, obsecro ac inuito, vt abstineatis à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam, & inimicitias multas habent aduersus eam. Quoniam alia animæ, & alia carnis substantia est. Illa siquidem incorrupta & immortalis, incorrupta, immortaliaque desiderat: hæc autem cùm sit corrupta atque diffusa, turpia & languentia concupiscit. Hac igitur differentia consistente circa carnem & animam hominum, necesse est & studia vniuscuiusque substantiæ esse contraria. Quia verò alterius generis est alteriusque substantiæ anima præter corpus, palam aduertenti compassiones eorum atque discordias. Nam quando subtrahit se anima à passionibus corporalibus, munda & splendida conseruatur, salubriter operationes dignas & purè intelligens ac perficiens, memoriam habens boni, diligens Deum, & scientiam eius habere volens.
C Quando verò carnis passionibus implicatur, omnia apud eam his aduersa reperiuntur, quæ intellexerit obliuioni repentè tradit, quæ dudùm sciebat amittit, amorem libidinis habens potiùs quàm Dei dilectionem, ita vt penè ad hoc vsque credatur peruenire, quatenùs tota putetur conuerti in carnem: De quorum tali effectu, in Scriptura Diuina nomina huiusmodi referuntur. Carneus enim qui venditus est sub peccato vocatur, sed etiam illi qui vehementer inclinantur ad carnem & sancto Spiritu desolantur, propterea carnes nuncupantur,
Genes.6 dicente illis Deo: *Non permanebit spiritus meus inter homines istos, eo quòd carnes sunt.* Cùm igitur anima præter naturam degens carnea vocetur, & cum secundum naturam mouetur, spiritus inuisibilis, mens, & occultus homo dicitur, constat quòd non est de substantia corporis, cùm sit immortalis atque perpetua eius natura, & corpori humano adhæreat, & in eo viuat, quatenùs possit data hominibus mandata seruare & illuminata Christi virtute possit ascendere, sequendo verbum quod eam inuitat ascendere per ædificatum ascensum qui ducit ad
D Cœlum.

Subiecti estote omni humanæ ordinationi propter Deum. Sicut alia fiunt propter Deum frequenter, & propter aliud, similiter & subiici principibus & potestatibus humanis, aliquando propter Deum, aliquando propter aliud quicquam fit. Qui enim propter Dominum subditur eis, qui ad principandum sunt constituti, tunc solummodò eis subiectus non est, quando contraria voluntati Dei percipiunt. Quapropter etiam reluctandum est vsque ad mortem, si quando voluerint extra Christum nos facere aliquid, dicere vel agere præter sensum aut san-
Rom.13. ctiones Ecclesiasticas. Manifestat itaque Paulus in quibus oporteat eis subdi, id est, vt tributum soluatur atque vectigal: vt libertatis pudor apud eos decenti iure seruetur. Sic enim redditur honor cui congruit, & timor cui debetur. Hoc enim præ omnibus docuit saluator di-
Matt.22. cens, *oportet reddi quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Ordinationem verò humanam dixit potestatem, quæ hominum dispositione consistit. *Siue Regi tanquàm præcellenti, siue ducibus tanquàm ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* Præcones E veritatis omnem malitiæ occasionem auferentes à nobis, scribunt quatenus tales simus apud eos qui in potestatibus degunt, ne per nos Euangelium aut doctrina eius impediatur, nolentes nos eis officium debitæ deuotionis exoluere, & eorum actibus esse subiectos, quando tamen rectis legibus aliquid agere comprobantur. Scribit itaque Petrus omni ordinationi humanæ subiiciendos, regibus quidam tanquàm egregium culmen habentibus, ducibus autem tanquam missis ab eo ad comprobationem bonorum, & malorum scilicet vltionem. Paulus autem: *Omnis,* inquit, *anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas nisi à Deo: quæ autem ex Deo, ordinata sunt,* & reliqua. Rom.13. His igitur ordinationibus ab eo, qui bonorum est causa constitutis, ipse namque constituit, & destruxit reges, cuius sapientia dixit: Per me reges regnant, & potentes scribunt iustitiam. *Per me principes magnificantur, & tyranni per me possident terram.* F Prou.8. Non oportet conturbari si quando fiunt huiusmodi iudices, vt malè quidam faciant, vt puniant bonos, approbent autem & laudent inobedientes legi, siue amore pecuniarum, siue gratià delictorum in aliquos opportunè non facientes iudicium, faciant transcendentes legem absque prouidentiæ voluntate, per quam ad culmen euecti sunt. Et non miserandum si aliter faciant, quam vult ille, per quem adepti sunt potestatem: Nam penè apud omnes inuenis esse peccata. Dedit nobis Deus sensum vt vtamur, vtimur eo malè frequenter, sed nostra voluntate. Quod autem ita fit, non oportet vt illum, qui dedit sensum, culpare debeamus. Plantauit in nobis vigorem vt diligamus, & odio habeamus, vt quidem odio habeamus mala, & diligamus bona. Homines ergo è diuerso muneribus his vtuntur, non itaque Deus, sed & ipsi sunt magis in culpa. Quapropter omni querelà liber est Deus, scilicet his qui ab eo ad principandum constituuntur, absque eius proposito perpetrare aliquid noscuntur. G Constituit enim eos vt terribiles & malorum tortores essent, & laudatores bonorum, & honorantes bonos. Qui dum vsi fuerint hoc modo potestate quam obtinent, non solùm non offendimur, sed etiam collaudamus eum qui ordinatum appetit principatum. Si verò hi contrarium quicquam gerant, non accusemus Deum, sed potiùs longanimitatem eius circa eos, sicut & circa alios homines qui delinquunt, admiremur. *Sed sicut serui Dei, omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, regem honorificate.* Malac.1. Cùm differentia sit filiorum Dei atque seruorum eius, seruis iubetur vt timeant, sicut & ipse Deus dicit: Si Dominus ego sum, vbi est timor meus? nequaquam timorem, sed gloriam à filiis exigens cùm dicit: Et si pater ego sum, vbi est gloria mea? Filius enim glorificat patrem, & seruus timet Dominum suum, sicut Propheta dicit: Quia igitur scribens hæc, nondùm filios factos, sed seruos adhuc nouit, quibus scribens ait: sicut serui Dei Deum timete. H Consequens est enim, vt per hæc verba disciplinabiliter, & sicut oportuit, omnes qui in sublimitate sunt, honorentur, & diligantur rectà voluntate fraternitatis. Omnium enim qui laudabiliter agunt, Deus timor, & fundamentum est. Et Deum timete, Verumtamen hoc principali ordine consectandum est. *Serui obedite cum omni timore Dominis vestris, &c.* Non passibilem timorem seruos habere præcipit apud Dominos. Hic enim irrationabilis, & ad irrationabilia constitutus est, sed eum qui cum disciplina & rectà ratione consistit cuius proprium est reuerentia. Qui enim propter Christum & doctrinam eius Deum timet, cum reuerentia ei subiectus est, cùm ille qui per verbera aliaque tormenta timet Deum, passibilem timorem habere videt. Hâc significatione & hîc post alia vertit se ad fœminas dicens: *Considerantes vestram in timore castam conuersationem.* Et frequenter Scriptura hæc de timore, tali modo perloquitur: *Qui cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur.* Præsentes equidem laudes eius sunt, qui

Cautè lege, nam videtur damnare timorem pœnæ seu seruilem, tanquam irrationabilē, cū tamen ex se bonus & vtilis sit, ex mo de quo S. Thom. ex... 2.2. q. 19 art. 4. Vid. Concil Trid. sess 6. c. 6. & canone 8.

[A] qui voluntariam & non substantialem habet benignitatem, per quæ verba nos inuitat ad laudem eius, qui naturam non habuit ad peccandum, quasi substantiale sit eius bonum. Vnde hominem Iesvm laudat, *qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, & expertus omnia, secundum similitudinem nostram, præter peccatum.* Quapropter & præsentia de eo sunt percipienda, qui alibi dicit: [Ioan.8.] *Quæritis me occidere qui veritatem loquor vobis. Qui cùm malediceretur non maledicebat, nulli malum pro malo, aut maledictum pro maledicto reddens*: sed neque cùm pateretur comminabatur eis, qui malis afficiebant eum, tradens eos, qui insurgebant aduersus eum, iustè iudicanti Deo, verbo inhabitanti in semetipso. Nam licet vnitas diuina sit sancta & impartita hominis ad verbum: verumtamen alter est intellectus hominis assumpti, & alter assu- [Ioan.10.] mentis eum verbi Dei. Audientes eum: *Ego & Pater* [Ioan.17.] *vnum sumus.* Et, *ego in Patre & Pater in me est*, & illud: [Ibid.6.] *Qui videt me, videt & Patrem.* Intelligimus quòd qui hæc dixit, vnigenitus Dei Filius est. Et rursùs cognoscen- [B] tes illud: *Nunc anima mea turbata est.* Et: *Qui cœpit mœstus esse & contristari*, de homine quem assumpsit, scripta sentimus.

CAPVT III.

CVius estis filiæ benefacientes, nec timentes vllam perturbationem. Inuitat fœminas vt imitentur sanctas, & præcipuè Saram, suadens eis, sic subiici viris, sicut illa subdita erat Abraham, cuius & filias eas factas dicit per operationes bonas. Sicut enim qui faciens opus Abraham, & habens eius fidem, filius eius fit, ita bona facientes fideles fœminæ, matrem habent Saram. Et hæc quidem ad textum. Allegoricè verò consideramus quomodo quilibet sit filius Abraham & Saræ, hoc modo vt Apo- [Galat.4.] stolus ait, dicens: *Quia Abraham duos habuit filios, vnum de ancilla, & vnum ex libera.* Deinde spiritualiter intelligit per mulieres duo testamenta: & post alia dicit: cum qui ex libera natus est, secundum spiritum sanctum liberam dicens supernam Ierusalem. Concordat his verbis [C] [Isa.51.] Prophetia, dicens: *Respicite Abraham Patrem vestrum, & Saram quæ vos concepit.* Non enim possibile est ad illos homines, id est, Abraham & Saram hæc referri carnaliter. Quomodo enim adhuc conciperet huius Prophetæ tempore, quæ ante multos annos naturæ debitum susceperat mortem? Quapropter & hæc percipienda sunt proximè verbis Apostoli dicentis: Matrem esse earum quæ secundum spiritum generantur, non fœminam, sed testamentum nouum & Ierusalem esse supernam, & inuitat mulieres per opera bona, matrem habere Saram, & super omnia consistere, nec habere timorem illum, quem pauor sequitur & tumultus, quem rationabiliter perfecta charitas mittit foràs, quoniam pœnæ magis est, non Dei. Hunc enim per omnia diuinus interdicit sermo, alicubi [Ibidem.] quidem dicens: *Quis es vt timeas hominem mortalem?* [Matt.10.] Alicubi autem: *Nolite timere eos qui occidunt corpus*, & alia his vicina.

Dominum verò Christum sanctificate in cordibus vestris. [D] Sicuti non magnificatur Deus, non augmentum magnitudinis ei proferri significatur, sed neque dum glorificatur ei extrinsecùs culmen sublimitatis affertur, sic neque dum sanctificatur Dominus, ei titulus sanctitatis augetur. Vndè & in cordibus nostris hoc facere iubemur. Si enim sanctitatis eius integram perfectionem haberimus, non tantùm ore eum sanctificamus, sed in cordibus nostris. Dum enim hoc facimus intellectu nostro, Dei sanctitas magis augetur. Similiter & qui magnificat eum, magnitudinis eius participium suscipit in semet- [Psal.31.] ipsum. Vnde dictum est: *Magnificat anima mea Dominum.* Et iterùm: *Magnificate Dominum mecum.* Similiter & de gloria eius dicendum est. Hæc autem non videantur esse mira subtiliter aduertenti: quod dicitur à nobis bona non suscipit, sed ministrat. His enim similiter intelligendum est, & illud: *Sanctificetur nomen tuum.* Sanctificatur enim nomen Dei, quando induti eo, ea quæ sunt sanctitatis im- [Isa.8.] plemus. Adhuc accipiendum est & illud: *Deum sanctificate, & ipse erit timor vester.* [E] Et iterùm: *Si in eo confidis, erit tibi in sanctitate.* Vide siquidem quomodò in sanctitate ipse Dominus fit ei qui sanctificat eum. Si enim vt sanctificatur Christus ab eo, qui imitatur eum: sic animaduertendum est, quoniam qui transcendit mandatum præsens, quomodo maculet Christum, qui confitetur eum ore, & negat operibus? Sic enim ad quosdam dicit: *Profanastis nomen meum in gentibus.* [Rom.4.] Per vos enim blasphematur nomen meum, cùm viuitis in peccato. *Parati semper ad responsionem omni poscenti vos rationem de fide, & spe quæ in vobis est.* Sicuti continuè agi quod bonum est diuina doctrina vult, ita & instructos esse fideles hortatur, vt parati sint ad comprobationem rerum sapiendarum. Quia enim multi Euangelio disciplinabiliter intendentes, exigunt nos satisfactionem spei beatæ, non oportet segnes esse & ad satisfactionem deferre requirentes, sed magis esse præparatos Christi discipulos, quatenus volenti mutuò percipere rationales pecunias non negatur. Non enim de sensibilibus pecuniis hoc Apostolis est præceptum, aurum non habentibus & argentum. Ad hoc etiam Paulus inui- [F] tat, scribens: *In sapientia ambulate, propter eos qui foris* [Col.4.] *sunt, scientes quomodo oporteat singulis respondere*, foris, dicens eos, qui nondùm fideles existunt. Isti namque requirunt volentes agnoscere aliquid de spe quæ in nobis est. Propterea qui præsidere Ecclesiastico magisterio deputatur, super hoc quod debet habere doctrinam, debet etiam resultantes obstruere. Cùm ergo sic inuitet diuina doctrina præparati fidelem virum, nescio vnde moti quidam sicut iumenta viuunt arbitrantes actibus solis incumbi, cùm neque ipsi inculpabiliter poterint apprehendi ab eo, qui sine doctrinæ ratione viuere concupiscit. Quomodo etiam ipsi tunc claudendi sunt, dum cum ratione celebrantur? Quòd ergo petulantes inexaminabiliter aliquid dicere præsumunt, audiant Scripturam sanctam, quam sine intellectu & examinatione videri quemquam nosse Scripturas culpabile magis est. Scientia enim, inquit, non intelligentium inexaminata sunt verba, & disciplina sine probatione erat. Qui est in dextera Dei deglutiens mortem vt vitæ æternæ hæredes efficeremur, perfectus in [G] Cœlos subiectis sibi Angelis & potestatibus & virtutibus. Sicut per Filium Dei, quod verbum est seu ratio, essentiam cuncta rationalia, & vt essent, habuerunt: sic per eum omnium eorum salus effecta est. Qui enim non substantialiter, sed acquisitiuè sanctitatem habent, cum creaturæ sunt, iure purgatio facta est circa cuncta hoc modo habentia bonitatem. Vnde etiam sublimi ore correctionem suscipiunt. Pacificauit enim Iesvs per sanguinem Crucis suæ quæ in Cœlis & quæ in terra sunt, omne bellum destruens & tumultum. Mox etenim in Descensu eius & Natiuitate facta de Virgine dictum est: *Gloria in* [Col.1.] *excelsis Deo, & in terra pax.* Concorditer autem & in [Luc.2.] præsentibus dictum est: *quia cùm resurrexisset à mortuis, & sederet in dextera in excelsis, profectus in Cœlum subiecti sunt Angeli ei, potestates, atque virtutes.* Sicut enim homines abstinentes à peccatis subiecti sunt: ita & superiora rationalia correcta spontaneis culpis, quæ forsitan habuerunt, ei subiecta sunt, completâ dispensatione habitâ [H] pro salute cunctorum. Possibile est autem aliquos huiusmodi spontaneis passionis voluntatibus abstinentes dicere, quia non omninò mutatio facta significatur subditorum animalium supernorum, cùm tali intellectu quæ scripta sunt suscipiuntur, Deo verbo existenti filio Dei, omnis creatura tanquàm regi omnipotenti subdita est. Et quoniam hic Deus verbum hominem assumpsit, cumque suscitans post mortem super omnia principia, potestates, virtutes, & dominationes esse constituit. Huic omnes Angeli Dei iussi eum adorare, subiecti sunt, scientes eum vniri cum Deo verbo, cùm in dextera Diuinitatis sit, & in nomine eius non solùm terrena & inferna, sed etiam cœlestia genu flectant, & omnis lingua ad gloriam Dei patris Iesvm Dominum esse confiteatur. Cùm autem omnem linguam audis, non humana solùm debes numerare eloquia, sed etiam eorum qui sunt in Cœlis. Dictæ sunt enim & illorum linguæ, cùm ait: *Si linguis hominum & Angelorum loquar.*

Intueris palã Origenis perspicuum errorem, quem discipulus eius Didymus imbibit, Christum passione sua & sanguine purgasse quoque Angelorũ peccata. Vide Sixtum Senens. lib. 5. Bibl. annot. 117. & lib. 6 annot. 292. & 116. & 302.

A

CAPVT IV.

SI autem initium à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio? & si iustus quidem vix saluus sit, peccator & impius vbi parebit? Instante iam tempore vt initium sumeret Dei iudicium, incipit facere transitum à maioribus ad minores. Quapropter ait, tempus inchoationis iudicij ex domo Dei, hoc est, à fidelibus & complentibus Dei viuentis Ecclesiam, vndè etiam infert. Si primum à nobis qui sumus Dei domus, examinatio actuum cogitationumque fit, quem*creditis terminum non credentibus Dei Euangelio peruenire? Per hoc certamen, multumque timorem fidelibus infert, quatenùs cautè discant iudicem, ad quem habere poterunt sine dubio rationem. Hos ergo excitans ad timorem eius inuitat, dicens non credentes diuinæ doctrinæ ineuitabilem suscepturos scilicet vltionem, quam finem, eorum nominauit
B circumscribentem incredulitatem eorum. Docens enim istis verbis & excitans potiùs eos inquit: Cùm iustus vix, & cum potiori certamine queat adipisci salutem, quid oportet sentire de impiis? quoniam per se iudicati ad iudicium non resurgunt, & de peccatoribus qui in consilio iustorum non resurgunt. His enim qui bona gesserunt ad resurrectionem vitæ venientibus, qui praua fecerunt ad resurrectionem iudicij suscitantur. Quapropter nequaquam inter bonos peccator & impius apparebit, cùm iustus vix saluetur æstuando & decertando quomodo eius iudicium transfigatur? Nam licet nihil praui sibi sit conscius, verumtamen sciens quoniam non in hoc iustificatur, donec eum iustificet iudex, æstuat & decertat. Quæstio, verùm aliud sit peccator, & aliud impius? quia hic dicit sicut & in aliis Scripturæ locis, vbi ait: *Ideò*
Psal. 1. *non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum.* Ex hoc quidem ostenditur differentia duorum ordinum. In aliis autem eundem peccatorem dicit &
Rom. 5. impium, cùm ait: *Statuit autem suam charitatem in nobis*
C *Deus, quia cùm peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est*, & mox ait: Pro impiis. Potest autem impius esse, qui omninò extra Dominum est, peccator autem quem Deus quidem continet, sed ille contemnit eum, dum transgreditur leges eius. Si verò aliquando in textu idem peccator & impius inueniatur, differentiam tamen habebit in intellectu. Possibile est autem eum qui peccar, mox & impium esse, quando per contemptum impiè agit in Deum.

DIDYMI ALEXANDRINI, in II. Petri Epistolam, enarratio.

EX II. CAP.

VBI *Angeli fortitudine & virtute cùm sint maiores, non perferunt aduersus eos execrabile iudicium.* Angeli manentes in sanctitate quam ha-
D bent a Deo, sunt potiores hominibus, licet excellenter beati sint homines. Angeli siquidem custodiunt sanctos viros, & eis auxiliantur, dum homines nequaquàm valeant Angelis præbere solatia. Sic vtique & illud quod in Euangelio de Ioanne dictum est: Quia
Matt. 11. *nullus inter natos mulierum maior sit eo*, cùm potior illo inueniatur, qui in regno sit minor; interpretati sunt sapientes viri, dicentes, quia cùm sit perfectus inter homines, nullo mortalium minor est, quando qui inferior est, omnium supernorum rationalium maior est eo: quia non solùm virtutis scientiæque differentia potiores sunt Angeli, sed etiam quòd non sint grauibus ac passibilibus perplexi corporibus. Alter verò quidem dicit, nequaquàm maiores hominum Angelos esse, non fortitudine & virtute, eò quòd mortali vitâ priuati sunt. Vnus denique Angelus percussit Regis Assyriorum sub vno momenti tempore exercitum, centum octoginta quinque millia. Et alter penè omnem populum Israëlitarum vastauit, nisi citò Dauid rex eorum rogaret Deum, vt iracundiæ finem daret, & terminum vltionis, quæ illata fuerat propter peccatum, de populo numerato contractum. E

EX III. CAP.

LAtet enim illos hoc volentes, quia Cœli erant olim, & terra ex aqua, & per aquam constituta verbo, & per quæ tunc mundus aqua inundatus deperiit: qui nunc autem Cœli sunt & terra, eodem verbo repositi sunt, igni reseruandi in diem iudicij & perditionis hominum impiorum. Multis mirum est, & ex istis verbis significari mundanas reuolutiones atque mutationes. Sic enim habent: Cœlum enim erat olim & terra ex aqua, & per aquam constituta verbo Dei, per quæ qui tunc erat mundus aquâ inundatus deperiit: qui autem nunc sunt Cœli & terra, verbo repositi sunt igni reseruandi. Et post alia: Nouos verò Cœlos, & terram nouam secun- F dum promissa ipsius expectamus. Aiunt enim qui hâc sententiâ detinentur: Sæculum erat olim, & terra absque Cœlis, & terra quæ nunc est, & extra istos qui nunc sunt, noui Cœli & terra noua erunt. Omnibus manifestum est tres mundos per successionem consistere, quoniam scriptum est: Qui nunc sunt Cœli & terra eodem verbo repositi sunt: & mutatio denuò similis erit eis qui sub diluuio perierant. Agnouit autem hæc conscriptor Epistolæ ex verbis IESV de consummatione sæculi sic probatis. *Sicut enim in diebus Noë comedebant &* Matt. 24. *bibebant homines, nubebant, & nuptui dabantur, vendebant, emebant, plantabant, ædificabant, vsque ad diem quâ ingressus est Noë in arcam, & venit diluuium, & tulit omnia, sic erit in præsentia filij Hominis.* Ampliùs autem concionatur his verbis cùm dicit: Igne soluendam hanc, quæ nunc inspicitur, creaturam. Ait enim venire iudicij diem latenter vt fur, in quo Cœli magno impetu & sine dilatione transibunt, elementis vtique tabefactis ab igne illato, post quod Cœlis radicitùs amputatis, no- G uos Cœlos nouamque terram futuram, in quibus iustitiam & promissiones Dei in sua habitatione possideant iusti. Non est igitur ignorandum præsentem Epistolam esse falsatam, quæ licet publicetur, non tamen in canone est.

* Planè non intellexit Didymus verba epistolæ ac proinde ineptè asseruit esse falsatam. Quod autem de ea an esset canonica dubitatum olim fuerit, nihil impedit quominùs hæresis iam sit manifesta, diuinam huius secundæ Petri Epistolæ auctoritatem in dubium reuocare, propter concilia sacra, & Ecclesiæ consensum. *Vide post alios Sixtum lib.7. Biblioth hæresi 9. B Bellarminum lib.1. de verbo Dei cap.18 Coccinum tom.1 thesauri lib.6. art.24.*

DIDYMI ALEXANDRINI in Epistolam Diui Ioannis primam, enarratio.

H

CAPVT I.

QVOD * *erat ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod inspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.* Multi per hæc verba putant præsentiam Saluatoris post resurrectionem factam discipulis demonstrari, asserentes quia dixerit hæc Ioannes de se cæterisque discipulis, quia priùs audierint, quoniam Dominus resurrexit, posteà verò oculis suis inspexerint, ita vt contrectarent pedes, & manus, & latus eius, & sensu caperent fixuras clauorum eius, &c. Nam licet solus Thomas palparet eum, attamen hoc omnibus repræsentatum, cùm ipse Saluator dixerit vniuersis: *Palpate me & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Alij verò profundiùs hæc verba suscipiunt, eò quòd non simpliciter dixerit: Manus nostræ contrectauerunt, sed adiecerit, de verbo vitæ

A Insuper & illud : quod erat ab initio. Idem verò significant hæc verba quibus ait : *Qui erat ab initio*, quid, illud Luc. 14. Exod. 3. vbi ait : *ego sum qui sum*. Quomodo enim, qui existentia vt sint præparat, non rationabiliter dicatur, quod erat: dum hoc de nullo alio quàm de Deo Verbo verum possit existere? Singula namque creaturarum aliquid esse dicuntur, vt & esse Angelum, cœlum, solus autem Saluator est omninò quod est, quo participantia vniuersa veniunt ad essentiam. Huius autem quilibet auditum priùs per introductionem doctrinæ suscipiens ad hoc venit vt eum disciplinabiliter possit inspicere, post multam scilicet exercitationem, quæ contrectatio de verbo Ioan. 14. vitæ vocatur. Qui vtique verè dixit: *Ego sum vita*. Exponitur autem etiam, sic de eo qui erat in principio, per legem audiuimus & Prophetas, quia venturus esset, hunc venientem apertè oculis nostris vidimus, non fatuitè consentientes ei, qui in carne visus est, sed cum multa B contrectatione perscrutantes Scripturas de ipso testimonia perhibentes: & ita credidimus de verbo vitæ. Mysticè verò hæc quilibet aduertens dicere poterit, non incongruè positum vidimus & inspeximus. Sed vnicuique verbo subiacere significantiæ propriæ rationem. Cum enim saluator (de quo ista conscripta sunt) Deus verbum factus sit caro, verbum dispensatione susceptâ Ioan. 1. respiciens. Quis in humanitate Christi videt eum sensibiliter, perceptionem habens visibilis personæ, aduertens autem Diuinitatem, inspicit eum gloriam habentem tanquàm vnigeniti à Patre plenum gratiâ & veritate. Has duas perceptiones, id est, sensibilem & intelligentiam demonstrat etiam ille qui dicit: *Etsi co-* 2.Cor.5. *gnouimus secundum carnem Christum, sed nunc iam cognoscimus*. Quia verò inspiciendi sermo, intellectualem significat perceptionem, manifestant etiam hoc illa verba: *Beati mundo corde, quoniam ipsi videbunt* Ioan. 6 *Deum*. Hæc itaque differentia viuendi & inspiciendi sic maneat, quomodo vtraque sunt simul. Nam ali- C quando intelligibilis inspectio visionis voce significatur, vt est illud: *Qui videt me, videt & Patrem*, non quia patrem quis oculis carnis vidit, quisquis enim est ex Deo, hic videt Deum. *Et vita palam facta est, & vidimus & testamur, & nuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, &c.*

Vitam quæ erat in Patre palam factam nobis vidimus ait: Congruenter dictum est vidimus eam: & audientes de eadem hac palam facta vita, testimonium perhibentes annuntiamus & vobis, quos consequens est videre eam manentem. Siquidem differentia videndi & conspiciendi. Hæc dicenda sunt, quod vidit aliquis nuntiare poterit alteri cum de inspectione non omninò possit hoc fieri. Multa enim quæ perfectè inspecta cognoscuntur, voce significari non possunt, dum per eruditionem ineffabilem cognoscuntur, & sunt vocis iudicatione mortalis. Non enim licet homini loqui hæc, hoc est impossibile. Hoc ergo animaduertendum est, quia testi- D monium perhibentes & vitæ eius non commendant ea de quibus testantur. Sed semetipsos ipsius testimonij confessione meliorant. Denique pietatis athletæ quos consuetudo fraterna Martyres vocat, id est testes videmus, quia semetipsos equidem ornauerunt, quod autem in suo Martyrio veritati aliquid addiderant. Et hæc est annuntiatio quam audiuimus ab eo, & indicamus vobis: quoniam Deus lux est, &c. Ab ipso saluatore annuntiationem discipulis factam scripsit, quâ declaratur, quia cum Deus lux sit, nullas tenebras habet in semetipso. Hanc annuntiationem & vobis inquit, offerimus, vt eandem quam nos, de Deo sententiam habeatis, quoniam Deus lux est. Lux verè est Deus intelligibilis atque perpetua. Nihil enim sensibile semper manet. Huic luci contrarias esse tenebras intelligendum est, quæ tenebræ ignorant eum & habitus deteriores sunt. Quia ergo neutra species tenebrarum, hoc est, nec ignorantia, nulla nequitia est in Deo, iure dictum est nullas tenebras in eo esse. Possibile est non pro his tantummodò dictum esse, tenebræ in eo non sunt vllæ. Sunt enim de cunctis speciebus ignorationis atque malitiæ. Quia

enim malitia in Deo non est, constat ex eo quod dictum E est, fidelis Deus & non est iniustitia apud Deum. Et iterum: Quid ergo dicemus, iniustitia apud Deum? Absit. Ad hoc percipiendum est etiam illud quod dictum est: *Rectus Dominus Deus & non est iniustitia apud eum*. Quia verò Daniel. 2. nec ignorantia in eo est, manifestat Daniel de eo dicens: *qui cognoscit quæ in tenebris sunt & lux cum eo est*. Sap. 8. Et illud: *Occultorum agnitor Deus, cognoscens omnia antequam fiant*. Si enim habet scientiam occultorum atque tenebrosorum & omnium quæ facienda sunt, cuius vlterius erit ignarus? Non habet igitur communionem hæc lux cum ignoratione intelligibilium. Vnde scriptum est: *Quæ communio luci ad tenebras?* Si volunt hæretici dice- 2.Cor.6. re, vt derogent Deitati, discordare præsentiam, ad illud quod dictum est: *Posuit tenebras latibulum*, hoc est, Deus. Et illud: *Intrauit Moyses in nubem vbi erat Dominus* Sciant tenebras in his significari incomprehensibilitatis eius obscuritatem. Possibile est namque per ignorantiam F nostram rationum hanc fieri vobis obscuritatem, non in Deo, qui lux est. Ipsis quoque sermonibus aduertendum est, quia idem significat id quod dictum est in tenebris & nube, seu caligine Deum esse, & latibulum suum in tenebris posuisse, quod significatur ex his verbis, & tenebræ in eo non sunt vllæ. In ipso igitur non sunt tenebræ, quia nec naturæ eius est has habere: ipse verò in tenebris & caligine esse videtur nobis, vtique comprehensionem eius non habentibus, cuius substantiæ esse noscatur. *Si dixerimus societatem habere cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & non facimus veritatem*, Et reliqua. Quoniam Cùm Deus lux sit, sine participatione omnium tenebrarum est, & nullam communionem cùm eis habet. Qui ex eius illuminatur luce, ambulat in lumine, secundum verba ipsius Saluatoris dicentis: *Donec lumen habetis, ambulate in lumine, ne vos tenebræ comprehendant*. Et iterùm: *Ego sum lux mundi. Qui me sequitur, non ambulat in tenebris, sed habebit lucem vitæ*. Quisquis enim peccando in tenebris ambulans dixerit se communionem habere per G participium apud Deum, & mente non esse tenebrosa, mentitur non faciens veritatem Si enim veritas rebus ipsis manifestatur per eos, à quibus agitur, id est, rebus ipsis, fallitur qui non facit ea, licet purâ verbi prolatione dicat se confiteri veritatem.

CAPVT II.

IN *hoc scimus, quoniam cognouimus eum, si mandata eius seruamus. Qui dicit se eum scire, & mandata eius non seruat, mendax est, &c.* Sciendi seu cognoscendi sermo in Scriptura diuina præcipuè, non semper notitiam manifestat, nisi experimentum alicuius habere rei, & vniri tanquàm in eo qui non sciuit peccatum, vt illud: *Nunquam* Luc. 13. *vos agnoui, operarij iniquitatis*. Peccatum, enim nesciuit, non quòd non habuit notitiam, quid esset peccatum, sed quia non fecit illud; peccatum namque non fecit, licet expertus sit omnia secundùm similitudinem, qui custodit H mandatum, non cognoscit verbum malignum. Dicit autem ipse IESVS operariis iniquitatis, *nunquàm vos agnoui*. Galat. 4. Ostendens quoniam nunquam cum eo participati sunt, 2. Tim. 2. quibus hoc dicebatur. Hoc modo namque accipiendum est & illud: *tunc autem cognoscentes Deum, magis autem cogniti à Deo*. Et illud: *Nouit Dominus qui eius sunt*. Quia verò & pro nosse & dictum esse, positum est sciendi verbũ, Amos 5. apertè videtur ex eo quod dictum est: *quoniam cognoui peccata vestra*. Deus enim scit peccata, quia illorum habet apud se notitiam, hoc quoque modo sumendum est etiam Luc. 16. illud: *Vos estis iustificantes vos ipsos coram hominibus. Deus autem cognoscit corda vestra*. Similis etiam veritatis est Luc. 6. & illud: *Sciens autem* IESVS *malitiam eorum*, & illud: *sciens cogitationes eorum*. His ita distinctis; qui dicit se scire Deum & copulatum ei, & habere participium eius, necessariò consequenter habebit vt & eius mandata custodiat: quoniam hoc quoque reciprocum est, dum omnino mentiatur, qui mandata eius non seruans, cum se habere confirmat. Vtraque enim hæc significantia ex præsentibus indicatur. Ait enim, in hoc scimus.

A hoc est, notitiam habemus & sequitur: Quoniam cognouimus eum, id est, vniti & adhærentes ei, & eius mandata seruantes. Nam qui non seruat ea, palàm est quod à scientia Dei videtur extraneus. Sic enim Sacerdotes filij Eli nescierunt Dominum, nequaquàm mandata eius seruantes, licet haberent simplicem eius comprehensionem cùm Sacerdotes essent. His ita manifestatis, qui vult scientiam habere Dei, vacet ab omnibus per quæ minimè Dei mandata seruantur. Hæc enim sunt nequitiæ materialesque passiones. Sicut enim nesciens peccatum IESVS, neque operatio iniquitatis plenitudini non fraudatur, cùm sit sapientia & veritas Dei, ita nesciens iudicij diem non minuitur: quia neque quando dicitur Deus in Scripturis sanctis obliuisci & pœnitere & irasci Diuinitate minuitur. Quo enim modo illa panduntur, eodem & quod dictum est: De iudicij ignoratione res obliuiscitur: sicut enim cùm Deus solus sit sapiens & scientiam habeat omnium, obliuio passibilis & pœnitentia, aut aliquid huiusmodi in eo nequaquàm existit, cùm vtique de

B eo dispensa vitæ dicantur. Ita ergo sapientiâ & veritate Dei ignorantiam non recipiente, propter quandam vtilitatem horum, & diem iudicij dicitur ignorare, quorum singula apertè monstrabuntur, cùm de his fuerit dicendi propositum. *Qui custodit verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Et reliqua. Qui verè ex tota anima & ex toto corde diligit Deum, eius imperij verba custodit, & ex re ipsa cognoscitur dilectionem Dei habere, ex qua reprobatur hæc modo causa. Qui Deus cùm eius seruantur verba diligitur, & probatur eum habere, qui eius cognoscitur mandata seruare. Quòd verò dilectio causa est eius seruandi mandata, manifestatur ex eo quod di-

Ioan.14. ctum est: *Si quis me diligit, mea mandata seruabit.* Et ex illo: *Si quis diligit, verbum meum custodit, & Pater meus diliget eum.* His itaque consonanter dicendum est, legem & Prophetas pendere per mandata dilectionis. Quia verò è diuerso sententia ad nos conuersa accusabili ostendit causam probatione, manifestè monstratur ex eo quod

C dictum est: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, hic est*

Ibidem. *qui me diligit,* simul & ex præsenti sermone quod dictum

Ibidem. est, *qui custodit verbum eius, in hoc charitas Dei perfecta est.* Verè perfectam dilectionem dicens, per quam nihil malorum atque fallacium eum qui ab hac dilectione poterit segregari. *Charissimi, non nouum mandatum scribo vobis. Sed mandatum vetus quod habuistis ab initio, &c.* Quia fortè derogabant aliqui Euangelistæ tunc doctrinæ tanquàm heri & nuper inceptæ, docet quia mandatum scribit non tunc primitùs hominibus datum, sed vetus & quod antiquitùs habuerunt. Priscum namque manda-

Exod.20 tum est: *Diliges Dominum Deum tuum, & proximum sicut teipsum.* Quoniam auditum fuerat hoc mandatum olim & à longo iam tempore, sapienter antiquum, & in notitiam hominum iam venisse prædicatur. Poterit autem aliter dicere, quomodo possit intelligi hoc mandatum quod scribitur de charitate proximi, ab initio esse, & ab eis quibus nunc scribit auditum, cùm non Iudæi sed gentiles essent: sicut ostendit finis epistolæ. Hoc enim ser-

D mone terminatur: Filioli custodite vos ab idolis. Vnde considerandum est ne fortè vetus mandatum dicat, & ab initio existens, quod etiam ab omnibus hominibus est auditum, id est, amabile effectum per naturalem accedentem sensum. Omnes enim homines cùm sint naturaliter mansueta & communia animalia, diligunt proximos. Vnde Saluator ad hunc naturalem affectum mouens ait:

Matth.7. *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite similiter.* Cùm dicit vetus esse mandatum, ostendit non illud quod eius alio se succedete, sicut est secundùm literam testamentum legis. Quæ igitur ista sunt vetera? Non propter tempus & quod eis ab aliis succedatur, vetera sic dicuntur, sed quòd antiqua sint & non modo primo cœpta. Ad hanc significationem referendus est, & antiquus dictum qui Prophetæ monstratus est. Sed & iam his qui propositum habet commendandi præsentia de dilectione proximi antiquitus à Moysis temporibus inchoatum dicit, cùm mandatum & propter antiquitatem, non propter successionem vetus fuisset dictum.

E Non enim omnia mandata quæ in antiqua Scriptura referuntur, prætererierunt aliis succedentibus. Semper etenim manent, sicuti præsens, & de honore parentum, & huiusmodi mandata similia, dum figuratiua solummodò, & quæ sunt futurorum vmbræ transierunt. *Nolite diligere mundum, nec ea quæ sunt in mundo. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Quoniam omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, &c.*

Quoniam amicitiæ sunt erga Deum, ita vt qui voluerit esse mundi, inimicus constituitur Dei, consequens est ergo qui voluerit amicus esse Dei, ita vt habeat in semetipso charitatem eius, recedat à charitate mundi, & quæ in eo sunt. Ne quis autem putet ex eo quod dixit, mundum, vniuersitatem Cœli & terræ & quæ in eis sunt indicari, Interpretatus est ea quæ in mundo sunt: vt consequenter etiam eum intelligere valeam. Est igitur in eo passibilis & intellectualis affectus & appetitus, qui per carnis concupiscentiam militare aduersus animam designatur. Contra quam admonitio præbetur sic dicens: F

Prou.6. *Non te vincat concupiscentia pulchritudinis.* Et alia sen-

Matt.6. tentia quæ dicit: *Omnis qui vidit mulierem ad concupiscendam eam, iam adulteratus est eam in corde suo.* Ad hæc autem oculorum concupiscentia est, omne quod per aspectum ad dilectionem irrationabilem vsque perducit. Ab hac ergo dilectione nos conuenit abstinere, scientes quia talis mundus transit cum concupiscentia sua, cùm vtique temporalis existat, & à nobis charitatem accipiat. Dei cum sanctis voluntas semper manens virtus est. De qua scriptum est: *Iustitia immortalis est.* Et iterùm: *Iu-* Sap.1.

stitia eius (hoc est viri beati per reuerentiam) *permanet* Ps.113.

in sæculum sæculi. Quia Dei verò voluntas in actione con- Matt.7.

sistit, indicatur per hoc quod ait: *non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrœbit in regnum Cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.* Per hoc repræsentatâ generali & actuali virtute earum species agnoscitur, & ex eo quod dictum est: *Inueni Dauid virum secundum cor* 1.Reg.1.

meum, qui facit omnes voluntates meas. Possibile est ex G præsentibus verbis visibilem mundum intelligi, id est, non esse diligendum ab eis, qui valdè præcellunt, dum considerant non præsentia, sed æterna. Et quoniam qui habent in eius amore viuendi propositum, passibiliter in rebus insensibilibus habitare contendunt. Rectè superbia sæculi & carnis atque oculorum concupiscentia esse dicitur in eis. Quicumque omnia contemnit supra mundum erit, diligens Deum, & faciens voluntatem eius, qui permanet in æternum. *Filioli, nouissima hora est, & sicut audistis quoniam Antichristus venit. Et nunc autem Antichristi multi facti sunt. Vnde dignoscimus, quia nouissima hora est. Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Sed si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum, &c.*

Non de omnibus, qui fallacem doctrinam habent hæc scribuntur, sed de solis declinantibus ad falsam sectam pòst instructionem Euangelicam, qui tanquàm ex Christianis facti noscuntur Antichristi: quoniam quantùm ad hoc, quod aliquando susceperunt doctrinam Christi H ex discipulis Christi, extra eos facti sunt, eligentes fallacibus inesse doctrinis. Quapropter licet annuntient Scripturas, non sunt respiciendi, cùm vtique ab earum voluntate recesserint, & ad impios sensus accesserint, palam facti sunt enim recedentes ab vnctione quam habebant à sancto Spiritu, eo videlicet ostentantes quòd sint Antichristi. Christianissimi quicumque sunt participes, Christi in eis permanet vnctio, id est, Chrisma à Sancto percipientes vt possint scientiam spiritualium habere cunctorum, dum illi sint Antichristi, qui ab Ecclesia Saluatoris abscesserint, vt etiam præsidere videantur hæresibus. Rectè siquidem dicitur, quòd de solis eis sit indicatum hoc, quod ait, *ex nobis exierunt: quia praue sentientes noluerunt esse nobiscum,* propter ipsam vtique falsæ scientiæ voluntatem à nobis alienati. Quia verò non de omnibus falsè docentibus hoc scriptum est, cunctis palam est. Non enim alios Antichristos vocari moris est quam eos qui falsa de

A Christo docent, mundi scilicet sapientibus non in hac significatione subiectis. Requirendi sunt etiam ex hoc verbo hi qui diuersitatem naturarum introducere moliuntur: quid autem in hoc vbi dictum est, ex nobis exierunt? Quomodo enim terreni à spiritualibus sunt egressi, cum semper secundum eos longinquo consistant propter diuersitatem substantiæ? quomodo autem etiam permanere potuerunt nobiscum terreni, scilicet existentes? dum nec quantulumcumque simul valeant esse virtutis insusceptibiles, & illi qui eam habere noscuntur. Igitur licet figuratè dicta sint hæc, attamen voluntariam necessitatem ostendunt, à quorum & cohabitatione, quæ potest esse malis viris cum bonis, abscesserint, dum vitio suo tales sint facti. Non igitur oportet intelligi contrarietatem hoc verbo significari naturarum. Nam si secundum idem ex nobis fuerunt vel non fuerunt, oppositio iure monstratur. Quia verò secundum aliud quid ex nobis sunt, accedentes ad Scripturam Diuinitus inspiratam, secundum aliud verò non ex nobis sunt, alium præter nostrum
B. habentes sensum, palam est ex eo quod vnguentum habeant à sancto hi, à quibus recesserunt mali, vt sciant omnia dogmata Ecclesiæ recta complecti. Consequens est enim quòd qui semetipsos collegio fidelium segregarunt, Antichristi sunt. Quomodo enim non sunt Antichristi, qui contraria sapiunt, quàm Christi confitetur Ecclesia? Si sciris quoniam iustus est, scitote quoniam & omnis qui facit iustitiam ex eo natus est. Qui disciplinaliter animaduertit de Deo, qui substantialiter iustus est, mox scit quoniam ex eo generatur qui iustitiam eius facit: sicut is qui scit eum sanctum, magis autem sanctimonium existere, tradit semetipsum vt sanctificetur. Certè
Leu.18. sciens illud quod ait: *Sancti eritis quoniam ego sanctus sum.* Benè autem dictum est, qui facit, non enim dixit qui fecit, vel qui facturus iustitiam. Operantem enim iustitiam commendat virtus cùm sit scilicet actualis. Nullus itaque antequàm faciat quæ virtutis sunt iustus est, sed neque dum cessauerit operari eam. Quod verò Deus
C Exod 9. iustus est, ex multis valet agnosci. *Moyses enim sanctus* (inquit) *& iustus Dominus.* Sicut & per Psalmistam dici-
Psal.10 tur: *Iustus Dominus & iustitiam dilexit.* Iste item pater Saluatoris. Dicit enim ad Deum: *Pater iuste mundus te*
Ioan.17. *non cognouit.* Cùm ergo huius sit Filius, tanquàm Deus ex Deo, & Sanctus ex Sancto, ita est & iustus ex iusto. Nec repugnat his verbis quod dicitur, eum esse iustitiam.
1.Cor.1. Quia enim per substantiam hoc est, dicitur esse iustitia simul, & iustus, quando is qui per participationem iustus est, nunquàm propriè iustitia nuncupatur, nisi fortè ipsum habitum, pro eo qui habet eum, quilibet intelligat. Quo verbo etiam Apostolus vsus est dicens, fide-
2.Cor.5. les fieri in Christo iustitiam: *Eum (inquit) qui peccatum non nouit, peccatum pro nobis fecit, vt nos essemus iustitia Dei in eo.*

CAPVT III.

D *CHarissimi, nunc filij Dei sumus, & nondùm manifestatum est quod sumus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, &c.* Per ea quæ scribit excitat auditores, vt agnoscant quales ex Deo sint facti dicens: O confideles, nostri digni existentes vt diligamini, filij Dei sumus, iam à præsenti sæculo: quòd sæculum significat, eò quod nunc tales simus, dum constat in nobis, sicuti possibile est, in præsenti vita filiorum adoptio. Sicut enim ex parte cognoscimus & arrhas spiritus nunc habemus, sic & particulam (vt ita dicam) filiorum adoptionem possideamus, dum ad plenum eam in futuro percipiamus. Nondùm verò manifestum est, virtus & operatio eius aperta sit; attamen licet ita se res habeat, *scimus quia cum apparuerit quod futuri sumus, similes ostendemur Patri nostro, visuri eum sicuti est,* hoc est perfectè & indifferenter videntes eum. Dum ergo sit expectatio & speret vnusquisque similem se fore Deo vt excellenter videat eum, castificet semetipsum, sicuti est castus ille quem sperat inspicere, mundus corde consistens. Castificat autem se quisque actus & sapientiam inculpabilem habens. Ait enim Scriptura: *Animas vestras purgantes ad obedientiam* E
veritatis. Obedit enim veritati qui scientiam ei in se 1.Pet.1.
præcipuam habet. Vnde petrarò huiusmodi reperitur. *Quis enim* inquit, *gloriabitur castum habere cor? Et quis fiduciam habebit, mundum se esse à peccato?* dum sit mundus à peccato, quis actibus castus efficitur? Sic enim *& eloquia Domini casta* sunt dicta, castificantia eos, qui se- Psal.11.
cundum ea & intellectum & opus habent. Quia verò sunt prouectus apud eos qui filij Dei fiunt, palam est aduertenti Scripturas sanctas. Ait enim hic doctor in Euangelio suo: *Suscipientes* IESVM (hoc est dum credunt Ioan.1.
in nomine eius) *potestatem accipere Dei Filios fieri.* Qui tantùm hanc potestatem habet, virtute & nondùm operatione, filius est. Cùm autem benè vtitur hac potestate, etiam operatione fit filius, cuius se priùs tantummodò videbatur habere virtutem, nequaquàm expectans credere in solo Christi vocabulo, sed etiam in ipso: *Omnis,* inquit, *qui credit quia* IESVS *est* CHRISTVS, *ex Deo natus est. Assumens enim cum hoc affectu etiam custodiam man-* F
datorum, potiùs filius adoptatur. Qui enim facit iustitiam, ex Deo natus est. Et qui diligit inimicos suos, & orat pro persequentibus se, filius fit cœlestis Patris. Igitur si in hoc sæculo in quod ex parte cognoscimus, & quod bonum est agimus, tantus est filiorum Dei prouectus, quod oportet credi post hæc in futuro? Ego siquidem non habeo quod dicam, sed sequor eum qui dixit, *nondùm manifestatum est quod futuri sumus: quoniam cùm apparuerit, similes ei qui genuit, erimus.* Hanc itaque perfectionem habendam putandum est in futuro post omnia, dum sicut Pater & Filius vnum sunt, vnum erunt in Patre & Filio qui hanc perfectionem expectant, similes Patri filioque futuri participatione Trinitatis. Quæ verò ignorantes aliqui magnitudinem intellectus de Deo, & mensuram spiritus excellentes scientiæ, sicuti est Dei substantia, increpandi sunt impiè cogitantes. Non enim quod putant hoc indicat, id quod dicimus, videmus eum sicut est Spiritus sancti, & assimilatos ei notitiam eius habere posse, postquàm non potest altera conuersatio reperiri, huius- G
modi contemplatione futurâ cunctisque peruenientibus, ad scientiam plenitudinis Christi, Dei omnia in omnibus facti, dum hoc extiterit non differt à Deo, quatenùs alter in Angelo sit, alter in homine. Cessabit enim rum huiusmodi differentia omnibus trahendis ad vnam similitudinem quæ ad Deum perfecta erit. Cùm verò dicunt ineruditi: si non est naturæ creaturatum, vt habeant I
scientiam substantiæ Dei, falsò credunt omnes, dicentes se intellectum habere Dei, quod non sapienter dicunt, sed valdè fallaciter & captiosè. Non est enim impossibile eiusdem rei veraces contemplationes, diuersas esse, quarum ponitur alia quidem in eo quod est; alia verò quid est, alia autem cur est. Tertia siquidem non fit circa Deum, non habentem vtique causam propter quæ est, sunt ergo aliæ duæ, quarum alia quidem posita in eo quod est, ostendit quia ex diuinis Scripturis & naturalibus intelligentiis de eo tractam, ex magnitudine & pulchritudine creaturarum eius, vt est possibile contemplantes eum. Huic concordans etiam Apostolus scribit, H
primitùs *oportere credere accedentem ad Deum.* Altera Hebr.11.
verò quâ quæritur, quid est, cùm sit inappetibilis creaturis, in sola Trinitate consistit, scire Patre quod est Filius, & Filio quod est Pater, cùm Euangelista dicat Saluatorem dixisse: *Nemo nouit, quis est Filius, nisi Pater. Et quis est* Matt.11.
Pater noster nisi Filius. Adiiciens: *Et cui voluerit Filius re-* Ibidem.
uelare. Considera ne in præceps ruas. Reuelat enim de se & de Patre notitiam his quibus apparet, ostendens & palam faciens semetipsum cordi mentis, vt eum videntes contemplationem habeant Patris. Si verò permanserint contendentes atque dicentes, hanc scientiam Dei secundum substantiam reuelare Filium dignis, quæ ipse, & Pater, & sanctus habet Spiritus, qui perscrutatur etiam profunda Dei, audiant naturæ differentiam. Igitur Trinitatis scientia substantialis est, creaturarum verò affectus quidem, suscipiens magis & minùs. Et impossibile est eadem peruenire in eis quæ substantialiter: & in eis quæ per affectum sunt. Cùm enim bonus Deus secundum

A substantiam sit, qui vtique omnium causa est, hi qui facti sunt boni & sancti, Dei participatione sunt tales, ita vt multa sit differentia boni Dei & bonæ creaturæ. Illi namque non ex aliquo sed substantia talis est, sed neque factura talis. Creaturæ verò ex Deo & non ex semetipsis sunt bonæ. Et creatura quidem bona est, ille verò cùm bonus sit, bonos nos facit. Hæc eadem dicenda sunt & de sancto & de omnibus rebus, quibus Deus substantialiter est. Creaturæ verò participatione Dei sunt tales. His ita declaratis, etiam de scientia sermo faciendus est. Cùm Deus mens sit, intellectu naturali & substantiali nouit ea quæ nouit. Creaturæ verò licet habeant vt sint mens, attamen & scientiam habent quæ est factura, dum mens eorum sit facta. Hæc disciplinabilitet magis, non disciplina est. Licet ergo Filius sciens quis est Pater, reuelet cum quibus voluerit, ita tamen hoc palam facit, sicut illis nouit esse possibile. Quapropter B etiam de Patre reuelante Filium sunt dicenda, & si mira, & Pater specie videtur esse quæ dicta sunt, breui indicio animaduertat à nobis inuenta. Dicimus scientiam esse, disciplinam esse, & indisciplinabilem habitum. Cui quidem damus maius & minus. Non autem hoc quoque disciplinæ concedimus. Non enim alia quædam præter scientiam existens, virtutem intelligendi habet. Ipsa enim posse scientia est cùm mens disciplinabilis, hoc est, eius qui disciplinæ capax est, alterum habitum disciplinabilem habeat absque substantia sua. Ex his quilibet indiciis eruditus, quodammodò cognoscit differentiam scientiæ Dei, quam habet de semetipso, & quam aliquo modo percipere creaturæ possunt. *Omnis qui manet in eo peccat. Omnis qui peccat non vidit eum, nec cognouit eum, &c.* Sicut is qui in virtute & disciplima manet non peccat nec ignorat: ita consistens in Christo, quæ iustitia est & sanctificatio, non delinquit. Quomodo enim qui cum iustitia est iniustitiam agere potest? aut cum sanctimonio pollutionem habebit? Quod cùm ita sit, omnis qui peccat C factus extraneus Christi, non habet participium, nec scientiam eius. Nam cùm dicit non videt eum, significat quòd participium non habet eius. Cui res consequens est, vt neque scientiam internam eius habere videatur: dum is qui in superficie perceptionem Dei habet peccare possit, quales erant filij Heli Sacerdotes. Sed & alij similiter Sacerdotes qui cùm putabantur scientiam Dei habere, peccabant & peccantes efficaci scientiâ priuabantur, imaginatiam tantummodò scientiam habentes eius. Sicut enim qui perceptionem habet in superficie boni agit malè, cùm nullus malè agens habeat disciplinabilem intellectum boni. Nam si nosset vtilitatem boni, affigeret participationem eius, vt per eius effectum vtilitatem eius acquireret intelligendo & agendo quod bonum est. Itaque qui scientiam habet Dei sapienter participatur eo qui est bonus, iustus, sanctus, & nihil agit quod his rebus aduersum est. Qui autem sensibilium rerum scientiam habet, solummodò figuram speciei rerum sensibilium percipit. Nec tamen operatur secundum eam. Sentiens enim D aliquis ignem, & aquæ perceptionem habens, non vrit, non calefacit, non humectat, dum vtique disciplinam intellexit non speciem eius habuerit, cùm hæc disciplina aliquid sensibile non sit vt operetur secundum eam. Præbet enim operationes proprias ei, qui percipit eam. Cùm hæc diuisio scientiarum, quoniam bonum sensibile non est, sed intelligibilis essentia Deus est, qui est in bono dum participatur Deo non peccat, quando ipsa scientia mox agit vt operationem habeat quæ intellectum verum bonitatis habuerit. Hæc ergo scripta sunt secundum continuam congruentiam, quorum reciprocationes, quicumque nouit benè agit. Nam si omnis qui in Deo est, consequens est vt non peccet, omnis qui peccat, consequens erit vt in Deo non sit. Hoc quidem primum est, altera verò huius dicti congruentia est: Quisquis habet peccandi propositum, habebit consequentiam non videndi nec cognoscendi Deum. Cuius denuò reciprocatio cum oppositione generatur; ita omnis qui nouit, & vidit eum, non peccat. In hac ergo continua congruentia significatur eruditio trina. Primum cùm dicitur differentia viden-

E di ad agnoscendum, dicens ita non posse scire Deum qui disciplinabilem non habet intellectum, sed nec videre eum qui eo expertus non est. Super illa verò etiam hoc dicendum est, qui ex operibus eius sensibilius percipit, vidit eum reuelante Filio. Sed etiam qui diuinam doctrinam nouit, scientiam eius habet. *Qui facit peccatum, ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, vt soluat opera diaboli.* Quoniam præ cunctis diabolus versus est ad peccandum, ex eo nomen habet. Diabolus ergo Græco vocabulo seductor seu accusator, vel derogator significat? Et omnis qui operatur peccatum potest tali appellari vocabulo. Possibile enim hoc quod ait ab initio peccare diabolum etiam sic intelligi. Quia omni homine faciente peccatum diabolus per eum ab initio, habens principatum in eo qui peccat per submissiones malignarum cogitationum, sicut in Iuda factum tum, cùm misisset diabolus in cor eius, vt traderet Dominum, initium in eo peccandi fuit. F His congruum etiam quæ de Anania dicta noscuntur. Cùm priùs enim complesset diabolus cor eius, posteà peccauit, ipse contingens de pretio prædij quod vendiderat occasione benefaciendi. Respondeat aliquis in hoc loco dicens, quid efficeret diabolus in peccatoribus, cùm ipsi priùs peccauerint dantes ei locum? Dicendum est, idem esse facere peccatum quod peccare, cùm datur diabolo locus. Dat enim ei locum concupiscentia, quàm fragili cogitatione subiectus postquàm susceperit eum, actualiter peragit peccatum. Hoc enim significat quod dictum est, qui facit peccatum. Bene siquidem dictum est, qui facit, non ait qui fecit, cùm is pœnitens fuerit post peccata, iam non sit ex diabolo. Sed ille sit ex eo qui operatur ad peccatum. Sic enim etiā peccati seruus est, qui facit peccatum, non etiam qui fecit: Omnis enim qui facit peccatum, seruus est peccati. Quapropter increpandi sunt hæretici, dicentes eos qui peccant naturaliter malos ex diabolo esse, & substantialiter esse malum. Diabolus enim non substantialiter, sed G voluntariæ operationis indicium est. Posita est autem & causa propter quam ex eo sunt peccatores, palam faciens non substantiam eius sed operationem. Peccare namque operatio est, nullus autem naturaliter hoc agens. Igitur peccare voluntarium est. Destruitur autem scientia eiusmodi hominum etiam ex his quæ sequuntur. Ait enim: In hoc apparuit Filius Dei, vt soluat opera diaboli. Opera namque diaboli sunt ea, quæ satanæ voluntate perficiuntur. Quapropter etiam hæc soluuntur dum si essent substantialiter, solui non possent, & maximè cùm ipsi dicant mali naturam ingenitam. Sed autem ingenita, & sine perditione est. Dum verò soluantur opera diaboli, igitur voluntaria sunt hæc, non vtique inuoluntaria. Quod autem ait apparuisse Filium Dei per Incarnationem hoc factum esse dicendum est, quando in carne apparuit, & in ea manifestatus est. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia sanctum eius manet in eo, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. In hoc manifestantur filij Dei, & filij diaboli.* Hæretici qui per omnia fal- H luntur in omnibus, etiam per hunc sermonem volunt derogare Diuinitati, dicentes natiuitatem quæ ex mundi creatore fit peccatricē esse, dum ea natiuitas quæ ex Deo noui Testamenti non possit hoc agere: & sicut putāt ipsi, veteris Testamenti verba concludunt, vbi scriptum est, *Filios genui & exaltaui, ipsi vero me spreuerunt*, & illud: Isa. 1. *Deum qui genuit te dereliquisti.* Psal. 31. Quibus inferunt verbis dicentes. Si qui nascuntur ex opifice mundi, peccant. Hic verò dicitur, *omnis qui est ex Deo, peccatum non facit.* Cum filij differentes sint, quando alij quidem peccant, alij verò nequaquam, necesse erit etiā patres eorum diuersos esse. Hæc autem sapiunt indoctè, eo quod non intelligit Scripturæ verba. Non enim scriptum est: omnis qui natus est ex Deo non peccabit, sed peccatū non facit, Cum vtique non faciat peccatum, qui secundum iustitiā operatur. Hic enim est qui ex Deo natus est, habens natiuitatem eius in quantùm fecit iustitiam, & ideò peccatum non facit, quoniam non potest peccare qui videtur habere virtutem. Et illud siquidem quos introducunt filios peccatores, cum iustitiā facerent peccare non potuerunt. Tunc vtique pec-

A catum facientes cum reliquerunt genitorẽ,& ſpreuerunt eum qui exaltauit illos. Hoc etenim eis euenit quoniam ceſſauerant iuſtitiam operari. Quapropter contraria non ſunt verba quæ poſuerunt de diuerſitate filiorum: neque enim demonſtrant patres. Denique quia non poſſit peccare qui ex Deo natus eſt, etiam cauſam dixit. Idem quia ſemen eius in eo manet quod diuinitùs venit. Hoc ſemen aut virtus eſt aut ſpiritus filiorum adoptionis: & ſi proptereà peccare nequit, poſſibilitas hæc naturalis non eſt. Sed propter aliquam cauſam facultas peccandi prohibita eſt, hoc eſt, propter Dei ſemen. Dicentes autem quia cum contraria ſimul non exiſtant, non poteſt iniuſtitiam facere qui iuſtitiam habet, non poſſibilitatem ſignificamus naturalem, ſecundum quod dicimus non poſſe irrationabile animal diſciplinam aut aliquid ſimile poſſidere. His dictis ſequitur, quod manifeſti ſunt filij Dei & filij diaboli. Si enim *omnis qui facit peccatum, ex diabolo eſt, & is qui ita agit manifeſtatur quia filius* B *Diaboli eſt*: ſicut Helymas magus cum eſſet plenus omni dolo & omni iniquitate, agnitus eſt filius eſſe Diaboli. Et quoniam *omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, cum habeat in ſemetipſo Dei ſemen.* Qui ita non peccat, inuenitur apertè filius eſſe Dei. Ideò autem ego adieci, qui ita non peccat: ne quis nos circumueniat dicens: Filios Dei nos dicere non peccantes. Paruulos enim peccatum non facientes, dicendum non eſt filios Dei eſſe. Ætate namque prohibentur, non virtute peccare, vt non aliud quicquam dicamus aſſerentes non ſalubriter exponi de infantibus qui peccatum faciunt. Non enim idem eſt peccare, & peccatum non facere, illud námque ætas prohibet, hoc autem virtus expellit. *Omnis qui non facit iuſtitiam, non eſt de Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.* Quoniam qui facit iuſtitiam, ex Deo natus eſt, conſequens eſt, vt qui ita natus eſt, diligat fratres. Qui non habet iuſtitiam non faciendo eam, & odio habendo fratrem ſuum, ex Deo natus non eſt, non aliquo modo niſi quia natus ex eo non eſt. Non enim reſpiciendi ſunt illi qui dicunt non eſſe iſtos ex C Gen. 5 Deo propter terrenam naturam. *Quoniam hoc eſt mandatum, quod audiſtis ab initio, vt diligamus inuicem, non ſicut Cain qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum, quia opera eius maligna erant, fratris autem iuſta.* Quoniam mandatum ab initio habemus vt inuicem diligamus. Non oportet odiſſe fratrem, ne in maligno ſecundum Cain eſſe reperiamur, qui fratrem occidit ſuum. Iſte namque peremit Abel fratrem ſuum. Quæ verò cauſa fuerit occidendi fratrem ſignificauit: *quia opera eius*, inquit, *maligna erant, fratris autem iuſta.* Cum enim reſpexiſſet Deus ſuper Abel & munera, ſuper Cain autem & oblationem eius non reſpexit, ex hac cauſa percuſſus inuidiâ Cain, mortem operatus eſt aduerſus proprium fratrem. Quapropter licet dicatur ex maligno eſſe propter opera tunc mala, tamen non naturaliter eſt in illo. Per hunc ſermonem oſtendit, quiá ſit homicida Cain, dicens, eum peremiſſe proprium fratrem. (Nam & in libro qui *leptogeneſis* appellatur, ita legitur,) quia Cain D lapide aut ligno percuſſerit Abel, vnde deputandum non eſt, percuſſione dici ſolummodò fieri vulnus, ſed abſolutè omnem plagam quæ lacerationem facit in corpore. *Nolite mirari fratres ſi odit vos mundus. Nos ſcimus quoniam tranſiuimus de morte ad vitam, quia diligimus fratres.* Non eſt mirandum ſi praui homines qui nominantur mundus, odio habent eos qui ſecundum Chriſtum piè viuunt. Tunc enim magis eſſet mirabile ſi diligerent eos. *Quapropter & ſi nos odit mundus*, Ioannes inquit, *veruntamen diſciplinabiliter nouimus quod relinquentes mortem in vita ſimus, fraternam charitatem habentes in pectore.* Mortem & vitam in his, non illa quæ communiter dicuntur, percipere debemus, quibus etiam irrationabilia animalia participantur, ſed vitam æternam quæ ex fide Saluatoris & virtute generatur, & contrariam ei mortem ſequentem mox peccatorum. Quoniam qui in hac morte eſt, non habet Dei memoriam, Pſalm.4. quia nec reſpexit intelligibilem lucem. *Non eſt enim*, inquit, Pſal. 12. *in morte, qui memor ſit tui*: Et iterùm: *Illumina*

E *oculos meos; ne vnquam obdormiam in morte.* Diſcedendum ab ea eſt iam, non peccando nec obliuionem habendo Dei, vt tranſeamus ad vitam quæ morti videtur eſſe contraria. Nam quæ deducit nos ad charitatem fratrum, ſequenda eſt. *Qui non diligit, permanet in morte.* Quoniam qui diligit fratres ſecundum Deum, ad vitam ex morte tranſit. Qui non habet hanc charitatem, permanet in morte. Sicut erat mortua vidua quæ in delicijs degebat, licet communem haberet vitam. Qui enim ſic viuit, neceſſariò abibit memoria Dei. His ita manifeſtatis ſi quis non habet figuram quâ charitatem deſignat fratris, in morte eſt, ſicut è diuerſo procul ab ea eſt, qui virtutem habet ſecundum quam non reputat aliquis malum, nec proximo malum facit.

CAP. IV.

Chariſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate F *ſpiritus ſi ex Deo ſunt.* Quoniam multi pſeudoprophetæ prodierunt in hoc ſæculo. Quemadmodum antè aduentum Chriſti cum eſſent in Iudæa Dei Prophetæ; multi exiſtebant fingentes ſe habere prophetiam, & opus erat examinabili diſciplinâ. Quoniam quidam eorum dicentes: Hæc dicit Dominus, Spiritum ſanctum & Dei verbum habebant: Et quidam ſpiritu maligno mori erant, Prophetæ falſitatis. Sic & poſt aduentum Chriſti Apoſtolis in Chriſto loquentibus & Spiritum ſanctum habentibus, quem dedit Ieſus cum reſurrexiſſet à mortuis, & largiſſimè miniſtrauit, aſſumptus in cœlis, multi falſi Apoſtoli à Diabolo ſunt producti, fingentes Euangelicam ſe habere doctrinam. Quapropter neceſſarium eſt illud ſancti Spiritus donum, quod ſpirituum diſcretio nuncupatur, vt diſciplinam habeamus per quem probemus ſpiritus, vt alij quidem credamus, alij reſiſtamus. Cum itaque reddidiſſet cauſam quoniam oporteat probari ſpiritus, & non omnibus credi, intulit dicens, multos falſos Prophetas in mundum prodiiſſe; Et quidem pſeudoprophetarum pluraliter edixiſſe, non admi- G remur. Qui vero etiam Dei ſpiritus ita denominauit; cum adiectione vniuerſali dicens: *Omnis ſpiritus qui confitetur* IESVM CHRISTVM. Necnon & illud: *ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubiecti ſunt*: conſequens eſt dicere, quod vnus & idem ſpiritus Dei, eſt Patri vnicus & Filio, qui pluraliter nominatur, in diuerſis deſcribitur, qui eo participantur, quale eſt ſpiritus Heliæ, & ſpiritus vniuſcuiuſque ſanctorum, ita vt tanti ſpiritus eſſe videantur, quanti ſunt qui eo participantur. Poſſibile eſt enim & vniuſcuiuſque ſacri doctoris diſciplinam, ſpiritum eius dici. Sic enim intelligitur quod dictum eſt, vt non omni ſpiritui credatur. Quatenùs ea quæ pſeudoprophetarum ſunt aduertemur, conſentiamus eis quos per probationem ex Deo eſſe cognouimus. Non eſt itaque mirandum, ſi falſi Apoſtoli hi qui transformantur in miniſtros Chriſti falſi Prophetæ ſunt dicti, quando etiam ipſi Apoſtoli frequenter in teſtamento nouo Prophetæ nominantur: ſicut in Epiſtola ad Corinthios inuenitur, in qua legimus: & ſpiritus Prophetarum H Prophetis ſubditus eſt, cum de Apoſtolis diceret: & in Apocalypſi frequenter Ioan. Propheta nominatur. *Hinc* 1.Cor.14 *cognoſcitur ſpiritus Dei: Omnis ſpiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt: & omnis ſpiritus qui negat Ieſum, ex Deo non eſt & hic eſt Antichriſtus quem audiſtis quia venturus eſt. Et nunc in ſæculo eſt.* Cum dixiſſet, omni ſpiritui non eſſe credendum antequàm ab aliquo probatus eſſe noſcatur ex Deo, dedit etiam ſignum quod ſi ab aliquo ſpiritu deſit, ille vtique erroris non eſt Dei. Hoc ergo indicium huiuſmodi rei dicunt eſſe: Omnis, inquit, ſpiritus qui confitetur Domini verbum. Qui cum eſſet in forma Dei, forma ſuſcipiens ſerui in carne venit, ita vt appareret & pateretur in ea pro nobis ſecundum quod dictum eſt: *Manifeſtatur in carne.* Et illud: *Chriſto paſſo pro nobis in carne.* Qui ergo ita confitetur, ex Deo eſt, dum diſpenſationem verè factam doctrinabiliter fateatur. Si quis verò ſoluit Ieſum & putum Deum verbum extra carnem

A esse putat, & non verè hominem dicit, & vniuersa dispensationis eius facta pro phantasia confirmat, cum huiusmodi spiritus erroris ex Deo non est. Sed dicit aliquis, multos hæreticorum confiteri eius præsentiam incarnatam, quales sunt noui Prophetæ, de Phrygia procedentes. His respondendum est, quia sicut nullus dicit Dominum Iesum nisi in Spiritu sancto non vocitandum, nec consequenter dæmones & homines fictos, nec non & hæreticos dicamus spiritum habere sanctum, quod est incongruum satis & impium. Nam si non voce solùm, sed etiam operibus & affectu vero non dolo Dominum Iesum dicat aliquis, hic verè in Spiritu sancto eundem 1. Ioan. 13 Dominum confitetur. Sicut quibus dixit Iesus: *Vos me vocatis magistrum & Dominum, & benefacitis. Sum etenim vester magister*, qui suscipitis doctrinam meam, & Dominus, seruitis enim voluntate germanâ, facientes quæ dico, impletis voluntatem Patris mei, qui in cœlo est, sicut ego. B Non habent Spiritum sanctum qui dicunt Dominum Iesum, & non faciunt quæ præcipit, cum procul ab eo sint corde, solis eum labiis honorantes: quando illi habent Spiritum sanctum, qui operibus & affectu vocant Dominum Iesum: ita qui confitetur Dominum IESVM CHRISTVM consensu integro & vero in carne venisse, dicens sapiendo & agendo, quæ in humanitate docuit, insuper & imitator eius effectus est præsente imitatione supernæ conuersationis, hic spiritum habet ex Deo, maximè si sequatur vestigia, veniens vsque ad hoc vt compatiatur & crucifigatur & commoriatur ei: cum spiritus erroris è diuerso consistat, licet labiis confiteatur Iesum in carne venisse. Negans enim virtutem quâ fingit esse pium, operibus respuit Iesum: & licet ore confiteatur eum in carne venisse. Veniente námque eo quærere & saluare quod perierat, & tollere mundi peccatum, cum ipse in perditione & peccato consistat, rebus ipsis negat aduentum eius in carne factum. Sunt autem quidam hæretici, qui neque vsque ad sermonem consentiunt in carne venisse Iesum, sed aut C corpus cœleste eum detulisse putant, aut certè vsque ad phantasiam hominem apparuisse confirmant. Possunt igitur hæc etiam spiritualiter exponi. Quoniam enim verum est illud quod dixit: *viuo ego iam non ego, viuit autem in me Christus*, vt semper mortificationem Iesu in suo corpore circumferre videatur manifestatâ in mortali carne suâ vitâ, eius quem confitetur ostendit in qua carne venerit Iesus, cum in diuersa conuersatione sit positus, qui soluit & seiungit à semetipso Iesum. Qualis est qui negat eum. Qui enim confitetur Iesum, habet eum in semetipso, & existens in eo secundum quod scriptum Mat. 10. est: *Quisquis confessus fuerit me, confitebor & eum coram Patre meo.* Qui verò negat, ex omnibus segregatus est: De eo námque quod dicit, quicumque negauerit me, negabo & ego eum. Hic propositio non assumitur sicut ait ibi: *confitebor & ego eum coram patre meo.* Figuraliter itaque dicit de Antichristo, quem venire audiuimus: quia iam in mundo est, hoc est, per pseudoprophetas & spiritus errorum per quos soluitur Iesus, quando non confitentur eum in carne venisse. Quod autem D ait nunc, per hoc quod agitur ab illis intelligendum est. *Qui cognoscit Deum, audit nos, qui non est ex Deo, non nos audit.* Si secundum literam verbum audiendi percipimus, non videtur esse verum quod dictum est, dum omnes parui & studiosi similiter vocem audiant exponentis. Vnde quidam pro intelligentia hæc percipiunt, id est, vt consentiamus, & quæ dicuntur, audientes faciamus: qui ignorat quæ faciat, non audit. Qui est ex Deo, audit eos qui hæc dicunt, & operibus exercere contendunt. Positum est enim pro intelligere, audire, Mala. 11. vbi ait: legem non auditis, hoc est, non intelligitis, & Psal. 16. illud: *Qui habet aures audiēdi, audiat*, hoc est, consentiat, & illud: *non audiuit populus meus vocem meam*, & illud: *si populus audisset me.* Vnde quæstio nascitur verum in Ioan. 10. verbis significatiuis eadem ipsa, an alterum eorum oportet intelligi, quale est vbi dicitur: *Oues meæ vocem meam audiunt.* Charissimi, diligamus inuicem, quoniam Charitas ex Deo est. Et omnis qui diligit fratrem suum, ex

E Deo natus est & cognoscit Deum: qui non diligit, ignorat Deum, quia Deus charitas est. Sicuti crimen & vituperationem habet qui non eligit quod eligendum est, & non amat quod amandum est, ita laudem conquirunt diligentes dignos, & eos qui diligendi sunt. Quando autem hæc magis prouenire potuerunt, quando tulit Saluator peccatum mundi, & ostenderetur homo qualis à Deo sit factus, per similitudinem & imaginem demonstratur ei qui fecit eum. Dum talis enim apparuerit homo, mox dilectus existens fit diuinitùs vt diligatur: quia Saluator missus in mundum per dilectionem Patris ad creaturas suas venit, vt remissionem concederet peccatorum, & ostenderet pulchritudinem eorum, quos fecit ad imaginem & similitudinem Dei. Qui hoc donum promeruerunt, dilecti sunt, vnde inuicem diligunt. Habet enim vnusquisque vt dilectus sit, & vt diligere possit, dum mandatum acceperit proximum diligendi. Cum hæc itaque dixisset hic doctor, ampliùs F excitans, ad eáque inuitans illos quibus scribit, intulit dicens: *quoniam charitas ex Deo est.* Potiùs adinuicem nos diligere festinemus, vt transcendens omnia, bonitas obsequatur. Quid est autem ex Deo generari? generaliter enim hoc omni se diligenti proueniet vt Filius Dei vocetur, cui etiam vt peccare possit non inerit, quod semen habeat in semetipso generantis Patris: Sequitur etiam eum qui ex Deo natus est, vt sciat genitorem Deum esse charitatem. *Propterea enim*, inquit, *Charitas ex Deo est, & qui habet hanc, natus ex Deo est & cognoscit eum: quoniam ipse qui genuit & cognoscitur, Charitas est.* Sic enim causa est vt sapientes & iusti & sancti simus, factus nobis Christus à Deo sapientia, iustitia, sanctimonium: ita causa est alterutros diligendi, quod Deus Charitas est. Eo námque participari secundum quod Charitas est, habemus Charitatem ex eo & diligimus inuicem. In sequentibus autem congruè etiam Saluator Charitas esse monstratur. Ait enim in Filio qui missus pro salute nostra eius Charitatem existere, sic scribens: *In hoc est Charitas.* Quasi aliquis ostendens Iesum diceret, in hoc G est Dei verbum, in hoc est veritas & sapientia Dei. Quapropter Charitatem ex charitate, Deum ex Deo Patre Saluatorem sentire debemus. Ante paulum namque definiunt non differre in Deo vt iustus & iustitia dicatur. Quibus copulandum est non differre vt diligens & dilectio idem esse dicatur. Sicut enim cum transnominatur, à iustitia iustus vocatur. Non enim iustitia participatur, sed ipse hoc est. Ita cum diligens dicitur, non quia dilectionem habeat, sed quia dilectio sit, ita vocatur. Quapropter quæ ita sunt posita de Deo in scripturis, vniuocè non transnominatiuè dicuntur, & illud vniuocum in tali appellatione sumendum est, quorum vna quidem ratio, sed nomina plura sunt. *Deum nemo vidit vnquàm.* Cum inuisibilis sit Deus, nullus eum sensibiliter vidit vnquàm, quando non potest videre aspectus corporalis incorporalia. Sed quoniam Diuinitatem separant quidam hæretici dicentes: veteres scripturæ Deum visibilem esse ostendunt, eo quod quidam eum vidisse referantur. Nouæ autem inuisibilem propter præsentem sermonem, & illud quod in Euangelio scriptum H est: *Deum nemo vidit vnquam.* Ioan. 1. Requirendi sunt, quam dicant esse substantiam eius quâ putant Deum esse visibilem. Et si non peruertatur à se mens eorum, corpus eum dicent, cum nulla alia substantia sensibiliter videatur, nisi corporis. Dúmque hoc concesserint, considerent quæ incongrua & impietate plenissima subsequantur. Omninò námque & incorruptibile erit & diuisibile & aut inanimatum aut animatum. Repente autem & inconsequens erit, vt inanimatum non intelligat eo quod neque sentiat. Animatum verò vt sit compositum & non sine principio erit. Non enim est sine principio quod componitur de simplicibus. Composita sunt autem & in principio eius anima & corpus. Ex his enim animatum constat. Et cum non habuerint aliqui solutionem tantis scilicet incongruis subsequentibus, rursùs interrogemus vnde affirment visum ab aliquibus creatorem. Etsi quidem Moysen protulerint, sciat quia

A præterquamquod diu rogauit, intelligibiliter non sensibiliter ei Deus apparuit. Dicendum namque est quia faciem non vidit, sed postrema Dei. Hæc autem sunt creaturæ, quarum generationes conscripsit. Hæc namque postrema & post Deum sunt. Si ergo hæc vidit, vt ex magnitudine & pulchritudine eorum, propinquitate eorum creatorem contemplaretur, non per aspectum, sed mente conspexit eum. Si verò Isaiam in medium forte deduxerint, dicentes eum vidisse Deum, & ille oblevatum vidit Deum, sacris animalibus velantibus alis suis non solum faciem, sed & in pedes sedentis in throno. Sed dum Isaiæ dicta, multâ expositione egeant, hoc in tempus aliud differamus. Sed, inquiunt, scriptum est, apparuisse Deum Abraham & Isaac & Iacob. Sed neque hoc sicuti putant, modum corporalis aspectus insinuat. Non enim dictum est sicut Patriarchæ videtunt eum, sed ipse Saluator eis apparuit, sicut dixit de Deo, *qui custodit mandata mea, ostendam ei me.* Nam si

B propterea quod apparuit Abraham, & reliquis; visibilis Deus est, & Saluator ostendens semetipsum digno viro erit visibilis secundum Diuinitatem. Non enim de corporali perceptione dicit ostendere semetipsum viro fideli, vt illum visionem eius habeant secundum hoc etiam infideles. His itaque apertis probationibus destruentibus fallacias eorum qui Diuinitati derogare noscuntur, idem erit Deus noui & veteris Testamenti inuisibilis existens essentia cum sit incorporeus, & splendido intellectu contemplandus ab eis qui mundo sunt corde beatitudinem illam, quâ dicimus, *beati mundo corde, quia*

Matt. 6. *ipsi videbunt Deum*, & Apostolicam inuitationem quâ

Hebr. 12. iubetur: *Sectamini pacem & sanctimoniam, præter quæ nemo vidit Dominum.* Hanc itaque distinctionem contí-

1. Ioan. 3 net & textus huius epistolæ, aliquidem dicens: *Omnis qui peccat, non vidit eum nec cognouit eum:* tanquàm cognoscente & vidente eum qui non peccat. Alicubi autem dicens, hoc est in præsenti sermone, *Deum nemo vidit vnquam.* Ne verò huiusmodi seductione fallamur si-

C cut hæretici, per id quod vniuocum est, diuidendus est sermo videndi & inspiciendi & quædam alia quæ similia verba reperiuntur, in id quod mente conspicitur, & quod aspectu videtur. Sic enim disciplinam habemus, scientes quomodo videtur Deus, & quomodo inuisibilis est, quod non frustra oppositum est, neque hic, neque in Euangelio, quod dictum est vnquàm. Nam & ibi scriptum est: *Deum nemo vidit vnquam.* Dicendum namque est, hunc sermonem, id est, nunquàm, significare tempus aliquod certum: quia videre disciplinabiliter Deum proueniet eis, qui tempus mundúmque transcendunt. Intelligibiles etenim operationes tempus omne transcendunt. His ergo inhærendum est, ne sensibiliter videre dicamur Deum. Quatenùs quod est præcipuum incorporalium substantiarum communiter habemus.

Matt. 10. *Quicumque confessus fuerit quia Iesus est filius Dei: Deus in eo permanet, & ipse in eo.* In Euangeliis legitur, *quisquis confessus fuerit me, & ego confitebor eum.* Quo intellectu quoque dicenda sunt. Non enim Deus permanet

D in eo, qui voce tantummodò confitetur, quia Iesus est filius Dei, & operibus eum negat. Quapropter hæc confessio oportet vt coniuncta sit rectis dogmatibus & bonis operibus. Sic enim quilibet Filium Dei confitendo Iesum, in Deo per participationis eius modum manebit, vt & Deus quo participatur, in eo permaneat. Quia verò confunduntur aliqui ex nominibus IESV CHRISTI non perscrutantes Scripturas, ita vt in maximum incidant detrimentum. Arbitrati námque sunt non distinguentes Scripturarum sensum: quia quod *ex*

Matt. 1 *Maria secundum carnem processit, & Angeli voce Iesus nomen accepit.* Item quod ipse est qui *cum in forma Dei*

Phil. 2. *esset* vnigenitus Dei filius, *non rapinam arbitratus est, &c.* idem esse, ideò dicendum est, quia licet præcipua vnitas facta sit Dei verbi ad hominem quem Deus assumpsit, veruntamen essentia verbi non est in hominem conuersa. Nec rursùs homo factus est, quod est Dei verbum, licet Deus sit, factus ab eo vt habeat sicuti possibile est perfectam intranscendibilem Deitatem. Quapropter licet vnitas ita sit facta, tamen prædicta nomina, E aliquando quidem eum qui factus est ex semine Dauid secundum carnem: aliquandò vero vnigenitum Dei Filium, qui est Deus substantialiter repræsentatus, sicut exempla proposita patefaciunt. Dicens enim Apostolus alicubi quidem mortuum & sepultum Christum, alicubi autem Christum Dei sapientiam & Dei virtutem 1. Cor. 15 esse apertè docet, quia hoc nomen, id est, *Christus positus in homine, qui mortuus est & sepultus.* Et rursùs ali- Rom. 11. bi in Deo verbo qui Dei virtus, & Dei sapientia, Ad hæc autem scribens, *nobis autem vnus Dominus Iesus Christus per quem omnia & nos per ipsum*, in Creatorem verbum hæc verba ponit. Non enim per eum qui secundum carnem ex semine Dauid factus est, omnis creatura in eo est, in quo vniuersa consistunt, & quæ est ante omnia. Rursùs autem & in aliò loco, vbi ait: *Mortui enim estis & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: Cum apparuerit* Col. 3. *Christus vita vestra*, & reliqua: Christum dicit vnigenitum Dei esse vitam sed etiam Christum manifestat cum F vitam celatam hominis quia assumptus ab eo est. Plurima huiusmodi in sanctis Euangeliis referuntur, quæ manifestant, quia IESVS nomen congruit ei, qui lassatus est ex itinere, & in sepulchro repositus est, ita vt Maria diceret de Deo: *Tulerunt meum, & nescio vbi posuerunt eum.* De eo Angeli mulieribus accedentibus ad sepulchrum, dixerunt, IESVM *quæritis, non est hic, resurrexit à mortuis.* Ioan. 20 Cum ergo hæc distinctio ita seruetur, dubitandum non est apud fideles: quia IESVS filius Dei sit. Sicut autem nomina hominis, id est, IESVS, & similia aliquando eum verum significant, ita & homo Domini vocatur, & Dei Filius. Ait enim *quod in te nascetur sanctum, vocabitur fi-* Matt. 1. *lius Dei viui.*

CAPVT V.

OMnis qui credit: quia IESVS CHRISTVS, *ex Deo natus est, & omnis qui diligit genitorem, diligit eum qui natus est ex eo.* Qui ex Deo nascuntur adimplendo quæ G virtutis sunt, huiusmodi fiũt. His itaque proximè dictum est etiam illud: *qui facit iustitiam & diligit inimicos suos, & orat pro eis, fiet filius Patris cœlestis ex eo natus.* Cum hæc ita sint, & qui nascitur ex Deo, credens vtique quia IESVS est Christus, non solam confessionem huius de assumptione Christi, sed illam fidem secundum quam ei virtutis opera coniunguntur nasci dicitur ex Deo. Quam fidem etiam. Abraham habens, reputatus est inter iustos. Secundum hanc significationem dictum est & illud. *Virum autem fidelem labor est inuenire.* Raram vtique in- Prou. 20. uentionem huiusmodi habere potest, cum multi sunt, præter opera fideles, mortuam habentes fidem, quæ omnino non est fides. Qui ergo ita credit vt nascatur ex Deo, habet vitam æternam. Si ergo nascitur aliquis ex Deo, agendo quæ sunt prædicta cum sit acceptabilis, & ipse diligendus est, & ante omnia debet ipse diligere genitorem His ergo monitionibus inuitat Apostolus ad amorem fraternitatis. Quapropter etiam competenter indicat magnitudinem Charitatis, & pulchritudinem H eorum qui diligendi sunt, dicens, quia proprium sit, vt qui diligit Deum, diligat etiam eum qui natus ex eo est. Potest etiam hoc modo iste locus exponi, quia hæc propter eos qui erant illo tempore, cum hæc epistola scriberetur sint dicta. Dispensatione namque completa secundum Euangelica verba & assumpto saluatore in cœlis, quærebatur tunc, si IESVS ipse esset Christus qui expectabant Iudæis vtique resultantibus ad hoc, & fidelibus confitentibus IESVM esse Christum qui expectabatur. Huiusmodi ergo hominis credulitatem indicans propter fidem quam habuit, ex Deo eum natum asseruit *Hæc est enim Charitas Dei vt mandata eius seruemus: & mandata eius grauia non sint, quia omne quod natum est ex Deo, vincit sæculum: & hæc est victoria, quæ vincit sæculum, fides nostra. Quis est autem qui vincit sæculum, nisi qui credit quia* IESVS *est Filius Dei?* Subsistentia & (vt ita dicam) materia Charitatis, quam nos habere oportet ad Deum, custodiam diuinorum asseruit mandatorum, quæ

A mandata facientes, ea rursùm fuerunt ad Deum, quapropter ad inferiora non trahunt quia grauia non sunt. Non enim sicut peccatum comparatum talento plumbi significat onus maximum vergens deorsùm: Ita virtus quæ è diuerso consistit eius. Hæc namque vtentes se eleuat & excelsos facit. Sic itaque etiam mandata Dei dum fiunt, leuia sunt, & nullo onere deprimunt. Si quis autem accedens ad ea, non sicut oportet, ea grauia esse dicar, suam infirmitatem magis accuset. His namque qui robur omninò non habent, grauia indicantur, & ea valde leuissima: vnde non scripsit, mandata eius leuia sunt. Sed ait, grauia non sunt. Illud solum assumens quod deorsùm non trahit, & sursùm vehit, vt iustè sectemur quod iustum est, experimentum vtique cognoscentes, quia Christi iugum leue est, suauitatem obtinens copiosam. Qui ergo de mandatis ita semetipsum instituit vt ea perducat ad actiones, ex Deo nascitur. Et dum hæc impetrauerit, contemnit materialem vitam & sæculi blandimenta. Et propterea vincit mundum, transiens à

B conuersatione præsentis mundi. Erit prouectus eius atque perfectio, & fide operatrice consistens, & iustitia reputatur. Quia fidem ostendens tanquam consistentem & permanentem, ait, *Hæc est victoria quæ vincit sæculum*, id est, fides quam habemus, credentes IESVM esse eum qui prophetatus Christus. His igitur infert (quia necessariò consequens est) vt qui credidit IESVM esse filium Dei, victoriam habeat contra mundum. Vincit autem sæculum, qui malo non vincitur: sed in bono deuincit eum. Vincit autem quod malum est, quando virtutem & ipsam bonitatem habet, quæ semetipsam ad hæc informat. Cum hòc vtique opere bonitatis & conuersatione non grauium mandatorum, qui credit, viuam Fidem habet, secundum quam & ex qua erit filius Dei, credens vnigenito Dei Filio, ita vt etiam participetur eo. *Et hæc est fiducia quam habeamus ad Deum, quia quicquid petierimus secundum voluntatem Dei, audiet nos.*

C *Et scimus quoniam, audiet nos quicquid petierimus. Scimus quoniam habemus petitiones quas petiuimus ab eo.* Qui experimento artis agnoscunt, quomodo operis alicuius quæque necessaria corriguntur, spem habent optimam, vt dum opus fuerit, hæc adimplere possint. Quia igitur etiam sacri viri, Ioannes, & qui cum eo Apostoli ipsis operibus agnouerunt, quoniam crebrò postulantes Deum quod ei esset gratum, & acceptabile perceperunt, præsumunt quia quoties ita petierint, quæ capiunt, Deo annuente merebuntur. Habentibus enim scientiam munificentissimus atque largissimus Deus est, & petitiones secundum voluntatem suam habitas conferet, multam fiduciam conceperunt apud eum, tanquam filij apud patrem. Quapropter confidunt se percipere pro quibus rogauerit, certè scientes quoniam audit eos: cum præstari sibi poscunt quæ illi grata noscuntur. Ex his itaque demonstrabitur, quod à quibusdam ad quæstionem venit, quodammodò verum sit quod dictum est: Omnis qui petit accipit, dum hæc propositio generalis omnibus

D absolutè contineat etiam eos qui non vtilia deprecantur. Sed eos tantummodò continet qui secundum Dei voluntatem aliquid petunt. Hæc itaque fiducia habebit inculpabilem actionem & contemplationem vitæ quod potest perrarò contingere. Vnde scriptum est, *quis gloriabitur castum se habere cor?* Et *quis fiduciam habebit quia mundus sis à peccato?* Panci namque sunt in hac vir-

Psal. 65. tute degentes. Vnus dicit: *Si iniquitatem cogitabam in corde meo, non exaudiat Dominus*, id est, quoniam iniquitatem non cognoui in corde meo: quod tamen dicere non præsumpsit, ne arrogans esse putare tur, secundum

1.Cor.4. eum qui dixit: *Nihil mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum.* His etiam similiter percipiendum est il-

1.Ioan.1. lud: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum. Scimus quoniam omnis qui natus est ex Deo, non peccat, sed qui natus ex Deo seruat semetipsum, & malignus non tangit eum.* Quoniam qui nascitur ex Deo semen eius habens in semetipso peccare non potest: dum hoc primitùs scripsisset: nec erronicè nunc ait: sciendum quod non peccat qui natus est ex Deo. Si enim fa-

E ciendo iustitiam habet vt sit ex Deo, simul autem esse peccatum & iustitiam impossibile est: palam est igitur quod dum sic operatur homo iustus est, & non delinquit Deinceps dum præmouisset, quoniam voluntariè & non naturaliter filius est Dei homo huiusmodi, competenter adiecit: Sed seruat semetipsum, & malignus non tangit eum. Si ergo propterea malignus non tangit eum, quod seruat semetipsum, non ex natura, sed accedentes habet vt non delinquat. Si quis autē semetipsum seruat, orat diuinitùs custodiri, vt intactus permaneat à maligno. Præceptum namque custodiæ, quæ studio nostro fit hoc est, quod ait, *custodi tuum cor*: & post pauca, *custodite vos ab idolis.* Custodiæ verò diuinæ exemplum 1.Ioan.5 est quod ait: *Domine seruabis nos, & custodies nos*, Et il- Psal. 16. lud: *sub vmbra alarum tuarum protege me*, Et illud: *Pater sancte custodi eos.* Tangit autem aliquem malignus Ioan.17. lædens, & affligens eum, quod manifestum est ex eo quod ait: non continget te malum, & ex eo quod di-

F ctum est à Deo benefactoribus: *Qui tetigit vos* (vel vt alij qui tetigerit) *tangit pupillam oculi mei.* Quibus & Zach.2. illud concordat, *Nolite tangere Christos meos. Scimus* Psal. 104. *quoniam ex Deo sumus, & totus mundus in maligno positus est*, Mundus, id est, mundi amatores maligno-ortui sunt subiecti. Totus ait, quod omnes sub peccato nascimur, quorum ipse ortus in vitio est. Per multa cognoscentes homines prauos insinuare hanc vocem de mundo dictam: iam dubitamus secundum hæreticos, nec cuiusdam creatoris Dei credimus facturam esse mundi, & in maligno constituti. Positus est enim hic sermo de mundo, pro hominibus, sicut prædixi & in hac epistola & in Euangeliis, ex quibus pauca de multis ponenda putauimus. In hac epistola scribens Ioannes ait: *Nolite admirari, si odit vos mundus.* Palàm est enim 1.Ioan 3 omni sapienti, quod mundus odit sanctos, per quem maligni homines designantur. Et illud: *Ipsi de mundo sunt & de mundo loquuntur, & mundus eos audit.* Quod

G autem ait audire mundum seductiuè loquentes, non creaturam, sed passibiles homines manifestat. Ita in Euangeliis Saluator ait, *Me mundus non potest amare, quia* Ioan. 7. *testimonium perhibeo operibus eius, quoniam maligna sunt.* Matt. 18. Et, *Væ mundo à scandalis.* Et: *Si essetis ex mundo, mun-* Ioan. 15. *dus quod erat suum diligeret. Nunc autem non estis ex mundo, sed ego elegi vos, propterea odit vos mundus.* Non enim per hæc arbitrandum est, dum arguit vtique opera maligna, & scandala manifestat, & odiri dicit discipulos suos à mundo, quod de constitutione terræ & cœli, & quæ in his sunt, hæc dicat. Maligni namque & venefici & conceptores odij homines sunt, qui per dominica verba significantur. Hos igitur arguit pro malignis operibus, quos etiam notans dicit esse de scandalis, & habentes odio sanctos viros. His igitur manifestatis, mundum in maligno positum ostendit esse eum, qui arguitur, & notatur, & odio habere designatur Apostolos. Horum namque singuli propter malitiam, quod in maligno esse dicuntur, deliberari dicimur dum

H oramus: *libera nos à malo.* Rediniuntur namque & liberantur ab eo cuncti, qui nequaquàm ab igniitis eius iaculis, vulnerantur, eo quod in omnibus assumpserunt scutum Fidei salutaris. Volens itaque Saluator hoc à Patre concedi, dicebat de discipulis suis: *Pater serua* Iacob.17 *eos à malo.* Quapropter deuiare credendi sunt, qui putant mundum positum in maligno, quasi in opifice suo. Hoc itaque verbum significat etiam voluntates & modos, id est, non naturam esse & causam, vt quisquam ex Deo putetur, aut in maligno sit constitutus, cum dicit, nos Christi discipuli disciplinabiliter nouimus, quia ex Deo sumus; ab eo participium habentes, à quo electi de mundo ex Deo propter sanctitatem nati sumus, hoc scientes quia omnis mundus propter impietatem quam habet in malitia positus est, incumbens ei qui præcessit in malo: ita vt idem esse videatur positum esse mundum in maligno, 1.Ioan 3 quod esse illud: *Qui facit peccatum ex diabolo est, quia ab initio diabolus peccat.* Malignus enim & diabolus est, & non aliter est mundus quam is qui facit peccatum. His ita declinatis, locum fallaciæ non habebit opinio hæreti-

corum

A eorum putantium creaturam significari per hoc quod dictum est, totus mundus in maligno est positus. Nam licet mundus significet aliquandò creaturam, non tamen in maligno positam, sed in verbo, per quod omnia facta sunt, stabilitatis suæ obtinet robur: In Christo inuisibilia & visibilia, cœlestia & terrestria sunt creata, & ante omnia est, & in eo cuncta consistunt fundamentum habentia opifex verbum. Sic enim verum erit etiam
Prou. 8. quod dictum est, creata à Deo omnia, cum vtique dicit sapientia de semetipsa: *Ante sæcula fundauit me, in principio antequàm terram faceret, & abyssos crearet,* &c. *Scimus quoniam filius Dei venit & dedit nobis intellectum, vt sciamus verum Deum, & simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus & vita æterna. Filioli custodite vos ab idolis.* Intellectus quem dedit, secundum quem cognoscitur, quia venit verus Filius Dei, idem est quod mens Christi, de qua dictum est: Nos autem mentem Christi habemus. Qui ergo hunc intellectum & hanc mentem
B substantialiter agnoscit veram, & est in eo virtus Dei, & operibus intellectum habet eius is, in quo cognoscit eum. Verus filius Dei est IESVS CHRISTVS, verus Deus existens. Et considera quemadmodùm consubstantialis Patri, & non idem numero secundum Sabellium filius sit cum Patre. Cum solus enim verus Deus sciatur Pater, verus Deus inspicitur Filius ab eis, quibus intellectum veniens, ipse dedit, igitur alterius substantiæ sit Pater & Filius, cum Pater solus verus sit Deus, Filius nequaquàm verus erit Deus. Si autem Filius verus sit Deus. Si vtique alterius substantiæ sint, Pater secundum speciem habebit vt verus sit Deus. Rursùs si verus Deus, prohibetur hoc esse Pater.

Quapropter tanquàm inspiciendi sunt qui alterius substantiæ dicunt, & non eiusdem Patrem & Filium, quatenùs dum vna Diuinitas Patris & Filij asseritur, etiam veritas vna & eadem agnoscatur. Quomodo enim non vna Diuinitas Patris & Filij, cum Propheta
Isa. 45. dicat: *Et te orabunt quia Deus in te est, & non est præter te Deus, tu enim es Deus & ignorabamus, Deus Israël*
C *Saluator.* Horum itaque singula examinationem (vt fuit possibile) in aliis habuerunt. Quærendum quomodo, dum per totam epistolam perfectionis & sanctitatis eorum, quibus scribit testimonium perhibuerit, ad fidem de breuibus rebus & vtilissimis admoneat, dicens: *Filioli custodite vos ab idolis.* Ad hæc occurrens, aliquis dicit: Quoniam vniuersæ Ecclesiæ scribit epistolam, & poterit in tertio Concilio nuper constituto aliquis ex idololatria conuersus esse, & dum crebrò eueniat vt qui discedunt à multorum deorum cultura, nondùm firmè credentes reliquias superstitionis mente retineant, pro-
1. Cor. 14 pter illos hoc verbum posuit. Hoc enim moris est diuinæ doctrinæ. Nam & Paulus Apostolus Corinthiis scribens, cum laudasset eos in omnibus diuitiis intelligibilibus in ipsa epistola scribit vt ab idolothitis semetipsos abstinerent, ne socij dæmoniorum fierent, & non haberent differentiam ab eis, qui in idolis epulantur. Aliter autem aliquis dicit, quoniam scribens significauit eis multos antichristos iam venisse: & esse pseudo-
D prophetas qui de veritate cadentes saperent & dogmatizarent nihil stabile, nihil firmum, sed quilibet idolum factum atque plasmatum in mentibus sibi credentibus seminarent. Hæc ergo quæ ita depinguntur seu plantantur in mentibus falsæ scientiæ doctrina non frustrà quilibet idola vocat, à quibus idolis monet vt se custodiant omnes qui ad Deum verum reuerenter accedunt. Sic enim intellectis verbis præsentibus terminum percepisse epistolam cum ratione fatebimur.

* * *

E

DIDYMI ALEXANDRINI in Epistolam Diui Ioannis secundam, enarratio.

CAP. I.

ET hæc est charitas vt ambulemus secundum mandata eius. Præsens dictum concordat his quæ in Epistola prima relata sunt, vbi ait: *Et scimus quoniam qui diligit Deum, mandata eius seruat.* Et in Euangeliis ait: *Si quis diligit me, mandata mea custodiat.* Ioan. 14
Idem namque est ambulare secundum mandata, quod seruare ea. Quod enim actuales sunt virtutes, quæ secundum mandata fiunt, ambulat secundum eas, qui extra eas non efficitur. In hoc enim idem ambulare secundum ea, quod custodire ea. Vnde qui cessat in opere secundum virtutem, neque mandata seruat vlteriùs, F
neque ambulat secundum ea. Ex abundantiis siquidem dicetur & hoc modo: qui secundum virtutem proficit, ambulat vtique secundum mandata, quando ambulare prouectum insinuat perfecti viri, qui postquàm ambulauerit secundum mandata etiam seruat ea: huic dicto concordat etiam quod in ænigmate legitur, quod Adam positus est in Paradiso, vt operaretur & custodiret eum. Vbi per operationem, effectus prouectionem designat, per custodiam verò perfectionis ipsius statum atque constantiam. *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi Deum non habet, qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert: nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue communicat operibus eius malignis.* Manet vtique in Euangelica doctrina, qui secundum eam sapit & agit, dum separat semetipsum ab illo, qui facit aliquid è diuerso & sapit. Proinde quoniam per actualem vitam fit alicuius Deus qui creator est omnium, sicut Abraham cui dixit: *Ego* G
Deus tuus. Quisquis extra rectam fidem conuersationémque mandatorum Iesu fuerit, sine Deo est, semetipsum separans ne habeat Deum, dum ille separauerit semetipsum à diuina doctrina prædicto modo. *Is qui* Gen 17.
manet in eo, & Patrem & Filium habet. Ad eum namque qui seruat mandata eius, dicit filius patrem secum Ioan. 14
venturum, maneat apud eum, cum factus fuerit templum sanctum ædificatum per obseruationem mandatorum Dei. Cum duplex itaque sit modus habendi Deum: alter quidem communis est omnium creaturarum, per quem significatur omnes habere creatorem. Alter verò eorum indicat modum qui per bonam voluntatem placant eum secundum quod legitur, *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob & omnium Hebræorum.* Aduerte siquidem quod hic dictum est, *qui habet,* inquit, *filium, habet & Patrem:* & è diuerso, per quæ scilicet intelligitur eadem substantia esse Diuinitatis. Quia enim Pater in Filio est, qui habet Filium, habet & Patrem, quod etiam reciprocum est. Nam qui habet H
Patrem, habet & filium qui est in Patre. Si quis autem incumbere volens dicat, & qui discipulos habet, habet & Filium: & qui Filium habet, habet & Patrem, secundum quod scriptum est: *Qui vos suscipit, & me suscipit, & Patrem meum suscipit qui misit me,* sciat quod non sicut oportet insinuat. Hæc enim de doctrina sunt dicta, quod qui suscipit Apostolos consentiens eorum Marc. 9.
doctrinæ, suscipit per eos Filium simul & Patrem quem prædicant. Est & aliter intelligendum, quoniam qui manet in doctrina habet Patrem & Filium. Manserunt in doctrina eius Apostoli, ita vt prædicarent eam: qui igitur suscipit eos, cum sint templum Dei, per hoc quod suscipit illos, habet inhabitantem in eis Filium simul & Patrem.

* * *

A

DIDYMI ALEXANDRINI in III. Diui Ioannis Epistolam, enarratio.

CAP. I.

Charissime, noli imitari malum, sed quod bonum est. Qui benefacit, ex Deo est: qui autem malefacit, non videt Deum. Cum nulla communio sit luci ad tenebras, aut concordia Christo cum Belial, qui bonum facit actualiter atque contemplatiuè Deum Christum habens, qui est vera lux, procul est à tenebris & Belial: quoniam contrarium est benefacienti malefacere: qui malefacit per hoc ipsum opus, cum sit Belial & tenebrarum, is non videt Deum, nec secundum qualitatem aliquam agnitionem habet eius. Omnis enim qui peccat non vidit eum nec agnouit eum; quod verò videre
B corpus, aut non videre, aspectu vti vel non vti constat, cum aliquod sensibile videatur etiam ab eo qui male facit si aspectum habeat: Etsi non videat, qui aspectu priuatur licet sit bonus, indubitanter ostenditur Deum non esse corpus, quando benefaciens, eo quod cor habeat mundum, videt Deum licet aspectu carnali priuatus sit, cum non videat eum malefaciens, quamuis acie vehementer acutâ consistat. Et ex hoc ergo (hoc est benefaciendi & malefaciendi sermone) demonstrat, quæ simul non subsistunt esse contraria. Item ex eo quod dictum est. *Declina à malo, & fac bonum*, & huiusmodi verbis in Scriptura diuina relatis.

DIDYMI ALEXANDRINI in Epistolam Beati Iudæ Apostoli enarratio.

C

CAP. I.

Subintroierunt enim quidam homines impij, qui olim præscripti, & prædestinati erant in hoc iudicium, Domini nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum dominatorem, &c. Omninò quoniam Iesus semel populum de terra Ægypti liberans, deinceps eos qui non crediderunt perdidit: quidam homines impij Scripturam diuinam quodam vtentes dolo atque malignitate subingressi sunt, eam se prædicare simulantes, præscripti scilicet, id est, ad hoc præscripti iudicium quo à semetipsis diiudicari traditi sunt improbo sensui. Hi námque propter immensam impietatem, cum essent impudici, gratiam Domini nostri IESV CHRISTI in luxuriam mutauerunt, per ipsam spurcitiam suam negantes vnum dominatorem dominum IESVM CHRISTVM eorum, qui per Euangelium sunt vocati. De hinc vt reuocet eos qui crediderunt malignis & impiis, ostendit quanta sit magnitudo domini quem negauerunt, palam
D faciens quoniam ipse est qui eduxit populum ex Ægypto & salutem præbuit. Secundum quoniam instabiles atque mutabiles erant, quidam eorum gerentes in animo quod in Ægypto habuerant voluntatem, perdidit eos differentes in eremo, licet liberati fuerint ex Ægypto per fidem. His ita prælibatis, necessarium est requirere qui sint quos dicit gratiam domini in luxuriam transtulisse, hoc est, impios & diuinæ Doctrinæ simulatores: nisi forsitan isti sunt præsules hæreseos Nicolai-
Apo.2. tarum, nullam speciem impudentiæ derelinquentes. Siue autem hæresis ipsa est voluntate polluta, cuius fit memoria in Apocalypsi per Iezabel, quæ super fornicationem esse describitur, seu altera contemplandum est. Puto autem quia & de multis hæresibus quæ cœperunt temporibus Apostolorum dicitur hoc, & authoribus earum, qui scilicet impudentiam multámque luxuriam sunt sectati, ita vt ipsam spurcitiam suam atque luxuriam idolorum sacrificiis permiscerent. Nam & Paulus
Ephes.5. de huiusmodi hominibus ita dicit: *Et nolite communica-*
E *re operibus immundis tenebrarum, magis autem etiam arguite, ea enim quæ occulta ab eis fiunt, turpe est etiam dici.* Turpia námque & vehementer turpia faciunt, quasi mystico modo, qui sectam Simonis magi sequuntur. Post hoc autem & Marcionistæ atque Valentiniani & Sithiniani nefanda committunt. Vnde & in alia epistola de
eis scribit dicens: *Isti sunt qui ingrediuntur in domos, & 2.Tim 3
captiuant mulierculas peccatis inuolutas & libidinibus variis ductas, & sub occasione religionis agunt turpia.* Quapropter in luxuriam transtulisse eos dicit gratiam Domini, per quam luxuriam & effectus eius negant solum dominatorem & dominum nostrum IESVM CHRISTVM. Animaduertendum est solum dominatorem esse Christum, eo quod solus verus sit Deus. Sic enim cum solus sit dominator, & dominus Iesus, non expellit autho-
ritate Patrem, dicens ei, *Domine cœli & terræ.* Sic ne- Matt.11.
que Pater cum solus sit verus Deus extraneum facit à vera Deitate Filium. Dictum námque est ante hæc de eo, quod sit verus Deus iste solus dominator & Dominus IESVS CHRISTVS, qui eduxit populum ex Ægypto F
per Moysen, quibus ita dictis consequens est vt non sit alter Deus Moyseos. Neque enim est alius præter Trinitatem. Vnum etiam Moyses ministrare dignoscitur secundum quod dictum est: *Ille de me scripsit.* Et illud quod scripsit Moyses inuenimus Iesum impleuisse. Quapropter & ipse præuidens Prophetiæ crucem, maximas habere diuitias se putauit improperium Christi: & non aliter quam ille qui dixit, mihi gloriandum est in cruce Christi. Cum ergo Iesus sit qui ex Ægypto Hebræos
eduxit, constat quod non de humanitate ex Maria pro- Ioan.5.
cedente: secundum quod de Deo verbum dictum est Ie- Hebr.11
sus, sicuti proximè dixit: nobis autem vnus Dominus IESVS CHRISTVS, per quem omnia. Quod autem ait quia præscripti sunt qui transtulerunt gratiam domini in luxuriam cui subiecti sunt, id est, ad hoc perscripti iudicium, &c. (sicut nuper edictum est) considerandum est ne forsitan hoc possit exponi etiam de his qui similes G
Iudæ præscripti sunt vtique Prophetiis. De illo námque
dictum est: *& Episcopatum eius accipiat alter.* Et illud: Ps. 108.
Leuauit contra me calcaneum suum, aduersus doctorem Ioan.13.
panes eius edens, quasi etiam huiusmodi impiis præscriptum sit, sicut de impiis veteris Testamenti. *Michael autem Archangelus, quando cum diabolo altercans disputauit de corpore Moysi, nec fuit ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Deus.* Si substantialiter malus est diabolus, sicuti putant terrenas naturas introducentes, qui dicunt aliquid aduersus eum crimini non substantiæ blasphemiæ. Si neque rationabiliter increpat eum Dominus, cum naturam non habet, vt increpationem pro opere non bono suscipiet. Sed dum & increpatur à Creatore dominóque cunctorum tanquàm dum possit ex hoc aliqua vtilitas prouenire, & blasphemiam arbitratus maximus Archangelus proferre quicquam aduersus eum, licet decertaretur pro corpore Moyseos. Nec est diabolus terrena substantia. Habuit enim aliquando diuinam gloriam & sanctam Dei scientiam, licet conuersus de magnitudine tanta ceciderit. Ostendi- H
tur itaque ex communi sensu, quem habemus de cunctis rationalibus, quoniam cum sint arbitrij liberi, & conuersio sit facta diaboli, naturâ non malus est, quomodo nec ipse qui cunctos malignitate transcendit huiusmodi est, licet aduersarij huius contemplationis præscribant præsenti Epistolæ & Moyseos assumptioni, propter eum locum vbi significatur verbum Archangeli de corpore Moyseos ad diabolum factum. Non enim ex his tantummodò, sed in omni diuina Scriptura monstratur de casu eius: & vnus nunc sermo est, propterea etiam diabolus appellatus est. Voluntatis enim eius non essentiæ diaboli nomen est, vt frequenter dictum est. Sicut enim in Iuda dicendum est, cum substantiam eius significamus, hominem dicentes eum, mores verò cum diabolum appellamus. Agnoscentes à Saluatore qui dixit
discipulis: *Vnus ex vobis diabolus est.* Sic in isto nomen Ioan.6.
diaboli malam eius significat voluntatem, cum forte aliud nomen substantiam eius insinuat. Et ideò dixi forte,

Rite intellige diabolum aliquando habuisse diuinam gloriam non quidem illa essentiali beatitudine quæ in clara Dei visione consistit; sed splendore illo gratiæ & donorum supernaturalium in quibus conditus fuit.

quoniam

A quoniam non habemus in diuina Scriptura clarè dicta nomina propria rationabilium. Quod etsi non est, attamen communi nomine Angeli, eius substantia declaratur, aliqua scilicet existens præter malam operationem, quod dum fecisset, diabolus appellatus est. *Væ illis qui in viam Cain abierunt, & in errorem Balaam mercede diffusi sunt, & contradictione Chore perierunt.* Quoniam
Gen. 4. per omnia declarati sunt cecidisse à verbo veritatis hæretici, ostendit eos diuersis subiectos malis. Dicit enim eos in viam Cain ambulare, qui propter inuidiam & impietatem necauit fratrem. Qui dum contristari debuisset eo quod sacrificium eius susceptum non erat quod impiè indubitanter obtulerat, & imitari fratrem, vt & iste piè Deo munus offerat, inuidiâ magis correptus aduersus eum, homicida primus apparuit. Et non in hoc solo quieuit, sed etiam extendens impietatem suam, peccator circa Deum factus voluntariè, à vultu eius expulsus, nihil iam putans in se Dei prouidentiâ prouenire,
B secundum omnia quæ habebat, se authoritatem esse credebat, & voluntatem suam. Præsentes igitur hæreticos ambulare inquit in viam eius, & extra vultum Dei propter ignorantiam factos, sed etiam præponentes semetipsos creatori illum siquidem animalis naturæ, se autem spirituales esse dicentes. Quapropter non rectè diuidunt ea, quæ volunt immolantes offerre se putant, quoniam primitias sibimet, secundas verò partes offerunt Deo. Ex huiusmodi enim nequitia atque fallacia, homicidæ fiunt fratrum suorum, offerentes eis quæ sapienda non sunt, magis autem ad suam imitationem vocantes eos cum dicunt, transeamus in campum. Dicit igitur eosdem similes esse Balaam, præponentes pietati
Num. 22 mercedem oblatam ei à Rege Madianita, vt malediceret eis, qui Dei benedictione fruebantur. Qui etiam iniustitiæ mercede diffusi sunt, vaticinantes enim inueniuntur, & pro sancto Spiritu spiritum erroris habentes, vnde etiam dant & isti consilium fornicationis & idolorum culturæ, sicut ille pro ditione populi Dei.
C Hæc autem de hæreticis quilibet dicens, ad superiora proficiat, & non tantùm in verbo, sed in litera qua constant, quæ etiam in Apocalypsi Ioannis tanguntur, quod hæc habeant intellectualiter falsi doctores, cum sint amatores principatus atque superbiæ & præsulibus Ecclesiæ resistentes, magis autem Apostolis, qui ex Deo habent vt Sacerdotes sint. Hi námque Chore contradictione scilicet errauerunt. Ille siquidem restitit sacerdotio Aaron Dei voluntate collato, & propter contradictionem nouâ morte mulctatus est ipse, & qui cum eo esse videbantur. *Hi qui in dilectionibus vestris maculatis coëpulantur sine timore, semetipsos pascentes. Nubes sine aqua quæ à ventis circunferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, eradicatæ, bis mortuæ, fluctus ferocis maris spumantes suas confusiones, sydera seductiones quibus,&c.* Cùm ostendisset eos qui ambulant in viam Cain, & effusi sunt iniustâ mercede Balaam, & eos qui perditi sunt contradictione Chore. Sequitur dicens: Hi sunt conuiuia ce-
D lebrantes, quando dilectiones habentes coëpulantes in maculis suis, dum carnes polluunt proprias, & transferunt ad luxuriam domini gratiam. Proinde cùm omnia huiusmodi cum multo contemptu faciant, sine timore semetipsos pascunt. Cùm enim sint sub pastore vero ita degentes, sine timore & sine reuerentia constituti, quique comparant semetipsos sanctis nubibus pluentibus iustitiam. Quæ nubes vtique veritatis sunt, secundum quod scriptum est: *Nubes pluant iustitiam. Et:*
Isai. 45. Psal. 35. *vsque ad nubes veritas tua.* Quibus plenis imbre spirituali mandatur, ne pluant super indignos. Veruntamen licet nitantur semetipsos prædicti viri comparare nubibus sanctis, attamen nubes sunt sine aqua, non
Ioan. 4. habentes in semetipsis scientiam Dei. Quod qui perceperit, habet in semetipso *fontem aquæ salientis in vitam æternam*, ita vt *fluant de intelligibili eius ventre flumina aquæ viuæ.* Imitantur igitur isti nubes. Etiam arboribus semetipsos comparare contendunt, quæ bonos afferunt fructus, cùm sint vtique arbores bonæ, & licet hoc faciant isti, arbores tamen autumnales & sine

E fructu sunt. Nam licet promittant mentientes fructum habere se bonum, arguuntur tamen cùm non possint vuam & ficum ferre hi qui spinæ sunt & tribuli, & arbores sine fructu. Hæc autem omnia & spinæ tribuli opportuna sunt vt igne crementur. Super hæc itaque, quod sine fructu sunt, euenit eis vt etiam radicitùs euulsi secundò moriantur. Quia peccantes consequenter habent mortem, & isti secundò peccant, hoc est, actu & sensu, secundò etiam mori dicuntur. In eis igitur qui secundò moriuntur, etiam hoc dicendum est, quoniam ante fidem mortui sunt, cùm in impietate malitiáque degentes, & visi sunt à mortuis per pœnitentiam surrexisse accedentes ad Euangelium. Quando de illo reflectuntur ad impietatem, secundò moriuntur, de quibus dicitur: *Melius erat* 2.Pet.2.
eis non agnouisse viam veritatis, quàm agnoscentes reuerti post tergum. Vnum necessariò consequens est, vt cùm secundò moriuntur, eradicari videantur, vt nullam spem habeant denuò germinandi. Blasphemantes F
enim in Spiritum sanctum, remissionem non habent peccatorum, neque nunc, neque in futuro sæculo. Luc.13.
Repræsentat igitur hæc scriptura conturbatos mores, & perturbatum intellectum hæreticorum, cùm dicit eos *fluctus ferocis maris spumantes suas confusiones*, per quæ turpiter immorantur vniuersa fornicaria celebrantes circa eos cum quibus copulari festinant, augentes malitiam suam & lumen se esse simulantes, apud eos qui sunt in tenebris constituti: & imitantes patrem suum Satanam, qui in lucis Angelum transformatur. Verumtamen licet hanc phantasiam celebrare valeant, tamen sydera sunt erroris, quibus caligo tenebrarum æterna seruatur. Tradentur enim tenebris exteriori- Iob. 18. & 38.
bus, dum fuerit eorum lumen extinctum. *Lux enim impiorum extinguetur.* De huiusmodi syderibus dicitur: Quæ cadit sicut folia fici & vineæ, dum vera sydera, non folia sed fructus sunt veræ vitis, & fici. Scriptum Isai.34. Dan.12.
námque de huiusmodi iustis est: *Fulgebunt sicut claritas firmamenti, & intelligentes erunt sicut astra*, propterea G
námque sancti resurgentes à mortuis cum incorruptibili & spirituali corpore, Solis & Lunæ & syderum gloriæ comparantur. Diximus priùs de hîs qui vocati sunt eò quòd præscripti, & quod prædictum de eis sit, sicut de Iuda proditore, quod verè firmatur ex his quæ posteà subiungit Apostolus, dicens: *Prophetauit autem de his septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus eius, facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impiè egerunt, & de omnibus duris quæ loquuti sunt contra Deum peccatores impij. Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superba, mirantes personas quæstus causâ.*

AD LECTOREM.

Hæc sunt, Lector humanissime, quas ex vetustissimo membranis scripto codice, multâ sanè industriâ, cum lectionem literarum obscuritas plurimum moraretur, Didymi in Canonicas epistolas enarrationes inuenimus. Etsi, quantùm ex ipsa colligere potuimus compositione, aliqua paucula tamen desiderari videantur; hanc tamen iacturam iam nunc reponere non erat integrum. Si verò vel casus, vel nostra fortasse in disquirendis veterum libris sedulitas id incommodi resarciuerit, tibi illa æquè atque hæc legenda nostris typis communicabimus. Tu boni nostrum interim consulito operam. H

A

DIDYMI ALEXANDRINI
Liber contra Manichæos.

FRANCISCO TVRRIANO SOCIETATIS IESV interprete.

NVLLA oppositio contrariorum sit ex toto, quin sint in eis aliqua contrariorum communia. Verbi gratiâ, album quod est contrarium nigro, & nigrum in iis tantùm, quibus differunt, contraria sunt, cum habeant alioqui communem colorem, & qualitatem: nihil enim eorum, quæ talia sunt, priorem oppositionem, quam communitatem habet: omnia enim post illa, quæ habent priùs communia, oppositionem sortiuntur; in communibus autem non est contrarietas, oportet enim colorem esse, & qualitatem esse, vt sit album, similiter in nigro: ad eundem modum virtus & vitium priùs conueniunt in communi ratione qualitatis & affectionis, quàm sint contraria. Si igitur duo principia ingenita sunt, & hæc sunt contraria: vel ex toto sunt contraria, vel sunt aliqua eorum communia: at nihil ex toto recipit contrarietatem, habent igitur hæc communia, esse scilicet, & substantias esse, & si quid aliud in eis commune reperitur; contraria verò ea facit esse alterum bonum, alterum malum: esse item alterum lumen, alterum tenebras. Priùs autem cogitatur ea esse substantias, quam cogitentur esse bonum & malum. Contrarietas igitur non est circa communia, sed circa propria: positum autem est esse ea ingenita; nihil autem est ante ingenitum, at est ante hæc contraria aliquid, id scilicet, quod dixi esse in eis commune: ergo non sunt principia ingenita; quia hæc ingenita sunt contraria; quod autem inest eis commune, ante ipsa contraria est, non sunt igitur ingenita principia, quia ante ingenitum nihil est.

B

Sin verò dixerint, non esse contraria ratione ingeniti, reperietur igitur commune eorum hoc. Sed rursùs, quia malum ingenitè est malum; & bonum ingenitè bonum, reperietur ingenitum malum commune amborum; & ingenitum bonum commune item amborum. Si enim bonum sine ingenito non potest reperiri, commune autem est ingenitum; commune rursùs erit, quòd necessariò sequitur ingenitum; hoc autem est bonum: si verò dicant non esse commune eorum, esse ingenitum; nam quatenùs alterutrum est ingenitum, non est alterum ingenitum; erit igitur ingenitum vel bonum, vel malum, non autem bonum & malum. Quare si reperiatur bonum ingenitum; malum erit genitum.

C

Aliter. Omne malum est puniendum; nihil quod puniendum est, est incorruptibile: nullum igitur malum est incorruptibile, quin sit incorruptibiliter corruptibile: nihil corruptibile est ingenitum, est autem malum corruptibile, malum igitur non est ingenitum. Nullum est malum secundum substantiam, malum autem esse, est affectum esse qualitate malitiæ scilicet: at affectum esse qualitate non est substantia, malum igitur non est substantia. Omnia contraria se vicissim interimunt: quæ ingenita sunt, non intereunt: non sunt igitur contraria; contraria enim non sunt ab interitu libera. Nihil ingenitum est mutabile, mutatur autem hoc bonum à malo superatum: bonum igitur hoc non est ingenitum. Quod est ingenitum non expetit vllius interitum, malum autem expetit interitum; malum igitur non est ingenitum. Scripturæ diuinæ non solùm malos, sed etiam ipsum diabolum dicunt afficiendum esse supplicio, quod autem supplicio afficiendum est, id omne mutabile est, nihil autem mutabile ingenitum est, nullum igitur ex malis ingenitum est.

D

Eorum, quæ ex toto sunt contraria, nihil est commune; quare omninò necesse est, vt quod vni inest, alteri non insit, inest autem bono esse ingenitum, malo igitur neutrum horum inest; quare malum non est ingenitum: quicumque rectè aliquid expetit, si rectè expetit, expetito potitur: expetit autem Deus malitiam delere; igitur malitia deleri potest: quod si deleri potest, delebitur, deleta autem non est ingenita. Si malum est ingenitum naturâ ei inest esse malum: at nemo operans secundum naturam peccat, igitur malum ingenitum non peccat, quod autem non peccat, non est in culpa, & reus, reus autem, & in culpa est Satanas, Satanas igitur non est ingenitus. E

Diuina scriptura homines vocat suarum actionum, & studiorum filios, & fœtus; vt iracundos, aut alio peccato obstrictos, ita vt propter peccatum obnoxij sint iræ supplicij de eis sumendi, & filios iræ nominat. Paulus itaque de se, & de similibus Sanctis ait: eramus natura filij iræ, sicut & cæteri homines, qui hucvsque in peccatis fuerunt; illud autem quod appositum est, natura non secundum naturam significat, sed verè. *Eramus enim*, inquit, *natura filij iræ*, vt declaret, verè esse obnoxios iræ eos, qui peccant. Sicut ergò filius iræ efficitur qui admittit peccatum, sic qui ab eo se ad virtutem transtulit, filius veritatis, ac virtutis. Sic dictum est de quibusdam à Saluatore, iustificata est sapientia à filiis eius, filios sapientiæ appellat sapientes: etenim quia, qui sunt filij alicuius, ab eo, qui generauit habent, vt sint; habent autem qui qualitate affecti sunt, à qualitate ipsa, vt tales sint, quales sunt, idcircò rectè & conuenienter filij qualitatis nominantur. Sicut enim sapientes quosdam Dominus filios sapientiæ appellauit, sic alios filios pacis nominauit, cum dixit discipulis: *Si ingressi fueritis in ciuitatem vel domum, & ibi fuerit filius pacis, pax vestra*, data scilicet ciuitati, vel domui, *requiescet super filium pacis, qui ibi erit.* Rursùs idem Saluator, *prudentiores*, inquit, *sunt filij huius sæculi, quàm filij lucis in generatione sua*; filios lucis vocat illuminatos cogitatione veritatis, & operibus virtutis, quibus dicit tanquam lumini, quia facti sunt filij lucis, *vos estis lux mundi*; eos autem, qui dilexerunt hanc vitam, & ad eam quæcumque faciunt, referunt, filios sæculi huius nominauit. Ephes. 2. F Matt. 12. Luc. 10. Luc. 16.

Sed licet dixerit prudentiores esse hos filiis lucis, non simpliciter dixit esse prudentiores, sed in generatione sua, id est, in rebus ad hoc sæculum accommodatis, prudentiores sunt filiis lucis, sunt enim sapientes ad malefaciendum; vt autem benè agerent, intelligere noluerunt: & de Iuda scriptum est, quod esset filius perditionis. Sic enim Dominus de eo dixit: *nemo ex discipulis meis periit, nisi filius perditionis.* Filium perditionis vocauit, quia fecit, quæ digna interitu erant; non enim cum erat vnus ex Apostolis, & vnà cùm illis ministrabat Saluatori, talis erat; sed cum factus est proditor filij Dei, & Magistri, amans argentum perditionis. Et quia non erat natura malus, pariter cum aliis discipulis omnibus audiuit, *ecce ego mitto vos tanquam oues in medio luporum*: si lupos dicit eos qui peccant, oues verò eos, qui virtuti operam nauant. Iudas autem naturâ malus erat, non erat ouis Christi, quia non est aptus ad vacandum virtuti, qui naturâ malus est. Imò nec ipse diabolus, secundum naturam malus est, sed ex mutatione liberæ voluntatis. G H

Sicut igitur non solùm prauarum actionum & studiorum, sed honestorum filij vocantur, qui ea, vt diximus, exercent, sicut dicebantur fœtus qualitatum, qui ab eis accipiunt, vt tales sint, quales sunt, quod quidem ab ipsa qualitate proficiscitur; sic caro peccati, & corpus peccati non simpliciter dicitur, sed quia homo seruit peccato, homo enim corpore, & carne ad libidinem, & alias huiusmodi operationes abutens, corpus suum corpus peccati facit, & carnem, carnem peccati. Sicut rursùs studiosus & honestus per temperantiam, & virtutem, quæ inde sequitur, corpus suum & animam sanctificat. Virgo itaque sancta efficitur corpore & Spiritu, qui est anima, sicut Paulus scribit, cum ait: oportere virginem esse à rebus vitæ huius expeditam & liberam, vt sit sancta corpore & spiritu. Imò etiam in Epistola ad Corinthios scribit: *Glorificate Deum in corpore vestro.* Si autem glorificatur Deus in corpore hominum, & Deus non glorificatur in malo, non est igitur corpus naturâ malum: quamuis malum esse faciat peccator, cum ipso vtitur peccando.

A Et Paulò post eosdem rursùs alloquitur, inquiens, *an* 1.Cor.6 *nescitis, quod corpora vestra templum sunt Spiritus sancti,* 1.Cor.3. *quem à Deo habetis? Si quis templum Dei violauerit, di-* 1.Thess.5. *sperdet eum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Et in Epist. ad Thess. scribit idem Apostolus: *Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri* IESV CHRISTI *seruetur.* Quomodo autem potest quis per omnia sanctificari, & corpus suum habere integrum, cum corpus non sit aptum vt sanctificetur si malum est. Si enim naturâ malum est, non potest recipere sanctificationem. Si verò recipit, liquet non esse naturâ malum, cum bonitatem recipiat; quod enim naturâ malum est, non potest capere bonum; sicut rursùs quod naturâ bonũ, non potest capere malum. In altera epistola scribit idem Apostolus ad quosdam: *Emundemus nosmetipsos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Hac voce *emundemus* declarauit, esse carnem aptam natam, vt repurgetur à contaminationibus, quæ ex peccato ad eam accedunt: similiter in spi-
B ritu & anima. Quod si caro secundum substantiam esset mala, & spiritus secundum substantiam esset bonus, neque spiritus inquinaretur, neque ab inquinatione mundaretur. Præcipit autem vtrumque ab inquinatione mundare, exprimens etiam modum mundationis, *perficientes enim*, inquit, *sanctificationem in timore Dei*; illud verò etiã rectè, quod ait in timore Dei, vt doceat, habere homines è se, vt obediant, non autem ex necessitate.

2.Cor.7 Quod si *perficientes sanctificationem in timore Dei* carnem nostram & spiritum ab inquinatione mundamus, perspicuum est fieri hoc accessione sanctitatis; sicut enim ab ignorantia & iniustitia anima repurgatur cum scientia & iustitia adest, fuga enim vitij aditum virtutis efficit, sic adueniente sanctificatione, caro & spiritus ab inquinamento mundantur; spiritus antè in his animã significat. Sicut in Actis etiam Apostolorũ Stephanus
C cum lapidabatur & erat propè moriens, preces Deo ad-
Act.7. hibens, *Domine* IESV, inquit, *accipe spiritum meum*, nihil aliud hic dixit spiritum suum quam animam suam. Si igitur caro & corpus quandoque peccati, aliquando sanctificationis dicitur, & ad glorificandum Deum adhibetur, nihil horum naturâ malum vel bonum est, sed potius vtrumque liberâ voluntatis potestate recipere potest, & vsus eius, qui carnem & animam habet, facit, vt nunc sit caro peccati, nunc caro sanctificationis.

Quòd si ita putant, qui non intelligunt quod scriptum est, vnde proferunt esse carnem peccati, nos tamen idipsum integrè recitantes, sententiam perspicuam reddemus
Rom. 8. Sic enim habet: *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, de peccato peccatum damnauit in carne:* huiusmodi est, quod dicit: caro omnium hominum ex coniunctione viri & fœminæ existit, exceptâ carne primi parentis, & eâ, quam Christus assumpsit; non enim aliter corpus hominis fit, nisi corpora maris & fœminæ misceantur. Igitur quia Saluator ex sola virgine corpus assumpsit, quod non duxit principium ex coitu, idcircò
D carnem Domini similitudinem carnis, quæ ex coitu existit, vocauit, non enim simpliciter dixit, habere eam similitudinem carnis, sed similitudinem carnis peccati, similitudo autem carnis peccati caro est, hoc solum ei ex aliis carnibus defuit, quod extitit sine viri semine; oportebat enim, vt qui ad salutem hominum veniebat, non acciperet corpus ex coniunctione viri; neque rursùs extra successionem hominum, sicut primus homo, ne corpus eius alterius generis esse putaretur. Etenim si ipse etiam ex terra formatus fuisset, sicut fuit Princeps generis humani, suspicionem cepissent qui apparitionem per fictionẽ introducunt, non gestasse re & veritate corpus hominis. Rursùs, si corpus ex coniunctione sumpsisset nulla differentia, existimatus vtique esset obnoxius esse illi peccato, cui per successionem erant omnes ex Adam profecti & orti.

† *Al. cum peccato age.* Si vero dixerint, si caro peccati est, quæ ex coniunctione viri & fœminæ nata est, malæ sunt nuptiæ: audiant isti, quod ante aduentum Saluatoris qui abstulit peccatum mundi, si omnes homines, sicut alia cum peccato † agebant, sic etiam nuptias cum peccato habebant. Vnde similiter de corporibus ex connubio natis, intelligendum est, quia post peccatum facta fuit coniunctio Adæ cum Eua; idcirco dicta est caro peccati. Qui enim erat ante peccatum immortalis, factus est per peccatum mortalis; atque ita successio mortalitatem habet. Similitudinẽ igitur huius carnis habebat Christus, tametsi caro eius non vidit corruptionem, veruntamen per aduentum Christi, sicut ab aliis rebus ablatum est peccatum, si etiã à nuptiis: itaque nunc, qui secundum Euangelium viuunt, habere possint honorabiles nuptias, & torum immaculatum, sicut Paulus scribit fidelibus, *honorabiles nuptiæ, & torus immaculatus:* fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus, distinguens enim nuptias honoratas, & eos, qui eis vtuntur à scortatoribus & adulteris, non scortationem, nec adulterium vult esse nuptias, ex quo fit, vt neque peccatum sit coniugium.

E *bant, id est, nuptias cum peccato habebant.* (*Al.* *nuptias cum peccato habebant, Etsi etiã homines ante Christi redemptionem ablato, similiter nuptias sine peccato habere poterant; & iusti reipsa quoque habeãt; sed beneficio Christi venturi:*)

F Aliter etiam dici potest magis physicè, Diuina quędam res est virginitas, & tanquam in virtutibus existit: si quis igitur nuptias cum virginitate conferens, ipsas dicat peccatum esse, non absolutè sunt peccatum: malum enim non comparatione boni malum est, siquidem per se tale est; si quando igitur aliquid malum dicatur cum bono collatum, ipsum etiam sic collatum, minus bonum fuerit infra bonum antelatum. Qui igitur ad Euangelium accedunt, ad id imprimis, ac præcipuè accedunt, vt Deum colant, & secundum Deum sapientes euadant, hos sequitur oppugnari ab aliquibus; siquidẽ oportet firmè Christianam religionem suscipere. Comparatur autem firmitas exercitatione contra tentationes susceptâ; vnde necesse est eos subire certamina, & sicut qui præmia in certaminibus proponunt, si quod ratio postulat, curant, non fortuitò hunc pugilem cum illo committunt & conferunt, sed proportione virium cuiusque valdè diligenter animaduersâ, & consideratâ: sic nostri certaminis & præmij index, non omnes cum eisdem aduersariis copulat, sed potiùs pro ætate & viribus cuiusque aduersa-
G riorum exhibet. *ἀγωνοθέτης.*

Corinthiis igitur, cum essent pueri, scribit Paulus, adhuc teneri eos passionibus carnis. *Tentatio*, inquit, *vos non apprehendit, nisi humana*; horum enim tentationes & certamina ad res humanas referuntur; de se autem, & de similibus, & æqualibus, & æquè robustis scribit; *non est nobis colluctatio aduersus sanguinem & carnem, sed aduersus Principes, & potestates, & rectores mundi tenebrarum harum:* quæ perinde sunt, vt si diceret, vobis, qui altius ascendistis, non est pugna aduersus carnem & sanguinem, id est, aduersus humana, sed aduersus superiores ordines aduersariorum; hi autem sunt species rationalium prauorum, qui voluntate tales euaserunt. 1.Cor. 10. Eph.6.

Nemo verò existimet, cum diximus species rationalium prauorum, substantiam prauam nos dicere. Sunt enim species & genera etiam eorum, quæ voluntate fiunt; dicimus igitur esse species honesti, iustum, temperantem, prudentem, fortem: quia enim virtus, quæ genus est, in species distribuitur iustitiam, temperantiam & reliquas; necesse est, qui genus participat, id est, honestus, genus sit eorum qui participant species virtutum. Similiter cum scientia genus sit Grammaticæ, Musicæ, & aliarum quæ nominantur à genere scientiæ; necesse est scientem, genus esse, quod species, quæ à scientia nominantur, continet. Cùm igitur species prauorum rationalium dicimus, omnes qui subter has species referuntur, voluntate prauos esse dicimus: ita fit vt nomina praua, quæ diximus, non substantias declarent, sed voluntates; diaboli enim non substantiam, sed voluntatem declarat. Ac Iudam quidem, cum homo alioqui esset, diabolum Dominus nominauit non propter substantiam, sed propter voluntatem, cum numerans Iudam in discipulis, dixit eis, *Nonne duodecim vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* Et subiungit Euangelista, *hoc autem dixit de Iuda, qui eum proditurus erat.* Si enim propter futuram proditionem diabolus H

vocatus est, non iam tunc diabolus erat, quando cum omnibus electus est; electus enim cum omnibus est propter virtutem, quæ tunc in eo erat, tunc autem appellatus est diabolus, quando quæ ad proditionem spectabant, operabatur. Si ergo in Iuda nomen diaboli actionem ex voluntate declarat, similiter etsi de alio quopiam dicatur, aliquid voluntatis significat; nouit autem consuetudo vsum nominis huius.

Diabolos itaque vocamus eos, qui accusant, hi illos, & illi hos: vnde quia diabolus Deum accusat apud homines; & homines apud Deum, & homines apud eos ipsos inter se, hoc nomen sortitus est: quòd si nomen Satanæ etiam de ipso diabolo dicitur, sciant, hoc ipsum nomen aliquid etiam voluntatis declarare; vox enim Hebraica Satanas nihil aliud significat, quàm ἀντικείμενον Græcè, id est, aduersarium; aduersarius autem si de homine accipiatur, idem est, quod inimicus nocens. Sicut igitur inimicus voluntate est inimicus; sic etiam aduersarius, sicut etiam horum contraria; amicus enim, & beneuolus, & concors & idem sentiens, nomina sunt, quæ voluntatem declarant: dicitur enim hic amicus, & beneuolus, sicut dicitur diabolus, & satanas, & malus. Sicut Saluator in Euangelio præter alia, hoc etiam docuit discipulos precari, *& ne nos inducas in tentationem; sed libera nos à malo*; etenim & nomen mali voluntatem declarat.

Si igitur in omnibus nominibus, quibus significatur princeps malorum, & primus, qui à virtute defecit; voluntate talis est, non potest secundum substantiam esse malus: quod si dixerint, cum esset substantiâ, ac naturâ malus, voluntate etiam habuisse illa ipsa, quibus sic nominatus est. Sciant isti, quod in iis, quæ ad substantiam pertinent, non assumitur voluntas; nullus enim dicit, voluntate esse animal, aut lapidem; hæc enim ἐνούσια sunt, id est, ad substantiam pertinentia: quare nihil hic voluntatis est, in illis enim sunt ea, quæ ad voluntatem spectant, in quibus est voluntas.

ἐν τοῖς ἐνουσίοις. Sicut ad substantiam pertinent ea, in quibus substantia est, sic ad voluntatem ea, in quibus voluntas

Sed fortasse dicent, cur eum, qui futurus erat perniciosus, & pestifer bonus Deus produxit? sciant qui hoc dicunt, non solùm nobis repugnare, sed omnibus, qui prouidentiam Dei ponunt. Multi enim alij, qui prouidentiam ponunt, omnes animantes rationis participes ex Deo esse dicunt, in quibus vitium oritur. Si igitur hæc de diabolo dicunt, de omnibus etiam ratione præditis coguntur hoc dicere. Nos tamen, qui istos non sequimur, dicimus, non esse auctorem vitij, qui eum fecit, qui potest suâ propensione, ac nutu ad vitium venire. Animal enim rationis particeps fecit Deus, quod volebat, vt voluntate suâ bonum esset, liberâ alioqui potestate præditum, quâ posset in vtramque partem flecti; volebat enim vt homo esset bonus, eligendo sponte bonum; nemo enim inuitus potest esse bonus, quin potiùs omnes bonū volentes sunt boni: quare oportebat, vt qui voluntate suâ futurus esset bonus, potestatem haberet, quâ idoneus & aptus esset ad capiendum, quod bonum & honestum esset. Consentaneum verò erat, vt quod bonum capere poterat, posset item malum. Sic fabricato rationis participe, vt ad capiendam virtutem & vitium vim insitam haberet, datum est mandatum, vt virtutem haberet actu; vitium verò non actu, sed solâ aptitudine. Lex enim creatoris hortatur, & roborat atque adiuuat ad virtutem, dehortans naturam à vitio.

ἀρετῇ.

Quamuis igitur insit potestas in corpore rationis ad capiendum vitium, non propter potestatem est malus iste: vtrorumque enim, virtutis scilicet & vitij, sunt potestates, & electiones; eligimus enim habere potestatem virtutis, vt eam actu capere possimus, eligimus etiam habere potestatem vitij; tunc enim habemus eam, cum actu virtutem habemus, neque nostra solum est hæc opinio, sed omnium, qui rectè de animalibus ratione præditis philosophati sunt: licet igitur substantiam, quæ diabolus nominatur, Deus fecit, non tamen fecit, vt esset diabolus, sed vt virtutem suscipere posset, vt eam haberet; & vitium item suscipere, vt ab eo abstineret. Etenim quia non potest virtus cum vitio simul arripi, est autem amica Deo virtus, vtriusque potestatem immisit vtenti ratione, vt potestatem quidem virtutis ad suscipiendum actum illius participaremus; potestatem verò vitij ad abstinendum à fine potestatis, qui est actus. Quare omnis particeps rationis factus est, vt esset probus, & non prauus.

Si quis igitur ratione vtentium, via auctori, & gubernatori contraria ingressus est, non est culpa fabricatoris & legislatoris, sed eorum, qui contra leges sancitas, & earum prouidentiam vires intenderunt; videmus hæc semper in nobis ipsis accidere, quæ enim filios docemus, cum volumus eos secundum disciplinam instituere, vt disciplinâ vtantur, non sic tamen vtuntur, vt instituti à nobis sunt: imò contingit aliquando, vt multi filij à patribus in arte medicinæ eruditi, non vt oportet, arte vtantur, sed potiùs pro salubribus, quæ morbos inducunt, ægrotis adhibeant; non est tunc accusanda medicina, nec est in culpa, qui eam docuit, non enim sic is docuit, vt sic iste faceret, facit enim non vt didicit.

Rursùs leges quosdam docemus, vt iustitiam defendant, & iniustitiam repellant. Sed tamen vitiosè aliqui ex iis, qui ad studium legum accesserunt, contra, atque didicerunt, faciunt, neque tamen continuò leges aut legislatorem criminamur: si enim leges & legislatores iniustitiæ rei essent, non punirent iniustos; siquidem hæc est legis, & legislatoris voluntas, ac sententia, puniendum esse iniustum; & Deus punit Satanam, & eos qui leges à Deo latas transierunt, quibusdam enim prauis dicit, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & Angelis eius.* Sciant igitur qui contra hæc dicunt, dicere eos secum pugnantia. Si enim secundum substantiam diabolus malus erat, & à bono Deo alienus, & par viribus esse poterat, neque præparasset ei Deus supplicium; neque mittere eum in supplicium potuisset, dicit tamen præparatum esse ignem diabolo.

παραγγέλλουσι.

Mat. 25.

Hoc etiam dicendum est, si bonus Deus immutabilis est, vt quidem est, & easdem vires semper habet, & non aliud alius potest, & alius aliter, futurum autem erat, vt post multam noxam, multámque cladem eum igni sempiterno traderet: quare non hoc à principio fecit, cum se in Deum extulit, & patrem eius occupauit? iustiores enim tunc pœnas in eum decreuisset, vtpotè in eum, qui in maiorem peccasset. Nunc enim hominibus nocet; tunc autem illorum opinione ipsi Diuinitati nocuisset, sicut ipsi sentiunt, lex autem & indignatio iustior est contra eos, qui in Regem audent, quàm qui in aliquos qui Regi obediunt. Si enim sic ipsis de his sentiendum est, aut dicturi sunt ignorare tunc Deum quomodò vlturus esset, & malum impediturus; aut non potuisse: at neutrum horum bono Deo tribuendum est: non igitur inimicus Dei ingenitè, contra eum se extulit, sed potiùs factus alioqui vt esset bonus, potestatem virtutis capiendæ imperfectam & mancam seruauit: potestatem verò vitij suscipiendi ad actum perduxit; vnde puniendus fuit & meritò pòst supplicio affectus est.

Si verò illud obiecerint, quod à Ioanne Baptista dictum est, *serpentes, genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? facite ergò fructus dignos pœnitentiæ, & nolite dicere in vobis ipsis, patrem habemus Abraham, potens enim est ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ: iam securis posita est ad radicem arborum; omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur:* audiant isti, non posse eos Ioannem Baptistam obiicere, qui fuit veteris testamenti, quod non recipiunt; nihilominus tamen hic contra istos dicendum est, per totum contextum negare Ioannem esse naturâ bonos, aut naturâ malos, ait enim illis: *facite igitur fructus dignos pœnitentiæ.* Pœnitentia autem & fructus eius non cadit in malum secundum substantiam, nec in bonum naturâ. Quomodò enim qui semper bonus est, pœnitentiâ indigeat? aut quomodò naturâ malus bono pœnitentiæ vtetur. Qui enim secundum substantiam malus est, non potest à peccato dimoueri, nec vtilis esse in pœnitentia, tum etiam ex lapidibus ostensis dicit excitandos esse filios Abrahæ, lapides vocat obstinatos, & adhuc in peccato permanentes: si namque eos pœnituerit, & Deo crediderint, erunt filij Abrahæ, qui ideò homo Dei

Luc. 3.

Homo Dei in nostro exemplari nomine Dei legitur.

appellatus

A appellatus est, qui in Deum credidit, ita vt fides ei reputata sit ad iustitiam.

Quia verò illud etiam ab istis dici audiuimus contra eos, qui ex Abraham, & aliis sanctis viris generati sunt, quòd dictum est, *serpentes, genimina viperarum*, Abraham & Abrahamæos significare, intelligant isti dicere se, quæ cum consequentia capitis pugnant: arguit enim eos, quod non essent filij Abraham, sed potiùs genimina viperarum, dissimulatè & frustrà se ex Abraham ortos gloriarentur, ait enim illis Saluator in alio capite: *Abraham non fecit, quem vos patrem vestrum dicitis mentientes. Si enim filij Abrahæ essetis, faceretis vtique opera Abrahæ: sed vos ex patre estis diabolo, & desideria patris vestri vultis facere, ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Benè habet, quod dixit, non stetit, quod quidem declarat, stetisse ipsum priùs in veritate; patrem autem eorum vocauit diabolum, propter similitudinem mutationis & qualitatis. Quare non Abraham & sanctos cum
B eo viperas appellauit; vt enim filij viperarum essent, ex mutatione habuerunt, quia malis magistris vsi sunt volentes; sicut diximus.

Ait igitur illis Ioannes, quandoquidem auersi à virtute, serpentes fieri voluistis; (non enim natura tales erant,) desinite esse fœtus viperarum, quarum qualitatem habere voluistis, quandoquidem praui ex prauis, & iniqui ex iniquis studuistis esse, sed quia dicitis ferre vos lignum pœnitentiæ, eò quod ad baptismum venitis, hoc autem simulatè facitis, idcircò dico vobis, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Quem enim peccasse pœniret, ideò pœnitet, vt non ampliùs peccando ab ira in peccantes futura fugiat, rogat autem inquiens, quis vobis ostendit? vt sit perinde, ac si diceret; qui legitimè ostenderit se à vitio recedere, non simulabit fieri hoc, vos autem hoc facitis simulatè, cum ad baptismum venitis: non igitur mundabimini. Qui enim vult verè mundari, à peccatis desistit, & huiusmodi pœnitentiæ fructum affert, faciens opera habitus peccato contrarij: hoc vos non
C fecistis, qui vos condemnastis, cum diceretis, habere vos patrem Abraham, sed hoc non iuuabit, putate habere vos patrem Abraham, sed esse eius filios fide, & fugâ idolorum. Quamobrem tametsi aliquando filij Abrahæ fuistis, non hoc vos saluos faciet; eos námque qui nunc non sunt filij Abrahæ, potest Deus filios eius facere. Quare saluus euadit, qui est filius secundum virtutem, non qui secundum carnem. Quod si fuerit secundum carnem filius Abrahæ, ne glorietur, & se iactet; potest enim quod huiusmodi est excidere, & transferri. Sanè
1.Cor.4. quidem, & qui non potuerunt hoc nancisci, vt filij scilicet Abrahæ essent secundum carnem, poterunt nihilominùs esse filij Abrahæ. Etenim Paulus quos non generauit carne, dicit in Christo; *per Euangelium ego vos genui.* Verùm cum hæc auditis, ne contemnatis, quia ira in eos, qui peccant retardetur, iam enim in eo ipso quod peccat nequam, præsens habet supplicium quo afficiendus est. Quamobrem scitote iam securim radicibus arborum propinquare: radices vocat non eas, quas vide-
D mus, sed homines qualitate vitij affectos. Radix enim harum arborum est pessimus habitus, ex quo fructus non non idoneus ad vescendum, sed venenatus, & pestifer nascitur: ipsum igitur vocauit fructum non bonum. Itaque quamuis securis supplicium significat, arbor verò hominem peccantem, non sunt hæ naturæ pugnantes; proponuntur enim minæ supplicij ad mutandum arbores. Qui enim minatur delinquentibus, per minas ipsas mutare vult. Quare si per comminationem securis, quâ sunt arbores putres excindendæ, suadet ipsis, ne malum fructum ferant, sed bonum, non est naturâ mala arbor, neque naturâ malum supplicium.

Sed fortasse dicent, Si vltio mutat malos, bonum est vltionem esse, si autem bona est animaduersio & supplicium, contraria autem supplicio est promissio, & contraria non possunt simul esse bona, promissio igitur mala est; at promittit Deus hanc: non est igitur mala: quod si promissio non est mala, sed bona, supplicium est malum; quod si malum est supplicium, non Deus, sed Satanas illud infligit; infligit autem non suis, sunt enim & ipsi E mali, & necesse est ipsum etiam Satanam subire supplicium: restat igitur, vt bono & non malo infligat: at fieri hoc non potest, non igitur Satanas illud infligit, sed Deus. Omne autem, quod à Deo infligitur, vtiliter infligitur, cùm sit bonum, vel efficiens bonum, vel prohibens malum. Deus igitur volens prohibere malum, supplicium constituit: non autem aggrederetur prohibere malum, nisi malum prohiberi posset; hoc verò prohibitum, non potest esse naturâ, & ingenitum; lapsi verò etiam in hoc sunt ineruditi, qui animaduersionem contrariam esse promissioni putauerunt. Vtraque est enim remuneratio, promissio quidem remuneratio bonorum, quæ mercedem illis affert, animaduersio verò malorum, quæ mercedem soluit iis, qui voluntate diuinas leges violauerunt.

DE SANCTO OPTATO Mileuitano, ex Hieronymi scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo. F

Optatus Afer Episcopus Mileuitanus ex parte Catholica scripsit Valentiniano & Valentino principibus aduersùs Donatianæ partis calumniam, Libros 6. Beneficio V. Clariss. exhibemus tibi 7. lib. in hac Editione, in quibus asserit crimen Donatianorum in nos falsò retorqueri.

EX FRANCISCI BALDVINI V. C. Commentariis in Optatum.

G *Optatos plures nominat D. Augustinus: scilicet Optatum Donatistam in Bagaitana, & Optatum Catholicum in Syrtensi Synodo celebres*; Lib. 3. contra Cresconium Grammat. cap. 53. & 56. *Deinde Optatum Gildonianum qui de satellitio Gildonis Africæ comitis accusatus, terribili mortis genere extinctus pœnas dedit, talis, vt etiam ipsos Donatistas eius puderet*, lib. 2. contra Petilianum, cap. 92. *Nostrum hunc verò Optatum Episcopum Catholicum appellat* in lib. post Collationem contra Donatistas: *Venerabilis memoriæ, & Catholicæ Communionis* 1. lib. contra Parmenianum: *& eum comparat D. Ambrosio & Cypriano, tum & Lactantio & Victorino*, lib. 2. de Vnitat. Eccles. cap. 16. lib. 3. de Doctrina Christiana, cap 4. *vt & Fulgentius*, lib. 2. ad Monymum. *Porrò Mileuum Oppidum vocat, seu Mileuim* Epist. 168. & lib. 6. de Baptismo *ait, Pollianum à Mileo, seu Mileui, in Concil. Carthaginen. sententiam de Anabaptismo dixisse.* Idem Epistol. 34. ad Paulinum, *laudat Beatiss. Seuerum Mileuitanæ Ecclesiæ Antist.* 3. *autem lib.* contra H Petil. cap. 38. *Meminit cuiusdam Honorij Mileuitani in Africana Ecclesia damnati, & Faustum illum Manichæum gente Afrum, ciuitate Mileuitanum fuisse. Itaque errant vehementer, qui aut nostrum hunc Optatum cum illis superioribus, aut Mileuim seu Meleuitanam eius ciuitatem, vel cum Melitena Armeniæ Metropoli in qua celebratæ Synodi meminit Sozomenus*, Histor. lib. 4. cap. 24. *vel cum Melita Insula confundunt, vt quidam (magni etiam nominis, & eruditi viri) existimauerunt. Pro Donatistarum autem hæresi scripsit Carthaginensis ille Antistes primum, & deinde Vitellius quidam Afer eius acerrimus defensor (vt Diuus Hieronymus, & Gennad. in Catalogis aiunt) ac postremo Parmenianus quoque Epistolam ad Tyronium. Tum & de eadem re Tractatum (eadem enim per eadem sæpius dicere, proprium Donatistis fuisse, testis est Augustin.) Hunc noster Optatus refellit sequentibus 7. Libro, quos à Donatistis corruptos, primum in Germania Diuus Cochlæus, deinde* in

A *in Gallia Fr. Bald. V. Clariss. semel atque iterum restituerunt Collatione M.S. Codicum, Reuerend. P. Ioannis Tillij. Meld. Episcopi: Deinde & Espencei & Macai Parisiens. Theolog.*

Fuisse S. Optatum doctrina & sanctitate percelebrem certum est. Eius natalis dies inter Sanctos martyrologio Romano 4. Iunij adscriptus habetur. Circa initia pontificatus S. Damasi scripsisse hunc commentarium ex ipsius scriptis magnis coniecturis ostenditur, Tom. 4. Annal. Eccles. Anno Domini 368. *De quo plura ibi ex præstantibus authoribus.*

Ex Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiast.

S. Optatus Mileuitanus Episcopus floruit sub Valentiniano & Valente principibus, & egregios septem libros contra Donatistas edidit. S. Hieronymus *in lib. de scriptor. Eccles.* Sex libros ab Optato scriptos fuisse dicit: sed nunc septem numerantur, neque septimus dissentit à cæteris. Facile fuit in lib. S. Hieronymi irrepsisse errorem in numeris. B

S. OPTATI AFRI, MILEVITANI Episcopi, de Schismate donatistarum, aduersus Parmenianum.

Ex Fr. Bald. V. C. recognitione.

LIBER I.

CVNCTOS nos Christianos, Charissimi fratres, Omnipotenti Deo fides vna commendat. Cuius fidei pars est, credere Filium Dei, Deum iudicem sæculi esse venturum eum, qui iampridem venerat, & secundum hominem suum, per Mariam virginem natus C est, passus, mortuus, & sepultus, resurrexit: Et antequàm in Cælum ascenderet (vnde descenderat) Christianis nobis omnibus suam per Apostolos pacem dereliquit. Quam ne videretur solis Apostolis dimisisse, sic ait: *Quod vni ex vobis dico, omnibus dico*, Deinde ait: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Sic igitur pax Christianis omnibus data est: quam rem Dei esse constat, cum dicit, *meam:* Cum autem dicit, *do vobis*, non solùm suam voluit esse, sed & vniuersorum in se credentium.

Matt 13. Ioan. 14.

Quæ pax, si vt data erat, sic integra inuiolatáque mansisset, nec ab authoribus schismatis turbaretur: inter nos & fratres nostros hodie non esset vlla dissensio: Nec illi inconsolabiles Deo lachrymas facerent, quod Isaias testatur: nec falsorum vatum nomen & actus incurrerent: nec ruinosum ac dealbatum extruerent parietem: nec minùs astutas, sed simplices euerterent mentes: nec malè imponendo omnibus captis manum euersionis velamenta obtenderent, nec maledicerent Deo: D nec rebaptizarent fideles: nec nos reuersas aut occisas innocentium animas doleremus: quas priùs doluit Deus, per Ezechielem Prophetam, dicens: *Væ facientibus velamen super omne caput, & super omnem ætatem, ad euertendas animas. Animæ euersæ, sunt populi mei: & maledicebant mihi in populo meo, vt occiderent animas, quas non oportuit mori: dum annuntiant populo meo vanas seductiones.* Et tamen admissa sunt hæc ab iis qui nostri sunt fratres. Sed ne quis dicat, me inconsideratè eos fratres appellare, qui tales sunt ab Isaiæ Prophetæ vocibus increpati, exorbitare non possumus. Quamuis & illi non negent, & omnibus notum sit, quod nos odio habeant, & exsecrentur, & nolunt se dici fratres* nostros: tamen nos recedere à timore Dei non possumus, quos hortatur Spiritus sanctus per Isaiam Prophetam, dicens: *Vos qui timetis nomen Domini, audite nomen Domini: hi qui vos odio habent & execrantur, & nolunt se dici Fratres nostros, vos tamen dicite eis, Fratres nostri estis.* Sunt igitur sine dubio Fratres, quamuis non boni. Quare nemo

Lacrymæ inconsolabiles. Isa. 32.

Ezech. 13

Isa 56.
* Idē ait Aug. lib. 3. contra Gaudēt. lib. 3. cont Parmen. c. 2. & in.

miretur, eos me appellare fratres, qui non possunt non esse fratres. E

Psal. 32. Gen. 9.

Est quidem nobis & illis vna spiritualis natiuitas, sed diuersi sunt actus. Nam & Cham qui patris sui risit impiè nuditatem, frater innocentium fuit: & pro merito suo iugum seruitutis incurrit, vt esset fratribus frater addictus. Ergo nomen fraternitatis, nec interueniente peccato deponitur. Sed de istorum fratrum delictis dicam in alio loco: Qui sedentes aduersus fratrem, detrahunt, & contra nos scandala ponunt: & cum illo fure concurrunt, qui Deo furtum faciunt. Et cum mœchis, id est, cum hæreticis, partem suam ponunt, & peccata sua laudant: & conuitia contra nos Catholicos meditantur. Omnes quidem per singula loca maledicis vocibus perstrepunt: sed vnum quidem vix inuenimus, cum quo per literas, vel hoc modo loquamur: Parmenianum scilicet fratrem nostrum: si tamen se à nobis vel hoc nomine nuncupari permittit. Et quia collegium Episcopale nolunt nobiscum habere commune, non sint collegæ, si nolunt tamen (vt suprà diximus) fratres sunt. Frater meus igitur Parmenianus, ne ventosè ac nudè, vt cæteri loqueretur, quicquid sentire potuit, non solùm dixit, sed etiam in Scriptura digessit: Cuius dictis, cum respondere veritate cogente compellimur, erit inter nos absentes quoquo modo collatio. Eodem modo & satisfiet desideriis aliquorum. Nam à multis desideratum est, vt ad eruendam veritatem, ab aliquibus defensoribus partium conflictus haberetur: & fieri potuit. Sed quoniam & accessum prohibent, & aditus intercludunt & consessum vitant, & colloquium* denegant: vel tecum mihi, Frater Parmeniane, sit isto modo collatio: vt quia tractatus tuos, quos in manibus, & in ore multorum esse voluisti, non aspernatus sum, neque contempsi, sed omnia à te dicta patienter audiui: audias & tu humilitatis nostræ responsa. Nam & ego intelligo, & tu non negas, & quiuis sapiens peruidet, te nulla aliâ ratione tam prolixè tractasse, nisi vt Ecclesiam Catholicam tuis tractatibus indignè pulsares. Sed, vt intelligi datur, aliud habet animus, aliud resonat sermo. Denique omnia te video dixisse contra Catholicam: imò multa pro Catholica, cum Catholicus non sis, vt & nobis necesse non fuerit tractatibus tuis respondere: nisi quod dum malè instructus es, vt quod non vidisti, sed falsò audieris, loquereris, cum in Epistola Petri Apostoli legerimus: *Nolite per opinionem iudicare fratres vestros:* vt inter aliqua quæ ad nos non pertinent (sicuti probaturi sumus) diceres, à nobis contra vos militem esse postulatum. Cæterum à te in aliis partibus tractatus tui, aliqua pro nobis dicta sunt, & contra vos: vt diluuij & Circuncisionis comparatio quædam & pro nobis, & pro vobis, ea quæ in laude dixisti baptismatis, præter illud quod carnem Christi malè tractaueris, ideò & pro vobis: quia quamuis foris sis, tamen ex nobis existis. Nam & illud pro ambobus, quod demonstrasti hæreticos extraneos esse Catholicis Sacramentis: si tamen vosipsos non eis adiungeretis, quos esse schismaticos constat. Quædam pro nobis solis, vt cum vnius Ecclesiæ commemorationem faceres. Quædam contra vos per ignorantiam, (quia peregrinus) vt Traditorum & Schismaticorum accusationem. Etiam illud est contra vos, quod dixisti de oleo & sacrificio peccatoris. Ac per hoc nihil contra nos à te dictum est, nisi quod ignoranter dixisti, à nobis militem postulatum. Quod calumniosè à te dictum esse, probationibus verissimis demonstrabimus. Tolle hanc calumniam, & eris noster. Quid enim magis dici pro nobis & nostrum esse potest, quàm quòd dixi, in comparationem baptismatis semel factum esse diluuium? Et singularem circuncisionem salubriter profecisse populo Iudæorum, magis pro nobis, quasi noster locutus es: Hæc enim nostra vox est, qui in Trinitate, Baptismi vnionem defendimus: Non pro vobis, qui Baptisma, in cuius imagine sunt illa duo, audaciter, & quod contra leges est, iterais: id quamuis & vos ipsi non negetis, quia non debet iterari,

F

* Scilicet quasi fugientes cum peccatoribus colloqui idque contra exemplum D. Pauli

G contra Epicureos disputantes.

1. Pet. 3 Tractatus Parmeniani.

H

A iterari, quod semel iussum est fieri. Sed dum subtiliter laudasti, quod omni laudis præconio dignum est: callidè vestram supposuisti personam vt quasi, quia semel licet, vobis liceat, aliis denegetur. Si traditoribus non licet: vobis licere non debuit, quorum principes probamus fuisse traditores. Si Schismaticis non licet: adæque vobis licere non debuit, apud quos origo Schismatis inuenitur. Si peccatoribus non licet: etiam peccatores vos esse testimonio diuino conuincimus. Et tamen quia licet, non per electum hominem, sed per quod semel licet: ideò post vos non emendamus, quia & apud vos, vnum est Sacramentum. Cuius Sacramenti ratio, tota quinto libro demonstrabitur. Ante quidem, frater Parmeniane, multa tractata sunt. Sed video mihi non eo esse respondendum ordine, quo à te dicta sunt singula. Tu enim primo loco dixisti comparationes laudesque Baptismi, & præter carnem Christi à te malè tractatam, cætera bene dixisti. Hoc enim magis pro nobis te

Hæreticorum baptisma.

B dixisse, suo loco demonstrabitur. Secundo autem loco, exclusis hæreticis, vnam dixisti esse Ecclesiam: sed eam, vbi sit, agnoscere noluisti. Tertio loco, traditores nullis certis personis aut nominibus accusasti. Quartò, à te vnitatis lacerati sunt operarij. Quintò, vt minima prætermittam, dixisti de oleo & sacrificio peccatoris. Sed mihi videtur primo loco traditorum & Schismaticorum indicandas esse ciuitates, personas, & nomina: vt quæ à te de iis dicta sunt, veros authores & certos reos suos agnoscant. Deinde mihi dicendum est, quæ, vel vbi sit Ecclesia quæ est vna: quia præter vnam altera non est. Tertiò, à nobis militem non esse postulatum, & ad nos non pertinere, quod ab operariis iniquitatis dicitur esse commissum. Quarto loco, qui sit peccator, cuius Sacrificium repudiat Deus, vel cuius oleum fugiendum sit. Quintò, de Baptismate. Sextò, de inconsideratis præsumptionibus & erroribus vestris. Sed priusquàm de rebus singulis aliquid dicam: quod carnem Christi malè tractaueris, breuiter ostendam.

C Dixisti enim, carnem illam peccatricem, Iordanis demersam diluuio, ab vniuersis sordibus esse mundatam. Meritò hoc diceres, si caro Christi pro omnibus baptizata sufficeret, vt nemo pro se baptizaretur. Si ita esset, ibi esset totum genus hominum: Illic omne, quod corporaliter natum est, nihil esset inter fideles & vnumquemque gentilem: quia in omnibus caro est. Et dum nemo non habeat carnem, sicut dixisti, quia caro Christi diluuio Iordanis demersa est, omnis caro hoc beneficium consequeretur. Aliud est enim caro Christi in Christo, aliud vniuscuiusque in se. Quid tibi visum est, carnem Christi dicere peccatricem? vtinam diceres; *Caro hominum in carne Christi*. Nec si probabiliter dixeris. Quia vnusquisque credens, in nomine Christi baptizatur: non in carne Christi, quæ specialiter illius erat. Addo, quod eius caro de Spiritu sancto concepta, inter alios non potuit in remissionem peccatorum tingi, quæ nullum videbatur admisisse peccatum. Addi-

D disti, & Iordanis diluuio demersam: satis inconsideratè hoc vsus es verbo. Quod verbum soli Pharaoni, & eius populo debebatur, qui pondere delictorum tanquàm plumbum ita mersus sit, vt ibi remanserit; Christi autem caro, dum in Iordane descendit & ascendit, demersa à te dici non debuit: Cuius caro ipso Iordane sanctior inuenitur, & magis aquam ipsam descensu suo mundauerit, quam ipsa mundata sit. Etiam illud prætetire non possum: quod te subtiliter egisse considero, vt ad inducendos vel decipiendos animos auditorum, post Circuncisionis & diluuij descriptionem, & post laudem baptismatis, hæreticos cum erroribus suis mortuos, & obliuione iam sepultos quodammodo resuscitare voluisti, quorum per Prouincias Africanas, non solum vitia, sed etiam nomina videbantur ignota. Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus, & cæteri, temporibus suis à Victorino Pictauiensi, & Zephetino Vrbico, & Tertulliano Carthaginensi, vsque ad Cathaphrigas: & ab aliis assertoribus Ecclesiæ Catholicæ superati sunt. Vt quid bellum cum mortuis geris, quod

Hæreticorum errores à Donatistis suscitati.

E ad negotium temporis nostri non pertinet? Sed quia Schismatis hodie aliquid quod probare possis in Catholicos, non habes, ideò ad prolixitatem Scripturæ tuæ augendam, tot hæreticos cum erroribus suis commemorare voluisti. Nunc alia quæstio est. Vt quid à te memorati sunt illi, apud quos non sunt Sacramenta quæ nobis & vobis videntur esse communia? Sanitas non flagitat medicinam. De se secura virtus, forinsecùs non quærit auxilia: Veritas non desiderat argumenta, ægroti est remedia quærere: inertis & imbecillis est auxilia comparare: Mendacis est argumenta conquirere. Intereà dixisti, apud hæreticos dotes Ecclesiæ esse non posse. Et rectè dixisti: scimus enim hæreticorum Ecclesias singulorum prostitutas, nullis legalibus Sacramentis, & sine iure honesti matrimonij esse: Quas non necessarias recusat Christus qui est sponsus vnius Ecclesiæ. Sicut in Canticis Canticorum ipse testatur Qui cum vnam laudet, cæteras damnat: Quia præter

Hæreticorum Ecclesiæ prostitutæ.

F vnam quæ est vera Catholica, cæteræ apud hæreticos putantur esse: sed non sunt. Secundum quod indicat (vt suprà diximus) in Canticis Canticorum, vnam esse columbam suam: Eandem sponsam electam: Eandem, hortum conclusum, & fontem signatum: Vt hæretici omnes, neque claues habeant, quas solus Petrus accepit, nec annulum quo legitur fons esse signatus: nec aliquem illorum esse, ad quem hortus ille pertineat in quo Deus arbusculas plantat. De quibus hæreticis, quamuis ad præsentem non pertineat causam, quod diu locutus es & sufficerat & abundabat. Sed miror, quid tibi visum est, etiam vos ipsos eis adiungere, quos esse Schismaticos constat, dum Ecclesiæ dotes & hæreticis ipsis, & vobis Schismaticis denegasti: dixisti enim inter cætera, Schismaticos à vite, velut sarmenta esse concisos: destinatos pœnis tanquàm ligna arida gehennæ ignibus reseruari. Sed video te adhuc ignorare Schisma apud Carthaginem à vestris principibus factum. Quære harum originem rerum, & inuenies hanc te in vos dixisse sententiam, cum Schismaticis hæreticos sociasti. Non enim Cæcilianus exiuit à Maiorino auo

G tuo, sed Maiorinus à Cæciliano. Nec Cæcilianus recessit à cathedra Petri vel Cypriani, sed Maiorinus, in cuius tu cathedra sedes, quæ antè ipsum Maiorinum originem non habebat. Et cum hæc ita gesta esse manifestissimè constet, & vos hæredes esse traditorum & Schismaticorum euidenter appareat: satis te miror, frater Parmeniane, cum Schismaticus sis, Schismaticos hæreticis adiungere voluisse: aut si sic tibi videtur, & ita placet, contra illa quæ à te paulò ante sunt dicta. Dixisti enim fieri non posse, vt in falso Baptismate inquinatus abluat, immundus emundet, supplantator erigat, perditus liberet, reus veniam tribuat, damnatus absoluat. Bene hæc omnia poterunt ad solos hæreticos pertinere, quia falsificauerunt Symbolum, cur alter dixerit duos Deos, cum Deus vnus sit: alter panem vult in persona Filij cognosci, alter carnem subducens Filio Dei, per quam Deo reconciliatus est mundus: Et cæteri huiusmodi, qui à Sacramentis Catholicis alieni esse noscuntur. Quare pœniteat te ta-

H libus hominibus etiam Schismaticos adiunxisse: In te enim conuertisti sententiæ gladium, dum æstimas, quia alteros appetebas. Et non attendisti inter Schismaticos & hæreticos, quam sit magna distantia. Inde est quod ignoras quæ sit sancta Ecclesia, & sic omnia miscuisti.

Catholicam facit simplex & verus intellectus, intelligere singulare ac verissimum Sacramentum, & vnitas animorum. Schisma verò sparso coagulo, pacis dissipatis sensibus generatur, liuore nutritur, æmulatione & litibus roboratur, vt desertâ matre Catholicâ, impij filij dum foras exeunt, & se separant (vt vos fecistis) à radice matris Ecclesiæ inuidiæ falcibus amputati, errando rebelles abscedunt. Nec possunt nouum aliquid aut aliud agere, nisi quod iamdudùm apud suam didicerunt matrem. Hæretici verò, veritatis exules, sani & verissimi Symboli desertores de sinu Ecclesiæ sanctæ, impiis sensibus deprauati, contempto quod

Ecclesia signa, singulare & verissi. Sacramentũ. Schismata vnde oriantur. Sanum & veriss. Symbolũ.

A

† *Colb lai editio.*

benè fuerant geniti, vt ignorantes & rudes deciperent de se nasci voluerunt. Et qui iamdudùm † vitalibus pasti fuerant cibis corruptelâ malæ digestionis, in perniciem miserorum, disputationibus impiis, venena mortifera vomuerunt. Vides ergo, frater Parmeniane, hæreticos à domo veritatis extorres, solos habere varia & falsa Baptismata: Quibus inquinatus non possit abluere, immundus emundare, supplantator erigere, perditus liberare, reus veniam tribuere, damnatus absoluere. Bene clausisti hortum hæreticis: Bene reuocasti claues ad Petrum: bene abstulisti colendi potestatem, ne arbusculas colerent ij, quos ab hortulo & Paradiso Dei constat alienos. Bene subduxisti annulum iis quibus aperire non licet ad fontem. Vobis verò schismaticis quamuis Catholici non sitis, hæc negari non possunt, quia nobiscum vera & communia Sacramenta traxistis. Quare cum hæc omnia hæreticis bene negentur: quid tibi visum est, hæc & vobis negare voluisse, quos schismaticos esse manifestum est? Vos enim forâs existis, quantum in vobis est. Volebam, vt soli damnarentur hæretici: quantùm in te est, & iam vos ipsos cum eis vnâ sententiâ ferire voluisti. Sed iam vt ad propositum singularum rerum ordinem redeamus. Primo loco audi qui fuerint Traditores, & pleniùs authores Schismatis disce. In Africa duo mala & pessima admissa esse constat: vnum in Traditione, alterum in Schismate: sed vtraque mala, & vno tempore, & iisdem authoribus videntur esse commissa. Debes ergo, frater Parmeniane, discere, quod intelligeris ignorare. Nam fermè ante annos LX. & quod excurrit, † per totam Africam persecutionis est diuagata tempestas quæ alios fecerit Martyres, alios Confessores, nonnullos funestâ prostrauit in morte, latentes dimisit illæsos. Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia, nullâ fuerant dignitate suffulti; Quid ministros plurimos? Quid Diaconos in tertio? quid Presbiteros in secundo sacerdotio constitutos? Ipsi apices & principes omnium aliqui Episcopi, illis temporibus, vt damno æternæ vitæ, istius incertæ lucis moras breuissimas compararent, instrumenta diuinæ legis impiè tradiderunt. Ex quibus erant Donatus Masculitanus, Victor Ruficcadiensis, Marinus ab aquis Tibitanis Donatus Calamensis, & homicida Purpurius Limatensis: Qui interrogatus de filiis sororis suæ, quod eos in carcere Milei necasse diretur, confessus est, dicens: *Et occidi, & occido non eos solos, sed & quicumque contra me fecerit.* Et Menalus, qui ne thurificasse à suis ciuibus probaretur, oculorum dolorem fingens, ad concessum suorum procedere trepidauit. Hi, & cæteri, quos principes tuos fuisse Paulò post docebimus, post persecutionem apud Cirtam ciuitatem, (quia Basilicæ necdum fuerant restitutæ) in domum Vrbani Carisi considerunt die Iduum Maiarum, sicut scripta Nundinarij tunc diaconi testantur, & vetustas membranarum testimonium perhibet, quas dubitantibus proferre poterimus. Harum namque plenitudinem rerum, in nouissima parte istorum libellorum, ad implendam fidem adiunximus. Hi Episcopi interrogante Secundo Tigisitano, tradidisse confessi sunt. Et cum ipse Secundus à Purpurio increparetur, quod & ipse diu apud stationarios fuerit, & non fugerit, sed dimissus sit. Non sine causa dimissum fuisse, nisi quia tradiderat, iam omnes hæretici cœperunt murmurare. Quorum spiritum Secundus metuens, consilium accepit à filio fratris sui Secundo minore, vt talem causam Deo seruaret. Consulti sunt qui remanserunt, id est, Victor Garbiensis, Fœlix à Rotario Centurion. ij dixerunt talem causam Domino debere reseruari. Et dixit secundus. † *Sedete omnes.* Tunc dictum est ab omnibus, *Deo Gratias*, & sederunt Habes ergo Parmeniane frater qui manifestò fuerint Traditores. Deinde non post longum tempus, iidem ipsi, tot & tales, ad Carthaginem profecti Traditores, coniurati homicidæ, Maiorinum (cuius tu cathedram sedes) post ordinationem Cæciliani ordinauerunt, schisma facientes. Et quoniam Traditionis reos, principes vestros fuisse monstratum est: consequens erit, eosdem fuisse authores schis-

Claues Petri.

B

Sic quoqi Aug. lib. 7. de Bap. c. 7. *Traditionem vero hanc de qua hic*

C

agitur, factam esse à Diocletiano 9 & Maximiano 8. Cons. ait in Breuic. Sed lib. 3. contra Cresc. c. 7 minuit annum vnum ex hac sũma, vt & Euse. Eccles. Hist. l. 8. fuit ergo ad Annũ Christi 304.

D

Presbyteri in secundo Sacerdotio constituti.

† *Hæc est veluti quedam formula absolutionis.*

† *intercideerunt quidem, sed eorũ iacturã facile sarciri potest ex*

matis. Quæ res, vt clara & manifesta esse omnibus possit, ostendendum est, ex qua radice sese vsque in hodiernum, errori protenderint rami, & ex quo fonte riuulus iste maligni liquoris occultè serpens, vsque in tempora nostra manauerit. Dicendum est, vnde & vbi & à quibus ortum constet hoc alterum malum: quæ conuenerint causæ: quæ fuerint operatæ personæ: qui authores huius mali: qui nutritores: à quibus sint inter partes ab imperatore postulata iudicia: qui sederint iudices: vbi sic actum Concilium: quæ sint prolatæ sententiæ. De diuisione agitur, & in Africa, sicut & in ceteris prouinciis vna erat Ecclesia, antequàm diuideretur ab ordinatoribus Maiorini, in cuius tu hæreditaria cathedra sedes. Videndum est, quis in radice cum toto orbe manserit: quis forâs exierit: quis in cathedra sederit altera quæ antè non fuerat: quis altare contra altare erexerit: quis ordinationem fecerit, saluo altero ordinato: quis iaceat sub sententia Ioanis Apostoli, qui dixit multos Antichristos forâs exituros: *quia non erant,* (inquit) *nostri: nam si nostri essent, mansissent nobiscum.* Ergo qui in vno cum fratribus manere noluit, hæreticos secutus, quasi Antichristus forâs exiuit. Hoc apud Carthaginem post ordinationem Cæciliani factum esse, nemo est qui nesciat: per Lucillam scilicet nescio quam fœminam factiosam, quæ ante concussam persecutionis turbinibus pacem, dum adhuc in tranquillo esset Ecclesia: cum correctionem Archidiaconi Cæciliani ferre non posset, quæ ante spiritualem cibum & potum, os nescio cuius Martyris, si tamen Martyris libare dicebatur, & cùm præponeret calici salutari os nescio cuius hominis mortui, etsi Martyris, sed necdùm vindicati, correpta, cum confusione, irata discessit. Irascenti & dolenti, ne disciplinæ succumberet, occurrit subito persecutionis enata tempestas. Iisdem temporibus Felix quidam Diaconus, qui propter famosam nescio quam de Tyranno Imperatore tunc factam epistolam, appellatus est, periculum timens, apud Mensurium Episcopum delituisse dicitur. Quem cùm postulatum Mensurius publicè denegaret, relatio missa est: Rescriptum venit, vt si Mensurius Fœlicem Diaconum non reddidisset, ad Palatium dirigeretur. Conuentus non leues patiebatur angustias. Erant enim Ecclesiæ ex auro & argento quam plurima ornamenta. quæ nec defodere terræ, nec secum portare poterat. Quasi fidelibus senioribus commendauit, commemoratio facta, quod cuidam aniculæ dedisse dicitur: Ita vt si ipse non rediret, redditâ pace Christianis, aniculam illã illi daret quam in Episcopali cathedra sedentem inueniret. Profectus causam dixit. Iussus est reuerti Carthaginem: peruenire non potuit. Tempestas persecutionis peracta, & definita est: Iubente Deo, indulgentiam mittente Maxentio, Christianis libertas est restituta. Botrus & Cælesius vt dicitur, apud Carthaginem ordinari cupientes, operam dederunt, vt absentibus Numidis soli vicini Episcopi peterentur, qui ordinationem apud Carthaginem celebrarent. Tunc suffragio totius populi Cæcilianus eligitur. Et manus imponente Fœlice Aptungitano Episcopus ordinatur. Botrus Cælesius de spe sua deiecti sunt. Breuis auri & argenti sedenti Cæciliano, sicut delegatum à Mensurio fuerat, traditur, adhibitis testibus. Conuocantur supra memorati seniores, qui faucibus auaritiæ commendatam ebiberant prædam. Cùm reddere cogerentur, subduxerunt communioni plebem. Non minùs & ambitores, quibus & ordinari non contigit: necnon & Lucilla, quæ iamdudùm ferre non potuit disciplinam, cum omnibus suis potens & factiosa fœmina, communioni misceri noluit. Sic tribus conuenientibus causis & personis, factum est, vt malignitas haberet effectum. Schisma igitur illo tempore confusæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutriuit, auaritia roborauit: ab iis tribus personis contra Cæcilianum causæ confictæ sunt, vt vitiosa eius ordinatio diceretur. Ad secundum Tigisitanum missum est, vt Carthaginem veniretur: proficiscuntur omnes supra memorati Traditores: suscepti hospitio ab auaris, ab ambitoribus, ab iratis: non à Catholicis

E

Aug. l. 3. contra. Cresc. Ex Ep. 162. & 165. Lib. de vnit. Eccl. c. 20. & Breuic. ad fiuẽ.

F

G

H

Vide Aug. E. 162. Lib. 3. contr. Cresc. Cap. 28

quorum

A quorum petitione Cæcilianus fuerat ordinatus. Intereà ad Basilicam, vbi cum Cæciliano tota ciuitas in frequentia fuerat, nullus de supradictis accessit. Tunc à Cæciliano mandatum est: *Si est quod in me probetur, exeat accusator & probet.* Illo tempore à tot inimicis nihil in illum potuit confingi. Sed de ordinatore suo, quod ab iis falsò traditor diceretur, metuit infamari. Iterùm à Cæciliano mandatum est, vt si fœlix in se, sicut illi arbitrabantur, nihil contulisset, ipsi tanquàm adhuc Diaconum ordinarent Cæcilianum. Tunc Purpurius solitâ malitiâ fretus, quasi & Cæcilianus filius sororis eius esset, sic ait: *Exeat huc quasi imponatur illi manus in Episcopatu, & quassetur illi caput de pœnitentia.* His rebus compertis, tota Ecclesia Cæcilianum retinuit, ne se latronibus tradidisset. Illo tempore aut reus debebat expelli, aut communicari debuit innocenti. Conferta erat Ecclesia populis plena: erat cathedra Episcopalis: erat altare suo loco, in quo pacifici Episcopi retrò temporis obtulerunt, Cyprianus, Lucianus & cæteri. Sic exitum est forâs, & altare contra altare erectum est, & ordinatio illicitè celebrata est: & Maiorinus, qui Lector in diaconio Cæciliani fuerat, domesticus Lucillæ, ipsa suffragante, Episcopus ordinatus est à traditoribus, qui in concilio Numidiæ (vt superiùs diximus) crimina sua sibi confessi sunt, & indulgentiam sibi inuicem tribuerunt. Manifestum est ergo, exisse de Ecclesia, & ordinatores qui tradiderunt, & Maiorinum, qui ordinatus est. Intereà de suorum criminum fonte, qui apud eos multorum flagitiorum venis exuberat, vnum traditionis conuitium in ordinatorem Cæciliani detiuandum esse putauerunt: prouidentes quod fama duas res similes vno tempore loqui non possent: vt crimina in silentium mitterent sua, vitam infamare conati sunt alienam: Et cum possent ipsi ab innocentibus argui, innocentes arguere studuerunt, mittentes vbique literas Liliore dictante conscriptas: quas inter cæteros actus habemus in postremum. Adhuc Carthagine positi præcesserunt se Epistolis suis, vt rumoribus falsis cunctorum auribus inserrerent mendacium, sparsâ famâ per populos. Et dum de vno celebrata sunt falsa, supradictorum verissima crimina sub silentio latuerunt. Frequenter solet erubesci de crimine, sed illo tempore non fuit cui erubesceretur, quia præter paucos Catholicos, peccauerant vniuersi: & quod imago fuerat innocentiæ inter multos nefas admissum, paruum erat Traditionis facinus, quod per Donatum Masculitanum & cæteros supradictos constabat admissum: Etiam ingens flagitium Schismatis traditioni iunxerunt. Vides ergo Parmeniane hæc duo crimina tam mala, tam grauia Traditionis & Schismatis, ad tuos Principes pertinere. Agnosce vel sero incurrisse te in tuos, dum insectaris alienos. Et cum priores constet operatos esse hoc alterum nefas, & vos iam eos sceleratis vestigiis sequi laboratis: vt quod illi priores in titulo Schismatis fecerant, & vos iamdudùm fecisse & nunc facere videamini. Illi ruperunt suis temporibus pacem: vos exterminatis vnitatem. De parentibus vestris & de vobis merito dici potest, *Cæcus cæcum si duxerit, vterique in foueam cadunt.* Oculos patrum vestrorum furiosus excæcauerat liuor, & æmulatio vestros orbauit. Schisma summum malum esse & vos negare minimè poteritis. Et tamen Dathan & Abiron & Chore, perditos magistros vestros, sine trepidatione estis imitati: nec ponere ante oculos voluistis, hoc malum & verbis Dei esse prohibitum, & admissum grauiter vindicatum. Deinde esse distantiam delictorum, aut remissio testatur aut pœna. Deinde inter cætera præcepta etiam hæc tria iussio diuina prohibuit, *Non occides, Non ibis post Deos alienos:* & in capitibus mandatorum, *Non facies Schisma.* Videamus de iis tribus, quid oportuit puniri, & quid meruit relaxari.
Gen. 4. Parricidium principale delictum est: & tamen Caïn nec reus à Deo percutitur, sed occisus insuper vindicatur. In Niniue Ciuitate, hominum numero centum viginti millia sacrilega, quæ deos alienos sequi videbantur: post
Ionæ 3. iracundiam Dei, & nuntium Ionæ Prophetæ, Ieiunium patui temporis & oratio, indulgentiam meruit. Videamus

E si aliquid tale consecuti sunt ij qui populos Dei primitùs ausi sunt scindere. Tot millibus virorum Israël, quorum à ceruicibus diuina prouidentia iugum seruile deiecerat, Aaron sanctum præfecerat Sacerdotem; sed cum ministri eius, Sacerdotium non sibi debitum concupiscentes, seductâ parte populi illicitè inuaderent; ritum imitari Sacrorum, ducentos, & quod excurrit, Num. 16 ministros secum perituros, cum thuribulis in fronte seducti populi posuerunt. Deus cui displicet Schisma, hoc libenter videre non potuit. Indixerant quodammodò Deo bellum; quasi esset alter Deus, qui alterum acciperet Sacrificium. Igitur Deus pro neglectis mandatis iratus est irâ magnâ. Et quod in sacrilegos & parricidam non fecerat, in Schismaticos fecit. Stabat ministrorum acies & multitudo sacrilega, cum interdictis sacrificiis suis illicò peritura: negatum & subductum est pœnitentiæ tempus, quia non talis erat culpa quæ veniam mereretur. Mandata est terræ fames: statim fauces suas in populi diuisores aperuit, & contemptores mandatorum Dei, auido ore absorbuit. Intra momenti spatium, ad transglutiendos prædictos terra patuit, rapuit, clausa est. Et ne beneficium de mortis compendio consequi videretur, dum non essent digni viuere, iis nec mori concessum est: tartareo carcere subito clausi, ante sunt sepulti quàm mortui. Et miramini vobis aliquid tale aspere factum, qui Schisma aut facitis aut colitis, cum videatis quid magistri primi Schismatis pati meruerunt: An quia cessat talis modo vindicta, ideò tibi cum tuis vincas innocentiam? Deus Deus in singulis rebus exemplorum posuit formam, vt sit quod imputet & imitantibus prima peccata: ad exemplum præsens pœna compressit, secundo iudicio reseruauit. Quid ad hæc dicturi estis, qui Schisma, vsurpato Ecclesiæ nomine & occultè nutritis, & impudenter defenditis? Sed quia audio aliquos de societate tua, litigandi studio chartas habere nescio quas: quærendum est, quibus sit accommodanda fides: quæ cum ratione concordent: quæ cum veritate confabulentur. Vestræ, si sunt aliquæ mendaciis fortè videantur aspersæ. Nostras chartas probant & conflictus causarum, & contentiones partium, & exitus iudiciorum, & Epistolæ Constantini. Nam quod de nobis dicitis, *Quid Christianis cum regibus? aut quid Episcopis cum palatio?* Si nota est, nosse reges, vos tota perfundit inuidia. Nam maiores vestri, Lucianus, Dignus, Nassutius, Capito, Fidentius, & cæteri Imperatorem Constantinum, harum rerum adhuc ignarum, his precibus rogauerunt: quarum exemplum infrà scriptum est. *Rogamus te ô Constantine optime Imperator, quoniam de genere iusto es, cuius pater inter cæteros Imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia. Nam in Africa inter nos & cæteros Episcopos contentiones sunt. Petimus, vt de Gallia nobis iudices dari præcipiat pietas tua. Datæ à Luciano, Digno, Nassutio, Capitone, Fidencio, & cæteris Episcopis partis Donati.* Quibus lectis, Constantinus pleno liuore respondit. In qua responsione & eorum preces prodidit, dum ait: *Petitis à me in sæculo iudicium, cùm ego ipse Christi iudicium expectem.* Et tamen dati sunt Iudices, Maternus ex Agrippina ciuitate. Rheticius ab Augustoduno Ciuitate, Marinus Arelatensis. Ad vrbem Romam ventum est iis tribus Gallis: & ab aliis quindecim Italis. Conuenerunt in domum Faustæ in Laterano, Constantino III. & Licinio III. Coss. vj. Non. Octob. Die sextâ feriâ. Cum consedissent Miltiades Episcopus vrbis Romæ, & Rheticius & Maternus & Marinus Episcopi Gallicani: & Merocles à Mediolano, Florianus à Cæsena, Zoticus à Quintiano. Stemnius ab Arimino, Fœlix à Florentia Tuscorum, Gaudentius à Pisis, Constantius à Fauentia, Poterius à Capua, Theophilus à Beneuento, Sauinus à Terracina, Secundus à Prænelte, Fœlix à tribus tabernis, Maximus ab Ostia, Euandrus ab Vrsino, Donatianus à Foro Claudij. His decem & nouem considentibus Episcopis, causa donati & Cæciliani in medium missa est à singulis. In Donatum sunt hæ sententiæ latæ. *Quod confessus sit se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum impo-*

Schismaticis negatum Pœnitentia spatium F

Magistri Schismaticis.

B · C · G · D · H

suisse

A *fuisse quod ab Ecclesia alienum est.* Testes inducti à Donato confessi sunt, se non habere quod in Cæcilianum dicerent. Cæcilianus omnium supra memoratorum sententiis innocens est pronuntiatus: etiam Miltiadis sententiâ, quâ iudicium clausum est his verbis. *Cum constiterit, Cæcilianum ab iis qui cum Donato venerunt iuxta professionem suam non accusari: nec à Donato conuictum esse in aliqua parte constiterit, in suæ communionis Ecclesiastica integro statu retinendum meritò esse censeo.* Sufficit ergo & Donatum tot sententiis esse percussum, & Cæcilianum tanto iudicio esse purgatum. Et tamen Donatus appellandum esse ab Episcopis credidit. Ad quam appellationem Constantinus Imperator sic respondit: *ô rabida* * *furoris audacia! sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.*

* Sic August. quoque rabida fuisse Donatistarum in Cæcilianum. Eph. 162.

Eodem tempore idem Donatus petiit, vt ei reuerti ad Carthaginem contingeret. Tunc à Filumino suffragatore eius, imperatori suggestum est, vt bono pacis Cæcilianus Brixiæ retineretur: & factum est: Tunc duo Episcopi ad Africam missi sunt, Eunomius & Olympius, vt remotis duobus vnum ordinarent. Venerunt apud Carthaginem: fuerunt per dies quadraginta, vt pronuntiarent vbi esset Catholica. Hoc seditiosa pars Donati fieri passa non est. De studio partium strepitus quotidiani sunt habiti: nouissima sententia eorum Episcoporum Eunomij & Olympij talis legitur, vt dicerent illam esse Catholicam quæ esset in toto orbe terrarum diffusa: & sententiam decem & nouem Episcoporum iamdudùm datam, dissolui non posse. Sic communicauerunt Clero Cæciliani, & reuersi sunt. De iis rebus habemus volumina actorum. Quod si quis voluerit, in nouissimis partibus legat. Cum hæc fierent, Donatus vltrò prior ad Carthaginem redit. Hoc audito, Cæcilianus ad suam plebem properauit. Hoc modo iterùm renouellatæ sunt partes. Constat tamen Donatum tot sententiis esse percussum, & Cæcilianum innocentem totidem sententiis pronuntiatum. Sed quia in ipsa causa, iamdudùm in Catholica duorum videbantur laborare personæ, & ordinati & ordinatoris: postquam ordinatus in vrbe purgatus est, purgandus adhuc remanserat ordinator.

B

C

Tunc Constantinus ad Ælianum Proconsulem scripsit, vt remotis necessitatibus publicis de vita Fœlicis Autungitani publicè quæreretur. Inducti sunt Claudius Saturianus, curator Reipublicæ, qui fuit tempore persecutionis in ciuitate Fœlicis, & Curator præsentis tunc temporis, quando causa flagitabatur: Callidius Gratianus, & Magistratus Alfius Cæcilianus: sed & Superstationarius perductus, & Ingentius scriba publicus pependit, sed metu imminentium tormentorum. Responsis omnium nihil tale inuentum est quod vitam Fœlicis Episcopi sordidare potuisset. Habentur volumina Actorum in quibus continentur præsentium nomina, qui fuerant in causa Claudij Saturiani Curatoris, & Cæciliani Magistratus, & Superstationarij, & Scribæ Ingentij, & Solonis Officialis publici ipsius temporis. Post quorum responsa, à suprà memorato Proconsule hæc pars sententiæ dicta est: *Fœlicem autem Religiosum Episcopum, liberum esse ab exustione Instrumentorum Deificorum manifestum est, cum nemo in eum aliquid probare potuerit: quod Religiosissimas Scripturas tradiderit vel exusserit. Omnium enim interrogatio supra scripta manifesta est, nullas Scripturas Deificas, vel inuentas, vel corruptas, vel incensas fuisse. Hoc actis continetur, quod Fœlix Episcopus Religiosus, illis temporibus neque præsens fuerit, neque conscientiam accommodauerit, neque aliquid tale fieri iusserit.* Vnde pulsa atque extersa infamia, cum ingenti laude illo iudicio recessit. Iamdudùm opinionis incertæ, & inter caligines quas liuor & inuidia exhalauerat, latere veritas videbatur. Sed etiam omnis Scriptura memorata, & Actorum voluminibus, & epistolis commemoratis aut lectis renouata est. Vides, frater Parmeniane, in Catholicos, traditorum nomine falso obiecto, frustra esse inuentum: mutans videlicet personas, & transferens merita clausisti oculos, ne patentes tuos reos agnosceres: aperuisti eos vt innocentes & indignos crimini copulares. Omnia pro tempore, nihil pro veritate: vt & de te dixerit beatissimus Apostolus Paulus: *Quidam autem conuersi sunt in vaniloquium, volentes se esse legis Doctores, non intelligentes quæ dicunt, neque de quibus affirmant.* Paulò antè docuimus, vestros patres fuisse Schismaticos & Traditores: & tu ipsorum hæres, nec Schismaticis, nec Traditoribus parere voluisti. Iam igitur documentis supra memoratis, omnia tela, quæ falsò in alienos iactare voluisti, veritatis clypeo repulsa, in tuos parentes reciproco ictu vertuntur. Omnia igitur, quæ à te in Traditores & Schismaticos dici potuerunt, vestra sunt. Nam nostra non sunt, quia in radice manemus, & in toto orbe terrarum cum omnibus sumus.

D

Conscientiam accommodare.

E

1. Tim. 1

S. OPTATI EPISCOPI MILEVIT. contra Parmenianum.

F

LIBER SECVNDVS.

QVoniam & qui fuerint Traditores ostensum est, & Schismatis origo ita monstrata est, vt penè oculis perspecta videatur: etiam hæresis ab Schismate quid distet, ostendimus: Illud demonstrare iam proximum est (quod nos promisimus secundo loco esse dicturos) quæ sit vna Ecclesia quam columbam & sponsam suam Christus appellat. Ergo Ecclesia vna est, cuius sanctitas de Sacramentis colligitur, non de superbia personarum ponderatur. Ergo hanc vnam columbam & dilectam sponsam suam Christus appellat. Hæc apud omnes hæreticos & Schismaticos esse non potest: Restat vt vno loco sit. Eam tu frater Parmeniane, apud vos solos esse dixisti; nisi fortè quia vobis specialem sanctitatem de superbia vindicare contenditis, vt vbi vultis, ibi sit Ecclesia: & non sit, vbi non vultis. Ergo vt in particula Africæ, in angulo paruæ regionis, apud vos esse possit: apud nos in alia parte Africæ non erit. In Hispania, in Italia, in Gallia, vbi vos non estis, non erit. Si apud vos tantummodò esse vultis, in tribus Pannoniis, in Dacia, Misia, Thracia, Achaia, Macedonia, & in tota Græcia, vbi vos non estis, non erit. Vt apud vos esse possit, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Pamphilia, Phrygia, Cilicia, & in tribus Syriis, & in duobus Armeniis, & in tota Ægypto, & in Mesopotamia, vbi vos non estis, non erit. Et per tot innumerabiles insulas, & cæteras prouincias quæ numerari vix possunt, vbi vos non estis, non erit. Vbi ergo erit proprietas Catholici nominis, cum indè dicta sit Catholica, quod sit rationabilis & vbique diffusa? Nam si sic pro voluntate vestra in angustum coarctatis Ecclesiam: si vniuersas subducitis gentes: vbi erit illud, quod Filius Dei meruit? vbi erit, quod libenter ei largitus est Pater, in secundo Psalmo dicens, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ?* Vt quid tale infringitis promissum, vt à vobis mittatur quasi in quendam carcerem latitudo regnorum? Quid tantæ pietati obstare contenditis? Quid contra Saluatoris merita militatis? Permittite Filium possidere concessa. Permittite Patri promissa complere. Cur ponitis metas? Cur figitis limites? Cum à Deo Patre Saluatori tota terra promissa sit, non est quicquam in aliqua parte terrarum, quod à possessione eius videatur exceptum. Tota est donata terra cum gentibus totius orbis, Christo vna possessio est. Hoc probat Deus, qui ait, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et in 71. Psalmo, de ipso Saluatore sic scriptum est, *Dominabitur à mari vsque ad mare: & à fluminibus vsque ad terminos orbis terræ.*

Quæ sit Ecclesia Catholica.

G

Psal. 2.

H

Psal. 71.

Patet dum donat, nihil excipit: vos vt concedatis vnciam, totam libram auferre conamini. Et adhuc nitimini suadere hominibus, apud vos solos esse Ecclesiam, auferentes meritum, Christo negantes præstitutum à Deo. O vestra ingrata & stulta præsumptio! Christus vos cum cæteris in societatem regni cœlestis inuitat, & vt cohæ-

redes

A redes ſitis, hortatur: & vos eum in hæreditate ſibi à Patre conceſſa, fraudare laboratis, dum Africæ partem conceditis, & totum terrarum orbem, qui ei à Patre donatus eſt denegatis.

Quid mendacem videri vultis Spiritum ſanctum? qui in 48. Pſalmo, omnipotentis Dei beneuolentiam narrat, dum dicit: *Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram, ab ortu Solis vſque ad occaſum.* Vocata eſt ergo terra, vt caro fieret: & ſicut legitur, facta eſt, & debet laudes creatori ſuo.

Denique commemoratur, Spiritu ſancto hortante, & dicente, in CXII. Pſalmo, cum dicit, *Laudandum nomen Domini ab ortu Solis vſque ad occaſum.* Et iterum in XCV. Pſalmo: *Cantate Domino canticum nouum.* Si hunc verbum ſolum diceret, poſſeris dicere, quia vos ſolos hortatus eſt Spiritus ſanctus. Sed vt oſtenderet, quia non ad vos ſolos dictum eſt: ſed & ad Eccleſiam, quæ vbique eſt, ſecutus eſt, dicens: *Cantate Domino omnis terra: pronuntiate in gentibus gloriam ipſius, in omnibus populis*

B *mirabilia eius. Pronuntiate*, inquit, *in gentibus*: non dicit in particula Africæ, vbi vos eſtis. *Pronuntiate*, inquit, *in omnibus populis.* Qui omnes populos dixit neminem excepit. Et vos ſolos ab omnibus populis, de quibus hoc mandatum eſt, ſeparatos vos eſſe gratulamini. Et vultis vos ſolos eſſe totum, qui in omni toto non eſtis. *Laudandum*, inquit, *nomen Domini & à tota terra, & ab ortu Solis vſque ad occaſum.* Nunquid Pagani extralegales poſſunt cantare Deo, aut laudare nomen Dei: & non ſola Eccleſia quæ in lege eſt? quam ſi apud vos tantummodò eſſe dicitis, fraudatis aures Dei. Si vos ſoli laudatis, totus tacebit orbis, qui eſt ab ortu Solis vſque ad occaſum. Clauſiſtis ora omnium Chriſtianarum gentium: Indixiſtis ſilentium populis vniuerſis, Deum per momenta laudare cupientibus. Igitur ſi & Deus debitas ſibi laudes expectat, & vt ſonent, Spiritus ſanctus hortatur, & totus orbis quod debet paratus eſt reddere, ne fraudetur Deus: etiam vos ipſi laudare cum omnibus: aut

C quia noluiſtis eſſe cum omnibus: ſoli conticeſcite. Ergo quia probamus eam eſſe Eccleſiam Catholicam, quæ ſit in toto terrarum orbe diffuſa, eius iam commemoranda ſunt ornamenta: & videndum vbi ſint quinque dotes, quas tu ſex eſſe dicis: inter quas cathedra eſt prima: vbi niſi ſederit Epiſcopus coniungi altera dos non poterit: qui eſt annulus: Videndum eſt, qui & vbi prior cathedra ſederit: ſi ignoras, diſce: ſi noſti, erubeſce. Ignorantia tibi adſcribi non poteſt, Reſtat ergo vt noueris. Scientem errare, peccatum eſt: Nam ignorantibus nonnunquàm ſolet ignoſci. Igitur negare non potes, ſcire te in vrbe Roma Petro primo cathedram Epiſcopalem eſſe collatam: in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus eſt: in qua vna cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: vt iam Schiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram, alteram collocaret. Ergo in cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus, ſedit prior Petrus: Cui ſucceſſit Linus, Lino

D ſucceſſit Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euariſtus, Euariſto Sixtus, Sixto Theleſphorus, Theleſphoro Iginus, Igino Anicetus, Aniceto Pius, Pio Soter, Soteri Eleutherius, Eleutherio Victor, Victori Zepherinus, Zepherino Calixtus, Calixto Vrbanus, Vrbano Pontianus, Pontiano Antherus, Anthero Fabianus, Fabiano Cornelius, Cornelio Lucius, Lucio Stephanus, Stephano Sixtus, Sixto Dionyſius, Dionyſio Fœlix, Fœlici Eutychianus, Eutychiano Caius, Caio Marcellinus, Marcellino Marcellus, Marcello Euſebius, Euſebio Miltiades, Miltiadi Sylueſter, Sylueſtro Marcus, Marco Iulius, Iulio Liberius, Liberio Damaſus, Damaſo Siricius hodie qui noſter eſt ſocius: Cum quo nobis totus orbis commercio formatarum, in vna communionis ſocietate concordat. Veſtræ cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis ſanctam Eccleſiam vindicare. Sed & habere vos in vrbe Roma partem aliquam dicitis. Ramus eſt veſtri erroris, protentus de mendacio non de radice veritatis. Denique ſi Macrobio dicatur, vbi illic ſedeat: nunquid poteſt dicere, in Cathedra Petri? quam neſcio

E ſi vel oculis nouit, & ad cuius memoriam non accedit quaſi Schiſmaticus contra Apoſtolum faciens, qui ait, *memoriis ſanctorum communicantes.* Ecce præſentes ſunt ibi duorum memoriæ Apoſtolorum. Dicite ſi ad has ingredi potuit: ita, vt obtulerit illic, vbi Sanctorum memorias eſſe conſtat. Ergo reſtat, vt fateatur ſocius veſter Macrobius, ſe ibi ſedere vbi aliquando ſedit Encolpius. Si & ipſe Encolpius poſſet interrogari, diceret, ſe ibi ſedere, vbi ante ſedit Bonifacius Ballitanus. Deinde ſi & ipſe interrogari potuiſſet, diceret, vbi ſedit Victor Garbienſis, à veſtris iamdudùm de Africa ad paucos erraticos miſſus. Quid eſt hoc quod pars veſtra in vrbe Romana Epiſcopum ciuem habere non potuit? Quid eſt, quod toti Afri & peregrini in illa ciuitate ſibi ſucceſſiſſe noſcuntur? non apparet, dolus? non factio, quæ mater eſt Schiſmatis. Intereà Victor Garbienſis, vt hinc prior mitteretur (non dico lapis in fontem: quia nec valuit

F putitatem Catholicæ multitudinis perturbare) ſed quia quibuſdam Afris vrbica placuerat commoratio: & hinc à vobis profecti videbantur, ipſi petierunt, vt aliquis hinc, qui illos colligeret, mitteretur. Miſſus eſt igitur Victor. Erat ibi filius ſine patre, tiro ſine principe, diſcipulus ſine magiſtro, ſequens ſine antecedente, inquilinus ſine domo, hoſpes ſine hoſpitio, Paſtor ſine grege, Epiſcopus ſine populo. Non enim grex populus aut appellandi fuerant pauci, qui inter quadraginta, & quod excurrit, baſilicas, locum vbi colligerent, non habebant. Sic ſpeluncam quandam foris à ciuitate gradibus ſepſerunt, vbi ipſo tempore conuenticulum habere potuiſſent: vnde Montenſes appellati ſunt. Igitur quia Claudianus Luciano, Lucianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius Victori ſucceſſiſſe videntur: ſi Victori diceretur, vbi ſederit, nec ante ſe aliquem illic fuiſſe monſtraret: nec cathedram aliquam, niſi peſtilentiæ oſtenderet. Peſtilentia enim morbis extinctos homines ad inferos mittit. Qui inferi portas ſuas

G habere noſcuntur, contra quas portas, claues ſalutares, accepiſſe legimus Petrum, Principem ſcilicet noſtrum: Cui à Chriſto dictum eſt, *Tibi dabo claues regni Cœlorum, & portæ inferorum non vincent eas.* Vnde eſt ergo, quod claues regni vobis vſurpare contenditis, qui contra cathedram Petri, veſtris præſumptionibus & audaciis, ſacrilegio militatis? Beatitudinem repudiantes, quâ laudari meruit, *Qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* In conſilio impietatis itum eſt à maioribus veſtris, vt diuiderent Eccleſiam. Ierunt etiam peccatorum viam, dùm Chriſtum partiri conati ſunt, cuius Iudæi nec veſtimenta ſcindere voluerunt: cùm Apoſtolus Paulus clamet & dicat: *Nunquid diuiſus eſt Chriſtus?* & vtinam ſi iam malam vitam intrauerant agnito peccato, ſuper ſe reuerterentur, id eſt, emendarent, quod errauerant: reuocarent, quam fugauerant pacem: hoc erat de via reuerti. In via enim ambulatur, non ſtatur: Sed quia parentes veſtri reuerti noluerunt, ipſos conſtat in via

H peccatorum ſteriſſe. Quorum greſſus impulerat furor, retentos ligauit pigra diſcordia: Et ne regredi ad meliora potuiſſent, ipſi ſibi Schiſmatis compedes poſuerunt, vt in errore ſuo pertinaciter ſtarent, ne ad pacem, quam deſeruerant reuerti potuiſſent. Nec audierunt Spiritum ſanctum, dicentem in Pſalmo 303. *Diuerte à malo, & fac bonum: inquire pacem, & ſequere eam:* Sed ſteterunt in via peccatorum ſuorum. Sederunt etiam in Cathedra peſtilentiæ, quæ (vt ſuprà diximus) ſeductos mittit ad mortem. Sed & dum vos parentum errorem colentes, ſtudioſe defenditis, hæredes ſceleris eſſe voluiſtis, cum filij pacis vel ſerò eſſe poſſetis: cum in Ezechiele Propheta ſcriptum ſit, *Extolle vocem tuam ſuper filium peccatoris, ne veſtigia Patris ſui ſequatur. Quoniam anima Patris mea eſt, & anima Filij mea eſt. Anima quæ peccat, ſola punitur.* Si diſplicerent vobis quod parentes veſtri peccauerunt, de admiſſo ſuo ſoli redderent rationem, hoc modo vel vos beati eſſe poſſetis, & laudem de ore Prophetæ percipere, qui ait in Pſalmo primo: *Beatus vir qui* non

Marginal notes (left): *5. Dotes Eccleſiæ Catholicæ.* — Matt. 14. — *Commercium Formatarū. Duæ illæ vocula. Damaſo Siricius, creduntur additæ à* librario, *qui Siricij tempore librum S. Optati exſcripſit Nam S. Optatum nō perueniſſe ad tempora Siricij temeris æquè conſentiunt.* Vide Franciſcum Balduinū in not. & Baronium tō. 4. Annal. anno Chriſti 368 cap. 17 & in annotationibus ad Rom. Martyrologiū 4. Iunij. — Rom. 12. — Matt. 16. — Pſal. 1. — 1. Cor. 1. — Ezec. 18.

A *non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit: sed in lege Domini fuit voluntas eius.*

Quid est aliud in lege habere voluntatem, nisi diuina præcepta & Religiosè discere, & cum timore complere? in qua lege scriptum est, Luc.2. *Pax hominibus in terra bonæ voluntatis.* Et alio loco, Isaiæ 62. *Ponam fundamenta pacis in Sion.* Et alio loco, Psal.84. *Videamus quid loquatur Dominus, Quoniam loquetur pacem in plebem suam.* Et alio loco, Psal.75. *Venit Filius Dei, & factus est in pace locus eius.* Et alio loco, *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.* Et in Euangelio, Ioan.14. *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Et Paulus ait, 2.Cor.9. *Qui pacem serit, pacem & metet.* Et in omnibus Epistolis suis: *Pax vobis abundet in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et alio loco, Psal.33. *Quære pacem & consequeris eam.* Fugata recesserat pax à patribus vestris, vos eam, sicut à Deo mandatum est, non quæritis, quam nec vltrò voluistis quærere, non oblatam libenter accipere. B Quis enim in tot prouinciis, quibus nati estis, audiuit, & si aliquis audiuit, quis non vestrûm miretur errorem? quis non vestrûm facinus damnet? Igitur cum manifestum sit, & ipsâ luce sit clarius, nos cum tot innumerabilibus populis esse, & tot prouinciis nobiscum: iam videtis vos in Parte vnius regionis positos, & ab Ecclesia vestris erroribus esse separatos, frustrà vobis solis hoc nomen Ecclesiæ cum suis dotibus vindicare: quæ magis apud nos sunt, quàm apud vos: quas constat ita sibi connexas & indiuiduas esse, vt intelligatur vna ab altera separari non posse. Etenim numerantur in nomine, sed vno intellectu suo iunguntur in corpore: vt in manu digiti, quos interuallis singulos videmus esse distinctos. Vnde qui timet vnum, totos teneat necesse est, cum vnusquisque à paribus separari non possit. Adde quod non vnam solam, sed omnes propriè possidemus. Igitur de dotibus suprà dictis cathedra est (vt suprà diximus) prima quam probauimus per Petrum nostrum esse, qui ducit ad se Angelum. Nisi forte cum vobis vindicantes, C habetis in loculis clausum. Mittite illum si potestis, excludat septem Angelos, qui sunt apud socios nostros in Asia, ad quorum Ecclesias scribit Apostolus Ioannes: Cum quibus Ecclesiis nullum communionis probamini habere consortium. Vnde vos Angelum, qui apud vos possit fontem mouere, aut inter cæteras dotes Ecclesiæ numerari. Extra septem Ecclesias, quicquid foris est, alienum est: Aut si indè habetis aliquem vnum, per vnum communicatis & cæteris Angelis, & per Angelos memoratis Ecclesiis, & per ipsas Ecclesias nobis. Si ita est, litigium perdidistis. Ecce iam apud vos dotes esse non possunt. Non enim Spiritum Dei solis vobis vindicare potestis, aut includere, quod intelligitur, & non videtur. Ioan.3. Sic enim in Euangelio scriptum est, *Nam spiritus Deus est, & vbi vult spirat, & vocem eius audis, & nescis vnde veniat & quò eat.* Permittite Deum vnde velit ire, & quò velit accedere: habeat libertatem, qui audiri potest, & videri non potest. Et tamen studio criminandi libenter blasphemare voluisti, vt diceres: Nam in illa D Ecclesia quis spiritus esse potest, nisi qui pariat filios gehennæ? Vomuisti de pectore tuo conuitium, & putasti adiungendum esse de Euangelio testimonium, vbi Matt.23. lectum est: *Væ vobis hypocritæ, qui circuitis maria & terras, vt faciatis vnum proselytum, & cum inueneritis, facitis eum filium gehennæ dupliciter, quam vos estis.* Si hoc conuitium faciendum erat, quod non licet: quamuis sine causa fiat, vtinam aliquis ex vestro numero hoc dixisset: Et tamen te hoc dixisse satis admiror, qui falsò in alterum dicere, ex quo, si ordinationem tuam consideres, possis & erubescere.

Commemorasti enim lectum esse in Euangelio, *Væ vobis hypocritæ qui circuitis maria & terras, vt faciatis vnum proselytum,* hoc est, vt mutetis alicuius sectam. Tu quidem cuius sectæ fueris nescio: Tamen importunè à te dictum esse æstimo, quod te iam forte huius dicti pœniteat. Nunquid nos aliquas peragrauimus terras? Nunquid nos aliqua circumiuimus maria? Nunquid nos ad peregrinos accessimus portus? Nunquid nos aliquem E adduximus Hispanum & Gallum? Aut nos ordinauimus ignorantibus peregrinum? Nam & fontem constat vnam esse de dotibus, vnde hæretici non possunt vel ipsi bibere, vel alios potare. Quia solis sigillum integrum (id est symbolum Catholicum) non habentes, ad fontem verum apertè non possunt peruenire. Nam cum in Canticis Canticorum scriptum est, *Sit vmbilicus tuus, vt crater tornatilis:* Cant 7. Vmbilicum altare affirmare conatus es. Si vmbilicus membrum est in corpore, inter dotes esse non potest, quod membrum est. Si ornamentum est, pars corporis non est.

Restat iam vt dotes quinque esse videantur. Quæ dotes, cum sint Ecclesiæ Catholicæ (quæ est in tot prouinciis supra memoratis) etiam apud nos hic in Africa deesse non possunt. Intelligite vel serò, vos esse filios impios, vos esse ramos fractos ab arbore, vos esse abscissos palmites à vite, vos esse riuum concisum à fonte. Non enim potest esse origo riuuli, quia paruus est, & non de se nascitur: aut arbor à ramo concidi, F cum arbor fundata suis radicibus gaudeat, & ramus si fuerit exsectus arescat. Iamne vides frater Parmeniane, iamne sentis, iamne intelligis, te argumentis tuis contra te militasse? Cum probatum est, nos esse in Ecclesia sancta Catholica, apud quos & symbolum Trinitatis est: & per cathedram Petri, quæ nostra est, & cæteras dotes apud nos esse, etiam Sacerdotium, quod in nobis annullare visus es in excusatione erroris & liuoris vestri, dum post nos rebaptizatis: & post socios vestros in peccato detectos, hoc non facitis. Dixisti enim, quod si Sacerdos in peccato sit, solæ possint dotes operari. Igitur, quia docuimus & quid hæresis, & quid sit Schisma, & quid sit Ecclesia, & quid sancta Ecclesia: & huius sanctæ Ecclesiæ est constituta persona, & hanc sanctam esse Catholicam, quæ in toto sit orbe terrarum diffusa: Cuius membra & nos inter alios sumus: Cuius dotes apud illam vbique sunt. Deinde in primo libro probauimus, ad nos non pertinere traditionis inuidiam, & hoc crimen etiam à nobis esse damnatum. Iam illud G mihi volo respondeas, Cur de solis Ecclesiæ dotibus loqui voluisti, & de sanctis eius membris ac visceribus tacuisti? quæ sunt procul dubio in Sacramentis & in nominibus Trinitatis. Cui concurrit fides credentium, & professio, quæ apud acta conficitur Angelorum, vbi miscentur cœlestia & spiritalia semina, vt sancto germine noua possit renascentium indoles procreari: vt dum Trinitas cum fide concordat, qui natus fuerat sæculo, renascatur spiritaliter Deo. Sicut fit hominum pater Deus, Sancta sic fit mater Ecclesia. Hæc omnia intelligo à te ideò non esse nominata, ne in iis omnis ratio baptismatis agnosceretur. Vbi nihil sibi operarius, qui homo est, vindicet: quod vos facitis. Ideoque ad solas dotes te conferre voluisti, quas velut manu apprehensas, aut aquâ conclusas, Catholicis denegans, vobis solis eas frustrà vindicare conatus es. Cum agatur de regeneratione, cum agatur de homine innouando, nulla à te credentium fides, nulla professio nominata est. H Deum vis de solis dotibus loqui, omnia hæc, sine quibus spiritalis illa natiuitas reparari non potest, in silentio remisisti. Et cum dotes ad sponsam, non sponsa ad dotes pertineat: sic ordinasti dotes, quasi ipsæ videantur generare: non viscera, quæ intelliguntur plùs posita in Sacramentis, quam in ordinamentis. Nec illud prætereo, quod ore tuo & sensu nostro Ecclesiam paradisum esse dixisti: quæ res sine dubio vera est. In quo horto Deus plantat arbusculas. Et tamen Deo diuitias suas denegatis, cuius hortum in angustias cogitis, dum vobis solis immeritò omnia vindicatis. Vtique plantationes Dei sunt, diuersa semina per diuersa præcepta. Iusti, continentes, misericordes, & virgines, spiritalia sunt semina: harum rerum arbuscula in paradisum Deus plantat. Concedite Deo, vt hortus eius sit longè lateque diffusus. Quid illi negatis Orientis & Septentrionis, etiam Occidentis prouinciarum omnium, & innumerabilium insularum populos Christianos? Contra quos, vos soli pauci, rebelles estis, & cum

A quibus nullum communionis consortium possidetis. Iam & mendacium vestrum hoc loco iustè damnari potest, quo quotidie à vobis sacrificia condiuntur. Nam quis dubitet, vos illud legitimum in Sacramentorum mysterio præterire non posse? offerre vos Deo dicitis pro Ecclesia, quæ vna est: hoc ipsum mendacij pars est, vnam te vocare, de qua feceris duas. Et offerre vos dicitis pro vna Ecclesia, quæ sit in toto terrarum orbe diffusa. Quid si vnicuique vestrûm dicat Deus, *Quid offers pro tota, qui non es in tota?* Si nos vobis displicemus, quid vobis fecit Antiochia ciuitas? quid Arabia prouincia? Vnde probamus venientes, à vobis esse rebaptizatos. In vno tibi solo, Parmeniane frater, ingrati esse non possumus, quod Ecclesiam nostram, id est Catholicam, quæ continetur toto orbe terrarum, quamuis ab ea sis alienus, laudare voluisti, numerando dotes: In quarum tamen numero errasti, & in dicendo, quia ipsa est *hortus conclusus, & fons signatus, & vnica sponsa.*

B Hoc nos de nostro dicimus. Nam tu de alieno locutus es. Quicquid de laudibus Ecclesiæ dicere potuisti, nos priores eadem loquimur. Traditores vobiscum & ipsi damnamus, eos videlicet, quos si memineris, in primo libro demonstrauimus: & cum sit nobis cum vniuerso orbe communio, & cum vniuersis prouinciis nobiscum sic iamdudùm duas Ecclesias comparare voluisti, quasi sola habeat Africa Christianos, in qua vitio vestro duæ videntur partes effectæ. Et dùm immemor factus es Christi, dicentis, *Vnam esse sponsam suam:* Tu in Africa non dixisti duas esse partes, sed duas Ecclesias. Certè vna est, quæ voce Christi meruit indicari, qui ait: *Vna est columba, vna est sponsa mea.* Et tu huius vocis oblitus, ad inuidiam Catholicis faciendam, his locutus es verbis, *Neque enim Ecclesia dici potest quæ cruentis morsibus pascitur, & sanctorum sanguine & carnibus opimatur.* Certa membra sua habet Ecclesia, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, ministros, & turbam fidelium. Dicite cui generi hominum in Ecclesia nostra

Cant. 3.

Ecclesiæ membra varia.

C hoc possit ascribi, quod obiicere voluisti? Specialiter nomina aliquem ministrum, ostende aliquem Diaconum nomine suo. Indica hoc ab aliquo factum esse Presbytero. Proba hoc Episcopos admisisse. Doce aliquem nostrûm cuiquam insidiatum esse. Quis nostrûm quemquam persecutus est? quem à nobis persecutum esse, aut dicere poteris aut probare? Sed quia tibi vnitas displicet: Hoc si crimen putas, argue nos Thessalonicensibus, Corinthiis, Galatis, septem Ecclesiis quæ sunt in Asia communicasse. Si nefas tibi videtur, aut si reatum putas memoriis Apostolorum & Sanctorum omnium communicasse: hoc nos fecisse, non solùm negamus, sed etiam gloriamur. Sed vt ostendam, partem vestram (vt dixisti) cruentis morsibus pastam, Christianorum sanguine opimatam: à principio suo vester rabidus commemorandus est furor: iam vestra retexenda impietas, iam stultitia demonstranda. In quo priùs est ostendere, erubescendam lætitiam vestram, & gau-

D dia criminosa, quod vobis à pristini erroris libertate redíisse contigerit. Recensete tempora, discutite rationes rerum, dissimilia vota, & personas diuersas attendite. Redeat in memoriam Constantinus Imperator Christianus: quem famulatum exhibuerit Deo, quæ habuerit vota, vt remotis schismatibus, intermortuâ omni dissensione, sub toto Cœlo filios suos gaudens, in vno videret sancta mater Ecclesia. Reddiderat vnam communionem, maritis vxores, parentibus filios, fratribus fratres. Quibus rebus Deus se lætari testatur, dum dicit: *Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Etenim cum Africanos populos & Orientales, & cæteros transmarinos pax vna coniungeret, & ipsa vnitas, repræsentatis omnibus membris corpus Ecclesiæ coagularet: dolebat hoc diabolus qui semper de fratrum pace torquetur. Illo tempore sub Imperatore Christiano, desertus in idolis, tanquàm inclusus, latebat in templis. Hoc eodem tempore, duces & principes vestros merita relegauerant sua. In Ecclesia nulla fuerant schismata, nec paganis licebat exercere sacra sacrilega:

Ps. 132.

E Pax Deo placita apud omnes Christianos populos habitabat: diabolus mœrebat in templis, vos in regionibus alienis.

Deinde alter vt omnibus notum est, secutus Imperator, vobiscum vota sinistra concipiens, ex famulo Dei factus est minister inimici, Apostatam se edictis suis testatus est. Quem precibus rogastis, vt reuerti possetis. Quas preces, si vos negatis misisse, nos legimus. Nec difficultatem præbuit, quem rogastis, ire præcepit pro voto suo, quos intellexerat ad disturbandam pacem cum furore esse venturos. Erubescite, si vllus est pudor. Eâdem voce vobis libertas est reddita, quâ voce idolorum patefieri iussa sunt templa. Eisdem penè momentis vester furor in Africam reuertitur, quibus diabolus de suis carceribus relaxatur. Et non erubescitis, qui vno tempore cum inimico communia gaudia possidetis? Venistis rabidi, venistis irati, membra laniantes Ecclesiæ: subtiles in seductionibus, in cædibus immanes, filios pacis ad bella

Intelligit S. Optatus de Iuliano Apostata, ad quem misisse legationem Donatistas pro sua causa cõstat ex S. Augustino lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 97. & epist. 66. ad Donatistas.

F prouocantes. De sedibus suis multos fecistis extorres, cum conductâ manu venientes, basilicas inuasistis, multi ex numero vestro per loca plurima (quæ sub nominibus dicere longum est) cruentas operati sunt cædes, & tam atroces, vt de talibus factis, ab illius temporis iudicibus relatio mitteretur. Sed interuenit & occurrit iudicium Dei, vt ille qui vos iamdudùm redire iusserat, Imperator profanus & sacrilegus, moreretur: qui persecutionem, vobis prouocantibus, iam miserat aut mittere disponebat. Operata est apud loca supradicta in Catholicos trucidatio. Memoramini per loca singula, qui fuerint vestri discursus. Nónne de numero vestro fuerunt Fœlix Diabensis, Ianuarius Flamen Pistensis, & cæteri qui tota celeritate cucurrerunt ad castellum Lemellense: vbi cum contra importunitatem suam viderent basilicam clausam, præsentes iusserunt comites suos, vt ascenderent culmina, nudarent tecta, iactarent tegulas, imperia eorum sine mora completa sunt: & cum altare defenderent Diaconi Catholici, tegulis plurimi cruentati

G sunt, duo occisi sunt, Primus filius Ianuarij, & Donatus filius Nini, vrgentibus & præsentibus Coëpiscopis vestris suprà memoratis: vt sine dubio de vobis dictum sit, *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.* De qua re Primosus Episcopus Catholicus loci suprà memorati, in concilio vestro apud Rheuestinam ciuitatem questus est, & querelas eius dissimulanter audistis. Ecce à vobis factum est, quod dixistis, Ecclesiam non esse, quæ cruentis morsibus pascitur: & aliud sunt milites missi, aliud Episcopi ordinati. Quod contra nos inuidiosè loquimini, ab aliis factum est, non à nobis. Quod dicitis non debuisse fieri, vos fecistis. Commemorastis & B. Apostolum Paulum dixisse, *Sine ruga & sine sorde Ecclesiam esse debere.* Episcopis vestris iubentibus & præsentibus, super altare Catholici Diaconi occisi sunt. Similiter & apud Carpos non tibi videntur inexpiabiles sordes: In Mauritaniæ ciuitatibus, vobis instantibus, quassatio po-

Isa. 13. Rom. 13.

Primosus Episcopus.

H puli facta est. Mortui sunt in vteris matrum, qui fuerant nascituri. Non tibi videtur ruga, quæ non possit vllis satisfactionibus tendi aut explanari? Quid tale à nobis admissum est? nos expectamus vindicem Deum. Et inuidiam facitis Macario, qui si aliquid asperè pro vnitate, leue videri poterit: dum vos pro dissensione tanta mala, acerba, cruenta & hostilia feceritis. Quid commemorem Thipasam Cæsariensis Mauritaniæ ciuitatem? Ad quam de Numidia Vrbanus Formensis, & Fœlix Idicrensis, duæ faculæ incensæ liuoribus, cucurrerunt: qui & eorum in pace positorum animos perturbantes, nonnullorum officialium & fauore & furore iuuante, & Athenio præside præsente cum signis, Catholicâ frequentiâ exturbatâ & cruentatâ, de sedibus suis expulsa est: lacerati sunt viri, tractatæ sunt matronæ, infantes necati, abacti sunt partus. Ecce vestra Ecclesia, Episcopis ducibus, cruentis morsibus pasta est. Post hoc etiam aliud addidisti, *Quantum vult consumat edacitas vulturum, tamen maior est numerus columbarum.* Vbi est, quod vulgò dicitur. *Memoriam custodem habere oportet mendacem?* Oblitus es quod paulò antè dixisti, Ecclesiam vnam

A columbam Christi in Canticis Canticorum dictam. Si vna est apud vos Ecclesia, vna est columba: Quid est, quod dicere voluisti, *Numerus maior est columbarum?* Et quod vobis leue videtur, facinus immane commissum est. Vt omnia sacrosancta supra memorati vestri Episcopi violarent, iusserunt Eucharistiam canibus fundi: non signo diuini iudicij. Nam iidem canes accensi rabie, ipsos Dominos suos, quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos & inimicos laniauerunt. Ampullam quoque Chrismatis per fenestram, vt frangerent, iactauerunt. Et cum casum adiuuaret adiectio, non defuit manus Angelica, quæ ampullam spiritali subiectione deduceret, proiecta casum sentire non potuit, & Deo muniente, illæsa inter saxa consedit. Et possent ista non fieri, si mandata Christi in memoria haberetis, qui ait, *Ne dederitis sanctum canibus, neque miseritis margaritas ante porcos ne conculcent pedibus suis eas, & conuersi elidant vos.* Quid tale ab operariis vnitatis fieri potuit? vnde nobis Catholicis vanam inuidiam facere laboratis.

Cant.4.

Matt.7.

B Inde reuertentes Vrbanus Formensis & Fœlix Idicrensis, inuenerunt matres, quas de castimonialibus fecerunt mulieres. Ecce quales, frater Parmeniane, Episcopos celas: & cum pro tuis erubescere debueras, Catholicos innocentes accusas. Intereà supramemoratus Fœlix, inter crimina sua & facinora nefanda, ab eo compressam puellam cui mitram ipse imposuerat, à qua paulò antè pater vocabatur, nefariè incestare minimè dubitauit. Et quasi de peccato sanctior fieret, indè velociter properauit. Sic Donatum annorum septuaginta Episcopum, hominem innocentem spoliare ausus est Episcopali nomine & officio & honore. Venit schismaticus ad Catholicum, ad innocentem reus, ad Dei Sacerdotem sacrilegus, incestus ad castum, ad Episcopum iam non Episcopus: sed de placito & de coniuratione vestra securus, vestris legibus & decretis armatus: manus, quas paulò antè peccata grauauerant, capiti innocentis iniecit: & de illa lingua ausus est ferre sententiam, quæ iam nec ad pœnitentiam agendam vel idonea videbatur.

De castimonialibus factæ mulieres.

Fœlicis Episcopi Donati sic flagitia.

C Ecce, quales, frater Parmeniane defendis: Ecce, pro qualibus iamdudùm dotes operari dixisti. Etiam vos ipsi, qui sancti & innocentes videri ab hominibus vultis, dicite, vnde est ista sanctitas quam vobis licentiùs vsurpatis? quam Ioannes Apostolus profiteri non audet, qui ait, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.* Hoc qui dixit, sapienter se ad Dei gratiam reseruauit. Est enim Christiani hominis, quod bonum est, velle: & in Deo, quod bene voluerit, currere: sed homini non est datum, perficere: vt post spatia, quæ debet homo implere, restet aliquid Deo, vbi deficienti succurrat: quia ipse solus est perfectio, & perfectus solus Dei filius Christus. Cæteri omnes semiperfecti sumus. Quia nostrum est velle, nostrum est currere: Dei perficere. Vnde beatus Apostolus Paulus ait: *Neque volentis, neque currentis, sed ad Dei gratiam pertinentis.* Nam & à Christo Saluatore nostro, perfecta sanctitas non est data sed promissa. Denique sic ait, *Sancti eritis, quia & ego sanctus sum.* Solus est sanctus & perfectus.

1.Ioan.1.

Rom.9.

D Denique non dixit, *sancti estis: sed sancti eritis,* dixit. Vnde est ergo quod vobis perfectam sanctitatem de superbia vindicatis? nisi vt appareat, quia vos ipsos decipitis, & veritas in vobis non est. Ioannis socij esse noluistis. Cum enim seducitis aliquos, promittitis, vos indulgentiam peccatorum esse daturos: & cum vultis donare peccata, vestram profitemini innocentiam, & remissionem peccatorum sic datis, quasi nullum habeatis ipsi peccatum. Non est ita præsumptio, sed deceptio: nec veritas, sed mendacium. Etenim inter vicina momenta, dum manus imponitis & delicta donatis, mox ad altare conuersi, dominicam Orationem prætermittere non potestis. Et vtique dicitis: *Pater noster, qui es in Cœlis, dimitte nobis debita & peccata nostra.* Quid vocaris, dum peccata confiteris tua? Si sanctus es, cur dimittis aliena? hoc modo & vos ipsos decipitis, & veritas in vobis non est. Sed vt apparet, hoc vobis dictat nutrix vestra superbia: quam Christus in Euangelio testificatur: qui

Leuit.11. & 9.
1.Petr.1.

Matt.6.
Luc.11.

E & si nomina vestra non dixit, per similitudinem tamen vestros mores ostendit. Sic enim scriptum est: *Dicebat* IESVS *hanc similitudinem, propter eos qui se sanctos putant, & contemnunt cæteros.* Hoc de vobis dictum esse, ipsa res euidenter ostendit: dum vos quasi sanctos extollitis, & nos manifestè aperteque contemnitis. *Duo* (inquit) *ascenderunt in templum adorare, vnus Pharisæus, & alter Publicanus.* Pharisæus tumidus, superbus, inflatus, talis quales & vos videmus. Non humiliato corpore, non inclinatâ ceruice: sed erectâ facie, & tumenti pectore, *Gratias tibi* (inquit) *Deus, quia nihil peccaui.* Hoc est dicere Deo, *non habeo, quod ignoscas.* O insanus furor, ô punienda & damnanda superbia! Deus paratus est ignoscere, & reus festinat indulgentiam recusare. Publicanus humilis, hominem se esse cognoscens, sic rogauit, dicens, *Propitius esto mihi peccatori:* Sic iustificari meruit. Sic superbia in Pharisæo magistro vestro, de templo damnata descendit. Meliora inuenta sunt peccata cum humilitate, quàm innocentia cum superbia.

Luc.18.

F Deinde cum vobis traditionis & Schismatis grauia peccata non desint, insuper & superbos esse gratulamini. Nunc quoniam erubescenda gaudia vestra probauimus, & furor vester tot locis ostensus est: restat de profunda impietate vestra aliquid dicere. Nam omnia quæ à vobis aut facta sunt, aut dicta, quis poterit explicare? Sic cuncta malignitate quâdam ordinasse vos constat, vt in vna specie operis, species alias impleretis: vt dum Presbyter aut Episcopus deiicitur, sic populus caperetur. Quomodo posset turba hominum stare, quæ rectorem suum elisum esse conspiceret? Non aliter, quàm quocumque casu, pastore occiso, lupi grassantur. Exorcizastis & lauistis sine causa parietes: vt hoc nequitiæ genere subrueretis simplicissimorum hominum mentes. Talibus consiliis vestris, nonnullorum animi iugulati sunt. Et sub nube simplicitatis, obcæcato lumine, vt miseros sterneretis, sagittas de pharetra pectoris vestri, seductionibus præmisistis: vt de vobis Spiritus sanctus per Dauid Prophetam in Psalmo 10. prædixerit, *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum: parauerunt sagittas in pharetra, ad sagittandos in obscuro rectos corde.*

G Quid à vobis minùs factum est? Vestris consiliis sagittati sunt innocentes, exarmati fideles, honore nominis sui spoliati sunt Sacerdotes. O impietas inaudita, quem iugulaueris, inter pœnitentiam & tormenta seruare! In comparatione operis vestri, latronum leuior videtur immanitas. Vos viuum facitis homicidium: latro iugulans dat de morte compendium. Paupertate sensus sui circumuenti sunt, quos decipere potuistis. Perfecti enim fuerant illi, opere scilicet Dei, qui in eius nomine fuerant ordinati. Et vos contra opus Dei hostiliter militatis, diuinum opus malitiæ vectibus destruentes. Apparet ergo de vobis dictum esse in decimo Psalmo. *Quoniam quæ tu perfecisti, ipsi destruxerunt.* Fecit vos superbos impietas vestra: sed accusat vos prospiciens de Cœlo iustitia. Et iniqua vos gerentes error hominum laudat, vt de vobis, in nono Psalmo dixerit Spiritus sanctus, *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ: & qui iniqua egerit, benedicetur.*

Psal.10.

Compendium de morte.

Donatistarum facinora.

H Quid iniquius, quam exorcizare Spiritum sanctum? altaria frangere? Eucharistiam animalibus proiicere? Et vt in errorem vos vester populus mittat, laudando fœlices appellant: & bene nominant, & per vos iurant, & personas vestras iam pro Deo habere noscuntur. Solet Deus ad probandam fidem, in iuratione ab hominibus nominari. Sed cum per vos iuratur, iam apud vestros de Deo & Christo silentium est. Si ad vos diuina migrauit de Cœlo Religio, quia per vos iuratur: nemo vestrorum langueat: nolite mori: imperate nubibus pluite, si potestis: vt per vos pleniùs iuretur, & de Deo sileatur. Nam & prioribus sæculis, vt templa fabricarentur, & idola fierent, quid vestro populo diabolus potuit ampliùs facere? Nil aliud, nisi vt de Deo taceretur, dum per errorem homines de solo diabolo loquebantur. O sacrilegium impietati commixtum, dum homines per vos iurantes libenter auditis, & vocem Dei auribus non admittitis vestris! Qui in centesimo quarto Psalmo sic ait,

Ne

A *Ne tetigeritis vnctos meos, neque in Prophetas meos manum miseritis.* Vnctos autem esse & Reges & Sacerdotes, & libri regnorum indicant, Et Dauid in Psalmo 132. sic ait, *Sicut vnguentum quod descendit in barbam Aaron.* Et tamen vos contra easdem vires conati estis praecepta contemnere: quibus, qui Dominum timent, mandata conantur implere. Docete, vbi vobis mandatum est radere capita Sacerdotum, cùm econtrario sint tot exempla proposita, fieri non debere. Saul antequam peccaret, vngi meruit: post vnctionem non leuiter offendit. Hoc Deus cum videret, propter oleum non tangendum, volens exemplum proponere, poenitentiam suam professus
3.Reg.5. est. Sic enim legitur dixisse Dominum, *Poenitet me vnxisse Saul in Regem.* Et vtique potuit Deus, oleum quod dederat auferre. Sed cum voluit docere non debere contingi oleum etiam in peccatore, ipse qui dederat, poenitentiam gessit. Igitur Deus, si vt te doceret, quod dedit auferre non potuit, per quod noluit: tu quis es, qui auferas quod non dedisti? & qui parare debebas aures ad
B audiendum, parasti nouaculam ad delinquendum. Et cum possetis esse filij Dei, filij hominum esse voluistis: & ad infigendum morsum honoribus alienis, dentes vestros in sagittas & arma vertistis: linguas acuistis in gladio.
Psal.56. Implestis quod de vobis in Psalmo 56. scriptum est, *Filij hominum dentes eorum arma & sagittae, & lingua eorum gladius acutus.* Ergo linguas vestras acuistis in gladios, quas mouistis in mortes, non corporum, sed honorum. Iugulastis non membra, sed nomina. Quid prodest, quia viuunt homines, & occisi sunt honores à vobis? valent quidem membris, sed erepta portant funera dignitatis. Extendistis enim manum, & super omne caput mortifera velamina praetendistis: vt cum sint (sicut suprà dixi) quatuor genera capitum in Ecclesia, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & fidelium: nec vni parcere voluistis: euertistis animas hominum. Hos actus vestros
Ezec.13. dolet Deus, in Ezechiele Propheta cum dicit: *Vae facientibus velamen*, hoc est, imponentibus manum super omnem aetatem ad euertendas animas. Inuenistis pueros:
C de poenitentia sanciastis, ne aliqui ordinari potuissent. Agnoscite vos animas euertisse. Inuenistis fideles antiquos, fecistis poenitentes. Agnoscite vos animas euertisse. Inuenistis Diaconos, Presbyteros, Episcopos: fecistis Laicos. Agnoscite vos animas euertisse. Socius & comes vester iamdudùm fuerat, cui nunc manus inferre conatus es, pariter currebatis: fac illum peccasse, cum peccatum non esse constet. Iacebat vt aestimas: si
Rom.14. Apostolum legisti, tu vide cui stes, & ille cui iaceat: Si seruus es, Dominum recognosce, & intellige, quia non tibi iacebat, qui tecum paulò antè currebat. Quid in potestatem alienam irruis? Quid temerarius Dei tribunal ascendis? Et cum ipse sis reus, in alterum audes ferre sententiam? Et legisti, *Qui stat, Domino stat suo: Et qui iacet, Domino suo iacet. Potens est autem Dominus eius suscitare eum. Tu quis es, qui de seruo alieno iudices?* Oleum Sacerdoti à Deo collatum, non debuisse vos tangere, à puero Dei Dauid discere debuistis, qui sic per
D Samuel vngitur, vt Sauli quod iamdudùm datum fuerat, minimè tolleretur. Denique vel cum Deo iubente vel euentu procurante, vna eos spelunca concluderet, venerat in potestatem pueri Dauid, Saul qui peccauerat videtur non videns, ideò quod à maiori lumine (vt fieri assolet) in caligine clausi aëris, alterum iuxta se videre non potuit. Innumerabiles antiquum Regem sequebantur exercitus: sed ipse rex in potestatem venerat alie-
1.Reg.24. nam. Occasionem victoriae Dauid habebat in manibus: incautum & securum aduersarium, sine labore poterat iugulare: & sine sanguine & conflictu multorum, poterat bellum mutare in caedem. Et pueri eius, & occasio suadebant: Ad victoriam opportunitas hortabatur. Stringere iam coeperat ferrum: ite iam coeperat armata manus hostiles in iugulos. Sed obstabat plena diuinorum memoria mandatorum: hortantibus se pueris & occasionibus contradicit, tanquàm & hoc diceret: *Sine causa me victoria prouocas, frustra me occasio in triumphos inuitas.* Volebam hostem vincere: sed priùs est diuina

praecepta seruare. *Non*, inquit, *mittam manus in vnctum* E
Domini. Repressit cum gladio manum: & dum timuit 3.Reg 1.
oleum, seruauit inimicum. Et cum compleret obseruantiam, vindicauit occisum. Vos nec Deum timetis, nec fratres agnoscitis: in corde liuoris acuistis nouaculas linguae: & diuina praecepta calcantes, miserorum properastis in capita, vt in captiuitatem caecos & imperitos populos, iugulatis ducibus, traheretis. Esuritis honores innocentium Sacerdotum. Vnde furori vestro tanta fames innata est, vt guttura vestra sepulchra patentia feceritis. Vnicuique sepulchro sufficit vnum funus, & clauditur: gutturi vestro honorum funera minimè sufficiunt, & adhuc patent, dum aliquos quaeritis Psal.5. & 13. Rom.3.
deuorare. Vt meritò de vobis dictum sit: *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Nam & de maledictione praesumitis, cum scriptum sit, *Benedicite & nolite maledicere.* Rom.12.
Quisquis contra vestram voluntatem aliquid fecerit, intentatis terrores, maledicta praetenditis. Et quia aliqui homines, plus mali mereri possunt, quam boni: quicquid iudicium Dei aut peccati meritum fecerit, amaris F
vestris maledictionibus vindicatis: meritò, quia de vobis dictum est, *Os eorum maledictione, & amaritudine plenum est.* Psal.9. & 13. Gloriamini, quod vobis maledicentibus, aliqui homines mori potuerunt. Certè non licet occidere. An ideò vos putatis innocentes, quia ferro vsi non estis? Innocentem se & venenarius iudicet, si in solo ferro est homicidium. Non sibi videatur reus, qui alterum subducto cibo necauerit. Innocentem se iudicet, qui spirandi prohibitâ facultate, suffocauerit viuere cupientem. Necis multa sunt genera, sed vnum nomen est mortis. Maledictionibus tuis cum fiducia, hominem mortuum protestaris. Quid interest an gladio ferias, an lingua percutias? indubitanter homicida es, si per te mortuus fuerit qui viuebat: Quisquis talis ex vobis est, frustra se Christianum aut Sacerdotem Dei profitetur, qui leuitatem
Dei non curat, cum scriptum sit, *Deus mortem non fecit,* Sap.1.
nec laetatur in perditione iustorum. Credo vos obliuisci non posse, quid per loca aliqua feceritis, cum eos qui legem Dei praedicabant, id est, Prophetas, velletis occide- G
re contra iussionem Dei dicentis, *Et in Prophetas meos ma-* 1.Par.16.
num ne miseritis. Deuterium, Partenium, Donatum, & Ge- Ps.104.
tulicum, Dei Episcopos, linguae gladio iugulastis, fundentes sanguinem non corporis, sed honoris. Vixerunt posteà homines, sed à vobis occisi sunt in honoribus Dei Sacerdotes. Multis notum est & probatum, persecutionis tempore Episcopos aliquos, inertiâ à confessione Dei delapsos thurificasse, & tamen nullus eorum qui euaserunt, aut manum lapsis imposuit, aut vt genua figerent, imperauit. Et facitis vos hodiè post vnitatem quod à nullo factum est post thurificationem: quia scriptum est, *Ne tetigeritis vnctos meos, neque in Prophetas meos manum miseritis.* Oleum suum defendit Deus: quia si peccatum est hominis, vnctio est tamen Diuinitas. *Ne tetigeritis* (inquit) *vnctos meos*: Ideò, ne dum peccatum hominis percutitur, & oleum, quod Dei est, feriatur. Iudicio suo Deus seruauit rem suam, & tamen vos passim irruistis
in alienam, corrumpentes omnium foelicitatem. Nam quae H
maior infelicitas, quam Dei sacerdotes viuere, nec esse quod fuerant? matronae, pueri simul & virgines à vobis coactae, nullo interueniente peccato, saluâ innocentiâ & pudicitiâ, vobis docentibus poenitentiam gerere didicerunt. Nunquid minor est infoelicitas? contritas sexu
vexastis aetates? Verè de vobis dictum est, *Contritio &* Psal.13
infoelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: Non est timor Dei ante oculos eorum. Indixistis poenitentiam plebibus. Nec enim acta est ab aliquo, sed à vobis exacta: nec aequalibus spatiis temporum, sed egistis omnia pro personis, alter anno toto, alter mense, alter vix totâ die imperantibus vobis poenitentiam gessit. Si vnitati non consentire (vt vultis) peccatum est, si est similis culpa: quare non est aequalis pro eodem reatu poenitentia? Dubium non est, esse vocatum populum credentium, Israël, id est, qui mente Deum videat, & tamen has plebes coëgistis flectere & inclinare ceruices, & serie capitum iunctâ, massam poenitentium facere. Has plebes

A Ezech. 13. dolet Deus per Ezechielem, dicens, *Væ filiabus Israël, quæ sarciunt ceruicalia, vt supponant sub cubito & sub manu.* Vtique sub cubito & sub manibus vestris, cum super earum capita velamina pœnitentiæ tenditis. Quæ impietas vestra & furor ostensus est, & superbia demonstrata, etiam stultitia fuerat reuelanda: sed hanc in sexto libro demonstrabo.

S. OPTATI EPISCOPI MILEVIT. *contra Parmenianum.*

LIBER TERTIUS.

SAtis, vt arbitror, in secundo libello de Ecclesia quæ sponsa est Christi, & de eius dotibus, & de hæreditate diximus Saluatoris. Consequens est primò, schismaticorum errores ostendere. Deinde, quæ fuerit causa, vt B vnitas fieret. Tertiò, quæ fuerit, vt miles mitteretur armatus. Ab operariis vnitatis multa quidem asperè Ezech. 18. gesta sunt, sed ea ad quid imputatis Leontio, Macario, vel Taurino? imputate maioribus vestris: qui (sicut in Propheta scriptum est) vt vobis stupescerent dentes, ipsi vuas acidas comederunt: Illis primo, qui populum Dei diuiserunt, & basilicas fecerunt non necessarias. Deinde Donato Carthaginis, qui prouocauit, vt vnitas proximo tempore fieri tentaretur. Tertio Donato Bagaiensi, qui insanam collegerat multitudinem, à qua ne Macarius violentiam pateretur, ad se, & ad ea quæ ferebat, tutanda, armati militis postulauit auxilium. Venerunt tunc cum pharetris armigeri, repleta est vnaquæque ciuitas vociferantium: nuntiatâ vnitate fugistis omnes. Nulli dictum est, *nega Deum*, Nulli dictum est, *incende testamentum*: Nulli dictum est, *aut thus pone*, aut *Basilicas dirue.* Istæ enim res solent martyria generare. C Renuntiata est vnitas sola: fuerant hortamenta, vt Deus & Christus, à populo in vnum conueniente pariter rogaretur. Nullus erat primitùs terror. Nemo viderat virgam: nemo custodiam: sola (vt suprà diximus) fuerant horta-Psal. 13. & 52. menta. Timuistis omnes, fugistis, trepidastis: vt pro certo de vobis dictum sit, quod in Psalmo scriptum est, *Trepidauerunt vbi non erat timor.* Fugerunt igitur omnes Episcopi cum Clericis suis, aliqui sunt mortui, Qui fortiores fuerunt, capti longè relegati sunt. Et tamen horum omnium nihil actum est cum voto nostro: nihil cum consilio, nihil cum conscientia, nihil cum opere. Sed gesta sunt omnia in dolore Dei, amarè plorantis & in vltionem aquæ quam contra interdictum iterùm mouistis traducentes ad vos aquam antiquæ piscinæ: sed nescio an cum illo pisce, qui Christus intel-Tob. 6. ligitur: qui in lectione Patriarchæ legitur in Tigride flu-Tob. 11 mine prehensus cuius fel & iecur tulit Tobias ad tutelam fœminæ Saræ, & ad illuminationem Tobiæ non videntis: Eiusdem piscis visceribus Hasmodæus dæmon à Sara puella fugatus est (quæ intelligitur Ecclesia) & cæcitas à Tobia exclusa est. Hic est piscis, qui in baptisma-D te per inuocationem, fontalibus vndis inseritur, vt quæ aqua fuerat, à pisce etiam piscina vocitetur. Cuius piscis nomen secundum appellationem Græcam, in vno nomine per singulas literas turbam sanctorum nominum continet: ἰχθύς, quod est Latinè IESVS CHRISTVS DEI FILIVS SALVATOR. Hanc vos piscinam, quæ in omni Catholica per totum orbem terrarum ad vitam generis humani salutaribus vndis exuberat: traduxistis ad voluntatem vestram & soluistis singulare baptisma, quo baptismate homines muri facti sunt ad tutelam: & fecistis quasi alteros muros, nullum nouum ædificium facientes: non potuistis construere, nis dirueretis. Et quale Isaiæ 22. potest esse ædificium, quod de ruina construitur? Hanc tem per Isaiam Prophetam Deus dolet, cum dicit filiam sui generis esse contritam, genus Dei est, non habere genus, qui ex se est & manet in æternitate. Similis est & aqua quam legimus: in cuius aquæ iniuria, indicat Deus lachrymas suas quas vos fecistis: quas testatur nullâ pos-Ibid. se consolatione siccari, cum ad vos loquitur, dicens, *Missum me facite, amarè plorabo. Nemo poterit consolari* E *in contritione filiæ generis mei.* Hoc loco defenditur innocentia nostra, cum Deus cum dolore iracundiam vobis indicat suam: dum & causas prodit, & rationes ostendit. Denique non ait, in Sion, sed in vna eius valle sunt celebrata: Non in illo monte Sion, quem in Syria Palæstina à muris Ierusalem paruus disterminat riuus, in cuius vertice est magna planities, in qua fuerant septem Synagogæ, vbi iudæorum populus conueniens, legem per Moysen datam discere potuisset: vbi nulla lis audita est, nec ab aliquo celebratum iudicium, nec aliqua est illic ab vllo iudice lata sententia: quia locus erat doctrinæ, non controuersiæ. Post doctrinam, si quid agendum erat, intra muros Ierusalem agebatur. Inde scriptum est in Isaia Propheta, *Ex Sion exibit lex, & verbum Do-* Isai 2. Mich. 4. *mini de Ierusalem.* Non ergo in illo monte Sion Isaias aspicit vallem, sed in monte sancto, qui est Ecclesia; qui per omnem orbem Romanum, caput tulit sub toto cœlo. In quo monte à Deo patre filius Dei regem se F constitutum esse gratulatur in Psalmo secundo dicens. Psalm. 2. *Quoniam regem constituit me super Sion, montem sanctum suum:* Vtique super Ecclesiam, cuius rex & sponsus & caput est. Non in illo monte, vbi non illæ sunt portæ quas diligit Deus, sed in monte Ecclesiæ, qui Sion spiritaliter appellatur, cuius Ecclesiæ portas introeunt innocentes, iusti, misericordes, continentes, & virgines. Quas portas commemorat Spiritus sanctus in Psalm. 85. Psal. 85 dum dicit, *Fundamenta eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion.* Non illius corporalis montis, vbi iam nullæ sunt portæ: & post victorias Vespasiani Imp. vix antiquarum restant indicia ruinarum. Est ergo spiritalis Sion Ecclesia, in qua à Deo patre rex constitutus est Christus: quæ est in toto orbe terrarum: in quo est vna Ecclesia Catholica. Nam Sion Ecclesiam esse & alio loco sanctissimus Dauid Propheta testatur, dicens: *Lau-* Ps. 147. *da Deum tuum Sion, quoniam confortauit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te.* Per singulas prouincias totius orbis, valles singulas intelligimus montis: & G Deum non in toto monte videt Isaias, sed in vna valle, hoc est in sola Africa. In qua sola cum sufficerent templa Dei quæ fuerunt, alia facere voluerunt principes vestri, in qua sola deiecti sunt muri vt fierent muri: & aqua sanctæ piscinæ transuersa est, & nouitas contra antiquitatem à vobis instituta est. Hoc totum Deus in vallem montis Sion & interrogat & increpat, dicens: *Vt quid hoc factum est vobis? ideò, quoniam descendistis in tecta superuacanea, vnaquaque ciuitas repleta est vociferantium. Vulnerati in te non vulnerati gladio: & mortui in te, non mortui in bello: in errore sunt à minimo vsque ad maxi-* Isai. 22 *mum. Errantes in montibus omnes principes tui, in fugam conuersi sunt: Et qui capti sunt, grauiter alligati, & fortiores tui longe fugati sunt. Missum me facite, amarè plorabo. Nemo poterit consolari in contritione filiæ generis mei. Et ascendent Elamitæ cum pharetris:* Elamitę Latinâ lingua dicuntur chori castrorum: & secutus est dicens, *Penetra-* H *lia vestra deferentur ad publicum, & secreta domus Israël nudabuntur.* Hoc in Africa factum est, & totum hoc quare factum est, indicauit Deus, dum vobis imputat dicens: *quoniam conuertistis aquam antiquæ piscinæ ad ciuitatem vestram, & deiecistis muros Ierusalem, vt faceretis alteram munitionem, & constituistis aquam inter duas munitiones: & ad piscinam antiquam attendere noluistis, nec ad eum qui ab initio creauit illam.* Iam vides, frater Parmeniane, ad vos redundare omnia, à quorum principibus, harum rerum omnium seminata est causa. Deinde ad Donatum Carthaginensem, cuius veneficio videtur vnitatis negotium esse commotum. In quo ostendam operarios eius non pro voluntate nostra, nec suâ malitia aliquid fecisse, sed prouocantibus atque impellentibus causis, quas donatus Carthaginensis leuitate suâ constituit, dum magnum se videri contendit. Quem enim latet præter te, quia peregrinus es, & potuerunt tibi falsa narrari: aut quis negare potest rem, cui tota Carthago principaliter testis est, Imperatorem Constantem Paulum & Macarium primitùs non ad faciendam vnitatem

misisse

A misisse, sed cum eleemosynis: quibus subleuata per Ecclesias singulas possit paupertas respirare, vestiti, pasci, gaudere? Qui cum ad Donatum, patrem tuum venirent, & quare venerant, indicarent: ille solito furore succensus, in hæc verba prorupit: *Quid est Imperatori cum Ecclesia?* & de fonte leuitatis suæ, multa maledicta effudit: non minùs quam in Gregorium aliquando, ad quem sic scribere minimè dubitauit: *Gregorij macula Senatus, & dedecus præfectorum,* & cætera talia: cui Donato Præfectus patientiâ Episcopali rescripsit. Harum epistolarum exemplaria multorum ore vbique cantantur. Iam tunc meditabatur contra præcepta Apostoli Pauli, potestatibus & regibus iniuriam facere, pro quibus, si Apostolum audiret, quotidiè rogare debuerat. Sic enim docet B. Apostolus Paulus, *Rogate pro Regibus & potestatibus, quietam & tranquillam vitam cum ipsis agamus.* Non enim Respub. est in Ecclesia, sed Ecclesia in Repub. est, id est, in Imperio Romano quod Libanum appellat Christus in Canticis Canticorum, cum dicit, *Veni sponsa mea, veni à Libano,* id est, de Imperio Romano, vbi & Sacerdotia sunt, & pudicitia, & virginitas, quæ barbaris Gentibus non sunt: & si essent, tuta esse non possent. Meritò Paulus docet, orandum pro regibus & potestatibus: etiamsi talis esset Imperator qui gentiliter viueret. Quantò quod Christianus, quantò quod Deum timens, quantò quod Religiosus, quantò quod misericors, vt ipsa res probat? Miserat enim ornamenta domibus Dei, miserat pauperibus eleemosynam, nihil Donato. Cur ergo insaniuit? cur iratus est? cur quod missum fuerat, repudiauit? Et cùm illi qui missi fuerant, dicerent se ire per prouincias singulas, & volentibus accipere, se daturos: ille dixit, vbique se literas præmisisse, ne id quod allatum fuerat, pauperibus alicubi dispensaretur. O, consulere miseris? O, prouidere fuerat pauperibus? O, peccatoribus subuenire? Clamat Deus dicens, *Ego sum qui feci pauperem & diuitem:* Non quia non potuit & pauperi dare. Sed si ambobus daret: peccator, quâ sibi succurreret, inuenire non posset. Denique sic scriptum est: *Quemadmodum aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum.* Certè iam apud Deum sunt ambo, & qui dare voluit, & qui obstitit ne daretur. Quid si iam dicat Deus Donato: *Quid vis fuisse Constantem? Si innocentem, quare ab innocente accipere noluisti? Si peccatorem, quare non permisisti dare, propter quem feci pauperem?* Sub hac interrogatione qualis futurus est? quid de leuitate & furore laborauit tantis pauperibus impedire? Carthagini principatum se tenuisse crediderat, & cum super Imperatorem non sit nisi solus Deus qui fecit Imperatorem, dum se Donatus super Imperatorem extollit, iam quasi hominum excesserat metas, vt se, vt Deum non hominem æstimaret, non verendo eum, qui post Deum ab hominibus timebatur. Denique cum per Ezechielem increpat Spiritus sanctus, dum ad principem Tyri, id est, principem Carthaginis, per Prophetam his loquitur verbis: *Fili hominis, dic aduersus principem Tyri, hæc dicit Dominus Deus, quia exaltatum est cor tuum: & dixisti, Ego sum Deus.* Tyrum Carthaginem esse, primò Isaias probat, in quo legitur visio super Tyrum. Et sequitur: *Vlulate naues Carthaginis.* Deinde Tyrum Carthaginem ipsam esse etiam mundanæ literæ protestantur, & si sit alia ciuitas quæ hoc nomine nuncupetur, nihil in alia videtur factum, quod apud Carthaginem constat admissum. *Loquere* (inquit Deus) *aduersus principem Tyri.* Dum Deus ad principem Tyri loquitur, non aduersus sæcularem aliquem regem dicit esse loquendum, nec ad multos, sed ad vnum, hoc est, ad Donatum Episcopum. Neque enim fas erat Prophetam Ezechielem, quem proximè nominaui, nisi Episcopo eum comparare, qui sibi (vt diximus) principatum Carthaginis vindicabat: qui exaltauit cor suum, & ab hominibus sibi superior videbatur: & sub se omnes etiam socios suos habere voluisset: de quorum oblationibus nunquàm est dignatus accipere. In quo remediata est fides, & Deus Christus eius, & querelæ multorum, quibus in ipsa societate hanc iniuriam faciebat: vt solus

Donati furor.

Rom. 13. Tit. 3.

B

Cant. 4.

C

Eccl. 3.

Ezec. 28.

D

Isa. 23.

Ezec. 28.

E secreto nescio quid ageret, & posteà cæteris perfunctoriè misceretur. Hoc modo exaltatum est cor eius: vt sibi iam non homo, sed Deus fuisse videretur. Denique in ore populi raro est appellatus Episcopus, sed Donatus Carthaginis dicebatur. Et meritò princeps Tyri, id est, Carthaginis, appellari & increpari meruit, quia primus Episcoporum, quasi plus esset ipse quam cæteri: & dum nihil humanum voluit habere, exaltauit cor suum, non sicut hominis, sed sicut cor Dei: dum à cæteris hominibus aliquid plus esse cupiebat. Ad quem Deus sequitur dicens: *Dixisti ego sum Deus.* Ideò, quamuis non sit vsus hâc voce, tamen aut fecit aut passus est, quod defectum huius vocis impleret. Extulit cor suum, vt nullum hominem sibi comparandum arbitraretur: & de tumore mentis suæ altior sibi visus est esse: quia quicquid est supra homines, iam quasi Deus est. Deinde cum Episcopi Deo debeant famulari, tantùm sibi de Episcopis exigit, vt eum non minori metu omnes venerarentur, quàm Deum. Hoc est, quod sibi Deus visus est: Et cum per solum Deum soleant homines iurare; passus est homines per se sic iurare, tanquàm per Deum. In quo si vnusquisque hominum errauerat, ipse prohibere debuerat: cum non prohibuit, Deus sibi visus est. Deinde cum ante ipsius superbiam, omnes qui in Christo crediderant, Christiani vocarentur, ausus est populum cum Deo diuidere: vt qui illum secuti sunt, iam non Christiani vocarentur, sed Donatistæ: & si quando ad eum aliqui ex aliqua Africana prouincia veniebant, non quærebant illud, quod humana semper exigit consuetudo de pluuiis, de pace, de prouentu anni aliquid interrogare. Sed illicò ad singulos quosque venientes hæc erant verba; *Quid apud vos agitur de parte mea?* Quasi iam verè populum cum Deo diuiserat, vt intrepidè suam diceret partem. Nam à temporibus eius, & vsque in hodiernum; si quando de rebus Ecclesiasticis in iudiciis publicis aliqua celebrata est actio: Interrogati singuli, sic apud acta locuti sunt, vt dicerent, se de parte esse Donati: de Christo tacuerunt. Et quid de Clericis dicam, cum legantur preces (quarum in primo libro facimus mentionem) iamdudùm ad Constantinum missæ & subscriptæ, quæ Episcoporum nomina continebant, sic, *datæ à Capitone & Nasucio, Digno, & cæteris Episcopis partis Donati.* Et postulabant vtique contra Episcopos, qui dum non erant in parte Donati, in Christi Catholica habitabant. Et dum Episcopus inter Coëpiscopos suos non fuit, nec homo inter homines esse voluit, constat quod extulit cor suum, & Deus sibi fuisse videbatur. Nam cum & ordinatores tui, quorum nomina, frater Parmeniane, bene nosti, & ibi fuerint; non ignoras, & quid vel à quo petiuerint, & qualem rogauerint vt redirent, & tecum venire potuissent, & non didicimus, cùm easdem preces quas dederunt, apud Africanos iudices allegarent: in quibus infrà scriptum est, *Datæ ab Episcopis partis Donati:* Hic iam quid responsuri sunt in illo imminenti diuino iudicio, qui in hoc sæculo alio modo confessi sunt, non se esse de Ecclesia Christi? qui libenter professi sunt de parte fuisse se Donati: cum in Euangelio scriptum est, Christo dicente, *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo.* Isti Donatum confessi sunt, non Christum. Et ne parua sit ista probatio, quam ad ipsius personam pertinere manifestum est, accedit ad illud testimonium, quo suprà memorata increpatio clausa est, *Quod dixit illum Deus non in terra moriturum.* Et ita factum esse omnibus notum est. Habitabat in domo Dei, & erat in corde maris. Vbique mare sæculum legimus, cum esset ipse non tantùm in amore aliquorum Christianorum, sed propter scientiam mundanarum literarum, erat etiam in corde maris, id est, in amore sæculi. Sed & de scientia sua sapiens sibi visus est. Sed hanc sapientiam eius euacuauit Deus, dum dicit; *Nunquid sapientior tu quàm Daniel?* Meritò & bene eius sapientia humiliata est, quâ putauit se Daniele esse sapientiorem, in repudiandis muneribus regis, dum accipere noluit, quod ab Imperatore Christiano missum esse videbatur, vt visus est sibi aut Daniel nouus, aut sapien-

Donati superb.

F

G

Pars Donati.

H

Marc. Luc.

Ezec.

A

sapientior Daniele: quia & ipse Daniel aliquando à Baltasar Rege, cùm cogeretur accipere munera, id est, annulum, torquem & cætera, dixisse legitur, *Dona tua tecum sint Rex.* Et sapienter respondit, & conuitia tegi non fecit, & quod offerebatur non damnauit, sed distulit: Non quomodo Donatus: qui & conuitia Constanti, quanta potuit, dixit: & quod ab eo pauperibus missum fuerat, repudiauit. Sed Daniel sanctus sapiens inuentus est, vt munera oblata illa die non acciperet. Illud enim quod ab eo petebatur, adhuc in Cœlo erat: & insipientis esset, huius rei quasi mercedem accipere, quam nondùm habuit in potestate. Idcircò munera oblata, illâ die ad tempus accipere noluit. Denique cum ei Deus ostenderet quod regi supradicto indicaret Baltasari retulit. Et quod iamdudùm repudiasse visus est, posteà libenter accepit. Meritò increpat Deus principem Tyri Donatum, cum dicit: *Numquid tu sapientior quam Daniel?* Sed ô quam longè est præsumptio Donati à persona Danielis!

Dan. 5.

B

Quod enim Baltasar dabat, Danieli dabat, non pauperibus: quod Constans Christianus imperator tunc miserat, pauperibus transmiserat, non Donato. Denique ait, *Sapientes te non docuerunt sapientiam suam,* quia illud à Salomone discere noluisti, quod ait, *Absconde panem in corde pauperis, & ipse pro te rogabit.* Quia etiam illud ab ipso Daniele discere noluit quod dedit Nabuchodonosor consilium, quomodo satisfaceret qui offenderat Deum. *Et tu* (inquit) *audi rex consilium meum, & placeat tibi, Peccata tua eleemosynis redime, & iniustitias tuas in miseratione pauperum.* Daniel Regi peccatori & sacrilego faciendas eleemosynas suadet: Donatus, qui increpari meruit, Constanti Imperatori Christiano, ne misericors esset, obstitit. Ideò increpatur, quod eum sapientes non docuerunt sapientiam suam. Quicquid à rege missum fuerat, per se dari passus non est. Vnde constat Donatum omnium malarum fontem fuisse causarum.

Eccl. 29.

Dan. 4.

C

Quicquid itaque in vnitate facienda asperè potuit geri, vides frater Parmeniane, cui debeat imputari. A nobis Catholicis petitum militem esse dicitis. Si ita est, quare in prouincia Proconsulari tunc nullus armatum militem vidit? veniebant Paulus & Macarius, qui pauperes vbique dispungerent, & ad vnitatem singulos hortarentur. Et cum Bagaiensem ciuitatem proximarent, tunc alter Donatus (sicut suprà diximus) eiusdem ciuitatis Episcopus, impedimentum vnitati & obicem venientibus suprà memoratis opponere cupiens, præcones per vicina loca & per omnes nundinas misit Circumcelliones, Agonosticos nuncupans, ad prædictum locum concurrerent, inuitauit: Et eorum illo tempore concursus est flagitatus, quorum dementia paulò antè ab ipsis Episcopis impiè videbatur esse succensa. Nam cum huiusmodi hominum genus ante vnitatem per loca singula vagaretur, cum Maxido & Fasir ab ipsis insanientibus *sanctorum duces* appellarentur: nihil licuit securum esse in possessionibus suis: debitorum chirographa amiserant vires: nullus creditor illo tempore exigendi habuit libertatem.

D

Circumcellionum infestas.

Terrebantur omnes literis eorum, qui se sanctorum duces fuisse iactabant: Et si in obtemperando eorum iussionibus tardaretur, aduolabat subitò multitudo insana, & præcedente terrore, creditores periculis vallabantur. Et qui pro præstitis suis rogari meruerant, metu mortis humiles impellebantur in preces. Festinabat vnusquisque debita etiam maxima perdere: Et lucrum computabatur, euasisse ab eorum iniuriis: Etiam itinera non poterant esse tutissima. Quot Domini de vehiculis suis excussi, ante mancipia sua dominorum locis sedentia, seruiliter cucurrerunt? Illorum iudicio & imperio inter Dominos & seruos conditio mutabatur. Vnde cum vestræ partis Episcopis tunc inuidia fieret, Taurino tunc Comiti scripsisse dicuntur, huiusmodi homines corrigi in Ecclesia non posse: mandauerunt, vt à supradicto Comite acciperent disciplinam. Tunc Taurinus ad eorum literas, ire militem iussit armatum per nundinas, vbi Circumcellionum furor vagari consueuerat. In loco Octauensi occisi sunt plurimi, detruncati sunt multi. Quorum corpora vsque in hodiernum, per dealbatas aras aut mensas poterunt numerari.

E

Ex quorum numero cum aliqui in basilicis sepeliri cœpissent, Clarius Presbyter in loco Subbulensi, ab Episcopo suo coactus est, vt insepultam faceret sepulturam, vnde proditum est, mandatum fuisse fieri quod factum est, quando nec sepultura in domo Dei exhiberi concessa est, eorum posteà conualuerat multitudo. Sic inuenit Donatus Bagaiensis, vnde contra Macarium furiosam conduceret turbam. Ex ipso genere fuerunt qui sibi percussores sub cupiditate falsi Martyrij in suam perniciem conducebant: Inde etiam illi, qui ex altorum montium cacuminibus viles animas proiicientes, se præcipites dabant. Ecce ex quali numero sibi Episcopus alter Donatus, cohortes effecerat. Hoc metu deterriti illi, qui propè thesauros ferrent, quos pauperibus erogarent: inuenerunt in tanta necessitate consilium, vt à Syluestro Comite armatum militem postularent: non per quem alicui vim facerent, sed vt vim, à Donato suprà memorato Episcopo dispositam, prohiberent.

Insepulta sepultura.

F

Hac ratione factum est, vt miles videretur armatus. Iam quicquid subsecutum est, videte, cui debeat ac possit ascribi. Furebant illi vocatorum infinita millia populorum, pro quibus & annonam & competentem constat fuisse præparatam: de basilica quasi publica fecerunt horrea, expectantes vt venirent, in quos furorem suum exercere potuissent: & facerent quidquid illis dementia sua dictasset, nisi præsentia armati militis obstitisset. Nam cum ante venturos milites, metatores, vt fieri solet mitterentur contra Apostoli præcepta competenter suscepti non sunt, qui ait: *Cui honorem, honorem: Cui vectigal, vectigal: Cui tributum, tributum. Nemini quicquam debueritis.*

Basilica à Donatistis mutata in horreum.

Rom 13.

Qui missi fuerant, cum equis suis præoccupati sunt ab iis quorum nomina flabello inuidiæ ventilasti. Ipsi magistri fuerant iniuriæ suæ: & quid pati possent, ipsi prærogatis iniuriis docuerunt. Reuersi sunt vexati milites ad numeros suos, & quod duo vel tres passi fuerant, vniuersi doluerunt.

G

Commoti sunt omnes: iratos milites retinere nec eorum præpositi valuerunt. Sic admissum est quod inuidiam vnitati factam esse memorasti. Hæc & cætera gesta & suas causas habent, & quas ostendi personas obnoxias. Hoc nos nec vidimus quidem, sed vobiscum audiuimus. Si auditus facit reos: tenemus vos socios, quia similiter audiuimus. Si à facto auditus immunis est: quod aliis, vobis prouocantibus, factum est, nobis non debet imputari. Querelam per ordinem deponitis sub Leontio, sub Vrsatio, iniuriatos esse quamplurimos sub Paulo & Macario: aliquos necatos à sequentibus, nescio quos ad tempus esse proscriptos. Quid hoc ad nos? qui ad Ecclesiam Catholicam pertinet? Quidquid obiecistis, vos fecistis. A Deo commendatam noluistis libenter excipere vnitatem, chariorem æstimantes hæreditatem Schismatis, quam præcepta propositi Saluatoris. Arguistis operarios vnitatis: ipsam vnitatem improbare si potestis. Nam æstimo vos non negare, vnitatem summum bonum esse.

H

Quid nostra, quales fuerint operarij, dummodò quod operatum est, bonum esse constet? Nam & vinum à peccatoribus operariis & calcatur & premitur: Et sic inde Deo sacrificium offertur. Oleum quoque à sordidis, & nonnullis malè viuentibus & immunda loquentibus conficitur. Et tamen in sapore, in lumine, etiam in sancto Chrismate simpliciter erogatur. Operarios vnitatis malos fuisse dicitis: Forte cum voluntate Dei, cui nonnunquàm placet etiam quod ab ipso potuit prohiberi. Nam quædam mala malè fiunt: Quædam mala benè fiunt. Malum malè latro facit: malum benè iudex facit, dum vindicat quod latro peccauit. Nam hæc Dei vox est, *Non occides.* Et ipsius vox est: *Si inuentus fuerit homo dormiens cum muliere habente maritum, occidetis vtrosque.* In primo libro Regum vnus Deus, & duæ diuisæ voces. Denique dum Phinees filius Sacerdotis adulterum cum adultera inueniret, leuauit cum gladio manum, & inter duas voces Dei dubius stetit: Hinc ad illum sonabat, *Non occides:* Inde sonabat, *occidetis vtrosque.* Si feriret,

Exod. 20
Deut. 5.
Num. 5.
Num. 25.
Eccl. 45.

peccaret:

A peccaret: Si non feriret, delinqueret. Elegit meliùs peccatum, vt percuteret. Et fortè non defuerant, qui huius rei vindicem quasi homicidam notare voluissent. Sed vt ostenderet Deus, aliqua mala benè fieri, locutus est, dicens, *Phinees mitigauit iram meam*, (Num. 25.) & placuit Deo homicidium, quia vindicatum est adulterium. Quid si & modo Deo placuit, quos passos vos esse dicitis, qui vnitatem cum toto orbe terrarum, & cum memoriis Apostolorum quæ Deo placita est, habere noluistis. Inuitus cogor hoc loco etiam illorum, quorum nolo, hominum facere mentionem, quos vos inter Martyres ponitis: per quos, tanquàm per vnicam religionem, vestræ communionis homines iurant. Quos quidem vellem silentio præterire, sed ratio veritatis se sileri non patitur. Et ex ipsis nominibus contra vnitatem inconsideratè latrat inuidia, & aspernantes aliqui accusandam aut fugiendam æstimant vnitatem, quod Marculus & Donatus dicantur occisi & mortui. B Quasi omninò in vindictam Dei nullus mereatur occidi. Nemo erat lædendus ab operariis vnitatis, sed nec ab Episcopis mandata diuina contemni debuerant: Quibus præceptum est, (Psal. 33.) *Quære pacem, & consequaris eam.* Et iterùm: (Psal. 132.) *Quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Et iterùm: (Matt. 5) *Fœlices pacifici, quia ipsi filij Dei vocabuntur.* Hoc qui nec libenter volebant audire, nec deuotè facere voluerunt, quicquid potuerunt pati, si occidi malum est, mali sui ipsi sunt causa. Sed arguendus (vt dicitis) vobis videtur esse Macarius, quod sine voluntate Dei æstimatis eum hoc facere non potuisse. Habetis huiusmodi reos antiquos: Accusate primo Moysen, ipsum legislatorem: Qui cum de Sina monte descenderet, propè necdum propositis tabulis legis, in quibus scriptum erat, (Exod. 32.) *Non occides*, tria millia hominum vno momento iussit occidi. Macarium differre paulisper, Phineem filium sacerdotis, quem paulò antè memoraui, in iudicium prouocare: C si tamen inueneritis præter Deum, aliquem iudicem. Nam quod accusatis in persona ipsius, à Deo laudatum est quod in zelo Dei factum est. Supprimite interim voces quibus in Macarium dictat inuidia. (1. Reg. 18.) Recurrite primò ad Heliam Prophetam, qui in riuo Cyson, cum pareret voluntati Dei, quadraginta & quadringentos occidit. Sed fortè dicitis, illos meritò occisos: istos indignè. Nunquam sequitur vindicta, nisi eius antecesserit causa. Vindicauit (vt diximus) Moyses, vindicauit Helias, vindicauit Phinees, vindicauit Macarius. Si nihil offenderant qui occisi esse dicuntur, sit Macarius reus, in eo quod solus nobis nescientibus, & vobis prouocantibus fecit. Quare nobis fit inuidia, cum aliena sint facta? Et in vobis est causa, quia propter vos qui foris fuistis, quamquam & nunc foris esse videamini, venisse dicitur: non propter nos, qui intùs habitamus, & nunquam de radice recessimus. Sed quia supra memoratas personas per ordinem diximus; videamus quare Moyses tria millia hominum iussit occidi: quare Phinees duos, & quare Elias quadringentos & quinquaginta: D quare Macarius duos, quorum nomina quotidie (vt supra dixi) flabello inuidiæ ventilatis. Omnes constat in eos vindicasse, à quibus iussio diuina contempta est. (Exod. 20.) Nam *Non tibi facies sculptile*, Dei vox est: *& non facies adulterium*, eiusdem Dei vox est. *Non sacrificabis idolis*, idem Deus locutus est: &, *non facies schisma*: &, *quære pacem, & consequaris eam*, eiusdem præceptum est. Temporibus Moysi populus Israël caput vituli coluit, quod illis sacrilega flamma conflauit: ideò tria millia hominum occidi meruerunt, quia Dei vox videbatur esse contempta. Phinees adulteros vno ictu percussit, laudari à Deo meruit, quoniam diuinorum præceptorum contemptores occidit. Et quadringenti & quinquaginta, quos Elias occidisse legitur, ideò occisi sunt, quia contra iussionem Dei, per quod falsi vates erant, Dei præcepta contempserant.

Et illi quorum nominibus Macarium criminaris, nec à falsis vatibus longè sunt. Quia vox Dei dixit futuros esse falsos vates, quod proximo loco probaturi sumus, & dum pacem noluerunt recipere, nec in vno cum fratribus habitare, contra præcepta & voluntatem Dei pertinaciter obstiterunt. Ergo videtis à Moyse & Phinee, & Elia, & Macario, similia esse facta, quia ab omnibus vnius Dei præcepta sũt vindicata. Sed video vos hoc loco tẽpora separare, vt alia fuerint ante Euãgeliũ, alia post Euangelium: in quo potestis dicere, quia scriptum est, vt à Petro iam gladius conderetur, quo auriculam serui sacerdotis abstulerat, quo seruum poterat quasi deuotus Petrus occidere: sed Christus pati venerat, non defendi. Et si cogitatum suum Petrus impleret in Passione Christi, (Matt. 2[6]) videtur seruus vindicari: non populus liberari. Nam & Macarius gladium à Petro vagina conditum non eduxit. Hoc probat Deus dum ad vallem Sion loquitur dicens, *Vulnerati in te non vulnerati gladio.* (Isa. 22.) Aut probate aliquem illo tempore gladio esse percussum. Deinde ait: *Mortui in te, non mortui in bello.* Quare debetis attendere, ne temerarium sit, eos Martyres appellare, qui Christianorum nullum cesserunt bellum. Non enim tale aliquid factum aut dictum est, quod in bello Christianorum dici aut fieri solitum est. F Quod bellum persecutio dicitur, quæ operata est sub duabus bestiis ex illis quatuor, quas Daniel (Dan 7.) de mari ascendentes aspexit: Prima fuit vt leo. Hæc erat persecutio sub Decio & Valeriano. Secunda vt vrsus, alia persecutio, quæ fuit sub Diocletiano, & Maximiniano. Quo tempore fuerunt & impij iudices, bellum Christiano nomini inferentes. Ex quibus in prouincia Proconsulari (ante annos 60. & quod excurrit) fuerat Annulinus, in Numidia Florus. Omnibus notum est, quid eorum operata sit artificiosa credulitas. Sæuiebat bellum Christianis indictum, in templis dæmoniorum diabolus triumphabat: immundis fumabant aræ nidoribus, & quia ad sacra sacrilegia venire non poterat, vbicumque thus ponere cogebatur. Omnis locus templum erat ad scelus, inquinabantur propè morientes senes: ignorans polluebatur infantia, à matribus parui liberi portabantur ad nefas, parentes incruenta parricidia facere cogebantur. G Alij cogebantur templa Dei viui subuertere, alij Christum negare, alij leges diuinas incendere, alij thura ponere. Horum aliquid Macario factum esse, nec vos ipsi confingere poteritis. Sub persecutore Floro Christiani idolorum cogebantur ad templa, sub Macario pigri compellabantur ad Basilicam. Sub Floro dicebatur, vt negaretur Christus & idola rogarentur. Contra sub Macario commouebantur omnes vt Deus vnus pariter in Ecclesia ab omnibus rogaretur. Si suprà memoratos videri Martyres vultis, probate illos amasse pacem, in qua prima sunt fundamenta Martyrij: aut dilexisse Deo placitam vnitatem, aut habuisse cum fratribus Charitatem. (*Martyrij prima fundamenta in pace.*) Nam omnes Christianos, fratres esse & in primo libello probauimus, & in quarto proculdubio probaturi sumus. Quos dicitis debere appellari Martyres, quia noluerunt fratres agnoscere, nullam habuerunt charitatem. Nec dicatur ad excusationem, quia traditoribus communicare noluerunt: H cum manifestissimè probatum sit eosdem ipsos filios fuisse traditorum. Nulla igitur est excusatio, quia Charitatem illos non habuisse manifestissimè constat, sine qua nullum vel nominari potest, vel esse martyrium: sine qua maxima & imperiosa virtus caret effectu: sine qua nihil valet omnium scientia linguarum: sine qua nihil potest etiam societas Angelorum, Apostolo Paulo dicente, *Si habeam in me potestatem imperandi montibus,* (1. Cor. 13.) *vt transferant se de locis in loca: & loquar omnium gentium linguis, etiam Angelorum, & corpus meum flammis tradam, & charitatem in me non habeam, nihil sum: sed ero æramentum tinniens in deserto*, vt pereat vocis opus, vbi nullus occurrit auditus. Si tanta res, si B. Paulus, si vas electionis, quamuis cum imperiosa virtute & Angelorum societate, pronuntiat se nihil esse nisi charitatem habuerit, videte an non dicantur Martyres, sed aliquid aliud appellari mereantur, qui charitatis desertores pro eadem desertione pati aliquid potuerunt. Gaudet totus orbis de vnitate Catholica, præter partem Africæ, in qua incendium de scintilla conflatũ est. Ab operariis vanitatis queri mini nescio quæ esse commissa. Hoc non queritur Italia, non Gallia, non Hispania, non Pannonia, non Galatia,

A non Græcia, non cum tot prouinciis ſuis Aſia. Quia nihil illic fuerat emendandum, nullus illuc miſſus eſt emendator? quia nihil illis fuerat ſciſſum, nullus illuc miſſus eſt (vt ita dixerim) ſartor, & hic in Africa iamdudùm populo in vnitate manente, veſtis fuerat ſana: æmula manu inimici diſciſſa eſt. *Contra ſchiſmaticos.* Pendebant quodammodo panni de vna veſtis origine, & de vna radice venientes. Vt quid ſe pars parti anteponit? aut quid ſupra alterum pannum alter pannus extollit, cum meliorem ſe probare non poterit? Quid enim, ſi dicat contemptus pannus: *Quid te tantùm extollis? in oue pares creuimus: In manibus ædificientium ſimul fuimus: apud lotorem pariter mundati ſumus: Inimicus nos voluit ab inuicem ſcindere. Aduerſarius pulchritudinem noſtram voluit deformare: in parte veſtis adhuc vnum ſumus, ſed in diuerſa pendemus.* Quod enim ſciſſum eſt, ex parte diuiſum eſt, non ex toto conciſum. Et meritò, quia nobis & vobis Eccleſiaſtica vna eſt conuerſatio: etſi hominum litigant mentes, non litigant Sacramenta. B Denique poſſumus & nos dicere, *pares credimus, & vno ſigillo ſignati ſumus: Nec aliter baptiƷati quam vos, nec aliter ordinati quam vos. Teſtamentum diuinum legimus, pariter vnum Deum rogamus. Oratio Dominica apud nos & apud vos vna eſt, ſed ſciſſura (vt ſuprà diximus) facta partibus hinc atque inde pendentibus, ſartura fuerat neceſſaria.* Et tamen huius rei artifex aut operarius, dum vult veſtem in antiquam faciem reuocare, vicina filia compungit. Diſplicet tibi ſartor, qui ſciſſuram, dum ſanat, vulnerat? Ille tibi magis diſpliceat, qui fecit, vt ſartor peccare potuiſſet. Et, quæ in vos ab operariis vnitatis dicitis eſſe commiſſa: aut ad parentes veſtros pertinent quorum cauſa facta ſunt: aut ex voluntate Dei deſcendunt. Nos tamen inde alieni ſumus. Quid ſi quamuis aſpera tamen (vt dixi) cum voluntate Dei videntur eſſe commiſſa? Legimus enim in Ezechiele Propheta parietem dealbatum, cui Deus comminatus eſt tempeſtatem, pluuiam & lapides petrobolos & accuſationes. *Ezech. 13.* C *Erunt* (inquit) *falſi vates qui ædificent ruinoſum parietem dicentes, pax pax: & vbi pax:* Recordamini quomodo à vobis iamdudum matris Eccleſiæ mēbra ab inuicem diſtracta ſunt. Non enim vnamquamque domum ſemel ſeducere potuiſtis. Sed aut iuit vxor, & reſedit maritus, aut parentes ſeducti ſunt, & filij ſequi noluerunt: aut ſtetit frater, ſorore migrante, perſuaſionibus veſtris diuiſa ſunt corpora & nomina pietatis. Et non potuiſtis prætermittere, quod legitimum eſt. Vtique dixiſtis, *pax vobiſcum*: *Iſai. 48. & 57. Hier. 6. & 8. Ezech. 13.* Cum contra Deus, *pax, & vbi pax?* hoc eſt dicere, *quid ſalutas, de quo non habes? quid nominas, quod exterminaſti? ſalutas de pace qui non amas. Hi* (inquit) *ædificeant ruinoſum parietem.* Domus Dei vna eſt. Qui foras exeuntes, partem facere voluerunt, parietem fecerunt, non domum: quia non eſt alter Deus, qui alteram domum inhabitet. Ideò parietem feciſſe dicuntur falſi vates, in quo ſi ianua fuerit collocata: quicunque intrauerit, fortis eſt. Nec lapidem habere angularem vnus paries poteſt, D qui lapis eſt Chriſtus, duos in ſe ſuſcipiens populos: vnum de gentibus, alterum de Iudæis: qui nodo pacis iungit vtrunque parietem. Nam quot commoda habet domus, tot incommoda paries. Domus incluſa cuſtodit, tempeſtatem retundit, pluuiam diffundit, latronem, aut furem, aut beſtiam non admittit: Sic & Eccleſia Catholica omnes filios pacis gremio & ſinu ſuo complectitur. Contra, paries qui eſt ædificatus ruinoſus, nec lapidem angularem ſuſtinet, & ianuam ſine clauſa habet, nec incluſa cuſtodit, pluuia vndatur, tempeſtatibus cæditur: nec poteſt arcere latronem, nec venientem prohibet furem. Paries enim res de domo eſt, ſed domus non eſt. Et pars veſtra quaſi Eccleſia eſt, ſed Catholica non eſt. *Et dealbant* (inquit) *eum*, hoc eſt, quod vos ſolos ſanctos æſtimatis. Querimini vos ſine nobis aliqua eſſe paſſos, ergo conſtat vos ſolos aliqua paſſos, quia aliud eſt tempus pacis, aliud perſecutionis. Si perſecutionem putatis: dicite, quid vobiſcum paſſæ ſunt vniuerſæ prouinciæ, in quibus eſt Eccleſia Catholica? Sed quia vindicta fuit, non perſecutio, ſolus paries paſſus eſt, cui Deus interminatus eſt tempeſtatem, pluuiam, & lapides petrobolos

& accuſationes. Sic enim loquutus eſt: *Quid ædificaſtis ruinam? quid dealbaſtis? quid lauiſtis? Hoc contra voluntatem meam eſt, dicit Dominus.* E *Ezech. 13.* Diſplicent vobis tempora neſcio cuius Leontij, Vrſatij, Macarij, & cæterorum. Emendate voluntatem Dei, ſi poteſtis: Qui dixit: *contra parietem exurgam cum ira mea, & immittam tempeſtatem nimiam, & pluuiam diluentem, & lapides petrobolos, & percutiam parietem ruinoſum, & diſſoluentur compagines eius.* Sed ne quis veſtrûm dicat, ſi vnitas bonum eſt, quare toties facta durare non potuit? quia ſi res ipſa à Deo eſt ordinata, qui comminatus eſt tempeſtatem, pluuiam, lapides & accuſationem. Et iſtæ quatuor res non potuerant vno tempore fieri. Fuit primo tempeſtas, agitatus eſt paries, ſed non cecidit, vt haberet pluuia vbi operaretur. Secuta eſt pluuia, vdatus eſt paries, ſed non maduit, vt haberent lapides, vbi operarentur. Poſt pluuiam ſecuti ſunt lapides, diſperſus eſt, ſed fundamentis ſuis ſe iterùm reparauit. Iam tria peracta ſunt: F debentur vobis accuſationes. Sed quomodo & quando, nouit ille cui placuit de vobis ita nuntiare. Et ne aliquis de hoc intellectu dubitaret, Deus addidit, dicens: *Ezech. 13.* *Non ſunt quæ dico de luto aut de pariete, ſed de falſis Prophetis, qui ſeducunt populum meum.* Hoc verbo, *ſeducunt*, videte cui parti comparet. Nobiſcum erant omnes; nobis abſentibus irruiſtis: & vt haberetis quos habere deſideraſtis, non potuiſtis niſi ſeducere. Et quæ ſint vera ſeductionis veſtræ, omnibus notum eſt. Veſtrum eſt dicere: *Attendite poſt vos*: veſtrum eſt dicere, *redimite animas veſtras*, veſtrum eſt dicere hominibus fidelibus & Clericis, *Eſtote Chriſtiani*: Sed cum dicitis, *Attendite poſt vos* contra Euangelium facitis, vbi dictum eſt: *Luc. 19. Gen 19.* *Nemo tenens manicam aratri, poſt ſe attendens intrabit regna cælorum.* Et vultis ſcire quid meruit, qui poſt ſe attendit? & qui ante ſe? Recordamini Sodomorum fugitiuos, Loth & vxorem eius. Quæ poſt ſe attendit, in ſtatuam ſalis mutata eſt: qui ante ſe proſpexit, euaſit. G Quid eſt ergo quod dicitis, *Attendite poſt vos?* Nam & cum dicitis, *Redimite animas veſtras*: vnde illas emiſtis vt vendatis? Quis eſt neſcio qui Angelus, qui nundinas facit animarum: Cum dicitis, *Redimite animas veſtras*, redemptori renuntiatis, cum ſolus Chriſtus ſit redemptor animarum, quas ante eius aduentum diabolus poſſidebat: has ſanguine ſuo Chriſtus Saluator noſter redemit, Apoſtolo dicente: *1 Cor. 1.* *empti eſtis pretio magno.* Conſtat enim ſanguine Chriſti omnes redemptos. Chriſtus non vendidit quos redemit. Animæ emptæ à Chriſto, non potuerunt vendi, vt poſſint, ſicut vultis, à vobis iterum redimi. Aut quomodo poteſt vna anima duos dominos habere? Aut nunquid eſt alter redemptor? Qui Prophetæ nuntiauerunt alterum eſſe venturum? quis Gabriel iterum ad alteram Mariam locutus eſt? Quis virgo iterùm peperit? Quis virtutes nouas aut alteras fecit? Si nullus eſt præter vnum qui redemit animas omnium credentium, quid eſt quod dicitis: *Redimite animas veſtras?* H Iam illud quale eſt, quod hominibus Chriſtianis etiam Clericis dicitis, *Eſtote Chriſtiani?* *Donatiſtæ [illegible] Catholicos Paganos.* Et cum admiraculo quodam vnicuique dicere: Cai, Sei, aut Caia, Seia, adhuc paganus eſt aut pagana? Eum, qui ad Deum ſe conuerſum eſſe profeſſus eſt, paganum vocas; Eum qui à nobis vel à vobis non in nomine noſtro vel veſtro, ſed in nomine Chriſti tractatus eſt, paganum vocas? Sunt enim qui à vobis baptizati ſunt & ad noſtram communionem poſteà tranſierunt. Paganum vocas eum, qui Deum Patrem per Filium eius ante aram rogauerit? Quicunque enim crediderit, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti credidit. Et tu eum paganum vocas poſt profeſſionem fidei? Si aliquid Chriſtianus (quod abſit) vnuſquiſque deliquerit, peccator dici poteſt: paganus iterum eſſe non poteſt, Sed hoc omnia vultis nullius eſſe momenti. At ſi tibi conſenſerit, quem ſeducis, vnus conſenſus & manus tuæ porrectio, & pauca verba, iam tibi Chriſtianum faciunt de Chriſtiano: & ille vobis videbitur Chriſtianus, qui quod vultis fecerit, non quem fides adduxerit. Et ſi ſeductionis veſtræ paulo tardiùs fuerit accommodatus aſſenſus, etiam illa vobis argumenta non deſunt: quibus facile

etiam

A etiam nolentibus, quod vultis, suadere possitis: dum dicitis, auditum ex ore eorum qui iamdudùm in vestro collegio fuerant, *Quod qui gustaret aut acciperet de sacrificio aduentantis vnitatis, de sacro gustare videretur.* Non negamus ab aliquibus esse hæc dicta, quos constat postea totâ securitate fecisse, vnde paulò antè populos deterrebant: sed alia ratio exegit has voces, alia inuitauit in factum. Nam vt hæc dicerent qui feruntur ista dixisse, opinio falsa eorum aures & omnium populorum oppleuerat. Dicebatur enim illo tempore venturos esse Paulum, & Macharium qui interessent sacrificio, & cum altaria solemniter aptarentur, proferrent illi imaginem quam primo in altari ponerent: sic sacrificium offerretur. Hoc cum acciperent aures, perculsi sunt & animi, & vniuscuiusque lingua in hæc verba commota est, omnis qui hæc audierat, diceret: *Qui inde gustat, de sacro gustat.* Et rectè dictum erat, si talem famam similis veritas sequeretur. At vbi ventum est à supradictis,
B nihil tale visum est, ex eo quod fuerat paulò antè mentita fama: nihil viderunt oculi Christiani quod horrerent. Nihil probauit aspectus ex iis quibus perturbatus erat auditus. Visa est puritas, & ritu solemnis consuetudo perspecta est. Cum viderent diuinis sacrificiis, nec mutatum quicquam, nec additum, nec ablatum: Pax à Deo commendata, volentibus placuit. Quare nullus eorum debet argui, qui de collegio vestro ad pacem transitum fecit. Qui fuerant sinistrâ opinione turbati, simplici ac purâ veritate firmati sunt. Nec dicantur de amaro fecisse dulce, aut de dulci amarum. Amaritudo quæ de falsitate videbatur fuisse nuntiata, in sinu opinionis resedit ac remansit: veritas perspecta oculis dulcedinem suam in se habens, à falsæ opinionis limitibus separata est. Ergo nec de amaro factum est dulce, nec de dulci amarum: quia & aliud & extra est, quod est visum; & longe fuerat, quod videbatur auditum.

C
S. OPTATI EPISCOPI MILEVIT. *contra Parmenianum.*

LIBER IV.

Ate nobis, frater Parmeniane, de petito milite frustrà calumniam factam esse, apertè dilucideque monstratum est. Etiam illud disce quod dixisti de oleo & sacrificio peccatorum, ad vos potiùs pertinere. Non enim ille debet esse peccator, quem vos volueritis. Nam & nos vestram præsumptionem possumus imitari, & dicere, vos esse peccatores. Sed facite, vt ex vtraque parte nullus nostrûm humano iudicio alterum damnet. Dei est nosse reum: illius ferre sententiam. Taceamus omnes homines. Solus Deus iudicet peccatorem: cuius sacrificium sit Canina victima, & cuius oleum, vngi desideranti ingerat metum. Huius rei apertissimam veritatem, Parmeniane frater, agnosce: si tamen hoc nomen fraternitatis, frequenter à me
D dictum, libenter audire dignaris, fac, vt tibi sit fastidiosum, tamen nobis est necessarium: ne fortè iuxta tot probationes huius nominis, tacendo rei esse videamur. Si enim tu non vis esse frater, ego esse incipio impius, si de nomine isto tacuero. Estis enim fratres nostri, & nos vestri, Propheta dicente, *Nonne vos vnus Deus creauit,*
Malac. 2. *& vnus pater genuit?* Non enim potestis non esse fratres, cum omnibus dictum sit, *Dei estis, & filij altissi-*
Psal. 8. *mi omnes.* Et vos & nos sumus qui præceptum accepimus, in quo dictum est, *Ne vocetis vobis quemquam pa-*
Mat. 23. *trem in terris, quia vnus est pater vester in cœlis, Saluator noster Christus.* Solus natus est Filius Dei: sed & nos & vos, filij vno modo facti sumus, sicut in Euangelio scriptum est, *Venit filius Dei: quotquot receperunt, dedit eis*
Ioan. 1. *potestatem, vt filij Dei fierent.* Nos & facti sumus & dicimur: vos & facti estis & non dicimini, quia pacifici
Matt. 5. esse non vultis, nec audire ipsum filium dicentem, *Fœlices pacifici, quia ipsi filij Dei vocabuntur.* Christus veniens Deum & hominem reuocauit in pacem, & fecit ambos

E vnum: tollens medium sepem parietis. Vos nobiscum, id est, cum fratribus vestris, pacem habere non vultis. Non enim potestis non esse fratres, quos eisdem Sacramentorum visceribus vna mater Ecclesia genuit: quos eodem modo adoptiuos Filios Deus pater excepit. Vnde huius temporis præscius Christus, quo futurum erat vt à nobis hodie discordaretis, talia dedit orandi mandata, vt vel in oratione vnitas remaneret, vt preces iungerent, quos discrepaturæ fecerant partes. Oramus pro vobis quia volumus, & vos pro nobis: & cum non vultis, aut dicat vnusquisque vestrûm, *Pater meus qui in* Matt.
cœlis est, &, *panem meum quotidianum da mihi hodie:* &, Luc. 11
dimitte mihi peccata, quomodo & ego debitori meo. Igitur si quæ mandata sunt mutari non possunt: Videtis nos non in totum ab inuicem esse separatos, dum & nos pro vobis oramus, volentes: & vos pro nobis oretis, etsi nolentes. Vides, frater Parmeniane, sancta germanitatis vincula inter nos & vos, in totum rumpi non posse. Iam peccator quærendus est, cuius potuit vel oleum ti-
F meri, vel sacrificium repudiari. Cesset humana suspicio: vtriusque partis præsumptio sileat: quis sit peccator, solus iudicet Deus. Legimus quadragesimo-nono Psalmo sub secundo diapsalmate, Spiritum sanctum dixisse: *Peccatori autem dixit Deus.* Hoc loco aduertenda est tota mentis intentio, & videndum, quis sit peccator. Si enim postquàm lectum est, *Peccatori autem dixit* Psal. 49
Deus: processisti de castris, stetisti contra hostes in acie: timendum erat militi, quia potuit ipse videri peccator. Aut si diceret, *comparasti merces, peregrinatus es, egisti nundinas, lucri causâ quod emeras vendidisti:* Timendum erat negotiatori, quia potuit ipse videri peccator. Aut si diceret, *fabricasti nauem, instruxisti funibus, ornasti velis, opportunos vt nauigares captandi ventos:* Timendum erat nautæ, quia potuit ipse videri peccator. Aut postquàm lectum est. *Peccatori autem dixit Deus:* Si sequerentur hæc verba, dissensio & schisma tibi displicuit. Concordasti cum fratre tuo, & cum vna Ecclesia quæ
G est in toto orbe terrarum. Communicasti septem Ecclesiis & memoriis Apostolorum: amplexus es vnitatem. Si hæc subsequens lectio contineret, nobis timendum erat, nos esse potius peccatores. Cum autem dicit Deus, *Ad quid exponis iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu autem contempsisti disciplinam, & abiecisti sermones meos retrò: Sedens aduersum fratrem tuum, denotabas, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Videbas furem, & currebas cum eo, cum adulteris portionem tuam ponebas.* Hæc ad vos dicta sunt omnia; Excusate vos ab his omnibus, si potestis. A vobis enim contempta est disciplina, vt quid recitas testamentum, qui testamentum non seruas, in quod descripta est disciplina, quam seruare non vultis? Non enim potestis dicere vos eam seruare, contra quam militatis. Deus dicit: *Quære pacem, & consequeris eam.* Tu repudiasti pacem: Non est contemnere disciplinam? Item in Psalmo 132. legitur, *Ecce quam bonum est, &* Ps. 132
iucundum, habitare fratres in vnum. In vnum habitare cum fratribus non vis, Non est contemnere disciplinam?
H Christus dicit in Euangelio: *Qui semel lotus est, non ha-*
bet iterùm necessitatem lauandi. Tu rebaptizando iterùm Ioan. 13
lauas. Non est contemnere disciplinam? Deus dicit: *Ne* Psal. 104
tetigeritis Christos meos, neque in Prophetas meos manum miseritis: Vos tot sacerdotes Dei honoribus expoliastis. Non est contemnere disciplinam? Christus dicit: *Inde scio, quia discipuli mei estis, si vos inuicem diligatis.* Vos odio non habetis fratres vtique vestros. Nec Apostolos imitari voluistis, à quibus etiam negator dilectus est Petrus. Non est contemnere disciplinam? exponis iustificationes Dei, & assumis testamentum per os tuum. Quomodo disputas, Quæris pacem, cum tu non habeas pacem? Testamentum recitas, & testamentum non seruas.

Electi estis, qui sedentes populum doceatis, & detrahitis nobis, vtique fratribus vestris, quoniam (sicut suprà dixi) vna nos mater Ecclesia genuit, vnus nos Deus ter excepit. Et tamen scandala contra nos ponitis mandando singulis ne nos salutent, ne à nobis dignationem accipiat.

Considerate

A Considerate verba superbiæ vestræ. Considerate tractatus, considerate mandata, actus quoque vestros reuoluite. Inuenietis oleum vestrum timuisse qui rogabat. Nullus vestrum est, qui non conuitia nostra suis tractatibus misceat. Qui non aliud initiet, & aliud explicet. Lectiones Dominicas incipitis, & tractatus vestros ad nostras iniurias explicatis. Profertis Euangelium, & facitis absenti fratri conuitium. Auditorum animis infunditis odia, inimicitias docendo suadetis. Hæc omnia dicendo, contra nos scandala ponitis. Ergo vnicuique vestrûm dictum est: Psal. 49. *Sedens aduersus fratrem tuum denotabas, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum.* Dum peccatorem arguit, & sedentem increpat Deus, specialiter ad vos dictum esse constat, non ad populum, qui in Ecclesia non habet sedendi licentiam. Vides ergo proculdubio vobis imputari debere, cum dicit Deus: *Sedens aduersus filium matris tuæ, ponebas scandala.* Vnam matrem nos habere iam toties comprobaui. B Nec vos negare potestis, qui contra nos scandala ponitis, dum aliqui vestrûm & non intellectas proferunt lectiones: vt auferant etiam illud, quod inter omnes homines solet esse commune, salutationis videlicet officium. Nam & vos ipsi aliqui in perfunctoria salutatione oscula solita denegatis. Et docentur multi, ne *Aue* dicant cuiquam nostrûm. Et videntur sibi hoc de lectione, sed non intellecta, mandare: Ignorantes, de quibus Apostolus hoc dixerit: 1. Cor. 5. 2. Ioan. 2. Tim. 2 *Cum his nec cibum capere, Aue illis ne dixeritis. Serpit enim eorum sermo velut cancer.* Dixit hoc de hæreticis, quorum cœperat illis temporibus vitiosa esse doctrina: qui subtili seductione verborum, morbis obscurè serpentibus corrumperent fidei sanitatem. Vt Marcion, qui ex Episcopo Apostata factus, inducebat duos Deos, & duos Christos. Vt Hebion, qui argumentabatur Patrem passum esse, non Filium. Vt Valentinus, qui conabatur carnem Christo subducere. Horum est sermo, qui habuit cancrum ad fidei membra vexanda. Talis sermo est & Corpiani hæretici, qui negabat debere C esse martyria: sed venena sua sibi seruet, ne eorum relatio auditorum intellectus simplices vel leuiter vexet: Huius igitur sermo est, qui vitandus est, ne serpat sicut cancer. Dictum est hoc & de Arrio, qui conabatur docere Filium Dei ex nullis substantiis factum esse, non ex Deo natum: cuius doctrina, nisi Nicæno Concilio, à trecentis decem & octo Episcopis dissiparetur, pectora multorum sicut cancer intraret. Dictum est hoc & de Photino præsentis temporis hæretico, qui Filium Dei ausus est dicere tantummodò hominem fuisse, non Deum. Potuit hoc & de vobis dici, quia vester sermo animis & auribus aliquorum non leuem intulit cancrum. Vester enim sermo est, quem ad pacis filios habetis: dum dicitis, periistis: *attendite post vos*, periit anima vestra quamdiu vos tenetis? Sic fecistis de fidelibus pœnitentes: Sic mortificastis in sacerdotibus honores. Ecce & vester sermo est, qui serpit velut cancer hodie, vt salutationes & conuictus prohibeatis. Noster sermo quid tale facere potuit? qui simplici doctrina filios pacis retinemus. Nos alienos seducimus, nec quemquam exter- D minamus. Manifestum est igitur, vos contra nos quotidie scandala ponere: & longum est, percurrere omnes modos, quibus nobis detrahitis, & omnia genera quibus scandala ponitis. Nam & cum dicit: *Si videbas furem, currebas cum eo*, de qua re hoc putatis dictum esse? Nunquid de subacto vestimento, aut de inuolato gremio, aut de aliquibus rebus, quæ ablatæ vel lucra vel damna inter homines faciunt? Equidem sunt & ista prohibita: sed in hac lectione illa furta increpat Deus, quæ sibi sunt facta. Quæritis quæ furta sint Deo facta? apud vos inueniuntur. Possessio Dei, est turba fidelium, ex qua quotidie fur diabolus cupit aliquid inuolare: In quouis Christiano aut Christiana vult vel mores ex aliqua parte corrumpere, & si non totum hominem, sed quodcumque de homine rapere. Talem furem cum videatis contra nos vim facere, vestris operibus adiuuistis. Nam neminem fugit, quod omnis homo qui nascitur, quamuis de parentibus Christianis nascatur, sine spiritu mundi

E esse non possit, quem necesse sit ante salutare lauachrum, ab homine excludi & separari. Hoc exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur, & in loca deserta fugatur. Fit domus vacua in pectore credentis, fit domus munda: intrat Deus & habitat, Apostolo dicente: *Vos estis templum Dei, & in vobis Deus habitat.* 1. Cor. 3. & 6. Et cum Deo vnusquisque plenus sit, de quo fur diabolus aliquid inuolare contendit: vos rebaptizando exorcizatis hominem fidelem, & dicitis Deo habitanti, *Maledicte exi foras*: vt compleatur quod à Deo dictum est, per Prophetam Ezechielem: *Et maledicebant mihi in populo meo, propter plenam manum hordei & buccellam panis, vt occiderent animas, quas non oportuit mori.* Audit ergo Deus iniurias non sibi debitas, & huiusmodi habitaculum deserit: Et homo qui Deo plenus in Ecclesiam intrauerat, egreditur vas inane. Diabolus qui volebat quasi fur aliquid inuolare, adiutus operibus vestris, videt totum suum factum esse, vnde volebat paululùm aliquid tollere. F Ergo de vobis dixit Deus: *Si videbas furem, currebas cum eo.* Psal. 49. Denique in Euangelio sic scriptum est: *Cum autem Deus deseruerit hominem, remanet vas inane: spiritus autem immundus errans per loca deserta, ieiunus dicet: Domus mea vacua est: hoc est dicere, qui me excluserat, exclusus est. Reuertar illuc, & habitabo. Et adducet secum alios septem saniores, & habitabit illic, & erunt nouissima hominis illius peiora prioribus*: Hoc est, *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Hæreticos dicit adulteros, & adulteras Ecclesias illorum: quas aspernatur & repudiat Christus in Canticis Canticorum, quasi dicat: *Quid mihi colligitis non necessaria? vna est dilecta mea, vna est sponsa mea, vna est columba mea, id est, Catholica*: Cant. 2. 5 & 6. In qua & vos cum esse possetis, rebaptizando inter adulteros particulam habere voluistis. Et quoniam vos esse peccatores diuino testimonio manifestissimè comprobatum est: etiam illud ostensum est, tua auxilia contra te militasse. In auxilium enim adduxeras Prophetam in quo lectum est, *Sacrificium peccatoris, quasi qui victimet canem.* Eccl. 34 G Iam peccatores vos esse, si pudor est vllus, cum dolore cognosce. Etiam illud disce, cuius vox sit: *Oleum peccatoris non vnget caput meum.* Psal. 140 Tu enim non intellexisti, cuius hæc vox sit, vtique Christi, qui necdùm vnctus fuerat, cum rogaret, vt oleum peccatoris non impinguaret caput eius. Hæc tu non intelligens dixisti: Quia Propheta timuit oleum peccatoris, à Samuele iamdudum puer vnctus fuerat: Qui cantabat, non fuit ratio vt iterùm vngeretur: Ergo vox est Christi dicentis, *Oleum peccatoris non vnget caput meum.* Preces sunt, non iussiones: Desideria sunt, non præcepta. Nam si iussio esset, diceret: Oleum peccatoris non vngat caput meum. Vox est ergo filij Dei iam tunc metuentis oleum peccatoris incurrere, id est, cuiusque hominis; quia nemo non est peccator, nisi solus Deus. Ideò filius eius timuit oleum hominis, quia fœdum erat vt Deus ab homine vngeretur. Ideò deprecatur Patrem, vt non vngatur ab homine, sed ab ipso Deo Patre. Petit ergo Filius: videamur an concesserit Pater. Hoc Spiritus sanctus indicat & manifestat in psalmo 44. vbi ait H ad ipsum Filium: *Vnget te Dominus Deus tuus oleo exultationis aliter à consortibus tuis.* Psal. 44. Consortes fuerant Iudæorum Sacerdotes & Reges, quos singulos vnctos ab hominibus constat. Sed quia Filius à Patre, Deus à Deo erat vngendus, secundum quod Filius petiit, & Spiritus promissa nuntiauit, compleuit Pater in Iordane. Quo cum venisset Filius Dei, Saluator noster, à Ioanne ostensus est his verbis, *Ecce Agnus Dei. Hic est, qui tollit peccata mundi.* Ioan. 2. Descendit in aquam: non quia erat quod in Deo mundaretur, sed venturum oleum aqua debuit antecedere, ad mysteria initianda & ordinanda & implenda Baptismatis, lotus cum in Ioannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterij & compleuit Pater, quod rogauerat Filius, & quod nuntiauerat Spiritus sanctus. Apertum est cœlum Deo Patre vngente, spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, & insedit capiti eius, & perfudit eum, vndè cœpit dici Christus, quando vnctus est à Deo Patre, cui ne manus impositio defuisse videretur, vox audita est

A Dei de nube dicentis: *Hic est filius meus, de quo bene sensi, hunc audite.* Hoc est igitur quod lectum est: *Oleum peccatoris non vnget caput meum.* Rationem veritatis, frater Parmeniane, vt serò addisce, quoniam nunc tempus esse inuenisti discendi. Et illud quod in Salomone Propheta lectum esse dixisti: *Filios adulterarum inconsummatos*, & spuria vitulamina altas radices dare non posse. Hoc & simpliciter dictum esse intelligi potest. Vnde si figuram facias, veros adulteros excusasti. Sed fac vt singulariter dictum sit, hoc de hæreticis dictum est, apud quos sunt Sacramentorum falsa connubia: & quorum thoris iniquitas inuenitur: vbi in exterminium fidei corrupta sunt semina. Dum Valentinus Filium Dei in phantasmate, non in carne fuisse cótendit, Fidem suam suorúmque corrupit. Natiuitatis eorum semen exterminatum est, qui non crediderunt Filium Dei in carne natum de Virgine Maria, & passum in carne.

Matt.3. Marc 1. Luc.3. Psal.44. Sap.4.

Jer.2. B Nam & illud quod in Hieremia Propheta te legisse commemorasti, exhorruisse cœlum quod duo maligna populus Dei fecerit, vt derelinquerent fontem aquæ vitæ, & foderent sibi lacus detritos, qui non possent aquam continere. Legisti quidem, sed vt se res habet, intelligere noluisti: studio criminandi ad conuitium Catholicorum cuncta componens, multum ad arbitrium tuum declinare conatus es. Si enim putas per Prophetas sic dicta esse omnia, vt ad tempora nostra pertineant; excusato Iudæos, de quibus hæc dicta esse constat, qui diuiserunt Deum viuum, Deum verum, Deum qui illis beneficia præstitit. Et fecerunt sibi idola, hoc est, lacus detritos, qui non possunt aquam continere. Ideò perennis maiestas exundat. Sicut in fontem aqua largiter defluentibus venis exuberat, idola verò si non fiant, non sunt, & lacus nisi fodiatur, sinus capaces habere non potest. Lacus sine arte & ferramentis cauari non potest: Nec idolum sine artifice fieri potest: In idolis virtus naturalis nulla est, sed hominum errore adiungitur & applicatur: Æstimatur in idolo virtus.

C Quæ illic nata non est, lacus est arte detritus: cuius fabrica vexatio est.

Hoc est quod dixit Deus: Duo mala fecisse populum suum, quia se reliquerat fontem aquæ viuæ, & effossos & detritos sibi fecerat lacus. Etenim Iudæorum populus deseruerat veram, quam non nouerat maiestatem: & idolorum inquinatam secutus fuerat Religionem. Hoc est quod dolet Deus. Hoc est quod dicit Cœlum exhorruisse. Nam & per Isaiam idem Dei dolor est, dum in hoc

Isai.1. duo testatur elementa, dum ait: *Audi Cœlum, & percipe auribus terra. Filios generaui, & exaltaui: ipsi autem me dereliquerunt.*

Quare non de hac lectione aliquid, frater Parmeniane, dixisti? An quia hic non est aqua nominata? Intelligeris enim studio criminandi sic palpasse legem, vt vbicumque aquam scriptam legeris, præstigiis quibusdam ad inuidiam collegeris, & euerticulo quodam malitiæ argumentorum intexto, ad te omnia quæ sunt bona traxisti. Nam qualis est tuus intellectus in hoc capitulo Ie-

D remiæ, cum clamaret Deus se desertum esse, & sic effossos lacus? pro se irascitur, non pro re sua. Aqua enim baptismatis res Dei est, non Deus. Quare vides, te sine causa fecisse conuitium: & fingens pro arbitrio tuo, quod voluisti, vt Taurinum & Macarium lacerares, perdidisti, quod sapiens videris, dum sensus tuos inuidia deprauauit, & intelligendi tibi aditus clausit. Probatum est ergo, te non contra nos, sed contra vos dixisse, quod ante dictum est de oleo & sacrificio peccatoris.

S. OPTATI EPISCOPI MILEVIT. contra Parmenianum.

Liber Qvintvs.

QVi fuerint traditores & auctores schismatis, in primo libro manifestissimis documentis ostendimus, & apud nos esse vnam & veram Ecclesiam Catholicam se-

E cundò monstrauimus. Tertiò verò probauimus, quæ asperè facta esse dicuntur, ad nos minimè pertinere, & vos magis peccatores esse, iudicio Diuino docuimus. Iam de Baptismate hoc loco dicendum est: in qua te quæ nunc agitur quæstio tota consistit, quod Baptisma vestra violauit audacia, dum id voluistis iterare, quod semel mandauit Christus. Quod nec tu nefas, frater Parmeniane, quia in principio tractatus tui, multa contra vos pro nobis, quæ sunt nostra, dixisti. Commemorasti enim in comparatione Baptismatis, semel factum esse diluuium, & vnam Circuncisionem fuisse apud populum Iudæorum. Et cum hæc initio dictionis tuæ latè tractaueris, in processu tractatus tui horum immemor factus es, inducendo duas aquas, & de aqua vera & falsa dicturus, principium sermonis tui insipienter perstruens ordinasti: Infirmando, confirmas sancti Baptismatis vnionem. De Circuncisione Iudaica, quasi fundamenta iactare voluisti, quod Baptisma Christianorum in Hebræorum Circuncisione fuerat adumbratum. Defendisti Catholicam dum impugnas. Etenim in progressu tractatus tui, alterum te inanire professus es, vt alterum replere videreris. Extra Hæreticorum Baptismata, dum dicis alterum & alterum, licet diuersa ostendere conatus sis, non possis negare: quia duo sunt: ex quibus dum conaris auferre alterum, laborasti vt de secundo quasi primum facere videreris. Circuncisio ante aduentum Baptismatis in figura præmissa est, & à te tractatum est, apud Christianos duas esse aquas. Ergo & apud Iudæos duas Circuncisiones ostende, alteram meliorem, peiorem alteram. Hoc si quæras, non poteris inuenire. Abrahæ prosapia quâ Iudæi censentur, hoc sigillo se insigniri gloriatur. Ergo talis debet veritas sequi: qualis eius imago præmissa est. Nam & Deus, qui voluit ostendere rem singularem postea esse debere, non de auricula, non de digito voluit aliquid tolli: sed ea pars corporis electa est decipere, vt semel ablatum, salutare in illis faciat signum, quod non potest iterùm fieri. Semel enim factum seruat salutem: Si iterùm fiat, potest afferre perniciem. Sic & Baptisma Christianorum Trinitate confectum, confert gratiam: Si repetatur, facit vitæ iacturam. Quid igitur tibi placuit, frater Parmeniane, rem singularem proponere & contra hanc, licet diuersa, duo Baptismata comparare: Vnum verum, alterum falsum? Sic enim postea disputasti, duas aquas esse, cum vobis vnam vindicans veram, nobis mendacem ascribere voluisti. Post hoc & cataclysmi fecisti mentionem. Erat quidem imago Baptismatis, vt inquinatus totus orbis, dimersis peccatoribus lauachro interueniente, in faciem pristinam mundaretur. Sed quid postea dicturus eras, extra hæreticorum morbidos fontes esse, etiam aliam aquam, id est, mendacem, contra veram: vt quid cataclysmum: (quod semel fuit) commemorare voluisti? Si ita est, ostende priùs duas arcas non similes, & duas columbas dispares, diuersos ramos ore suo portantes, si aquam veram & falsam probaturus es. Aqua igitur sola & vera illa est, quæ non de loco, non de persona, sed de Trinitate condita est. Et quia dixisti, & aquam esse mendacem, etiam hoc disce, vbi eam poteris inuenire. Apud Praxeam Patripassianum, qui ex toto Filium negat, & Patrem passum esse contendit: cum sit Filius Dei veritas, sicut ipse testatur dicens: *Ego sum ianua, & via, & veritas.* Ergo si Filius Dei est veritas, vbi ipse non est, mendacium est. Cum apud Patripassianos non est Filius, non est nec veritas: Et vbi veritas non est, ibi est aqua mendax. Quare vel sero desine confingere crimina, & quod in Patripassianos dictum est, in Catholicos noli transferre. Nunc quoniam manifestè monstratum est, à nobis & pro nobis dici potuisse, quod de diluuio & Circuncisione locutus es: Consequens est ostendere, quomodo laudem Baptismatis ita dixeris, vt in ea multa pro nobis & pro vobis, aliquid tamen & contra vos. Pro vtrisque illud est, quod & nobis commune est, ideò & vobis quia ex nobis existis. Denique & apud vos, & apud nos vna est Ecclesiastica conuersatio, communes lectiones, eadem

Baptisma à Donatistis iteratū.

F

G Baptismus censert gratiam.

Gen. 7.

H

A fides: ipsa fidei Sacramenta, eadem mysteria. Bene igitur laudasti Baptisma. Quis enim fidelium nesciat, singulare Baptisma virtutum esse vitam, criminum mortem, natiuitatem immortalem, cœlestis regni comparationem innocentiæ portum, peccatorum (vt & tu dixisti) naufragium. Has res vnicuique non eiusdem rei operarius, sed credentis Fides & Trinitas præstat. Deinde quæris quid in laude baptismatis contra vos dixeris? Audi, sed priùs est fatearis, quod omnes negare minimè poteritis. Diciris enim Trinitatem pro nihilo haberi, vbi non interfuerit vestra præsentia. Si nobis derogatis, vel Deum reuereremini, qui in Trinitate prior est: Qui cum Filio suo & Spiritu sancto omnia operatur & complet, etiam & illic vbi non fuerit humana persona. Tu vero, frater Parmeniane, in laude aque de Genesiorum lectione dixisti, aquas primum viuas animas edidisse: nunquid suâ sponte eas generare potuerunt? nunquid non & illic fuerat tota Trinitas? vtique & illic fuerat Deus Pater, qui iubere dignatus est, & dixit: *Educant aqua natantia & volatilia, &c.* Quod si sine operante fieret quod factum est, diceret Deus, *Educite aqua.* Ibi erat ergo Filius Dei qui operabatur. Ibi erat Spiritus Sanctus, sicut lectum est: *Et spiritus Dei ferebatur super aquas.* Nihil illic video quattum nihil minùs à tribus, & tamen natum est: quod Trinitas operata est: & non ibi fuistis: aut si sine vobis nihil debet licere Trinitati: reuocate pisces in originem: iam volantes aues fluctibus mergite, si vobis absentibus nihil debet Trinitas operari. Cum ergo dixeris & vnum fuisse diluuium, & Circuncisionem repeti non posse: Et nos docuimus cœleste munus vnicuique credenti à Trinitate conferri, non ab homine: Et quid vobis visum est, non post nos, sed post Trinitatem, Baptisma geminare & cuius de Sacramento non leue certamen innatum est, & dubitatur, an post Trinitatem in eadem Trinitate hoc iterùm liceat facere. Vos dicitis, *licet*: nos dicimus *non licet.* Inter *licet* vestrum, & *non licet* nostrum, nutant & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis: omnes contentiosi homines sumus.

Baptismi laudes.

B *Genes. 1.*

C Quærendi sunt iudices: Si Christiani vtraque parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur: Deforis quærendus est iudex: Si Paganus, non potest nosse Christiana secreta. Si Iudæus, inimicus est Christiani Baptismatis. Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri iudicium, de cœlo quærendus est iudex. Sed vt quid pulsamus ad cœlum, cum habeamus hic in Euangelio testamentum? Quia hoc loco rectè possunt terrena cœlestibus comparari: tale est, quod quiuis hominum habens numerosos filios. His quamdiu Pater præsens est, ipse imperat singulis: non est adhuc necessarium testamentum. Sic & Christus, quamdiu præsens in terris fuit (quàuis nec modo desit) pro tempore quicquid necessarium erat, Apostolis imperauit. Sed quomodo terrenus pater, cum se in confinio senserit mortis, timens ne post

D mortem suam ruptâ pace litigent fratres, adhibitis testibus voluntatem suam de pectore morituro transfert in tabulas diu duraturas. Et si fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, sed quæritur testamentum. Et qui in tumulo quiescit, tacitis de tabulis loquitur viuus. Is, cuius est testamentum, in cœlo est. Ergo voluntas eius, velut in testamento, sic in Euangelio inquiratur. Etenim præsentia quæ modo facitis, iam futura conspexerat Christus. Denique cum lauaret pedes discipulis suis, sic ait Petro Filius Dei: *Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem posteà.* Dicendo, *Scies posteà*, hæc tempora designabat. Ergo inter cæteros testamenti titulos, hunc titulum de aqua constituit. Cum lauaret pedes discipulis suis, tacentibus cæteris si taceret & Petrus, solam fecerat formam humilitatis, nihil pronuntiauerat de Sacramento Baptismatis. Sed cum Petrus recusat, nec pedes sibi lauari permittit, negat illi Christus regnum, nisi accepisset obsequium. Sed cum cœlestis regni mentio fieret, à quo pars corporis petebatur ad obsequium, totum corpus obtulit ad lauachrum. Nunc adestote omnes turbæ, & singuli Christiani populi, quid liceat,

Ioan. 13.

E discite: dum prouocat Petrus, Christus docet. Qui dubitat, discat. Christi vox est, *Qui semel lotus est, non habet iterum necessitatem lauandi.* Et de eo lauachro pronuntiauit, quod de Trinitate celebrandum esse mandauerat: non de Iudæorum aut hæreticorum, qui dum lauant, sordidant: sed de aqua sancta, quæ de trium nominum fontibus inundat: Sic enim ipse Dominus Christus præcepit dicendo: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* De hoc lauachro dixit: *Qui semel lotus est, non habet iterùm necessitatem lauandi.* Qui semel dixit, prohibuit iterùm fieri. Et de re locutus est, non de persona. Nam si esset distantia, diceret: *Qui semel bene lotus fuerit.* Sed dum addidit verbum, *bene*, indicat quia quicquid in Trinitate factum fuerit, bene est. Inde est, quod simpliciter à vobis venientes excipimus, cum dixit: *Non habet necessitatem iterùm lauandi.* Hæc sententia generalis est, non specialis. Nam si Petro hæc dicerentur, diceret Christus: *qui semel lotus est, non habet necessitatem iterùm lauandi.* Ideò

Ioan. 13. *Mat. 28.* *Contra Anabaptismum.*

F quoties à vobis baptizatus aliquis, ad nos transitum voluerit facere, venientem hoc magistri exemplo totâ simplicitate suscipimus. Absit enim, vt iam lotum reuocemus ad fontem: absit, vt in Spiritum sanctum peccemus: cui facinori, & præsenti & futuro sæculo indulgentia denegatur: Absit, vt iteremus, quod semel est: aut duplicemus quod vnum est. Sic enim scriptum est, Apostolo dicente: *vnus Deus, vnus Christus, vna fides, vna tinctio.*

Ioan. 3.

Denique vos, qui Baptisma quasi libenter duplicare contenditis: si datis alterum Baptisma, date alteram fidem: Si datis alteram fidem, date & alterum Christum: Si datis alteram fidem, date & alterum Deum. Vnum Deum esse negare non potestis, ne in Marcionis foueas incidatis. Ergo Deus vnus est: de vno Deo vnus est Christus. Qui rebaptizatur, iam Christianus fuerat. Quomodo dici potest iterùm Christianus? Vna fides hoc loco, ab

G hæreticorum erroribus & ab eorum variâ fide, fides vnica separatur. Et iam vobis præscribitur, qui post semel, iterùm facitis, totum ponendo in dotibus, nihil in Sacramentis. Cum hoc nomen fidei pertineat ad credentem, non ad operantem: Quocumque enim interrogante, cui credidit, Deo credidit. Et post illius vnum *credo*, tu exigis alterum *credo*. Deinde sequitur vnum Baptisma, vt quia quod vnum est, sanctum est, per quod vnum est: non solùm ab hæreticorum prophanis, & sacrilegis baptismatibus separetur, sed nec duplicetur quod vnum est, aut irritetur quod semel est.

In hoc sacramento Baptismatis celebrando, tres esse species constat, quas & vos, nec augere, nec minuere, nec prætermittere poteritis. Prima species est in Trinitate, secunda in credente, tertia in operante. Sed non pari libramine ponderandæ sunt singulæ. Duas enim video necessarias, & vnam quasi necessariam. Principalem locum Trinitas possidet, sine qua res ipsa non potest geri: hanc sequitur fides credentis. Iam persona operantis vicina

H est, quæ simili auctoritate esse non potest. Duæ priores permanent semper immutabiles & immotæ: Trinitas enim semper ipsa est: fides in singulis vna est: vim suam semper retinent ambæ. Persona verò operantis, intelligitur duabus prioribus speciebus par esse non posse, ideò quod sola esse videatur mutabilis. Inter nos & vos vultis eiusdem personæ esse distantiam: & sanctiores vos æstimantes, superbiam vestram non dubitatis anteponere Trinitati; cum persona operantis mutari possit, Trinitas mutari non possit.

Et cum ab accipientib⁹ baptisma desiderari debeat, vos desiderandos esse proponitis. Cum operantes inter alios sitis, ostendite qualem in eodē mysterio locum habeatis, & an ex eodem corpore esse possitis. Baptismatis vnicum nomen est: cui subest proprium corpus: cui corpori certa sunt membra: quibus nec addi, nec auferri aliquid potest. Inter quæ membra, si & eligēdus operarius inuenitur, totum corpus ad operātem pertinet. Hæc omnia huius corporis membra, & semper & semel secum sunt, & mutari non possunt. Operarij verò quotidie mutantur & locis, &

temporibus,

A temporibus, & personis. Neque enim vnus homo est, qui semper aut vbique baptizat in hoc opere. Iamdudùm alij fuerunt, modo alij, posteà alij futuri sunt: Operarij mutari possunt, Sacramenta mutari non possunt.

Baptizantes operarij sunt, non domini. Cum ergo videatis, omnes qui baptizant, operarios esse non dominos, & Sacramenta per se esse sancta non per homines, quid est, quod vobis tantùm vindicatis? Quid est quod apud vos solos munus principale esse dicitis? Quid est quod Deum muneribus suis excludere contenditis? Concedite Deo præstare quæ sua sunt. Non enim potest munus ab homine dari, quod diuinum est. Si sic putatis, & Prophetarũ voces, & Dei promissa inanire contenditis, quibus probatur quia Deus lauat non homo. Adest contra vos Dauid Propheta, qui ait in Psalmo 50. *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* Item in eodem Psalmo: *Deus laua me ab iniustitia mea, & à delicto meo munda me. Laua me*, dixit: non dixit, *elige per quem lauer.* Et Isaias Propheta sic dicit: *Quoniam abluet Dominus sordes filiorum & filiarum Sion.* Non dixit, *lauabunt me, qui se sanctos putant.* Dignamini vt vel Prophetæ vos vincant vel sic agnoscite, quia non lauat homo, sed Deus. Quamdiu dicitis, qui non habet quod det, quomodo dat? Videte Deum esse datorem: Videte Deum vnumquemque mundare. Sordes enim & maculas mentis lauare non potest, nisi qui eiusdem fabricator est mentis. Aut si putatis, quia lauachrum vestrum est, dicite: qualis est ipsa mens, quæ per corpus lauatur: aut quam habet formam aut quo loco in homine habitet? Hoc homini scire negatum est. Ergo quomodo putas, quia lauas, qui nescis quale sit quod lauas: Dei est mundare, non hominis: ipse per prophetam Isaiam promisit se loturum, dum ait: *Etsi fuerint peccata vestra velut coccum, vt niuem inalbabo. Inalbabo*, dixit: non dixit, *faciam inalbari.* Si hoc Deus promisit, quare vos vultis reddere, quod vobis nec promittere licet, nec reddere, nec habere? Ecce in Isaia se promisit Deus inalbare peccatis affectos, non per hominem. Reuertimini ad Euangelium: Videte, quid in salute generis humani sit pollicitus Christus. Cui cum mulier Samaritana aquam negaret, tunc à Filio Dei dictum est, quod præscribat præsumptionibus vestris: *Aquam* (inquit) *quam ego do, qui biberit, non sitiet in æternum. Aquam quam ego do*, inquit, non dixit, quam dederint qui se sanctos putant, sicut vos vobis videmini: sed se dixit daturum. Ipse est ergo qui dat, ipsius est quod datur. Quid est quod vobis totâ importunitate vindicare contenditis.

Psal. 50.

Isai. 4.

B

Isai. 1.

C

Ioan. 4.

Cum hanc rem cumulet Ioannes Baptista, qui præcursor venerat Saluatoris, cum multos tingeret in pœnitentia & remissa peccatorum, nuntiauit Filium Dei esse venturum. Cuius verba hæc sunt: *Ecce venit qui vos baptizat.* Et tamen non legimus post Ioannem Christum aliquem baptizasse. Quod ergo dixit: *Qui vos baptizat*, & veniens Christus illo tempore post Ioannem neminem tinxit: promissum erat temporibus nostris, vt ipse daret, quod hodie datur: secundum quod ait: *Aquam quam ego do qui biberit, non sitiet in æternum.* Nam & discipuli Ioannis, cum dicerent magistro suo: Ecce quem baptizasti, baptizat? Baptizabat quidem, sed per manus Apostolorum, quibus leges baptismatis dederat. Denique lectum est alio loco: *Nam ipse neminem baptizauit, sed discipuli eius.* In hac re omnes discipuli eius sumus, vt nos operemur, vt ille det qui se daturum esse promisit. Et tamen cum Ioannes infinita millia hominum baptizaret, iam Christo præsente operabatur seruus, & vocabat Dominus antequàm baptizandi daret formam. Peractum est non modicum tempus, millia hominum in pœnitentia & remissione tincta sunt peccatorum. Sed nemo tinctus fuerat in Trinitate: nemo adhuc nouerat Christum: Nemo audierat esse Spiritum sanctum. At vbi venit tempus plenitudinis, certo tempore dedit leges Baptismatis filius Dei: Et dedit viam quâ iretur ad regna cœlorum. Dum præcepit dicens: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ex ea die oportuit fieri quod mandatum est. Ante tempus noluit emendare quod operatum, ne licentiam rebaptizandi daret:

Ioan. 3.

Luc. 3.

D

Ioan. 4.

Mat. 28.

E quamuis alterum fuerit Baptisma Ioannis, & alterum sit Christi; Baptisma Ioannis ante leges plenum voluit esse, quod non erat plenum. Et tamen supra memorata millia hominum, qui in eo crediderant, quamuis ignorarent Filium Dei & Spiritum sanctum, regnum cœlorum eis denegari non potuit. Inde vox Filij Dei dicentis: *A diebus Ioannis vsque in hodiernum, regnum Dei vim patitur. Et qui vim faciunt, diripiunt illud:* Ideò dixit vim patitur, quia adhuc baptizabat Ioannes. Denique quia alterum tempus erat ante præcepta, alterum post præcepta. Qui post præcepta in nomine Saluatoris baptizati sunt, in regnum legibus intrauerunt. Qui ante præcepta, sine lege vim fecerunt, sed exclusi non sunt. Ergo ante præcepta, Baptisma Ioannis, cum esset imperfectum, pro perfecto iudicatum est ab eo cuius nomen indicabat. Et quia quasi limes quidam fixus esset iussionis inter tempora antecedentia & sequentia: Cum apud Ephesum baptizarentur aliqui baptismate Ioannis post præcepta, hos, videns beatissimus Paulus interrogauit: An accepissent Spiritum sanctum: Dixerunt illi se nescire an esset Spiritus sanctus. Et dixit illis, vt post Baptisma Ioannis acciperent Spiritum Sanctum. Sic enim baptizati erant, quemadmodum multi à Ioanne fuerant baptizati. Sed qui ante leges baptizati sunt, ad indulgentiam pertinuerunt, quia præsens fuerat qui indulgentiam daret: & non erant ex toto rei, qui legibus non fuerant occupati. Hi verò qui apud Ephesum post leges Ioannis Baptismate baptizati fuisse leguntur, post leges in Sacramento errauerant: quia, iam introductum fuerat Baptisma Domini, & exclusum fuerat serui. Et ideò, quia post mandata diuina, legibus debuerant ire in regnum, non per violentiam (iam enim terminum temporis fixerat Christus dicendo: *A diebus Ioannis vsque in hodiernum.*) post hodiernum iam non licebat quod hic licuerat. Quare nolite vobis blandiri de dicto Apostoli Pauli, qui non post personam operarij interrogauit, sed post rem: cui res non persona displicuit. Denique Baptisma Saluatoris iussit, vt discerent qui non nouerant, quia non ipsum sed aliud acceperant. Vos verò quid imitamini? si res potestis mutare, rectè feceritis: si tamen de lege aliquid faceretis: si Paulus dixit, *In quo baptismate baptizati estis?* Et dixerunt, *Ioannis:* persuasit eis vt baptisma Christi acciperent. Vos non dicitis, quid accepistis, sed à quo acceperistis. Et insectamini in personas hominum, & vultis iterare quod semel est. Qui baptizati erant apud Ephesum, crediderant in pœnitentia & remissione peccatorum: rectè illis dictum est, vt baptizarentur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Vos verò quid mutatis in hominibus, qui iam dixerunt, se credidisse in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: Siue ipsum interrogatis, siue aliud conuincamini, necesse est peccare vos: Siue aliud interrogetis quod iussum non est, siue hoc velitis facere, quod iam factum est. Redeo nunc ad illud vestrum quod dicitis. Qui non habet quod det, quomodo dat? Vnde hæc vox est? De qua lectione recitari potest? Vox est de vico, non de libro collecta. Qui non habet quod det, quomodo dat? Hæc verba scripta in lege non sunt. Nam si (vt vultis) homo dat, Deus vocat, & si Deus vocat, & apud vos est omne quod dandum est, ad vos sit conuersio: quod baptizati in nomine vestro tingantur. Erubescite B. Paulo clamante, & suam gratulationem profitente: *nunquid in nomine meo baptizati estis?* Ille gaudet quod duos solos & vnam domum baptizauerit. Et vos populos rebaptizare contenditis, & peccasse vos & peccare gaudetis, dicentes: *Quid dat, qui non habet quod det?* cui creditur ipse dat quod creditur, per quem creditur. Denique sub Ioanne infinita multitudo hominum baptizata est, probate Ioannem aut accepisse, aut habuisse quod daret. Illo autem operante dabat Deus, qui dando non fecit. Et nunc operantibus cunctis humana sunt tempora, sed Dei sunt munera. Iam illud quàm ridiculum est, quod quasi ad gloriam vestram à nobis semper auditur. *Hoc munus Baptismatis est dantis, non accipientis:* Et vtinam hoc de Deo diceretis, qui huius rei dator est. Sed quod stultum est vos dicitis

Luc.

F

G

Act.

H

Vox de vico.

1. Cor.

A esse datores. Si ita est, & vos & nos teneamus singulos gentiles: vos, qui vos sanctos dicitis interrogate eum quem tenetis, an renunciet diabolo & credat Domino? Et ille dicat, *Nolo*. Contra nos peccatores (vt vultis) interrogemus alterum Gentilem, an renunciet diabolo & credat Deo, &c. Et dicat, *renuntio & credo*. Cum vos tingatis nolentem, nos volentem: dicatur, quis eorum possit ad Dei gratiam pertinere? Vtique sine dubio ille consequitur qui credit, non ille pro cuius voluntate (vt dicitis) sanctitas vestra succedit. Operarios vos vel serò cognoscite. Aut si in operato est res ipsa, & non in se, hoc sibi vendicent & aliqui homines in artibus suis, vt quia sic prouocatis ad res Diuinas, etiam artes comparemus humanas. Cum pretiosus inficitur color, natura sæpè conuertitur. Dum conuectione vellus candidum purpurascit. Sic alba lana regalem transit in purpuram. Quomodo Catechumenus in fidelem? Vtique dum incipit esse quod non erat, desinit esse quod fuerat. Lana & colorem mutat & nomen. Et homo & vocabulum mutat & mentem. Considerata sunt effecta, retractanda sunt efficientia. Dicis à te datum esse, quod homo fidelis effectus est. Si hoc totum meum est, dicat & operarius purpuræ, quod pretiosum colorem in sanis manibus habeat: non procuret pretiosa pigmata ex Oceano multis ignota, quibus vellera, per colorem promoueant in admirabilem dignitatem: non admixto sanguine piscis, purpuram solo tactu conficiat. Igitur vt operarius iste per tactum solum dare colorem non potest, sic nec operarius Baptismatis, ex se sine Trinitate dare aliquid potest. Tale est hoc vnde modo certamen est. Nam in quo baptizentur gentes, à Saluatore mundatum est: per quem baptizentur, nulla exceptione discretum est. Non dixit Apostolus: *vos facite, alij non faciant*: Quisquis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizauerit, Apostolorum opus impleuit. Denique lectum est in Euangelio, Ioanne dicente: *Magister vidimus quemdam in nomine tuo expellentem dæmones, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum*. Sic Christus ait, *Nolite prohibere, qui enim non est contra vos, pro vobis est*. Nam & ipsis mandatum est, sic vt opus esset illorum sanctificatio Trinitatis, nec in nomine suo tingerent, sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ergo nomen est quod sanctificat, non opus. Intelligite vos serò operarios esse, non dominos. Et si in Ecclesia vinea est & vites sunt homines & ordinati cultores: Quid in dominum patrisfamilias irruistis? Quid vobis, quod Dei est, vindicatis? Quid vultis vestrum esse totum, vbi nec partem poteritis habere? Nam propter tumorem vestrum, quo in nos intumescitis, increpat Corinthios beatissimus Paulus: in se & Apollo Actus nostri temporis conformat: *Ne alter in alterum* (inquit) *intumescat*. Vt ostenderet, quia quod totum Sacramentum Baptismatis Dei est, & illic sibi nihil vindicet operarius, sic ait: *Ego plantaui, Appollo rigauit*, Id est, de Pagano Cathecumenum feci: Ille Cathecumenum baptizauit: Sed vt cresceret quod plantatum aut irrigatum est, Deus fecit. Nam & quiuis hodiè volens vineam pastinare, operarium placidà mercede conducit: qui curuato dorso & desudatis lateribus, sinus terræ faciat, vbi deponat electa plantaria & aquam calcatis scrobibus superducat: Scrobem fodere & plantaria ponere potest: aquam inducere potest, imperare vt teneat non potest. Est enim hoc solius Dei, de medullis palmitum producere radices coalescentes in terram, & gemmantes oculos, incrementa frondium prouocare. Denique Beatus Apostolus Paulus, vt vestram præsumptionem tumoremque compesceret, ne se æstimet operarius Baptismatis, aut habere dominium, aut de tanto isto munere particulam sibi aliquam vindicare: indicans, quia totum Dei est, sic ait: *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed solus Deus, qui ad incrementa perducit*. Operati inter alios estis instante sole, hoc est, finito sæculo: potestis in die retributionis, nobiscum de mercede contendere. Nolite vobis maiestatis dominium vindicare: Nam si ita est, vindicent sibi

Res in operato. — Marc. 9. Luc. 9 — 1. Cor. 3. — 1. Cor. 3. Mat. 25. Luc. 10.

E & ministri, qui mensæ Dominicæ famulantur, vt pro humanitate exhibita, ab inuitatis gratulatio eis referatur. Christi vox est inuitantis: *Venite benedicti Patris mei*: veniunt gentes ad gratiam. Exhibet illi qui inuitare dignatus est, ministerium exercet turba famulorum. Non famulantibus, sed pascenti referendæ sunt gratiæ. Vos nobiscum comministri sitis: inuerecundè totum vobis conuiuij dominium vindicatis: cum se & cæteros beatissimus Paulus famulos cum humilitate fateatur. Ne quis putaret, in solis Apostolis aut Episcopis spem suam esse ponendam, sic ait, *Quid est enim Paulus, vel quid Apollo? Vtique ministri eius, in quem credidistis*. est ergo in vniuersis seruientibus non dominium, sed ministerium. Vides ergo frater Parmeniane, ex tribus speciebus supra memoratis, illam primò tripartitam esse immotam, inuictam, immutabilem, & operantis temporariam esse personam. Restat iam de credentis merito aliquid dicere: Cuius & fides, quam Filius Dei & Sanctitati suæ anteposuit & Maiestati. Non enim potestis sanctiores esse, quam Christus est. Ad quem cum mulier illa veniret, cuius filia erat mortua, & rogaret vt suscitaretur, nihil promisit de virtute sua, sed post fidem interrogat alienam, vt si mulier crederet, pro matris credulitate, filia surgeret. Si non crederet: virtus filij Dei feriata cessaret. Interrogatur mulier: Respondit se credere fieri posse quod rogabat. Iubetur ire, redit ad domum mulier, inuenit puellam viuam, quam dimiserat mortuam. Non ruit in oscula, non properauit in amplexus, sed redit vt Saluatori gratias ageret. Et vt ostenderet Filius Dei, se vacasse, fidem tantummodò operatam esse: *Vade* (inquit) *Mulier in pace: fides tua te saluabit*. Vbi est quod dicis: *Dantis est non accipientis?* Quid vobis videtur & Centurionis fides? cuius puer cum malè haberet, Saluatorem petiit, vt ab eo mortem repelleret. Iam Christus pereuntem veniebat ad puerum, sic eum Centurio tenuit, indignitatem tecti sui confessus, quod Filius Dei totus non deberet intrare, sed suam virtutem mittere, quâ puer fugata morte reuiuiscere potuisset. Non fortitudo Centurionis, & non sapientia laudata est, sed fides. *Et curatus est puer in illa hora*. Certè dantis est, non accipientis. Multa sunt huiusmodi in Euangelio de fide perfecta, sed vel tria complenda sunt fidei testimonia. Quid vobis videtur & illa mulier, quæ de secreto causæ fœminarum, cum per annos duodecim laboraret, & omnem substantiam suam in medicos erogasset: cum videret à Filio Dei tantas celebrari virtutes, processit in turbam, videt medicum, videt & populum: cogebat illam dolor, vt medicinam peteret: pudor impediebat ne causam suam totam masculis indicaret. Inuenit consilium tacita fides: *Mittam* (inquit) *manum meam: & tangam fimbriam vestimenti eius, & sana fiam*. Nemine vidente inter turbas, manum misit, tetigit & sanata est. Nec ausa est indicare quod ausa non fuerat petere. Sed ne fructus fidei apud ignorantes latere videretur, sic Saluator ait: *Quis me tetigit?* Mirati sunt discipuli eius, dicentes: *Turbæ te comprimunt, & dicis, quis me tetigit?* Et Christus: *Quis me*, inquam, *tetigit? sensi enim à me exiisse virtutem*. Sic mulier confessa est, se tetigisse, & sanatam esse. Iamdudùm mater pro filia petiit, pro puero Centurio postulauit. Hoc loco nec mulier petiit, nec Christus promisit, sed fides tantùm, quantùm præsumpsit, exegit: Certè dantis est, non accipientis. Nam quod ad amplificandos tractatus tuos, frater Parmeniane, Naaman Syrum, quasi immaturam quamdam durissimorum nascentium vulnerum massam, diu describere voluisti, quid hoc ad præsentem pertinet causam? Benè hoc diceres, & longâ oratione rectè vti potuisses, si inuenires aliquem Cathecumenum scabrosissimis moribus, qui generet durissimam mentem, qui lenissimam gratiam aquæ salutaris accipere detrectaret. Benè hominis innouationem verbis à te dictis ostenderes. Benè veternosam naturalem duritiam in infantilem carnè immutari ac molliri

Matt. 25 — 1. Cor. 3. — Matt. 8. — Luc. 7. — Matt. 8. — Matt. 9 Luc. 8. — 4. Reg. 5.

posse

A posse monstrares. In hoc verò negotio, quod inter partes tempore præsente tractatur, vt quid à te talis commemorata est lectio? in qua non legitur aliquis illum leprosum Syrum vel iussione Helisæi lauisse, vt meritò denuò meliùs lauaretur. Quod etsi fieret, nec si vobis occurreret, quod rectè imitari possetis. Non enim legitur ille priùs lauisse in fluminibus Syriæ, aut ab aliquo lotus esse, & nihil profecisse. Nam etsi hoc legeretur, non ad Helisæi laudem, qui non lauit, sed consilium dedit: sed ad Iordanis gloriam pertineret, illi homini in eo flumine primitiuam gratiam prouenisse, in quo postea sub Ioanne per confessionem in pœnitentia populorum peccata fuerant moritura. Postremò, qualis est illa pars tractatus tui de cœlestibus nuptiis, vbi spem amputans futurorum totum in præsenti tempore posuisti dicendo, à societate vestra proiectum esse eum, qui ianitores & ministros fefellerit vestros, vt à communione fidelium, foràs cum iniuria mitteretur. Si ita est, nihil est
B quod speret fides: nihil quod resurrectio repræsentet, nihil quod in cœlis amplius expectetur. Nihil quod Rex ille & paterfamilias Deus in suo conuiuio agnoscat, cum præsentiâ multorum gaudeat, & de aliquorum absentia contristetur. Et multos dicat vocatos, & paucos electos.
Mat. 20. Mat. 22. Nihil erit, quod irascatur vestem nuptialem non habenti, cùm Filius Dei ipse Christus sit sponsus. Et vestis, & tunica natans in aqua, quæ multos vestiat, & infinitos expectet, nec vestiendo deficiat. Sed ne quis dicat, temerè à me Filium Dei vestem esse dictum, legat Apostolum dicentem, *Quotquot in nomine Christi baptizati estis, Christum induistis.* O tunica semper vna & innumerabilis, quæ decenter vestiat & omnes ætates & formas, nec in infantibus rugatur, nec in iuuenibus tenditur, nec in fœminis mutatur. Aderit profectò ille dies, vt cœlestes nuptiæ incipiant celebrari. Illi qui Baptisma singulare seruauerint, securi discumbent. Qui-
C cumque à vobis se rebaptizari consenserit, huiusmodi homini non denegatur resurrectio, quia credidit in resurrectione carnis, resurget quidem, sed nudus. Sed quia nuptiali veste à vobis se expoliari permisit, hanc patrisfamilias auditurus est vocem: *Amice*, hoc est dicere, cognosce te, cum aliquando renuntiaueras diabolo, & ad me conuersus fueras. Et dederam tibi vestem nuptialem? *vt quid sic venisti non habens vestem nuptialem?* Hoc est dicere: Quare non habes, quod tibi dedi? Nemo enim potest irasci non habenti rem, quæ data non sit. Vestem nuptialem inter istos acceperas, & solus non habes: Quare nudus & lugubris venisti? Quis tibi detraxit spolia? Quas fraudulentas adisti fauces? Quot incurristi latrones? Quotquot tales venturi sunt, locum in illo conuiuio non habebunt.

S. OPTATI EPISCOPI MILEVIT. contra Parmenianum.

D

LIBER VI.

Indubitanter & liquidò demonstratum est, in diuinis Sacramentis quid nefariè feceris. Iam illa ostendenda sunt, quæ crudeliter ac stultè vos fecisse negare minimè poteritis. Quid enim est tam sacrilegum, quàm Altaria Dei (in quibus & vos aliquando obtulistis) frangere, radere, remouere? In quibus vota populi, & membra Christi portata sunt: Quò Deus omnipotens inuocatus sit, quò postulatus descendit Spiritus sanctus: vndè à multis pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est. Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non iussit saluator poni, nisi quæ
Matt. 5. essent de pace condita: *Depone*, inquit, *munus tuum ante altare, & priùs concorda cum fratre tuo, ne possit pro te sacerdos offerre.* Quid est enim altare, nisi sedes & corporis & sanguinis Christi? Hæc omnia furor vester aut rasit, aut fregit, aut remouit. Hoc igitur inexpiabile nefas, si de aliqua ratione descendit, vno modo fieri debuit. Sed, vt æstimo, alio loco copia lignorum frangi iussit, alio, vt altaria raderent lignorum inopia imperauit: vt remouerentur ex parte, verecundia iussit: vbique tamen nefas est, dum tantæ rei manus sacrilegas & impias intulistis. Quid perditorum conductam referam multitudinem & vinum in mercedem sceleris datum? Quod vt immundo ore sacrilegis haustibus biberetur, calida de fragmentis altarium facta est. Si liuoris indicio non vobis sordidi videbamur, quid vobis fecerat Deus, qui illic inuocari consueuerat? Quid vos offenderat Christus, cuius ille per certa momenta corpus & sanguis habitabat? Quid vos offendistis etiam vos ipsi, vt illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spatia, sanctè, vt arbitrabamini, obtulistis? Dum impiè persequimini manus nostras illic, vbi corpus Christi habitabat, feristis & vestras. Hoc modo Iudæos estis imitati. Illi iniecerunt manus Christo in cruce, à vobis percussus est in altari. *Christus in altari percussus.* Si Catholicos illic insectari voluistis, vel vestris illic antiquis oblationibus parceretis. Ibi modò superbus inuentus es, vt iamdudùm humilis offerebas: Ibi libenter peccatis, vbi pro multorum peccatis orare consueueras. Hoc faciendo in numerum sacrilegorum Sacerdotum libenter intrastis, sociari sceleribus prophanorum. De quibus apud Dominum Elias Propheta querelam deponit. His enim locutus est verbis, quibus & vos inter alios ab ipso accusari meruistis: *Domine* inquit, *altaria tua confregerunt.* Dum dicit, *tua*, 3. Reg. 19. indicat, quia res est Dei, vbi Deo aliquid à quocumque oblatum est. Sufficeret insaniæ vestræ, quod membra laniastis Ecclesiæ, quod Dei populos iamdudùm in vnitate positos vestris seductionibus diuisistis. Inter hæc omnia vel altaribus parceretis. *Contra altaria euersores.* Cur vota & desideria hominum cum ipsis altaribus euertistis? Illac ad aures Dei ascendere populi solebat oratio. Cur concidistis precibus viam? & ne ad Deum supplicatio de more solito ascensum haberet, impiâ manu quodammodò scalas subducere laborastis? Et tamen cum omnium vestrûm Num. 16 vna sit coniuratio, in hoc titulo simili errore dissimiliter deliquistis. Si suffecerat remouere, non licuit frangere. Si opportuit frangere, rasisse peccatum est. Si enim non licuit, sicut inter vos placuit, rectè videtur fregisse qui fregerit: iam reus est, qui maiorem partem radendo seruauit. Quæ est ista noua & stulta sapientia, nouitatem quærere in visceribus maiestatis, & remota quasi quadam corporis cute, in latente corpore cutem quasi alteram quærere: Vnde cùm aliquid fuerit ablatum, minui potest, mutari non potest. Rasisti equidem quod tibi visum est, sed adhuc ibi est quod odisti. Quid, quod si sic coniurastis, vt quæ à nobis in nomine Dei in ipso mysterio tacta sunt, immunda viderentur: Quis fidelium nescit, in peragendis mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri. Inter ipsa sacramenta velamen potuit tangi, non lignum. Aut si tactu possit penetrare velamen, ergo penetrantur & ligna: Si penetrari possunt ligna, penetratur & terra. Si à vobis lignum raditur, & terra, quæ subter est, fodiatur. Altam facite scrobem, dum pro vestro arbitrio quæritis puritatem. Sed obseruate, ne veniatis ad inferos, & illic inueniatis Core, Datham & Abiron schismaticos; magistros scilicet vestros. Ergo & fregisse vos & rasisse constat altaria. Quid est, quod in hac subitò vester quasi languere visus est furor? Videmus enim vos posteà mutasse consilium, & altaria à vobis iam non frangi, sed radi tantummodò aut remoueri. Si hoc sufficiebat, illa quæ priùs facta sunt, iudicatis, quia fieri minimè debuerunt à vobis. Hoc tamen immane facinus geminatum est, dum fregistis etiam calices, Christi sanguinis portatores: quorum species reuocastis in massas, mercem nefariis nundinis procurantes, ad quam nec emptores eligere voluistis sacrilegi, dum inconsideratè vendidistis. Passi estis etiam comburi manus vestras, quibus ante nos eosdem calices tractabatis. Eam rem tamen passim vendi iussistis. Emerunt forsitan in vsus suos sordidæ mulieres. Emerunt pagani, facturi vasa in quibus incéderent idolis suis. O scelus nefarium! O facinus inauditû! auferre Deo quod idolis præstes. Subducere Christo, quod

A proficiat sacrilegio. Sed video vos hoc loco inuidiam nobis falsò conflantes, ad Aggæum Prophetam velle

Agg. 2. confugere, vbi scriptum est, *Quæ tetigerit pollutus, polluta sunt*. Liuore interueniente facile est iratis iactare conuitium. Sed semper dum intenditur crimen, necessaria est manifesta probatio. Quis enim nostrûm intrauit templa? Quis vidit sacra sacrilega? pollui homines possunt fumis, sacrilegis nidoribus, sacrificiis, sanguine. Sed in hac causa quis ingressus est templum? quis incendit idolis? Quis immundus nitoribus maculatus est? quis sanguinem vel pecudis immundæ vel hominis fundi aspexit? quem probatis ad aliquod facinus commodasse consilium? In societate alicuius sceleris vel vnum Episcopum conuincite, si potestis, sicut suprà diximus. In hac causa quicquid asperè fieri potuit, dum illa res in origine vocatur, ad principes vestros pertinere monstrauimus. Vnde est quod Catholicos quasi pollutos appellas? An quia voluntatem & iussionem Dei secuti sumus

B amando pacem, communicando toto orbi terrarum, sociati Orientalibus. Vbi secundum hominem suum natus est Christus, vbi eius sancta sunt impressa vestigia, vbi ambulauerunt adorandi pedes, vbi ab ipso factæ sunt tot & tantæ virtutes: vbi eum sunt tot Apostoli comitati: vbi est septiformis Ecclesia, à qua vos concisos esse non solum non doletis, sed quodammodo gratulamini? Quia vnitatem Deo placitam amauimus, pollutos vocas, quia Corinthiis, Galatis, Thessalonicensibus assensum accommodauimus, communionemque coniunximus. Pollutos vocas, quia furtiuas vobiscum non legimus lectiones: aut negate vos alienas lectiones legere, si potestis. Vt quid audetis Epistolas ad Corinthios scriptas legere, qui Corinthiis communicare noluistis? Vt quid ad Galatas, ad Thessalonicenses scripta recitatis, in quorum communione non estis: Cum hæc omnia ita esse constet, intelligite vos ab Ecclesia sancta esse concisos, & nos non esse pollutos. Vbi est ergo quod tibi putas Aggæum Prophe-

Orientalis Ecclesia laudes.

C tam posse succurrere? Igitur altaria & vasa supra memorata, & in manibus vestris iamdudum fuerant & in nostris. Si infamatis manus nostras, quare illic damnatis

Agg. 2. & vestras? Sed dicitis lectum esse: *Quod tetigerit pollutus, pollutum est*. Fac aliquem pollutum esse, vt possint ab eo tacta videri polluta, esto, solus tactus sit, & non interueniat inuocatio nominis Dei: *Quæ tetigerit pollutus, polluta sunt*, inquinari possunt, si de Deo taceatur. Nam si sit inuocatio nominis Dei, ipsa inuocatio sanctificat & quod pollutum esse videbatur. Denique cum ducenta & quinquaginta thuribula, quæ sacrilegorum & peccatorum manibus portabantur, cum eosdem peccatores absorberet terra remanserunt de manibus eorum excussa thuribula. Et dùm dubitaret Aaron sanctus Sacerdos,

Inuocatio Dei sanctificat polluta.

Num. 16. quidnam de his faceret, audiuit vocem Dei dicentis: *Tolle Aaron hæc vasa, & fac inde laminas, & pone in angulis arcæ testamenti. Quoniam licet illi peccauerint qui ea ferebant, tamen vasa illa sancta sunt: quia nomen meum illic inuocatum est, dicit Deus. Et virgine plus est portare, quam*

D *tangere*. Ergo iam liquidò apparet, ex inuocatione nominis Dei posse aliquid sanctificari, etiamsi peccator inuocet Deum. Non enim tantam vim potest habere tactus, quantam habet diuini nominis inuocatio: Nam & vos qui vobis de vestra sanctitate præsumitis, dicite, si tactus sanctificat aut inuocatio? vtique inuocatio, non tactus: Aut si de solo tactu præsumitis, tangite tabulam, lapidem, vestem: videamus an sancta esse possint, si de Deo taceatur. Iam illud quàm stultum, quàm vanum, quod ad voluntatem & quasi ad dignitatem vestram reuocare voluistis, vt virgines Dei agerent pœnitentiam, vt iamdudùm professæ signa voluntatis capitibus, posteà vobis iubentibus immutarent, vt mitrellas alias proiicerent, alias acciperent: Primò dicite, vbi vobis aliquid de mitrella mandatum est? virginitas enim voluntatis res est, non necessitatis. Denique Stabularius ille Paulus Apostolus, cui confossus peccatorum vulneribus, populus commendatus duos denarios quos erogaret, acceperat, duo scilicet testamenta: hæc per doctrinam quasi sumptus impendit: docuit quomodo

coniugales Christiani debeant viuere: A quo cum quæ- E

reretur, quid de virginibus præciperet, respondit, sibi Luc. 10.

de virginibus nihil esse mandatum: confessus est, se duo testamenta, hoc est, duos denarios erogasse: explicati erant quodammodo sumptus. Sed quia si saucium commendauerat, promiserat se redditurum, quicquid in curam ampliùs erogasset post impensos duos denarios, non præcepta, sed consilium erogat Paulus ad virginitatem. Nec impedimento est voluntati, nec nolentes impellit aut cogit. *Qui dederit*, inquit, 1. Cor. 7.

virginem suam, bene facit: & qui non dederit, melius facit.

Hæc sunt verba consilij: nec vlla sunt præcepta coniuncta, vel de qua lana mitrella fieret, aut de qua purpura tingeretur. Non enim panno hoc potest virginitas adiuuari: Non enim inde compescuntur æstus animi, quos interdum ætas accendit: Non indè sublenatur mens, quæ nonnunquam desideriorum ponderibus premitur.

Nam si ita esset, non vna, sed plurimæ virginis capiti F

imponerentur: vt quotiescunque animum carnis desideria pungerent, contra impugnationem mentis, mitrellarum numerus dimicaret. Res inuenta est ad signum capitis, non ad remedium Castitatis. Denique talis pannus & deturbari, & rodi, & perire potest: Et tamen virginitas, si illæsa sit, sine mitrella tuta esse potest. Spiritale nubendi hoc genus est, in nuptias sponsi venerant voluntate & professione suâ, & vt secularibus nuptiis se renuntiasse monstrarent, spiritali sponso soluerant crinem, iam cœlestes celebrauerant nuptias. Quid est quod eas iterùm crines soluere coëgistis? Quid (inquam) quod ab ipsis per vos exacta est professio secunda? Qui est alter spiritalis sponsus, cui iterùm nuberent? Quando mortuus est, cui nupserant, vt iterùm nubant? Nudastis denuò capita iam velata, de quibus professionis detraxistis indicia, quæ contra raptores aut petitores videntur inuenta. In mitrella indicium est

Virginum crines cœlesti sponso soluti.

voluntatis, non castitatis auxilium, vt rem iam Deo de- G

uotam ne qui sponsabat, perseueret petere, aut ne raptor audeat violare: signum est ergo, non sacramentum. Inuenistis igitur huiusmodi virgines, quæ iam spiritaliter nupserant: quasi secundas coëgistis ad nuptias, vt crines iterùm soluerent, imperastis. Hoc nec mulieres patiuntur, quæ carnaliter nubunt: Ex quibus si alicui maritum mutare contigerit, non reperitur illa temporalis festiuitas: Non in altum tollitur: Non populi frequentiâ procuratur. Detraxistis igitur non capitis ornamenta, sed (vt suprà diximus) bonæ voluntatis indicia. Iam consecratos Deo aspersistis immundis cineribus crines, iussistis etiam salsâ aquâ perfundi.

Mulierum secundæ nuptiæ non celebres.

Et vtinam vel id quod tulistis, velociter reuocare velletis. Interposuistis moras, vt retractæ in pristino habitu, aliquæ diutiùs remanerent, retractis signis, quibus se iamdudum contra petitores & raptores muniuerant. Qui cum viderent, præscriptionem sibi iamdudùm oppositam, à vobis esse sublatam, de sponsis raptores effecti sunt.

Nec visus est sibi vnusquisque peccasse, dum talem ra- H

puit qualem viderat, quando vt vxorem acciperet, postulabat.

In hoc genere tanta damna fecistis Deo, quanta lucra diabolo procurastis. Conflastis impiè calices, crudeliter fregistis, & inconsultè rasistis altaria. Puellas miseras non sine opprobrio, vt secundam mitrellam acciperent, coëgistis. Et illud prætermittere nequeo, quod nec Deo est placitum, nec à vestris cultoribus excusari, nec ab aliquo homine defendi potest. Per indicia sæcularia & leges publicas, diuinæ legis instrumenta, executione officiorum à plurimis eripienda esse dixistis, volentes soli habere, quod pax in communione possederat. Non vereor Christianus dicere, quod vobis postulantibus, gentilis executio non potuit ignorare: velamina & instrumenta dominica extorsistis, quæ iamdudùm fuerant in communione possessa. Extorsistis cum codicibus

pallas: iudicio superbiæ vestræ vtraque arbitrati estis esse *Pallæ altares.*

polluta. Nisi fallor, hæc purificare properastis: lauistis procuidubio pallas: Iudicate quid de codicibus feceritis:

in

A in omnibus iudicium prouidentiæ vestræ debet esse æquale. Aut vtrumque laua, aut vtrumque dimitte. Quod si aliter facias, corrupisti diligentiam tuam: pallam lauas, codicem non lauas? Si in vna parte bonum, in altera malum est, non potes negare offendere in vna, si in altera promereris. Et si gaudes, quod in vna videaris religiosus, debes & plangere: quia teneris in altera parte sacrilegus. Iam illud quale est, quale in multis locis etiam parietes lauare voluistis, & inclusa spatia salsâ aquâ spargi præcepistis. O aqua quæ dulcis à Deo creata es, super quam ante ipsius natalem mundi sanctus spiritus ferebatur! O aqua, quæ vt purum faceres orbem, lauisti terram! O aqua, quæ sub Moyse, vt natalem amaritudinem perderes, indulcata ligno, tot populorum pectora suauissimis haustibus satiasti! restabat tibi post promotionem non leuiter degradari. Præsentia Moysi in te amaritudo moritur, & à schismaticis hodie cum Catholicorum turba dulcedo tua vexatur. Pares

Aquam degradari.

B patimur bellum, pares expectamus vindicem Deum. Dicite, frater Parmeniane, quid vobis fecerat locus? quid ipsi parietes, vt ista paterentur? An quia illic rogatus est Deus? An quia illic laudatus est Christus? An quia illic inuocatus est Spiritus sanctus? An quia vobis absentibus illic Prophetæ & sancta Euangelia recitata sunt? An quia illic fratrum, iamdudùm litigantium concordauerant mentes? An quia vnitas Deo placita, in qua habitabat, inuenerat domum? Indicate, quid illic lauare potuistis? Si Catholicorum vestigia, & in vico & in platea calcauimus, quare non omnia emendatis? Nam & fouendorum corporum causâ, eadem nos & vos lauachra pariter abluerunt. Et ante vos frequenter nostrorum loti sunt multi: si post nos purificanda putatis omnia lauate, & aquam, si potestis. Aut si vestigia (vt supra dixi) nostra esse vobis videntur polluta, sufficeret terra: quid & parietes lauare voluistis, in quibus humana non possunt poni vestigia? parietes non calcare, sed tantum

C videre potuimus. Si & quod tangit aspectus, lauandum esse censetis, cur cætera dimisistis inlota? videmus tectum, videmus & cœlum, hæc à vobis lauari non possunt, si illa lauando promeriti estis Deum: Ista non lauando, inexpiabile videmini incurrisse peccatum. Cum igitur alibi quasi diligentes videri vultis, alibi negligentes estis inuenti: si tamen diligentia dicenda est stultitia, & (vt verò nomine appelletur) vanitas vestra, nisi fortè quia hoc faciendo in pauorem misistis populos imperitos, vt quia lota est columna, lauarentur & corpora. Si in his rebus consilium latet, miseros subtiliter decepistis. Si talis res sine consilio gesta est, manifesta est vestra hebetudo. Hæc vos stultè fecisse, & è vobis seducti cognoscunt, nec vos ipsi negare poteritis. Quid referam etiam illam impietatem de vestra coniuratione venientem, quia ad hoc Basilicas inuadere voluistis, vt vobis solis cæmeteria vindicetis, non permittentes sepeliri corpora Catholica, vt terreatis viuos, malè tractatis & mortuos; negantes funeribus locum. Si inter viuentes fuerat certamen, odia vestra vel mors

Cæmeteria.

D aliena compescat. Iam tacet, cum quo paulò antè litigabas, Quid insultas funeri? quid impetis sepulturam? quid cum mortuis litigas? perdidisti malitiæ fructum. Et si corpora non vis in vnum quiescere, animas tamen in vno apud Deum positas non poteris separare. Omnia denique quæ à vobis geruntur, ex toto narrari non possunt. Sed concedatur vobis, qui erroris huius magisterium possidentis. Iam & de vestris silere quis possit, de illis scilicet, quos aut factione aut subtilitate, vt vestros faceretis, seducere potuistis, non solum masculi, sed etiam fœminæ, ex ouibus subitò facti sunt vulpes, ex fidelibus perfidi, ex patientibus rapidi, ex pacificis litigantes, ex simplicibus seductores, ex verecundis impudentes, furores ex mitibus, ex innocentibus malitiæ artifices. Post quod ad vos delapsi sunt aut delapsæ, dolent alios ibi esse, vbi nati sunt: Benè stantes in lapsus suos inuitant: Si scirent se gloriam consecutos, felicitate suâ tacitè fruerentur. Nunc autem perdit transitus suos consolari cupientes, cæteros, vt similiter labantur, inuitant: Et

Ad Donatistas abeuntiũ mores quomodò mutati.

E residentes in sinu matris Ecclesiæ, quasi pigros & tardos accusant. His enim verbis loqui non erubescunt, Cai, Sei, Caia, Seia, quamdiu te tenes? Hoc est dicere, iam meum debes sequi errorem, iam debes desetere veritatem: *Quamdiu te tenes* hoc est dicere, imitare lapsus meos, imitare transitus turpes. *Quamdiu fidelis vocaris? iam fidem desere, iam pœnitentiam disce.* Vos estis aucupes, & illi aut illæ sunt aues. Sed quia non est vnum aucupum genus: alij sunt, qui arte simplici altis fundatas radicibus in faciem nemoris diffusas arbores petunt, vbi aues simplici volatu naturalibus ramis incidunt: Non illic numerantur fraudes, non artificiosa consilia: Ars vna est & sola capiendi. Illi vos aucupi similes dico, qui post discessum noctis, ante lucis aduentum, non aliorum more naturales vadit ad arbores, sed ipse arborem portans, futurum nemus stringit in fascem, aridam arborem, nullis radicibus fultam, multiplici fraude componit. Cai adulterinos inserit ramos, & quæ suas iamdudum succisa perdiderat, alienas accipit frondes. Alias aues clausas portat in cauea viscerata, alias ad imaginem viuentium, olim extinctas, fallacibus ramis quasi viuentes imponit. Aliæ latent in caueis, aliæ qua-

Donatistarum aucupiũ elegans comparatio.

F si viuentes videntur in ramis. Iungitur vna geminatâ fraude calliditas, & vt decipi auium volantium simplicitas possit, quas mortuas esse constat, videntur tendere colla cum vocibus, & quæ latent in carcere suo, quasi de gutture cantant alieno. Inter alterius imaginem & alterius vocem dolus vnus operatur. Captiuæ liberas capiunt, & mortuæ viuentes occidunt. Tales sunt, quos aut rebaptizatione, aut pœnitentiâ sociastis, ne soli aut solæ periisse videantur, alios vel alias secum perire, magno labore & studio contendunt.

S. OPTATI EPISCOPI MILEVIT. *contra Parmenianum.*

LIBER SEPTIMVS.

G Post traditores ostensos, & sanctam Ecclesiam demonstratam: post repulsas quas ingerebatis calumnias: & post peccata vestra, quæ à Deo increpari meruerunt, ordine suo, & ratio Sacramentorum, & præsumptiones vestræ & errores ostensi sunt. Iam responsorum dictorumque nostrorum finis esse debuerat, sed quoniam post inuidiæ syluam securibus veritatis abscissam, video adhuc vestras prouocationes pullulare posse, quibus potestis dicere, vos ad vnam communionem non oportuisse quæri, cum filios Traditorum vos esse constiterit, ad ea pauca respondeam. Reuerà sufficiebat sibi Ecclesia habens innumerabiles populos in prouinciis vniuersis. Sufficiebat & in Africa, licet in paucis, sed Deo vestra separatio non placebat: quoniam diuulsa fuerant vnius corporis membra, & contra voluntatem Dei fratres à fratribus errabatis, quamuis dome-

Cur Ecclesia Donatistas errãtes requireret.

H sticum iudicium in parentibus vestris operatum sit, vt vltrò recederent, qui pro admissa traditione obiici debuerant: nullum iudicium celebratum est, sed sententiæ est operatus effectus. Pellendi fuerant post traditionem, de qua sibi in concilio Numidiæ confessi sunt. Sed ne inuidiæ essent, excusata est iudicandi seueritas, dum maiores vestri vltrò inuenerunt de reatu consilium, vt cooperto crimine suo quasi superbi discederent, quibus & dolere & erubescere debeatur. Illi namque si illo tempore bono pacis vnitatem facere debuerant, etiam & ipsi ab Ecclesia non fuerant repellendi, in quibus necessitas excusauerat voluntatem. Non enim aliquis illorum sponte tradiderat, at hoc peccatum cum cæteris delictis poterat coæquari. Quicquid enim Deus fieri noluit, ore suo prohibuit, quomodo dixit, *Non occides, non mœchaberis*, &c. Potuit etiam hoc prohibere, quod à parentibus vestris admissum est: sed quoniam aliud est quod facit animus, aliud est quod operatur euentus, quicquid de

A voluntate potest ab homine fieri, hoc meruit prohiberi. Quicquid necessitas peccat, non potest magnis viribus accusari.

Denique voluntas habet pœnam, necessitas veniam: homicida, scelus dum nemo cogit, potest & facere, potest & non facere: adulterium mœchus, dum de foris nemo compellit, potest admittere, potest & non admittere, & cætera huiusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium. (*Liberum arbitrium*) Ideò prohibita dum geruntur, iudicio destinantur: non interdicta, dum aliqua necessitate fiunt, fortè facilè dignetur ignoscere qui noluit prohibere. Denique hoc delictum, quod quasi capitale potuit obiici parentibus vestris, (*Delictum capitale.*) si illo in tempore nudarentur, aut in iudicium vocarentur, possent sibi exemplo non vno succurrere, vbi primis temporibus aut tabulæ legis fractæ, aut libri traditi esse leguntur vel incisi & incensi, & nemo damnatus est. Si vt suprà dixi, parentes vestri illo tempore nudarentur, si accusari potuissent, sine dubio

B dicerent, se nihil ampliùs fecisse à Moyse legislatore, quamuis non sibi similent, sed inter se repugnent necessitas & voluntas, cum eodem nomine legis parentum vestrorum & Moysi vna fuerit causa. Possent dicere parentes vestri, illud se de necessitate fecisse quod Moyses prior fecerit de voluntate. Qui cum populo indignaretur, non considerauit, quia Deus digito suo scripserat: Et plus est quod scriptum est in cœlo, quam quod in terra: Et non est vnum quod fecit Dei digitus, & quod scripsit calamus humanâ manu compositus. Moyses ferebat, quod per nubem acceperat: & parentes vestri tradiderunt, quod datâ mercede confecerant, rectè se parentes vestri defenderent, docentes capitale crimen non esse, si id fecisset vnusquisque eorum magno metu perterritus, quod Moyses fecisset iratus. Et non legimus Dominum indignatum esse Moysi, nec vindicasse confractas tabulas, quas manu suâ perscripserat, nec peccator appellatus est, nec punitus. Sic lex à Deo per-

C fecta est, vt aqua quę de fonte dilabitur; aut poma, quæ de arbore saluâ radice carpuntur. Non perit quod erogatum est, si in origine sua saluum est. Denique Moyses post tabulas sparsam legem & comminutam non damnari meruisset, Syna posteà montem reuocatus ascendit, & loqui cum Deo iterùm meruit, & secundùm legem innouatam accepit, quam prodidit titulus libri, qui Græco vocabulo *Deuteronomos* scribitur. (*Deuteronomium.*) Ecce non perit in lege, quod saluum fuerat in origine. Sed ne cui videatur Moyses habuisse meritum, vt de colloquio quandam apud Deum fiduciam, & ideò Deum non iratum esse: & hoc si ita esset, semper amicitia meritum suum & fructum exigere debebat. Quare in eum postea vindicatum est, quod offendit, non vt ostenderetur leue fuisse illud, quod iratus admiserat. Lex in Deo sana fuit, & postquam ab homine cum tabulis lapideis facta est deuotio, quæ ab homine debebatur, vbi exhibita non est, Moyses illam pœnam meruit, vt medio itinere moreretur, ne terram promissionis intraret: vnde constat, non

D magnum peccatum posse computari, quod in præceptis exemplo patuit impunè committi. (*1.Reg.4.*) Hæc si à parentibus vestris dicerentur, quis eis communionem negare potuisset? Quid si & illa consequentia exempla proponerent, in quibus legitur innouata lex cùm haberetur in arca, & populus Israël in prælio vinceretur. Lex quæ in arca consilio populorum in hostes allata est, quæ ao ipsis presbyteris & cæteris filiis Israël defendi non potuit, & inimicis est tradita, dum minus est reportata, traditâ lege qui ad ferendam dixerant, fugerunt timidi, & non leguntur posteà in vindicta aliquid passi. Si à parentibus vestris hæc ratio redderetur, quis eos communione suâ repellere potuisset? Quid si nec illa exempla tacuissent principes vestri? quibus legitur Baruch librum legis, quem ex ore Ieremiæ Prophetæ exceperat, tradidisse Scribæ Iudin: & à principibus Regis iussum esse, vt & ipse Baruch, qui exceperat, & Ieremias, per quem Deus locutus erat, fugerent & laterent. (*Ier.35.*) Ieremias dictabat, Baruch tradidit, fugerant ambo ad Ioachim regem, liber allatus est: qui Rex cum ante se prò qualitate temporis frigidi aridam habuisset ardentem, & librum à Iudin Scriba recitatum non libenter audiuisset, subinde

E concisum minutatim ignibus imponebat. Et non iratus est Deus vel Ieremiæ, qui fugerat, vel Baruch, qui cum eo fugiens tradiderat. Quibus si Deus iratus esset, ad Prophetam aliquem alterum loqueretur, non ad alterum, sed ad ipsum Ieremiam locutus est, sic enim legitur: *Et factus est sermo Domini ad Ieremiam, Postquam combussit rex capitulum libri, & sermones, quos scripsit Baruch ex ore Ieremiæ, dixit Deus ad Ieremiam: Accipe tibi chartam alteram, & scribe omnes sermones tuos, qui tunc erant scripti in libro, quem combussit Ioachim rex Iudæ.* (*Ibid.*) Ecce nec Deus iratus est, nec qui arserat, periit, nec Baruch punitus est, nec Ieremias à Deo contemptus est: vnde apparet, quod in hac re grauis nunquàm fuerit culpa, quam numquàm potuit sequi vindicta. Si hæc parentes vestri allegarent, quis illos à communione reuocare potuisset? Denique cum videret Deus & à Moyse Legis ta-

F bulas fractas, & arcam hostibus derelictam, & post traditionem Baruch, librum Legis & incisum esse, & combustum indicat prouidentiam suam, & promisit se Legem iam non in tabulis scribere, nec in libris, sed in ipso interiori homine, hoc est, in mente & in corde vniuscuiusque credentis: quomodo scripserant in corde Noë, Abrahæ, Isaac, & Iacob, & cæterorum Patriarcharum, quos constat legitimè sine lege vixisse. Quam rem probat & B. Apostolus Paulus dicens: *Scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* (*1.Cor.3.*) Post legem à Moyse fractam, & à filiis Israël hostibus derelictam, & offerente Baruch ad Ioachim regem, & concisam & incensam ante tempora Christiana, vbi posteà meliùs scripturus erat, legem indicauit Deus per Prophetam dicens: *Quoniam hoc est testamentum meum, quod disponam domui Israël & domui Iudæ, & post dies illos dicit Dominus, dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum scribam eas.* (*Hebr. 8.*) Pro-

G misit hoc iamdudùm, & proximè reddidit temporibus Christianis. Ergo iam secundo loco est charta, secundo loco membranæ. Si à Deo lex ibi scripta est, vndè tradi non possit, vt parentes vestri, qui iam in Trinitate crediderant, quamuis libros tradiderint, nec corda, nec mentes tradiderint suas, in quibus Deus legem suam scripsit sicuti se scripturum esse promiserat. Vbi est ergo, frater Parmeniane, quod dixisti penitùs exustam à traditoribus legem? Ecce nec penitùs est, nec ex toto sublata, dum & in cordibus credentium manet, & librorum millia vbique recitantur, vnde apparet, te parentes tuos, quamuis per ignorantiam, frustrà accusare voluisse. Igitur si parentes vestri ad tempora vnitatis occurrerent tot exemplis rationabiliter redditis, & ipsi à communione repelli non possent: quantò vos constat non traditores esse, sed filios traditorum, cum patrum & filiorum & personæ discernantur & nomina, inter quas personas si non sit communis culpa, non posset vna esse sententia. Quamquàm etsi illorum vnitas fieret, ad Ecclesiam Ca-

H tholicam sponte venirent: non sicut vos, quos non sine voluntate Dei adiutos esse constat, vt rediretis vnde erraueratis (quamuis adhuc erretis) si ad Catholicam, vt dixi, sponte venissent, quia traditores fuerunt. De talibus recipiendis dubitarent forsitan nostri maiores, sed nobis lætandum est, quod tales vsque ad nostra tempora minimè durauerunt. Ergo hodie negotium nouum est, dum vobis cum res, non cum illis agenda est? Quamuis ab ipsis ad vos videatur hæreditaria macula esse transmissa: tamen in hoc titulo non potestis rei esse cum patribus vestris, secundum iudicium Dei, qui locutus est per Ezechielem Prophetam dicens: *Anima patris mea est, & anima filij mea est; anima quæ peccat, sola punietur.* (*Ezech. 18.*) Quæ res iam & antiquis sęculis in ipsis natalibus mundi comprobata est: nam non pertinuit ad Seth filium Adæ patris admissum. Sed ne quis dicat alio loco scriptum esse dicente Domino: mala patrum vsque in quartam progeniem redditurum. Illius sunt proculdubio ambæ voces: sed non ad vnum populum sonat vtraque. (*Exod. 20.*) Prima est per Moysem ad certum genus hominum. Secunda per

Ezechielem

A Ezechielem ad alterum genus hominum. Sed cum sciret Deus, Iudæos apud Pontium Pilatum professuros, vt dicerent: *Sanguis huius super nos & super filios nostros:* de præscientia Deus vidit pro magnitudine culpæ parùm fuisse quod dicturi erant. Et vt competentibus pœnis lueretur offensio, ipsis Iudæis comminatus est, dicens se mala patrum vsque in quartam progeniem redditurum. Ergo hæc vox ad solos Iudæos specialiter pertinet. Cæterùm illa ad Christianos, quâ Deus dignatus est promittere, non vindicare in filios, si quid peccatur à patribus, nec in patribus, si quid à filiis forsitan delinquatur. Cum & temporibus Moysi sine cuiusquam pœna lex iterata sit, & arca testamenti ab hostibus vltrò sit reddita, & ab Ieremia, Deo præcipiente charta sit altera scripta. Quare putatur apud maiores vestros solos capitale fuisse peccatum, in quo per tot exempla nemo damnatus est. Nam si lex ideò data est, vt homines docerentur, non vt ipsa lex quasi pro Deo coleretur, post factum patrum vestrorum nullum damnum passa est turba credentium, vnusquisque eorum sub metu codices suos perdidit. Nam lex quæ necessaria fuerat, valet apud doctores populorum & cultores Dei. Bibliothecæ refertæ sunt libris, nihil deest Ecclesiæ, per loca singula diuinum sonat vbique præconium: Non silent ora lectorum, manus omnium codicibus plenæ sunt. Nihil deest populis doceri cupientibus, quamuis lex non magis pro doctrina, quàm pro futuro iudicio scripta esse videatur, vt sciat peccator, quid pati possit, si minùs iustè vixerit. Denique scriptum est, & legitur, quod iustis lex data non sit, quia vnusquisque iustus ipse sibi lex est. Et alio loco idem B. Apostolus Paulus dicit, quia lex non facit iustos, sed ipsa amat iustitiam. Semper in omnibus rebus efficientibus effecta quæruntur. Vacat lex quæ efficit, si per compendium paratum est, quod efficitur. Denique Abrahæ non dictum est: Crede, sed vltrò credidit, in quo sine lege legis effectus impletus est. Non legitur, audiuit Abraham legem, & credidit, sed legitur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, & primis temporibus, Noë Patriarcha nihil legit, vnde iustus fieret, & iustus electus est, qui fabricatâ arcâ fœliciter in diluuio nauigaret. Longum est ire per singulos, qui sine lege inuenti sunt iusti. Hæc si à vestris parentibus suo tempore dicerentur, quis eos à communione suâ repelleret? Qui si dicerent, non debere silentio præteriri, quod Apostolus de extralegalibus ait, *Gentes quæ legem nesciunt, ea quæ legis sunt, faciunt; habent enim legem scriptam in cordibus suis.* Nam & multi probantur in lege peccasse, & multi benè sine lege vixisse. Lex & homo duæ res sunt, sed pares esse non possunt. Non enim homo factus est propter legem, sed lex data est propter homines. Nusquam video damnum illatum Deo, dum origo legis apud eum manet, & postquàm Scriptura vestris parentibus tradita esse dicitur, nihil deest, omnia membra legis sana sunt, salua sunt, recitantur. Nihil minùs est de lege & docere, & docere cupientibus. An illud erat necessarium, vt occideretur homo, ne scriptura aliqua traderetur. Quid quod nec homines occisi sunt, & omnes scripturæ non desunt. Non est vnum Lex & Deus. Si pro Deo moriendum fuerat, qui & resuscitare mortuos, & reddere præmium potest, liber non traditus de duobus his, nec alterum potest. Impedit igitur necessitas vires suas. Non minùs videmus negligentiam frequenter operari, quam necessitas operata est. Nam si membranæ aut libri, quibus scriptura legitima continetur in totum, debet illæsa seruari, quasi non damnantur aliqui negligentes, non est longè tradere aut malè ponere, aut malè ferre, alter in domo librum posuit, quæ domus incendio concremata est: damnetur qui negligenter posuit, si damnandus est, qui postulandum librum territus dedit: damnentur etiam illi, qui neglectas membranas aut libros ita posuerunt, vt eos domesticæ bestiolæ, hoc est, mures ita corroserint, vt legi non possint: Damnetur & ille, qui ita in domo posuit, vt nimietate aliqua stillicidia deliquarent, vt omnia humore obliterata legi non possint. Damnentur & illi, qui ferentes libros Legis temerarij se rapacibus vndis fluminum crediderunt; & se liberari cupientes scripturas in vndis è suis manibus dimiserunt. Ergo si scriptura vna est; & hanc qui seruare non potuit, reus est, alter vndis tradidit, alter rosoribus bestiis dereliquit, alius stillicidio corrumpenda neglexit; alter metu mortis territus homo homini dedit, si vnum est, quod ab hominibus admittitur. Quare eligitur; qui damnetur, cùm leuior culpa sit traditoris, quàm negligentis, qui ante mures posuit, aut sub stillicidio reliquit, voluntate negligens fuit, & qui in fluuio perdidit, homo homini dedit, integrum erat apud dantem, integrum apud accipientem. Si quis accipit, flammis tradidit, peccatum magis accendentis est, non tradentis. Hæc si à maioribus vestris dicerentur, quando illos repellere à nostra communione possemus. Si etiam Antiochi Regis tempora commemorare voluissent, quibus omnes Iudæi coacti sunt, vt libros in incendium darent; & ita vniuersa scriptura data est, vt apex vnus in aliquo libro minimè remansisset. De Iudæis illo tempore nemo damnatus est, nec à Deo vel ab aliquo Angelo in quemquam Iudæum est vlla dicta sententia, quia peccatum fuerat imperantis & minantis, non populi cum tremore & dolore tradentis. Qui Antiochus ne aliquid primitiuo populo nocuisse videretur: statim prouidit Deus, vt per vnum hominem Hesdram, qui lector eodem tempore dicebatur, tota Lex sicut anteà fuerat ad apicem dictaretur. Sic tyrannus Antiochus fructum malignitatis suæ habere non potuit, dum præter septem fratres & vnum seniorem carnem suillam manducare detrectantes, nullum Iudæum occidit, & Lex perire non potuit. Sic & parentes vestri tempore suo nec ipsi occisi sunt, & libri Legis Dominicæ toti vbique recitantur. Si parentes vestri, vt suprà dixi, hæc dicerent, quis illos in suam communionem non intrepidè accepisset, vbi, vt dictum est, peccauerat necessitas, non voluntas: Temporibus vnitatis principes vestri qui probantur ista fecisse, iam è viuis excesserunt, vobis hæreditariam maculam relinquentes, quam priùs Deus à vobis prouidentiâ suâ sic diluit, dùm inter patres & filios, sicut suprà diximus, separauit. Igitur quia tradere peccatum est, videant parentes vestri, quid iudicio Dei respondeant: vestrum tamen (qui ab aliis temporibus estis) peccatum esse non potest. Inde est quod vos iamdudùm in communionem nostram voluimus recipere, quia vos illo tempore non peccastis, sed principes vestri. Nam peccator talis, quales fuerunt vestri maiores, si ad Ecclesiam veniat, & necessitatis suæ rationem ostendat, primò recipiendus est, deinde sustinendus in pio sinu matris Ecclesiæ. Nec quasi ex toto sanctus debet quis de altero iudicare: quia scriptum est in Euangelio, Christo dicente: *Nolite iudicare, ne iudicetur de vobis:* maximè cùm nemo ex toto sanctus poterit inueniri. Nam si sunt qui possint non habere peccatum, mentiuntur in oratione Dominica, si sine causa indulgentiam postulant, dicentes Deo Patri: *Dimitte nobis peccata, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* cum Ioannes Apostolus, & omnium conscientias prodat, & suam designet his verbis: *Si dixerimus*, inquit, *quoniam peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est.* Cuius dicti rationem in quarto libro manifestiùs explanauimus. Sed fac & aliquos esse totâ sanctitate perfectos, non licet vt sint sine fratribus, qui ne repellantur, Euangelica præcepta declamantes, scripturâ muniuntur. Ager est enim totus orbis, in quo Ecclesia, & seminator Christus, qui præcepta dat salutaria. E contrario, homo est malus, id est, diabolus, qui non in luce, sed per tenebras seminat importuna peccata: & in vno agro nascuntur diuersa semina: sicut in Ecclesia non est similis sibi turba animarum. Ager suscipit semina bona vel mala. Est diuersitas seminum, sed creator vnus omnium est animarum. Vnus Domini ager, vbi nata sunt zizania. Duo sunt auctores seminum, sed ager vnum Dominum habet, ipsum Deum Dominum. Illius est terra, illius sunt bona semina, illius est pluuia. Ideò vos adductos recipere in vnitate consensimus, quia nobis non licet vel separare, vel repellere: quamuis peccatores in

Marginal notes: Matt. 27. — *Peccatū capitale.* — B — 1. Tim. 1. — C — Gen. 15. — Galat. 3. — Rom. 1. — D — E — 1. Mac — F — ibidem — 2. Mac — G — Luc. 6. — Matt. 6 — 1. Ioan. — H — Matt. 13

A vno agro nobiscum natos, quia in vna pluuia, hoc est, in baptismate nutritos: quomodo non licuit Apostolis de tritico zizania separare: quia separatio sine exterminio fieri non potest: ne dùm euellitur quod opus non est, conculcetur quod opus est. Pariter iussit Christus in agro suo per totum orbem terrarum, in quo est vna Ecclesia, & semina sua crescere, & aliena post crementa communia, venturus est iudicij dies, qui messis est animarum, sedebit iudex Filius Dei, qui agnoscit quid est suum, & quid est alienum. Illius erit eligere quid condat in horreo, & quid tradat incendio, quos ad interminata tormenta destinet, & quibus promissa præmia repræsentet. Agnoscamus nos omnes homines esse. Nemo sibi vsurpet diuini iudicij potestatem. Nam si sibi totum vindicet quivis Episcopus dicatur: quid in iudicio actus est Christus? Satis sit homini, si de peccato suo reus non sit, quàm vt de alieno iudex esse desideret. Professio denique nostra est non solum vos non repellere, sed etiam B parentes vestros si eorum temporibus contingeret, & vnitas fieret, bonum pacis non repellere. Nefas est enim, vt Episcopi faciamus quod Apostoli non fecerunt, qui permissi non sunt vel semina separare, vel de tritico zizania euellere. Quod si de recipiendis vobis Catholica dubitaret, nonne vos debuistis vnitatis assequi formam? Sed exempla in Euangelio lecta proponere noluistis: vt est lectio de persona beatissimi Petri, ex qua forma vnitatis retinendæ vel faciendæ descripta recitatur. Equidem malum est contra interdictum aliquid facere: sed peius est vnitatem non habere cum possis. Quam vnitatem ipsum Christum videmus præposuisse vindictæ suæ, (Matt.10. Luc.2.) qui magis omnes discipulos suos voluit in vno esse, quàm quod offensus fuerat vindicare, dum nollet se negare, promisit se apud patrem negaturum esse, qui se negaret apud homines. Et-tamen non se promisit puniturum scripturam aliquam quam tradidisset. Grauius est enim negare eum qui locutus sit, quàm tradidisse verba quæ locutus sit. Et cùm hæc ita scripta sunt, tamen bono C vnitatis B. Petrus, cui satis erat, si post quod negauit, solam veniam consequeretur, & præferri Apostolis omnibus meruit, & claues regni cœlorum communicandas cæteris, solus accepit. Bono vnitatis sepelienda esse peccata hinc intelligi datur, quòd beatissimus Paulus Apostolus dicat charitatem posse obstruere multitudinem peccatorum: (1.Pet 4.) *Onera vestra,* inquit, *inuicem sustinete.* Ecce alio loco ait: (1.Cor. 13.) *Charitas,* inquit, *patiens est: charitas benigna est: charitas non Zelatur: charitas non inflatur: non quærit quæ sua sunt.* Et benè dixit. Hæc enim omnia viderat in Apostolis cæteris, qui bono vnitatis per Charitatem noluerunt à communione Petri recedere, eius scilicet qui negauerat Christum. Quod si maior esset amor innocentiæ, quàm vtilitas pacis & vnitatis, dicerent se non debere communicare, vt suprà dictum est beatissimo Petro, qui negauerat magistrum, & Dei Filium Dominum. Possent non communicare (vt suprà dictum est) beatissimo Petro: possent contra illum recitare verba D Christi, qui promiserat negaturum se esse apud Patrem eum, qui se coram hominibus denegasset. Ad quam formam debet diligenter attendi, de qua dum pauca commemoro, ipsius S. Petri beatitudo veniam tribuat. Si illud commemorare videor quod factum constat, & legitur, dubito dicere peccasse tantam sanctitatem, sed ipse hoc factum probat, qui & doluit amarè, & fleuit vbertim, qui nec doleret, nec fleret, si nulla interuenisset offensio. (*Petrus caput Apostolorũ.*) Potuit vtique caput Apostolorum ita se gubernare, vt nihil incurreret quod doleret: sed ideò in vno titulo eius multa videntur errata, vt possit ostendi bono vnitatis omnia debere Deo seruari. Et nescio an in altero hoc genus peccati, tanti ponderis esse possit, quanti in beato Petro fuisse manifestum est. Quisquis enim fortè in aliqua persecutione negauit Filium Dei, in comparatione B. Petri videtur leuiùs deliquisse, si negauit quem non vidit, si negauit quem non agnouit, si negauit, cui nihil promisit: si semel negauit. Nam in B. Petro hoc genus peccati dilatatum est: primò quod cum interrogaret Christus omnes, quem se homines dicerent, vnus

E dixit Eliam, alter dixit Prophetam. Tunc Christus dixit, vt legitur: Vos quem me dicitis esse? Et ait illi Petrus: *Tu es Filius Dei viui.* Pro qua agnitione laudari ab eo meruit, quod instinctu Dei Patris hoc dixerit. Et cæteris agnoscentibus Filium Dei, solus Petrus agnouit. Deinde sub die passionis, cum diceret Christus: *Ecce tenebor & fugietis omnes:* tacentibus cæteris, solus se promisit non recessurum de præscientia. Filius Dei ait: (Matt.16. Ioan.13.) *Petre, antequam Gallus cantet, ter me negabis.* Additum est aliud ad pondus peccati promissum scilicet quod non erat impleturus: posteaquàm in domum Caiphæ Sacerdotis ductus est Christus, ad mensuram delicti complendam, de tanto numero nullus alius interrogatur præter beatum Petrum. Interrogatus primò negat: interrogatus iterùm negat: tertiò dixit se Christum omninò non nosse. *Et cantauit Gallus:* non vt tempora cantu suo distingueret, sed vt peccasse se B. Petrus agnosceret, denique doluit amarè, & fleuit vbertim. Ecce, vt suprà dictum est, F cæteris non agnoscentibus, solus agnouit: cæteris non promittentibus, solus promisit: cæteris nec semel negantibus, ter solus negauit. (Matt.14 Luc.22.) Et tamen bono vnitatis, de numero Apostolorum separari non meruit. Vnde intelligitur, omnia ordinata esse prouidentia Saluatoris, vt ipse acciperet claues. Interclusa est malitiæ via, ne Apostoli animo licentiam iudicandi conciperent, & seuerè contemnerent eum, qui negauerat Christum. Stant toti innocentes, & peccator accipit claues, vt vnitatis negotium formaretur. (*Petrus accepit claues.*) Prouisum est, vt peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores, & quæ necessaria est vnitas, esse non posset, hæc si commemoraretis communicare cupientes, quando vos Catholica pio sinu suscipere dubitaret Ecclesia, cum constet vos non traditores esse, sed filios traditorum?

Nam aliqui ex vobis volentes nos populis suis contemnendos ostendere, & iam illud miscent tractatibus suis quod à Salomone Propheta dictum est: G *Muscæ morituræ exterminant olei suauitatem,* & quasi muscas morituras nos appellant: & oleum nominant illum scilicet liquorem, qui ex nomine Christi conditur: (Eccl.10. *Chrisma*) quod Chrisma postquam conditum est, nominatur, antequam fiat, adhuc oleum est: natura simplex fit, & suaue est, dum de nomine Christi conditur. Ergo tres res sunt, quas Salomon Propheta nominauit, oleum, suauitatem, & muscas morituras exterminantes suauitatem. Istæ tres loca sua habent in ordine. Primo loco est oleum: secundò suauitas de confectione: tertiò, muscæ morientes exterminantes suauitatem. Quisquis talis est tractator ex vobis, probet quomodo nos muscas morituras appellat. Si apud vos putatis esse confectionem, quæ det oleo suauitatem: est apud vos oleum & suauitas. Nunquid nos exterminamus oleum vestrum, vt meritò nos muscas morituras appelletis? Quod vestrum est apud vos est. Etsi à vobis ad nos aliquis transitum fecerit: sic à nobis seruatur, quomodo à vobis dimittitur: quomodo dicitis, quia nos sumus muscæ morituræ, suauitatem olei H corrumpentes, cum post vos nihil tale facimus? Aut si à nobis dicitis suauitatem olei corrumpi posse: aut possumus aliquid, & damus oleo suauitatem. Aut si non, vt vultis, nihil possumus, remansit oleum tale esse, quale & natum est. Quomodo dicitis, quia nos sumus muscæ morituræ, corrumpentes suauitatem olei? Igitur oleum, antequam à nobis conficiatur tale est, quale natum est: confectum suauitatem ex nomine Christi accipere potest. Quomodo possumus vno facto & conficere & corrumpere? Restat vt si oleum de se suaue sit, vacet quod agitur ab hominibus, si ab homine in nomine Christi conficiatur, non potest idem operarius duas res repugnantes & contrarias simul facere. Vobis absentibus si conficimus, non corrumpimus. Si corrumpimus, quis ante nos confecerat, quod corrumperemus? Quare, ne (Eccl.10.) vacet dictio Prophetæ (si ita est) intelligite, quia vos estis muscæ morituræ. Vos enim exterminastis non quod natum est, sed quod confectum est, suauitas enim legitur, non natura posse corrumpi. Oleum enim simplex est, &

nomen

A nomen suum vnum & proprium habet: confectum iam Chrisma vocatur, in quo est suauitas, quæ cutem conscientiæ mollit, exclusâ duritiâ peccatorum, quæ animum innouat lenem, quæ sedem Spiritui sancto parat, vt inuitatus illic, asperitate fugatâ, libenter inhabitare dignetur. Hæc est suauitas olei, quam possunt muscæ morituræ corrumpere. Si nos exterminaremus à vobis confectum oleum, meritò nos muscas morituras appellare possetis, sed dum quod à vobis vnctum est, tale seruamus, quale suscipimus, muscæ morituræ esse non possumus. Sed dum vos inuidiæ tempestatibus impulsi, quasi in oleum caditis. Vos exterminastis in rebaptizatione suauitatem olei illius, quod in nomine Christi confectum est, vnde condirentur mores, vnde incenderetur lumen mentis, ad salutarem & veram intelligentiam. Vos exterminastis rem, vbi oleum fuit & suauitas. Nos quomodo potuimus corrumpere suauitatem, quæ ante nos à nullo confecta est. Seduxistis homines, rebaptizastis,

B iterum vnxistis. Proh dolor! non sine morte vestra exterminastis, quod fuerat de nomine Christi confectum, more muscarum, quæ pereuntes exterminant: quia mors est peccatum, quod non habet indulgentiam. Scriptum

Matt. 12. est, quia *qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, nec hic, nec in futuro sæculo.* Ergo cùm & falsò nos muscas appelletis, & omnia quæ à nobis fiunt, dissoluere properetis, & nos contemnendos aut despiciendos esse dicatis, vobis solis sanctitatem vindicantes: innocentiam proponitis vestram, vt promittatis vos aliena posse donare peccata. Videtis igitur non de nobis, vt disputatis, sed de vobis dixisse beatissimum Paulum Apostolum:

1. Tim. 3. *Erunt*, inquit, *homines seipsos amantes, cupidi, gloriantes sibi, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, pacem non custodientes, sine affectu, detractores, immites, sine benignitate*, &c.

Nam illud quale est, quod pro arbitrio tuo Moysis vobis imponere voluisti personam, contra quem Iamnem

Ibidem. & Mambrem obstitisse cõmemorat Apostolus Paulus. Si

C ita est, quæ apud vos veritas inueniri potest, cui Catholica videtur obsistere? Aut quod apud nos esse mendacium poteritis approbare, in vna communione esse cum toto orbe terrarum? Nunquid poteris approbare mendacium, symbolum verum & vnicum retinere & defen-

Cathedra Petri. dere? Nunquid poteris approbare mendacium cathedram Petri & claues regni Cœlorum à Christo concessas vbi est nostra societas? Nunquid poteris approbare mendacium in ipsa lectione quæ commemorasti inter ipsas personas? Considera ordinem rerum: & qui fuerit

2. Tim. 3 prior attende. Vtique Iamnes & Mambres secundo loco sunt, qui contra Moysem & veritatem falsis artibus militare voluerunt: & antecesserat Moyses, cuius virtutes impugnare frustra conati sunt. Vt Moyses prior est, sic Catholica prior est. Vt Iamnes & Mambres repugnantes obstiterunt: sic & vos rebelles contra veram Catholicam militatis. Quid est ergo quod nomina & nobis & vobis mutare voluistis, nisi vt te sociis tuis compa-

D rares æqualem? Sunt enim aliqui ex vobis qui obliti aut ignari præteritorum temporum, eos iamdudùm qui de Catholica lapsi Maiorinum ordinauerunt, illi scilicet auctores Schismatis & traditionis: Cum adhuc retinerent pacem, antequàm exterminarent Deo placitam vnitatem, fuerunt lumen mundi, & sal terræ meritò appella-

Marc. 9. Luc. 14. bantur. Dum docerent pacem adhuc pacifici vocabantur. Antequàm inflati essent, beati erant. De paupertate spiritus, pars erant condimenti. Beati erant, dum mites, pars fuerant condimenti. Beati dum iusti, pars erant condimenti. Beati dum pacifici, totum fuerant condimentum. Posteaquàm erroris diuitias dederunt spiritui & pulmonibus suis, facientes Schisma, immites inuenti sunt: & minùs misericordes dum impiè membra Ecclesiæ diuiserunt, & iniustitiam secuti, regnum Dei pro fastidio habuerunt: Et diuidendo Ecclesiam noluerunt esse pacifici, ipsi facti sunt sal infatuatum, ex quo nihil conditur, quod Deo de suauitate placuisset. Et

Matt. 5. cum hoc malum pertineat ad principes vestros, à quibusdam sociis tuis aliter disputatur, vt dicant insipientes fuisse eos qui agnouerint vel serò veritatem, & à Schismate recedentes, agnitâ matre Catholicâ securi sunt pacem. Hoc putant aliqui vestrûm errasse: hos existimant quasi infatuatos, à sapientia recessisse. Vnde apparet vos omnes eodem modo errare in nominibus transferendis: dum & tu Iamnem & Mambrem pacificis Catholicis comparasti. Et vos Schismaticos Moysi, quod à veritate alienum est: & aliqui socij tui insipientes de sapientibus iudicare voluerunt, vt dicant fatuos factos esse pacificos: & parentes suos de dissensione infatuatos esse, intelligere noluerunt. E

Quæ sequuntur ad tertium librum pertinent, nam de Paulo & Macario mentionem faciunt de quibus in tertio differit Optatus. F

SEd vt ad paulò ante dicta redeamus, iam ad illum locum inuidia vestra dilabitur, vt dicatis Macarium post illa facta communioni non debuisse misceri: sed magis à Catholicis Episcopis abstineri. Primò communionis vnum est nomen, sed diuersi sunt actus. Aliud est communicare Episcopum cum Episcopo: & aliud communicare Laïcum cum Episcopo. Tunc erat graue si Macarius quod fecisse dicitur, suâ voluntate fecisset: quod qui faciunt, factum iudiciis publicis & Romanis legibus vindicatur. Ille est enim homicida, qui nullâ necessitate cogente, nullâ iussione, nullâ potestate, sed furore adactus, de voluntate sua fecerit quod prohibent leges Cæterùm, Macarius quod fecisse dicitur, vobis prouocantibus fecit: nec Episcopus fuit, nec in officio Episcopali versatus est, nec manum alicui imposuit, nec sacrificium obtulit. Vnde cum eum constet alienum fuisse ab Episcoporum actibus, nullus Episcopus ab eo qui cum Episcopis non obtulit, videtur esse pollutum. Restat vt dicatis G eum cum populo communicasse. Et locutum eum esse aliquid in populo constat, sed insinuandi alicuius rei causâ, non tamen tractandi, quod est Episcoporum. Ille enim nudè locutus est, si quid loqui potuit. Contra Episcopalis tractatus probatur ab omnibus sanctitate vestitus, salutatione scilicet geminatâ. Non enim aliquid incipit Episcopus ad populum dicere, nisi primò in nomine Dei populum salutauerit. Similes sunt exitus initiis. Omnis tractatus in Ecclesia à nomine Dei incipitur, & eiusdem Dei nomine terminatur. Quis vestrûm audet dicere Episcoporum more Macarium populum salutare? Igitur cum nec salutauerit antequàm aliquid loqueretur, nec salutare ausus sit, postquàm locutus sit, nec manum imposuerit, nec sacrificium Deo ritu Episcopali obtulerit: quid est quod dicitis pollui potuisse Episcopale collegium: cum ab omni Episcoporum officio Macarium videatis alienum? Vestigia veritatis hoc loco calcata, iterùm vestra leuare caput videtur inuidia. H Dicitis enim nec inter Laïcos eum communicare debuisse. Equidem constat eum vt Paulus Apostolus probat, ministrum fuisse voluntatis Dei. Et quid mirum si sint & iudices pagani? ministri voluntatis Dei æstimari meruerunt, Apostolo dicente: non sine causa iudex gladium portat. Est enim minister voluntatis Dei. Nam & Macarius in suo iudex fuisse videbatur. Quod si non erat *In tertio de Phinees fit mentio.* iudex in eo quod fecit, secundum leges Romanas à iudicibus in eum debuit vindicari. Aut si dicitis nec sic eum communicare debuisse: nos tamen non videmus quia debuit abstineri, qui id tale fecit quod factum est à Moyse, quem post viginti tria millia hominum occisa, Deus non contemnendo abstinuit: sed vt secum loqueretur iterùm inuitauit. Nos non vidẽmus abstinendum fuisse eum qui fecit quod Phinees quem paulò ante memoraui, qui ab ipso Deo pro homicidio laudari meruit, Non videtur magis nobis abstinendus fuisse is à quo id factum est quod ab Helia Propheta qui tot falsos Prophetas occidit: Nam & illos falsos vates fuisse iam suprà

proba

A probauimus. Sed vt hæc exempla fileantur, dicamus & nos quod dicitis reum fuisse Macarium: quod si fuit, accusatore silente, à nobis non licuit abstineri. Scriptum est enim ante cognitam causam neminem esse damnandum: Dicite, quis eum accusauit, & auditus non est? Dicite Macarium confessum esse culpam, & nostram siluisse sententiam? Sumus enim qualescunque iudices in Ecclesia, quod & ipsi non negatis. Quod nos iudices esse veros debere fuisse*contendltis. Non enim possumus facere quod non fecit Deus, qui in iudicio suo personas separare dignatus est: nec eundem voluit esse accusatorem iudicem. Non enim potest quis in vna causa, eodem momento duas portare personas, vt in eodem iudicio, & accusator esse possit & iudex. Quod Deus per omnipotentiam fecit: vt nobis indicandi formam ostenderet, docuit reum sine accusatore non debere damnari: aut accusatorem eum esse, qui iudex in ea causa futurus est. Denique inter ipsa principia sæculorum B dum hominum esset renouellata natiuitas, dùm à Cain frater Abel esset occisus, lectum est: & vocauit Deus Cain & interrogauit eū vbi esset frater eius: Ille peccatum duplicans, quasi ignorantē faceret Deum, nescire se dixit, & quādo posset nescire aliquid dominus sub cuius oculis & vultu sunt omnia quæ geruntur? & tamen Deus sine accusatore non iudicat: & interrogat vtique quod nouerat. Et vos vultis vt abstineremus quem non vidimus aliquid mali facientem, & qui nullum habuerit accusatorem. Video hoc loco quod inuidia submurmuret vestra, dicitis enim non nos latuisse quod factum est. Fatemur nos audisse: sed peccatum erat damnare eum, quem nemo est ausus arguere: sed si dixeritis quia non nos latuit factum, dicite Deo, quare interrogauit qui viderat parricidium? nec illud à nobis fieri oportuit, quod Deus facere noluit qui sententiam dicere noluit nisi reo: redde accusatorem, alioquin non posset iusta esse sententia, nisi ipse qui C indicaturus erat accusaret; ideò ait. *Ecce sanguis fratris tui clamat ad me de terra.* Quare & vos cum minimè probare possitis ab aliquo apud nos accusatum esse Macarium, nostrum non potestis damnare iudicium.

DE VICTORE ANTIOCHENO, & Tito Bostrensi ex Theodori Peltani, è Societate IESV Theologi & Interpretis Epistola Dedicatoria ad illustriss. Principem Marquard. à Berg. Ecclesiæ Augustanæ Episcopum, & altera ad Lectorem.

D

HOs cum cernerem, neque ita longos, vt pertimescere deberem, & ita eruditos, vt multis possent magnam vtilitatem afferre, diuinâ confisus ope, ambos in Latinum vertere constitui. Ambo hi auctores, toto explanationum cursu magis aliorum doctrinam indiciaque sequuntur & probant, quam sua: id quod clarè discas ex præfatione Victoris: in qua confitetur, se tanquam in vnum corpus collecta redegisse, quæ Ecclesiæ Doctores diuersis locis & particulatim annotassent. Titus similiter non rarò antiquorum sententias interponit, quibus commentationes suas confirmat atque illustrat. Quibus verò temporibus vixerint, etsi nihil dum pro omninò comperto habeam, suspicor tamen, vtrumque satis vetustum esse. Siquidem ætate Victoris, Hierosolymitani templi fundamenta, & parietinæ, & alia quædam reliquiæ supererant, quod testatur ipsemet in cap. 13. Marci. *Atque Nicephorus commemorat, Imperatore Iuliano Apostata fundamenta illa cœlesti quodam portento ita fuisse conuulsa ac disiecta, vt ne lapis quidem super lapidem remaneret. Annotat eodem capite plerosque adultos, Baptismum ad extremam senectutem per ea tempora distulisse. Et cap. sequenti, Catharorum hæresim plurimum grassatam. At enim quam multa secula effluxerunt, ex quo Ecclesia tum hæresim illam profligauit, tum Baptismi dilationem prohibuit? Eodem tempore, aut non multò post, vt idem Nicephorus auctor est, Titus quoque floruit: siquidem Iuliani principis mandato, ex Cizycenorum ciuitate eiectus fuit, & Synodo Antiochenæ, quæ in Iouiniani imperium incidit, iam tunc senex interfuit, & cum Eusebio Emisseno, Basilio Ancyrano, Serapione, multisque aliis ætatis illius orthodoxis patribus* to homoousion, *aduersus arrianos propugnauit. Et quia Titus iste non Lucæ tantùm, verum Matthæi quoque Euangelium exposuit, idcirco quæ Lucæ cum Matthæo communia sunt, vel omittit, vel leui brachio exponit, vt commentarius eius tam perfectus non sit, quam Victoris: Scripsit idem aduersus Manichæos, & alia quædam, quæ perierunt, aut fortasse in Bibliothecis inter reliquias vetustatis puluere conficiuntur. Neuter porrò horum, quod sciam, hactenùs Latinâ linguâ prodiit in lucem: nec putarim facilè typis Græcis impressos reperiri.* E F

Peltanus Eusebium Emissenum & Basilium Ancyranum Episcopos inter Orthodoxos Patres recenset, quos fuisse hæreticos nemo non nouit. S. Hieronymus in Chronico anno Domini 350. ait, Eusebius Emissenus Arianæ signifer factionis multa & varia conscribit. Et libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, Basilius Ancyranus sub rege Constantio Macedoniæ partis cum Eustathio Sebasteno princeps fuit. vide *Tom. 4. annal. Ecclef.*

VICTOR PRESBYTER Antiochenus in Sacrosanctum IESV CHRISTI Euangelium Secundum Marcum: Opera Theodori Peltani Societatis IESV Theologi nunc primùm Latinitate donatus.

G

QVANDO quidem permulti in Matthæi & Ioannis, pauci verò in Lucæ, nulli autē omninò, vt equidem arbitror in Marci Euangelium scripserunt (certè veterum monumentorum indices studiosè euoluens, nullum qui illud edisseruisset, in hodiernum vsque diem comperi) visum est mihi, quæ Ecclesiæ Doctores sparsim & per partes in præsentem Euangelistam annotarunt, in vnum quasi corpus redigere, succinctamque in hoc ipsum quoque Euangelium explanationem conscribere. *Nulli veterum in Marcū scripserunt.*

Cæterùm Marcus hic, qui alio nomine Ioannes appellatus est, post Matthæum Euangelij historiam contexuit, matremque, vt ex Apostolorum Actis constat, Mariam illam, apud quam Hierosolymis discipuli Christi diuertere soliti erant, habuit. Et quidem initio, vt in iisdem illis Apostolorum Actis proditum extat, adhærebat Barnabæ cognato suo & Paulo. Verùm vbi Romam venisset, secutus est Petrum. Quare is in priori sua Canonica ad hunc modum de illo scribit: *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Quin Apostolus Paulus quoque, non in ea tantùm, quam ad Colossenses scripsit, sed in posteriori quoque ad Thimotheum mentionem illius facit. *Marcum*, scribit hic, *ama, & adhuc tecum.* ibi verò: *Salutat vos Marcus consobrinus Barnabæ.* Marcus itaque cœlestis doctrinæ semen, quod ab Apostolis hauserat, cum alibi, tum Romæ quoque ad tempus proseminauit. At verò cum aliò iam auocaretur, ab iisque, qui Romæ Christo per fidem adiuncti fuerant, vt salutaris prædicationis seriem scripto exponeret, enixè rogaretur, haud grauatim annuit. Atque hinc Euangelium, quod secundum Marcum inscribitur, natum traditur. *Marcus Euangelista binomius.* Cap. 12. H Cap. 15. Cap. 5. Cap. 5. Coll. 4. *Marcus Euangeliū Romæ scripsit.*

CAPVT

A

CAP. I.

Cap. 40. Cap. 3. Totũ adscribitur Isaiæ, tãquàm posteriori vati. Tom. 7. expos. in Ioan.

INitium Euangelij IESV CHRISTI, *Filij Dei: sicut scriptum est in Isaia Propheta, &c.* Euangelista Marcus Spiritu illo, qui è sublimi in hominum corda demittere solet, afflatus à prophetico oraculo Euangelium orditur. *Vox clamantis in deserto, &c.* Hoc vaticinium historiæ, quæ de Ezechiæ ægrotatione, apud Isaiam agit, subtexitur. *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, &c.* Hoc dictum non ex Isaia, sed ex Malachia depromptum est. Euangelista enim compendio vsus, duo distincta oracula, sub vnius Isaiæ nomine in medium affert. Marcus, scribit Origenes, duas prophetias diuersis temporibus, & à diuersis editas, in vnum conflans, ait: *Sicut scriptum est in Isaia Propheta: Ego mitto Angelum meum, &c.* Et vt compendij gratiâ, duas prophetias conflauit in vnam, ita vt eidem Origeni placet, loco illi Malachiæ, *Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, &c.* illud *ante te*, vel, *ante faciem tuam*, adiecit: Siquidem in Prophetæ contextu isthæc non leguntur.

Emendatiores codices græci, aliter B *locũ hunc legũt, habẽt enim:* Sicut scriptum est in Prophetis. Cap. 3. Ioan. 1.

Vox clamantis in deserto, &c. Hæc Ioannis Baptistæ fuit oratio ad illos, qui à Pontificibus, populíque Doctoribus ad eum missi fuerant. Cum enim illi percunctarentur, anxiéque: *Qui es tu, vt responsum demus his, qui miserunt nos? &c.* ab illo exquirerent, ipse vicissim intulit: *Ego vox clamantis in deserto, &c.*

Prædicans baptismum pœnitentiæ. Et hæc quoque appendix ibidem subiungitur: Nam, cur baptizaret, interrogatus, statim subiecit: *Ego baptizo in aqua, &c.* Discis hinc autem Ioannem præcursoris tantùm personam sustinuisse, hoc est, viam ad cœleste illud donum, quod est peccatorum remissio, docendo & prædicando ita muniuisse, vt tamen illud non impertiret. Nec mirum: Siquidem munus illius non erat expiare, aut sanctificare, sed eorum animas, qui vniuersorum Deum suscepturi erant, ad eiusmodi munditiem disponere, & præparare. Pœnitentiæ itaque Baptisma, quod prædicabat Ioannes, ad sanctitatem, internámque animi munditiem disponebat, at perfectam verò sanitatem, vt Baptisma Christi, nequaquàm præstabat. Hæc enim sanitas contingit per gratiam, quâ Ioannis Baptisma destituebatur.

Ioan. 1. Quo sensu Ioannes præcursoris personam sustinuerit. C *Baptisma Ioan neque peccata expiabat, neque gratiam præstabat.*

Et erat Ioannes vestitus pilis Cameli, &c. Clarius hæc Matthæus; ait enim: *Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis Cameli.* Hic autem habitus, & pœnitentiæ, & luctus, & regiæ quoque potestatis, vt nonnullis placet, symbolum præ se ferebat. *Et zona pellicea circa lumbos eius*, Zona hæc pellicea, cùm internum animi mœrorem, tùm carnis quoque mortificationem adumbrabat. Atque huc spectat illud Seruatoris: *Cantauimus vobis tibiis, & non saltastis: lamentauimus, & non plorastis.* Et *locustas, & mel syluestre edebat.* Esca Ioannis, spiritalis, ni fallor, populi Iudaici escæ signum erat: Nec enim vllis ille omninò mundis cœli volucribus vescebatur. Quamuis enim sublimi quâdam cœlestique doctrinâ pasci videbatur, attamen mysticis alis non subuehebatur, neque è terra assurgebat, aut vocem tollere poterat. Sed & melle quoque syluestri vtebatur: nam licet illud ab intelligentibus apibus, hoc est, à Prophetis congestum, confectúmque esset: nihilominùs, quod per diligentem inquisitionem, germanámque explanationem non excoleretur, neque edulcaretur, vsque agreste & insipidum manebat.

Cap. 3. Habitus Ioan. pœnitentiã & luctũ designabat.

Luc. 7. D *Quid esca, quâ Ioan. vtebatur, innuabat. Cuiusmodi spiritalis Iudæorum esca.*

Et prædicabat dicens: Venit fortior me, cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius. Aliud est calceamẽta portare, quod dicit Matthæus; aliud procumbere, & calceamentorum corrigiam soluere, quod habet Marcus: At neuter interim Euangelista, aut à veritatis scopo aberrat, aut cum altero pugnat: Verisimile fit enim (quod alia & alia disserendi occasio sese offerret) Baptistam diuersis temporibus vtrumque dixisse. Quin eamdem quoque rem, diuersis sæpè verbis, diuersóque modo commemorant: quippe qui maiorem rerum, quam verborum curam habere, magísque id operam dare solcant, vt res summarim perstringant, quàm vt singula, quæ vel dicta, vel facta fuerant, accuratè ad memoriam reuocent.

E *Euangelista magis rerum, quàm verborum rationem habuerunt.*

Non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamentorum eius. Quæ dicit, huc tendunt: Cum ad summam illam Christi Redemptoris dignitatem, summámque diuinæ eiusdem naturæ præstantiam mentis oculos coniicio, indignum me planè sentio, qui vel infimi ministri locum apud illum obtineam (hoc enim calceamentariæ corrigiæ, vel ligulæ solutione denotatur.) Siquidem vniuersa mortalium natura, cum Dei maiestate comparata, *quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatur*: totáque eiusdem iustitia *instar panni menstruatæ* habetur.

Quid soluere calceamentum corrigiam. Isai. 40. Isai. 64.

Ego baptizaui vos aquâ, &c. In aqua se baptizare asserit: quandoquidem necdùm datus erat Spiritus sanctus: At Christum vero Spiritu sancto baptizaturum prædicit. Cæterùm diuino huius spiritus dono primi omnium, post Domini ad Cœlos ascensum, potiti sunt discipuli: idque Christi Seruatoris sponsioni consentaneè; aiebat enim: *Ioannes baptizauit in aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.*

Discrimen inter Christi & Ioan. F *Baptisma. Apostoli Spiritus primitiis potiti. Act. 1.*

Cur, inquis, Ioannes anticipatione quâdam vsus, dicebat: *Venit fortior me post me.* Rursùm: *Ille baptizabit Spiritu sancto?* Ne Christum inter cæteros Dei seruos ad Ioannis Baptisma accedentem cernens, turbareris, sed illius celsitudinem & maiestatem hinc potiùs admirareris. Siquidem hæc in rebus illis abiectis & humilibus relucet vel maximè.

Matt. 1. Luc. 3.

Porrò autem ad Baptismi Ioannis vim & rationẽ quod attinet, obtinebat illud medium quodammodò inter nostrum & Iudæorum: Erat námque Iudaico perfectius, nostro verò multis partibus imperfectius. Quare ex ipsa Baptismi natura, quo Dominus vsus est, in peccatorum expiationem ablutum non esse manifestum est: Ipse enim vnus ille erat, & est, qui tollebat & tollit peccata mundi: *Quique peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Sed neque ob id quoque Ioannis Baptismo initiatus est, quod Spiritus sancti gratiâ, aut aliquo eiusdem spiritus dono indigeret: Siquidem Baptisma illud vtriusque vacuum, neutrum per se præstare poterat. At multò verò minùs in Pœnitentiæ symbolum (quo sensu cæteri ad Ioannis Baptismum accedebant) in Iordanis flumine lustratus est: Quandoquidem erat is Ioanne multis modis maior, infinitísque partibus illo sanctior & purior.

Ioan. Baptisma medium quodammodo obtinebat inter nostrum & Iudaicũ. G *Christus Dominus non est baptizatus in peccatorum remissionem. 1 Ioan. 1. Pet.*

Et cur ergo baptizatur? Quo multitudini patefiat, eâque ratione fidem ab illa impetret. Ea etiam de causa Spiritus sanctus aspectabili formâ in illum descendit: Neque enim descensus hic ob id contigit, quod tunc primùm diuini Spiritus illapsu potitus esset (nunquàm enim ille doni huius exors fuerat) sed quo orbi illum commonstraret, vniuersæque creaturæ quasi digito ostenderet, quem Ioannes prædicabat.

Ioan. Baptisma non præstabat gratiam. Domini pluribus de causis Ioan Baptisma suscepit.

Baptizari adhuc voluit, vt omnem iustitiæ partem in se impleret. Hæc porrò iustitiæ expletio vna præceptorum obseruatione præcipuè constat. Inter cætera autem præcepta Prophetæ Ioannis Baptisma extabat quoque: Nam quod Deus Iudæos Ioannis præcursoris Baptismo initiari voluerit, id ex illo Ioannis disce: *Qui, inquit, misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, &c.* Et ex illo rursùm Christi: *Publicani & meretrices iustificauerunt Deum, baptizati Baptismo Ioannis, Pharisæi & Legisperiti consilium Dei spreuerunt non baptizati ab eo.* Si ergo iustitiæ ratio exigit, Deo obsequamur, ísque Ioannem, vt populum baptizaret, miserat, consequens fit, Christum Dominum, qui cum aliis vniuersis legalibus, hanc etiam cæremoniam obseruauit, omnem iustitiæ partem expleuisse.

H *Iustitia diuinorum præceptorum obseruatione præcipuè constat. Ioan. 1. Luc. 7. Iustitia exigit obedientiam.*

Denique si ob id quoque à Ioanne baptizari voluisse dixeris, vt aquas nobis sanctificaret, neutiquam à veritatis scopo aberraueris. Argumento sit Spiritus sanctus, qui in specie columbæ descendit: nam vbi reconciliatio cum Deo intercedit, ibi columba præstò esse consueuit.

Christus suo Baptismo aquas sanctificauit. Genes.

Quare

A Quare vt in Arca Noë columba non defuit, ita nunc quoque Spiritus sanctus in columbæ specie, non in assumpto corpore aduenit, suoque aduentu Dei misericordiam Orbi annuntiauit: simul etiam hominem spiritalem mansuetum, & simplicem omnisque nequitiæ & doli expertem esse debere, indicauit. Alia itaque Christo extitit causa, cur ad Ioannis Baptisma accederet, alia cæteris mortalibus.

Genes.8. *Cur Spiritus sanctus in specie columba apparuerit.*

Vidit Cœlos apertos, &c. Cœli σχίζονται, diffinduntur vt habet Marcus: vt autem Matthæus legit, ἀνεῴχθησαν aperiuntur. Denotat hoc autem, sanctimoniam hominibus è Cœlo obuenire, cœlestiaque rebus terrenis sese consociare.

Et vox facta est de Cœlo. Vox hæc cœlitùs delata, non Patris propria extitit, sed in Patris persona, Angelorum ministerio efformata fuit.

Cur Dominus post susceptum Baptismum in desertum abductus & à dæmone tentatus.

Et statim spiritus expulit illum in deserto, &c. Quandoquidem quæcumque Dominus faciebat, aut tolerabat, ad nostram doctrinam & instructionem faciebat & tolerabat, propterea sese in desertum abduci, diabolique tentamentis exponi patitur, ne videlicet Baptismo expiati, animo statim concidant, si post susceptum Sacramentum, graui nonnunquàm inexpectataque tentatione pulsari se sentiant, verum infracto semper imperterritoque animo consistant, cunctaque, quæcumque tandem euenerint, viriliter perferant.

B

Multæ graues causæ, cur Dominus Baptismo initiatos ab omni statim tentatione non absoluat.

Et cur, inquis, Deus Baptismi Sacramento initiatos, à diaboli vexationibus, molestisque eiusdem tentamentis non prorsùs absoluit? Nimirùm vt hinc discas, multo te nunc maiori robore pollere, quàm dudùm ante. Deinde verò, quo carnis & dæmonis tentationibus etiamnum obnoxium te intelligens, intra mediocritatis limites te contineas, neque propter donorum magnitudinem, nimiùm te extollas. Hinc vt malignus Spiritus per tentationum experimenta edoctus, perfectè te illum deseruisse, pleneque ab eodem recessisse cognoscat. Mox vt hac conflictatione, veluti ferrum induratus, fortior subinde euadas. Postremò vt quanti thesauri opes tibi concreditæ sint, euidenter ex hac re perspicias: Neque enim diabolus adeò infestus esset, nisi in maiori honore & loco te nunc, quam anteà constitutum, animaduerteret.

C

Nemo vltroneis tentationibus obiicere se debet. Cur Spiritus Christum Dominum expulerit in desertum. Diabolus quo acrius tentet, solitudinem obseruat.

Et statim Spiritus expulit eum in desertum. Cur Filium in desertum non simpliciter profectum, verum secundum œconomiæ rationem per Spiritum eò abductum dicit? Insinuare per hæc voluit, neminem vltroneis tentationibus se obiectare; verùm si quo casu in illas inciderit, animosè eisdem resistere debere. Expulit autem Spiritus Christum in desertum, quia diabolum ad pugnam prouocare, commodamque eidem inuadendi occasionem, non modò per inediam, verùm per loci quoque solitudinem offerre voluit. Nam tunc demum diabolus homini præcipuè insidiari, & insultare consueuit, quando illum solitarium, & quasi seorsim ab aliis positum cernit. Hinc etiam desertum, in quod Dominus concessit, inuium, ferisque bestiis refertum, scribitur.

D

Heb.1. *Angeli humanæ salutis causam promouent & adiuuãt.*

Et Angeli ministrabant illi. Angeli post debellatam tentationem, obtentamque aduersus diabolum victoriam, Christo administrant. Adminiculantur hi enim humanæ saluti iuxta illud Apostoli: *Nonne omnes administratorij Spiritus sunt in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis?* Aduerte hic autem, accuratèque obserua, omni tandem tentatione perfectâ, Angelos accessisse, debitumque cultum & ministerium Christo Victori detulisse.

Cap.4.

Posteaquàm traditus est Ioannes, venit Iesvs *in Galilæam, &c.* Hæc Euangelista Marcus satis consentaneè ad ea, quæ exponit Matthæus. Ille enim posteaquàm dixerat: *Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei,* statim subiungit: *Cum audiuisset* Iesvs, *quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam,* & paucis interiectis: *Exinde cœpit* Iesvs *prædicare & dicere: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum Cœlorum.*

Impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei. Obseruandum est hoc loco, Ioannem quidem, dum prædicandi initium in deserto Iudææ facit, cœlesti regno pœnitentiam præmittere: ait enim; *Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum Cœlorum,* Christum verò Seruatorem nostrum, posteaquàm ciuitate Nazareth, vt Matthæus exponit, relictâ secessisset in Galilæam, Capharnaumque, quæ ciuitas maritima est, habitatum venisset, non quidem statim: *Pœnitentiam agite*, prædicare & dicere cœpisse; Verum *impletum est tempus, appropinquauit regnum Dei,* nec ratione sanè hæc ordiendi dissimilitudo caret: Nam cum Ioannes ad hoc missus esset, vt viam Domini præpararet, par erat, vti pœnitentiam ante cœleste regnum prædicaret.

E Matt.3.

Cur Ioã. & Christus non eodem prorsus modo ordiantur prædicationem.

Secundum Marcum igitur Dominus noster ita orsus est: *Impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei.* Porrò autem quod Christus Dominus hoc loco tempus impletum vocat, hoc Apostolus ad Galatas scribens, temporis plenitudinem appellat, ait enim: *Vbi venit temporis plenitudo, misit Deus Filium suum, &c.* Iam enim, quæ de Christi aduentu, eiusdemque œconomia per Prophetas prædicta fuerant, ad finem deuenerant.

Cap.4. F

Pœnitemini, & credite Euangelio. Post omnem tentationem absolutam, Angelorumque ministerium expletum, Ioannem carceri mancipatum esse, ad Dominum perfertur. Statim igitur à patria digressus inter cætera cœpit dicere; *Pœnitemini, & credite Euangelio.* Non pugnant hæc autem cum iis, quæ paulò ante exposita sunt: Siquidem pœnitentia, quam prædicabat Ioannes, non erat eiusdem rationis cum ea quam exigebat Christus: Ioannes enim pœnitentiam prædicando, ad vitæ emendationem, hoc est, ad peccatorum, quæ in vita designarant, detestationem, scelerumque patratorum expiationem auditores prouocabat: Christus autem per verba illa: *Pœnitentiam agite*, Iudæos à legali litera, ad legalem Spiritum, qui in Euangeliis reuelatur, transferre satagebat. Quod autem hic germanus loci huius sit sensus, id ex eo patet, quod δῶμεν ἀνατ, hoc est, resipiscite, vel conuertite vos, statim adiungit: *Et credite Euangelio.*

Pœnitentia, quã Ioan. & Christus prædicabant, non erat eiusdem rationis.

G

At quorsùm, dixerit hic quispiam post captum Ioannem Dominus secedit in Galilæam? Quo peruersis quibusdam, qui vim illi parabant, det locum, seseque doctrinæ & curationibus, quas ante Crucem & mortem explere, certum deliberatumque habebat, integrum asseruet. Post has autem expletas, vltrò se humiliauit, *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.* Post Ioannem itaque traditum secessit, neque persecutionis procellam expectauit, verum in aliud tempus eam reiecit.

Dominus persecutioni cedit, & quare.

Et præteriens secus mare. His planè similia exponit Matthæus: vnum hoc solum inter hunc & illum intercedit, quod Marcus Matthæo narrat contractiùs.

Philip.2.

Et ingrediuntur Capharnaum. Post Apostolos electos statim subiungit: *Et ingrediuntur Capharnaum.* Quibus cognata refert etiam Lucas. At vnde, inquis, profecti, venere Capharnaum? Ex Nazareth, vt apud eundem Lucam videre licet.

Et ingressus in Synagogam, docebat eos Sabbatis. Sabbatis enim, vel solùm, vel potissimùm inter se coïbant Iudæi, idque non tam virtutis, hoc est, sanctimoniæ & obedientiæ amore, quam legalis pœnæ formidine. Nam vt per Sabbata conuenirent, lege cautum extabat. Docebat ergo Sabbatis in Iudæorum Synagogis, auditorum animos aucupari, & ad pietatem allicere contendens.

H *Iudæi Sabbatis ad Synagogas conueniebant.*

Et stupebant super doctrina eius. Cur stupebant? quia non loquebatur ad gratiam, neque vlli protsùs adulabatur, nec auditorum laudes captabat, sed erat sermo eius in potestate.

Christi oratio Iudæos in stuporem rapiebat, & quare.

Hortabatur enim non ad quævis promiscuè, sed ad cœlestia, & animæ salutaria, perfidisque & obstinatis peccatoribus imperterritè supplicia comminabatur.

Et erat in Synagoga eorum homo in Spiritu immundo. Per hoc, quod Spiritum hunc immundum appellat, secernit illum à cæteris omnibus rebus, quæ Spiritus nomine

designan

A

Varius vsus nominis huius Spiritus.
Cur Dæmon immundus spiritus appelletur, Dæmones Christũ perfectè cognoscebant.

designantur. Nam & aër, & anima, & spiritus administrarorij, hoc est, Angeli, & ipse etiam Spiritus sanctus, Spiritus vocantur. Ne ergo ob communem illam notionem, in aliquem hæsitarionem incideremus, Dæmonium hoc Spiritum immundum nominar. Dicitur autem hic spiritus immundus, cum propter obstinatam in impietate mentem fœdamque à Deo defectionem, tum maximè quod obscœnis flagitiosisque operibus mirificè oblectetur.

Et exclamauit voce magnâ, dicens: Quid nobis, & tibi IESV *Nazarene?* Te tandem, clamat nequam Spiritus, præsentem coniicio: te tandem aduenisse suspicor. Nam etsi hoc absolutè se scire simulet, perindéque, ac si certò sciat, verba fundat, attamen necdùm certam & firmam satis de illius præsentia notitiam hauserat.

Venisti ante tempus perdere nos. Quorsùm hæc pertinent? huc vtique; nullum nobis amplius locum reliquum facis: nam & impietatem è medio tollis, & errorem proscribis, & Dei notitiam mortalium pectoribus inseris.

B

Scio quod sis sanctum Dei. Sanctus erat Prophetarum vnusquilibet: verum non loquitur hîc de vulgari quopiam vate, aut promiscuæ sortis homine, sed vnum illum, qui ex vno procedit, præsto esse annunciat: Siquidem per articulum adiectum, vnum quempiam præ cæteris eximium designat, metúque perculsus, omnium Dominum sese agnoscere neutiquam dissimulat.

Dæmonibus etiã vera dicentibus, non est fides habenda.

Et comminatus est ei IESVS. Increpat illũ IESVS, quia veritate, vt per malignos Dæmones statueretur, aut per aduersariorum testimonia cohonestaretur, opus non erat: vnde Euangelista: *Et comminatus est ei, dicens: Obmutesce, & exi ab homine.* Quin salutare quoque documentum per hoc nobis tradidit, ne videlicet vllam vnquam Dæmonibus fidem habeamus, etiãsi vera se dicturos profiteantur.

Et discerpens eum Spiritus, & exclamans voce magnâ exiit ab eo. Cur Dæmon obsessum hunc fudit in terram? Dominus ob id illum iactari, discerpique passus est, vt omnibus palam fieret, Dæmonem fuisse, qui dicebat: *Scio qui sis &c.* & non hominem: tametsi ea sobrietatis verba essent. Exiuit autem ab illo, nihil eum lædens. Nam etsi immundus Spiritus permissus est eum iactare, & humi sternere, non tamen vulnerare. Indulsit autem Dominus istiusmodi vexationem, vt imperantis virtus præsenti bus manifesta fieret. At ægrum verò hominem cõsauciari, aut grauiter eâ iactatione lædi non permisit. *Et mirati sunt omnes.* Quæ enim propalàm cernebantur, certam fidem faciebant, neque enim simplex auditus, qui animum quodammodò diuidit (constituit enim eum medium inter fidem & dubitationem) eorum quæ fiebant, testis erat, sed oculus. Quare etiam non absque stupore inter se disquirebant, dicentes: Quidnam hoc rei est? quid hoc factum portendit? aut nos docet verius? Imperat malignis Dæmonibus, & è vestigio è medio facessunt. Prodibant in medium prophetæ, at, hæc dicit Dominus, aiebant, hic autem: *Ego dico vobis*, ait. Ecquid hæc noua doctrina? non enim Prophetarum more Deum inuocat, verùm ipse cum potestate: *Obmutesce, & exi ab eo,* intonat. Omninò omnium hunc dominum esse, nobis probabile fit. Quamobrem miraculum hoc per vniuersam mox regionem diuulgatum est. *Et protinus egredientes de Synagoga.* Post signum patratum Synagogam egressi, quod sabbatum esset, cibi sumendi causa discipuli ad dominum diuertunt. Verum quæ illis ministratura erat, febribus detinebatur.

C

Cur Dominus dæmoniacum pal sus est discerpi
Visa certiora sũt, quam ab aliis audita.

D

Christi Corpus sanitatis instrumentum. Quo animo sani tas à Deo expetenda.

Statim ergo discipuli ea de re illum certiorem faciunt: siquidem certum de illius virtute experimentum iam tùm ceperant: *Et accedens, eleuauit eam* Accessit ad illam Verbum, corporeáque manu extensâ, febricitantem erexit. Nam indiuulsam se cum carne sua societatem habere, persuasum volens, pleraque miracula & signa per corporis ministerium edebat. *Et ministrabat eis.* Socrus Petri à febribus liberata, suum vicissim ministerium & seruitium exhibet: nos per hoc erudiens, ne sanitatis beneficium frustrà, aut præposterè à Deo expetemus, verum eo præcipuè animo, vt sanitatem iam udepti, præceptis illius accuratiùs parere, Sanctisque eiusdem necessario vitæ præsidia faciliùs subministrare valeamus. *Vespere autem facto, cum occidisset Sol.* Non temerè additur, post Solis tandem occasum multos ægros oblatos esse. Quandoquidem Iudæis persuasum erat, Sabbato curare fas non esse: Eius ergo rei causâ Sabbati finem expectabant. Sed & Iudæorum proceres quoque, ob id Domino insultabant, quod Sabbato sanaret. At Christi verò discipuli, qui nonnullos iam in fide progressus habebant, vesperâ non expectatâ, Iesum, vt Petri socrum à morbo exsuscitet, rogant. *Et curauit multos.* Euangelista Marcus Christum multos malè habentes curasse asserit, Verum is, aut scripturarum more multitudinis nomen generatim pro omnibus accipit (scripturæ namq; dictionem hanc frequenter in eo sensu vsurpant, notum est enim illud Pauli: *Sicut per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi, ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi*) aut certe τὸ multos eos omnes & solos denotat, qui in illum credebant. Fides námque ad præstandum sanitatis beneficium alliciebat. Verum Lucæ contextus cum priori expositione magis facit, ait enim: *At ille singulis manus imponens, curabat eos. Et dæmonia multa eiciebat.* Quæ hîc dicuntur, ea iis non aduersantur, quæ habentur apud S. Lucam. Ille enim scribit ad hunc modum: *Exibant autem Dæmonia à multis clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei. Et increpãs non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum Christum esse,* Marcus autem compendio vsus, illud: *Clamanti: & dicentia: Quia tu es Filius Dei,* tanquàm è superioribus notum, prætermittit. *Quia sciebant eum.* Dæmones norant illum Christum esse: iam enim de virtute illius experimentum ceperant, partim quidem ex miraculis, quæ iam ante patrarat, partim verò ex peculiari modo & ratione, quâ signa & verba faciebat.

E

Iudæi nefas putabãt Sabbato curare. Ioan. 5. Luc. 13.
Scripturæ mul titudinis vocabulo vniuersitatem sæpè designant. Rom. 5.

F

Cap. 4.
Cap. 4.
Dæmones duplici de causa dominum IESVM *Christum esse colligebant.*
Dæmonum testimonium de veritate suspectũ Cap. 4.

Et non sinebat ea loqui. Non patiebatur hæc illos dicere: nos per hoc, vt paulò ante dictum est, docere volens, ne vllum omninò testimonium à Dæmonibus recipiamus: *Et diluculò valde surgens.* Cum his per omnia conspirant, quæ narrat Lucas: *Facta autem die,* scribit ille, *egressus, ibat in desertum locum: & turbæ requirebant eum.* Marcus autem Apostolos multitudinis aduentum anteuertisse insinuat, ait enim: *Et prosecutus est eum Simon & qui cum illo erant. Et cum inuenissent eum, dixerunt ei: quia omnes quærunt te:* Verùm hæc non pugnant, fieri enim potuit, posteaquàm Apostoli ad Iesum iam peruenerant, turbas mox à tergo consecutas, Christum comprehendisse, enixéque, vt illum apud se detinerent, contendisse. Dominus autem peregrinationis suæ tempus breue futurum compertum habens, doctrinæq; suæ thesauros cum aliis quoque communicare volens, illos vt ab incepto desistant, admonet, ait námque: *Eamus in proximos vicos, & ciuitates, vt ibi prædicẽ, &c.*

G

Ad hoc enim veni. Commodè hoc subdit Euangelista: Neque enim sola Diuinitatis illius authoritas, per hoc adumbratur, verumetim spontaneæ euacuationis humilitas. Lucas autem, quo verbi œconomiam exprimat, *ad hoc enim missus sum*, scribit. Quare in Patris de Verbi incarnatione beneplacitum, Apostolatus nomine designat. Quin etiam Ioannes, quando; *Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum,* in deserto prædicabat, ad vnum hoc mysterium spectabat. Nec enim aliud ille regnum Cœlorum annuntiabat, quam, Verbum caro factum est, hoc est, Christum. *Egressus abiit in desertum locum.* Secedit Christus pusillum in desertum locum, quo absens eorum desiderium acuat, qui illum sequebantur, suóque nos exemplo admoneat, vt post miraculum patrarum, aut opus aliquod illustre perfectum, aliquò seorsùm secedamus, ne quod inanis gloriæ venenum aut humanæ laudis studium, in animos nostros irrepat, sed Deo sua vbique gloria, debitaque gratiarum actio nusquàm non constet. *Ibique orabat,* Orabat autem, non quod is vllo prorsùs precum præsidio egeret, sed quod præstantissimè cuiusque actionis formam seipsum nobis proponere vellet. *Et erat prædicans in Sinagogis eorum.* Prædicat in Iudæorum Synagogis Dominus, quo vnum ex veteri & nouo Testa-

H

Quale erat regnum quod Ioan. annuntiabat.
Cur Dominus post patratum miraculum secedat in desertũ.
Christus non sui, sed nostri causâ orabat.

A

mento doctrinæ corpus absolui: seseque veteris, æque ac noui Testamenti authorem esse se ostendat, & non alterius tantùm, vt impij fingantur hæretici. Vbique autem, quo doctrinæ suæ robur & fidem conciliet, verba sua miraculis confirmat. *Et venit ad eum leprosus deprecans eum.* Qui terrarum orbem, ab impietatis lepra expiatum venerat, is nunc lepram quæ corpori cohærebat, expiat. Quo autem illud in integrum restituat, quod est secundum naturam, primò omnium mentem per fidem & spem emundat. Dicit autem ad eum leprosus.

Christus animam ante corpus sanat.

Si vis, potes me mundare. Noui te omnia posse, modò sola adsit voluntas. Si operari placuerit, nihil extat quod imperare te valeat. Ex tota anima eprosus aiebat: Certo scio te id posse, sed neque ignoto quoque, hoc me beneficio prorsus indignum esse: Iusto namque iudicio Dei patior, quæcumque patior. Quamobrem si id beneficij præstare nolueris, non repugno.

Magna leprosi cuiusdā humilitas & fides.

B

IESVS *autem misertus eius, &c.* Seruator misericordia motus, leprosum tangit. Eccur, ais, Dominus hominem leprâ contaminatum tangit, & non solo verbo sanitatem illi restituit? Lex Mosaica eum pollutum pronuntiabat, quicumque leprosum contigerat. Vt ergo constet, naturalem fœditatem Seruatorem inficere non posse: Tum rursùm, vt legem illam contra se latam non esse ostendat, sed contra cæteros homines, quantumlibet excellentes, dicit leproso: *Volo, mundare.* Verboque prolato morbum mox fugat, adeóque quod verbo leprosus dixerat, hoc ille opere ipso verum esse demonstrat. *Vide nemini dixeris.* Non indigeo tuâ prædicatione, si enim morbus, quo laborabas, me non prædicauerit, munditia tua nulla erit. *Sed vade, & ostende te principi Sacerdotum.* Quo impudentem Iudæorum linguam obstruat, secundum legis decretum, ad Sacerdotum principem mundatum amandat. *Vade*, inquit, *ostende te Sacerdotum principi:* vt cum paulo post, veluti errorem & impostorem me persequentur, tutè mihi testimonium perhibeas, & quod à me sanatus fueris, & quod iuxta legis præscriptum, Sacerdotis iudicio te sistere iussus.

C

Ostende te nihilo seciùs, ne extra hominum consortium eiiciare: Siquidem lex cauebat, vti leprâ contaminatus, tanquàm pollutus extra castra maneret. Quod si qui sponte mundabantur (id quod Dei voluntate contingere nonnunquam poterat) illi extra hominum consuetudinem non proscribebantur. Interim dum summus Sacerdos illiusmodi homines expiatos declararet, tanquàm adhuc coinquinati, vnà cum cæteris pollutis, extra castra consistere compellebantur.

Et egressus cœpit prædicare. Leprosus hic debitæ gratitudinis nequaquàm oblitus, vbique locorum benefactórem suum laudat, & prædicat.

CAPVT II.

Cap. 5.
D
Cap. 9.

ET *venerunt ad illum ferentes Paralyticum.* His non absimilia exponit Lucas quoque vno illo duntaxat excepto, quod ciuitatis, in qua miraculum editum fuerat, nomen non exprimat. Matthæus verò, quod de tecto reuulso narratur, suppresso, eâdem fere verborum serie, signum in sua ciuitate factum scribit. At ciuitas illius non Capharnaum, sed Nazareth habebatur: nisi quis Capharnaum ob id forsan ciuitatem illius appellatam dicat, quod frequenter admodùm in illa degeret, multaque subinde miracula in ea patraret. Sunt qui putent, (quod loca illa paruo interuallo à se inuicem distarent) Euangelistas non tam curasse, vt locum præcisè indicarent, quàm vt miraculum ipsum exponerent, de hoc autem omnium sententias inter se conspirare, etiamsi alij alio modo historiam texant. *Et cum non possent offerre eum illi præ turba.* Veneruntergo, qui paralyticum baiulabant: Cum autem ianuam magnâ hominum multitudine vndique obseptam comperissent, adeò vt nullus omninò per illam aditus ad Christum pateret, (Nec enim ij, qui intus erant, illis qui foris vrgebant, concedere, aut vllum prorsùs accessum ad medicum indulgere volebant) capto repente consilio, cum salutis ægri

Quo sensu Capharnaū Christi ciuitas appelletur.

E

essent oppido auidi, supra domum conscendunt, remque, ob certam sanitatis spem, adoriuntur nouam, planéque inusitatam. Etenim recto euerso, lectum vnà cùm onere, hoc est, virum paralysi detentum, vnà cum grabato ante Christi Seruatoris nostri pedes in terram demittunt.

Cum autem vidisset IESVS *fidem illorum, ait Paralytico: Fili, dimittuntur tibi peccata tua.* Hîc tu mihi nunc Christi Domini benignitatem, & mansuetudinem perpende: Perpende, inquam, quomodo transactis, quæ modo audimus, ægro mox peccatorum veniam indulgeat, non ignarus, quod illo minùs erat, paulò post, vltrò illi obuenturum. Dominus itaque fide illorum compertâ, quem sumpserant laborem, inanem abire nequaquàm passus est, ait autem: *Fili*, vel, vt Lucas habet, *homo, dimittuntur tibi peccata tua.* Quod autem Paralyticum hunc filium vocat, illud aut propter fidem, quam de ipso conceperat, facit, aut certè ad creationis causam respicit. At quid hoc est, inquit se ille, quod de peccatis audio? Aliud expecto, & aliud largieris. Detulerunt me huc illi, vt recuperatâ sanitate inambulem, tu verò aliud pro alio sanas? Cernis hauddubiè, quæ illi non cernunt. Cognoscis enim, quæ secretò admisi, quæ illi non cognoscunt. Anima præ corpore laborat; morbi itaque causam è medio submouens, ipse etiam morbus vnà submouebitur. *Quid est facilius dicere: dimittuntur tibi peccata tua, &c.* Vtique peccata re ipsa dimittere difficilius est, quàm dicere: dimittuntur tibi peccata tua. Neque enim is facilè falsitatis redargui potest, qui dicit: dimittuntur tibi peccata tua, quippe cum hic effectus sub sensum non veniat: Siquidem vulnus non patet, vt medici virtus diiudicare possit. Dicit ergo, vtrum est facilius, dicere, ne, an facere? hauddubiè dicere, quandoquidem opus quod promittitur, sensibus non obiicitur. Quia ergo fidem non habetis, en opus adiicio: quo illud statuit, quod sub aspectum non cadit. Etenim si Dominus primum exteriùs paralyticum sanasset, atque deinde peccata illi condonasset, rati fuissent, primum quidem præstitum, secundum verò manere incertum. Quia ergo primum erat ambiguum, vulgóque parum creditum, adiectum est secundum: nempè opus ipsum, quo hâc ratione infidelitas redarguatur, quodque animo agitabant, vanitatis reuincatur.

Cap. 5. Cur Christus Paralyticum filium vocet.

F

Peccatorum remissio nō cadit sub sensum.

G

Tibi dico surge, & tolle grabatum tuum, Tibi, ait, dico mente hosce, infideles enim sunt, maláque, & improba animo voluunt. Te, inquam, non illos compello, quandoquidem remissa sunt tibi peccata tua, idoneúsque sermonum meorum auditor euasisti, & dignus nihilo seciùs habitus, cui sanitatis beneficium impenderetur. Surge proinde, sublatóque grabato vade in domum tuam. *Et statim surrexit ille.* Exiit ex ore verbum, & euestigio consecutum est miraculum. Rediit statim sua vis corpori, totumque exemplo consolidatum est. Paralyticus autem sanitatis sensu percepto (hunc namque Dominus illi impertiuerat) in pedes mox se erigit, plantarúmque, ac cæterorum membrorum articulos & neruos intendens, sanus in domum suam abiit.

H

At quorsùm Seruator signum patraturus, præmittit: *vt autem sciatis, quia Filius Hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata?* Haud alia de causa istud facit, quam vt planum hinc fiat, Diuinitatis vim, propter indiuiduam vtriusque vnionem, in humanam quoque naturam sese diffundere. Quod ergo dicit, eiusmodi est: Quamuis homo iam factus, cum Deus alioqui essem, propter carnis œconomiam in terris degam, & familiariter cum hominibus agam, nihilo seciùs, vt Deus, signa omnem rationem superantia edo, peccatisque obstrictis, peccatorum vincla relaxo. *Ita vt mirarētur omnes, & honorificarent Deum.* Quod maioris momenti erat, puta peccatorum remissionem, missum faciunt, id vnum autem, quod in omnium oculos incurrebat, demirantur. Etenim si rectam rationem inire voluissent, dicere omninò debebant: iam non tantùm paralyticum surrexisse admiramur, quantum hinc edocti, animam illius sanitatem, hoc est, à peccatis liberationem, consecutam credimus.

Vis diuina in humanam Christi naturam se diffūdebat.

Maius est animo quā corpori sanitatē præstare.

Et

A

Turba & simplices sequuntur Christum. Pharisæi nō item.

Et egressus est rursum ad mare. Iterùm post editum miraculum, doctrinam in medium proponit: viam hàc ratione ad certam indubitatámque fidē auditoribus aperiens. *Et omnis turba veniebat ad eum.* Dum omnem turbam ad eum venisse scribit, qui illum sequebantur, non Scribas, aut Pharisæos extitisse insinuat, sed homines simplices, omnísque fuci & astutiæ expertes, necnon sano incorruptóque iudicio præditos. *Et egressus est rursus ad mare.* Obserua hîc quo modo Seruator noster, nusquam non ab omni prorsùs ambitione, & fastu alienum se ostendat: Neque enim cum ingens multitudo ad eum conflueret ad frequentes ciuitates se conferebat, aut in medium forum se inferebat; verum ad desertum, vel montem sese recipiebat. Per hoc nos admonens, ne quicquam vnquam ad ostentationem faciamus, sed secessum quæramus, cum alias sæpè, tum verò præcipuè, quando sacrarum rerum meditationi insistendum, aut de rebus ad salutem necessariis disserendum est. *Et cum

B.

Vt certo eligat, nō eget probatione Deus.

præteriret, vidit Leui Alphæi, &c.* Seruator noster non per diuturnum rerum vsum vt cæteri mortalium solent, discipulorum animos explorat, verum vt is, qui omnium hominum conscientias intimè compertas habet, quos idoneos iudicat, seligit. Quare si quam margaritam cœno obrutam, alicubi iacentem viderit, eam mox è sordibus excipit, laterirémque animæ eius candorem in lucem producit. Egressus igitur comperit Leui ad telonium sedentem. Est autem Leui hic idem omninò cum Euangelista Matthæo. Et quidem B. Marcus & Lucas nomen, quod illi familiare erat, primæuâ appellatione obnubunt. At ipse verò Leui, dum Euangelij historiam contexit, palam quæ ad se pertinebant, denuntiat, ait enim. *Cum transiret Iesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine.* Quo enim medici artem impensiùs admireris, suum ipse vulnus aperit. *Sequere me.* Hominum amator, Seruatórque noster IESVS, Leui, tametsi totus quantus erat, in iniquitatum fæcibus immersus iaceret, non aspernatur; sed clementer inuitat, amantérque ad se vocat, ait autem: *Sequere me.* Ille verò animæ salutem cæteris omnibus potiorem ducens, cunctis desertis, se totum euestigio vocantis nutui & voluntati mancipat; neque morosâ dilatione Christum vocantem contristat; verum ob vocationis beneficium, gratum se declarat: Nam magno mox con uiuio in domo sua instructo, cum Christum ipsum, tùm cæteros omnes familiaritate coniunctos benignè ad illud inuitat. Facit id autem, ne ipse solus beneficium accipiat, sed reliqui omnes, qui vocati ad epulum venerant.

Matthæus bi nomius extitit.

C

Christus peccatores clementer ad se inuitat.

In domo Matthæi nihil boni compertum, præter patris familias pœnitentiam.

At is verò, qui illum in Discipulorum numerum cooptauerat, nihil prorsùs cunctatus, aut veritus, statim in domum illius ingreditur, in qua, præter vnam patris familias pœnitentiam, nihil prorsùs boni comperit. Neque ob id tamen succenset, aut, quod acciderat, probrosè obiectat; verùm tanquàm naturæ Dominus, ad conuiuium ingressus, vnà cum cæteris comedit & bibit, susceptæque carnis veritatem, omnibus palam ostendit: Neque oblatam intereà benefaciendi occasionem negligit.

D

Pharisæi. Christi clemētiā malignè interpretantur. Pharisæi aque agri ac Publicani.

Scribæ autem & pharisæi videntes, &c. venerunt eò etiam Scribæ & Pharisæi, non quidem vt aliquid discant; verùm vt ea, quæ fiebant, curiosè inquirant. Cum ergo Publicanos vnà cum aliis accumbere vidissent, Discipulos vocant, & quod fieri conspicantur, malignè incusant.

Non necesse habent sani medico, &c. Et vos quoque medici operâ egetis, ait: nam nisi malè haberetis, Medici benignitatem in culpa nequaquam poneretis. Neque enim nescio hosce Publicanos esse, neque ægritudinem, quâ illorum animæ tenentur ignoro. Noui quod ægrè habeant, nisi enim ægrè haberent, curationis gratiâ ad illos non venissem. At cur, inquis, Scribæ & Pharisæi Seruatorem eo nomine reprehendunt, quod cum Publicanis & peccatoribus cibum capiat? Quia lex inter Sanctum & Profanum secernebat: Pharisæi autem Christum ita comparatum ignorabant, vt supra legis consuetudinem, clementiam & gratiam exhibere vellet, & posset. Lex enim polluta omnia simpliciter reiiciebat, Christi autem gratia, malum in bonum conuertebat. Neque enim Christus venerat, vt Iudex, sed vt medicus. Quare quod Medicorum professio, & ars deposcit, familiariter cum iis agebat, qui sanationis egentes erant.

E

Christ supra gem o rabat venit que ia non v iudex sed vt medic Iudæi finite pië à adorit tur.

Quare discipuli Ioannis & Pharisæorum ieiunant, tui autem non ieiunant? Posteaquàm primam quæstionem solutam vident, adoriuntur secundam; dicunt autem: *Quare discipuli Ioannis & Pharisæorum ieiunant, tui autem non ieiunant?* Hoc autem quæsito aliud nihil moliuntur, quàm infinitè sapientem arte capere, infinitéque rectum, certæ cuiuspiam prauitatis reum facere.

Numquid possunt filij nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, ieiunare? Nunc nuptiarum, nunc vocationis, nunc doctrinæ tempus est, nunc pueri educantur; nunc vocati lacte pascuntur, nullus nunc ieiunio locus est. *Non possunt filij nuptiarum, quamdiu sponsus cum illis est, ieiunare.* Dominus autem tempus, quo in carne cum discipulis familiariter versabatur, nuptias vocat: quia omnem ægritudinem omnemq; animis molestiam secundum se secludere natum erat. Is enim iustam lugendi causam habet, qui bonum, quod desiderat, non obtinet: siquidem optati boni absentia suâ naturâ affligere solet: expetitur námque eius fruitio: At verò, qui præsenti bono iam potitur, is ab omni cura mœroréq; solutus iure meritóque lætatur. Cæterum humanæ naturæ sponsus, est illius dux & princeps, Dei nimirùm Verbum caro factum, quod offert nobis semen vitæ. Quando ergo auferetur ab illis, hoc est Apostolis, sponsus, tunc demùm ieiunabunt, præsentiam illius desiderantes. Ieiunabant autem, à corporeis voluptatibus seiuncti, sequestratique, saltem secundum spiritum cum illo versentur. *Cum auferetur ab illis sponsus.* Hoc est, quando is ad cœlos assumetur, qui Ecclesiam sibi desponsaturus est: Siquidem priori nuptâ, hoc est, Synagogâ eiectâ, repudiatáque, facta est noua quædam desponsatio. Desponsatio autem aliud nihil est, quam arrhabonis datio. Arrhabo porrò, qui hic intercessit, est Spiritûs sancti gratia: per hanc enim, & mundus credidit, & piscatorum cœtus terrarum orbem flexit, & in aliud vitæ genus transformauit. *Nemo assumentum panni rudis, &c.* Quemadmodùm, inquit, rudis intonsúsque pannus si obsoleto vestimento assuatur, natiuâ suâ firmitate einsmodi indumentum discindit: & vt vinum nouum, in vetustos vtres immissum, suo calore & vapore vtres disrumpit, ita hic quoque contingit. Cum enim Apostoli noui Testamenti Præcones & Doctores sint instituti, non debent nunc veterum cæromoniarum, & obseruationum legibus obstringi. Vos itaque, qui priscis illis ritibus, & consuetudinibus etiamnùm addicti, obstrictíque hæreticis, Mosaica ieiunia meritò obseruatis: Isti vero, qui vt noua, anteque inaudita præcepta, & leges hominibus tradant, designati sunt, ad vestras ieiunationes hoc tempore compelli non debent, nec iure quoque valent. At suis nihilominùs locis, vnà cum cæteris virtutibus ieiunij quoq; obseruantiam, & religionem ostensuri sunt. Non quod aliqua legis necessitate ad hoc adigentur, aut quod vestro more, aut sensu, veteribus ritibus adhuc insistendum arbitrabuntur, sed quod hoc medium veluti salutare, & opportunum, ad virtutis perfectionísque studium, suo posteà tempore adhibituri sunt.

F

Cur Dominus pus, in versab tur, n ptias v cet.

Humana natura sponsus Christ Christ Domi nus.

Synago ga repudiata, Eccle sia eam

G

quā sp sam ec plexus est.

Apostol noui T stamen Doctor

H

Quo si su Apostoli ieiunarunt, ieiuniū dū pra nierunt. Quid tercedi inter ieiunorum & Christianorum ieiunii. Ieiunii propter neglig tes præcise dicta.

Enimuerò inter eos, qui in Moysi, & eos rursùm, qui in lege gratiæ, ieiuniis dant operam, hoc præter cætera interest, quod illi quidem ieiunia à Deo præfinita habebant, quæ proindè modis omnibus explere obligabantur, etiamsi alias noluissent; hi verò virtutis amore, liberáque voluntatis electione ieiunant veriùs, quàm vllâ omninò legis coactione. Quod si verò quadragesimale, vel aliud quodcumque ieiunium definitum habemus, propter ignauos, & negligentes, quo nimirùm ij quoque officium faciant, præfinitum habemus. Studiosi námque, pietatíque dediti, certo animi consilio.

A

propensáque voluntate ieiunium illud persoluunt magis quam vllâ omninò legis, aut præcepti vi compulsi.

Apostoli corporis necessitatem Sabbato anteponunt.

Et factum est iterùm, cum Sabbatis ambularent per sata. Discipuli cum veritate iam præsente ætatem agentes, exemplúmque à Christo Domino mutuantes, in vmbratilibus & typicis illis rebus liberiùs se gerunt: Eapropter perpetuâ illâ à rebus mundanis quiete, per, & propter Christum Seruatorem paulatim iam sese prodente, figuralis Sabbati requiem minoris faciunt. Etenim cum Sabbato quodam nihil, quo inediam sedarent, ad manum esset, spicas citra scrupulum vellunt, semenque inde excussum, in corporis alimentum vertunt. At illi verò, qui veritatis expertes, typis etiamnùm seruiebant, pro vmbris depugnant, illíque, qui absolutam in omnes potestatem obtinet, eandemque pro libitu cum aliis communicat, insultant, dicunt enim: *Ecce discipuli tui in Sabbatis faciunt quod non licet.* Obiiciunt hæc autem illi, quia non expendunt, legislatorem suâ lege haud teneri: Neque enim quicquam est omninò, quod regi in suis legibus non liceat.

B

Dominus autem nullâ insultatione, aut potestatis ostentatione, sed patrum tantùm exemplo vsus, intentatam calumniam, mansuetâ oratione refellit. Nam etsi illi corporales ritus, résque typicas magni facerent, neutiquam tamen tanti faciebant, vt naturæ necessitati illas anteferrent. Præ cæteris autem in medium affert Dauidem, qui legis sanctimoniæ aduersatus videri potuit, quando sacerdotalem annonam accepit, acceptamque illis, qui cum ipso erant, in escam distribuit. Facit hoc autem eo consilio Dominus, quo per honorem, & reuerentiam, quam Dauidi deferebant, compescat impudentem sycophantiam, quam Apostolis malignè intentauerant.

1.Reg. 21.

In Magno honore & pretio Dauid apud Iudæos. Tantùm intercedebat inter Dauidẽ & Christum quantũ inter seruũ & Dominũ.

Nunquid legistis, quid fecerit Dauid, &c. Quasi dicat; si Prophetam Dauidem à violatæ legis crimine absoluitis, eo quod non temerè, verum rerum necessariarum egestate compulsus, in legem præuaricatus fuerat, cum

C

is tamen tanquàm seruus, legi obnoxius esset: cur discipulis meis succensetis, legémque contra illos vindicare contenditis, quod panis obsonio destituti, lautioris mensæ loco, seminum apparatum apposuerunt? An non Dauidem legis seruitute obstrictum meministis? Ego autem, etsi Filius hominis dicar, Sabbati nihilominus Dominus sum. Vocat autem Dominus seipsum hominis Filium, quia vt verus homo, inter homines versabatur.

1.Reg. 21.

Abimelech & Abiathar quorundã sententia vnus & idem.

Sub Abiathar principe Sacerdotum. Cum Regum historia, quod de Dauide hîc exponitur, sub Abimelechi sacerdotio accidisse commemoret, cur Dominus ad Abiatharen Sacerdotum principem factum hoc transfert? Sunt qui Abimelechum binominem extitisse existiment; adeóque nunc eundem esse omninò cum illo. Alij Regum libros Abimelechi tanquàm simplicis sacerdotis meminisse respondent, Abiatharem autem, cuius hoc loco Saluator mentionem facit, per idem tempus Pontificem, hoc est, summum Sacerdotem fuisse. Et huic sen-

D

tentiæ satis fauet Scripturæ contextus: Neque enim Achimelechum Pontificem, sed Achimelechum Sacerdotem, pluresque alios Dei sacerdotes, Saulis iussu trucidatos asserit.

CAPVT III.

Cap.6.

Cap.12.

Licet Sabbatũ soluere ob hominis salutem.

E*T introiuit iterùm in Synagogam, & erat ibi homo habens manum aridam, &c.* Euangelista Lucas cæteris adiungit, docendi gratiâ in Synagogam venisse: Tum sanitate potitum, dextram manum aridam habuisse. Matthæus autem de miraculo hoc in hunc modum scribit: *Et dixit illis* IESVS: *Quis erit ex vobis homo, qui habet ouem vnam, si ceciderit hæc Sabbati in foueam, nonne tenebit & leuabit eam? Quanto magis melior est homo oue?* Omnia hæc summo consensu probant, humanæ salutis causa, corporale Sabbatum soluere nefas non esse: Neque enim ex diuinis tantùm Scripturis Dominus id euincit, sed oppositum statuentes, euidentibus, planéque inuictis rationibus refellit, adeóque miraculum ab omni prorsùs crimine, sinistráque suspicione alienum esse ostendit. E

Et circumspiciens, &c. Circumspicit Christus Dominus, quo abalienatos vultu ipso, si fieri queat, alliciat, simúlque Sabbatis ne curare, animam saluam facere, an perdere liceat, ex Pharisæis interrogat. At illi tacuerunt, intelligebant enim, vtcumque responderent, se captos, foréque, vt integram omninò sanitatem, ægro restitueret. *Surge in medium.* Constituit ægrotum in medium, quo ipso aspectu eos flectat: nempè vt spectaculo hoc fracti, ruboréque, ob sanati hominis præsentiam, perfusi, furere desinant, omnémque malitiam semel ex animo eiiciant. *Et dicit eis, licet Sabbatis benefacere?* Marcus & Lucas Dominum ex Pharisæis id sciscitatum scribunt, Matthæus autem Pharisæos, liceretne Sabbato curare, ex illo interrogasse narrat. Vtrumque accidisse verisimile fit. *Dicit homini, extende manum.* Verbo adiungit signum: nam vbi primum homini dixit, *extende manum*, isque extendisset, statim per solam vocem consecutus est sanitatem. Dominus autem per hæc omnia, & F rationem pro discipulis reddit, eósque à Pharisæorum calumnia defendit, & vitæ, quod tenebat, institutum, legali multis partibus sublimius esse ostendit. *Exeuntes autem Pharisæi.* Pharisæi ob miraculum, quod meritò venerari, & admirari debebant, malitiæ malitiam adiiciunt: vsque adeò liuor & inuidia illorum mentem obcæcauerat. *Iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare.* Ne rei naturæ vim afferat, hoc est, ne quid grauius ante præfinitum tempus ab iis patiatur, qui de industria viræ illius insidiabàtur, (id quod si diutiùs apud illos hæsisset, futurum omninò erat.) Tum rursum quo eâ secessione quantùm res ferebat, gratiam illis faciat, hoc est, vt præpediat, ne citiùs, quàm par erat, nefario cædis Christi scelere sese contaminent, vnà cum discipulis aliò secedit, atque illorum conspectu tempestiuè sese subducit.

G

Euangelista Christi facta citra vllã exaggerationem aut verborũ amplificationem exponũt.

Et multa turba à Galilæa & Iudæa secuta est eum. Cum Euãgelista Marcus, magnã hominum turbam Christum à Galilæa consecutam dicit, breui compendio multa simul comprehendit: Neque enim ambitiosè, magnóque verborum apparatu & pompâ, verba de Christo facere soliti sunt Euangelistæ, singula videlicet, quæ, vel dicta, vel facta fuerant, prolixâ narratione exaggerando; verùm quo auditorum infirmitati consulant, oppositum sectari, omnia breuiter & concisè narrant. Si enim omnia & singula (quod fieri alioqui nequibat) scripto complecti voluissent, ne ipse quidem mundus, vt Ioannes Theologus loquitur, libros, qui scribendi erant, capere potuisset. Nihilominùs quod illustria Christi opera, in omnibus illis locis latè percrebuissent, ingens vndique mortalium turba, ad illum confluebat: partim quidem vt ea, quæ præclarè ab eo fiebant, coram viderent, visáque aliis denunciarent: partim verò, vt omnis generis morbis detentos, ipsi offerrẽt, oblatísque sanitatẽ ab illo impetrarent.

Multos enim sanabat, ita vt irruerent in eum. Christus Dominus sectantium, certatímque in se irruentium studio oblectatus, amplâ mercede laborem illorum pensandum existimauit: Quare omnes illorum infirmos integrè & mox sanauit. H

Et spiritus immundi procidebant ei: & clamabant, &c. Cur Christus immundis spiritibus: *Tu es Filius Dei*, clamantibus, pronáque adoratione, se Dominum suum agnoscere testantibus ne se manifestum faciant, imperat? Ne eiusmodi vociferatione Scribarum & Pharisæorum iram magis excitent, eorumdémque inuidiam vehementiùs accendant; asseruabat enim passionem ad tempus à se definitum.

Et ascendens in montem, vocauit ad se quos voluit. Christus Dominus non temerè, verùm vt Lucas scribit, orationis causâ in montẽ ascendit, plurimùm enim miraculis orationem adiungit: non quo per hoc progressum in virtutibus faciat, sed quo nos exemplo hoc excitati, in Dei oratione pernoctare discamus, ipsúmque bonorum operum, quæ facimus, causam, vt effectorem, & adiutorem statuamus: adeóque illiusmodi donorum largitorem debitis hymnis & laudibus efferamus.

Omniũ bonorum operum causa est Deus.

A

Ante ordinationi preces præmittendæ. Non natura, sed voluntas praua perditionis causa.

Inter alia quoque, Ecclesiæ duces & pastores admonere per hoc voluit, vti priùs in oratione pernoctent, quàm illis manus imponant, quos ad sacrorum ministerium consecrare deliberatum habent, ne fortè eiusmodi promotio frustrà cadat. Ille enim qui omnium corda vt Deus, explorata habebat, omniaque, quæ futura erant, accuratè tenebat, non absque iudicio Apostolorum delectum habuit. Etsi interim, quo palam fieret, non ipsam hominum naturam in causa esse, vt alij seruentur, alij pereant, sed liberam vniuscuiusque voluntatem, Iudam Ischariotem, sciens volensque in Apostolum asciuerit. Vnusquilibet námque seipsum vitâ, vel interitu dignum declarat. Nam quod Dominus IESVS Iudam traditorem fore non ignorauerit, id Euangelia passim commonstrant.

Cum ergo dies factus esset, vt Lucas narrat, aduocauit quos voluit, duodecimque ex toto numero (aderant enim plures) selegit, illosque Apostolos nominauit

B

Selegit autem ad operis, quod tùm præ manibus erat præparationem, & ad muneris rursùm, quod suo posteà tempore obituri erant, procurationem. Delectis porrò morbos curandi, dæmonesque pellendi virtutem, & potestatem impertiuit.

Ecclesia supra Petri fidem & doctrinam fundata. Cur Ioannes & Iacobus Boanerges appellati.

Et imposuit Simoni nomen Petrus. Ne quis casu, aut temerè Apostolos electos putet, Euangelista singulorum nomina ordine recenset. Dicit autem Simoni imposuisse nomen Petro, vt nimirũ nomẽ rem ipsam anticipet. Quia enim Christus Dominus supra Petram, hoc est, supra infractam, sanamque Petri doctrinam inconcussamque eiusdem fidem, Ecclesiam suam ædificaturus erat, ob id Prophetico spiritu Petrum illum appellat: Filios autem Zebedæi; Iacobum nimirùm & Ioannem, Boanerges, hoc est, filios tonitrui vocat: Siquidem diuina illorum prædicatio magnum quendam & illustrem sonitum, per terrarum orbem datura erat. Nominauit ordine deinde cæteros.

C

Et veniunt ad domum. Duodecim Apostolorum electione factâ, mox in domum se recepit; Sed neque hîc quoque requiem inuenit, sequitur enim: *Et conuenit iterùm turba, itavt non possent neque panem manducare. Cum autem audiuissent sui, exierunt tenere eum: Dicebant enim, quoniam in furorem versus est.* Vnde isti venerint, vel vnde Christum furere audiuerint, disertè non exponitur: Probabile fit autem, malum hoc à Scribis & Pharisæis, qui ab Hierosolymis venerant, ortum fuisse: Illi enim cum admirabilia illius facta audiuissent, turbasque ingentes vndique circumfusas vidissent, inuidiâ simul & irâ perciti, & quasi in vesaniam acti, illum furere dixerunt: atque ita, vt eum tenerent, irruerunt, aliisque, vt idem facerent, auctores fuere. Arbitrabantur enim id illum pati, quod ipsi reuerà patiebantur: furia enim aperta, & pudenda mentis vesania erat, tantarum rerum opificem, tantumque animarum curatorem, cœlestisque doctrinæ magistrum, in furorem versum existimare. Quare statim de quibusdam disertis verbis hæc subdit: *Scribæ, qui ab Hierosolymis descenderant dicebant, quoniam Beelzebub habet.* Quandoquidem iis, quæ facta fuerant, gloriosèque subinde ab eo fiebant, contradicere omninò non poterant, aliâ rursùm viâ illius opera in calumniam rapere conantur: blasphemant enim in Beelezebub dæmoniorum principe dæmonia eiicere. Quomobrem turbæ multóque in illum benigniores erant, quam Iudæorum proceres. Horum enim mentis iudicium impediebat ambitio, vanæque gloriæ cupido; illorum vero quædam tantum animi hebetudo, mentisque caligo. Hâc autem semel discussa, qui ante cæcutiebat, facili negotio ad veritatis lucem, veramque Dei cognitionem adducitur. Porro Legisdoctores non ex inscitia, sed de industria calumniabantur, remque à diuinis legibus alienissimam, Christo tribuere non verebantur; Puta dæmonum opera dæmones ab hominum corporibus profligare. *Quomodo potest Sathanas Sathanam eiicere?* Dominus ab ipsa rerum natura, quod illi dicebant, fieri non posse, validissimè probat: Si quidem omne omninò regnum, intestinis tumultibus & seditionibus inter se dissectum, non potest paulatim non infirmari, penitúsque tandem dilabi. Hoc ipsum etiam in familiis, & ciuitatibus, & quibuscumque aliis communitatibus contingere videmus. Eapropter si Sathanæ regnum inter se diuisum est, vt reuerà diuisum est, si Sathanas Sathanam ex homine pellit; interitui vicinum fit necessum est. Quandoquidem imperium, quod dæmones obtinent, in homines potissimùm obtinent. Si hoc autem sibi mutuò adimunt, nihil aliud dici potest, quàm regnum illorum dissolutum iam esse. Quod si verò diaboli regnum adhuc subsistit, isque rerum humanarum etiamnum potitur, manifestum fit, regnum illius needùm è medio sublatum esse: atque ideò Sathanam diabolum non expellere. *Nemo potest vasa fortis, &c.* Quandoquidem homines propter peccata, dæmonum vasa euaserant, inque potestatem illorum deuenerant, fieri non potuit, vt dæmones suo illo peculio priùs orbarentur, quam bello fusi, in vincula peterentur, ne amplius videlicet sese erigere, nouáque imposterum bella, ne ademptâ sibi possessione ciere possent. Hæc autem dæmonum fusio, & in vincula petitio, à dæmonibus nunquam est facta: Sed neque fieri quoque potuit vt ipsi eâ potestate, quam in homines exercebant, se mutuò quandoque spoliarent. *Qui blasphemauerit in spiritum sanctum, non habebit remissionem.* Blasphemiam in Deum (quem Spiritus sancti nomine designat, siquidem vt Spiritus sancti virtus est regnum Dei, ita conuitium in Spiritum sanctum, est blasphemia in Deum) venia indignam pronuntiat. Cæterum ob id peccatum hoc veniâ indignum perhibetur, quia ex se veniæ causam non affert: At verò blasphemiam in Filium, cum altera illa collatam, veniâ dignam affirmat. Nam etsi hîc reipsa Deus esset, vulgò tamen tenuis sortis, obscurique generis homo habebatur. At grauius censetur peccatum, quod committitur in Deum, quam quod in hominem *Non habebit remissionem in æternum*, Apud Matthæum legitur: *Qui dixerit verbum in Spiritum sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro*, hoc est, neque supplicium in hoc sæculo in blasphemos constitutum euadet, neque illud etiam, quod in futuro. Quandoquidem lex morte eum mulctari iubebat, qui in Deum blasphemus extiterat. Cui legis decreto Dominus sese conformans, eiusmodi peccatum neutrobique remissum iri comminatur.

E

F

Cur peccatum in Spiritum sanctum irremissibile dicatur, in Filium autẽ non item. Quo sensu blasphemia in Deum in neutro sæculo cõdonetur.

G

Reticetur hîc autem ea condonatio, quæ fit per baptismum: siquidem per id tempus, necdùm opportunum erat, ea de re apud Iudæos verba facere. Nam absolutio isthæc medium quodammodò obtinet, inter iudicium, quod exercetur in hoc sæculo, & condemnationem, quæ in futuro: Quandoquidem omnis omninò baptizatus, huic sæculo certâ quâdam ratione moritur, adeóque à legis onere, & condemnatione absoluitur; notum est enim illud Pauli: *Deus est, quis est qui condemnet?* Interim examen quod inter hanc & illam vitam intercedit, baptizatus non euadit. Rom. 8

H

Pharisæi in Christo imponunt quod ipsi patiebantur.

D

Turbæ æquiores in Christũ, quã Scribæ & Pharisæi. Facilius sanatur inscitia quam inuidia aut malitia.

Itaque miracula, dæmonumque expulsionem, quæ solius Spiritus sancti opera sunt, Sathanæ attribuere, nefariũ, citra vllam controuersiam, manifestumq; blasphemiæ crimen est: & illud quidem eiusmodi, vt nullum ex se veniæ locum reliquum faciat. Hæc autem cum de blasphemiæ peccato Seruator noster disserit, neque conuitium in Filium absolutè remissibile, neque blasphemiam rursùs in Spiritum sanctum simpliciter irremissibilem definire vult: Quasi nullus prorsùs eiusmodi blasphemis hominibus (dummodò ad sanam mentem redire in animum induxerint) pœnitentiæ locus relictus sit, verùm comparatione quadam inter hanc & illam contumeliam facta, indicat eam, quæ cadit in Filium, tanquàm quæ in hominem proximè ferri videatur, multò minorem censeri illâ, quæ temerario nefarióque ausu effunditur in Spiritum sanctum. *Quæ est mater mea, & fratres mei? &c.* Insinuat hoc loco, omnibus cognatis, fidei domesticos se anteferre. At isthæc interim non depromit, quod matrem vllâ prorsùs ratione aspernetur, aut fratres contemnat: absit hoc; verùm quo planum

Peccatũ in Spirit. sanctum non est absolutè irremissibile. Maioris apud Deum fit Spiritus quã carnis cognatio.

A planum faciat, familiarem animæ cum Deo coniunctionem quàuis carnis cognatione potiorem se ducere. Propter hanc enim genere quoque propinquos amabat, & huc illos adducere contendebat. Cum his ergo, qui dissererentem interpellabat, familiarium præsentiam, causam idoneam apptiméque efficacem, cur mox illis qui eum conuentum cupiebant, sese sisteret, existimaret ad illorum, qui concioni præstò aderant, instructionem, opus videbatur, vt eiusmodi quippiam responderet. Sed & alia quoque datæ responsionis ratio reddi potest: Nam vt ex Ioanne discimus, fratres illius necdum in illo credebant. Quare etiam, vt paulò ante ex Marco audiuimus, conati sunt illum aliquando comprehendere, vinculisque, tamquam mente captum, & furiosum constringere. Quia ergo nonnulli saltem ex illis, eius mentis, eiusque animi erant, mirum videri non debet, si Dominus non magnam aliquam illorum, tanquam cognatorum rationem habendam putaret. Colligimus hinc quoque, nos Christo secundum Spiritum cognatione iunctos esse. B

Ioan. 7.

CAPVT IV.

ET iterùm cœpit docere ad mare, &c. Sedet iuxta mare mediaque in turba constitutus, scholam aperit. Et neque hâc adhuc ratione ob multitudinis frequentiam, spatium satis capax inuenit. Quare consilium ex præsenti necessitate capiens, nauim conscendit, eosque, qui in littore consistebant, è naui erudit. Docet autem more suo ex naui, & non proximè ex mari, cum id alioqui potuisset, ne ob rei stuporem & insolentiam, auditorum attentionem impediat, magisque admirabilium operum effectorem, quam doctorem se probet. Quandoquidem signum citra necessitatem, peculiaremque hominum vtilitatem editum, haud aliud ferè, quam superuaceanea inutilemque ostentationem habet. Quia ergo multò iam ante signa fecerat, salutaria rursùm doctrinæ semina prosemiuat, sedensque in naui, eos per verbi rete piscatur, qui in terra assistebant. *Et omnis turba circa mare super terram erat.* Haud temerè Euangelista hoc posuit: Indicat enim ita apposité, accurateque theatrum instituisse, vt nulli omninò dorsum obuerteret, verum omnes ex aduerso positos haberet. Sedens proinde ibi per parabolas loquebatur. Cæterùm parabolæ, quas ordine hic iam subiungit, aliud fermè nihil esse videntur, quam quædam earum rerum adumbrationes, & quasi delineationes, quas circa verbi ministerium euenturas, iam tum præuidebat. Orditur autem à prædicationis fructu & incremento, illorúmque, qui fide destituti, aliorum more, aures cœlesti doctrinæ non accommodant peruersitate. *Exiit seminans ad seminandum.* Quo auditorem attentiorem reddat, præsentem hanc parabolam instar prooemij in acie collocar. Docet autem per ænigmata, & parabolas: primo quidem propter scribas & Pharisæos, qui multitudini admixti erant. Mox verò, quo sermonem illustriorem, apertioremque reddat: postremò autem, quo res per parabolas & similitudines sensibus quodammodò subiiciens, cognitu obseruatuque necessaria, auditorum memoriæ altiùs imprimat. Hanc consuetudinem ipsos quoque Prophetas obseruasse comperimus: igitur os suum, iuxta Psalmistæ vocem in parabolis aperiens, ita exorditur: *Exiit seminans ad seminandum.* Vnde exiuit, qui vbique præsto est? qui laté implet omnia? exiuit non loco, sed certâ quâdam habitudine, & modo quoad nos: Nobis enim per, & propter assumptam carnem vicinior factus est. Quia enim peccatis viam obstruentibus, aditúmque intercludentibus, ad illum venire non poteramus, ipse ad nos venit. Exiuit ergo ad seminandam pietatis doctrinam: per semen namque doctrinam, per terram autem vel agrum, hominum mentes hoc loco designat. *Et aliud cecidit iuxta viam.* Non dicit, qui sementem faciebat semen iuxta viam sparsisse, sed semen ipsum iuxta viam cecidisse. Aliud verò cecidit super petrosam: aliud autem inter spinas, aliud tandem in terram bonam. Atque ita

Signa nõ ostētationis, sed publicæ vtilitatis causa edi debent. C

Plures causa, cur Dominus per parabolas & similitu- D *dines no cerit.*

Psal. 77.

Dominus assumptâ carne ad nos venit, quia nos ad illum venire nequiebamus.

Ex toto

E ex toto semine, quarta dumtaxat pars seruatur. Sed neque hoc quoque fructum ex æquo fundit, sed magno cum discrimine.

Hæc autem ea de causa proponuntur, vt hinc intelligamus, Christum Dominum copiosè, & candidè, citra vllam prorsùs personarum acceptionem, diuinum illud verbi semem spargere, omnibusque proponere: Vt enim illi, qui agrum seminant, inter hanc & illam agri partem non secernunt, sed simpliciter & indiscriminatim semen deiiciunt, ita Seruator noster, quod suarum erat partium, omnibus promiscuè cœlestis verbi pabulum offerebat: esto, quod de multis futurum erat non ignoraret. Denique ita hic se gessit, vt meritò dicere potuerit: *Quid debui facere & non feci?* Cæterùm Prophetæ de Iudaici populi cœtu; perinde quondam verba faciebant, atque de quadam vinea: Christus verò Ecclesiæ corpus sementi comparat. Indicat per hoc autem, obedientiam nunc multò expeditiorem, multóque faciliorem omnibus propositam, quam olim: rursùm fructum nunc multò vberiorem, multóque tēpestiuiorem prouenire, quam priscæ legis tempore. Cum autem audis hic: *exiit qui seminat ad seminandum*, ne ταυτολογίαν, ineptamve eiusdem repetitionem committi existimes: Siquidem sator non semper ad seminandum egreditur, sed interdùm quoque propter alia quædam negotia, puta, vt vel rus inouet, aut malignas herbas extirpet, aut aliud quippiam istiusmodi faciat: hoc autem loco seminator ad serendum egressus dicitur. F

Diuini verbi semine quarta tantum pars seruatur nec illa adhuc ex æquo fructificat. Christus promiscuè omnibus cœlestis verbi pabulū offerebat

At vnde prouenit, inquis, vt maior seminum pars interierit? Interitus huius causâ non extitit penes seminantem, sed penes terram, quæ semen exceperat, hoc est, penes audientium animas: tametsi Dominus, ne auditores vehementiùs perstringat, aut ne quem forsam in desperationem coniiciat, disertè id non asserat, verùm vniuscuiusque audientis conscientiæ diiudicandum relinquat.

Per hanc tandem Parabolam, Christus Dominus discipulos præmunit, mysticéque iniungit, & instruit, ne animo consternantur, si plures interdùm ex iis, qui Euangelij doctrinam exceperant, perire, quam ad salutis portum appellere intelligant. Nam hæc sementis sterilitas ipsi quoque Domino visu venerat. Et quamuis is eam seminis iacturam futuram exploratè nosset, (prout nihil non ille compertum habet) adhuc tamen serere non dubitabat. H

Et quidam Agricola iure incusaretur, si temerè vbiuis semen dispergeret: at verò Doctor si hoc fecerit, laudem promeretur. Agricola, inquam, non iniuriâ reprehenderetur, si citra vllum soli delectum, semen deiiceret: quia is petrosam vt neque protritam, neque spinosam quoque, non ignorat, neque, vt velit, sterilem & infructuosam terram, in pinguem & vberem mutare valet. Verùm in spiritali & mystica semente res longè aliter se habet: potest enim tellus saxea, in pinguem glebam transmutari: Sic rursùm anima, quæ ante instar viæ publicæ, ab omnis generis vitiis & flagitiis calcabatur, & proterebatur, ab ea quorumlibet transeuntium conculcatione liberari potest, liberataque in fructuosum solum verti. Sic tandem mysticas spinas nonnunquàm absumi, penitusque aboleri contingit, ita vt semina intra illas iacta, ab omni oppressione vindicata, magnâ fruantur pace. Denique si id, quod modo dictum est, fas non foret, Dominus vtique ad eum modum semen non sparsisset. G

Tu autem ex his omnibus collige, non vnam, aut simplicem perditionis viam esse, sed multiplicem. Viæ inter cæteros, assimulantur ignaui, & negligentes. Petræ, homines vsque adeò supini, vt doctrinam exceptam, etiamsi nemo prorsùs teuter, aut insultet, omninò marcescere sinant, nedùm si quando cum grauioribus tentationibus luctentur. Spinis demùm, qui horum omnium ignauiam, peruersitatem, & ingratitudinem procul à terra relinquant.

Postremo autem loco, ne animum penitùs despondeamus, verùm in certam pœnitentiæ spem nos erigamus,

triplici

A triplici sterili solo subiungit terram bonam, & fructuosam. Perpende hîc autem, cum vnus sit colonus; eademque semina, quanta, præter naturam, seminantisque sententiam, in fructu & terra contingat differentia. Perpende æquè, quanta agricolæ huius sit clementia, quanta benignitas, quanta liberalitas. Nam & primi ordinis homines admittit, & secundi non repellit, & postremis locum concedit.

Et dicebat illis in doctrina sua. Per hæc Euangelista indicat, Christum Saluatorem suam, non alienam doctrinam proposuisse. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei.* Quæ dicit huc tendunt: Quandoquidem vos idonei estis, qui ea omnia discatis, quæ ad prædicationis munus conferunt, discetis illa etiam, quæ ad harum similitudinum sensum & intellectum faciunt. Apud hos autem obscurè, & per ænigmata dissero, & doceo: siquidem propter innatam improbitatem, qui planè & apertè instituantur, indigni sunt. Cum enim legi, quam acceperunt,

B auditum non accommodent, neque iussis illius obtemperent, æquius censeo, vtriusque legis lucem illis adimere, quàm nouæ legis doctrinam eisdem impertire. In noua enim lege vetus inclusa tenetur. Quare vbi noua non est, ibi vetus quoque locum habere non potest.

Lex noua veterem includit.

Obsequentium itaque discipulorum exemplo, cæteros, propter obstinatum repugnandi studium, indignos ostendit, quibus Euangelica doctrina dilucidè tradatur. Cæterùm quod Dominus vniuersè non taceat, neque tamen perspicuè quoque doceat, sed tantùm per parabolas, hoc inter cætera indicat, qui ad bonum palam propositum, tametsi illud per se aliquod sui iudicium facere soleat, propinquè non accedunt, eos sensum illius clarè non percipere: sed tantùm obscurè & imperfectè. Quemadmodum etiam corpora & corporata omnia, quæ de longinquo spectantur, plenè non comprehenduntur. *Vt videntes videant, & non videant.* Iudæorum malitiam multò ante prædictam, præuisamque voce propheticâ demonstrat. *Vt videntes non videant, &c.* Videndi facultas aderat illis, ex illius, & per illius gratiam, quam coram cernebant. Quod autem nihil videbant, hoc inde oriebatur, quod oculos suos ad obiectam lucem, studio clauserant, seseque nihil videre malignè confingerent. Sic quoque quod non audirent, ex eo proueniebat, quod illa, quæ dicebantur, intelligere non vellent, sed publicè contemptui ducerent. Atque ita continget illis, vt nunquàm à peccatis absoluantur, verùm saluti suæ de industria semper aduersentur.

Isa.6. *Videndi facultas est à Deo.* C

Nunquid venit lucerna, vt sub modio ponatur? Qui id, quod de lucerna hîc dicitur, absolutissimis IESV CHRISTI discipulis tribuere vellet, is per ea haud difficulter id persuadere posset, quæ de Ioanne prodita extant; *Erat enim ille lucerna ardens & lucens.* Quin in singulos quoque homines sententia hæc transferri queat, Scriptum est namque: *lucerna corporis tui est oculus tuus.* Et alio rursum loco: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Ad omnes itaque Christi discipulos lucernæ symbolum haud incommodè accommodari valet.

Ioan.5. Matt.6. Luc.1. Luc.12. D

In decurrentis proinde vitæ illius stadio (ad hanc enim, quod de lychno hic docetur, præcipuè spectat) rationis lucem in anima accensam, nemo abdat; verum, vt omnibus luceat, super candelabrum illam efferat. In cuius rei argumentum Moyses in tabernaculo testimonij lucernam perpetuò ardere voluit. Nemo, inquam, mysticam hanc lucernam, hoc est, cœlestem doctrinam sub modio ponat, verum vt omnes, qui in domo Ecclesiæ sunt, radios illius tanquàm super candelabrum iam elatæ videre queant, in apertum proferat.

Exo.27.

Sed neque sub lecto quoque, vbi quies otiosè capitur, viri prudentes, neque sub alio quocumque vase lucernam ponere soliti sunt. Nam qui illud facerent, ij illorum commodo, qui in domum ingrediuntur, non satis consulerent: Siquidem lucernam, quam in aperto proponere debuerant, in aperto non proponerent. At verò, qui lychnum accendunt, accensumque super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt, constituunt, illi eos, qui intra domum versantur, accensæque lucernæ splendorem conspicantur, vt suas ipsi quoque lucernas aliquandò accendant, ac supra candelabrum efferant, inflammant & excitant. E

Porrò autem præcipuus orationis huius scopus eiusmodi est: Ego, clamat Christus, cœleste lumen accendi, vt illud autem foueatur, necnon in concepto semel ardore conseruetur, hoc vestri sit muneris & studij, idque non propter vos tantùm, verumetiam propter alios, qui radiis illius imposterum illustrabuntur, & ad veritatis lucem adducentur. Nam si vos vestram vitam accuratè institueritis, nulla calumnia, nullæ falsæ criminationes lucernam vestram obscurare poterunt. *Non est aliquid absconditum, quod non manifestetur.* Vbi nunc sunt, qui Christi virtutem eleuant, fidémque eidem habere recusant? Audiant hæc, & oraculi vim admirati, Domini virtutem adorent. Nam, vt hoc fiat, auditorum attentionem excitat: subdit enim: *Si quis habet aures audiendi, audiat.* Perpende quanta sint, quæ hoc loco spondet. F Etenim iis, qui ante, ne in sua quidem patria satis cogniti erant, fore promittit, vt terra, marique, atque adeò ad orbis terrarum fines vsque noti celebrésque euadant, idque non famâ tantum, sed benefactorum quoque virtute. *Videte quid audiatis.* Attendite, inquit, & prudentes estote. Quantam enim huc attuleritis obedientiam, tantam haurietis & notitiam. Quantam animi promptitudinem, tantam & sapientiam. Quâ mensurâ, siue bonum, siue malum mensi fueritis, eâ vobis remetietur. *Sic est regnum Dei.* Per regnum Dei fides in Christum, Verbique in carnem aduentus designatur. Notum est enim illud Seruatoris, quod ad Apostolos aliquandó dixit: *Regnum Dei intra vos est.* Item: *Appropinquauit regnum Cœlorum.* Hoc igitur Dei regnum assimilatum est homini semen in terram spargenti; Homo enim est, & quis cognoscet eum? Etenim cum Dei Filius & Deus, ante omnia sæcula esset, citra vllam sui mutationem, nostri causâ homo factus, terram conseuit, mundúmque vniuersum diuinæ cognitionis luce illustrauit. Posteà verò perinde atque si aliquò dormitum concessisset, ad cœlos abiit, vel, vt alibi ait, peregrè profectus est, animo interim benigno & patienti, vt illi, qui semen illud cœleste salutaremque doctrinam exceperant, & quotidie adhuc excipiunt, fructum opportunum ferrent, expectans. *Et dormiat, & exurgat nocte & die.* Surgit autem seminator hic nocte & die, iuxta illud: *Exurge, quare obdormis Domine: Exurge, & ne repellas in finem.* Exurge ergo, tuæque prouidentiæ rationibus, vt fructum feramus, effice.

Quid sit regnum Dei. Luc.17. Matt.3. G Psal.43.

Nocte & die. Per diem fausta fortunataque iustitiæ arma, per noctem persecutio & disciplinæ seueritas adumbrantur. Per hæc enim, impedimento sublato, iactum semen germinat, & crescit.

Quid per diem & noctem mysticè designetur.

Dum nescit ille. Quorsùm hæc? Liberæ doctrinæ semen suscipientium voluntati, vt, si velint, operentur, permittit. Ipse námque non omnia per se efficit, ne bonum nobis quasi inuitis obueniat, sed nostram quoque synergiam efflagitat. Quare statim quoque subdit: *Vltro enim terra fructificat.* Neque enim liberum hominis arbitrium necessitate, aut vi, aut astrorum circumductione, aut fortunâ, aut fato cogitur, vt stolidè quidam nugantur, sed liberè ad hoc vel illud fertur. *Vltrò enim terra fructificat, primùm herbam, &c.* Profert autem terra nostra primo quidem herbam, quæ naturæ ductu sensim adolescens, progressúmque faciens, tandem ad perfectionis culmen adducitur. Nam qui cœlestis doctrinæ semen recens susceperunt, ij veluti infantes lacte potantur, & tanquàm infirmi oleribus, agrestiore alimento, pane videlicet hordeaceo nutriuntur. Quod si quando ceciderint, casum illorum fœnum excipit.

H *Deus exigit liberã hominis synergiã.* *Hominis voluntas est libera, neque vi vllâ, aut necessitate, ad hoc vel illud compelli potest.*

Deinde fert spicam. Quæ ad Domini altare offertur. Spicis porrò primitiuis in manipulos collectis, fit quod scriptum est, nempè: *Euntes ibant, & flebant mittentes* Psa.125.

A *semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

Salutem adepturo opus est obedientiâ & animi fortitudine.

Deinde plenum frumentum. Tandem cum semen in terram deiectum, dederit nunc fructum suum, regionesque ad messem iam incanuerint, tum demùm bonus ille agricola, quo frumenta in horrea conuehantur, mittit falcem suam, & metit. Neque enim satis est ad salutem, vt viridis fœni more, per obedientiam floreamus, sed quâdam præterea masculâ animi fortitudine, quâ ventorum flatibus, hoc est, tentationibus circumamicti, erecti culmi instar consistamus, opus est. Tum etiam vt veluti vberes aristæ, fructuum, hoc est, virtutum granis turgeamus, metentisque manum impleamus. *Cum ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.* Messis est tempus consummationis, falx Dei verbum, omni gladio ancipiti penetrabilius. Cæterùm falx hoc loco non denotat supplicium, aut maledictionem, vt

Matt. 13.

alicubi apud Prophetas: neque enim ea de causa falx

B hîc in messoris manu ponitur, quo perdat, verùm ne quid de frumento pereat. At verò in parabola de zizaniis, Filius hominis mittit Angelos suos, vt colligant de regno eius omnia scandala, & eos, qui fecerant iniquitatem, vt mittant eos in caminum ignis. Hæc præsens igitur parabola de solis iustis agit: Prima autem quatuor hominum ordines ponit: è quibus tres diuerso modo noxâ constricti, pereunt: vnus seruatur, quamuis hoc ipsum quoque pro fidei & operum diuersitate variè. Assignatur enim istic triplex iustorum hominum discrimen. Hic autem triplex illa differentia in vnam classem redigitur.

Quid excellentis Doctoris munus quæque eiusdem partes.

Omnes enim ferunt frumentum, etsi non æquè multum omnes. *Sine Parabola non loquebatur: seorsum autem discipulis edisserebat omnia.* Excellentis Doctoris munus est, pro auditorum qualitate disserere, cauereque, ne margaritas inconsultè ante porcos abiiciat, aut ne propter accuratiorem mysteriorum explicationem, res illustres in contemptum adducat. Seorsùm proinde parabolam de semine & zizaneis discipulis edisserit: Reli-

C quas inexplicatas relinquit, Siquidem interrogati ab illo, intelligerentne hæc omnia? responderunt, vtique Domine: Dominus namque prudentiam ab auditoribus exigit, nam quod intelligitur, hoc fert fructum: quod autem non capitur, hoc, vt alibi exponitur, citra vtilitatem abripitur.

Et ait illis in illo die, cum serò esset factum, transeamus contra, &c. Marcus temporum, rerumque gestarum serie prætermissâ, ita scribit. Simile quid Lucas quoque obseruauit. At verò Matthæus rerum ordinem, & successionem accuratè hic prosequitur. Hoc ideò dixerim, ne quis forsan quorundam prætermissionem, discrepantiam interpretetur: neque enim omnes omnia eodem modo & ordine narrant Euangelistæ. Turbis igitur missis, aut verius præmissis solos discipulos secum assumit. Assumit autem non frustrà, aut temerè: verùm quo miraculi, quod patraturus erat, spectatores illos habeat. Ne autem ob id sese efferant, quod cæteris missis, soli ipsi as-

D sumpti fuerant, Dominus graui tempestate illos iactari siuit. Quamuis per hoc quoque illorum in tentatione constantiam, animique fortitudinem explorare voluerit.

Cur Dominus Apostolos tempestate iactari passus fuerit.

Matthæus ergo Christum simpliciter dormiuisse scribit; Marcus autem, quoquo modo somnum ceperit, exponit, ait enim: *Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens.* Summam per hoc illius modestiam & submissionem indicans, plurimamque hâc re Philosophiam nobis tradens. Sæuiori itaque tempestate motâ, exsuscitant illum, dicentes: *Magister non ad te pertinet, quia perimus? Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari; Tace, & obmutesce.* Monet autem per hoc discipulos, fidendum esse, etiamsi magni interdùm fluctus insurgant: Tum cuncta, quæ euenerant, permissaque fuerant, ad illorum salutem & vtilitatem euenisse, & permissa esse: Siquidem magna illa animi consternatio effecit, vt miraculum maius appareret, eiusdemque memoria Apostolorum pectoribus diutiùs inhæreret. Propter hoc etiam somnum carpit, si enim ipso vigilante ea tempestas accidisset, non ita expauissent, neque opem illius

E tam ardenter implorassent neque fortassis aliquid istiusmodi illum præstare posse, existimassent. Vt igitur iustam illorum formidini motam indulgeat, exactioremque eorum, quæ fiebant, sensum in illis efficiat, securè dormit.

Cum ergo (quod cæteros omnes beneficio aliquo affectos, se verò nullo adhuc potitos cernerent) supini quodammodò, socordesque euasissent, oportuit, vt ipsi quoque beneficiorum illius commoda tandem aliquando sentirent. Permisit itaque tempestatem exoriri, quo per periculi euasionem, accuratiorem beneficij sensum haurirent. At cur, inquis, aliis præsentibus non sinit eos iactari? ne infirma illorum fides cæteris pateficeret, ipseque seorsùm illos commodiùs instruere & corrigere posset: neque enim ipsi quoque conuenientem satis de illo opinionem habebant.

Apostoli fide infirmantur.

Nam etsi scirent & crederent, à somno excitatum maris æstum compescere posse: dormientem tamen id posse, neutiquam putabant. Quare etiam Dominus illorum infirmitatem & imperitiam frequenter reprehendit, vt cum dicit: *Adhuc vos sine intellectu estis?* F

Matt. 15.

Et timuerunt timore magno. Cum Apostoli tantâ adhuc inscitiâ & imbecillitate tenerentur, nemo miretur, si turbæ non magni quippiam de Christo imaginabantur. Conterriti ergo & obstupefacti, dicebant ad alterutrum: *Quis putas est iste? quia & ventus, & mare obediunt ei?* Christus Dominus non reprehendit, quod se hominem vocent, quodque pro homine tantùm habeant, verum sustinet, dum per miracula falsum esse discant, quod animo de ipso conceperant.

Apostoli dubij quod de Christo statuant.

At vnde hominem illum esse colligebant? Ab ipsa facie & corporis constitutione, à somno, à nauis vsu. Propter hæc enim, aliaque id genus similia, in quandam hæsitationem, animique perplexitatem venerant. Dicebant enim, qualis est iste? Siquidem somnus, & id totum, quod in oculos incurrebat, hominem esse ostendebat: At verò mare, & tranquillitas solo illius imperio repentè facta, dum esse clamabant. Solâ namque iussione omnem mox commotionem sedauit. Neque enim Echineidem, G aut Moysis virgam adhibuit; verùm vt Dominus ancillæ, aut opifex creaturæ solet, ita mari & vento absolutè imperauit. Ast vbi è mari egressus est, aliud rursùm miraculum, & quidem proximo multo admirabilius consecutum est.

CAPVT V.

Gadara, Gerasa, & Gergesa loca diuersa.

ET *venerunt trans fretum maris, in regionem Gerasenorum.* Emendatiora exemplaria, neque Gadarenorum, neque Gerasenorum legunt, sed Gergesenorum. Est autem Gadara ciuitas Iudææ, propter salubres vicinasque thermas haud ignobilis. Huius promontorio adiacet lacus, quem incolæ mare appellant. Gerasa porrò est oppidum Arabiæ, nullum, neque mare, neque lacum vicinum habens. Sed neque probabile fit quoque, Euangelistas, qui rerum locorumque Iudææ ignari non erant, H commisisse errorem vsque adeò manifestum, quique tantâ facilitate à quouis mediocriter perito, deprehendi poterat. Gersesa proinde est locus, à quo Gergesenorum ciuitas denominatur, vetus quidem illa, non procul ab ea sita, quæ nunc Tyberias appellatur.

Quid Gergesa Latinè sonet.

Circa quam extat rupes præcelsa, latéque sese ostentans, ex qua porci dæmonibus acti, in mare sese præcipites dedisse feruntur. Interpretatur autem Gergesa eiectorum vicinia, Ab euentu hoc fortassis nominis sortita, quod nimirùm loci illius homines Christum Seruatorem, si non vi, certè precario inde expulerint: siquidem rogabant illum, vt à finibus ipsorum secederet. Vel certè quod mali dæmones porcos inde in mare deturbarint. Meminit huius rei Origenes Tomo sexto explanationum in Ioannem.

Statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo. Marcus & Lucas vnius tantùm, qui à dæmone vexabatur, mentionem faciunt, Matthæus autem duorum. At hæc non pugnant, pugnarent tamen, siquidem Marcus

&

A & Lucas vnum dumtaxat extitisse scriberent, Matthæus autem duos. Sed cum duo hi Euangelistæ de vno tantùm disserant, Matthæus verò de duobus, nulla hinc exurgit repugnantia, sed narratio tantùm diuersa. Verisimile fit autem, Marcum & Lucam sæuiorem ex duobus selegisse, deque eo solo, quæ apud illos extant, in medium attulisse. Quare etiam calamitatem illius accuratiùs exponunt, quam Matthæus. Scribunt námque vinculis, catenísque disruptis per loca deserta diuagari consuetum habuisse, Marcus addit, lapidibus seipsum concidisse. Potuit nihilominùs fieri, vt vterque æquè sæuus & indomitus fuerit, neque tamen vtriusque sed alterius tantùm mentionem faciendam duxerint. Nam ad ostendendam illius virtutem, qui miraculum patrarat, nihil omninò referebat, vniúsne, an duorum, vel etiam plurium mentionem facerent. Qui enim vnum vsqueadeò insanum, & immanem sanârat, & duos, & plures quoque similiter affectos curare poterat. *Et semper die ac nocte in monumentis, & montibus erat.* Quorsùm dæmones in sepulchris versantur? Quo rudi plebi execrandum planeque impium dogma persuadeant: nempè demortuorum animas in dæmones transformari: quæ opinio procul absit à cuiusvis hominis mente & cogitatione.

B *Cur dæmones in monumētis versentur.*

Quid mihi, & tibi Iesv *Fili Dei?* Quandoquidem Apostoli in naui Christum hominem esse confessi fuerant, prodeunt nunc in medium dæmones, qui illius Diuinitatem apertè promulgent. Eapropter qui mare fluctuans, turbúmque conquiescens non audierant, illi iam dæmones magnâ id voce clamantes audiunt, quod mare per subitam tranquillitatem iam ante clamârat. *Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Ne adulandi studio: Iesv *Fili Dei, &c.* clamitare videantur, rerum experientiâ, hoc est, pœnarum sensu compulsi, venisti huc ante tempus torquere nos, vociferantur. Nam ne illorum supplicatio de fraude suspecta haberi queat, verbis modò allegatis inimicitiam inter se intercedere, manifestè testantur. Neque enim igni, qui sub sensum non cadebat, Christique præsentiâ dire tantum incendebantur & torquebantur, verùm etiam impendentium malorum metu. Arbitrabantur enim vltimum supplicium iam tum adesse; adeóque ad inferorum cruciatus e uestigio sese abreptum iri.

Cautè lege, nam ignis in sensibilem, corporeus & sensibilis est & oppositum asserere vel error est in fide; vel errori proximū. Vide Dominicum Soto in 4. C *dist. 50. q. 1 art. 2. Sixtum li. 1. Bibl. ann. 145. & 210. Dominic. Bannes 1 p. q. 64. artic. 4. dub. 2. Sed piè potest Victor intelligi, dæmones quamuis reuerà igni sensibili & corporeo torquerētur, at tunc in præsentia Christi à circumstantibus nec videbatur, nec sentiebatur.* D

Metu itaque consternati, rogant, perque omnia sacra obtestantur, ne ante tempus ad pœnarum locum amandentur: Nam cum Dominus in nefario planéque iniquo opere ipsos occupatos deprehendisset, verebantur ne propter scelerum, quæ designauerant, immanitatem, communi punitionis tempore non expectato, statim ad abyssum ablegarentur. Ne id ergo fiat, orant, & obsecrant. Et sic qui ante ferreis vinculis detineri nequibant, nunc supplices accedunt: quique anteà in montibus vagè discurrebant, illi nunc montibus desertis, vltrò ad campestria & plana descendunt.

Adiuro te per Deum, ne me torqueas. Etsi dæmones sint nequissimi flagitiosissimisque moribus deformati; attamen certò compertum habent, propter mala, quæ quotidie perpetrant, tandem aliquandò grauissimas pœnas sese daturos. Quod autem promerita supplicia alicubi, & quidem citò expensuri essent, id ex eo facilè colligere poterant, quod iam tum citra aliud tormenti genus, tantùm ex hominum corporibus excedere iubebantur. *Exi immunde spiritus ab homine isto*, aiebat Christus Seruator. Vt ij ergo, qui tempus adhuc reliquum habeant, intra quod ea, quæ lubent, circa homines exerceant, non sine contentione cum Domino expostulant, tanquàm qui ante legitimum tempus vim ipsis afferat, pœnamque citra iustam causam inferat.

Matt. 8. Et hic sermo de consummata dæmonum pœna, nā aliàs nūquā sunt absque pœna & cruciatu.

Et interrogabat eum, quod tibi nomen est. Quamuis Dominus, dæmonum, qui in homine habitabant, multitudinem non ignoraret, attamen quod illi, qui spectaculo huic aderant, vnum tantùm hominem cernerent, vnámque solam vocem haurirent, ne ipse multos esse dicere compellatur; sed ipsimet dæmones palam id profiteantur, propterea, quod tibi nomen est interrogat.

E *Et dicit ei: Legio mihi nomen est.* Non dicit numerum præcisè, sed simplici voce magnam adesse multitudinem indicat: Siquidem exacta numeri discussio, nihil ad rei, quæ quærebatur, notitiam faciebat.

Et deprecabantur eum Spiritus dicentes. Spiritus enixè obtestantur Christum, ne extra prouinciam ipsos eiiciat, aut ne in abyssum abire iubeat, vt habet Lucas. (Abyssus enim secessio est ex hoc sæculo.) Ex eo autem, quod dæmones, ne extra prouinciam, aut extra hominum consortium, in tenebras exteriores, quæ paratæ sunt diabolo, & Angelis eius, expellantur, tantoperè rogant, planum fit Dominum aliò illos amandare potuisse, si voluisset. Permisit autem eos in terra illa hærere: quemadmodùm diabolum quoque in mundo hoc circumuagari sinit, non quod nobis malè velit, sed ne per aduersarij absentiam, humana natura corona, hoc est, obtentæ victoriæ præmio spolietur.

F *Mitte nos in porcos, & concessit eis statim.* Vbi primùm illos in porcos introire passus est, omnes mox à dæmonibus correpti, è rupibus in mare sese deiiciunt: ita vt subulci ob rei insolentiam, simul pauerent & stuperent, cursimque in oppidum contenderent, vniuersa, quæ acciderant, locis illius hominibus ordine expositiuri. Illi autem vehementer, vt par erat, obstupefacti, consternatíque, statim ad Iesvm exierunt, hominemque, à quo dæmonia exierant, vestitum, sanaque mente præditum, iuxta Iesv pedes sedentem, suúmque benefactorem agnoscentem, inuenerunt. Super eo ergo, quod acciderat, admirati, debitumque honoris & reuerentiæ cultum, in ipso statim accessu, Domino impertiti, eum vt ad alia loca sese conferat, submissè deprecantur. Agnoscunt enim se indignos, qui tantum bonum in sua regione habeant, simulque ne ob præsentis virtutem, grauius quiddam propter admissa peccata patiantur, plurimùm formidant. *Cum ascenderet nauim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat.* Ne Dominus suâ præsentiâ illum tueri & custodire videatur, solum dimittit, ac ne quem dæmonem imposterum metuat, præcipit. Præsentia namque miraculi magnitudinem eleuat, absentia autem vim illius clariùs demonstrat. G

Vade in domum tuam. Certum salutis pignus à me deferens, reuertere in domum tuam, aliisque miraculum in te factum expone, quo hâc ratione acceptam gratiam confirmes: id quod ille etiam præstitit, abscessit enim statim.

At quærat hîc quispiam: cur Christus Dominus dæmonibus ingressum in porcos petentibus, huc illos ingredi passus sit, cum ea rès ingenti damno regionis illius homines affecerit? (neque enim dubium est, quin multi aliquando de hoc Dei iudicio quæstionem mouerint.) Dominus per hoc omnibus palam facere voluit, quantâ irâ & indignatione dæmones in homines ardeant: Voluit per hoc æque ostendere, multò minora incommoda & damna hominibus inferre, quam alioqui inferre vellent, & reipsa quoque, nisi Dei virtus prohiberet, inferrent. H

Cum ergo Seruator noster permittere non vellet, vt insanum furorem suum in homines effunderent, permisit vti in porcos inuaderent, vt clare hinc conspiciatur, quanta dæmonum sit rabies, & nocendi facultas. Qui enim temporis quasi puncto, tot porcos præfocarunt, & è medio sustulerunt, nullo illi negotio, nisi diuina vis obstaret, eadem illa damna, & exitia hominibus quoque irrogare possent. Quamobrem non modo dæmonum nequitia, per miraculum hoc patefacta est, verum Dei quoque virtus & misericordia, vt qui impediat, ne ea omnia dæmones in homines designent, quæ alioqui designare vellent, & possent. *Et venit quidam de Archisynagogis.* Miraculum miraculo succedit. Etenim princeps quidam Synagogæ, non tam fide ad demerendam Medici gratiam instructus, quàm lethali filiæ morbo compulsus, præsidij causâ ad Iesvm venit.

Nomine

A

Nomine Iairus. Patris puellæ nomen propter Iudæos editur, qui, quod acciderat, exploratè compertum habebant: Quo nimirùm nomen ipsum miraculo, quod factum fuerat, suo postea tempore testimonium perhibeat.

Et deprecabantur eum multum. Rogat Dominum Archisynagogus pro filia, quam Matthæus mortuam, Marcus grauiter ægrotantem, & tantùm non animam agentem asserit. Quare paulo post de Archisynagogi familia venere, qui Domino iter adhuc carpente, puellam vitâ defunctam denuntiarunt, ideoque Magistrum eius rei gratiâ ampliùs vexare, superuacaneum videri. Atque hæc quidem ita habent, verum nulla est repugnantia: siquidem Matthæus miraculum hoc exponens, vnum breuiter per alterum designat. Ex hoc namque, quod Dominus mortuam exuscitauit, vtrumque inferre licuit: nempè & mortem obiisse, & in extremis laborasse adolescentulam. Matthæus ergo exactâ illâ narratione missâ, Dominum operam suam pollicitum, vnà cum discipulis mortuam exsuscitatum abiisse scribit.

B

Et ecce mulier. Quin hoc quoque signum Matthæus compendio absoluit: multa namque prætermittit ille, quæ Marcus addit. Marcus enim præter alia, scribit Dominum retrò conuersum, quisnam ipsum tetigisset, sciscitatum, mulieremque exterritam, trementemque seipsam prodidisse, atque ita tandem à Christo Domino audiuisse: *Fides tua te saluam fecit.*

Virtus Christi & in illo manebat, & in alios nihilominùs transibat.

Cæterùm illi Christum Redemptorem spiritualiter tangunt, qui in illum credunt, cæteri verò qui fidem in illum non habent, eum verius comprimunt & affligunt, quam tangunt. Qui autem Christum verè tangit, is illum ad clementiam, & misericordiam allicit. Negabant autem omnes se illum tetigisse: nam cum in illum non crederent, non tangebant eum, sed tantùm comprimebant.

C

Quis tetigit vestimenta mea? Virtutes, quæ ex Seruatore in alios dimanabant, non locali, aut corporali motu, ab illo decedebant: Nam cum corporis expertes essent, ita de illo in alios transibant, aliisque impendebantur, vt tamen in illo esse non desinerent. Quemadmodùm enim scientiæ, & penes doctorem consistunt, & discentibus nihilominùs traduntur: ita Christi virtus, & penes illum manebat, & in illos nihilosecius, cum bona illius voluntate deriuabatur, qui fide eum tangebant. Apposite autem Euangelista non dixit, sentiens autem virtutem; sed cognoscens virtutem quæ exierat de illo. Neque enim virtutes illius sentiebantur, cum corporeæ non essent; sed tantùm intelligebantur.

Luc. 8.

Tetigit me aliquis. Hoc est, aliquis animo se mihi adiunxit, fideque instructus internâ oratione me compellauit, necnon clanculum, sensimque atrepens sanitatem à me accepit. Non illi me tangunt, qui me atterunt, quia animi sensu mecum non faciunt. Qui igitur tetigit, virtutem confiteatur, quo hinc magis proficiat, simulque intelligat, & quod sanitate sit potitus, & quod illa me non latuerint, quæ apud se cogitabat.

D

Luc. 8.

Quis est, qui me tetigit? Cur, inquis, Seruator ad Hæmorroissam se vertens, quis me tetigit, dixit? Dominus inter cætera hoc ideò fecit, quo illa se non ab inuito sanitatem rapuisse intelligat, sed à volente & spontaneo. Norat enim, quænam illum tetigerat nihilominùs vt ipsa in medium progressa, eiusdem fides, atque virtus adeò, quâ opus illud factum fuerat, omnibus patefiat, de occulto tactu quæstionem mouet. *Videns mulier quia non latuit.* Cum igitur se non latuisse deprehendisset, vniuerso populo spectante, ad IESV pedes procidit, ac quomodo statim sanata esset, coram omnibus exponit.

Cur Dominus Hæmorroissã filiã vocet. Fides est donũ corporis sanitate præstantius.

Ille autem dixit ei: confide filia, fides tua te saluam fecit. Filiam vocat illam IESVS, quia spiritaliter à sanguinis fluxu, hoc est, à vitiis quibus obstricta tenebatur, mundata erat. Filiam rursus appellat, quia per, & propter fidem, sanitatem obtinuerat. Est autem fides res quædam ipsa corporis sanitate potior: vt quæ filiorum adoptionem conciliet. *Fides,* inquit, *tua te saluam fecit.* Cum hinc ergo discas, fidem animæ corporisque salutem largiri, da operam, vt semen illud in te crescat. Vnusquilibet enim tantùm proficit, & fructificat, quantùm credit.

E

Causã lege, nam in eiusmodi curationib. Domini, & si fides præcipuè sanaret, at contactum vesti Christi instrumenta fuisse sanandi, nõ est dubiũ.

Fides tua te saluam fecit. Hæc disertè indicant, vestimenta contacta eam non sanasse, sed fidem. Igitur neque locus, neque verba, neque aliud quippiam eiusmodi externum, hominem saluat, sed vnumquemque sua fides seruat.

Vade in pace, & esto sana à plaga tua. Corpore mulieris sanato, Dominus animæ quoque eiusdem benignè facit: Amandat enim illam ad bonorum fastigium; nempe ad pacem illam, in qua Deus habitare dicitur, notum est enim illud Psalmistæ: *Factus est in pace locus eius.* Abeat ergo, & discat hinc, non modo corpus suum à plagâ, qua vexabatur liberatum, verùm se ipsam quoque à corporei morbi causa, hoc est, à peccatis expeditam esse.

F

Filia tua mortua est, quid vltra vexas Magistrum? Cum internuntij existimarent, Christum ad ægram puellam vocari, tanquàm Doctorem, nimirùm vt ingressus ægre admodum habentem sanaret, eâ iam extinctâ, operam illius ampliùs necessariam non putabant. Neque enim illum earum virium esse credebant, vt defunctum exsuscitare posset.

Et veniunt in domum Archisynagogi. Dominus ad domum tandem principis Synagogæ veniens, magnumque tumultum & luctum, aliaque eiusmodi, quæ de more per id tempus apud funera fieri consueta erant, cernens, multitudini vt isthæc missa faciat, mandat, quòd puella non sit mortua, sed tantùm dormiat. Significabat enim æquè facilè sibi esse mortuos exsuscitare, dummodò velit, atque alij dormientem expergefacere.

G

Quin per hoc quoque, quod puellam extinctam dormire asserit, neque statim se illam exsuscitaturum promittit, omnem fastum, omnemque inanem iactantiam ab opere illo secludit. Ille ergo ab omni superbia vanaque gloria vacuitatem consectatur, at verò operis excellentia famam illius longè latéque mox diffundit. Turbâ itaque eiectâ, manuque adolescentulæ apprehensâ, extemplo illam exsuscitat; ita vt magna statim admiratio caperet omnes, resque per vniuersam regionem illam continuò percrebesceret. Omnibus certatim, vt verisimile fit, magnaque contentione tantum illud miraculum prædicantibus & diuulgantibus.

CAPVT .VI.

Dominus cõtemnitur à suis ciuibus.

ET *egressus inde abiit in patriam suam.* Ascendit in patriam non ignarus, se istic ob familiarem vsum contemptum iri. Verùm popularium ingratitudine posthabitâ, sabbato in illorum synagogam ingreditur, ingressusque doctoris munus intrepidè adoritur. Illi verò etsi propter admirandam doctrinam stupendaque & inusitata opera quæ faciebat, illum admirarentur; attamen quod genus illius secundum carnem probè nossent, adeò debitum honoris cultum illi non impendunt, vt palàm quoque despicatui habeant. Quod malum omnibus penè incredulis semper familiare extitit, & etiamnum existit. Quò fit, vt eiusmodi homines vix vnquàm ad exactam aliquam Dei notitiam adducantur, veluti tunc temporis quoque Dominus propter ciuium suorum incredulitatem, perpaucas in patria virtutes ostendit.

H

Dominus citra fidẽ & obedientiam miracula ordinariè non edebat.

Etenim vt iis, qui primaria, cuiusmodi sunt fides, cæteraque, quæ viam ad virtutes & signa muniunt, ex animo complectuntur, secundaria liberaliter suppeditare assolet, (quemadmodùm id ex Germanis illius discipulis cognoscere licet) ita illis, qui primaria vltrò oblata ingrato animo respuunt, secundaria haud facilè adiicere solitus est: Censet enim eiusmodi additamentum hominibus, qui ita comparati sunt, inutile planéque superuacaneum fore. Sed neque in se quoque eiusmodi opera patrare, satis conuenire.

Et

A

Vt sanitas per miraculū obtingat, opus est fide & diuinâ virtute.

Et non poterat ibi virtutem vllam facere. Hoc propter eorum duritiam & incredulitatem dicitur, qui illiusmodi beneficio potituri erant. Quia enim ad impetrandam sanitatem vtrumque coïte debet, nimirùm eorum, qui curâ egent, fides, & illius rursùm, qui curaturus est, virtus, si alterum horum defuerit, non temerè sanitatis beneficium obueniet. Potest quoque addi, rationi non satis consentaneum videri, sanitatem ei præstare, qui propter fidei inopiam detrimentum veriùs, quàm emolumentum inde percepturus creditur.

Et circumibat castella, in circuitu docens. Circumibat ciuitates & castella, quo iis omnibus, qui doctrinam illius gratanter susciperent, aditus ad finem patefieret. Cæteri verò, qui audire & credere nollent, nullam de sua contumacia, & infidelitate excusationem haberent.

Et vocauit duodecim, & cœpit illos mittere binos. Aduocat duodecim Apostolos, binosque & binos Euangelium prædicatum amandat, potestate cuiusque generis miracula patrandi illis impertita. Iniungit autem grauiter omnibus, vt missis gentium regionibus, Iudæis tantùm pietatis dogmata annuntient, corporumque sanitatem iis, qui inter hosce fortè eguerint, impendant, vt hâc ratione & laborum magnitudo sit minor, & discipulorum cum Magistro coniunctio & consuetudo maior: Siquidem vbiuis gentium Euangelizare in aliud tempus asseruabatur.

B

Cur Apostoli ante Christum passū Iudæis tantum concionari iussi sint.

Et quidem Euangelista Marcus numerum eorum, quos ad munus illud delegerat, accuratè exponit: Matthæus autem non hoc solùm, sed missorum quoque nomina edit. Marcus rursùm missionis modum disertis verbis aperit: scribit enim, Dominum binos & binos simul ad Euangelizandum misisse: Matthæus autem non modò qui missi fuerant exprimit, verùm etiam missorum ordinem describit: Indicat namque, quis ex illis fuerit primus, quis secundus, & sic deinceps, vsque ad postremum.

C

Et præcepit illis, ne quid tollerent in via. Tantùm, ait Seruator Apostolis, ab omni cogendæ pecuniæ studio auaritiæque suspicione alienos vos esse volo, vt ne commeatus quidem causa (quæ tamen res maximè necessaria vulgò haberi solet) quicquam omninò ab iis, apud quos hospitij gratiâ diuertitis, accipere vos sinam. Itaque neque aurum, neque argentum, neque æs ad itineris vsum vobis à quoquam obtrudi patiamini. Sed neque peram quoque habere vos volo: vt nimirùm habitu ipso, corporisque cultu planum fiat, quantùm ab omni pecuniæ cupiditate seiuncti sitis.

Apud Matthæum autem non hæc tantùm, sed gemina quoque tunica, & calceamenta, & virga prohiberi videntur; habet enim: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque* (quod tenuissimum est omnium) *virgam habeatis.* At verò apud Marcum virga permitti videtur; legitur hîc enim ad hunc modum: *Et præcepit illis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm.* Ibidem sandaliorum vsus quoque permittitur.

D

Diuiditur difficultas, quæ apud Euangelistas se offert de virga & calceamētis siue sandaliis. Vt virga Apostolis videtur concessa non ad bellū vel aliorum offensionē sed ad itineris vsū

Verùm quod de virga hîc asseritur, tantùm secundum indulgentiam assertum videtur. Certè verba eiusmodi quiddam insinuant; habent enim: nisi virgam tantùm, quasi Dominus dicat: Nihil omninò volo vos in via deferre, nisi forsan virgam, qua nitamini, non peram, non panem, non in zona æs, neque calceamenta, nisi forsan sandalia, neque duas tunicas induatis. Particula itaque μὴ, neque, ita latè hoc loco vsurpatur, vt non absolutè neget, sed aliquatenùs etiam permittat.

Quæ de virgæ permissione hîc dicuntur, ea cum iis satis consonant, quæ apud Lucam de hoc ipso argumento circa passionis articulum exponuntur. Dominus enim discipulos eo loci ita affatur: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis?* Hîc virgæ nulla omninò fit mentio. Quare quod apud Marcum de virga scribitur, inter permissiones habeatur. In summa, discrepantia quæ hic se offert, si aliqua omninò est, tantùm secundum externam literæ superficiem est.

E

Ita sandalia iisdem concessa videntur nō ad ornatum, sed ad pedum munimētū atque ita nulla relinquitur antilogia.

Quocumque introieritis in domum, illic manete. Ne apud ciuitatis incolas in mobilis inconstantisque animi suspicionem veniant, ne de domo in domum transeant, mandat; verùm in ea, in quam semel ingressi fuerant, maneant.

Quid sit puluerem in ingratos excutere.

Quicumque non receperint vos. Cùm ostendere vellet, impunè non abituros, qui Apostolos non receperint, aut sermones illorum non audierint, iubet vt puluerem pedibus cohærentem, in eos excutiant, qui illos non admittunt, qui itineris laborisque illorum causâ frustra suscepti testis sit.

Cap. 10.

Amen dico vobis, & tolerabilius, additur apud Matthæum *erit Sodomæ & Gomorrhæ in die iudicij, quàm illis,* qui videlicet Christi Apostolos non susceperunt. Quandoquidem post tot miracula & signa patrata, adhuc illorum dictis fidem habere noluere. Iure proinde meritoque scribit quidam, peccatorum illorum puluis in eorum capita reflectitur, Sodomæisque & Gomorrhæis omnibus grauiùs puniuntur: quia nulli ad hos, vt ad illos Apostoli missi, neque vlla apud illos miracula facta fuerant.

F

Et dæmonia multa eiiciebant, & vngebant oleo multos ægros. His similia exponit Lucas quoque: verùm quod de mystica vnctione & olei vsu hîc subiungitur, hoc inter Euangelistas solus Marcus commemorat. Interim quæ Apostolus Iacobus in sua Canonica narrat, ab his non dissentiunt, scribit enim: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus.* Oleum inter alia & laborum molestias mitigat, & lumen fouet, & hilaritatem conciliat. Oleum igitur, quod in sacra vnctione adhibetur, & Dei misericordiam, & morbi sanationem, & cordis illuminationem denotat. Dici tamen potest, orationem hæc omnia efficere, oleum autem eorum omnium, quæ fiunt, externum tantùm symbolum esse.

Cap. 10.

Cap. 5.

In ratione Sacramenti simul vtrumque erit & efficit.

G

Et audiuit Rex Herodes, & dicebat. Herodes, de quo hic sermo, primi Herodis, quo regnante Ioseph ab Angelo admonitus, IESVM & matrem eius deportauit in Ægyptum, filius erat. Hunc Herodem, quòd quartam tantùm paterni regni partem obtinuisset, Matthæus & Lucas tetrarcham appellant: Siquidem Romani post primi Herodis obitum, Iudæorum regnum in quatuor partes, seu tetrarchias partiti fuerant, quibus vna Herodi senioris Herodis filio administranda obuenerat. At Marcus verò & alij prætereà nonnulli Herodem hunc Regem appellant: siue quòd paternæ consuetudini hoc tribuerint: siue quod voce hâc licentiosiùs vsi sint. Verùm de his consulatur Iosephus, qui Iudæorum res satis accuratè descripsit.

H

Cùm ergo Herodes Christi miracula audiuisset, probéque, quòd Ioannem, qui iustus alioqui erat, iniustè temeréque è medio sustulisset, compertum haberet, ratus est illum ex mortuis resurrexisse, atque ideò tanta illa, quæ passim ferebantur, miracula edere. Augebat hanc eius suspicionem non parum quoque, quòd alios etiam, vt Lucas narrat, eandem illam opinionem occupasse intelligeret. Quamobrem vt exploratè cognosceret Christus, ne Ioannes ille esset, quem ipse occiderat, maiorem in modum eum videre cupiebat.

Alij autem dicebant, quia Propheta est, quasi vnus ex Prophetis. Hoc ipsum Apostoli quoque à Christo, *quem dicunt homines esse filium hominis,* interrogati, confirmant: aiunt enim: *Alij Ioannem Baptistam esse dicunt, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Matt. 16.
Omnia autem placita, quæ tum temporis de Christo inter homines ferebantur, humana erant: Vnum enim hoc tantùm de illo opinabantur, quod de summo aliquo magnæque sanctimoniæ viro, mortalium vulgus opinari solitum est.

Cùm autem Marcus scribit, quosdam dixisse: *quia Propheta est, quasi vnus ex Prophetis,* insinuare videtur,

illos de eo Propheta hoc asseruisse, de quo Moyses dixerat, nempè: *Prophetam de gente tua suscitabit tibi Dominus Deus vester*, &c. Probabile fit enim, procerum metu impeditos, Christum Dominum illum ipsum Prophetam esse, disertè profiteri ausos non esse, atque ideò opinionem, quam de illo habebant, Moysi verbis adumbrasse.

Deut.18.

Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Ioannem. Modum, quo Herodes Ioannem peremit, & causam, propter quam illud fecit, Euangelista breuiter hoc loco exponit, non quòd Prophetæ cædes in illud tempus incidisset, sed quia narrationis series, quam instituebat, commodè id ferebat. Cum enim narraret, Herodem (quod admirabilia quædam de Christo Domino audiuisset) existimasse, Ioannem, quem paulò antè interfici curârat, ex mortuis resurrexisse, mox cædis causam subiungit, quæ fuit huiusmodi.

Cùm Herodes fratris sui Philippi etiamnum superstitis vxorem, ex qua filiam ille ante diuortium susceperat, rapuisset, raptamque domui suæ obtineret, Ioannes nefarium flagitium non ferens, palàm propter improbam fœdamque præuaricationem illum reprehendit. Herodes autem eiusmodi reprehensionem iniquè accipiens, voluit illum occidere. Verùm turbam, apud quam Ioannes in summa existimatione erat, veritus, mortem illi inferre non audebat, etiamsi propter Herodiadem summoperè id desiderasset. Nam ad se quod attinebat, nôrat illum virum iustum & sanctum esse, multáque iuxta illius præscriptum faciebat. Tandem improbis Herodiadis precibus victus inclusit illum in carcere, mandato dato, vt diligenter custodiretur.

Intereà accidit, vt Herodes magna cum pompa & apparatu natalis sui diem celebraret. Cùm autem filia Herodiadis inter epulas elegantiùs saltasset, Herodíque eo nomine placuisset, continuò se id totum illi daturum iurauit, quodcumque illa ab illo petiuisset. Hæc autem à matre edocta subornatáque caput Ioannis Baptistæ sibi donari postulauit. Herodes ergo, ne promissionis fidem fallere videretur, caput Baptistæ auferri, ablatumque puellæ offerri iussit, immani sceleri iurisiurandi Religionem & vim, propter præsentes obtendens, seseque propter id quod acciderat, contristatum assimulans.

Tria Ioāni Baptistæ caput ademerunt.

Colligimus hinc autem tria inter cætera, Ioannem Baptistam capite mulctasse, nimitùm adulterium, saltationem, & iusiurandum. Quare si mentis iudicio valemus, tria hæc auersemur vt quàm maximè, si non propter aliud, certè ne cum iis communicemus, culpæque obnoxij euadamus, qui mortis præcursoris auctores & causæ extitêre.

Quo audito discipuli eius venerunt. Hæc exponit, quò ostendat beneuolentiam, quâ discipuli Ioannis magistrum prosequebantur, per mortem illius extinctam non fuisse, sed vsque constantem perseuerantémque constitisse. Subdit his porrò:

Ecclesiæ doctores & pastores sæpè secessum à turbis quærant & consectentur oportet.

Venite seorsùm, & requiescite pusillum. Per hoc Christus Dominus Ecclesiæ doctores & pastores monet, ne externis turbis perpetuò se dedant, sed priuatim sæpè secretoque agentes animum colligant, eundémque à publicis negotiis & occupationibus, quantùm res patitur, identidem seuocent. Docet per hæc eadem etiam, in verbi ministerio desudantes, nonnunquàm respirare & interquiescere, seséque & corpus suum suo tempore curare & reficere debere: maximè verò post ministerium absolutum.

Multi desiderabāt Christum sequi.

Et exiens vidit turbam multam IESVS, *& misertus est super eos.* Sequebatur Christum ingens multitudo, cùm propter alia, tum propter signa & prodigia, quæ faciebat. Inter quos etiam non pauci, ita vt probabile fit, comparati erant, vt vniuersis, quæ in bonis habebant relictis, ipsum quoque versum sequi ex animo desiderarent, quique iam ad hoc seriò sese componebant. Cùm ergo Christus Dominus illos ex itinere defatigatos, & veluti oues, quæ pastorem non habent, disiectos videret, (Tales enim erant illi, eò quòd nullum, qui vtilia animæque salubria eos doceret, ad manum haberent. Nam ob hanc spiritalis annonæ penuriam Christum Seruatorem præcipuè sequebantur: Siquidem vnum illum præ cæteris idoneum censebant, qui ad meliora salutíque viciniora ipsos adducere vellet & posset) miseræ illorum sortis misertus est, studióque & diligentiâ eorundem mirificè oblectatus, mysticam cœlestis doctrinæ mensam, immortaliúmque escarum apparatum magnificum illis apposuit.

Christus præ cæteris idoneus populi ductor & doctor.

Et cùm iam multa hora fieret. Cùm maior iam diei pars acta esset, discipuli à Christo, vt turbam dimittat, petunt, allegantes cùm loci solitudinem, tùm commeatus quoque tenuitatem. Dicebant enim: *Desertus est locus, & non habent quod manducent.* At verò diues ille & benignus pater corpoream quoque mensam illis apponi iussit, discipulos tantùm non eiusmodi oratione compellans: Ne de escis plus satis anxij sitis, en ego adsum, qui magnam copiam & affluentiam subministrare valeo. Cùm illi autem, quò tenderet, non intelligerent, animoque propter rei difficultatem penderent, sciscitatus est, quot panes habetis? Ipsi verò factâ inquisitione, quinque & duos pisces, responderunt.

Acceptis quinque panibus & duobus piscibus, intuens in cœlum benedixit, & fregit. Meritò nunc in Cœlum suspicit, & gratias agit, nempè vt facto hoc omnibus planum faciat, se id totum quod fiebat, cœlesti patri ascribere.

Et dedit Discipulis, vt ponerent ante eos. Quandoquidem Deus Opt. Max. mannâ Israëlitas per desertum pauerat, ipsíque obiicere quandoque ausi fuerant: *nunquid & panem dare poterit?* &c. ne ea in re Patre inferior videatur, panes hic in deserto multiplicat. Interim ne Iudæis, qui varias calumniandi occasiones aduersus illum venabantur, iustam aliquam cauillandi ansam offerat, quasi Deo sese exæquet, aut eidem quoque se præferat, priùs ad Cœlum spectat, quàm panes multiplicet, totumque, quod fiebat, & futurum erat, cœlesti patri tribuit.

Psal.77.

Et manducauerunt omnes, & saturati sunt. Exsaturati sunt vniuersi, cùm tamen exceptis mulieribus & paruulis, quinque virorum millia adfuissent.

Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos plenos. Tantam reliquiarum copiam fieri voluit, vt duodecim sportæ inde implerentur, quas singulas quoque vt miraculum euidentius euaderet, eorumque qui interfuerant, sensibus tenaciùs infixum hæreret, in humeros tolli & asportari mandauit. Nam hoc quoque perfecto obseruatóque, Discipuli ob insignem rei nouitatem, de re admirabiliter patrata, dubij adhuc hærebant, vt præsens Euangelista disertis verbis paulò post indicat: ait nàmque: *Non enim intellexerant de panibus, erat enim cor eorum obcæcatum.*

Quin alia quoque de causa tantam reliquiarum vim facere visum fuit, nimirùm quò publicè hinc constaret, tantam rerum abundantiam magis prouenisse ad ostendendam facientis virtutem, quàm ad explendam præsentem populi necessitatem. Moyses quondam manna Israëlitis suppeditabat, verùm id tantùm ad necessarium vitæ vsum: siquidem quod plus eo colligebatur, hoc statim in putredinem vertebatur. Quare etiam vbi primùm terræ Palæstinæ fructus apprehenderunt, manna illicò descendere desiit. Sic Elias quoque viduæ farinam & oleum multiplicauit, verùm tantisper hoc solum, dum pluuiæ terram irrigaturæ descenderent: vbi enim hæ descendere cœpêre, statim quoque farinæ multiplicatio cessauit. Quo ergo discrimen inter hos & illum appareat, magnam residuorum copiam reliquam fecit, ita vt illi etiam, qui saturati fuerant, reliquiarum vim admirarentur.

Exo.16. *Iosue 5.* *3.Reg.17.*

Opus ergo, quod factum est, & admirabile est, & virtutis opificis manifestus index est. Admirabile nihilominùs alicui videri queat, cur Dominus ad subministrandam alimentorum copiam, eâ potestate non semper vtatur. At non est id mirum, siquidem signum non temerè, sed publicæ vtilitatis causâ fieri debet: nempè quo facientis virtus per illud manifestetur, & Catholica rursùm fides per illud ipsum statuatur & nutriatur. At verò

Signa duplici de causa eduntur.

vbi

A

Apostoli multiplicatum recipiunt, quod in turbas contulerant.

vbi nulla necessitas vrget, nec vlla rursùm publica vtilitas impellit, ibi per media vsitata, humanæque naturæ conuenientia nitendum est. Quin illis quoque benignè per hoc miraculum factum est, qui operam suam ad illud in medium contulerant: nam quod Domino in communem vsum impenderant, hoc summâ liberalitate & beneficentiâ compensatum accipiunt. Insinuatum est hîc denique, alimenta ab iis percipere, quos in fide erudimus, nefas non esse.

Et statim cogit Discipulos ascendere nauim. Antequàm turbam dimitteret, Discipulos nauim conscendere compulit. Compulit autem, quia se ab illo diuelli non facilè patiebantur: partim quidem propter animi studium, quo in illum ferebantur: partim etiam quia incerti hærebant, quomodo nauigio destitutus, ad illos peruenire posset. Neque enim expendebant, Dominum ea potissimùm de causa abitionem indixisse, quò super aquas paulò post eum gradientem cernentes, præsentis virtutem & magnitudinem accuratiùs perspicerent. Vbi ergo turbas, quæ ideò, vt probabile fit, ad illum accedebant, quò vel benedictione illius potirentur, vel certè vt sanitatem ab illo consequerentur, demisisset, abiit in montem ibidem precaturus. Precacatur autem, vt & verum hominem per hoc se probet, & orationis operi impigrè insistendum esse doceat.

Discipuli ægrè patiuntur se à Christo diuelli.

B

Christus Dominus duplici de causa orationi vacat.

Et cùm serò esset, erat nauis in medio mari. Profunda iam nocte ipse quidem Dominus solus erat in terra, Discipulorum autem nauigium medium iam mare obtinebat, neque vento aduerso vehementiùs flante, vlteriùs progredi valebat.

Erat enim ventus contrarius eis. Ad euidentiorem miraculi, quod mox consecutum est, demonstrationem, non parùm faciebat, quod ventis contrariis flantibus, fluctibusque secundum ventorum flatus sese erigentibus, ipse nihilo seciùs, quasi à nullo prorsùs impeditus, liberè per aquas incederet & ambularet.

Christus aduersis ventis & fluctibus ambulat super aquas.

C

Nox in quatuor vigilias deduci tur.

Circa quartam vigiliam noctis venit ad eos. Scriptura sacra totam noctem in quatuor vigilias deducit, singulisque ex illis tres horas assignat. Per quartam itaque noctis vigiliam designat decimam aut vndecimam, aut duodecimam noctis horam: circa vnam ergo aliquam ex tribus illis, visus est eis per mare incedens, gressumque ad illos intendens. Cùm ij autem spectaculo hoc super modum conturbarentur, proptérque rei nouitatem, quod cernebatur, phantasma esse arbitrarentur, nec non præ pauoris magnitudine, sublatâ voce vociferarentur, Dominus illos compellauit dicens: *Confidite, ego sum, nolite timere.*

Et præ timore clamauerunt, statimque IESVS *locutus est illis, &c.* Dominus IESVS non priùs suis se Discipulis patefacit, quàm ipsi clamoris voces ad illum destinant, eiusdémque opem & fidem implorant. Hoc enim modo excitati illius præsentiam auidiùs complexi sunt. Quia ergo sublatâ voce ad illum clamabant, trepidantes & vociferantes eiusmodi oratione à concepto metu absoluit: *Confidite, ego sum, nolite timere.* Neque enim eum propter admirabilem inusitatúmque super aquas ingressum, tempúsque nocturnum satis internoscere poterant. Quamobrem vt voce seipsum manifestaret, omninò necessarium videbatur.

Christus innocentus suis se discipulis manifestat.

D

Confidite, ego sum, nolite timere. Hâc Christi voce auditâ, metus quidem illorum sedatior factus est; interim apparentis visi nouitas, eorum animos adhuc dubios & suspensos tenebat. Eapropter quò id, quod videbatur, phantasmata non esse accuratiùs disceret; tum rursum quò ipse quoque nouæ huius peregrinæque rei periculum faceret, Petrus magno animi feruore incitatus, ad IESVM dixit: *Domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas, & Dominus ad illum: veni.*

Domine, si tu es, iube me venire ad te. Hoc, vt quibusdam placet, Petrus magis dicebat propter incensam erga Christum Charitatem, quàm propter vllam prorsus ostentationem. Nullus enim IESVM æquè amabat atque ille: sed neque suæ tantùm dilectionis ardorem, per hoc factum probabat, cæterosque suo exemplo ad idem studium excitabat, sed suam quoque fidem ostendebat. *Et descendens Petrus de nauicula ambulabat super aquam.*

Petrus præ cæteris Iesum ardenter amabat.

E

Matt. 14.

Ecquid autem ad hæc Christus? Supplicantis votis annuit; ait enim. *Veni. Et descendens Petrus, &c.* Petrus è naui digressus, initio quidem intrepidè super aquas ambulat: verum vbi primum fluctibus iactari, ventóque vehementiori flante, metúmque augente animum despondere cœpit, inceptum iter deseruit, Domino per hoc docente, non suâ, sed solâ Christi virtute, id quod inchoauerat, explere potuisse.

Matt. 14.

Et cùm cœpisset mergi. Quò palàm fiat, magis decuisse, vt citra vllam eiusmodi experientiam, Christi verbis fidem accommodaret, Dominus passus est eum nonnihil mergi: At verò vbi primùm cum morte luctam inire, nec non, *Domine, saluum me fac,* clamare orsus est. Seruator ima iam petentem extensâ manu statim excepit, exceptúmque super aquas erexit, fidei infirmitate ipsi improperatâ. Etenim submersionis discrimen efficiebat, vt magis de sua imbecillitate & vitæ periculo, quàm de Seruatoris virtute Christique gratia cogitaret.

Petri curiositas mulctata.

F

Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit ventus. IESVS, Petro secum assumpto, ascendit in nauim, statimque ventus conquieuit, commotionem illam ea præcipuè de causa accidisse ostendens, vt miraculi magnitudo clarior, illustriórque per hæc euaderet.

At cur, inquis, Christus Dominus ventis silentium non indicit, verùm ipse per se Petrum mergi incipientem sustentat & eleuat? quia hoc Petri fides exigebat. Vbi enim humana deficiunt, ibi diuina sese prodere mox incipiunt. Planum ergo faciens, non tam venti vim, quàm propriæ fidei infirmitatem ipsum euertisse, ait: *Modicæ fidei quare dubitasti?* quasi dicat, nisi fidei infirmitate laborasses, vtique aduersus ventorum flatus consistere valuisses: siquidem, vbi firma adest fides, ibi ventus detrimentum afferre non potest.

Petrum fidei infirmitas euertit potiùs quàm venis tempestas.

Qui in nauicula erant, venerunt, &c. Discipuli, qui in naui erant, accesserunt, & adorauerunt Christum, dicentes: *Verè Filius Dei es.* Commonstrant autem pro hoc, ante perfectam de eo notitiam nondum habuisse: nam quorsum post patratum miraculum istud confiteri attinebat, si antè certò illud compertum habebant? Sed neque in tantam quoque animi anxietatem & dubitationem, illo super aquas gradiente, deuenissent, si eum ante id tempus perfectè cognouissent.

G

Et ascendit ad illos in nauim, &c. Igitur qui antè aiebant: *Quis, putas, est hic homo, quia & ventus & mare obediunt ei?* Illi nunc non ita, sed, *verè Filius Dei es,* inquiunt. Eapropter ambulatio & incessus ille super aquas à Christo Seruatore non fuit institutus, ad aliquam ostentationem, sed ad Discipulorum vtilitatem. Supra enim quàm dici aut credi potest, de facto hoc inter se stupebant, & admirabantur: Neque enim vt Euangelista scribit, intellexerant de panibus: Siquidem cor illorum obcæcatum erat. Verùm vno hoc miraculo tantùm profecerunt, vt publicè Deum illum esse profiterentur. Neque reprehendit Dominus hanc illorum confessionem: quin contra potiùs vniuersam dictorum illorum seriem, vt verus Deus opere confirmat. Quandoquidem ægros, sanitatis causâ vndecumque ad illum delatos, maiori potestate & virtute sanat & saluat, quàm antea vnquam.

Christi discipulorum causa ambulauit super aquas.

H

Quæ hactenùs exposita sunt, ea solitudinem & secessum, rem apprimè vtilem, eisque qui familiariter cum Deo colloqui volunt, oppidò necessariam ostendunt: Quietis námque & tranquillitatis mater est secessus & solitudo: siquidem vna hæc ab omni tumultu & strepitu liberos nos reddit. Ostendunt ad hæc, Christianum hominem omnia incommoda, quæcumque tandem Dei permissu euenerint, æquo fortique animo perferre debere: nam Christus Dominus Discipulos hoc loco, vt patientiam illorum probet, & constantiam exerceat, ad tempus deserit, tempestatéque in medio mari coorta, tota penè nocte cum fluctibus luctari permittit, occæcatum illorum cor, vt Marcas loquitur, eâ re

Magnum vsum habet secessus & solitudo.

Dominus per aduersa probat eorum constantiam & animi patientiam exercet.

A expergefacere, maiusque sui desiderium, atque diuturniorem miraculi memoriam, eorundem pectoribus imprimere volens.

Non tutum est semper à malis, in quæ fortè incidimus, liberationem vrgere.

Per hoc tandem, quòd laborantibus non statim adfuit, discipulos, & nos per illos docere voluit, ne à malis, in quæ forsan incidimus, liberationem è vestigio petamus, verùm vndecumque illata forti infractoque pectore perferamus, animo pertractantes dura & aspera ita sæpè secedere & conquiescere, vt alia nonnunquàm difficiliora succedant, vel simul etiam accedant. Argumento sint nobis Apostoli, qui antè propter maris procellam perterrefacti propter peregrinum spectaculum, quod se inopinatè in illorum oculos intulit, grauissimè denuò consternantur, & perterrefiunt. Neque enim sola tempestas eorum animos turbabat, verùm phantasma quoque insperatum, quod sese videre existimabant. Quodque maiori admiratione dignum videtur, quò metus hic crescat, Dominus neque noctis tenebras discutit, neque
B statim quoque seipsum prodit, sed post certum demùm temporis interuallum. Cur ita fecit? vt hinc edocti, in rebus aduersis animum non facilè despondeamus, præsertim cùm vehementiores tentationes diuturnæ esse plerumque non soleant. Fatendum est tamen, quò maiora lucra obueniant, Deum iustorum certamina interdum extendere, eosdemque priusquàm ex vitæ huius palæstra excedant, diu multumque nonnunquàm exercere.

Vehementes tentationes plurimũ non diuturnæ.

Cúmque egressi essent de naui. Per hæc Euangelista ostendit, Christum Dominum pluscula tempore isthic diuersatum esse: Nam cùm loci illius viri eum adesse cognouissent, vniuersam mox regionem illam percurrunt, omnesque malè habentes, in grabatis ad eum deferunt. Neque enim eo nunc modo, quò antè ad eum accedunt, neque curationis causâ ad domum trahunt, neque rursùm vt manu tangat, aut verbo impetet, petunt: Verùm animo multò nunc celsiori & sapientiori, fideque longè perfectiori sanitatis beneficium ab eo contendunt, quam dudum antè. Ipsa enim Hæmorroissa
C quiddam sublimius, quam vulgus alioqui consueuerat de eo sentire, & loqui omnes iam docuerat. Quin ipse quoque temporis decursus conceptam de eo opinionem & fidem adeò non dissoluebat, vt maiorem quoque in modum subinde augeret, vegetioremque & validiorem efficeret. Neque mirum erat tempore sensim labente famaque propter admiranda, quæ faciebat, gliscente, maiorem quotidie existimationem de illo apud homines inualuisse.

Crescebat Christi existimatio cũ tempore apud populum.

CAPVT VII.

ET conueniunt ad eum Pharisæi, & quidam de Scribis. Cùm Euangelista accusationem, quam Scribæ & Pharisæi apud Christum Seruatorem contra Discipulos illius instituerunt, explicare deliberatum haberet; narrationi huic commodè interserit, cuiusmodi seniorum traditiones extiterint: atque tum demùm quid in Apostolis calumniati fuerant, exponit.

D *Cùm vidissent quosdam ex discipulis, communibus manibus manducare.* Non est hoc eo sensu accipiendum, quasi Discipuli manus nullo modo lauerint; non ita enim se res habet, verùm quia à Domino edocti erant, vt ea, quæ ad explendam communem corporis necessitatem faciunt, pro rerum vsu, locique & temporis commoditate administrarent; soli autem virtutum studio ex animo incumberent: quo tempore cibus sumendus erat, de receptis apud Pharisæos lauationibus non magnoperè curabant. Hoc autem cùm Scribæ & Pharisæi animaduertissent, illos veluti vsitatarum traditionum transgressores apud Christum accusabant. Quid autem ad eam incusationem Dominus?

Apostoli Pharisaicas lauationes & baptismata in postremis ducunt.

Relinquentes mandatum Dei, tenetis traditiones hominum. Quandoquidem Pharisæi Christi Discipulis insultabant, non tanquàm legis transgressoribus, sed tanquàm paternæ traditionis præuaricatoribus: Propterea Dominus duriùs reprehendit illos, vt qui sub pietatis schemate insignem absurditatem complecterentur. Allegat

E huc autem Prophetæ Isaiæ oraculum, quasi dudùm iam antè de illis pronunciatum.

Quemadmodùm enim illi, inquit, de quibus isthic sermo est, Deum summis tantùm labiis colebant (corde enim longè ab eo aberant) adeoque frustrà, nulloque prorsùs fructu reuerentiæ cultum illi deferebant: Rursùm vt illi ipsi hominum doctrinas maiorumque placita assiduò vrgebant & inculcabant, eademque Diuinis præceptis & legibus potiora ducebant: ita vos quoque in Dei legem apertè præuaricantes, externum tantùm hominem excolitis, internum autem horridum planeque incultum relinquitis. Et cùm tales sitis, nudamque tantùm pietatis speciem præ vobis feratis, adhuc eos reprehendere, & in ius vocare non veremini, qui veritatem & pietatem ex animo consectantur.

Pharisæi & Scribæ externã tantùm pietatis speciem præ se ferebant.

Vt eos igitur seniorum traditionibus perperàm innixos, tanquàm qui veram Religionem & pietatem flocci faciant, graui reprehensione dignos esse planum faciat,
F iniustitiam & iniquitatem, quam propter maiorum traditionem in parentes committebant, ob oculos collocat: Scripturam diuinam traditioni illorum non scriptæ ex aduerso opponens.

Honora patrem tuum & matrem tuam. Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. E duobus legis præceptis parentum honorem secundum Dei voluntatem vrget. Altero quidem mandante, vt id fiat: Altero verò pœnam mortis irrogante, si oppositum fiat, adeoque præcepti huius obseruationem, ad salutem apprimè necessariam ostendit. Iam cùm talis tantaque legis comminatio contra legis præuaricatores promulgata extet, vos, inquit Christus Dominus temerè perniciosoque exemplo Doctorum vestrorum traditiones secuti, diuinum mandatum fœdè præuaricamini. Etenim si quis ob dehonestatos parentes, munus, hoc est, illud Deo in sacrificium sese oblaturum promiserit, quód patri alioqui debebat, vos id iustum pronuntiatis. Vos, inquam, rem, quâ filij parentes alere & honorare omni iure obligabantur, Deo offerre licitum asseritis. Id quod aliud nihil est, quàm manifestaria Diuinæ legis propter vestram traditionem euersio & abrogatio.

Exo. 20. Deut. 5.

Insignis quorundam Iudæorum impietas & iniquitas in parentes.

G Enimverò cùm nefarium iuuenum ausum insignemque temeritatem, & in parentes impietatem increpare debuissetis, nec non eiusmodi sacrificium tanquàm horrendam quandam abominationem repudiare (neque enim Deus eo honore aut munere delectatur, quod in parentum iniuriam & calamitatem redundat) adeò illud non facitis, vt vltrò quoque instigetis, tantamque iniustitiam palàm iustificetis. Christus proinde increpationem illam, quâ Deus eos per Prophetam increpabat, qui Isaiæ ætate in viuis erant, nunc in Scribas & Pharisæos quoque conuenire demonstrat, vt qui eadem modò sentiant, & faciant quæ illi olim.

Deus non recipit munus, quod redũdat in iniuriam parẽtum.

Nihil est extra hominem, introiens in eum, quod possit eum coinquinare. Hinc lex secundum spiritum se iam paulatim prodere incipit. Neque enim hæc, vt Mosaica, circa corporales expiationes, ciborumque differentias versa-
H tur, sed circa virtutem spiritus. Ne mireris autem, si veteri lege corporum inquinamenta diiudicante & asserente, Christus hoc loco contrà docere videatur: (loquitur enim perinde, atque si nulla prorsùs corporalis immunditia in hominem cadere queat:) siquidem lex vetus ad externum tantùm hominem spectabat: Christus autem ad internam mentis aciem coniiciebat, veluti tempore illo iam præsente, quo Crux illis rebus typicis & corporalibus finem impositura erat. Quò nimirùm Christi fideles vitam posthac ita instituant, quasi corpore deposito in merum spiritum transirent. Verùm itaque illum internumque hominem, nullum corporeum inquinamentum polluere, aut lædere potest: At ea tantùm mala & vitia, Christo Doctore, hominem contaminant, quæ ex corde procedunt.

Christus magis ad internũ quàm ad externũ hominem spectabat.

Siquis habet aures audiendi, audiat. Addit porrò: *Qui habet aures audiendi, audiat.* Interim quænam sint mala illa, quæ de corde exeunt, id planis verbis non explicat.

Et cùm introiisset in domum à turba. Cùm Apostoli animad

A animaduerterent, doctrinam illam aliquid profundiùs insinuare, posteaquàm Dominus à turba seiunctus, intrauit in domum, interrogauerunt eum de parabola illa. Parabolam autem sermonem subobscurum nominant. Ille autem dixit eis.

Sic & vos imprudentes estis? non intelligitis, quia omne extrinsecùs introiens in hominem, non potest eum coinquinare? Quod dicit, eiusmodi est: nihil extra hominem existens, hominem contaminat, sed sola malitia, quæ est intra hominem, cæteraque quæ cogitationem cum illa habent, ea sunt quæ polluunt hominem.

Et inde surgens, abiit in fines Tyri & Sydonis. Cùm Dominus inde ad Cananæorum loca se transtulisset, (illic enim extabat Tyrus & Sydon) mulier quædam regionis illius incola, quæ filiam habebat crudelissimè à dæmonio vexatam, Dominum ad loca illa venisse edocta, statim se ad illum contulit, filiæ sanitatem enixè efflagitans, valideque clamans.

B Cap. 15. Et quidnam illa clamabat, inquis? Illud vtique, quod Matthæus narrat, nempe: *Miserere mei Domine, fili Dauid, &c.* At IESVS verò, quòd mulieris fidem exploratam haberet, quodque illam paganam & alienigenam (vtpote ex Phœnicia oriundam) esse non ignoraret, petitæ sanitatis beneficium distulit: Partim quidem, quò Iudæis per hæc ostendat, non pari se facilitate ipsis, & exteris hominibus sanitatem præstare: partim etiam, vt mulieris huius fides omnibus manifesta euadat. Quò hac quoque ratione, comparatione quàdam factâ, Iudæorum perfidia & duritia magis in apertum veniat.

Qui dixit illi: sine priùs saturari filios. Quæ dicit, huc tendunt: necdùm præstò est tempus, vt gratia & beneficentia mea inter gentes & alienigenas diffundatur: siquidem Israël bonum oblatum nedùm plenè repudiauit. Venit proinde Dominus ad Cananæos, non tanquàm ad domesticos, sed tanquàm ad eos, quibus cum patribus, ad quos promissio facta fuerat, nihil commune erat. Et

C quia res ita habebat, Tyriis & Sydoniis aduentum suum non indicauit, sed quantum commodè fieri potuit, celauit. Fecit hoc autem, ne ante tempus ad gentes migrare videretur: Tum quò Iudæos propter beneficia, quæ in illos conferebat, virtutesque quas inter ipsos exercebat, ad fidem prouocaret. Conuersionem autem ad gentes in tempus, quod Crucem & passionem, absolutamque Israëlitarum abiectionem consequebatur, reiicere placuit.

Decuit, vt Dominus gentibus quoque ex parte se manifestaret, beneque de illis mereretur.

Nihilominùs non potuit per omnia latere, sed neque rationi, quò consentaneum erat, vt iis qui fide Israëlitis multis partibus præstabant, nullo prorsùs iudicio aut beneficio sese manifestaret: maximè verò propter Apostolos, quos ex hoc facto certam coniecturam facere oportuit, salutis ostium gentibus quoque patefactum esse.

Sine priùs saturari filios. Hoc sermone Dominus apud Cananæam non vtitur, quasi virtus illius tanta non fuerit, vt vtrisque, Iudæis, inquam, gentibus, benignè facere nequiuerit. (Erat enim illa satis, quæ omnibus

D ope indigentibus adminicularetur.) Sed quòd Iudæi Pagani veluti à se mutuò maximè dissidentes, nullam omninò inter se communicationem haberent. Deus namque ita sese gerere videbatur, quasi hos solos simpliciter elegisset, illos contra simpliciter repudiasset. Imò verò donec manus tandem in Christum Dominum iniecerunt, pristinam in Iudæos beneuolentiam constanter retinuit: Neque gratiam suam ad vllos ferè exteros transtulit. Cuius quidem rei Iudæi non ignari Paganos omnes canum nomine designabant. Quod sanè canis nomen in ipsos etiam Israëlitas, tum demùm quadrare cœpit, quando cœlestis escæ alimonia orbatus fuit. Notum est enim illud Psalmistæ: *Conuertentur ad vesperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem.*

Canis nomen, quo Iudæi gẽtes appellabant, in ipsos tandem quadrare cœpit. Psal. 57.

Sed neque Cananæa quoque canis appellationem grauiter tulit: verùm in tali ordine constituta, beneficium quæsiuit, opulentæque illius gratiæ, quâ Israëlitæ potiebantur, partem aliquam impetrare studuit.

E Quemadmodùm canes quoque micarum, quæ de puerorum manibus in terram feruntur, participes euadere solent.

Dimitte illam, quia clamat post nos. Dominus Cananææ animum, & in se studium, cunctatione aliquali patefactum iri certò cognoscens, Apostolorum intercessionem ad tempus negligit. Interim ne curam illius penitùs abiecisse videatur, patitur illam accedere, patitur adorare, patitur filiæ sanitatem iterùm iterumque efflagitare, locumque & tempus, vt omnia hæc fiant, opportunum indulget.

Cur Dominus Cananææ petitionem distulerit.

Vtique Domine: nam & catelli, &c. Admirabilis hæc mulier, duro responso à Christo accepto, tantùm abest, vt ægrè indignabundeque id ferat, vt voces non multâ tantum fide, sed magnâ quoque reuerentiâ & sapientiâ plenas depromat. Nam quod à Domino inter canes censeri patienter fert, id summæ vtique reuerentiæ & pietatis argumentum erat. At verò minimam virtutis illius partem (hoc enim micæ nomine significatur) ad præstandam integram filiæ sanitatem sat esse certò arbitrari, id excellentis fidei opus erat. Demum ex illato probro, familiaris cuiusdam necessitudinis occasionem arripere, edereque responsum vsqueadeò admirabile, id eximiæ prudentiæ admirandæque sapientiæ indicium erat. Ecquid enim ait illa?

Cananæa ingenti fide, sapientiâ & patientiâ ornata.

F *Vtique Domine, nam & catelli.* Quasi dicat: magni beneficij loco duco, vel in canum ordine haberi, dummodò abs te, veluti aliena non excludar, sed de mensa Dominica cibum capiam, si non panem, certè micas temerè de mensa cadentes. Tantæ enim dominicæ mensæ sunt opes, vt abundè mihi sat sit, si iustorum tuorum micis frui liceat.

Et ait illi: propter hunc sermonem, &c. Tanta animi humilitate & fide alienigenæ mulieris perspecta, Dominus dixit ad illam: *Propter hunc sermonem vade, exiit dæmonium à filia tua.* Matthæus sanationis causam fidei, Marcus sermonis virtuti ascribit, sed in idem redit: efficax enim sermo ex efficaci fide prodibat.

Christus Dominus nõ minus spectaba[t] hominum salutem, quàm [sua]m gloriam [aest]imationem.

G *Et apprehendens eum à turba seorsùm.* Dominus noster IESVS CHRISTVS non ita ad suam dignitatem spectare videtur, sicut ad nostram salutem: neque adeò curare, vt magnum aliquod sonet, atque vt illud depromat, quo nos ad se pertrahere queat. Quamobrem sublimibus illius dictis factisque permulta passim tenuia & humilia interseruntur. Quamobrem surdum & mutum, quem obtulerant, seorsum accipit, quantumque res sinit, à turba seiungit: tùm ne ad ostentationem diuina signa perficere videatur, tùm maximè; quò nos hoc facto admoneat, vti animi candorem, laudatamque ab omni fastu vacuitatem studiosè semper consectemur. Maioris enim facit illos, qui animi modestiam morumque grauitatem impigrè consectantur, quàm qui virtutes & signa operantur.

Magis probantur Do[mino] humiles, quàm [si]gnorum patratores.

Misit digitos suos in auriculas eius. Inserit digitos in aures eius, cùm solo verbo miraculum patrare voluerit: quò corpus, modo qui verbis exprimi nequit, ipsi vnitum, animaque intelligenti & rationali informatum diuinæ virtutis vim & energiam obtinere commonstret.

H *Cur Dominus digitum i[n]seruerit in aures muti.*

Et expuens tetigit linguam eius. Eiusmodi quiddam, vt Ioannes exponit, in homine à natiuitate cæco obseruatum est quoque. Etenim cùm per Adami præuaricationem multa incommoda multæque pestes, & membrorum ægritudines humanæ naturæ acciderint: (Quæ quidem corporis commoda & vitia, præter alia, ostendunt, in quantam miseriam & infirmitatem eadem illa mortalium natura per peccatum prolapsa sit) Christus Dominus in mundum hunc ingressus, naturam illam læsam & quassatam admirabili modo sibi adiunxit, perque adiunctam, ac quasi de integro in seipso reformatam, parium sibi consubstantialium ægritudines & morbos curauit, & in integrum restituit. Ob hoc ergo digitis in illas insertis, muti & surdi aures aperuit, fandique facultatem per saliuam linguæ impertiuit.

Humana natura per peccatum vehementer quassata vulnerata.

A

Et suspiciens in cœlum, ingemuit. Cœlum respicit, partim quidem ea, quæ faciebat, ad cœlestem Patrem, tanquam ad primarium auctorem referens, partim verò humanæ naturæ causam dolore & commiseratione prosequens. Expendebat enim in quantam calamitatem & miseriam omnis bonæ honestæque actionis hostis diabolus, primorumque parentum incuria & lapsus illam deiecisset.

Diaboli inuidia, & primorũ parentum incuria naturam in summam calamitatẽ deiecit.

Et ait illi Ephphetha, quod est adaperire. Hæc dixit vnaqua cum verbo miraculum in opus abiit: Statim namque apertæ sunt aures eius, & locutus est rectè. Quomodo enim non rectè loqueretur recteque audiret, cum naturæ opifex id expleret, quod naturæ deerat?

Et præcepit, ne cui diceret. Hic denuò modestiam & humilitatem nos docet: siquidem iis, qui sanitatis beneficium consecuti fuerant, vt rem tacitam apud se contineant, grauiter iniungit. Fecit hoc quoque ea de causa, ne Iudæorum animos in cædem accensos ante tempus contra se inflammaret & concitaret, etiamsi certò sciret, eos opus vsque adeò admirabile & inusitatum minimè

B

tacituros, sed passim diuulgaturos.

CAPVT VIII.

VT Dominus iam antè, quo hâc viâ & ratione populum ad fidem alliceret, escas multiplicauerat: ita nunc denuò idem signum instaurat, vtrobique commoda occasione quæ se offerebat ad hoc vsus. Ea autem præsenti loco erat inuicta plebis, quæ eum sequebatur, perseuerantia. Nam triduò, vt hic scribitur illum iam sustinuerant. Etenim cùm panes non haberent, neque commodè in deserto habere possent citra detrimenti cuiuspiam periculum, impransi dimitti non poterant.

Christus Dominus populi necessitate compulsus multiplicat annonam.

Quod si eiusmodi necessitas non vrsisset, Seruator vtique consuetam miraculorum virtutem hîc non ostendisset: siquidem turbæ non sectabantur illum propter corporalem annonam, sed propter spiritalem escam. Etsi interim ex toto numero non deessent, qui hunc quoque scopum præfixum haberent: notum est enim illud Christi:

C

Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus & saturati estis. Quos proinde ad maioris momenti res perquirendas exhortatur, nempe ad fidem in ipsum. Nam ex vna hac non temporariam, sed sempiternam vitam & vtilitatem haurire licebat. Factâ namque inter temporalem & mysticum cibum comparatione, & ad hunc magis, quàm ad illum inquirendum pellens: *Operamini*, inquiebat, *non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.*

Ioan. 6. Non deerant qui Christum sequebantur propter ventrem. Ioan. 6.

Vnde illos quis poterit hic saturare panibus? Apostoli miraculum, quod fidei conciliandæ causâ Dominus in panis multiplicatione denuò repetere constituerat habebat, non intelligentes, *Vnde*, aiebant, *illos quis poterit hîc saturare panibus in solitudine?* Etenim humanæ rationis iudicium consulentes, rem illam fieri omninò non posse existimabant.

D

Et interogauit eos, quot panes habetis? Non ignarus, quid in parato erat, interrogat: verum quo hâc ratione Discipulorum animos in virtutis suæ considerationem excitet.

Et præcepit turbæ discumbere. Tanta potentiæ Christi vis & promptitudo erat, vt audito tantùm panum numero, multitudinem statim ad epulandum accumbere iussérit, certus apparatum illum, tametsi exiguum, in omnes abundè futurum satis.

Et accipiens septem panes gratias agens fregit. Quasi cæterorum hominum more virtutem & energiam circa id, quod propositum erat, à Deo accipiat, gratias illi agit, cùm tamen eiusmodi vim non aliundè, vt sancti viri solent, sed à seipso peteret; huc enim ea Euangelistæ Lucæ oratio spectat: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.*

Christus Dominus virtute propria signa faciebat. Cap. 6.

Et dabat Discipulis, vt apponerent. Vt alibi semper, ita hîc quoque Dominus decorum seruat. Vtitur namque discipulorum operâ ad ministerium: quandoquidem aliis ministrare secundum discipulatus rationem Apostolis ex instituto incumbebat. Sed & paucos illos pisciculos quoque quos habebant, benedixit, & apponi iussit.

Christus vbique obseruãs decorum.

E

Et manducauerunt, & saturati sunt. Omni ex parte miraculum fit manifestum: Primò quidem ex eorum saturitate, qui epulati fuerant: mox verò ex escarum copia, quæ superfuerant. Postremò autem ex eorum multitudine, qui ad saturitatem vsque manducauerunt. Cæterùm hactenùs tantùm benefactoris munere vsi sunt conuiuæ, quatenus necessitas postulabat. Nam etsi magna reliquiarũ vis superfuisset, nihil tamen inde secum asportarunt. Admonemur autem exemplo hoc percommodè, rerum vsum ex necessitate spectandum & metiendum esse, nihil autem vnquam, grauiori necessitate seclusâ propter habendi studium subducendum.

Rerum vsus ex necessitate spectãdus.

Et statim ascendit nauim cum Discipulis. Seruator vnà cũ Discipulis nauim iam conscendit, cùm anteà illud non fecisset. Discimus hinc autem, non semper pugnas adducere, verùm antè tentatos pugnisque defatigatos, suo quoque tempore ab eiusmodi miseriis & laboribus recreare & refocillare. Vt enim sua absentia laborem & molestiam: ita sua præsentia à molestiis & laboribus quietem indulgere solet.

Dominus non semper flagellat aut F uat, sed sæpè quoque refocillat & recreat.

Et exeunt Pharisæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo signum de Cœlo, tentantes eum. Rectè tentantes dixit, neque enim, vt crederent, signum quærebant: etsi quiddam eiusmodi, si signum faceret, præ se ferrent, verùm solo tentandi fallendique animo quæstionem illam mouebant. Tantùm enim quid eo in genere posset, vel non posset, explorare valebant. Fidei autem nullam prorsus rationem habebant.

Pharisæi tentant Christũ: eiusdemque virtutem.

Signum de Cœlo. Cuiusmodi signum de Cœlo petebant; Expectabant, vt vel solem sisteret, aut retrorsùm flecteret, aut fulmina demitteret, aut aërem inmutaret, aut aliud quippiam istiusmodi faceret. Verum aliud primi aduentus tempus deposcit, aliud secundi: priori conuenere, & necessaria quoque fuere signa terrena, cuiusmodi sunt, quæ Dominus in terra adhuc cum hominibus versans edebat. Cœlestia autem posterioris aduentus tempestati asseruantur. Nunc tanquam medicus occultè venit, tunc autem tanquam iudex summa cum gloria & claritate venturus, pœnasque à sceleratis exacturus est. Tunc igitur cœlum inuoluet, & certâ quâdam ratione abscondet: Tunc lunam lumen suum diffundere non sinet: Tunc virtutes cœlestes quatiet. Hoc autem tempore illis signis neque locus neque opus est.

Alia primus, alia secundus Christi G aduentus signa postulabat. Primus Christi aduentus occultus fuit, secundus manifestus erit.

Amen dico vobis, si generationi huic dabitur signum. Quæ dicuntur hoc loco, huc tendunt: quodnam signum improbæ generationi huic, quæ temerè à Deo recedit, dabitur aliud, quàm quod is vicissim recedet ab illa? Cuius quidem rei argumentum extitit secessio illa, quâ eos mox deseruit, alioque abiit. Meritò proinde Christus Dominus diuortium hoc animo pertractans, spiritu ingemuit. Quo enim fine ad Iudæos venerat? nonne vt mortem extremaque omnia illorum causâ subiret? Quid autem eius rei gratiâ contra præstiterunt illi? Aliud sanè nihil, quàm quod in summa nequitia ætatem transigentes, tantùm illum benefactorem quotidie in se suamque perniciem prouocarent.

Ingens Iudæorũ erga H Christũ ingratitudo.

Et cogitabant ad alterutrum dicentes, quia panes non habemus. Quid autem ad hæc Dominus? Partim sanè increpat illorum incredulitatem, partim rursùm quod obscurè dixisse videbatur, clarioribus verbis explanat, ait autem: *Quid cogitatis, quia panes non habetis?* quasi dicat: Oportebat vos tandem aliquando eorum, quæ anteà per experientiam didicistis, memores, neque quod panes non habetis, anxios esse, neque me de panibus verba fecisse arbitrari: neque enim difficile mihi fuerit, nunc denuò, perinde atque antè, panes necessarios in medium afferre, vestramque inopiam explere. Quomodo ergo necdum intelligitis, sed cor etiamnum obcæcatum habetis? Hęc autem dicebat, Discipulos ad fidem diuinorumque mysteriorum sensum paulatim promouens & excitans.

A

Cauete à fermento Pharisæorum, & fermento Herodis. Etsi verò Matthæus scribat, *Cauete vobis à fermento Pharisæorum & Herodianorum*: Lucas autem, *à fermento Pharisæorum*, tantùm, nulla tamen interuenit hîc pugna: siquidem omnes tres primarios inter illos nominarunt, puta Pharisæos: duo autem inter posteriores secernunt; alter namque Pharisæis adiungit Sadducæos, alter Herodianos. At neuter interim, vel hos, vel illos solos extitisse asserit. Verisimile fit autem, Marcum ad narrationis expletionem Herodianos, quos Matthæus prætermiserat, cæteris adiecisse.

Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum. Ingreditur Dominus in fide destitutam Bethsaidam, cæco ad illum adducto, vt eum tangat, rogant. At non sana, neque integra offerentium fides erat. Quare qui miraculi spectatores fierent, indigni habiti sunt. Etenim Christus Dominus hominem seorsùm apprehendit, apprehensúmque extra vicum duxit, mox in oculos illius expuens, manúmque eidem imponens, num quid videat, interrogat.

B

Expuit manúsque imponit, per hoc ostendens verbum diuinum actionemque verbo adiunctam, opera, quæ admirabilia habebantur, & erant, absoluere. Manus enim operationis est Symbolum & organum, verbi autem quod de ore procedit vis opus ipsum perficit.

Interrogauit eum si quid videret. Interrogat, num quid videat, cum alias illud facere non consueuisset. Designat per hoc autem, cum offerentes, tum eum quoque, qui oculis captus offerebatur, fidei infirmitate laborasse. Non enim tantùm cæcutientem eiusmodi oratione affabatur: Fiat tibi secundum fidem tuam: Siquidem imperfecta illa sanatio, fidem illius debilem admodùm extitisse, arguebat. Fatebatur namque homines quasi arbores obambulantes sese videre, hoc est, obscurè & imperfectè.

Cur Dominus cæcum seorsùm, & per interualla sanârit.

Deinde iterùm imposuit manus super oculos eius. Repetit manuum impositionem, quo ex fidei, quam ante hauserat, gustu, hominem ad fidei incrementum paulatim prouehat, adeóque perfectè tandem illuminet.

D

Ipsum autem visionis incrementum & accessio id, quod modò dicebatur, nempe fidei incrementum & accessionem confirmat. Posteaquam enim dixerat, & cœpit videre, statim subiungit: restitutus est ita, vt clarè videret omnia: cùm externo nimirùm, tùm interno quoque animæ oculo. Quandoquidem Christus Dominus integrè, hoc est, secundum corpus & animam sanauit illum. Respexit itaque, & mentis, & corporis oculis clarè. Par est autem, vt nos quoque diuinorum Discipulorum Christi exemplo, Seruatori dicamus: *adauge nobis fidem.*

Christus Dominus cæcum integrè secũdum corpus & animam sanauit.

Vade in domum tuam: & si in vicum introieris, nemini dixeris. Quasi dicat: seruatus è Sodomis, ingressus es in monte Ecclesiæ; (hæc enim est domus tua) serua teipsum. Bethsaida autem, venatorum vicum, vel domum sonat: cuius incolæ fuêre indigni, qui admirabile illud opus viderent, vel audirent. Obserua itaque quod dico: ne denuò illuc ingrediaris, ne fortè captiuus in illorum voluntatem abripiare.

Bethsaida venationis domus.

C

Et in via interrogabat Discipulos suos, dicens eis: Quem me esse dicunt homines? Interrogabat, quod nôrat, quia ex responsione, quam daturi erant, aliquod operæ pretium colligere instituebat. Inter cætera enim interrogatione illâ effectum voluit, vt Discipuli rectiùs de ipso sentirent, & loquerentur, quàm cæteri opinatores.

Et quidem Petri, qui orthodoxè de illo senserat, confessionem probat: aliorum verò Apostolorum fidem, ex proprio eiusdem Petri testimonio confirmat: Ad cæteros autem quod attinet, omnes quidem per admirabilia opera quæ faciebat, in stuporem & admirationem rapit, at non omnes ad fidem quoque per hæc adducit. Sanè, quæ in omnium oculos incurrebant, ea, vt hominem esse arbitrarentur, compellebant: verum illustria illius opera, vt Ioannem, aut Ieremiam, aut vnum è Prophetis ex mortuis resurrexisse opinarentur, efficiebant.

Omnes quidem Christi opera & doctrinã mirãtur, sed non omnes credunt.

Cur in ipso statim orationis exordio, quid ipsi de illo sentirent, non percunctatur, sed primo omnium vulgi sententiam de se exquirit? Vt aliorum de ipso iudicia depromentes, posteáque, quid ipsimet de Christo statuerent, interrogati, per interrogationis modum, in sublimiorem sensum assurgerent, apud se decernentes: par non esse, vt ipsi æque abiectè & humiliter de illo iudicarent, atque cæteri mortalium. Propter hoc ipsum quoque non in ipso mox prædicationis initio, sententiam illorum exquirit, sed post multa demùm miracula & signa perfecta; multaque de rebus sublimibus, suáque Diuinitate vltrò citróque cum illis agitata & disputata.

E

Quem dicunt homines esse filium hominis? Christus Dominus œconomiam suam secundum carnem omnibus persuasam exploratamque cupiens, passim Filium hominis se vocat.

Vos verò, quem me esse dicitis? Quid ad hoc quæsitum Apostolorum os Petrus, qui nusquàm non feruidum sese declarat? Omnibus interrogatis, solus ipse, *Tu es Filius Dei viui, respondit.* Hunc locum Matthæus præsenti Euangelistâ accuratiùs exponit. Marcus namque, ne quid in Petri Magistri sui gratiam dicere videatur, compendio contentus, exactiorem historiæ explanationem prætermittit.

Apostolorum os Petrus.

F

Et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo. Matthæus hoc loco ita scribit: *& præcepit Discipulis suis, vt nemini dicerent, quià ipse esset Christus.* Voluit enim opinionem, quam de ipso habebant, adhuc tectam manere: quo Crucis passionisque scandalis è medio sublatis, puram tandem synceramque fidem illorum mentibus imprimat.

Et cœpit docere eos, quoniam oportet filium hominis pati. Posteaquam Diuinitaris suæ sensum illis impressit, doctrinam de Cruce & Passione mox subiungit. Sed neque hoc modo, quod dicebatur satis intelligebant. *Erat enim verbum istud*, vt Lucas scribit, *absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur, & quod eum oportebat resurgere. Et timebant eum interrogare*, non quidem essetne omninò moriturus, verùm quâ ratione, quóve modo futurum id erat. Neque enim quorsùm, quod de resurrectione dicebatur, tenderet, assequebantur. Ducebant namque satius esse, prorsùs non mori, quam mori iterumque resurgere. Aliis itaque omnibus perturbatis, & hæsitantibus, rursùm Petrus, tanquàm cæteris ardentior in medium prosilit, déque eo, quod quæstionem habebat, audenter inquirit.

Cap. 18.

G

Petrus cæteris Apostolis ardentior & audacior.

Vade retro me Sathana, quia non sapis, quæ Dei sunt. Et quidnam hoc est? illéne, qui diuinâ reuelatione paulò ante ditatus, felixque à Christo Domino prædicatus fuerat, tam citò prolabitur, & impingit? Verùm hoc mirum non est, siquidem nullam ille de Christi passione & Cruce notitiam è Cœlo acceperat. Christum Dei Filium esse, hoc ei diuinitùs patefactum fuerat: at verò Crucis Resurrectionis mysterium, ipsum adhuc fugiebat. *Erat enim*, vt Lucas ait, *verbum istud absconditum ab eis.* Dominus autem hoc loco clarè ostendit, tantùm abesse, vt inuitus ad Passionem veniat, vt Petrum, ne id fiat, dissuadentem palam quoque increpet, Sathanamque appellet.

Petrus Christi mortem ad Crucem calitùs non hauserat, sicut illam Diuinitatem.

H

Non sapis, quæ Dei sunt. Cur Dominus Petrum mortem sibi dissuadentem, tanta cum vehementia & grauitate increpat? neque enim Sathanam ex eo locutum dicit, sed ipsummet Petrum Sathanam vocat; Quia is indignum illud arbitrabatur, quod saluti nostræ quammaximè conueniebat. Christus igitur superuacaneam illius curam, & anxietatem comprimere volens, ait: *Vade post me*, &c. quasi dicat, tu indignum censes male me ab aduersariis tractari & pati, & tamen res ita se non habet.

Cur Christus Petrum vehementiùs increpat.

Vade post me Sathana. Ad Sathanam, cum IESVM in deserto tentaret, dictum non est: *Vade post me Sathana*, sed dictum est: *Vada Sathana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis*, &c. Ad Petrum verò, qui peccatis adhuc obstrictus erat, adeóque post IESVM non ibat, dicitur: *Vade post me Sathana, scandalum enim es mihi.* Quapropter si sancti IESVM ponè sequuntur, conse-

Matt. 4.

A quens fit, illos IESVM post terga reiicere, qui ab illo discedunt, eiuſdémque ſermones non audiunt. Petrus proinde à Christo audit: *Vade poſt me*, hoc eſt, ſequere me, neque voluntati meæ, quâ ſponte cruci me ſubmitto, in poſterum aduerſere, neque ſermones meos poſt tergum, vt in Pſalmis eſt, cum peccatoribus reiice.

Pſal. 49.

Si quis vult poſt me ſequi, deneget ſemetipſum, & tollat Crucem ſuam. Iſthæc huc tendunt: Tu Petre me pati volentem increpas, Ego autem dico tibi, non id tantùm in noxam & detrimentum tibi ceſſurum, ſi meum ſtudium impedire, meamque Crucem ægrè ferre pertexeris, verùm te quoque partem mecum non habiturum, niſi turè itidem crucem tuam tuleris, mortémque mei causâ oppetiueris. Et quia tantùm ea in re momenti poſitum eſt, vt vobis multis quidem partibus ſatiùs ſit mori, quàm non mori: hoc enim damni, illud vero lucri cauſam adiunctam habet, propterea non ad te Petrum tantùm, ſed ad vos omnes ſermonem dirigo.

Pro Christo mori lucrū non damnum.

Deus ad bona honeſta prouocat ne minem autem vi huc compellit.

B *Si quis vult me ſequi.* Non dicit: Et ſi vos non volueritis, ego nihilominùs pati vos volo, Sed quomodo? *ſi quis vult me ſequi?* quaſi dicat: Ad bona & honeſta prouoco non ad mala & otioſa: nec quamquam huc compello, ſed amicè tantùm inuito. Hæc autem dicens, magis attrahit: qui enim vim affert, decorum non ſeruat: qui autem auditori libertatem facit, validius allicit. Delinitio enim & obſequium quâuis violentiâ fortiora ſunt.

Obſequiū quàuis vi potētius.

Quid ſit ſe ipſum negare.

Deneget ſemetipſum. Et quidnam eſt, inquis, ſemetipſum denegare? Facili negotio, quid illud ſit, aſſequemur, ſi quid alterum negare ſit, exploratum habuerimus. Igitur qui alterum vel fratrem, vel famulum, vel aliâ quacumque neceſſitudine coniunctum negat, ſiue flagris illum concidi videat, ſiue perſecutionem pati, ſiue captiuum abduci, ſiue cum alio quocumque incommodo conflictari, quaſi prorsùs ab illo alienus ſit, neque quicquam commune cum eo habeat, non illi aſſiſtit, neque defendit, neque, quod ad ſe quidem attinet, quicquam omninò eius causâ ſuſtinet.

C Ad eum itaque modum Dominus nos erga corpus noſtrum affectos vult eſſe, quodcumque tandem illud patiatur. Non dixit autem ille, ne nimiùm ſibi indulgeat, aut ne carni ſuæ nimiùm parcat, ſed vehementiùs inſurgens, abneget, vel abiuret ſemetipſum inquit, hoc eſt, nihil cum ſeipſo, vel cum ſua carne commercij habeat; verùm ita ſe gerat, ac ſi non ipſe, ſed alius quiſpiam Crucem tolleret.

Dominus non quāuis ſed ſeriam mortificationem à nobis exigit

Homo Chriſtianus totâ vitâ crucem ferre debet.

Et tollat Crucem ſuam. Indicat per hæc, hominem Chriſtianum non quovis modo, aut gradu, ſeipſum abnegare debere, ſed vſque ad mortem, mortem autem Crucis: idque non ſemel, aut bis in vita tantum, ſed per totam vitam abſolutè fieri oportere.

Qui perdit animam propter Chriſtum, inuenit eā.

Et ſequatur me. Contingit enim non rarò aliquem grauia quædam perpeti, neque Chriſtum tamen ſequi, quia nimirùm non patitur propter Chriſtum.

Qui voluerit animam ſuam ſaluam facere, perdet eam. Quod dicit, eiuſmodi eſt: non duriter, ſed clementer &

D indulgenter vobiſcum agens, hæc præcipio: Nam qui puero plus ſatis indulget, perdit eum, qui autem peccanti non parcit, ſeruat eum.

Perdit puerum qui plus ſatis illi indulget.

Propter me & Euangelium. Quandoquidem dixerat, *qui voluerit animam ſuam ſaluam facere; perdet eam, qui autem perdiderit animam ſuam, &c.* ne hunc & illum interitum, hanc rursùm & illam ſalutem eiuſdem rationis eſſe arbitreris, verùm vt quantùm inter hunc & illum, hanc rursùm & illam intercedat, intelligas, addit: propter me, & Euangelium.

Nihil extra Deum animam beare poteſt.

Quid enim prodiderit homini? Monet per hæc animæ ſalutem extra Deum inſanabilem, omniquè interitu quodammodò peiorem eſſe: quippè cum nihil extra illam exiſtat, quod illam verè beare ac ſeruare queat. Neque mihi dixeris, quod à multis periculis illam aſſeruâris, aut magnam per eam, & propter eam opum vim congeſſeris: nam vt vniuerſum terrarum orbem in tuam poteſtatem redegiſſes, quid, quæſo, commodi inde referres, ſi animæ tuæ iacturam feciſſes? Neque enim aliam habes animam, per quam ſemel deperditam, redimere, aut recuperare

Cætera ſemel amiſſa recuperari poſſunt, anima nequaquam.

E valeas. Pecuniæ, domus, mancipia, aliaque eiuſmodi ſemel amiſſa, redintegrari poſſunt: at verò animæ ſuæ detrimentum ſemel paſſus, nullam reliquam habet animam, quam pro amiſſa impendat.

Et quid mirum, ſi res cum anima ita ſe habeat, cum ſimile quid etiam in corpore vſu venire ſoleat. Nam etſi innumeris diadematibus redimitus fueris, attamen ſi corpus ſuâ naturâ morbidum, aut immedicabiliter ægrum nactus ſis, non poteris hoc vitium emendare, etiamſi totum regnum inſumpſeris.

Qui me confeſſus fuerit. Non ſat eſt, ſi fidem animo retineas, aut corde tantùm credas, ſed opus eſt præterea confeſſione quæ fit ore: ſi quidem hanc Dominus à nobis depoſcit. Neque enim fruſtrà ſua nos gratiâ munit, verùm quo libero ore eum profiteamur, maiorémque dilectionis affectum in medium afferamus, adeóque illuſtriores hâc ratione euadamus.

Dominus cordis & oris confeſſionem à nobis exigit.

F *In generatione iſta adultera.* Quemadmodùm adultera eſt, & adultera appellatur, quæ, marito deſerto, alteri viro ſui copiam facit, ita anima, quæ Deum legitimum ſponſum ſuum deſerit, eiuſdémque præcepta non cuſtodit, adultera vocatur, atque peccatrix exiſtit. Qui ergo coram id genus hominibus dominatum meum negauerit, aut doctrinam Euangelicam palàm confeſſus non fuerit, is dignas olim impietatis ſuæ pœnas penſurus eſt: ſiquidem in ſecundo tremendóque illo aduentu audituus eſt: *Amen, amen dico vobis, neſcio vos.* Eapropter ſi quid boni hìc feceris, neque iuſtam tamen in hoc ſæculo mercedem receperis, ne conturberis.

Anima quæ Dei præcepta non obſeruat adultera eſt.

CAPVT IX.

ET *poſt dies ſex.* Lucas poſt octo dies, quæ ſequuntur, accidiſſe ſcribit; verùm hæc non pugnant, ſed oppidò inter ſe conſpirant. Quandoquidem Lucas diem, quo Dominus dixit: *ſunt quidam de hîc ſtantibus:* & illum rursùm, quo Petrum, Iacobum, & Ioannem ſecum aſſumpſit, cæteris connumerat. Marcus autem tantùm

G ſex illos, qui inter duos extremos interceſſerunt, percenſet.

Aſſumpſit Petrum, & Iacobum & Ioannem. Hi tres tanquàm Coryphæi, primas inter Apoſtolos obtinebant.

Et ducit illos in montem excelſum. Poterat ſanè in domo gloriam ſuam Diſcipulis patefacere, verum quod montis celſitudo, quandam cum maieſtatis illius celſitudine cognationem haberet, quos ſecum ex Diſcipulis aſſumpſit, in montem excelſum ſubduxit.

Cur Dominus in monte potiùs quā in domo trāsfiguratus ſit.

Seorſum ſolus. Quod tres illos ſolos ſeorsùm aſſumpſiſſe ſcribitur, illud Dominum, quæ acciderant, per id tempus inuulgari noluiſſe, myſticè deſignat.

Et transfiguratus eſt coram ipſis. Transfiguratio, de qua hîc agitur, ſecundum quendam externum fulgorem facta eſt. Nam vt Matthæus narrat: *Facies eius reſplenduit vt Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix.* Vt Lucas autem habet: *Species vultus eius facta eſt altera, & veſtitus eius albus & refulgens.* Hinc tamen inferre non licet, aliquam naturalis formæ mutationem in cœleſti illo

Cur Dominus tres tantum ſuæ trāſfigurationi adhibuerit

H regno olim futuram. Vt enim Chriſti effigies ſecundum ſe non eſt immutata, ſed tantùm illuſtrata: ita nec iuſti quoque, qui corpori claritatis illius conformabuntur, ſecundum formam mutabuntur, ſed illorum tantùm corpora quandam ſplendoris, & lucis acceſſionem acceptura ſunt. Quem quidem ſplendorem lucíſve acceſſionem Apoſtolus Paulus mutationem, Euangeliſtæ autem transfigurationem vocant.

Cap. 18.

1. Cor. 15.

Et apparuit illis Elias cum Moyſe. Cur Moyſes & Elias præ cæteris in medium prodeunt? Plures huius rei cauſæ aſſignari ſolent, nobis vnam, aut alteram attigiſſe ſat ſit. Primo ergo hoc facto illorum opinio refutabatur, qui Chriſtum Eliam, aut Ieremiam, aut vnum ex Prophetis eſſe exiſtimabant. Siſtuntur hîc enim duo cæteris illuſtriores, qui ita cum Domino differunt, vt cuiuis audienti facilè hinc diſcere licuerit, tantùm inter hunc & illos interceſſiſſe, quantùm inter ſeruos & Dominum ſolet. Mox verò planum ex hoc myſterio euaſit, Apoſtolum

Plures cauſæ cur Elias & Moyſes præ cæteris in Chriſti transfiguratione apparuerint.

Petrum

A

Moyses & Elias differunt cũ Christo tanquàm serui cũ Domino. Ioan.9.

Petrum rectè laudatum, quod Christum Dei viui filium esse confessus fuerat. Postremò autem delectus hic personarum, propter Iudæos habitus dici potest: siquidem insimulabant illi Christum Seruatorem tanquàm legis transgressorem, aiebant namque: *non est hic homo ex Deo, qui Sabbatum non custodit*, & alia id genus complura.

Vt ergo ab eiusmodi criminibus se prorsùs alienum ostendat, claréque, quod faciebat, legis sanctimoniæ non aduersari, neque quod Patri æqualem seipsum prædicabat, temerariam indebitæ, hoc est, in se conuenientis gloriæ vsurpationem esse doceat, ob id illos quasi testes in medium adducit, qui in vtroque genere cæteris excellentiores erant. Quandoquidem Moyses legem promulgauerat, seuerissiméque in legis transgressores animaduertere solitus erat. Cum is ergo talis esset, nunquam tantâ humilitate Christum obseruasset & adorasset, si ille studio legem calcasset, ipsique Legislatori manifestum aduersarium se declarasset. Elias autem pro Dei honore & gloria magno vbique zelo decertabat. Quamobtem si Christus Dominus cum Deo pugnasset, seséque Deum Patríque æqualem falsò asseruisset, Propheta Elias nequaquàm familiariter se illi adiunxisset: Sed neque conuenienter quoque id facere potuisset.

B

Cur Dominus transfigurationem suã ante resurrectionem noluerit manifestari.

Et præcepit illis, ne cuiquam, quod vidissent narrarent, nisi cum Filius hominis à mortuis resurrexerit. Silentium indidit: nam quo Apostoli plura, maioraque de illo sparsissent, eo res apud turbas incredibilior visa fuisset, scandalúmque, quod ex cruce posteà ortum est, latiùs se diffudisset. Ob id ergo, quæ viderant silentio tegere mandat. Neque hoc tantùm, verum passionis quoque mentionem orationi interserit, causam obliquè pandens, cur Transfigurationis Sacramentum tantisper tacitum habere, nullique omninò patefacere iusserit, dum à mortuis resurgeret. Ad hæc quod difficultatem, mœrorémque ciere poterat, puta crucem & mortem, reticens, dulce tantùm propinat. Illi verò, quod de resurrectione proposuerat, non intelligentes, rem quidem taceri iussam, apud se continuere, at verò quorsùm, quod de resurrectione ex mortuis dixerat, spectaret, id seriò inter se disquisiuerunt.

C

Quid ergo Pharisæi dicunt? Quomodo, quæ hoc loco dicuntur, inter se cohæreant paucis expandamus. Cum ergo Christi Discipuli in monte adhuc essent, Dominique transfigurationem coram conspexissent, & regni illius nonnullum iam iustum hausissent, de eo illum consuluerunt, quod Scribæ & Pharisæi de Eliæ aduentu frequenter familiariterque in ore habebant. Dominus autem consultus, Prophetæ oraculum non infirmat; sed confirmat: ait enim, *Elias veniet & restituet omnia.* Rursùm illi, Quomodo Filium Hominis multa perpessurum scriptum est? ad hoc autem Christus: Quemadmodùm Ioannes in similitudinem Eliæ veniens, dura admodùm pertulit, ita Filium hominis quoq; secundum quod scriptum est, dura perpeti necessum est.

D

Veniens ad discipulos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes. Cur Scribæ & Pharisæi cum nouem illis Discipulis, quos Dominus secum in montem non assumpserat, disputationem instituunt; Occasione ex Christi Seruatoris absentia capta, eos dolo se capere, & circumuenire posse arbitrabantur.

Turba erga Christũ bene affecta.

At verò Dominum repentè conspicati, aut non illi, (erant enim qui Iesum contemplarentur indigni) sed plebei, viso illo inexpectato in admirationem ipsos abripiente, vniuersi mox in stuporem versi sunt. Statim proinde, qui de turba erant, accurrunt, venientémque blandâ salutatione excipiunt: Nam cum hi ab omni praua affectione essent alieni, perpetuò cum illo agere gestiebant.

Magister attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum. Scripturæ huius contextus hominem, de quo hic sermo, infirmæ admodùm fidei extitisse ostendit, idque pluribus argumentis ex hoc ipso loco petitis confirmari potest. Primò ex eo, quod Dominus ait: *O generatio incredula.* Item: *Si potestis credere, omnia possibilia sunt credenti.* Mox ex eo, quod cum lachrymis ad Christum accedens, *Adiuua Domine incredulitatem meam*, dixerit. Tertio ex eo, quod dæmonio, ne denuò in eum ingrediatur, dominus imperat. Quarto & postremo ex eo, quod ad Seruatorem dicit: *Si quid potes, adiuua nos, nostri misertus.* Quare incredulitas illius præcipuè in causa fuit, quod dæmon ad Apostolorum vocem loco cedere noluerit.

E

Supra ob positum visus est docere, verum ibi erat sermo de ordinario, hic verò de extraordinario.

Dicis: si res ita habet, cur ergo Dominus Apostolos oblique incusat? Ostendere voluit, nonnunquam etiam citra offerentium fidem, ægris quibusdam sanitatem obtingere posse. Nam vt sola illorum fides qui deferunt vel petunt, sæpenumero satis est, ad obtinendum sanitatis beneficium ab eo, qui per se alioqui debilior erat, quam vt miraculum patraret, ita versâ vice sola patrantium virtus, per se interdùm satis est ad edendum signum in eos, qui citra fidem accedunt, vel offerunt.

F

Magister dixi discipulis tuis, vt eiicerent illum, & non potuerunt. Disce hinc quasi ex alio rursùm capite hominis huius ingratitudinem & iniquitatem: neque enim seorsum, & secreto, sed tota turba præsente & audiente Christum Dominum aduersus Apostolos interpellat: *Obtuli illum*, inquit, *Discipulis tuis, & non potuerunt eum sanare.* Verum Dominus defectus huius causâ maiorem partem in illum translata, Apostolos ab hac accusatione coram omnibus absoluit.

O generatio incredula & peruersa, quandiu apud vos ero, quandiu vos patiar: Ne hominem ad desperationem adigat non in illius solam personam orationis neruum intendit, sed generatim omnes Iudæos incredulitatis perstringit. Probabile fit enim, multos ex præsentibus, ob Apostolorum imbecillitatem offensos, ea de illis cogitasse, quæ non satis conueniebant. Cum autem dicit? *quamdiu apud vos ero?* insinuat rursùm mortis decretum à se transferri omnino non posse. Tum molestius quodammodo sibi esse diutius cum eis versari, quam in crucem agi. Veruntamen ad apertam criminationem non processit, sed dixit.

G

Cur Dominus passus sit dæmonio agitari & elidi & conturbari.

Afferte illum ad me. Inter accedendum, vt diabolus illum conturbaret, vel vt Lucas habet, elideret & dissiparet, permisit. Hoc autem non ad ostentationem, sed ob ægri pueri parentem, nempe, vt animaduerso, diabolum ex eo solo conturbari, quod illum accersebat, ad futuri miraculi fidem excitet.

Christus Dominus potentiã suã modestè declarat, Fide ornati magna possunt.

Et interrogauit Patrẽ eius, quantùm temporis est, &c. Seruatore interrogante quanto tempore puer dæmonis vim passus esset, respondit pater, ab infantia, periculúmque esse, ne illum quandoque interimat. Addit his autem vocem planè incredulam, nimirùm hanc: *Si quid potes adiuua nos, nostri misertus.* Dominus verò non absque decenti modestia & mansuetudine, quid posset declarans, ait: *Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.* Non dixit: mihi possibilia sunt omnia, sed credenti possibilia sunt omnia. Significat per hoc autem, qui syncera incorruptaque in Christum fide ornati sunt: eos nihil non posse. Ægri proinde genitorem ad fidei lumen excitans, credenti omnia possibilia dicit. At vide, quomodo is euidentius adhuc suam incredulitatem prodat, ait namque.

H

Est fides inchoata, est & cõsummata. Luc.17.

Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Atqui si credebat, vt se credere aiebat, qua ratione *adiuua Domine incredulitatem meam*, dicit? Non vnius rationis est fides: Est enim fides inchoata, est rursum consummata. Exorsus igitur credere, vt dominus virtute sua, quod deerat, adiiceret, opus habebat. Sic discipuli quoque ad Seruatorem aiebant: *Adauge nobis fidem.*

Christus Dominus, quo se suam quæ virtutem patefaceret, in mundum venerat.

Et cum vidisset Iesvs *concurrentem turbam.* Ad spectaculum, de quo hic tractatur, magna mox mortalium turba confluebat. Hanc autem cum Seruator concurrentem, adeóque præstandæ sanitatis ansam non vulgarem sibi oblatam animaduertisset, immundo spiritui, vt Euangelista scribit, comminatus est. Ea autem benignè faciendi ansa, sui apud turbam, quæ confluxerat, patefactio erat. Nam quo hominibus, pro cuiusque conditione, & necessitate seipsum patefaceret, Christus Serua-

A toт in hunc mundum veneтат. Deinde vero præcepti sui vim ostendens, mutum & surdum spiritum ita alloquitur.

Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Quod autem, *Ego præcipio tibi,* dicit: id diuinæ virtutis energiam, etiamsi humana fides non adsit, arguit. Quod porro addit: *Exi ab eo, & amplius ne introeas in eum,* indicium facit, facilè altera rursum vice, dæmonem in illum, qui fide satis munitus non erat, ingredi potuisse, nisi Domini præceptum, ne id fieret, impediuisset. Quandoquidem hoc ipso etiam vrgente, dæmonium absque difficultate, & tergiuersatione abscedebat. Nam, & vociferabatur, & hominem in quo erat, discerpebat, & tandem decedere coactum, mortuo similem desetebat, ita vt plerique omnes iam extinctum existimarent

Dæmon ab homine, quem semel occupauit ægrè cedit.

IESVS *autem tenens manum eius, eleuauit eum, & surrexit.* IESVS, inquit, Euangelista, erexit eum, erectusque in

B pedes mox constitit. Neque enim malignus spiritus, vita præsente, ægrum in mortem deiicere poterat. Exiuit ergo nullâ amplius redeundi potestate retentâ. Quam quidem rem Matthæus his verbis insinuat: *Et curatus est puer ex illa hora.*

Et cum introisset in domum, discipuli eius secreto interrogabant eum. Videntur Apostoli anxij fuisse, ne fortè gratiæ, quæ illis concredita erat, iacturam fecissent, acceperant enim potestatem contra immundos spiritus Quare rubore posito, & causam intertogant, & seorsum illum compellant. Quid verò ad hæc Christus?

Hoc genus in nullo potest eiici, nisi in oratione & ieiunio. Per duo hæc, asserit Dominus, omne dæmoniorum genus profligari posse. Discis hinc autem, quomodo Christus Seruator noster doctrinam de ieiunio proponat, eiusdemque necessitatem & vsum tacitè insinuet. Neque mihi hic nunc paucorum quorumdam, qui, citra ieiunium dæmonia eiecerunt, exemplum opponas, Nam etsi

C de vno forsan aut altero malignos dæmones increpante & profligante, verè istud asseri queat? attamen dæmonum vim patientes, simulque gulæ & carnis voluptatibus operam dantes, citra ieiunium, ab ea insania quandoque liberari, quodammodo impossibile est. Quem enim gulæ dæmonium sauciauit, illum ieiunij & abstinentiæ pharmacum sanet oportet.

Christus Dominus doctrinã de ieiunio eiusdemque necessitate tradit.

Quem gula sauciauit, abstinentia sanet oportet.

Docebat autem discipulos suos, & dicebat illis. Quoniam Filius hominis tradetur &c. Quandocumque Christus Dominus, de sua morte, & Cruce verba facit, statim miraculum aliquod adiungit. Et quidem ante, & post traditam doctrinam, non rarò hoc facit, prout multis passim locis obseruare id licet. *Et inde,* scribit Matthæus, *cœpit* IESVS *ostendere discipulis suis quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati, &c.* Tunc inquam quando Apostoli illum Christum, & Dei Filium esse confessi sunt.

Christus Dominus doctrinæ de morte & cruce miracula plerumque addit. Cap. 6.

Mat. 17.

Rursum quando admirabilem vultus sui splendorem discipulis in monte ostendit, deque singulari illius gloria & maiestate vterque Propheta prolixè disseruit, suæ

D iterum perpessionis & mortis mentionem intulit. Etenim vt primum transfigurationis historiam Euangelista absoluerat, statim subiunxit: *Et cœpit docere eos, quoniam oporteret Filium hominis multa pati.* Tandem posteaquam hoc loco obstinatum dæmonem, quem discipuli eiicere non valebant, expulerat, illico, quæ hic modo citata sunt, subnectit. Faciebat hoc autem, quo miraculorum magnitudine, mœstitiæ quam de morte illius conceperant, magnitudinem nonnihil diminueret, & mitigaret.

Et timebant interrogare eum. Christum Dominum istiusmodi de sua morte & resurrectione prædicantem audientes, quorsum ea prædicatione tendat, non intertogant: siue quod nimia animi tristitia pressi non possent, siue etiam, quod metu impediti, non auderent. Sæpè enim cum nolle ipsum disertis verbis aliquid exponere animaduerrunt, silent omnino. Quin Lucas quoque de hac re ita scribit: *At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, vt non sentirent illud: & timebant illum interrogare de hoc verbo,*

Apostoli quæ Christum dicere nolle intelligebant,

E *Et venerunt Capharnaum, Qui cum Domi esset, interrogabat eos Quid in via tractabatis?* Christo Domino de Cruce & morte sua verba ad discipulos suos faciente, cogitatio, vt Lucas narrat, intrauit in eos, quis eorũ maior videretur. Vt autem Marcus habet, in via ea de re inter se disceptauerãt. Dominus ergo, vt Marcus & Lucas exponunt, occasione ex propria illorum cogitatione & disceptatione sumpta, quid per viam inter se contulissent, interrogat. Matthæus autem, quod is narrationem ab exordio non auspicetur, notitiam, quam Seruator de illorum cogitatis dictisque habebat, reticet: Inducit autem quæstionem, quam ipsimet discipuli Christo proposuere, doctrinamque inde enatam: Siquidem de primatu ad hunc modum quæsiuisse scribit.

Tentare nõ interrogabãt. Cap. 9.

In illa hora accesserunt discipuli ad IESVM, *dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum?* Nam cum certò illis persuasum esset, omnia tam ea videlicet, quæ cogitarant, quam ea rursum, quæ seorsum inter se disseruerant, Domino manifesta esse, de cogitatis æquè, ac de disputatis sententiam illius exquirunt. Apostoli proinde, bonum fortassis, & licitum hoc esse rati, primatum adeoque honoris prærogatiuam ambiunt. Nam, vt quisque maior & illustrior est, ita maiorum quoque honorum cupidus est. Sed quid ad hæc vota Dominus.

Matt. 18

F

Vt quisque maior, ita maiorũ honorum cupidus est.

Si quis vult primus esse. Vos, inquit, quis vestrum maior futurus sit, inter vos disceptatis, deque primatu litem fecitis. Ego autem dico vobis, qui omnium humillimus non fuerit, atque ita omnium infimum se non iudicauerit, eum ne cœli quidem ingressu dignatum iri, nedum primatum in regno meo obtenturum. Deinde verò exemplo ad rem admodum opportuno vsus, innoxium puerulum in medium adducit, eundemque ob oculos illis constituit: quo nimirum illius candore & innocentia admoniti, instar puerorum humiles & candidi, necnon ab omni fuco & fastu studeant esse alieni. Etenim pueri ab inuidia, omnique superbia, & vana gloria sunt vacui, & ab omni nihilominus primatus ambitione procul positi. At verò animi candore, & simplicitate, quæ virtutum omnium fundamentum, & quasi princeps est, ad vnum omnes excellenter sunt ornati.

Quisque in terris magis se submiserit, eo sublimiorem locum sortietur in cœlis. Pueri ab inuidia & fastu

G

alieni. Pueri candore & simplicitate ornati.

Quisquis vnum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo &c. Non solum, ait, si vos ita comparati fueritis, magnam mercedem referetis, verum etiam si alios, ea mente præditos, mei causa in honore habueritis, eo, quo illos honore & loco, vos quoque habebo, hoc est, cœleste regnum æque vobis, atque illis præstabo: vsque adeo candor, animique simplicitas, & humilitas me oblectant. Neque tamen simpliciter, & in omnibus pueros nos vult esse, sed tantum secundum innocentiam & animi submissionem, aliaque, quæ cum his affinitatem habent, notum est enim illud Apostoli: *Nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote: sensibus autem perfecti estote.*

Nihil ajt Deũ oblectat atque animi humilitas, candor & simplicitas

H

Deus re in omnib vult nos pueros esse.

1. Cor. 14.

Qui ergo eiusmodi paruulos, propter Christum recipit, neque aliud hic, quam Christum spectauerit, is Christum ipsum recipit. Quemadmodum idem rursum Apostolus ad Galatas scribens, testatur. *Sicut,* ait, *Angelum Dei accepistis me: sicut Christum* IESVM. Per Christum autem ipse etiam Pater hospitio suscipitur. *Quicumque,* ait Dominus, *me receperit, recepit eum, qui misit me.* Is proinde maior existit, qui ita se gerit, vt, qui Filium & Patrem suscipiat, idoneus habeatur.

Cap. 4.

Qui Christum recipit, patrem illius recipit.

Magister vidimus quemdam in nomine tuo eijcientem dæmonia &c. Non inuidia, non praua aliqua æmulatione percitus, tonitrui filius hæc aiebat, verum omnes, qui Christi nomen inuocabant, Christum itidem sequi vnàque Christum cum discipulis ætatem agere debere persuasum habebant. Cuiusmodi autem erat is, de quo Ioannes hæc dicit? Breuiter respondere hic licet, multos in Christum alioquin non credentes, apud Iudæos extitisse, qui istiusmodi gratias, & prærogatiuas acceperant. Qualis erat is, de quo hoc loco sermo est: hic enim dæmonia eiiciebat, neque tamen cum Christo viuebat. Talis quoque erat Iudas Ischariotes, nam etsi ille nequam esset, soloque

Luc. 9.

Apud Iudæos cõplures miraculorum donũ ornati. Iudæi Christũ solo certe sequebatur.

A soloque corpore Christum sequeretur, miraculorum tamen gratia ornatus erat.

Quin in veteri Testamento comperti sunt quoque, indigni alioqui, qui ad aliorum vtilitatem, eiusmodi gratia pollerent. Quia ergo non omnes æque apti ad omnia erant, neque parium virtutum, eiusdemque animi omnes, verum alij vitæ integritate, alij excellentis fidei dono præstabant, propterea illos quidem, vt magnum fidei studium ostendant, hortatur: hos verò, vt propter illustrem fidei gratiam, ad integriorem vitæ rationem contendant, admonet. In summa Christus Dominus neminem ab se repellebat, verum omnes ad gratiæ suæ communionem clementer inuitabat.

Christus neminem à sua gratia communione exclu-debat, sed omnes huc clementer inuitabat.

Nolite prohibere eum. Ne prohibeatis eum, inquit Saluator, vel hac ratione ad virtutum incrementum, animique perfectionem contendere. Nemo enim ex illis qui virtutes & signa in nomine meo edunt malè de me loqui facilè poterit. Addit hoc ob eos fortassis, qui postea in profanas hæreses prolapsi sunt. Ex quorum numero erat Simon Magus, Menander item, & Cerinthus, B pluresque illius farinæ alij. Fieri nihilominus potest, ne hosce quidem vera in Christi nomine miracula patrasse, sed quibusdam tantum præstigiis & imposturis mortalium mentibus illusisse. Quamuis ergo illi nos non sequantur, ait Christus, neque illorum opera ex viua fide oriantur, attamen non facilè aliquid mali aduersum nos dicturi, aut molituri sunt, quippe qui de virtutibus quas in nomine meo faciunt, gloriari, seseque iactare soliti sint.

Nō potest idē Christum ex animo inuocare, & malè de illo sentire, aut loqui. Hæretici præstigia & imposturas pro veris miraculis plerūque obtrudūt.

Qui enim non est aduersus nos, pro nobis est. Istæc illis non sunt aduersa, quæ alibi dicit, nempe: *Qui non est mecum, contra me est.* Illud namque de dæmonibus dictum est, hi enim omnes omnino homines, à Deo auertere, totumque eiusdem cœtum seducere, & dissipare tota vi nituntur.

Quisquis potum dederit vobis, calicem aquæ frigidæ in nomine meo, &c. Non eos tantùm, qui me inuocant, virtutesque in nomine meo patrant, ait Dominus, comple-C ctor, ideoque tales prohiberi nolo, verum illorum quoque studium laudo, qui vos recipiunt, aliisque quæ largiantur, destituti, calicem tantum aquæ frigidæ in nomine meo porrigunt. Nam hoc ipsum quoque ex quodam liberali, & ingenuo animo proficiscitur. Addit hoc autem propter eos, qui, ne aliis benignè faciant, rerum inopiam callidè obtendunt. Nequis ergo paupertatem prætexat, illos etiam, qui aquæ duntaxat frigidæ poculum obtulerint: vbi aliud, quod offerri possit, ad manum non fuerit, sua mercede haud frustratum iri promitti. Interim per hæc tenuia, ad opera excellentiora, magisque perfecta omnes exhortatur.

Luc. 11. Dæmones tota vi homines à Deo auertere contendunt. Per tali cem aquæ frigidæ Dominus ad eleemosynarū studium excitat & ad re liora opera inuitat.

Et quisquis scandalizauerit vnum, ex his pusillis, &c. Quo orationem reddat efficaciorem, magisque acceptam, non tantum per præmia, quæ pollicetur, exacuit illam Dominus, verumetiam per supplicia, quæ interminatur. Vt antè igitur cœleste regnum illis promiserat, qui propter se Apostolos in honore haberent, ita iis D nunc vltimum supplicium denunciat, qui probris & maledictis illos onerant. Illud enim scandali, hoc est, offensionis, vel supplantationis vocabulo hoc loco denotatur.

Quid scandali nomine designetur. Marc. 9.

Neque verò supplicium illud ex se, vel ipsâ rei naturâ definit, sed ex rebus terribilibus, quæ apud nos in vsu positæ sunt: vt hâc nimirùm ratione illius magnitudinem efficaciùs exprimat, clariúsque ob oculos ponat. Cum enim Dominus quempiam acriùs perstringere, vel altiùs aliquid pectoribus vult imprimere, exempla plerumque ab iis petita, quæ sub sensum cadunt, in medium adducit. Cum hoc ergo loco grauissimas illas pœnas daturos ostendere instituisset, qui paruulos offendunt, demersionem, saxúmque molare in exemplum proponit. Non dicit autem, mola asinaria ad collum illius suspendetur, verùm satiùs fore, supplicium illud hic subire, quàm tormenta perferre, quæ in altero sæculo in tales constituta sunt. Subindicat per hæc autem, cruciatus multis partibus maiores illic, quàm hîc in improbos & sceleratos homines desæuire.

Cur Dominus exemplis, à rebus quæ sub sensu cadunt petitis non-nūquàm vtatur.

Qui scandalizauerit vnum ex his pusillis.

E Pusilli imprimis dicuntur, qui in illum credunt: Tum illi rursùm, qui nomen illius inuocant, esto, eum non sequantur: Tum illi tandem, qui aliud nihil valentes, aquæ tantùm frigidæ poculum, propter nomen illius offerunt. Eiusmodi ergo nemo scandalizare, nemo offendere, nemo supplantare audeat.

Qui... tantur pusilli Euang lio.

Et si scandalizauerit te manus tua, &c.

Non de corporis membris hæc tradit, absit, sed de amicis: Siquidem hos necessariorum membrorum locò habemus. Nihil enim æque exitiale, nihil æquè noxium est, atque prauorum hominum consuetudo. Nam quicquid vis, aut necessitas potest, hoc ipsum quoque valet amicitia, & familiaritas, idque tam in rebus turpibus, & flagitiosis, quàm in honestis & salutaribus. Ea propter Dominus magna cum seueritate; illos omnes abscindere, missósque facere iubet, qui animos nostros lædere, pestémque aliquam spiritalem eisdem affricare F nati sunt. Porrò autem vt grauia illis interminatur; qui scandalum offerunt: ita eos, qui ex aliorum consortio facilè offendi, aut lædi poterant, grauiter admonet, vt studiosè eos omnes deuitent, diligentérque obseruent, qui scandala seminare soliti sunt, etiamsi einsmodi sint familiarissimi, summaque necessitudine coniuncti. Nam etsi talium abscissio, membrorum truncationem æmuletur, attamen satiùs est hanc pœnam tolerare, quàm propositam perditionem adire.

Per m... bra c... poris s... daliza... tia qu... designatur. Nihil æquè n... xium a... que p... uorum homin... consue... do.

Vbi vermis eorum non moritur; &c. Affert in rei huius argumentum Isaiæ Prophetæ oraculum, quo impiorum vermem, nunquam intermoriturum prædicatur. Omni enim supplicio grauius est, immortalem illum vermem perpetuò, citra vllam prorsùs intermissionem, auidè vorantem, diréque corrodentem circumferre. Designatur autem hoc vermis nomine, impura sceleratáque conscientia: Siquidem vna hæc animam peccatricem, nulliúsque boni sibi conscium, inutilis pœnitentiæ aculeis instar edacis vermis, continuò pungit & rodit.

Qui... vermis nomine significatur in scriptu ris.

G Vnusquilibet ergo sceleratorum, sui ipsius accusator erit. Etenim dum ea secum perpendet animóque iugiter reuoluet, quæ in mortali hac vita improbè gessit, vel inuitus se reum confiteri compelletur, propriæ nimitùm conscientiæ stimulis actus, eiusdémque contra se testimonio apertè conuictus. Ad hunc itaque sensum peccatorum vermis immortalis dicitur: neque enim, quæ de vermi hic disputantur, ad sensilem aliquem vermem, qui impiorum corda apud inferos rodat, transferenda sunt.

Vnusquilibet sceleratus apud i... feros s... ipsius a... cusator est. Qua... impiorum verme... dicunt... ad sen... lem ve... m trans... ferri... queunt.

Et ignis eorum non extinguitur. Vt ignis, qui peccatores incendit, alibi æternus, ita hoc loco inextinguibilis appellatur. Sunt autem qui per inextinctum hunc ignem, pollutæ improbæque conscientiæ iudicium, & æstimationem designatam putent. Quandoquidem iudicium illud, per & propter immortalem vermem, instar æstuantis in impiis vsque grassatur, flammæque more viscera illorum perpetuò depascitur.

Quid ... notetur per ine... tinguib... lē igne...

H *Omnis enim ignis salietur? & omnis victima sale condietur.* Cognatum est huic illud Paulinum: *Vniuscuiusque opus quale sit*, ait ille, *ignis probabit.* Est autem præsens hic locus, ex illo Leuitici petitus: *Quicquid obtuleris sacrificij, sale condies.* rursùm: *In omni oblatione offeres sal.* Obseruamus autem præceptum hoc secundum mysticum sensum, legémque spiritus, si omni dono sacrificij nostri, quod plurimùm per orationem exhibetur, aliud donum, quod in vsum proximi cedat, hoc est, eleemosynam adiunxerimus, vt hâc nimirùm ratione, gratiam in conspectu Domini inueniamus. Dicimur rursùm sacrificij nostri munera sale condire, si iuxta diuinarum literarum præscriptum, Deo illa litauerimus & obtulerimus: vniuscuiusque proindè opus, hic quidem sale, ibi verò igne salitur. Quod si verò sacrificium nostrum hîc quoque igne condiendum est, diuino illo cœlestique igne, quem Dominus in terram mittere venerat, condiatur: ita vt iuxta Pauli doctrinam, spiritu posthac feruentes simus. *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.* Ecquidnam,

1. Cor. Cap. 2.

Quo ... su... omn... victim... nostra... le cen... dienda...

Luc. Rom.

A In ascet. Marc. 9.

nam, inquit Basilius, est sal quod Dominus hoc loco vnumquemlibet habere praecipit, dicens: *Habete in vobis sal, & pacem habete inter nos?* Ecquid rursùm Apostolus vult, dum ait: *Sermo vester semper in gratia sale sit conditus?* Plana horum sententia ex iis colligenda & statuenda est, quae hisce vtrobique adiunguntur. Domini itaque verbis docemur, ne quam vnquam mutuae auersionis, aut dissidij materiam subministremus, verùm vt spiritus vnitatem in vinculo pacis perpetuò indiuulsam conseruare studeamus. Per Apostoli autem verba, vnusquilibet nostrûm dicti illius admonetur: Num quis panem manducare potest absque sale? Num quis sapor in verbis inanibus inesse potest? Admonemur per haec, inquam, vti orationem nostram ad fidei aedificationem, hoc est, eo modo & ratione instituamus, vt gratiam apud eos, qui audiunt, conciliet, intérque loquendum, tempus opportunum, ordinémque compositum, & ad fidem auditoribus faciendam idoneum, obseruemus.

Collo. 4. *Quomodo sermo noster secundum Apostolum, sale debeat esse conditus.*

B

CAPVT X.

ET *inde exurgens venit in fines Iudaeae.* Cum Dominus ob Iudaeorum inuidiam, principúmque terrae abalienationem, Iudaeam antea saepiùs deseruisset, nunc denuò illam repetit: Siquidem crucis, & perpessionis tempus iam aduentabat: Interim non ascendit Hierosolymam, sed intra regionis terminos sese continet. Venienti autem rursùm occurrunt turbae, quas ille more suo iterùm instituit, nec non à morbis, vt Matthaeus habet, quibus tenebantur, liberos asserit. Contulit autem illis geminam sanitatem, corporis vnam, animae alteram: Hanc quidem per doctrinam, illam verò per Diuinam virtutem. Caeterùm corporalium infirmitatum profligatio, non iis modò, qui sanabantur, in diuinae cogitationis materiam cedebat, sed aliis quoque. At non ita Pharisaeis; illi enim per hoc ipsum magis incendebantur, multoque efferatiores efficiebantur.

Christus Redemptor à duplici morbo Iudaeos sanat. Christi miracula aliis cedebant C *in salutem, aliis in mortem.*

Et accedentes Pharisaei interrogabant eum: Si licet viro vxorem dimittere? O caecitatem! O amentiam! homines insani illi os per quaestiunculas nescio quas se obstruere posse arbitrantur, cuius inuictam virtutem & sapientiam toties iam ante experti fuerant: vt cum multa de Sabbati obseruatione cum illo disceptantes, inter caetera aiebant, blasphemat. Rursùm cum impuro impudentique ore daemonium habere eructabant. Tandem cum discipulis illius, quod Sabbato iter per sata facientes, spicas vellerent, illotísque manibus cibum caperent, insultabant. Cum, inquam, hisce locis, & alibi frequenter, os illorum semper obstruxisset, adhuc tamen quaeritandi, & tentandi finem non faciebant, vsque adeò saeuum, & indomitum malum est malitia & inuidia.

Pharisaei saepius experti inuicta Christi virtutem & sapientiam ad huc tentandi & interrogandi finem non faciunt. Saeuum & indomitum malum inuidia.

Interrogabant eum, si licet viro vxorem dimittere. Ecquid ad haec Dominus? Neque semper tacet, ne machinationum, & consiliorum illorum ignarus videatur, neque semper rursùm eos reprehendit, vt per hoc, omnia miti patientique animo perferenda esse nos doceat. Interrogatus ergo, vxorémne dimittere fas esset, non statim id fas non esse respondet: ne tumultus, aut conturbationis cuiuspiam causam offerat, verum prudenti interrogatione de legis decreto, illorum sententiam primò explorat, vt per anticipationem hoc illi respondere compellantur, quod ipsum alioqui respondere oportuisset.

D *Christus ad interrogata neque semper respondet, neque semper tacet & cur istuc.*

Quia verò Propheta Malachias ad hoc quaesitum tacitè iam responderat; siquidem illos, qui vxores suas temerè dimittebant, increpans, ita scriptum reliquerat: *Vxorem pubertatis tuae ne deseras, fuit enim socia tua, & vxor foederis tui, &c.* Ob id problema hoc tanquàm omninò insolubile illi proponunt, eo nimirùm quod Prophetae oraculum legi, quae ea de re cauerat, videretur planè aduersum. Verùm Dominus Seruator noster ea sapientia respondet, vt neque Prophetae dictum infirmet, neque legem tamen vllius omninò iniquitatis incuset, ait autem:

Malac. 2. *Christus Dominus Malachiam & Moysen admirabili sapientia conciliat.*

E *Christus Dominus Moysi legem ab omni iniquitate vindicat*

Moyses ad duritiam cordis vestri, scripsit vobis praeceptum illud. Enimuerò cum ipsemet legem per Moysem tulisset, par non erat, vt in vlla omninò accusatione eam haerere sineret. Vindicat ergo illam ab omni noxa & crimine, cauillationisque illorum caput penitus eneruat, id quod alias vbique facere consueuerat. At verò quod datum responsum, aliquantò durius videri poterat, (quandoquidem tetram pernicaciae notam illis inurebat,) proptereà orationem ad primaeuam legem statim conuertit, dicit autem:

Ab initio creaturae masculum & foeminam fecit eos Deus. Quasi dicat: Deus iam inde ab initio legem ab hac planè diuersam sanxit. Neque enim cauillari hic possent, & quaerere: Vnde constat, Moysem ob cordis nostri duritiem repudij libellum permisisse? ipsa primaeua coniugij, generísque nostri institutione, os illis obstruit. Quae enim dicit, huc tendunt: si repudij lex vtilis & salutaris esset, illa vtique à principio lata fuisset, neque Deus genus nostrum ad eum modum formasset, & instituisset, quando illud primò formauit, & instituit: Neque ea etiam, quae tum dixit, vtique dicturus erat.

Lex repugnat F *primae coniugij & generis nostri institutioni*

Aduerte autem, Christum Seruatorem rem hanc non tantùm ab efformationis modo & ratione constituere & confirmare, verumetiam à mandato, quo decernitur, vt vna tantùm vni copuletur. Ad ipsam autem institutionem quod attinet, si Deus vnâ per diuortium dimissâ, aliam superinduci voluisset, vtique post virum vnum conditum, non vnam, sed multas mulieres efformasset. Nunc verò ex ipsa legis forma, primaque generis nostri institutione, vnum virum, vni tantùm mulieri perpetuò, citra vllum prorsus dissidium cohabitare debere ostendit. Ex vna námque radice facti sunt ambo, & in vnum rursùm corpus conueniunt ambo.

Deus voluit vt vna vni, & non plures vni per coniugiũ copularentur idque declarauit verbo & exemplo.

Deinde verò vt primordialem illam sanctionem & institutionem in ius vocare, graui cum periculo coniunctum esse demonstret, non dicit, nemo vinculum illud dissoluat, sed dicit? *Quod Deus coniunxit homo non separet.* Quod si tu Moysem opposueris, ego viciſſim Moysi Dominum oppono, & vnà cum hoc ex temporis ratione rem quoque confirmo. Nam etsi lex haec nunc demum à me induci videatur, non est tamen heri nata, sed multò ante Mosaicam lata. Neque enim Deus simpliciter vxorem viro coniunxit, verùm parentibus quoque, propter initam cum vxore societatem, nuntium mittere iussit. Quin ipso etiam locutionis modo copulam illam indiuulsam demonstrat, ait enim, *Et erunt duo in carne vna.* Et haec quidem naturalis habet coniunctio.

*Periculo sit dissol*G*uitur, quod Deus ei iunxit. Indissolubilis coniugij lex est, multò antiquior lege diuortij.*

Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit. Etsi, vxor per diuortium à viro diuellatur, attamen ob copulam initio initam, iure ab illo seiungi nequit. Quamobrem primâ adhuc superstite, alteri sese coniungere, adulterium vocat. Idem de vxore quoque alteri nubenti pronuntiat. Et quidem lex manifestam moechiam, quando nimirùm cum ea quispiam habitabat, aut Veneris consuetudinem habebat, quae alteri iam nupserat, prohibebat: Saluator autem illam quoque adulteram censet, quae vulgò manifesta non est, neque naturaliter ab altero cognita sit, adhuc conuicta est.

In ratione adulterij vir & mulier pares.

H

Et ait illis, &c. Matthaeus Christum Seruatorem ad Pharisaeos isthaec dixisse scribit, Marcus autem ad discipulos. Verùm haec non pugnant, potuit enim eadem vtrisque exposuisse. Marcus innuere videtur, Discipulos, post transactam cum Pharisaeis disputationem, Iesum ea de re interrogasse, ipsum verò, quae hîc habentur, ad illorum interrogata respondisse.

Cap. 19

Et offerebant ei paruulos, vt tangeret eos. Proprium est Conditoris in suis sese operibus oblectare, eorumdémque ad se accessum non inhibere, maximè verò cum nihil occurrit, quod eiusmodi aditum legitimè impediat. Sola enim malitia, effectique operis peruersitas impedimento sunt, ne liber ad opificem accessus pateat. At rationis verò vel iudicij defectus, eiusmodi aditum per se non prohibet, sed promouet & suadet, quippè cum id, quod deerat, per accessum ad Deum expleri soleat.

Sola malitia impedit accessum ad Deum. Iudicij defectus non prohibet aditum ad Deũ.

Talium

A

Talium enim est regnum cœlorum. Non dixit Dominus τούτων, horum est regnum cœlorum, verùm, vt accuratior lectio habet, dixit, τοιούτων, talium: siquidem pueri, pro naturæ suæ conditione, rationis iudicio destituuntur: ab hoc autem rationis defectu Apostolus alicubi nos dehortatur, ait enim: *Nolite effici pueri sensibus, sed malitiâ paruuli estote, sensibus autem perfecti estote.*

1.Cor.14 Puerorū stultitia in adultis minimè laudabilis. ... cœleste regnum spectat.

Talium enim, &c. Per hæc Euangelista breuiter causam reddit, cur pueri à Christo arcendi non sint, quia nimirum ad tales cœleste regnum præcipuè spectat.

Discipuli autem comminabantur offerentibus. Cur discipuli ne paruuli ad Iesum accederent, impedire volebant? Quia eiusmodi accessum Christi auctoritati aliquid derogare credebant. Quid autem Dominus? Vt animi modestiam præ se ferant, omnémque mundi fastum sub pedibus calcent, illos admonet.

B

Paruuli anima candida. Plurima laudabiles conditiones & naturæ in paruulis, propter quas omne honore & beneuolentia dignissimè digni sūt. Paruuli iniuriam passi, non meditantur vindictam.

Et complexans eos. Christus Dominus paruulos blandè complectitur & suscipit, cœlestéque regnum iisdem promittit. Est enim paruuli anima candida, & ab omnibus vitiosis affectibus libera: Quandoquidem puerulus iniuriâ à quopiam affectus, neque iniuriarum reminiscitur, neque vindictam meditatur, verùm quasi nihil incommodi tulerit, ad eum, qui læserat, tanquàm ad amicum vltrò accedit. Pati modo licet grauiter à matre cædatur, accurrit nihilò seciùs, præ cæteris ad ipsam, vnamque illam aliis omnibus mulieribus potiorem ducit. Et si Reginam Diademate redimitam ostenderis, non anteponit eam matri quantumlibet vilibus pannis indutæ: auetque magis illam videre pannis obsitam, quam Reginam splendido corporis cultum ornatam.

C

Paruuli pānosam matrem Reginis omnibus anteponunt. Paruuli eo quod natura deposcit contenti. Paruuli ob rerum fluxarū iacturam non mœrent. Paruuli formas elegantes non stupēt.

Ad hæc nihil prorsùs plus exigit, quam naturæ necessitas deposcit. Quare vt primum mammarum succo sese expleuit, statim materna vbera deserit. Prætereà de earum rerum iactura, quas nos maximi facere consueuimus, vt sunt pecuniæ, gemmæ, aliáque eiusmodi, nihil prorsùs mouetur, aut contristatur. Denique non stupet, nec rapitur ob corporum venustatem, vt cæteri mortalium solent. Propter hæc ergo Dominus dixit: *Talium est regnum cœlorum,* nempè per hoc nos admonens, vt studio, certáque voluntatis electione, talia faciamus, talémque affectum induamus, qualem ipsi ex naturæ suæ qualitate induti sunt.

Et complexans eos, & imponens manum super illos, benedixit eos. Concinnè autem aptéque illos complectitur, suámque complexis benedictionem impertitur. Siquidem conditoris opus, quod initio in peccatum prolapsum, ab ipso seiunctum fuerat, rursùm erigitur, & quasi inter brachia subleuatur. Imponit autem infantibus manus, Diuinæ virtutis illapsum, propriíque operis complementum, per eam manuum impositionem tacitè designans. Et quidem Dominus Iesus manus imponit, secundum communem hominum consuetudinem: nam vt verus, numerísque omnibus perfectus homo erat, ita humana quoque verè operabatur & patiebatur. At verò interius non operabatur vt homo, aut ritu humano, sed vt Deus, prout verus quoque Deus erat.

D

Regni eorum affectu merentur. Cur Dominus paruulos complexus manus illis imponit, suámque benedictionem illis impertit.

Et cum egressus esset in viam, &c. Sunt qui adolescentem hunc calumnientur tanquàm malignum & subdolum, vt qui non discendi, sed tentandi studio ad Iesum accesserit. Ego verò auaritiæ labe contaminatum fuisse non negauerim: siquidem Dominus hoc nomine tacitè illum insimulat, at vero subdolum, aut versipellem extitisse, neutiquam concesserim. Nam Marcus ab ea suspicione eum prorsùs liberat, ait enim: *Præcurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum dicens,* & paucis interiectis: *Iesus autem intuitus eum, dilexit eum.*

Dicis: si res ita habet, cur Christus illi respondit: *Nemo bonus nisi vnus Deus?* Quia accedebat ad illum tanquàm ad merum hominem, vel tanquàm ad vnum è communibus Iudæorum doctoribus. Propter hoc ergo non seciùs cum eo agit, atque homo cum homine solet. Dominus enim frequenter orationem eorum menti, & sententiæ accommodabat, quibuscum illi negotium erat,

Christus Dominus sæpe orationem accōmodat ...

E

vt cum aiebat: *Nos adoramus quod scimus.* Item: *Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est verum.*

... sensui & menti eā quibus illi negotium erat. Ioan. 4. Ioan 5.

Cum ergo dicit: *nemo bonus, &c.* Ad hominum naturam spectat, sensus est enim: nemo mortalium bonus. Sed neque hoc quoque dicit, quasi omnem prorsùs bonitatem hominibus adimere velit; sed tantùm per comparationem ad Diuinam bonitatem. Quare etiam non subdit, nisi solus Pater meus, sed subdit: *nisi solus Deus;* vt hinc intelligas, adolescenti seipsum manifestè prodere non voluisse.

Nemo mortaliū bonus cum Deo comparatus.

Magister bone, quid faciam? En vt adolescens hîc paratum se offerat, ad præstandam debitam diuinis præceptis obedientiam. Neque enim quærit: quomodo in vitam æternam ingrediar? sed quærit: *Quid faciam, vt vitam æternam habeam?* Ostendebat enim se planè accinctum, ad id totum implendum, & seruandum, quod eius rei causâ iniungeretur. Quod si tentandi animo accessisset, illud vtique Euangelista non reticuisset, sed prodidisset, quemadmodùm alias facere solitus erat. Neque verò si adolescens animi vitium callidè dissimulasset, Christus eum latere fuisset, sed vel apertè vel tectè dolum arguisset. Denique si tentandi studio ad Dominū accessisset, non abiisset contristatus, propter ea quæ à Christo audiuerat. Cupiebat ergo vitam æternam, at morbo tenebatur longè difficillimo.

Errant, qui adolescentē Marc 10. Christum tentandi causâ adiisse

F

putant, reuincitúrque hic error multis argumētis. Morbus longè difficillimus auaritia.

Vade, quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo. En quanta præmia, en quales coronæ iis hîc proponantur, qui in hoc spontaneæ paupertatis stadio impigrè currunt. Quod si adolescens tentator accessisset, Dominus sanè hæc illi præmia nequaquàm proposuisset: nunc autem hæc illi tanta ob oculos ponit, tantámque remunerationem promittit, vt eum præmiorum amore ad se pelliceat. Etsi interim magna quædam gratia, eximiáque merces sit ipsum re ipsa sequi.

Magna præmia proposita, qui spontaneam paupertatem propter Christum cō sectantur.

G

Et habebis thesaurum in Cælo. Rectè sapientérque Christus hoc loco non vitæ æternæ, sed thesauri meminit, quandoquidem de pecuniis erat sermo. Spondet autem se plura, maioráque redditurum, quàm erant illa, quæ in pauperes erogare iubebatur, & quidem tantò maiora, quantùm cœlum maius est terrâ.

Qui contristatus in verbo, abiit mœrens. Adolescens verbo hoc contristatus mœrens abiit: siquidem non tantâ vi detinentur, neque tantâ potentiâ à perfectionis studio abstrahuntur, qui pauca in bonis habent, atque illi, qui magnâ eorum copiâ affluunt. Nam facultatum subindè accedentium incrementum, maiorem habendi sitim incendit, animúmque possessoris auidiorem, & quodammodò egentiorem reddit. Disce hîc ergo, quanto robore hic animi morbus polleat. Etenim vbi primùm Dominus illi, qui magno cum gaudio, magnáque animi alacritate & promptitudine accesserat, suasit vt pecuniâ abiectâ, vel in pauperes erogatâ, se sequeretur, vnâ illâ voce adeò consternatus fuit, vt de vita sempiterna ne cogitare quidem potuerit, sed tristis mœrénsque statim abiuerit.

Pauperes faciliùs inducuntur ad ipsum & mundi contemptum quā diuites.

H

Quàm difficilè, qui pecunias habent, &c. Hæc Christi oratio ipsas pecunias in ius non vocat, aut damnat, sed illos, qui citra modum illis conquirendis inhiant, aut nimis auarè conquisitas, detinent. At quorsùm ad Discipulos, qui pauperes erant nihílque omninò in bonis habebant, ait: *Filioli quam difficilè, qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt?* Voluit per hoc illos admonere, ne propter paupertatem erubescant, aut animum despondeant.

Christus pecunias vel opes non damnat, sed iniquos earundē possessores.

Obseruandum est hîc quoque, Dominum non simpliciter dicere: Difficile esse diuitem in regnum Dei intrare, sed quâdam emphasi & vehementiâ vsum, rem hanc quodammodò impossibilem definire. Quod dicimus, ex exemplo, quod de camelo & foramine acus, in medium affert, patet. Ostenditur per hæc autem, animum diuinis rebus seriò intentum habere, cœlestium rerum meditationi impigrè vacare, donum esse eiusmodi, quod hominibus diuitibus & præpotentibus

Exemplū cameli & foraminis acus est, dicitur diuitis salutem summæ difficultatis expressā.

non

A

Diuites verò rerũ cælestiũ studio & meditationi intenti. Diues per orationẽ & diuinã gratiam saluus potest fieri. Cur Petrus dixerit, ecce nos reliquimus omnia.

non temerè obueniat. Quare Dominus quoque vt ostendat, magno illi diuinæ gratiæ præsidio opus esse, qui ad hoc fastigium aliquandò venturus sit, studium hoc peculiare Dei opus appellat.

Discipuli autem obstupescebant. Et infrà: *Qui magis admirabantur, &c.* Cum Discipuli in summam admirationem rapti dicerent: *Et quis potest saluus fieri?* Dominus statim diuinam virtutem, & potentiam in medium adducit, ait enim: *apud homines hoc impossibile est, sed non apud Deum,* quasi dicat: Etsi id virtute humanâ nullo modo fieri queat, attamen apud Deum, qui quidvis citra difficultatem valet, sola orationis vi confici illud potest.

Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Quænam ista omnia, ô beate Petre: nempè arundinem, retè, nauiculam, & artem piscatoriam. Hæcne omnia tu mihi dicis? vtique ait ille, at istuc non ob inanem aliquam ostentationem, perquiro, verùm vt eâ ratione inopem plebeculam ad Christum alliciam. Nam etsi modica quispiam reliquerit, attamen si propter IESVM reliquerit, æternum thesaurum recepturus est.

B

Apostoli hoc nomine multa reliquerant quod ex iis omnibus, quæ habebant, & habere poterant, excesserant.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Apostoli non generatim tantùm, quænam præmiorum spes illis reposita sit, qui omnia propter Christum deserunt, interrogant; verum quidnam de se ipsis quoque futurum sit nosse desiderant: non quod magna aliqua essent, quæ reliquerant; sed quod ex iis, quæ habebant, simpliciter excessissent. Seruator autem illorum promptitudine, & claritate collaudatâ, & approbatâ, mercedem quam olim hoc nomine accepturi essent, aperit, ait autem.

Quo sensu vxor deseri posse à Christo doceatur.

Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut vxorem, aut patrem, &c. Porrò autem cum Dominus dicit: *qui reliquerit vxorem,* vt Matthæus & Lucas habent, non eo sensu hoc accipiendum est, quasi legitima coniugia dissolui voluerit: absit hoc, verum quod ante de anima, hoc hîc de vxore affirmat. *Qui,* inquiebat ibi, *perdidit animam suam propter me, inueniet eam.* Iam vt per hæc docere non voluit, vti nos ipsos perimamus, neque vt animam à corpore abrumpamus, verùm vt pietatem in Deum rebus omnibus, & ipsâ etiam vitâ potiorem ducamus, ita de vxore quoque, & fratribus, & aliis hoc loco statuatur.

C

Cum parentes, mariti vel vxores aliquid suadent, quod cum pietate vel iustitia pugnat, parentum maritorũ aut vxorum loco habendi non sunt.

Videtur autem futuras persecutiones hâc oratione adumbrare. Siquidem plures comperti sunt parentes, qui filios, & permultæ vxores, quæ maritos ad impietatem trahere conatæ sunt. Cum ergo parentes, vel vxores aliquid eiusmodi imperant, vel suadent, quod cum pietate pugnat, aut quod impietatem adiunctam habet, neque vxores vxorum, neque parentes parentum loco habeantur, ait Christus.

Quod ipsum etiam Apostolus insinuat, dum ita scribit: *si infidelis discedat, discedat.* Per hæc ergo omnium sensus excitat, nec non, vt totus terrarum orbis sæuiat, ad capessendam animi fiduciam, & fortitudinem exstimulat.

D

Quinam in regno Cælorum futuri sint primi. Qui intelligãtur per nouissimos, quando Dominus dicit, & erunt primi nouissimi.

Multi autem primi erunt nouissimi. Ostendit hîc autem eos, qui videbantur primi, futuros nouissimos; vt vice versâ qui habebantur nouissimi, primis potituros. Illi autem inter cæteros futuri sunt primi, qui in Christum credunt, seséque ac sua omnia propter ipsum deserunt. Per nouissimos verò, Pharisæos innuere videtur, id quod ante quoque visus est facere, cum nimirùm filios regni in tenebras exteriores eiectum iri prædicabat. Vel certè per nouissimos, diuites illos designat, qui pecuniis obstinatiùs, quàm par est, adhærent, quorum proindè salus perdifficilis est. Certum est enim, Apostolos ad diuites spectasse, quando dicebant: *Et quis potest saluus fieri?*

Et assumentes iterùm duodecim, cœpit illis dicere, quæ essent ei ventura. Operæ pretium videbatur, vt Dominus illthæc fore Discipulis prædiceret. Tum vt hinc discerent, quod futurum erat, non ignorasse, sed omnia dudùm ante præsciuisse. Tum maximè vt planum hinc fieret, non inuitum, sed vltroneum mortis supplicium subiisse. Atque vnum hoc in causa erat, vt frequenter illud ipsum fore repeteret. Quare Marcus quoque hoc loco inter cætera ita narrat: *Et assumens iterum duodecim, cœpit illis dicere quæ essent ei ventura.*

E

Cur Dominus frequenter se moriturum & resurrecturum prædicebat.

Cur Christus multa de sua morte & resurrectione patefecerit Apostolis non aliis.

Et quidem Discipulis seorsùm, priusquàm fierent, familiariter exponebat omnia: nam & digni erant, qui præ cæteris prænotione illâ potirentur, & præmuniendi prætereà erant, ne cruciatibus illius, plus æquo conturbarentur. Quamobrem licet multi vnà cum illis iter facerent, nihilominùs Apostolis seorsùm ab aliis clarè, quæ futura erant edisserebat, & quo Baptismo baptizandus erat, in memoriam illis reducebat. Voluit autem vt nihil horum eos lateret, ne, si illa præcognita non haberent, inexpectato rerum euentu nimiùm commouerentur & turbarentur.

Et tertiâ die resurget. Hæc malorum omnium, quæ prædixerat, medelam quodammodò continent. Apud Lucam porrò isthæc non tantùm futura, sed dudùm ante quoque per Prophetas prædicta habentur; legitur enim ibi in hunc modum: *Ecce ascendimus Ierosolymam; & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas, de filio hominis.*

F

Cap. 18.

Quandoquidem permagnam consolationis vim habebar, quicquid Seruator noster perpessus est, id totum iamdudùm antè per Prophetas prædictum fuisse certò compertum habuisse. Nam ex euentu tristium, quæ prædicta fuerant, certam de Christi resurrectione spem concipere licuit, nam hæc ipsa quoque prænuntiata fuerat.

Filij Zebedæi per se & per matrem dexterã & sinistrã petunt.

Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes, filij Zebedæi. Matthæus matrem filiorum Zebedæi ad IESVM accessisse scribit. Vtrumque factum verisimile fit; nam vt filij supplicationem instituant efficaciorem, perque matris intercessionem Christum faciliùs in suam sententiam inducant, vel certè quod rubore impediti, per se petere non audeant, vel matrem assumunt, eandemque veluti clypeum Christo obiiciunt. Verùm licet mater interuenerit, petitio tamen filiorum erat. Quare etiam Dominus non ad matrem, sed ad filios orationem dirigit. At siue ipsi per se, siue per matrem postulationem obtulerint, expendamus hîc ante omnia, & quid petant, & quo sensu vel causâ inducti, petant.

G

Vnde ergo ad hoc consilium venêre; Animaduertebant se magni præ cæteris fieri, plurimumque à Christo diligi, proptereà in certam spem veniebant, facilè se voti compotes euasuros, quicquid randem ab eo peterent. Et quid porrò petunt, & quâ re vel causâ commoti ad eiusmodi petitionem venerunt? Audi alium Euangelistam clarè hac de re loquentem: *Hæc,* inquit, *illis audientibus, adiiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Ierusalem; & quia existimarent, quod confestim regnum Dei manifestaretur.* Rati namque Christi regnum præ foribus esse; seséque post acceptum regnum non facilè id impetrare posse, quod Euangelistæ illos petiuisse narrant, tempestiuè nunc ad Christum accedunt; suæque petitionis modum non satis moderatum illi aperiunt. Ex quo manifestum fit, certam illos de sensili, & temporali regno suspicionem habuisse. Nemo interim Apostolos, si per id tempus minùs adhuc perfecti erant condemnet. Necdùm enim Crucis mysterium celebratum erat; necdùm Spiritus sancti gratia aduenerat. Patefiunt autem discipulorum Christi defectus, vt hinc constet, cuiusmodi aliquandò fuerint, & quales tandem per Christi gratiam euaserint.

Luc. 19.

H

Apostoli Christi regnum temporale & sensile esse credebant. Cur Apostolorum defectus in scripturis patefiant. Iacobus & Ioannes nihil spirituale à Christo petunt, sed neque quid petant satis intelligũt.

Quid vultis vt faciam vobis? Non ignarus, quid petere vellent, Seruator interrogat; *Quid vultis vt faciam vobis?* Interrogat autem, quo ipsos respondere compellat, eâque ratione ad conuenientem admonitionem viam sibi muniat. Illi verò rubore suffusi, (siquidem humano quodam spiritu impulsi in eam sententiam descenderant) ne res à cæteris deprehendatur seorsùm, extra Discipulorum consortium; IESVS namque, vt Euangelista exponit, solus ante alios ibat) Christum adeunt, suaque vota eidem recludunt. Et quid illi ergo petunt? nihil sanè spiritale: Imò verò quid petant, ne ipsi quidem satis intelligunt. Nam quid petebant, verè intellexissent, nunquàm tanta petere ausi fuissent.

Nescitis,

A *Sedere ad Dei Patris dexteram excedit omnem creatæ rei dignitatē.*

Nescitis, quid petatis. Nescitis, quanta res sit ad Dei Patris dexteram considere. Non intelligitis, quanto intetuallo sessio isthæc, omnium supernarum virtutum vim, & dignitatem excedat.

Præsentis vitæ tēpus non præmiorum, sed laborum atque certaminum tempus est. Christus per suam crucem

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? En quo modo ea mox inferat, quæ ab illorum sententia, & petitione prorsùs aliena erant? Vos,inquit,de honoribus & præmiis quæstionem mouetis;ego verò de certaminibus, & sudoribus vobis dissero: Neque enim tempus hoc, præmiorum tempus est: Præsentia gloriam, non quietem, non alia eiusmodi, sed sedem, sed bella,sed pericula, plurimáque id genus alia exigunt.

B *Apostolos ad crucē inuitat & animat.*

Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Ecce vt ipso interrogationis modo, illos ad iam enumerata alliciat. Quærit enim, *potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* nempe quo ipsa pœnarum communicatione, perpessionúmque societate,ad quosuis cruciatus alacriter perferendos, promptiores illos reddat.

Cur Dominus passionem suam Baptismi nomine appellat.

Et Baptismo,quo ego baptizor,baptizari? Rursùm passionem suam Baptismi nomine designat. Indicat per hoc autem, magnam ab illis, quæ perpessurus erat, purgationem prouenturam esse. Ipsis quidem ab illo,& per illum,terrarum verò orbi à cruce.

At illi dixerunt possumus. Sperantes id se concessum audituros, quod petiuerant, statim promittunt.

Calicem quidem, quem ego bibo,bibetis. Hæc illos, quæ dixerant, ex animo, & non inanis iactantiæ studio impulsos dixisse ostendunt; ait ergo: *Calicem quidem,quem ego bibo,& vos bibetis,* hoc est,martyrij gloriâ donabimini,eáque perpessuri estis, quæ ego: *Sedere autem ad dexteram meam,vel ad sinistram meam,non est meum dare vobis,sed quibus paratum est à Patre meo.* Aduerte autem vt sensim illorum animos exuscitet,& erigat,erectósque & excitatos omni tristitiâ superiores efficere contendat. At quid sibi vult,ais,quod Dominus hoc loco dicit: *Sedere ad dexteram,vel sinistram,non est meum dare vobis.* Duplex námque locus hic dubium offerre videtur: alterum, alicuíne homini ad dexteram Dei sedere, constitutum sit? Alterum verò,Dominúsne iis dexteram,aut sinistram assignare possit, quibus hæc prærogatiua ab vniuersorum Domino, cœlestique Patre parata vel destinata non sit?

Duplex dubium de sessione ad dexteram Dei. C

Thronus dexteræ Dei vniuersæ creaturæ inaccessus. Hebr. 1.

Ad primum paucis dici potest, nullum omninò mortaliū Deo patri dextera aut sinistra assidere: ne vllum omninò assidere illi hâc ratione posse. Siquidem thronus hic vniuersæ creaturæ est prorsùs inaccessus. Quamobrem Apostolus Paulus eam celsitudinem, eámque ad dexteram Patris sessionem soli vnigenito Dei Filio attribuit,ait enim: *Ad quem Angelorum dixit aliquando, sede à dextris meis. Et ad Angelos quidem dicit: qui facit Angelos suos Spiritus: Ad Filium autem: thronus tuus Deus.* Quomodo ergo Christus Dominus hîc dicit, inquis: *Sedere ad dexteram, aut ad sinistram,non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Loquitur enim quasi hæc sessio aliquibus iam parata sit. Nullusne ergo omninò cœlesti regno potietur; aut aliquisne ad dexteram Patris sedebit? Absit. Igitur quæ Dominus respondet,ea ad illorum scopum & mentem,qui eum interrogabant, spectans, respondet; dimittit se namque ad rudem illorum sensum. Neque enim illi throni illius sublimitatem, aut sessionis ad Patris dexteram celsitudinem intelligebant. Solum autem primatu in Christi regno potiri cæterísque omnibus anteferri desiderabant. Nam cum de duodecim sedibus audiuissent,neque quid per illas designaretur assecuti essent, duas priores,& honoratiores ex illis duodecim occupare cupiebant.

Quid Apostoli Iacobus & Ioannes per sessionem ad dexteram & sinistram intelligebant. D

Solum martyriū nō sat est ad obtinendum primas in regno cælorum.

Quod itaque Christus dicit,eiusmodi est. Moriemini quidem mei causâ,eritísque mihi in passione socij:ad hoc interim sat non est,vt primas sedes iure vobis vindicetis. Si enim alius quispiam accesserit qui vnà cum martyrio omnē aliam virtutem secum deportauerit,aut certè multò plura, multóque excellentiora virtutum ornamenta in medium attulerit quàm vos,ille vtique præcedet. Neque enim, quia vos nunc amo,aliisque certâ quâdam ratione antepono, ob id opulentiore illo repulso, primatum vobis assignabo.

E *Secūdum Christi gratiam, spes salutis in operibus collocanda.*

Illis igitur eiusmodi primatus paratus est, qui per illustriora opera, primis sedibus capessendis præ cæteris idoneos sese reddiderunt. Ex omni itaque parte, vt post Dei gratiam,in propriarum virtutum præsidiis, præclarorúmque operum muniis,approbationis salutisque spem collocent, illos impellit: prudentérque, ne de primatu frustrà simul & stultè contendant,præmunit. Paucis orationem ita temperauit,vt & Discipulos erudiret, neque nimiâ tamen tristitiâ eosdem affligi fineret.

Christus absolutus omnium sedium cælestium dominus. 1. Tim. 4.

Quod autem Christus absolutus omnium sedium, & sessionum sit Dominus,illud ex iis manifestum est, quod vni ipsi,omne omninò iudicium delatum est. Quare secundum Apostoli doctrinam,ille est, qui vt iustus iudex, non Paulo tantùm,sed cæteris omnibus,qui diligunt aduentum eius, iustitiæ coronam redditurus est. Quocircà præstare, quod Iacobus & Ioannes ambiebant, illud filij facultatem non excedebat:æquè enim regnum illud, cœlestéque præmium iustis à Filio præparatum & destinatum est, atque à Patre. Vnde Marcus quoque non dicit,à Patre paratum esse, sed simpliciter paratum esse: atque ita ad alterum quoque dubium responsum restat. Neque enim Pater seorsum à Filio,neque Filius seorsùm à Patre prædestinat, aut ordinat; sed vna ad numerum prædestinatione: & ad vitam ordinatione, prædestinant & ordinant ambo. Quærere autem, an Pater vel Filius non prædestinatum prædestinare queat, aliud nihil est, quàm quærere,an aliqua mutatio in Deum cadat.

Filius æquè ordinat & destinat ad regnū, ac Pater. F

Et audientes decem,indignati sunt, de Iacobo & Ioanne. Tum demum reliqui decem indignati sunt, cum duos in iustam Domini reprehensionem incurrisse acceperunt. Animaduertebant sanè iam antè, illos præ cæteris à Christo foueri,& honorari; attamen quod Magistri dignitatem vererentur, studióque eiusdem deferrent, patienter rem tulerunt, neque vsque ad hanc condemnatoriam Christi sententiam, vnquàm in illos insurrexerunt. Quemadmodùm alias quoque propter Petrum humanum quiddam passi sunt:verùm non ea de causa se molestos, aut ægrè affectos declarabant:sed solùm,quis eorum videretur maior,inter se disquirebant.

G *Apostoli ante acceptum Spiritum sanctum admodum imperfecti.*

Quia ergo duorum Discipulorum petitio, in eundem illum scopum,nempe in primatum, nunc quoque collimabat, propterea indignati sunt: at hoc non statim (compresserunt enim & continuerunt se ad tempus) sed tùm demùm cum Christus duos illos increpauit, eorundémque vota illaudata nominíque dissentanea ostendit. Vsque adeò per id tempus ad vnum omnes imperfecti adhuc erant. At postea verò illos ab omnibus iis miseriis, & animi morbis,prauísque affectionibus liberos,primásque sibi mutuò deferentes videbis.

H

Et veniunt Hiericho. Demonstratur hoc loco, quas Dominus, sanitates præstabat,eas cum potestate præstitisse; aiebat enim: *Quid vis tibi faciam?* Demonstratur æquè promiscuam multitudinem Christum Seruatorem nostrum in summo honore, & reuerentia habuisse. Neque enim cæco permittit,vt liber vociferetur,aut obturbet:verùm non citra comminationem silentium illi mandat.Nempè datur ab ea opera,vt omnia vbique sint quieta & pacata: veluti dum Rex quispiam pertransit. Ex quo inferre licet, Iudæorum plebem in Christi cædem nunquàm consensuram fuisse, nisi magnates, populique principes suâ importunitate huc illam adegissent. Praua proinde principum potentia, populo apprimè est noxia.

Praua principū potentia populo apprimè est noxia.

Iesu Fili Dauid,miserere mei. Cæcus Christum Dominum Filium Dauid vocat:audierat enim famam de eo in populo sparsam: animaduertebátque quæ iam olim per Prophetas de Messia prædicta fuerant, omnia exactè in eum conuenire. Et quidem Dominus genus illud non repudiat: esto alibi omni carnali genere sese superiorem ostendisset. Neque enim sanitatem cæco impendisset, si Dauidis filium falsò illum vocasset, aut ex vana fide aut blasphemâ oratione,eo nomine eundem compellasset:sicuti nugantur, qui quâdam externâ tantùm apparentiâ Dei verbum in mundū hunc venisse,aut ex aliena substantia,& non ex Dauidis massa,carnē suscepisse mentiuntur.

Christus Dominus se Dauidis Filium agnoscit.

Errant qui Christum ex semine Dauid ortum negant.

Quid vis faciam tibi? Cur Dominus istud rogat? Ne quis,

A

Cur Dominus ex ęgris exquirere solitus erat, quidnam peterent.

quis dicere queat, aliud Christum dedisse, aliud cæcum experiuisse. Nam priùs vbique illorum voluntatem & scopum, qui sanitatem ambiebant, exquirere, exquisitámque præsentibus omnibus patefacere solitus erat, quàm sanitatem præstaret. Partim quidem, vt alios per hoc ad pium quendam zelum & æmulationem prouocaret: partim etiam, vt sanitatis beneficium in dignos collocatum publicè constaret.

Bartimæus cæcus multis modis idoneus erat, cui Christus sanitatis beneficiũ conferret.

Quod autem cæcus hic fidelis, collatóque beneficio dignus fuerit, id primò quidem patet ex ardenti illius inuocatione: mox verò ex eo, quod à Domino vocatus, cum omni alacritate exiliens, ad illum accurrerit: vestémque, quâ indutus erat, vt ad cursum expeditior esset, abiecerit: tantùm non veterem hominem sese exuere, totúmque se Christo dedere symbolo hoc testatum faciens. Postremò ex eo, quod Dominus fidei illius testimonium perhibuit: aiebat enim: *Vade, fides tua te saluum fecit.* Denique sanitatem consecutus non resiliit, quod multi

B

post accepta beneficia facere solent ingratos se declarantes; Verùm vt ante acceptum sanitatis beneficium, fidum constantémque se præbuerat: ita post illud impetratum gratus esse perrexit, sequitur enim Iesum per viam.

Cæterùm quod sanitas cæco in via obtigerit, hoc Marco consentaneè tradit Matthæus, & post illum Lucas: Verùm Lucas & Marcus vnius tantùm cæci mentionem faciunt, Matthæus autem duorum. Hæc tamen non pugnant aut fidem historiæ derogant: fieri enim potest, Marcum & Lucam celebrioris tantùm meminisse: cuius quoque nomen prodit Marcus; vocat enim illum Bartimæum, filium Timæi, quasi vbique tunc temporis notum.

CAPVT XI.

ET *cum venisset ad ficum, nihil inuenit in ea præter folia, &c.* Matthæus manè ad ficum venisse scribit. At quomodo Dominus ineunte iam mane esuriebat: Certa de causa carni hoc indulgebat: Marcus ad ficum à longè

C

Discipulorum opinio de ficu execratione falsa. Dominus ficui propter Apostolos maledixit.

conspectam accessisse, & si quid fortè in ea compeririet, quæsiuisse narrat. Ex quo colligere licet, si non Christum, certè Discipulos aliquid huiusmodi suspicatos esse. Annotant enim Euangelistæ, non tantùm verè gesta: sed ea interdùm quoque, quæ contingere poterant, vel Discipuli obiter suspicati fuerant: Sicut hoc etiam loco Dominum ob id ficum execratum opinantur, quod fructum non haberet: & tamen hæc fructuum vacuitas, propria execrationis causa non erat.

Et cur ergo, inquis, Seruator noster ficui, quæ insons alioqui erat, (neque enim ficuum tunc tempus erat) maledixit? Propter Discipulos hoc fecit. Posteaquàm enim vbique beneficia præstiterat, nullum autem puniuerat, consentaneum erat, vt aliquod quandoque punientis virtutis specimen ederet: quo Apostoli hinc discerent, licet Iudæis veniæ pœnitentiæque locum clementer indulgeret: neque omnem statim vitæ succum illis adimeret, adimere tamen, imò verò in nihilum illos redigere potuisse.

Christus Dominus

D

nullũ hominem in terris degens puniuit, potuisse autẽ punire per porcos submersos & ficum are factam ostendit.

Noluit autem, quanta virtutis suæ facultas esset, in hominem, sed in rem sensus expertem, hoc est, in fici arborem ostendere. Porrò autem quando in hunc locum incidimus, nemo curiosè inquirat, aut anxiè disputet, iusténe an secus factum sit: sed miraculum editum contempletur & admiretur: Nam de submersis porcis quoque nonnulli hanc quæstionem mouerunt, factúmque iustitiæ colore destitutum prædicare veriti non sunt. Verùm non est istis nunc immorandum: nobis sat sit, vt ficus in quam maledictio cecidit, sensu, ita porcos in mare præcipites actos, ratione exortes fuisse.

Dices: si Dominus verè non esuriebat, cur ergo esurientis speciem præ se ferebat? Rursùm si ficus innoxia erat, cur insonti maledicebat? Iam ante dictum est, propter Apostolos eorundémque informationem, id factum esse. Insinuabatur præterea facto illo profundum quoddam mysterium. Instas nihilo seciùs: at non tum tempus ficorum, adeóque ficus innoxia erat: ita est: ast hinc rursùm confirmatur, Christum Dominum secreto consilio, hoc est, non propter famem, sed propter Discipulos, aut certè propter aliam occultam causam, ad hoc se dimisisse. Nam quis sanâ mente præditus, summo manc adeò esuriisse credat, vt veluti inediæ impatiens sensus experti ficui malediceret: Quod si vera aliqua, naturalique inedia laborasset, non deerat, quo illam sedaret: nihil enim prohibebat, quominùs antequam è domo egrederetur, aliquid cibi caperet. Neque dici potest fructuum conspectum eam in illo appetentiam excitasse: quandoquidem non erat tum temporis ficuum prouentus.

E

Hoc secretũ putatur fuisse Iudæorum sterilitas & incredulitas; horum enim ille salutem & fidem ardenter sitiebat. Christus Dominus famem vltrò assumpsit, quo idoneã ostẽ-

F

denda virtutis suæ causam haberet.

Denique si verè esuriebat, cur non aliundè potiùs, quàm à ficu, ex qua, vt certò ex Euangelio constat, fructum tum habere non poterat, quia istiusmodi fructuum tempus tunc non erat, escam petebat? Quâ rursùm indignatione dignum erat, non habere fructus, extra fructuum tempus: Eapropter qui rationis iudicio non penitùs destituuntur, haud difficulter ex his colligere possunt, non adfuisse naturalem aliquam inediam, aut famem. Verùm famis vltrò assumptæ prætextum obtulisse causam, vt suam ipse virtutem ostenderet. Ne autem Apostoli ob virium imbecillitatem, aut naturalem esuriem, cibi desiderium præ se gessisse, aut ficui maledixisse existimarent, sed alio illum spectasse animo pertractarent; arborem, quam solâ increpatione statim extingueret, eiusmodi selegit, quæ insitam humilitatem non facilè deserere solet, etiamsi radicitùs excidas.

Ficus insitum humorem non facilè deserit etiamsi radicitùs excidatur.

Et cum introiissent in templum, cœpit eijcere vendentes & ementes. Hæc ipsa etiam Ioannes exponit, verùm sub Euangelij sui initium: Marcus autem, (vt Matthæus & Lucas quoque) sub finem. Quamobrem probabile fit, idem illud heroïcum Christi factum, diuersis temporibus bis accidisse, potéstque sententia hæc non modò ex temporis ratione, verumetiam ex verborum qualitate confirmari.

Vero affinior illorum est sententia, qui

G

Christũ bis ementes & vendentes è tẽplo exturbasse dicunt semel sub initium prædicationis eius meminit Ioannes, iterùm sub finem, cuius mentionem faciunt tres reli-

H

qui Euãgelistæ, quamquis semel cẽsuim.

Sunt tamen qui dicant, tres Euangelistas, dum Christi ad Hierosolymorum ciuitatem ascensum, eiusdémque in templum ingressum describunt, accuratâ temporis ratione missâ, rem ipsam tantùm persecutos esse: Ioannem verò, qui historiam illam cæteris diligentiùs enarrat, satis apertè insinuare, Christum Dominum ea primo ascensu patrasse, quæ reliqui paulò ante mortem contigisse commemorant. At multò verò credibilius fit, Matthæum, Marcum & Lucam compendium sectatos, primum ascensum, & in templum ingressum prætermisisse, tantùm autem postremum attigisse; atque ideò duos, aut fortè plures in vnum conflasse.

Aggrauat autem Iudæorum causam non parum quod Dominus idem factum semel iterúmque repetens, ipsi nihilominùs in sua illa arte cauponaria, & infami nundinatione obstinatè vsque perstabant; ipsúmque veluti Dei & legis aduersarium, iniquè criminati vsque pergebant, cum hîc tamen summam illius erga Deum reuerentiam & zelum, summámque eiusdem potestatem veluti ex euidenti quodam argumento meritò discere & colligere debuissent. Videbant enim omnia illius dicta & facta, omni ex parte inter se conspirare & consentire. Verùm tantùm aberat, vt per hæc illi placarentur, aut persuaderentur, vt magis quoque insanirent, & indignarentur.

Iuda in sua malitia obstinati, & ad omnẽ admonitionem surdi & duri.

Nonne scriptum est, quia domus mea, domus orationis vocabitur? Christus Dominus muri loco apponit illis Isaiam, qui eos accusat, quo vel hâc saltem ratione, animi illorum incendium nonnihil restinguat, seseque à Deo venisse, omnibus planum faciat.

Isai. 57.
Hier. 7.

Vos fecistis eam speluncam Latronum. Saluator noster negotiatores illos, propter prædatorium auaritiæ vitium, Latrones vocat: siquidem quæ ad sacrificiorum vsum necessaria erant, hæc illi in turpis quæstus materiam vertebant. Alij enim lucri causâ vendirabant boues, alij oues, alij turtures vel colũbas, alij aliud. Nonnulli etiam erectis mensis rem nummariã tractabant, hoc est, nummulos ærisve minutã lucelli causâ cum nũmis grandioribúsve numismatis permutabant. Multo autẽ seuęrius, multóque terribilius hoc Christi factũ euasit, posteaquàm nõ sermonis lenitate, vt solet, sed verbere vsus: vẽ-

dentes

A

Dominus Iudaeos per Isaiã incusat, sesque à Deo venisse demonstrat. Cur Dominus ementes & vendentes in templo latrones vocet. Christus vehemẽs & seuerus in eos qui vendebant in templo.

dentes è templo expulit, mensásque numulariorũ euertit.

Quo audito, principes Sacerdotum quærebant, quomodo eum perderent. Intelligebant enim, ad se pertinere, quæ ab illo facta fuerant. Dominus itaque ab hostibus vndique obseptus, interdùm quidem per medium illorum inaspectabilis transibat: Nonnunquàm verò omnibus conspicuus, vi quâdam occultâ prægnantem illorum necendi cupiditatem comprimebat: Hoc autem loco multitudinis timor Sacerdotum principes à maleficio absterrebat. Nam ne œconomiam secundum carnem de veritate suspectam redderet, aut fidem illis abrogaret, non omnia semper supra humanam virtutem, & naturam faciebat, sed quædam tantùm. Illi autem neque propter plebis in Christum studium moderatiores, neque per Prophetarum de Christo oracula & testimonia prudentiores euadebant, verùm in sua cæcitate obstinatè vsque perstabant: vsque adeò malitia & auaritia illorum animos semel & simul impleuerant, & ad Christi cædem accenderant.

B

Christus Dominus ante constitutum mortis & crucis tẽpus varijs modis & medijs Iudæorũ insidias euasit. Cur Christus sæpè humanis præsidijs vtebatur.

Et cum vespera facta esset, &c. Præsens Euangelista quid postero die acciderit, accuratiùs exponit: Scribit enim cum sequenti luce ex suburbiis ad ciuitatem reuerterentur, Discipulos ficum radicitùs exaruisse animaduertisse. Matthæus verò exactam temporis rationem mittens, ficum, cui maledixerat Iesus, statim exaruisse asserit, eaque de causa Apostolos supra modum obstupuisse. Verùm enimverò licet mox exaruerit, ipsi tamen rem hanc non statim deprehenderunt, sed postero demum die. Est enim vis diuina efficax & expedita, cum in viuificandis iis, quæ emortua iacebant, quemadmodùm ex iis cognoscere licet, quos Christus Dominus ex mortuis ad vitam reuocauit: tùm in extinguendis rursùm illis, quæ vita prædita erant: vt patet hoc loco de ficu. De præpotenti hac Dei virtute in viuificando & mortificando, alicubi ita proditum extat: Ego occidam, & viuere faciam: Ego viride lignum desicco, & aridum rursùm virescere facio.

C

Iudæi auaritia, & odio prorsùs occæcati. Ficus statim quidem exaruit, sed res hæc non statim ab Apostolis animaduersa fuit. Diuina vis expedita & efficax rebus viuificandis & mortificandis.

Cum stabitis ad adorandum, dimittite, si quid habetis. Sensus est, vt animi munditia, quam vera pœnitentia parit, vobis obtingat, veniámque peccatorum consequamini, per gratuitam iniuriæ ab homine vobis illatæ condonationem, viam vobis ad Deum munite, ansámque, vt vestras vobis noxias gratuito condonet, illi offerte. Per hæc autem Apostolos in spem erigit, quasi dicat: nullam vnquàm repulsam metueritis, dummodò orationem puram fideque munitam obtuleritis. Nam quod de ficu subitò arefacta plurimùm admirabantur, id non prouenicbat ab excellenti aliqua fide, sed ex fidei imbecillitate. Neque enim opus illud magni alicuius ponderis erat, si Dei virtutem spectes. Quia ergo diuinam illius virtutem non satis exploratam habebant, propterea ab incredulitate, quâ tenebantur, tacitè illos abducere: nec non quantum sit fidei robur ostendere contendit.

D

Pœnitentia animi munditiam parit. Quod Apostoli ficum arefactã admirabantur, subitò ex fidei imbecillitate proueniebat.

Et cum ambularet in templo, &c. Quandoquidem signa illius falsitatis insimulare non poterant, ob id cauponantium, & nundinationem in templo exercentium expulsionem in medium afferunt, quod autem dicunt, eiusmodi est: Sacerdotióne summo initiatus es, vt tantam tibi potestatem sumere audeas? Atqui Dominus nihil fecerat, quod vlla prorsùs cum arrogantia, aut temeritate coniunctum esset. Procurauerat autem ea tantùm, quæ ad sacri loci ordinem quam maximè facere videbantur. Attamen, quod aliud nihil, quod obiicerent, haberent: illud quod dixi, in noxam trahere conabantur.

Et quidem cum negotiatores è templo eiiciebat, nihil ausi sunt dicere, propter miracula, quæ, vt Matthæus narrat, tum faciebat: At verò vbi denuò illum in templo conspicati sunt, statim non absque increpatione eum inuaserunt, tantùm non eiusmodi oratione ipsi insultantes: Cur tu id prohibere audes, quod nullo vnquàm tempore nos inhibuimus? Cur nostram in sacrorum administratione incuriam reprehendis? Cur publicè, quasi circa ea, quæ templi sanctimoniam & religionem decent, negligentes extiterimus, nos confundis?

Iudæi nõ poterant

Baptismus Ioannis de Cœlo erat, an ex hominibus? Si Iudæi Ioannem tanquàm virum sanctum & veracem recepissent, consequens erat, vt illius de Christo testimonium quoque reciperent. Illo autem semel admisso, vnde Seruator potestatem illam acceperat, ignorare non poterant; ob hoc ergo dicit: *Interrogabo vos & ego vnum verbum, respondete mihi, & dicam vobis, in qua potestate hæc faciam*, hoc est, si Ioannem Baptistam testimonium de me perhibentem recepetitis, haud difficulter, quis ego sim, intelligetis.

E

Ioannis testimonium ... Christo admitte... re & Christu... reiicere aut pot... statem i... lius igno... rare. Dum Christu... de Ioann Baptism interrogat, de illius san... ctitate & auctori...

Cæterùm cum Christus Dominus de Ioannis Baptismo interrogat, de gratia & sanctimonia, quâ ille præ cæteris mortalibus ornatus erat, interrogat. Illa enim vna erat, quæ eum venerandum, & testem fide dignum, omníque exceptione maiorem, apud omnes efficiebat. Exponite ergo mihi, ait Christus, ex Deóne erat Ioannis Baptisma, an ex hominibus? Quod autem ex Deò esset, id ipsemet Ioannes iamdudùm ante planum fecerat, omnibúsque efficaciter persuaserat.

F

tate interrogat. Cur Pharisæi de Ioann. Baptismo interrogati, respondeˈrint, nescimus.

Et respondentes dicunt: Nescimus. Hærent hîc miseri, & quid respondeant prorsùs ignorant: Nam si conceptam de Ioanne eiusdémque Baptismate veritatem liquidò profiteantur: ne testimonium, quod Christo dederat, statim ab omnibus verum extitisse deprehendatur, adeóque suam ipsi perfidiam cunctis mox patefaciant, verentur. Si autem ex Deo fuisse inficientur, ne in grauem totius populi offensionem incidant, meritò formidant. Ab omni commodáque responsione exclusi, nescimus, aiunt. Ad quæ illico Dominus:

Neque ego dico vobis, in qua potestate hæc faciam. Cùm in aperto sit responsum dare vos detrectare, non quod verum ignoretis, sed quod verum dicere non velitis: *Neque ego vobis dico*, ait Christus, *in qua potestate hæc faciam.* Non respondet autem, nescio, sed respondet, non dico, quasi dicat: Quandoquidem compertam veritatem agnoscere defugitis, neque à me quoque vllam responsionem feretis: etsi alias etiam indigni sitis, qui de me, quis sim, audiatis: Siquidem testem illum, qui in testimonium venerat, vt testimonium perhiberet de lumine, non recipitis. Enimuerò si iuxta illius testimonium me veram illam lucem esse crederetis, intelligeretis vtique, me iure tenebras à templo submouisse. Et quid enim aliud sunt auaritia, & turpe lucrum, quibus templum scatet, quam tenebræ, quæ bonum, & honestum cerni non sinunt.

Ioan. 1. Auaritia, turpe lucrũ, aliaque eiusmodi tenebra erãt, quibus templum obscurabatur.

G

CAPVT XII.

Et cœpit illis in parabolis loqui, &c. Parabola hæc indicat, Iudæos non solùm in Ioannem, cæterósque Prophetas ingratos extitisse: verùm in ipsum etiam Dominum. Etenim à seruis sæuitiam exorsi, ad Dominum ipsum sæuiendo progressi sunt. Quare etiam iure optimo proscriptionem illis vaticinatur. Vineæ autem nomine Israëlem designat (hinc enim apud Isaiam dilectam vineam appellat) per Patrem vero familias, Deum.

Quid per vineam designetur mysticè. Isai. 5.

Et circumdedit sepem. Hoc est, diuinâ curâ & prouidentiâ muniuit illam. Quapropter Deus apud Prophetam Isaiam, sepem sese à vinea ablaturũ interminatur. Per sepẽ ergo diuinam custodiam, cœlestéque præsidiũ significat.

H

Et fodit in ea lacum, vel, vt alius habet, *torcular.* Per torcular autem altare: per lacum verò vas, quod torculari subiicitur, exprimit. Cuiusmodi quidem vas in templo erat illud, quod hostiarum sanguinem subter altare excipiebat. Per turrim autẽ, templum illud augustissimum, & apud omnes mortales longè celeberrimum denotat.

Quid spiritualiter significetur per vineã, sepẽ, quin item per torcular & lacum & turrim, &c. Agricolæ, Sacerdotes & legis Doctores.

Et locauit eam agricolis. Hoc est, summis Sacerdotibus, & legis Doctoribus.

Et peregrè profectus est. Hoc est, temporis spatium, quãtum sat erat, vt fructũ facerent, illis indulsit: quem etiam, vbi peregrè denuò rediisset, iustâ ratione exigere posset. Hæc autem secundũ propositũ parabolæ scopum; iuxta quem filius hoc loco inducitur, de Patre propriè dicuntur: Quandoquidem Incarnatio non Patris, sed Filij est propria. Interim sermo de Patrefamilias institutus, Filium à Patre non seiungit: siquidem per ipsũ facta sunt omnia.

Et misit ad Agricolas in tempore seruum, &c. Post hæc scribit,

A

scribit, per seruum suum fructuum prouentum hoc est, tempestiuum temporariæ vitæ huius fructum & meritum exegit. Verùm agricolæ primum hunc patrisfamilias seruum, loco fructuum verberibus oneratum dimiserunt, attamen hunc non occiderunt. Eundem illum virtutum prouentum, per alium denuò seruum, vt par erat, vtlit, sed frustrà, quippè qui illum in capite sauciatum remiserint, contumelioséque de vinea expulerint. Quin tertium rursùs, & plures prætereà alios seruos, qui idem illud fructuum debitum exigerent, ad illos ablegare visum fuit: ast eodem omninò euentu, quo cæteri anteà ablegati fuerant. Tandem vt hâc saltem viâ, vultum illius veriti, confunderentur & emendarentur, per proprium filium eum tentauit: qui incredibili quoque gratiâ & beneuolentiâ cum illis egit. Misit hunc autem, tametsi quid futurum erat non ignoraret; vt colonos illos omni prorsùs ignominia & pœna dignos palam ostenderet, si huic tanto, & tam benigno filio familias morem non gererent.

Christus incredibili gratia & beneuolentia cum Iudæis egit, sed frustrà.

B

Per primum autem seruum, eos Pastores & Doctores designatos volunt, qui ætate Eliæ vixere, & ipsum etiam Eliam, cæterósque Prophetas, qui tum temporis apud Iudæos florebant. Per secundũ verò Isaiam, Oseam, Amos, & reliquos hisce Patribus æquales. Per tertiũ autem Ezechielem, Danielem, aliósque illius ætatis Synagogæ duces & Magistros. Iuxta hanc ergo partitionem, paterfamilias tribus diuersis annis, hoc est, temporibus venit fructũ ex hac ficu vel vinea quærens: sed nullũ comperit. Ad Prophetas itaque triennium illud referatur: vt quartus aduentui Domini nostri asseruetur, & non tertius.

Quid designetur per seruos quos paterfamilias misit ad exigendum fructus vineæ.

Coloni autem dixerunt: Hic est hæres, venite occidamus eum. His verbis parabola nefarium colonorum facinus aduersus Dominum suum ob oculos ponit: Etenim cum verissimè ad se missum, hæredem esse intellexissent, potiundæ hæreditatis spe incitati, maiorem crudelitatem, maiúsque piaculum in legitimum Dominum suum ausi sunt, quàm anteà vnquàm in illius seruos. Et quodnam illud? Vnicum illum legitimúmque hæredem, hoc est, cœlestis Patris Filium, immaniter trucidarunt, trucidatúmque extra vineam abiecerunt.

Crudele colonorũ facinus in Dominũ suum.

C

Et eiecerunt illum extra vineam. Coloni illi Christum extra vineam, hoc est, extra templum & ciuitatem eiectum, occiderunt.

Quid ergo faciet Dominus vineæ? Veniet & perdet colonos. Hæc secundum parabolæ seriem, ad Filium referri commodè non possunt, tametsi is quoque vnà cum patre de iniquis seruis supplicium exegerit: sed ad patrem.

Perdet colonos, & vineam suam dabit aliis. En quod Iudæorum populus in Romanorum ius ditionémque deuenerit: id non tam Romanorum, quàm vindicis Dei opus extitisse. Tunc autem mystica illa vinea aliis colonis, nempè Apostolis & Ecclesiæ doctoribus ex gentibus ad Christum conuersis, excolenda tradita est. At verò plena perfectáque improborum illorum colonorum punitio secundo Filij Dei aduentui asseruatur.

Iudæi in Romanorum ditionem Deo auctore venerunt. Hierosolyma capta, vinea mystica ad Gentes, ad Christũ per fidem conuersas translata est.

D

Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes. Dominus passim fore indicat, vt Iudæis repulsis & excisis, Gentes assumantur, & inserantur. Appositè autẽ à Domino id factũ additur: nempe vt hinc discamus, nihil eorum omniũ, quæ fiunt, Deo aduerso, aut inuito fieri. *Et est mirabile in oculis nostris.* Et hoc quoque non citra causam, vt paulò post explicabitur.

Nihil fit Deo inuito.

Lapidem, quem reprobauerunt, ædificantes. Dominus se ipsum lapidem vocat: ædificatores autem illos ipsos, quos paulò ante vineæ colonos, nimirùm Iudæorum Pontifices & Doctores. Se ipsum porrò, posteaquàm ab Architectis illis repudiatus fuerat, in caput anguli constitutum asseruit: vtpote medium inter Iudæos & Gentes. Addidit tandem à Domino factum id esse, & apud homines præsertim intelligentes miraculi loco haberi. Admirantur enim, & meritò, Christum post mortem denuò viuum in medium prodire, summáque potentiâ cœlestibus & terrestribus simul imperare, & Gentes ante profanas, sanctas Deóque acceptas & familiares efficere.

Quis lapis ab ædificantibus reprobatus, & quinam illi ædificatores.

Et quærebant eum tenere, & timuerunt turbam. Non satis erat illis, quod Christo non crederent, verùm quod reprehensionẽ eius non ferrent, ad pœnã quoque illum abripere contendebant: cum tamẽ non apertè, sed rectè admodũ illos reprehenderet, multóque Salomone teste, melior sit manifesta reprehensio, quam occulta, hoc est, simulata & adulatoria amicitia. Ad cædẽ autẽ præcipiti animo ruentes, hominũ, non Dei timore, à nefario opere absterrẽtur.

Melior manifesta reprehensio quam simulata amicitia. Iudæi humano terrore absterrentur à cæde Christi.

E

Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisæis, & Herodianis. Herodiani ætate illâ, vt fertur, erant, qui Herodẽ Christũ in lege promissũ esse contendebant. Sunt tamen, qui per Herodianos Herodis satellites intelligant. Hos autẽ tanquàm vero Christo infestissimos, suóque principi addictissimos illorũ interrogationi testes adesse voluerũt qui eum tentatũ venerãt; & aliquid ab eo, quo censũ Cæsari pẽdere vetaret, audire cupiebant: vt nimirùm Herodianorum præsidio, & testimonio stipati, efficaciorẽ aduersus illum accusationẽ instituere possent. Hâc enim mente ad Christũ venisse, præsẽs Euangeliũ disertè indicat, scribit enim.

Qui fuerint Herodiani apud Iudæos. Quare Iudæi Christum capere conantes,

F

Licet dare tributum Cæsari, an non dabimus? Huc enim pertinent præclara illa encomia & testimonia, quibus Christum cumulant. Allegant enim quod & verax sit & veritatem liberè doceat, omnémque virtutis actum verè exerceat. Tum quod vitia cum fiducia & publicè reprehendat, nullúmque metuat, prout vnum hoc inter cætera Deo peculiare est, vt nullũ curet, nulliúsque hominis faciem formidet. Hæc enim omnia eo fine afferunt, quo callidè illũ in Cæsaris contemptum pertrahant, eósque alienos ab illo reddant, qui tributũ illi exsoluere soliti erant. Compertum enim habebánt, Iudam Galilæum, quod terreno Regi parendum non esse, neque ferendum, vt singulorum facultates is censeret, docuisset, periisse, omnésque qui studia illius sectati fuerant, dissipatos esse.

Herodianos sibi adiunxerint. Iudæi, quo commodius illum capiant, Christo adulantur. Quis fuerit error Iudæi Galilæi.

Contra hoc igitur occultum & dissimulatũ tentamenti genus, Seruatoris oratio dirigitur. Primo ergo hoc ipsum reprehendit, quod tentandi animo accesserant. *Quid me,* inquit, *tentatis?* Facit hoc autẽ ne Domino astutè sese imposuisse gloriari queãt. Tunc verò, quo Christum Dominum intima cordis illorũ sensa explorata habuisse, certò hinc agnoscãt. Quod enim liquidò illa cõperta habuerit, hoc verba illa; *Qui sciens versutiã illorum, &c.* dilucidè indicant. Deinde verò denariũ, qui tributi nomine, Cæsari exolui cõsueuerat, offerri iubet. Eo tandẽ oblato quærit.

G

Cuius est imago hæc, & superscriptio? Quærit autem de numismatis inscriptione, non quod eum ignoret, verùm quo ex illorum responsione, & numismatis inspectione commodum, rationique consentaneum, ad propositam quæstionem responsum adferat, hoc est, vt ex eo, quod illi respondens, illud quoque audiant, quod necessariò inde consequebatur. Etenim cum Seruator noster, *Cuius est hæc imago, & superscriptio,* interrogasset, ipsique Cæsaris esse respondissent, statim ex illorum oratione conuenientem intulit responsionem, nempè hanc: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.*

Cur Dominus rogarit, cuius est hæc imago, &c.

Adiunxit autem: *Reddite quæ sunt Dei, Deo,* ne quàm Iudæis cauillandi ansam relinquat. Nam ni hoc fecisset, dicere poterant, Cæsari adulari voluisse: Siquidem abiecta quædam res, vilisque seruitus videtur, hominem homini obstrictum, certúmque vectigal illi exsoluere obligatum esse, Deo autem nihil. Demùm responsionis acumen admirati, (neque enim vllâ ratione illum capere poterant) victi confusique abiuerunt.

H

Et venerunt ad eum Sadducæi. Quales fuêre Sadducæi? Secta quædam Iudæorum, à Pharisæis, cæterisque Hebræorum sectis secreta, quæ inter alia docebat, neque carnis resurrectionem esse, neque Angelum, neque Spiritum. Et quidem nullam illi hic de carnis resurrectione quæstionem directè mouent. Confingunt autem rem quandam, tanquàm verè gestam, quæ (vt probabile fit) nunquàm vsu venerat; puta vnam mulierem septem ordine fratribus nupsisse. Rati hoc commento in inextricabilem difficultatem se Christum coniecturos, nullámque post hanc vitam carnis resurrectionem superesse, certo euicturos.

Errores Sadducæorum varij.

At cur non duos, aut tres, sed septem fratres eandem vxorem duxisse comminiscuntur? vt per maritorum multitudinem & copiam, resurrectionem suggillent, eandémque

A

démque publicè deridendam proponant. Quare etiam addunt, & omnes eam habuerunt. Ecquid autem ad hoc Christus? ad vtrumque respondet, non quidem ad illorum verba orationem dirigens, verum ad illorum mentem spectans. Respondet autem, carnis resurrectionem certò quidem futuram, neque talem tamen, qualem, vt tradunt quidam Pharisæi, futuram existimabant. Quid verò ait?

Pharisæi circa carnis resurrectionem quam cōfitebātur errabant.

Cur Sadducæi carnis resurrectionē negabant.

Erratis nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. Cum enim tanquàm sacrorum periti, Moysen & legem allegarent, Dominus vicissim ostendit, illos neque sacras Scripturas, neque adeò Dei virtutem, quæ in illis, & per illas manifestatur, satis intelligere. Et quia ea præcipuè de causa carnis resurrectionem inficiabantur, quod einsmodi rerum statum, & constitutionem in altero sæculo fore imaginabantur, cuiusmodi nunc experimur: propterea Dominus primum omnium causam hanc submouet, mox verò, quod ex eiusmodi falso principio illatum fuerat, aut certè inferri poterat, tollit. Vtitur autem tali oratione:

B

Cum à mortuis resurrexerint, neque nubent, neque nubentur. Sensus horum est: vos Sadducæi pro rationis vestræ fundamento mendacium potiùs, scripturas, quæ de carnis resurrectione agunt, non intelligentes, neque virtutem Dei, quæ solo verbo ex iis, quæ non sunt, constituit vniuersa corruptáque & in aërem dilapsa, in integrum identidem instaurat, non comprehendentes.

Post carnis resurrectionē nullus amplius erit ortus aut interitus. Angelorū multitudo nō per genera tionē sed per creationem est facta.

Quia ergo homines, post carnis resurrectionem in multitudinem amplius non diffundentur; sed Angelorum more integri perpetuò incorruptíque persistent, propterea nuptialis societas & communicatio nulla post hanc vitam & reliqua erit, hoc enim per verba illa: *Et erunt sicut Angeli Dei in Cœlis*, indicatur. Quemadmodùm enim Angelorum multitudo tametsi ingens per generationem non est multiplicata, neque vnquàm multiplicabitur, sed tantùm per creationem: ita quoque exsuscitatorum hominum multitudo fœlici illi sæculo, per generationem ampliùs non propagabitur.

C

De mortuis autem, quod resurgant, non legistis? Quod autem carnis resurrectio per diuinam potentiam fieri queat, eadémque certo futura sit, olim Dominus humanæ rationis argmentis missis; ex diuinæ scripturæ fundamentis constituit. Neque enim Deus apud Moysen eorum, quæ non sunt, Deum se vocat, sed rerum existentium. *Ego*, inquit ibi, *sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob*, hoc est, Ego viuentium, rerúmque existentium Deus sum, mortuorum autem, aut eorum, quæ nusquàm existunt, non ita.

Christus ex scripturis carnis resurrectionem probat. Exod. 3.

Non ignoramus verò, qui à Valentino, & Marcione stant, quæ hîc dicuntur, in dubium vocare, totiúsque Dominicæ huius sententiæ vim, ad solas animas transferre: de his enim tanquàm de viuentibus Dominum locutum dicunt: quando non mortuorum, sed viuentium Deum se appellabat. Verum hoc imperitè, neque enim de animarum resurrectione Sadducæis cum Christo & aliis certamen erat, sed de corporum. Eapropter Dominus de corporum tantùm resurrectione respondet & disputat, non etiam de animarum.

Valentinus & Marcion homines hæretici Christi verba peruertunt.

D

Dicitur autem, tum demum, qui mortuus fuerat, resurgere, cum anima vnà cum corpore, quod antè informauerat, naturaliter denuò coït; non quod anima illo temporis interuallo, quo à corpore soluta fuit, in nihilum abierit, sed quod intereà loci, quasi otiosa & inefficax propria munia, hoc est, ea, quæ in corpore alioqui solita erat, non obierit, eásque functiones extra corpus non habuerit, quæ intra illud habere & exercere consueuerat: Siquidem ex vtroque vna communis hominis vita constituitur. Quare vt homo ex mortuis verè resurgat, vtrumque rursùm simul coëat oportet.

Quis verè dicatur ex mortuis resurgere, quidque ad veram corporum resurrectionem sit necessarium.

Et accessit vnus de Scribis. Matthæus Scribam hunc tentandi animo interrogasse narrat; Marcus autem oppositum insinuat: ait enim: *Iesus autem videns, quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longè à regno Dei.* At non pugnant hîc Euangelistæ, sed oppidò inter se conspirant: Siquidem initio tentandi animo quæstionem mouit, verùm ex Domini responsione mutatus; & nonnihil quoque emendatus, laudari à Christo promeruit. Neque enim Seruator noster, in ipso statim exordio illum laudauit, sed tum demum, quando dixit: *Bene magister dixisti, &c.* Item: *Diligere proximum tanquam seipsum, maius est omnibus holocaustomatis, & sacrificiis.* Tunc enim Dominus intulit; *Non es longè à regno Dei.* Quia iam tum humilia illa & abiecta calcauerat, virtutísque principium; & quasi arcem apprehenderat. Quandoquidem omnia sacrificia, & holocaustomata, & Sabbata, & cætera omnia legalia in vnum hunc dilectionis scopum collimabant.

E

Omnia legalia sacrific legisqu. praecept referebantur ad Dei & proximi charitatem.

Sed neque post illam orationem quoque, absolutam laudem illi tribuit; sed tantùm diminutam: Nam hoc ipso quod, *Non es procul à regno Dei*, aiebat, illum à regno adhuc distare indicabat; etsi non ita procul vt antè: idque eo animo deferebat, vt ea, quæ ad finem hunc obtinendum ipsi adhuc deerant, studiosè inquireret. Et cur ergo initio eiusmodi quæstionem Christo proponebat, ais? Venabatur ansam, vt Christus Dominus propositæ quæstionis occasione se vel Deum pronunciaret, vel tale quid diceret, quod iure carpi & reprehendi posset. Quid autem ad eam captionem Dominus? Hominem omni charitate vacuum, inuidiâ autem & æmulatione rabidum & incensum ad hoc consilium deuenisse ostendit; ait verò: *Diliges Dominum Deum tuum, &c. hoc est primum mandatum, secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuū tanquàm teipsum. Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, &c.* Lex hæc eiusdem verbi circa eandem materiam repetitione, præ cæteris abūdat; habet enim: *Ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua, &c.* Facit hoc autem, vt hominē tanto Dei amore flagrare debere cōmonstret, vt nihil prorsùs in vllam omninò animæ facultatem irrepere sinat, quod suam erga Deū dilectionē excludat, aut diminuat, aut aliò trāsferat.

Cur Dominus ausus erit legisperit nō es procul à regno Dei.

F

Quo sensu Deus diligendus dicatur ex toto corde & ex tota anima, &c.

Hanc autem dilectionem, Christus Dominus, & primum, & maximum mandatum vocat, hoc quidem, quia inter omnia arcem tenet; illud verò, vt secundū quoque, quod à primo diuelli non debet, commodè inferre queat. De vno itaque; hoc est, de primo tantùm interrogatus, alterum, circa quod primum incolume consistere non valet, reticendum non putauit. Neque enim vera est illa Dei dilectio, quæ proximi dilectionem consociatam non habet: De primo proinde rogatus, secundum, quod certâ quâdam ratione primo non cedit, adiunxit.

Cur Dei dilectio appelletur primum & maximū mandatum.

G

Dilectio Dei sine dilectione proximi constare nō potest. Proximi dilectio dilectionem Dei quodammodò parit.

Secundum autem est simile illi. Cur hoc illi simile? Quia hæc dilectio illam parit, & viam quodammodò ad eam munit. Ex hoc námque quod nos ipsos (qui inter illos, qui proximi appellatione veniunt, primatum obtinemus) & proximum tanquàm membra nostra amamus prouenit, vt Dominum & Deum nostrum amemus quoque. Nam cum nos ipsos diligimus, necessariò eum etiam amamus, qui tales nos fecit, vt illi qui secundùm suam imaginem nos efformauit, similes quodammodò simus. Non enim ex eo, quòd Deum amamus, amamus nos ipsos; Verùm dum nos ipsos diligimus, incitamur & admonemur, vt grati illi simus, qui nos procreauit, taliáque ac tanta beneficia in nos contulit, qualia & quanta enumerare non valemus: adeóque vt munera ab illo nobis impensa, per dilectionem, (quæ in præceptorum obseruatione præcipuè posita est) pro viribus rependere ac compensare studeamus: notum est enim illud Christi: *Qui diligit me, sermonem meū seruabit.* Item: *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me.* Et illud rursùm eiusdē: *Omnis, qui malè agit. odit lucē, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Et illud tandē Dauidis: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis.* Quod ergo præceptorum omnium facilè caput est Legisperite? *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum.* Quæsito, quod scriba de primario legis præcepto proposuerat, soluto: Dominus vicissim eiusmodi quæstionem mouet:

H

Ioan. 14

Ioan. 3.

Psal. 13

Quomodo dicunt Scribæ, Christum esse Filium Dauid? Posteàquam Saluator eum laudauerat, qui vnum tantùm Deum esse dixerat, ne iure illi obiicere possent, quòd signa quidem & miracula patraret, legi nihilominus & Deo

A hoc ipso manifestè aduersaretur, quòd Diuinitatem temerè sibi arrogaret. Propterea quæstionem hanc mouet; arte quadam hùc illos inducere contendens, vt ipsum Deum esse agnoscant & fateantur.

Quomodò dicunt Scribæ? Cùm Christus Dominus paulò post ad crucem & mortem abiturus esset, Prophetæ locum, qui propriè & quasi ex instituto de ipso illiusque Diuinitate agit, Iudæis ob oculos ponere voluit. Fecit hoc autem non simpliciter, aut inconsultè; sed iustâ rationique consentaneâ causâ motus. Etenim cùm erroneam illorum opinionem, qui ipsum purum hominem esse credebant, euertere in animo haberet, eiusmodi Dauidis oraculum in medium adducendum existimauit, quod illum verum Deum, verumque & naturalem Dei Patris Filium esse disertis verbis prædicaret, nec non Christvm Iesvm eiusdem cum Deo Patre honoris, dignitatis & maiestatis esse clarè demonstraret. Sed neque inter hos terminos Dominus adhuc consistit, verùm vt metum illis incutiat, quæ ibidem consequuntur mox subdit, nempè hæc: *Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum:* Et vt hâc saltem ratione ad sanæ mentis statum illos reuocet, quærit ergo primo:

Dauid Christi diuinitatem eiusdémque cum Patre æqualitatem disertis verbis prædicat. Psal. 109.

B

Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Excitat autem quæsitum hoc, vt ex sua hac interrogatione, illorumque responsione commodiùs, quò tendebat, perueniat.

Dicunt ei, Dauid. Ita Dauid ipse docuerat. At rursùm interrogat ille:

Quomodo ergo Dauid in Spiritu, vocat eum Dominum? In Spiritu nimirùm sancto addit, ne, quæ dixerat ex se, vel ex suo spiritu dixisse videretur. Simili quoque consilio non dixit: quid vobis videtur de me? sed dixit: *quid vobis videtur de Christo?*

Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? En quomodo omni ex parte illos concludat & inuoluat. Interim Dauidis se filium esse non negat; absit, verùm opinionem, quam de eiusmodi cognatione habebant, emendat. Quæ enim rectè hoc loco insinuat, eiusmodi sunt. Vt vos putatis Christus Dauidis tantùm filius est, non etiam eiusdem Dominus: & tamen res ita non habet, neque enim hoc tantùm, vel illud solùm est, sed vtrumque simul est. Verùm quomodo vtrumque est, illorum interrogare erat; at nihil interrogant: Non enim quæ meritò scire, & discere debebant, ea discebant, aut scire laborabant.

Christus vtrumque est, & filius Dauidis & Dominus Dauidis. Iudæi non laborabant vt ea scirent & discerent quæ scire debebant. Christus non solùm Dauidis, sed Iudæorum omnium Dominus erat.

C

Ipse ergo Dauid dicit eum Dominum. Seruator infert, Christum Dauidis Dominum esse. Poteratne eadem opera inferre, Iudæorum omnium Dominum esse? poterat sanè; verùm vt Iudæi istud audirent, necdùm opportunum erat. Tu autem perpende hoc loco prudentem Christi Domini discursum: neque enim ex operibus tantùm Dauidis se Dominum esse ostendit, verùm ex ipsa etiam Dauidis assertione, apertaque eiusdem testificatione ostendit, æquè Prophetam Dauidem pro Christo, tanquàm pro vero suo Domino, stare & decertare, summamque inter vtrumque concordiam intercedere, atque adeò Christum non solùm legitimum Dauidis filium, sed verum quoque germanumque; Dauidis Dominum esse. Neque enim vt filius patris sui Dominus vocetur vsus habet, sed oppositum vbique obtinet. Quare etiam Bersabæa, vt Iudæi non ignorant, filium suum Salomonem, non patris sui Dominum, sed patris sui seruum vocat. Nonne, aiebat, Salomonem seruum tuum, &c. Patrem autem de filio tanquàm de Domino loqui, res est inusitata, & ab ipsa natura naturalique rerum ordine prorsùs aliena: maximè verò quando secundùm Spiritus sancti impulsum sermo instituitur. Christus itaque & filius & Dominus Dauidis est.

D

Vsus non habet vt filius patris sui Dominus appelletur, sed contra. 3.Reg.1. *Res ab ordine natura aliena, patrem de filio loqui tanquam de Domino.*

Obseruandum est hîc quoque, Dauidem non dicere, Christum Spiritus sancti Dominum esse, sed dicere; Dauidis Dominum esse: Neque enim, quia Dauid in Spiritu, vel per Spiritum loquens, Christum Dominum appellabat, ob id Spiritum sanctum in seruorum ordinem redigebat, vt illi, qui in Spiritum sanctum blasphemant, effutire audent: absit; aliud est enim, per Spiritum loqui, aliud Spiritum serui, vel instrumenti loco habere. Idem Dauid alibi se filium ancillæ Dei vocat, & plura alia id genus passim de se prædicat, quæ omnia in illum tantùm, & nullo modo in Spiritum sanctum, aut aliam quamcúmque diuinam personam conueniunt.

E *Aliud, per spiritum loqui, aliud Spiritum in seruorum ordinem redigere.*

Et dicebat eis in doctrina sua. Quibus dicebat? iis vtique, qui erant è plebe, de quibus præmiserat: *Et multa turba eum libenter audiebat.*

Turba libenter audiens Christum.

Cauete à Scribis. Cauetè vobis à Scribis ait, nolite eos æmulari, neque oculis in externam illorum speciem couiectis, felices fortunatósve illos prædicetis. Neque enim propter Deum talem speciem præ se ferunt, sed propter priuatum quæstum; nempè vt vulgò habeantur pij religiosique viri, inutilisque honoris præmium apud homines ferant. Sunt enim omnia hæc idonea superbæ cuiusdam ostentationis instrumenta, humanæque laudis aucupia.

Pharisæi externa pietatis specie, humanam tantùm laudem aucupabantur.

Qui deuorant domus viduarum. Pharisæi, ait Dominus, viduarum domus exhauriunt. Siquidem quæ infirmis & egenis viduis impendi debuerant, ea illi sub supernacanei cultus schemate, prolixæque & morosæ orationis obtentu intercipiunt. Quò autem magis à populo honorantur, ambitúmque honorem in finem deteriorem referunt, eò grauius condemnabuntur: *potentes enim potenter tormenta patientur.* Hæc autem dicens, Apostolos admonet, ne Iudæorum, Doctores, hoc est, Scribas & Pharisæos æmulentur, vel admirentur, verùm ad Domini sui imitationem sese totos potiùs componant. Etenim cùm orbis terrarum Doctores & Magistri iam tum essent designati, oportebat vt optimæ politiæ viam & rationem Christus Dominus illis præfiniret.

F *Quo sensu Pharisæi exhauriebant domus viduarum.* Sap. 6. *Apostoli orbis Doctores & Magistri.*

Et cùm venisset vidua vna pauper, misit duo minuta. Non ad id tantùm, quod mittebatur, spectabat Iesvs, quantùm ad animi promptitudinem, viduæque deuotionem. Time itaque, & Dei iudicium admirare; neque enim is tam munerum magnitudinem considerat, quàm animi alacritatem & promptitudinem ponderat. Illi, inquit, qui opibus affluebant, ex eo, quod ad quotidianum vsum necessarium non erat, impenderunt, hæc autem totum quod in bonis habebat, obtulit. Hæc proinde vidua non solùm Scribis & Pharisæis, verum lasciuientibus quoque ventrique & gulæ deditis viduis, multis partibus faustior & honoratior est. Illæ enim Magistrarum partes sibi sumentes, garrulis blandisque sermonibus, nec non nugis ad animæ salutem nihil facientibus perpetuò intentæ, impunè liguriunt, ligurientésque & aliena absumentes, vagæ passim per domos discurrunt: Hæc autem cuncta, quæ habebat, nullo vitæ præsidio sibi relicto, clam Deo largita est. Neque enim procerum assentatione, aut adulatione motâ hoc fecit, sed Deo secreto voluntatem suam probare voluit.

Deus magis ponderat animi deuotionem G *& promptitudinem quàm munerum magnitudinem.*

Improbarum viduarum delineatio.

CAPVT XIII.

Et *cum egrederetur de templo, ait illi vnus ex discipulis suis.* Marcus vnum, Lucas quosdam, Matthæus Discipulos vniuersè quæstionem hanc mouisse asserit. Marcus rursùm & Lucas vnam dumtaxat quæstionem motam scribunt, eam nimirùm, quæ de Hierosolymorum & templi euersione agit. Existimabant hi forte secundum Christi aduentum, & Hierosolymorum deuastationem ad idem tempus spectare. Matthæus autem de templi & ciuitatis destructione seorsùm, de secundo rursùm Christi aduentu sæculique consummatione seorsùm interrogasse tradit.

H

Verùm hæc facilè conciliantur, potuit enim vnus cæteros anteuertens petere, quod alij posteà repetiuerunt. Sed neque Matthæus quoque Discipulos omnes id percunctatos scribit, sed discipulos indefinitè. Quamobrem verisimile fit non omnes, sed eos tantùm id exquisiuisse, eáque de re seorsùm consuluisse exponit. Hi enim cæteris maiorem fiduciam & libertatem apud Dominum habebant. Ad alterum dici potest, de vtraque re quæstionem quidem agitatam fuisse, verùm Marcum &

A Lucam vnam tantùm, Matthæum autem vtramque attigisse.

Magister aspice, quales lapides, & quales structura. Quandoquidem Christus Dominus multa iamdudùm antè de solitudine & euersione, quæ templo, & ciuitati impendebant, prædixerat, inter cætera autem: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta:* Discipuli comminationem eiusmodi audientes & admirantes, accesserunt ad IESVM, templique pulchritudinem & venustatem eidem ostenderunt. Videntur hi, Christi prædictione non obstante, animo hæsisse, tantáne moles & ædificiorum maiestas in nihilum quandoque redigeretur.

Matt. 23.

Vides has omnes magnas ædificationes? non relinquetur, &c. Dominus Discipulorum admiratione, & interrogatione audita, nihil prorsùs motus aut mutatus, vniuersalem eorum omnium, quæ demonstrarant, & admirati fuerant, euersionem prædicare & confirmare pergit.

B Quòd si qui verò sunt, qui isthæc necdùm perfectè euenisse contendunt, eò quod quædam adhuc templi reliquiæ extare videantur; ij responsum habeant, ne hoc quidem admisso, Christi assertionem vanam esse. Nam ad cultum legalem quod spectat, nullum ampliùs eò loci, vbi is antè exercebatur, hoc tempore illius extat vestigium, adeóque vniuersalis solitudo iam olim isthic obtinet. Restat sanè quædam adhuc templi pars; siquidem ad fundamentum vsque tantùm euersum est, verùm ex illis, quæ euersa iam sunt, certò statuere licet, quod adhuc reliquum est, id totum suo posteà tempore euersum iri.

Ætate victoris Antioch. extabant adhuc templi Hierosolymitani reliquiæ, hoc est, fundamenta & quadã alia.

Dici quoque potest, & fortè rectius; quandoquidem Discipuli templum ostendebant, eiusdemque splendorem & maiestatem non citra admirationem prædicabant, per hoc insinuantes, neque consultum, neque vtile quoque videri, vt ædificium vsqueadeò augustum & nobile penitùs euerteretur: Dominum vniuersalem sententiam extulisse, qua tempus olim venturum significabat, quo omnia absolutè destruerentur, solóque æquarentur, ita vt ne lapis quidem lapidi ampliùs cohæreret: verum hoc de vniuersalis consummationis tempore, non de Ierosolymitanæ vastationis tempestate asseruisse.

C

Videtis hæc omnia? Hunc locum non eodem modo exponunt omnes; sed alij & alij alio & alio modo. Quidam namque hæc omnia ad sæculi consummationem spectare autumant: alij ad Hierosolymorum depopulationem & vastitatem. Priorem sententiam complectitur Apollinarius & Theodorus: posteriorem Titus & Ioannes regiæ ciuitatis Episcopus. Quia ergo Marcus Apostolos de solo posteriori quæstionem mouisse scribit, consentaneum est, vt nos quoque hanc potiùs, quàm illam sequamur & amplectamur.

Quæ Christus Dominus de Hierosolymorũ & templi vastatione prædixit, ea, si necdum integrè euenerũt, ad sæculi consummationẽ certò euẽtura sũt.

Aliud proindè interrogant Discipuli, aliud respondet Magister: illi enim vastitatis Hierosolymorum tempus exquirunt; Christus verò ea in medium affert, quæ ante eam vastitatem illorum mentes præmunire & in fide confirmare idonea erant. Parum namque profuisset illis, futuræ depopulationis tempus exploratum habere, nisi orthodoxâ fide validè muniti essent.

D

Etenim cùm diabolus Christi in terram aduentum obscurare vellet, primâ statim Apostolorum ætate quosdam impostores & errorum satores exsuscitauit, & in vineam Domini immisit. Qualis inter cæteros erat Theodas & Iudas Galilæus, & Simon magus, pluresque illius contagionis alij. Quia ergo malum illud impendebat, multique Christi nomen falsò sibi sumpturi erant, Seruator noster Discipulos suos tempestiuè admonendos, & fide muniendos curauit, dicit autem.

Apostolorũ ætate excitatæ variæ hæreses & sectæ.

Videte ne quis vos seducat. Cauete, inquit, ne sub falso Christi nomine quispiam vos decipiat. Hoc vnum námque si obseruaueritis, hoc est, si circa illius fidem, qui iam in mundum venit, nempe Christi, firmi immotique constiteritis. Hierosolymitanæ euersionis tempus facili negotio deprehendere poteritis.

Cæterùm quando bella illa & seditiones (quas Iosephus ciuitatis expugnationem antecessisse commemorat; cùm enim Iudæorum populus contra legitimum Magistratum furiosè insurgeret, consuetaque vectigalia Romanis ducibus pendere detrectaret, Romanorum exercitus frequentes in illum impetus, impressionésque facere compellebatur) audieritis, nihil omninò timueritis: necdùm enim ciuitatis finis est: Siquidem ob Romanorum principum clementiam, crebræ dabuntur induciæ, frequentésque à bello vacationes, Iudæi rursùm ob innatam improbitatem, suam subindè ingratitudinem in eosdem illos principes declarabunt. Dominus itaque hoc loco non de iis præliis & seditionibus agere videtur, quæ toto passim terrarum orbe, sub sæculi finem ardebunt. (Ecquid enim hæc ad Apostolos, quibuscum ille disserebat?) verùm de Iudaicis; & si ad communia illa mala, quæ sæculi consummationem anteibant, trahi quoque valeant.

E

Iudæi contra legitimus Magistratus insurgũt. Parẽthesis intercepta non ex Christi sed ex Scholiastæ persona dicuntur, neque enim tempore Christi Iosephus adhuc scripserat.

Exurget enim gens contra gentem, &c. Per hoc indicat, è remoto venturos, qui Iudæis assultent, & in ciuitatem illorum inuadant: *exurget itaque gens contra gentem, & regnum contra regnum, & erunt terræmotus per loca, & fames, & seditiones, initium dolorum hæc.* Atque hæc sola, cæteris omnibus seclusis, abundè sat erant, quæ illos commouerent, & perterrefacerent. Significat per hæc autem se ipsum quoque impetum in Iudæos facturum, bellaque & prælia contra illos conciraturum: non solùm per hostiles exercitus, verumetiam per famem, terræmotus, aliásque plagas, quales peccatoribus diuinitùs inferri solent.

F

Romani principes ante Hierosolymorum excidium in Iudæos clemẽtes. Non Romani tantùm, sed Deus quoque contra Iudæos bellum gessit. Christus cladis, quæ Iudæos oppressit autor præcipuus.

Quòd si Christus Dominus de iis calamitatibus & præliis, quæ olim vbique terrarum grassatura traduntur, disseruisset, neque quod depromebat, noua prædictio fuisset, neque Apostolos multum ea re commouisset. Propter hoc quoque non nuda bella sed multis signis & prodigiis comitata, ventura prædicit, vt hinc intelligas, ipsum cladis, quæ Iudæos oppressit, præcipuum authorem extitisse. Mihi proinde illarum miseriarum & calamitatum, quæ populo Iudæo ante captam ciuitatem euenerunt, præludia designasse videtur, iuxta illud: *Hæc autem omnia initium dolorum*, qui nimirùm obstinatæ illi genti obuenturi sunt.

G

Videte autem vosmetipsos, tradent enim vos, &c. Opportunè interserit hoc loco incommoda, & persecutiones, quæ Apostolis contingent: quæ tamen geminam consolationem adiunctam habent, alteram ex malorum communione (neque enim ipsi soli vexationem illam sustinebunt, sed vnà cum multis aliis) alterum ex eo, quòd propter Christi nomen, siue propter Christum ipsum, ea incommoda perpessuri dicuntur.

Magna in miseriis cõsolatio hominem propter Christũ affligi. Vulnera & incommoda quæ Iudæi Apostolis intulerũt, testimonium aduersus illorum perfidiam olim laturâ sũt.

In testimonium illis. Significatur per hæc nullam Iudæis iustam excusationem reliquam futuram: quippè cùm Apostoli per & propter incõmoda, quæ illis auctoribus pertulerunt, apertum aduersus eorum perfidiam & incredulitatem testimonium laturi sint.

Et in omnes gentes primùm oportet prædicari Euangelium, &c. Hoc adiungitur, ne existiment, quæ dicta fuerant, impedimento esse, quominus Euangelium liberè vbique prædicent: Siquidem ante Hierosolymam expugnatum Christi Euangelium in quamplurimis, imò verò in omnibus penè orbis partibus iam diuulgatum & prædicatum fuerat, notum est enim illud Pauli: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

H

Ante Hierosolymam captam Euãgelium toto prope terrarum orbe prædicatum.

Rom. 10.

At verò licet Apostoli vbique terrarum prædicarent, non omnes tamen illorum prædicationi aures accommodabant, aut fidem habebant: Multis namque non modò ex Iudæis, sed ex gentibus & paganis quoque illorum prædicatio in testimonium, hoc est, in accusationem & condemnationem cedebat verius, quàm in fidem & salutem.

Multis vbique Apostolorum prædicatio cessit his in testimonium hoc est in accusationem quam in salutem.

Cur, inquis, Hierosolyma non statim post Christum passum fuit capta, solóque æquata, verùm post Euangelium toto penè terrarum orbe prædicatum, & inuulgatum? Ne ingratis Iudæis vlla prorsùs iustæ excusationis causa relinqueretur. Enimverò cùm Christi virtutem vbique terrarum splendere & florere viderent, breuissimoque

A moque temporis spatio terrarum orbem ipsi per fidem adiunctum audirent, quam, quæso, à perfidiæ crimine excusationem, aut veniæ fiduciam concipere potuerunt, in eadem illa incredulitate & ingratitudine obstinatè semper persistentes? nullam profectò.

Causa cur Hierosolyma nō statim post Christum passum fuerit capta & euersa.

Quòd autem Christi Euangelium Apostolis etiamnùm superstitibus, latissimè per terrarum orbem percrebuerit, illud ex Pauli testimonio paulò antè allegato, & altero eiusdem Apostoli loco, qui in Epistola ad Coloss. extat, meridianâ luce clarius est. *Si permanetis in spe Euangelij*, scribit ibi, *quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura, quæ sub Cælo est.* Hæc ille. Porrò autem tantillo tempore, puta viginti plùs minùs annorum spatio, Euangelij doctrinam, vsque ad orbis terrarum fines peruasisse, illud euidens planéque inuictum virtutis Christi argumentum extitit. Post hunc ergo prædicationis cursum expleto, cæteraque, quæ cladem illam antegressura prædicta sunt, consummata, Hierosolymorum excidium venturum est, ait Dominus.

Cap. 1.

Inuicta virtutis Christi argumētum euidentissimum 20. annorum spatio

B

Tradent enim vos in conciliis. Ante verò Hierosolymam captam, cladésque, de quibus hîc sermo est, Iudæorum genti illatas, beati Apostoli graues admodùm persecutiones à Iudæis perpessi sunt: nam & ab illis cæsi sunt, & in vincula coniecti sunt, & ad Reges & præsides adducti sunt, & multa prætereà alia incommoda, ipsis auctoribus & impulsoribus, perpessi sunt.

Euāgelij tubā per terrarum orbē personuisse. Apostoli multa incommoda à Iudæis acceperunt.

Et cùm duxerint vos tradentes, nolite præcogitare, &c. Denuntiat illis, ne anxiè præmeditentur, quid responsuri sint, coram magistratibus constituti. *Ego enim*, inquit, *dabo vobis os, & sapientiam cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij.*

Tradet autem frater fratrem in mortem. Hîc illud Apostolis vsu venturum prædicit, quod omnium propemodùm est difficillimum & miserrimum: videlicet tantam vbique fore rerum perturbationem & calamitatem, vt ne ab iis quidem vllam omninò consolationem accepturi sint, qui summâ alioqui amicitiâ, & necessitudine coniuncti sunt: Siquidem ob bella intestina occultasque seditiones & machinationes, tantam rerum omnium confusionem & tempestatem grassaturam insinuat, vt nullus prorsus familiaritati, aut societati, nullus cognationi aut affinitati locus reliquus futurus sit.

C

Quo fit vt triplex belli genus assignari queat: Vnum, quod infertur à familiaribus & domesticis: alterum, quod ab Hæreticis & seductoribus: Tertium & postremum, quod ab exteris hostibus. At summum interim solamen affert, quòd hæc omnia propter Christi nomen illis euentura prædicantur. Hoc vnum enim, propter futuram spem, sat est ad mitigandam & submouendam omnem omninò animi tristitiam; externamque ærumnam vndecúmque ortam vel illatam.

Triplex belli genus, domesticū, externum & medium.

Cum autem videritis abominationem, &c. Per abominationem quidam profanos Cæsaris milites, qui captâ ciuitate in templum ingressi, illud profanarunt, accipiunt. Alij victoris Cæsaris statuam post vrbem expugnatam in templum illatam: & hæc opinio probabiliori ratione nititur: Siquidem omne omninò idolum, & omnis statua apud Iudæos abominatio appellabatur. Dicitur autem abominatio desolationis, quia post factum illud locus ille ab omnibus desertus, in solitudinem redactus est.

Quid designetur per abominationem desolationis.

D

Omne idolum apud Iudæos abominatio appellabatur.

Sunt qui Pilatum illum, qui Christum Dominum in Crucem egit, clam noctu Cæsaris signum in templum intulisse, & erexisse dicant; eamque rem magnas inter Iudæos turbas & tumultus excitasse. Ex eo enim tempore, vt Iosephus refert, intestina seditio exorsa, non priùs grassandi & sæuiendi finem fecit, quàm templum incensum, & ciuitas tota in vastam solitudinem versa est. Hanc ergo Cæsaris statuam in templum illatam, meritò desolationis abominationem vocat: quippè quæ illi seditioni, per quam ciuitas tota in perfectam solitudinem versa est, ansam initiúmque dederit.

Pilatus Cæsaris statuam in templum inferens, magnam in populo excitauit seditionē

Cum videritis abominationem desolationis. Vt sciant quibusdam ex illorum numero, qui tum aderant, Christúmque disserentem audiebant, in viuis adhuc degentibus

E

isthæc futura, non absque quâdam emphasi ait: *Cum videritis, &c.* Maiorem autem in modum admirari hîc licet cum Christi virtutem, tùm Apostolorum quoque constantiam & fortitudinem: vt qui toto illo, & tanto illo tempore, quo Iudæorum res erant afflictissimæ, vtpotè ex omni parte oppugnatæ, constanter semper sacris concionibus operam dederint.

Tunc, qui in Iudæa sunt. Hic rursùm Iudæorum calamitatem persequitur. Ostendit autem inter cætera tunc variis illos cum ærumnis & calamitatibus conflictaturos, quando terrarum orbis doctores, hoc est, Apostoli in magna vbique existimatione & gloria erunt. Cùm, inquit, hæc fieri cœperint, & desolationis abominatio in sacro loco constituta iam fuerit, tum demùm seriam fugam inite: Siquidem nulla tum ampliùs salutis spes reliqua vobis fiet. Neque enim erit, vt aliquam eiusmodi mutationem tum fore cogitetis, cuiusmodi in prioribus bellis & oppugnationibus sæpenumero experti estis.

F

Et qui super tectum, &c. Quasi dicat magni tum temporis beneficij loco ducatis, si vel nudo corpore mortem euadere liceat. Quamobrem qui tunc in tectis, vel agris versabuntur, ne sint solliciti, vt descendant, & vestimenta accipiant. Per hæc autem, aliaque id genus similia mala prorsus ineuitabilia, talisque calamitas insinuatur, quæ nunquàm habitura sit finem.

Orate, vt non fiat fuga vestra in hyeme, aut Sabbato Ex temporis difficultate, quam Dominus hoc loco tangit, dum ait: *Orate ne in hyeme, aut Sabbato fuga vestra fiat*, facilè colligi potest, de illis malis & miseriis disseruisse, quæ Iudæam comprehensuræ erant.

Erunt enim dies illi tales, &c. Nemo quod hic additur, hyperbolem sapere arbitretur. Qui enim Iosephi Commentarios legerit, omnia, quæ hoc loco scribuntur, verissima esse comperiet.

Et nisi abbreuiasset Dominus Dies, &c. Per hæc subindicatur, Iudæos maiorem pœnam, maioremque calamitatem, quàm hactenus exposita est, promeritos fuisse. Si enim bellum, quod Romani exercitus, contra illos eorundemque metropolim gerebant, diutius protractum fuisset, omnes simul ad internecionem vsque deleti fuissent: Siquidem per omnem carnem, vniuersam Iudæorum gentem designat, hoc est, tam eos, qui intra ciuitatem obsessi tenebantur, quàm eos, qui extra illam in diuersis locis & ciuitatibus diuersabantur. Neque enim illi solùm oppugnabantur, & ad necem petebantur, qui in Iudæa ætatem agebant; sed alij prætereà omnes, qui per terrarum orbem passim dispersi erant. G

Sed propter electos, quos elegit, breuiauit dies. Quos, quæso, hoc loco electos vocat? Eos vtique, quos in medio oppugnatorum cœtu fideles comperit. Ne enim Iudæi mentiri possent, mala, quæ pertulerant, & perferebant, propter electos illos, & promulgatum Christi Euangelium accidisse oppositum verum asserit. Asserit, inquam, nisi pauci illi electi extitissent, ad vnum omnes funditus interituros fuisse. Etenim ne illi, qui Christo per fidem ex Iudæorum genere adiuncti fuerant, vnà cum cæteris infidelibus extinguerentur; benignus Dominus cruenta illa bella tempestiuè dissoluit, sæuisque præliis & pugnis maturè finem imposuit.

Fideles ex Iudæis in causa fuerunt ne simul omnes perirent.

H

Et tunc, si vobis dixerint: Ecce hic est, &c. Absolutis illis, quæ ad Hierosolymorum euersionem & calamitatem pertinebant, ad secundum nunc aduentum suum ordine descendit, signaque, quæ eundem illum aduentum antegressura sunt, exponit. Erat autem ea signorum prænotio & indicatio non tantùm Apostolis vtilis & salutaris, verum nobis quoque, & cæteris prætereà omnibus qui post nos venturi sunt.

Et erunt, &c. Illud, Et tunc, non significat secundi aduentus signa cum Iudæorum calamitate coitura; ita vt hæc & illa in vnum, vel quasi in vnum tempus incidant, vel proximè se inuicem consequantur. Significat autem tempus, quo ea futura sunt, quæ infrà exponuntur: Solet námque scriptura eiusmodi narrationis seriem interdum obseruare. Intereà loci & illos, & nos quoque per illos,

Prænotio signorum secundi aduentus Christi omnibus vtilis & salutaris.

aduersus

A *Circa ſecundum Chriſti aduentū, varij emerſuri impoſtores & ſeductores. Primus Chriſti aduentus occultus, ſecundus manifeſtus. Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ.*

aduerſus illam tempeſtatem præmunit. Nam & varia aduentus ſui ſigna enumerat; & certas impoſtorum & ſeductorum ætatis illius notas, è quibus internoſci queant, indicat. Neque enim vt in primo aduentu, in paruo orbis angulo, hoc eſt, in Bethlehem, nullo propemodùm ſaltem initio rei eius conſcio apparuit; ita tunc quoque apparebit: Verùm tantâ claritate, & maieſtate tunc venturus eſt, vt nullis opus futurum ſit legatis, aut internuntiis, qui aduentum illius denuntient.

Exurgent enim pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, &c. Qui Apoſtolorum ætate exorti, toti in hoc erant, vt homines in fraudem & errorem inducerent, fuêre admodum acres & peſtilentes, multóſque mortalium aſtu cepêre, artéque ſeduxêre: at verò qui ſecundum Chriſti aduentum antecedent, prioribus illis multò adhuc acriores, multóque peſtilentiores futuri creduntur. Edent hi enim eiuſmodi prodigia & ſigna, vt, ſi fieri queat, electos quoque in errorem inducant; Antichriſto ſuam ea in re operam ſtudiúmque accommodantes.

B *In veteri Teſtamēto graſſabantur Pſeudoprophetæ, in nouo Pſeudochriſti, ſub finem ſæculi ſimul vtrique graſſabuntur. Tempore Antichriſti ingens ſæuiet perſecutio.*

Qui apud Iudæos itaque mortalium animas captabant, Pſeudoprophetæ erant; in noui autem Teſtamenti exordio Pſeudochriſti in medium prodiêre: Tunc autem, iuxta Chriſti prædictionem, Pſeudoprophetæ & Pſeudochriſti quaſi Symmiſtæ, eiuſdémque factionis ſectæ coniunctim graſſabuntur.

Vos ergo videte: ecce prædixi vobis omnia. Infert tandem Dominus: nemo ignorantiam oſtendat, nemo ſe non admonitum alleget; verùm vnuſquiſque ab illorum impoſtura ſibi caueat.

Poſt tribulationem illam ſol obtenebrabitur. Propter ſeductorum multitudinem, Antichriſti cæterorúmque Pſeudoprophetarum ætate, ingens vbique immanitas & perſecutio perbacchabitur: attamen vexatio illa & perſecutio non protendetur in longum. Si enim Iudaicum bellum propter electos contractum eſt, multò magis poſtrema illa tentatio propter illos ipſos electos contrahetur.

C *Quo ſēſu & modo Sol obſcurandus dicatur.*

Sol obtenebrabitur. Tranſactâ immani illâ afflictione & perſecutione, quam Pſeudoprophetæ & Pſeudochriſti paſſim excitabunt, ſtatim ſol obſcurabitur, vniuerſaque creatura immutabitur; neque mora, præ foribus aderit iudex; (Simul namque propemodùm fient hæc omnia) at verò quod Sol tenebras contracturus traditur, id non ita accipiendum eſt, quaſi lampas illius extinguatur, aut ſecundum ſe lucere deſinat; ſed quòd immenſo aduentus Chriſti ſplendore ſuperatus, lucis radios clarè vt antè non diffundat.

Et ſtellæ Cœli erunt decidentes. Rectè illud, ſed myſticè. Nam quis ſtellarum vſus futurus eſt, cùm nox nulla erit?

Et virtutes, quæ in Cœlis ſunt, mouebuntur. Angeli tantam rerum mutationem cernentes, ſuóſque conſeruos ad æternum ſupplicium abripi conſpicantes, necnon vniuerſum terrarum orbem tremendo illi iudicio iam iam ſiſtendum, animo pertractantes, præ ſtupore & admiratione ſuprà quàm dici poteſt, commouebuntur.

D

Et tunc videbunt Filium hominis. Videbunt illum corpore indutum, è Cœlo deſcendentem; quemadmodùm eodem illo habitu antè quoque in Cœlum aſſumptus fuerat.

Hoc ipſū Chriſtum Deū eſſe probat, quod Angelos tanquàm miniſtros mittat. Hic auctor Antipodas terræ rotunditatē, & alia quædam quæ hinc cōſequūtur, nega-

Et mittet Angelos ſuos. Hoc ipſo quòd Filium hominis Angelos ſuos miſſurum ſcribit, illum verum Deum eſſe diſertè oſtendit: Dei enim ſunt Angeli, illiúſque proprium eſt, Angelos mittere.

A ſummo terræ, vſque ad ſummum Cœli. Per hæc docemur Cœli terræque extrema opponi. Quare Chriſto potiùs quàm iis nos credere par eſt, qui terram, veluti minimam totius vniuerſi partem, in medio Cœli poſitam aſſerunt, Cœlique magnitudinem innumeris partibus terræ molem excedere contendunt.

A ficu autem diſcite parabolam. Affert hùc exemplum de frondeſcente ficu: quo planum faciat, non magnum inter hæc interuallum interceſſurum; Verùm Chriſti aduentum tribulationem illam mox à tergo conſecuturum. Oſtendit hoc autem non ſolùm per virentis ficus paradigma, cùm ait: *Scitis, quia propè eſt in ianuis,* verùm etiam per quædam alia.

E

Quin aliud quoque per eandem illam ſimilitudinem à ficu petitam, nobis adumbrat, nempè Dominici aduentus diem iuſtos quidem ex hyeme & tempeſtate, ad æſtatem ſummamque tranquillitatem tranſlaturum, peccatores contra de æſtate & ſerenitate ad hyemem & tempeſtatem tranſmiſſurum eſſe. Demonſtrat per idem exemplum tandem omnia, quæ Dominus forè prædixerat, certum citra vllam prorsùs controuerſiam, euentum ſortitura. Vt enim ficus viror, certus & neceſſarius æſtatis eſt nuntius, ita ſigna, de quibus hic agitur, neceſſarij & indubitati conſummationis ſæculi ſunt indices.

F

Non tranſibit generatio hæc. Non ſolum à tempore rem ſtatuit, verumetiam à Religioſi cultus ratione, piæque conuerſationis duratione. Indicat namque hominum fidelium Dominúmque ex animo quærentium genus, antequàm prædicta omnia expleantur, hoc eſt, ante ſæculi finem, nunquàm interiturum.

Donec omnia iſta fiant. Et quænam iſta omnia? Ea vtique omnia, quæ de Hieroſolymorum clade, & templi euerſione, de bellis rursùm & ſeditionibus, de cæteris denique omnibus, quæ vſque ad ſecundum Chriſti aduentum forè prænuntiata ſunt. Nam quod ſuprà dixerat: *Oportet enim hæc omnia fieri,* illud hìc denuò confirmat, dum ait: *Non tranſibit generatio hæc, donec omnia iſta fiant.* Manebit itaque generatio rectorum & fidelium, donec vniuerſa, nullo prorsùs ex iis omnibus, quæ prædicta fuerant, prætermiſſo fiant.

Sunt, qui Chriſtum de praua peruerſaque improborum Iudæorum generatione locutum exiſtiment, quaſi dicere voluerit; Impia hæc & Chriſticida Hebræorum generatio tantiſper in mundo hoc perſtabit, dum Filium hominis ſumma cum gloria & maieſtate, è Cœlo deſcendentem viderit, coramque in tanto illo ſplendore & lumine conſpicuum, contemplata fuerit, vt hac nimirum ratione impleatur, quod ſcriptum eſt: *Et videbunt, in quem confixerunt.*

G Zach.

Non deſunt tandem, qui Chriſtum Seruatorem noſtrum ad illius loci & ætatis homines promiſcuè orationem direxiſſe putent, vt ſit hìc ſenſus: Non præteribit hæc mortalium generatio, donec ea omnia Iudæis eueniant, quæ iam prædicta ſunt. Interim per illa ipſa, ea quoque confirmare voluiſſe, quæ de ſæculi conſummatione pronuntiarat.

Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Res illæ, radicibus vſque adeò firmis nixæ & immotæ, faciliùs loco mouebuntur, atque adeò in nihilum redigentur, ait Dominus, quàm vt minimum verborum meorum intercidat. Quod ſi quis eſt, qui fidem hiſce prædictionibus non habet, is ea diſcutiat, quæ dudum antè prænuntiata, nunc perfecta conſummataque cernuntur, certamque ex iis, quæ iam tranſacta ſunt, de illis coniecturam faciens, quæ adhuc reſtant, illa ipſa quoque olim futura, indubitatò ſibi perſuadeat. Neque enim Seruator noſter alia de cauſa elementum ſecundùm ſe maximè immotum in medium affert, quàm vt hoc liquidò euincat. Fatendum eſt tamen veterum quorundam Prophetarum ſtudium & exemplum ea in re ex parte imitatum. Nam Ieremias quoque certam immotamque aſſertionis ſuæ veritatem oſtendere volens, à Cœlorum ſtabilitate alicubi argumentatur.

H

Dominus igitur certum prædictionum ſuarum euentum, per Cœli terræque firmitatem declarat, ſimúlque ſe rerum omnium conditorem eſſe obliquè inſinuat. Cùm, inquam, Dominus de ſæculi conſummatione (de re vtique, quæ apud multos parùm recepta erat) verba faceret, in dictorum ſuorum fidem Cœli terræque ſoliditatem allegat, pérque hæc eadem totius vniuerſi ſe Dominum eſſe, non abſque poteſtate demonſtrat.

De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo. Cùm Angelos Cœli myſterium hoc latere dicit, Diſcipulos tacitè admonet, ne id ipſi curioſè diſcere aueant, quod Angeli ignorant. Cùm porrò addit: *neque*

Filius,

A *Mysterii consummationis Deus omninò secretum habet.* Actor.1. *Qui saeculum condidit nullum tempus, aut temporis momentum nescit. Filius habet omnia quae Pater,* B *ter excepto eo, quo Pater est. Cur Filius diem iudicij prodere noluit.*

Filius, non modò ne hoc discere studeant, vetat; verumetiam ne anxie inquirant. Quòd enim propter hoc illud dixerit, ex iis cognoscere licet, quae post illius Resurrectionem acciderunt. Nam cùm Apostolos aliquantò curiosiores videret, vt illorum curiositati silentium imponeret, diei illius ignorationem prae se ferre visus est: cum tamen aequè certò, atque Pater illum compertum haberet.

Etenim si omnia per ipsum facta sunt, quomodo fieri potest, vt diem illum ignoret? Qui enim saecula condidit, certum est eum omnia tempora, & temporum momenta explorata habere. Quod si omnia tempora nouit, omnem quoque diem sciat oporter. Quomodò enim diem, quem ipse fecit, nesciret? Si igitur Pater diem illum ignorat, & Filius quoque ignorat. Verùm quia Pater non ignorat, sed certò cognoscit, nec Filius quoque ignorat, sed certò cognoscit: vtpote Patris sapientia existens, omniaque quae Pater habet, vno hoc tantùm excepto, quòd ipse Pater non est, integrè obtinens.

Sed dicis: si Filius tempora omnia, temporúmque omnium discrimina, status, & rationes nouit, provt & illa ipsa, & caetera omnia condidit, cunctaque admirabili ordine & sapientia in suos fines dirigit, cur diem illum prodere non voluit? Vt vigiles; hùc enim spectat, quod mox subditur.

Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit. Per haec enim disertè causam aperit, quare diem illum indicare recusauerit. Nam si hoc rerum statu, quo communi lege omnes praefinitum vitae diem incertum habent, multi passim comperiuntur, qui vsque ad supremam vitae horam Baptismum differre non verentur: quid non fecissent, si consummationis tempus exploratè compertum habuissent? Quamobrem tanquàm, qui diei illius ignari sitis, *videte, & vigilate*, ait Dominus. Non dixit autem: Non noui ego: sed, Vos nescitis. Voluit per haec autem nos admonere, vt semper simus parati, & ad iter accincti.

C *Non minorem salutis quàm auari pecuniae curam habere obligamur.*

Nescitis enim, quando Dominus domus veniet, serò, an mediâ nocte, an galli cantu, an manè. Per Dominum domus seipsum non obscurè designat Saluator. Quod ad hunc autem locum attinet, excitat ignauos & desides ad studium & vigilantiam, monétque, vt quantam curam & diligentiam circa pecuniae custodiam adhibent, quae, ne furto subducatur, probabili ratione ducti formidant; tantùm illi, & nos omnes circa salutem nostram adhibeamus.

Sicut homo, qui peregrè, &c. Propter carnis oeconomiam, hominem seipsum vocat. Per peregrinationem autem suum ad Coelum reditum adumbrat. Per opus verò seruis iniunctum, accuratam praeceptorum obseruationem insinuat, quae quidem obseruatio, per ianitorem patefiat.

CAPVT XIV.

D *Die Mercurij propter inchoatam iam tum Christi passionem quondam ieiunabatur.*

ET *erat pascha, & azyma post biduum.* Duobus diebus ante passionem, & Scribae & Pharisaei & Magistratus populi, consilium inter se de nece Christo inferenda inière. Qua de causa quarta hebdomadae feria ieiunia agitamus; quasi passio illius aliquod tùm temporis exordium fecerit.

Quomodo eum dolo tenerent. Propter populum, qui IESVM sectabatur, frequensque assiduò circa illum versabatur, dolo eum capere machinantur.

Cur Iudaei Christum dolo voluerint capere & occidere. Exod.12.

Non in die festo. Sanè festum propter caedem, quam iam tùm animo conceperant, haud inuitè transtulissent, at per legem non sinebantur: Siquidem decretum, quod in legalibus illorum voluminibus traditum extabat, impleri oportebat; erat autem illud eiusmodi: Pascha vestrum quartadecimâ die mensis primi immolabitis. In eo enim mense, illóque die verum illud pascha immolari necessum erat. Ostenditur hîc autem, quomodo CHRISTVS Dominus in mortem, quam nostri causa subiit, vltrò sese obtulerit. Quandoquidem cùm illum comprehendere volebant, vt saepenumerò iamdudùm antè voluerant, eum comprehendere non potuerunt. Quando verò de illius comprehensione nihil deliberatum habebant, tunc praeter omnem illorum spem vltrò se illis dedidit; factúmque est, vt id, in quod diu multúmque magno studio incubuerant, tandem aliquandò ad finem perducerent.

E *Christus in mortem se tradidit non quando Iudaei voluerunt, sed quando ipse voluit.*

Et cum esset Bethaniae, in domo Simonis. Quae in Bethania in domo Simonis leprosi acciderunt, illa etiam Matthaeus aequè atque Marcus caeteris adiungit. Et primâ quidem facie vnam eandémque mulierem apud omnes Euangelistas decantari videri queat: & tamen res ita non habet. Nam apud tres vna eadémque celebratur, nempè admirabilis illa Lazari soror Maria: Atque hoc ipsum quoque Ioannes Regiae ciuitatis Episcopus profitetur. Origenes verò aliam illam esse dicit, quae apud Matthaeum & Marcum in domo Simonis leprosi vnguentum super caput IESV effudit, aliam rursùs eam, quae cùm in ciuitate peccatrix esset, in domum Pharisaei ingressa, pedes illius lachrymis abluit, & vnguento perfudit. Apollinarius tandem & Theodorus eandem apud omnes Euangelistas describi aiunt, Ioannem verò historiam illam caeteris accuratiùs persecutum.

Luc 7. *Variae opiniones de mulieribus quae* F *Christum vnxisse leguntur*

Ar longè verisimilius fit, quod paulò antè dicebatur, neque Origenes quoque disertè inficiatur; etsi de ea, cuius fit mentio apud Ioannem nihil dicat, videlicet, Matthaeum, Marcum, & Ioannem de eadem omninò agere, omnes namque in Bethania (quae est vicus quidam ab Ierusalem non procul distans) rem hanc accidisse tradunt. At illa verò, de qua Lucas agit, alia omninò erat, scribit enim:

Matt.26. Marc.14. Ioan.12. Luc.7. *Quae vnxit pedes Domini, secundum Origenem, Victorem Antiochenum, Basilium Seleuciae Episcopum, & alios praeterea multos,* G *non fuit Maria soror Lazari.*

Et ecce mulier, quae erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quia IESVS *accubuit, in domo Pharisaei, &c.* Haec itaque & peccatrix erat, & in ciuitate viuebat: Altera autem illa, neque peccatrix appellatur, neque in ciuitate versata describitur, sed in Bethaniae vico.

Erant autem quidam indignè ferentes. Cùm diuersi fuerint, qui vnguenti huius profusionem, veluti inutilem calumniati sint. Ioannes quidem solius Iudae traditoris mentionem facit, Matthaeus Discipulorum omnium indiscriminatim, Marcus autem quorundam tantùm. Multis proindè & variis rem hanc insimulantibus, Dominus, qui omnium sensus & corda comperta habebat, tametsi generali oratione vtatur, solum Iudam tanquàm auarum perstringit veriùs, quàm reliquos Discipulos. Nôrat enim ex quadam potiùs animi simplicitate, quàm ex malitia, aut inuidia mulieris factum improbasse. Venerat forsan illis in mentem, illud Christi: *Misericordiam volo, & non Sacrificium.*

E si plures Discipuli vnguenti profusionem improbârint, solum tamen Iudas generali oratione perstringitur, quia solus male animo H *mouebatur.*

Poterat vnguentum istud venundari, plusquàm trecentis denariis. Cùm Discipuli vnguentum illud plùs trecentis denariis diuendi potuisse asserunt, quantùm mulier illa vnguentum illud insumpserat, quantamque ex consequenti, animi alacritatem & pietatem erga Christum declarat, nobis diuinandum relinquunt.

Matt 9. *Mulier haec Christo non tam placuit propter impensam quam fecerat, quam propter fidem & deuotionem.*

Sinite eam, quid illi molesti estis? Christus Seruator noster mulieris promptitudinem, animique deuotionem ex animo complexus, causam illius publicè tuendam suscipit. Quae enim dicit, hùc tendunt: Quòd mulier haec fecit, non frustrà fecit; nam vbicumque locorum Euangelium hoc praedicatum fuerit, praedicabitur & decantabitur hoc illius factum quoque: non tam propter impensas, quas in me fecit, quàm propter fidem, quam vnà cum vnguento obtulit. Haec enim fragrantissimi odoramenti instar Christo fuit. Quare etiam vnguentum hoc pisticae pretiosaeque nardi nomine designant Euangelistae. *Sinite* ergo *illam: quod habuit, hoc fecit: Praeuenit enim vngere corpus meum in sepulturam.*

Cur vnguentum in Christi effusum dicatur nardi pistica.

Bonum opus operata est. Dominus pium illud mulieris officium, opus vocat: tanquàm quiddam quouis dicto celebrius, quódque gratâ animi memoriâ recolatur, dignius. Eodem illo facto se instantem Christi mortem & passionem non ignorasse, prodidit quoque.

Vbicum

A

Cur Dominus vnguenti effusionem opus vocet.

Vbicumque prædicatum fuerit Euangelium hoc in vniuerso mundo. Per hoc rursùm Apostolorum ad omnes gentes dispersionem denuntiat: hâc ratione de sua morte illos quodammodò consolans; Indicat enim tantâ virtute se pollere, vt post Crucem & mortem quoque Euangelij Doctores, populorúmque Pastores & Duces, quoquouersùm amandare, & dispergere valeat.

Et quod fecit hæc, narrabitur in memoriam eius. Tantùm abest, ait Dominus, vt ego illam condemnem, quasi malefecerit; aut reprehendam, quasi minùs rectè fecerit; vt factum hoc nullo vnquàm tempore latere permissurus sim. Etenim quod in domo & in occulto ab illa factum est, hoc vniuersus terrarum orbis cogniturus est: Siquidem quod illa fecit, hoc magno animi consilio, magnóque fidei ardore fecit.

Maria soror Lazari factum per totum terrarum orbem celebre.

Cur Euangelista di[em] in qui azymorũ festum proximè antecedebat, primum azymorum vocet diem.

B

Et primo die azymorum, quando pascha immolabant. Primum azymorum diem eum vocat, qui primum azymorum proximè antecedebat. Consueuerant enim Iudæi à vespera diei festi exordium facere. De illo ergo die est hîc sermo, in quo Hebræi pascha ad vesperam immolabant, azymisque panibus vescebantur: quem quidem diem nonnulli vnam, alij primam azymorum diem vocant, Lucas autem azymorum diem simpliciter appellat. Quòd autem ea dies absolutè hîc designetur, in qua Iudæi circa noctem pascha immolabant, id non ex iis tantùm, quæ obiter modò exposita sunt, euinci potest, verùm ex eo etiàm, quòd Discipuli feriâ quintâ ad IESVM accesserunt, dicentes: *Vbi vis paremus tibi comedere pascha.*

Hæc obseruent Græci, qui ad Christi exẽplum se pane fermentato vti opinãtur.

C

Quamobrem vterque Euangelista, Matthæus, inquam, & Marcus, verum dicit, dum Christum primâ azymorum die, pascha celebrasse asserit. Siquidem pascha, in quo azymo pane vescebantur, ad vesperam inchoabant. Eapropter Marcus, posteaquàm dixerat, *primo die azymorum*, statim subiungit: *quando pascha immolabant, dicunt illi, quo vis eamus, &c.*

Quò vis eamus, & paremus tibi, vt manduces pascha? Hîc manifestum fit, Christum Dominum nullum proprium domicilium, aut diuersorium habuisse. Idem de illius Discipulis citra temeritatem dici quoque potest, vt qui iamdudùm ante ab omnibus sese abdicassent. Nam si quam illi domum habuissent, ad illam vtique Seruatorem inuitassent.

Et mittit duos. Christus adornat pascha, vt ad vltimum vsque vitæ diem, legi per omnia sese obsequentem fuisse ostendat, in nulla autem re legi contrarium.

Christus poterat non pati, si ita visum fuisset.

Occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans. Mittit illos ad hominem ignotum, planum per hæc faciens, potuisse non pati: Nam qui solo verbo hospitis huius mentem potuit flectere & permouere, in aliis, si ita visum fuisset, quid non potuisset? Deinde verò, quia, vt Marcus & Lucas narrant, ad quem ituri erant, ignorabant, quasi certum itineris ducem, dedit illis signum. Neuter autem Euangelistarum scribit Christum dixisse: tecum pascha manduco; verum *vbi est diuersorium,* vel cœnatio, *vbi pascha cum Discipulis meis manducem?*

D

At illi cœperunt contristari, & dicere. Noc mirùm Apostolos contristatos fuisse: nam cùm Christi oratio nullum certum designaret, sed generatim tantùm in medium proponeretur, vnusquilibet illorum, ne de se forsan talem suspicionem cepisset, metuebat. Dicebant ergo illi: *nunquid ego sum Domine?*

Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur. Per hoc supplicium in proditorem constitutum manifestat, ne vllam ille de patrato scelere excusationem imposterum afferre queat.

Christi mors trãsitioni, quam morti similior. Ioan. 7.

Et Filius quidem hominis vadit, &c. His verbis mortem suam transitioni, aut discessui cuipiam similiorem ostendit, quàm veræ morti. Dixerat idem antè ad Iudæos quoque: *Vado ad eum, qui misit me.* Significat per eandem vocem quoque, sponte se ad mortem abire.

Satiùs est non esse quã gra-

Bonum erat ei, si non esset natus homo ille. Hoc dicitur propter duros cruciatus, quos apud inferos expensurus erat: Siquidem satiùs est multò, omnino non esse, quàm tantis miseriis & calamitatibus perpetuò obstrictum esse.

E

-issimis miseriis & pœn[is] semper obstrictum esse. Iudas cœ[na] lesti cibo refectus nibil emenda[tus].

Et manducantibus illis, &c. Insinuat hîc, Iudam tametsi diuinorum mysteriorum participem effectum, sui semper similem mansisse, hoc est, tremendæ illius mensæ cibo refectum, nihil prorsùs mutatum, aut emendatum esse; verùm in sua nequitia & auaritia obstinatè vsque perstitisse.

Cur Satanas post acceptam buccellã in Iudam introiuit. Christus Iudam tradi[turum] ...

Ioannes post acceptam buccellam, Satanam in illum introiisse scribit. At hoc ea de causa non contigit, quòd Satanas acceptum Christi corpus pro nihilo duceret, aut contemneret; sed quòd Deus impudentem proditoris ausum impunem abire non vellet. Dominus autem, licet omnium consiliorum Iudæ guarus esset, attamen à Sacramenti sui accessu illum non prohibuit. Cur ita? nempè vt hinc discas, nihil eorum prætermisisse, quæ eum ad sanam mentem reducere quoquo modo poterant.

F

à Sacra[mento] n[on] arcuit quare. Clem. li. 5. c. 1[3]. Const. Apost. alij non nulli.

Sunt tamen, qui Iudam ante porrectum Eucharistiæ Sacramentum exiuisse existiment. Sanè Ioannes quiddam eiusmodi subindicare videtur. Dicunt hi, nequaquàm decuisse, vt cædis CHRISTI minister salutaris communionis Symbolum acciperet; Addunt iidem, Christum cætera omnia æquanimiter tolerasse, hoc verò tantum piaculum neutiquàm permittere voluisse.

Dominus contulit Apostolis potestatem celebrandi & conficiendi noui Testamenti mysteria. Per pan[em] & vin[um]

Sumite, hoc est corpus meum. Quòd Dominus potestatem celebrandi & conficiendi noui Testamenti mysteria Apostolis per hæc contulerit, hoc nemo, opinor, in dubium vocat: Propter hoc enim benedixit, & distribuit, & sumere iussit. Fecit hoc autem, vt ex eiusmodi benedictione; & gratiarum actione discamus, verè magna, omnique gratiarum actione digna esse, quæ per Christi passionem dispensantur. In cuius rei typum & commemorationem diuina illa mysteria, iuxta illius mandatum, peragimus & consecramus.

G

speciem carnis & sanguinis Christi participes effic[imur].

Cum autem ad Apostolos dicit; *Hoc est corpus meum.* Item: *hic est sanguis meus*; certò apud se statuant vult, posteaquàm benedictio, & gratiarum actio, ad panem, vel calicem propositum accesserit, per panis quidem Symbolum corporis Christi; per calicem verò eiusdem sanguinis participes se fieri. Nam circa corpus & sanguinem, in communem mortalium omnium salutem & peccatorum remissionem, passionis Christi Sacramentum præcipuè transactum est. Porrò autem fides hisce de rebus animo concepta, vt illorum, quæ explera sunt, confessionem deposcit, ita credentibus indulgentiam & peccatorum veniam rependit.

Cur Dominus post resurrectionem cum discipulis edit & bibit.

Non bibam de hoc genimine vitis, vsque ad diem illum. Dominus ex mortuis excitatus cibum potumque cum Discipulis sumpturus erat, quo maiorem hâc ratione, certioremque de sua resurrectione fidem illorum animis imprimeret.

H

Christus resurrectionem suam regnum vocat, & quare.

Cùm illud bibam nouum in regno Patris mei. Patris regnum suam appellat resurrectionem; Per hanc enim & ipsi regnum obuenit, & cæteris hominibus eiusdem regni societas obtigit. Illud igitur: *Non bibam amodò de hoc genimine vitis, vsque ad diem illum, &c.* vtrumque denotabat, nempè mortis & passionis Christi vicinitatem, & certam nihilominùs eiusdem ex mortuis resurrectionem.

Sed dicis: si in eiusmodi cibo & potu imposterùm cum Apostolis communicaturus non erat, aut obiter tantùm communicaturus erat, cur circa paschatis tempus mysteria perficiebat? Quo omni ex parte constaret veteris legis authorem extitisse, & illa, quæ istic obtinebant, ea adumbrasse, quæ pertinent ad nouam.

Quid s[it] donec bibam illud nouum.

Donec bibam illud nouum vobiscum. Vobiscum, inquam, meæ resurrectionis testibus: quandoquidem vos me exsuscitatum videbitis. Quid autem sibi vult, quod dicit: *Donec bibam illud nouum?* hoc nimirùm; donec quasi totus iam innouatus, corpus indutus fuero impassibile & immortale, nullique corruptioni obnoxium, neque vllius alimenti indigum.

Et Hymno dicto. Ante passionem laudes grateſque

Deo

A

Cur Dominus post cœnam hymnum dixerit.

Deo depromit: per hoc ostendens, se vltro lubentérque pati. Tum nos quoque exemplo hoc admonens, vt aduersa, si qua nonnunquàm sese offerant, grato patientique animo perferamus: cibóque sumpto de percepto munere, Deo largitori debitam gratiarum actionem persoluamus.

Exierunt in montem Oliueti. Cur in montem exiit? vt spretis latibulis, iis commodo loco sese exponat, manifestúmque faciat, qui illum comprehensuri erant. Maturabat enim illum locum occupare, vbi anteà orare solitus erat, & quem proditor optimè compertum habebat.

Zach. 13.

Scriptum est: percutiam pastorem. Ne reprehensio durior videatur, affert Prophetæ Zachariæ oraculum, partim quidem vt illorum animos ad accuratam Scripturæ huius considerationem excitet, partim etiam vt planum hinc fiat, se illum esse, qui antehàc eos à lapsu conseruauerat.

B

Sed posteaquàm resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Hæc subdit, ne nimiâ animi ægritudine absorbeantur; tùm etiam vt Iudæorum metu posito, intrepidè iis fidant, quæ certò hoc loco promittuntur.

Petrus autem ait illi: & si omnes scandalizati fuerint, &c. Propheta Apostolorum dispersionem certò prædicente, & Christo eandem certò confirmante, Petrus nihilò seciùs grandia quædam forti pectore polliceri pergit. Monemur per hoc autem vt omnibus Christi dictis promissísque, simpliciter citra vllam prorsùs hæsitationem fidem habeamus, certissimè nobis persuadentes, illius assertionem, multò certiorem, multóque firmiorem & fideliorem esse, quibuslibet animi nostri propositis, cunctísque conscientiæ nostræ testimoniis.

Omnibus Christi dictis simpliciter fides habenda est.

Et si omnes scandalizati fuerint. Cùm Petrum, cæterósque omnes precari & dicere oportuisset: Adiuua nos Domine, ne abs te auellamur, sibi suísque viribus nimium confisi, ea temerè promisêre, quæ non præstitêre. Siquidem Dominus nimiam illam, quam præ se ferebant, audaciam animíque fiduciam nonnihil comprimere & castigare volens, Petrum quidem in trinam negationem prolabi, cæteros verò omnes per fugam dispergi passus est.

C

Apostolorum temeritas per Christum castigata.

At ille ampliùs loquebatur, & si oportuerit, &c. Quantò Christus Petri casum magis affirmat, tantò Petrus certæ prædictioni illius obnitens, fortiori pectore officium se deserturum negabat. At vnde, quæso, hæc tanta vis animi illi proueniebat? non aliundè, quàm ab incensa charitate. Cùm enim ab anxia illa cura & sollicitudine, quâ anteà propter futuram proditionem premebatur, sese liberatum videret (iam enim, qui proditionem moliebatur, patefactus erat) ingentem animo fiduciam concipiens, illa quæ modò audiuimus, plùs satis audacter depromebat. Interim res illa nonnullam quoque iactantiæ, inanísque gloriæ speciem præ se ferebat.

Petrus intensè Christum diligens quiduis promittere audebat.

Et tu hîc modo perpende, quamque modestus Apostolus Petrus post lapsum euaserit. Qui enim ante casum nihil non sibi arrogare audebat, is post lapsum contraria studia sectatus, nihil quicquam sibi, sed omnia Christo Domino tribuebat. *Viri Israëlitæ*, aiebat, *vt quid nos intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate, fecerimus hunc ambulare, &c.* Offertur autem hîc nobis singulare quoddam documentum, nempè ad depellendas grauiores tentationes, nullam hominis promptitudinem sat esse, si cœleste subsidium desit, neque vllam rursùm supernaturalem gratiam spiritale lucrum afferre, si animi promptitudo, studiosaque hominis synergia non adsit.

D

Nulla prodest animi promptitudo, si desit præsidium diuinum: neque quicquã prodest rursum gratia diuina, si desit hominibus synergia.

Sedete hîc donec orem. Mos erat Christo, seorsùm à Discipulis orare. Faciebat hoc autem, Apostolos, & nos per illos admonens & erudiens, vt precaturi secessum, locúmque à turbis secretum quæramus.

Dominus precaturus secretum locũ petebat.

Et assumpsit Petrum, &c. Cur hos tres tantùm, & non simul omnes assumpsit? ne omnes simul animis conciderent. Præ cæteris autem illos præcipuè assumendos existimabat, qui gloriæ illius in monte spectatores fuerant. Quin his quoque à tergo relictis paulum ab illis progressus, solus orationi incumbit?

Christus eos secum

E

assumpsit in hortum quos ante secũ assumpserat in montem Thabor.

Tristis est anima mea vsque ad mortem. Cur Domine Iesv mœres? cur tædio afficeris? Noui quanta bona toti mundo ex mea Cruce, & perpessione obuentura sunt, interim maiorem in modum affligit me, primogenitum meum Israëlem, non esse inter seruos meos. Obtuli pro illo preces & supplicationes, vt veniat & tandem aliquando ad Deum sese conuertat. Vbique illius superbiam & contumaciam frangere, ipsúmque ad certamina, & præmia cœlestia prouocare contendo, sed incassum omnia.

Insignis Israëlis contumacia, insignis rursùm Christi in illum benignitas.

Et venit, & inuenit illos dormientes. Graui somno oppressi cum mœsto mœrere non poterant. Ipse autem, ne res simulata, aut commentitia videatur, prolixè orat. Nam vt corpus, non vt alienum, sed vt proprium per mortem ponit, ita verè quoque & propriè orationi insistit.

Vt Christus verè moritur, ita verè quoque orat.

F

Si possibile est, transeat à me calix iste. Per hæc humanæ naturæ imbecillitatem exprimit, cum verò addit: Sed non quod ego volo, sed quod tu: virtutum, quibus ornatus erat, excellentiam & magnitudinem ostendit.

Docet per hæc eadem quoque, hominis verè studiosi partes esse, naturæ impulsu posthabito, Deo & spiritui obsequi, non etiam carnis sensui. Ad se porrò quod attinebat, necessarium erat, vt non verbis tantùm, sed factis quoque se verum hominem esse declararet, adeóque vt mortem se verè appetere palàm commonstraret.

Christus oratione suâ docuit spiritui magis, quam carnis impulsui obsequendum esse.

Et ait Petro: Simon, dormis? non potuisti vna hora vigilare mecum? Omnes quidem dormiebant, sed solum Petrum increpat: Oratione illâ eum exstimulans, suæque promissionis tacitè commonefaciens.

G

Vigilate & orate. Hæc eodem tendunt: neque enim solus Petrus operam suam Christo ad mortem vsque sanctè spoponderat, sed reliqui prætereà omnes. *Vigilate ergo & orate*, ait, *vt non intretis in tentationem.* Quandoquidem, vt paulò ante vobis prædixi, in proximo est, vt omnes à me dispergamini.

Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Ne grauiùs illos perstringere videatur. *Spiritus*, inquit, *promptus est, caro autem infirma.* Nam vt quis maximè ad bona & salutaria nitatur, attamen nisi Deus adiutricem manum porrexerit, nihil vnquàm magnum, aut singulari laude dignum præstare poterit. Caro namque pondere suo ad ima semper trahit.

Caro semper ad ima trahit.

Et iterum abiens, orauit eundem sermonem. Quod Dominus noster secundò, & tertiò idem orationis opus repetit, illud indubitatæ veritatis argumentum existit. Nam eiusdem iteratio in Scripturis sacris, certum rei euentum ostendit. Quare etiam Ioseph ad Pharaonem aiebat: *Quod autem vidisti secundò ad eandem rem pertinens, firmitatis indicium est, eo quod fiat sermo Dei.* Vt ergo idem somnium repetitum est, quo certo constaret, illud omninò futurum, quod per somnium ostensum fuerat, ita Dominus noster quoque, vt certò se verum hominem esse persuadeat, eandem orationem tertiò redintegrat.

Eiusdem redintegratio veritatis argumentum existit.

Gen. 41.

H

Veruntamen non quod ego volo. Docet hic rursùm Patris voluntati sese per omnia submittere, pérque omnia cum illa facere & conspirare.

Christus Patris voluntati per omnia obsequens.

Et reuersus, denuò inuenit eos dormientes. At quorsùm, inquis, ad Discipulos, quo illos inuisat, officiique admoneat denuò redit, neque tamen interpellat, aut admonet, sed rem totam tacitè dissimulat? Redit ad illos, quo ingentem eorum infirmitatem omnibus ob oculos ponat: siquidem semel reprehensi & admoniti, adhuc in vigilia perstare, & à somno sese continere non potuerunt.

Magna Discipulorum Christi infirmitas.

Surgite, eamus hinc: ecce qui tradet me, prope est. Per hæc, sicut per cætera fermè omnia, nullius quod fiebat necessitatis fuisse ostendit, sed admirabilis cuiusdam dispensationis. Etenim proditorem certè venturum sciebat,

Christus nullâ necessitate compulsus, sed liberâ voluntate in Iudæorum manus venit.

A

ſciebat & tamen ea de cauſa adeò fugam non inibat, vt obuiàm quoque illi procederet.

Venit Iudas Iſcharıotes, vnus è duodecim. Quod vnus è duodecim Apoſtolorum numero, vna cum turba veniſſe ſcribitur, id inſignem diaboli malitiam, infandamque proditoris nequitiam, & impudentiam arguit. Qui enim pari cum cæteris Apoſtolis honore & dignitate potiebatur, is eorum ducem & anteſignanum ſe præbet, qui Chriſtum ad ſupplicium, & mortem petitum venerant.

Inſignis impudentia & ingratitudo Iudæ. Iudas auaritia occæcatus.

Dederat autem traditor eis ſignum dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt. Iudas Chriſti gloriæ & maieſtatis prorſus oblitus, præque auaritia planè occæcatus, exiſtimabat latere ſe poſſe, ſi oſculum in amicitiæ ſymbolum prætenderet.

Aue Rabbi. Cui lethales inſidias ſtruebat, illi infelix proditor vnà cum oſculo ſalutem offert. Dominus autem oſculum offerentem non auerſatur, neque vultum ab eo vertit, oſtendit autem illum non amicitiæ ſtudio, ſed impietatis explendæ deſiderio acceſſiſſe.

B

At illi manus iniecerunt in IESVM. Scelerata Iudæorum cohors, cruentas in Dominum IESVM manus iniicit, inſontemque inuadit, idque eâdem illâ nocte, quâ Paſcha manducaturi erant: Tanto inſani homines odio in Chriſtum ardebant, tantaque furiâ inſaniebant. Verùm nihil prorſus efficere potuiſſent, niſi ipſe vltrò in mortem ſe tradidiſſet, ſeſéque illorum voluntati ſponte permiſiſſet. Interim hæc permiſſio Iudæorum cœtum à nefando ſcelere, intolerandæque pœnæ reatu non abſoluit, ſed maiori quodammodò condemnationi obnoxium reddidit. Cùm enim tantam de illius virtute, moderatione, & manſuetudine experientiam haberet, adeò ob hæc eum veneratus non eſt, vt quauis quoque furente bellua crudeliùs in eum graſſatus ſit.

Iudæi eâdem nocte quâ paſcha manducaturi erant, in inſontem Ieſum cruentas manus iniiciunt.

Vnus autem quidam de circumſtantibus, educens gladium, &c. Beati Apoſtoli amotis ſimul & pietatis ſtimulo acti, gladios oſtendunt, irruentium hoſtium impetum hoc præſidio compeſci, & à Domino ſubmoueri poſſe arbitrati. Verùm Chriſtus Dominus non ſinit iſthuc fieri: Neque enim gladio aduerſarios nos vult ſternere, aut profligare, ſed virtute, & prudentiâ, & beneuolentiâ, aliiſque ſimilibus. Hæc enim ſunt arma, quibus aduerſus hoſtes familiariter nos vti iubet. Illum porrò, qui plagam acceperat, vi quâdam diuinâ, vt alius Euangeliſta exponit, in integrum ſtatim reſtituit, illis qui ad comprehendendum eſſe venerant, hoc quoque ſigno ſe Deum eſſe palam oſtendens.

C

Quibus armis debellandi ſint hoſtes ſecũdum doctrinã Ioan. 18.

Quotidie apud vos eram in templo, docens. Cum dicit: *Quotidie apud vos eram in templo docens, & non tenuiſtis me,* planum facit, neminem prorſus illius vim frangere, aut voluntatem expugnare potuiſſe, niſi ipſe ſe capi, & ad mortis ſupplicium adduci paſſus eſſet. Aſſeruabat autem Crucem, quam noſtri cauſâ ſibi te decreuerat, tempori magis congruo, cuiuſmodi illud erat, quod tùm inſtabat: quo nimirùm Scripturæ implerentur. Per hoc clarè demonſtrans in illorum poteſtate id ſitum non fuiſſe, ſed in ſua.

D

At cur, inquis, in templo illum non comprehenderunt? Quia metuebant turbam. Quo ergo à loci & temporis opportunitate prædæ potiundæ ſpem concipiant, noctu extra hominum conſortium ſecedit.

Iudæi Chriſtum propter turbam in templo aggredi non audent.

Tunc Diſcipuli eius relinquentes eum, omnes fugerunt. Neque enim fieri poterat, vt vel veritas mentiretur, aut à veritatis ſcopo Prophetæ aberrarent.

Adoleſcens autem ſequebatur. Hic forſan è domo, in qua paſcha celebrarant, illos fuerat ſecutus. Solent enim illiuſmodi affectationes nonnunquàm contingere.

Petrus autem à longe ſecutus eſt eum. Magnus erat Diſcipuli huius feruor: neque enim cæteris fugientibus ipſe quoque fugiebat, ſed vel reſiſtebat, vel ſtatim certè pedem è fuga retrahebat: Siquidem vnà cum eo in Pontificis atrium introïbat. Aderat etiam Ioannes, ſed hic Pontifici notus erat.

Magnus Petri feruor & animoſitas.

Et adduxerunt eum ad ſummum Sacerdotem. Cur illum ad ſummum Sacerdotem adducunt? quia ibi omnes Iudæorum proceres & magiſtratus congregati erant. Quo ergo omnia ex Pontificum & Sacerdotum ſententia adminiſtrentur, vinctum Ieſum ad Caiphæ domum adducunt: Siquidem is anno illo ſummo Sacerdotio fungebatur.

E

Conuenerunt omnes Sacerdotes, & ſcribæ, & ſeniores, &c. Conuenerunt ſanè ad Concilium omnes: verùm illorum conſeſſus, nihil erat aliud prorſus, quàm peſtilentium hominum cœtus. Porrò autem inſidias ſuas tribunalis ſchemate palliantes, multa ex Chriſto non candidè, ſed captiosè & inſidiosè interrogant. Neque enim teſtimonia, quæ à ſubmiſſis teſtibus aduerſus Ieſum afferebantur, conuenientia, hoc eſt, veritati conſentanea erant, vt ſcribunt Euangeliſtæ. Nam vt illorum Concilium erat prophanum, vtpotè ex prophanis & ſceleratis impoſtoribus conflatum, ita nihil non iſtic prophanis turbis, & tumultibus erat plenum.

Concilium Phariſæorũ aliud nihil quã peſtilentiũ hominum cœtus. In Concilio Phariſæorum tales erãt teſtes, quales iudices & aſſeſſores.

F

Et quidam ſurgentes falſum teſtimonium ferebant. Falſi hi teſtes in medium progreſſi, *hunc dixiſſe audiuimus,* aiunt: *Ego diſſoluam templum hoc manufactum, & poſt triduum, aliud non manufactum reædificabo.* Quo autem teſtimonium, quod afferunt, ponderoſiùs, corámque ſenatu ſpecioſius videatur, per apertam calumniam, τὸ manufactum, & non manufactum Chriſti verbis adiiciunt.

Iudæi Chriſti verba falſificant, & inuertũt.

Sed neque Dominus quoque dixerat: Soluam templum hoc, ſed dixerat: *ſoluite templum hoc.* Neque rurſum de materiali templo verba fecerat, verùm de corporis ſui tabernaculo. Et quid ergo Pontifex? Aliquam ex illo reſponſionem elicere, eáque ratione incomprehenſum capere nitens dicit.

Non reſpondes quicquam ad ea, quæ tibi obiiciuntur ab his? Ille autem tacebat. Nam cum nullus adeſſet, qui auſcultaret, ſuperuacaneum prorſus videbatur, quicquam reſponſi dare. Erat enim veriùs iudicium illud quædam tribunalis larua, quàm legitimum Concilium, id quod Euangeliſta Lucas hoc ipſo quoque demonſtrat, quod Dominum ad illos, qui ex eo, *ſi tu es Chriſtus,* interrogabant, ita reſpondiſſe narrat. *Si vobis dixero, non credetis mihi: Si autem & interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis.*

Cur Chriſtus à Caipha interrogatus tacerat.

G

Luc. 23.

Rurſus ſummus Sacerdos interrogabat eum, & dixit: Tu es Chriſtus filius Dei benedicti? Quandoquidem multi Chriſti nomine appellabantur, nam & Sacerdotes, & Prophetæ, & Reges, Chriſti dicebantur, propterea Pontifex interrogat: Sitne ipſe Chriſtus per excellentiam, hoc eſt, Chriſtus Dei benedicti Filius? Quærit hoc autem non vt credat, verùm vt habeat, quo illum arguat & condemnet, ſi ſe hoc eſſe forte reſpondeat. Neque enim ita comparati erant Pontifices vt aliquando crederent. Quare Dominus apud Lucam ita illos affatur: *Si vobis dixero, non credetis mihi.* Verum tamen ne hoc illis reliquum fiat, vt iure quandoque dicere queant, Seruatorem noſtrum ſe Chriſtum Dei Filium eſſe nuſquam diſerte affirmaſſe, ob id Marcus planis verbis id illum pronuntiaſſe commemorat.

Chriſti nomen apud Iudæos late patens.

Cur Dominus planis diſertiſque verbis faſſus eſt, ſe eſſe Filium Dei benedicti.

H

Tu es Chriſtus Filius Dei benedicti? Per hæc plano ſenſu oſtenditur, Caipham cæteróſque Iudæorum proceres Diuinitatis Chriſti prorſus ignaros non fuiſſe: Venerant autem in eius rei ſiue notitiam, ſiue ſuſpicionem, per ſigna quæ ediderat: Nam quorſùm hunc ſolum: ipſéne Chriſtus Dei benedicti Filius eſſet, interrogare attinebat, niſi eum id eſſe ſuſpicati fuiſſent? neque enim ex aliis reis tale quippiam interrogare ſoliti erant.

Phariſæi & Scribæ & Iudæorum Pontifices Diuinitatis Chriſti non prorſus ignari.

Ego ſum, & videbitis Filium hominis, &c. Dominus manifeſtæ Diuinitatis ſuæ aſſertioni ea adiungit, quæ pertinent ad vniuerſalis iudicij ſtatum. Interminatur enim hic illis, futurum vt ſe Chriſtum in cœleſti gloria, & maieſtate conſpicuum coram quando cernant.

Chriſtus Dominus coram Caipha ſe Deum & Dominum, & mortalium omnium iudicẽ profitetur.

A dextris virtutis Dei. Per hoc non forma, aut ſpecies aliqua corporea deſignatur: (neque enim immenſus ille Spiritus vllo omninò ſenſu comprehendi poteſt) ſed ſpiritalis: alioqui enim dextera virtutis Dei, vel ſeſſio

A

Deus sensu cōprehendi nullo modo potest. Ex animæ splendore felicitate, & gloriâ, redundat splendor & gloria sensilis in corpus.

sessio ad huiusmodi dexteram, vi aliquâ sensili spectari & capi posse, quod est impossibile.

Interim Christus Dominus inaspectabili gloriâ & maiestate, suo posteà tempore sese ostensurus est: quippè cum sensilis illa maiestas & gloria illi, quæ sub aspectum non venit, indiuulsè sit adiuncta, neque secùs ferè ex illa dimanet, quàm radius è Sole. Cum ergo dicit: *Videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei*: denunciat Iudæos gloriam & maiestatem, quâ circumdatus è Cœlo ad terram sub sæculi finem descendet, certò conspecturos.

Iudei Christi confessione & cōminatione nequiores euadunt.

Verum illi his auditis, adeò non sunt moti, aut emendati, vt sanissimæ verissimæque Christi Seruatoris responsioni blasphemiæ quoque nomen imposuerint, alióśque testes inquirere, vel adhibere planè superuacaneum duxerint. Ex quo planum fit, cœlestium mysteriorum patefactionem obstinatè improbis, in nullam ferè vnquàm vtilitatem, verùm in maiorem, plerumque condemnationem cedere.

B

Christus Patri æqualē se prædicat. Summus Sacerdos scindit vestimēta, & quare.

Quid vobis videtur? Posteaquàm & Dominus se Christum Dei Filium esse, dexteræque Patris assidere, necnon vt mundum vniuersum iudicet, olim è cælo se descensurum dixerat, (per hæc enim summam se cum Patre consensionem & æqualitatem obtinere apertè declarabat) summus Sacerdos quasi orationis indignitate commotus vestem mox discidit, orationéque ad auditores conuersâ, *Audistis blasphemiam*, dixit, *quid vobis videtur.*

Caiphas assessores & circūstantes, vt mortis sententiā in insontem Iesū ferāt tātum non compellit.

Quid vobis videtur? Non fert Caiphas condemnationis sententiam per se, aut ex se, sed exigit illam ab assessoribus & circunstantibus, tamquàm de homine in manifestario, planéque confessio blasphemiæ crimine deprehenso. Præoccupat autem auditorum animos huiusmodi sermone: *Quid vobis videtur?* En apertam modò blasphemiam audiuistis. Hæc Pontifex non tam illos qui aderant, vt mortis sententiam in IESVM ferant suâ oratione incendens, quam vi quâdam importunâ hùc prorsùs compellens. Aut non ipsi, sed ipse verus odio, & inuidiâ instigatus, eiusmodi sententiam promit. Et quid ergo illi.

C

Cur Iudai extimā quā doque vestem lacerarint.

Omnes condemnauerunt eum, reum esse mortis. Illi sunt accusatores, illi Iudices, illi vt paucis dicam, sunt omnia: siquidem Pontifex tunicula dissectione, omnes permouerat, & in sententiam suam pertraxerat. Iudæi enim si quid fortè, quod aliquam blasphemiæ speciem præ se ferre videbatur, audiuissent, more suo extimam statim vestem lacerabant.

Christus Dominus summa patientia formā se omnibus proponit prophetiæ largitor & auctor.

Et cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem eius. Cœli terræque Dominus vniuersorúmque conditor & Architectus, tanquàm vnus ex nobis sputis & colaphis fœdè dehonestatur, indignéque cæsus durat & perstat, & ab impiis ludibrio habitus, patientiam constanter retinet: summæ per hæc omnia tolerantiæ & patientiæ formam seipsum nobis proponens.

D

Prophetiza. Qui omnium corda & renes scrutatur, omnísque prophetiæ auctor & largitor habetur, quomodo is, quisnam ipsum cæcidisset, ignorare poterat?

Petrus infirmatus negat Christū.

At ille negauit dicens: neque scio, neque noui quid dicas. Beatus Petrus (provt à Domino prædictum fuerat) infirmatus, vniuersorum Dominum & Seruatorem negat, idque non semel & iterùm, sed tertiâ vice: Neque id simpliciter rursùm, sed cum iuramento, vnius duntaxat ancillæ voce exterritus, & examinatus. Vtrique subitâ illâ consternatione, animique perturbatione obcæcatus Dominicæ illius comminationis: *Qui me ne-*

Matt.10. *gauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui est in Cœlis*, penitùs oblitus fuerat: quandoquidem non semel tantùm sed aliquoties coram omnibus illum negat.

An eadem ancilla Petrum bis interpellarit incertum.

Rursum autem, cum vidisset illum ancilla. Iterùm hic negat, siue ancilla, quæ circumstantibus vnum illum ex Discipulis IESV esse indicium faciebat, eadem fuerit cum prima, vt Marcus insinuare videtur, siue alia, vt Matthæus scribit. Neque enim scribentium animus, vt istud accuratè memoriæ proderetur, anxiè laborabat: vt quod ad salutaris fidei rationem non ita multum conferret.

E

Euangelista de Petri negatione clarè omnes conueniunt, de causa autē proxima, nō ita perspicuè omnes.

Quamobrem Lucas, nullâ ancillæ factâ mentione, qui autem secundam negationem, Petrum vnum ex iis esse affirmabat, qui erant cum IESV, virum fuisse commemorat. Verùm licet hæc non ita exactè inter se conuenire videantur, in eo tamen, quod hic recensere propositum illis erat summè consentiunt omnes: videlicet Petrum secundo negasse, necnon cum iuramento se hominem illum non cognoscere asseuerasse.

Post pusillum rursùm, qui astabant dicebant. En quò alij magis vrgent & affirmant; eò Petrus vehementiùs iurat, & obstinatiùs negat, vnde sequitur: *Ille autem cœpit anathematizare & iurare.*

Et statim gallus cantauit, & recordatus est petrus, &c. Posteaquàm metus ex parte decessit, & animus illius à vehementi illa commotione, quæ memoriam eius obturbauerat, nonnihil reualuit & quasi respirauit, admirabili quodã modo statim in illud ipsum malum & probrum sese decidisse comperit, in quod Dominus illum prolapsurum paulò ante denuntiauerat. Galli itaque cantu admonitus, & quasi à graui somno excitatus, & clementi simul Domini, què negauerat, oculo respectus, & in quantam demùm calamitatem præceps ruisset liquidò edoctus, foras è vestigio egressus, casum suum amarissimè deflere cœpit.

F

Petrus Galli cātu quasi à graui somno excitatus & clementi Domini oculo respectus casū suū statim agnouit & defleuit.

Et quia ex animo ad se & ad Deum rediit, suúmque lapsum vehementer doluit, factum est vt à gradu & ordine suo non deciderit, mansit enim, quod ante erat, nempè germanus verúsque IESV CHRISTI Discipulus. Quandoquidem per pœnitentiam, internúmque animi dolorem non modò certam veniæ spem, verùm plenam quoque peccatorum omnium remissionem obtinuit.

Petrus per pœnitentiam in pristinum statum &

G

locum restitutus.

Porrò autem per Sanctorum lapsus, quos Diuinæ scripturæ ob oculos nobis ponunt, admonemur, vt simile quid forte passi, seduli pœnitentiæ illorum imitatores simus. Siquidem clemens Deus vnicum salutis remedium post casum, pœnitentiam nobis reliquit, omnibúsque peccatoribus clementer proposuit. Quam illi medicinam è medio tollere conantur, qui se ipsos Catharos, hoc est, mundos vocant, haud cogitantes rem esse omnibus sordibus & inquinamentis sordidiorem & inquinatiorem, eiusmodi de se ipso opinionem concipere. Nemo enim vt sacris literis proditum est, à sordibus immunis est, ne vnius quidem diei infans.

Cur fere plura verē lapsus proponant. Vnicum salutis remediū post casū pœnitentia.

Sed neque illud quoque Cathari illi ignorent, nempè Apostolum Petrum ante Christum captum, tertióque ab illo negatum corporis, & pretiosi sanguinis Domini nostri IESV CHRISTI participem extitisse, & adhuc tamen prolapsum esse: verùm per pœnitentiam resurrexisse, & peccatorum veniam impetrasse. Ne isti ergo Dei benignitatem eiusdémque clementiam & mansuetudinem incusent, memores illius, quod per Prophetam disertè alicubi tradit: *Iniquitas impij non nocebit ei, dicit Dominus, quacunque die ab impietate sua conuersus fuerit.*

Nihil immunditiæ est qui se mundum iactat.

Petrus post acceptā Eucharistiam lapsus.

H

Ezech. 33.

Et statim gallus iterùm cantauit. Marcus Euangelista gallum, posteàquam Petrus primò negauerat, vocem dedisse scribit: Vbi autem tertiò Christum negauit, denuò cecinisse asserit. Accuratiùs hìc enim Apostoli infirmitatem, eiusdémque propter ingentem metum animi consternationem explanat, quàm Matthæus. Nam tum hic Petri sectator esset, perfectiùs, quæ ipsi acciderant, ab illo discit, quam reliqui. Interim quæ hac de re à Matthæo & Marco narrantur, etsi prima fortassis facie pugnare inter se videantur, verè tamen non pugnant: quandoquidem galli eodem gallicinio noctísve interuallo non semel aut bis tantùm canunt, sed vno eodémque tractu eandem vocem crebriùs repetant.

Cur Marcus Petri negationem accuratiùs exponat quā reliqui Euangelista.

Marcus itaque vbi semel canere cœperat, vocem non continuisse significat, verùm eandem iterùm iterúmque ingeminasse, vt vel hâc saltem ratione Petrum excitaret, eáque illi in memoriam redigeret, quæ Christus ipsi comminatus fuerat. Quare vtrumque verum

est,

A

Conciliatur Marcus cum Matthæo de Gallicantu & Petri negatione. Ante galli cantum primum absolutum Petrus ter negauit Dominum.

est, & quod Petrus ter negauerat Christum Dominum, antequàm gallus caneret, & quod post tertiam negationem denuò vocem dederit: Alterum enim refertur ad noctis vices, seu galliciniorum interualla, alterum verò ad vnius intercapedinis voces. Negauit itaque ter, priusquàm gallus vnum gallicinium integrè absolueret.

Sunt qui dicant, & in idem penè redit, quod Matthæus simpliciter & indefinitè retulerat, hoc Marcum explicatè commemorasse. Galli enim, vt nemo nescit, eandem vocem crebriùs intendere soliti sunt. Ea propter Euangelista Marcus illuc: *antequàm gallus cantet,* quod Matthæus habet, explicat in hunc modum: *Priusquàm gallus vocem bis dederit,* hoc est, priusquàm gallus secundam omnibúsque manifestam vocem dederit, *ter me es negaturus:* Marcus proindè aliis non aduersatur, sed planiùs dicit, quod cæteri contractiùs exposuerant.

B

Et cœpit flere: Petrus obuerso Christi vultu obtutúque peccati sui admonitus, lachrymas statim profundit, at non palam illud ausus est facere, quocirca egressus est, foras ibidémque amarè plorauit.

CAPVT XV.

Iudæi Christum tradunt Romanorum præsidi, paulò post eorundem exercitibus tradendi. Esai 3. Luc. 23. Cur Dominus Pilato interroganti Rex Iudæorum es tu, tantùm responderit, tu dicis. Vnicum Iudæorũ studium erat vitæ auctorem in mortẽ tradere. Iudæi Pilato multis partibus iniquiores.

ET *vincientes* IESVM, *duxerunt, & tradiderunt Pilato.* Iudæi CHRISTVM IESVM tanquàm mortis reum tradunt Pilato Romanorum Præsidi. At ipsi vicissim non ita longo post tempore Romanorum exercitibus traditi fuerunt, impletum est enim in illis, quod per sanctos Prophetas iamdudùm ante prædictum fuerat, è quibus vnus ita ait: *Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei,* alius verò: sicut fecisti, ita fiet tibi, merces tua in caput tuum.

Tu es Rex Iudæorum? Pilato interrogante: *tu es Rex Iudæorum?* IESVS respondit, *tu dicis.* Quia enim, vt Lucas scribit, cœperunt illum accusare dicentes: *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dare Cæsari, &c.* Ob id IESVS à Pilato interrogatus, respondit: *tu dicis.* Vsus est autem hoc responsi genere, ne per absolutum silentium illorum calumniam confirmare videretur. Tum etiam ne per exquisitam criminum obiectorum inficiationem aut depulsionem, in timoris cuiuspiam suspicionem fortè veniret.

C

Per diem autem festum, &c. Vnicus hic impiis Iudæis scopus propositus erat, inque vnum hoc studium incumbebant omnes, nempè vt vitæ authorem in mortem præcipitem darent: Facto hoc propalàm ostendentes, se homine idolorum culturæ addicto multis partibus nequiores esse. Siquidem Pilatus CHRISTVM IESVM non semel, sed sæpiùs ab omni prorsùs crimine alienum pronuntiarat: Illi autem manifestarum calumniarum causas hinc inde colligentes, vrgent & instant, ac: *tolle, tolle, crucifige eum,* insanis vocibus clamitant. Præses autem non absque graui increpatione, *quid enim mali fecit?* ab illis percunctatur.

D

Christus vniuersæ pietatis & sanctimoniæ magister.

At illi magis clamabant: crucifige eum. Illo, penes quem iudicare potestas erat, absoluente & liberante, scelerati Iudæi nihilò seciùs vt mortis sententiam in eum ferat, quem vniuersæ pietatis & æquitatis Doctorem, omnisque sanctimoniæ Magistrum esse publicè constabat, magnâ contentione efflagitant. Quorsùm hoc autem, nisi vt maiorem damnationem, intolerabilioremque suppliciorum causam sibi accersant?

Iudæi pro vita auctoris latronẽ sibi dari postulãt, latronis fortem olim experturi. Act. 3. Iudæi victoriam mortis genitricem obtinuerunt.

Pontifices concitarunt turbam, vt magis Barrabam dimitteret eis. Certatim itaque turmatimque vociferantur omnes, & dicunt: *Tolle illum, & dimitte nobis Barrabam.* Igitur, vt S. Petrus meritò illis obiicit, *Sanctum & iustum coram Pilato negauerunt, virum autem homicidam sibi donari petierunt:* quo nimirùm fortis illius olim socij euadant.

Pilatus ergo volens populo satisfacere. Pilatus nihil se proficere animaduertens quod petebant fieri iussit. Atque ita Iudæi victoriam obtinuêre, sed certæ mortis genitricem. Saluator quoque, quod tribunal prorsùs corruptum & deprauatum videret, nullum omninò verbum ad obiecta respondit, sed simpliciter tacuit.

E

Cur Dominus flagellis sit cæsus priusquã in Cruce agretur.

Tradidit IESVM *flagellis cæsum.* Cur Pilatus IESVM, priusquàm in crucem ageretur, flagellis cædi curauit? Aut hoc fecit, quo publicè constet, non citra grauem causam morti adiudicatum esse, adeóque iudicium suum ab omni iniustitia & iniquitate alienum esse, aut certè, quod hoc facto Iudæorum voluntati, & Romanorum quoque consuetudini sese accommodare voluerit.

Diabolus omne hominum genus infligat & armat in Christi iniuriã. Milites variis modis debacchantur in Iesum.

Milites autem duxerunt eum in atrium. Tanquàm ex condicto communique pacto diabolus in omnibus lætitiâ exultat, chorósque ducat. Nam ipsi quoque milites ex iniuriis & contumeliis, quas affatim Christo irrogant, voluptatem capiunt. Siue quod ipsi itidem Iudæis hoc nomen gratificari studerent, siue quod pro innata malitia, & improbitate isthæc designarent.

Et quidem variis viis, diuersisque modis & artibus nefarij sceleratique viri in Dominum IESVM debacchabantur: Alij enim colaphos illi infigebant, alij spineâ coronâ venerandum illius verticem contumeliosè induebant, alij tandem adorandum illud caput arundine percutiebant. Cùm hæc ergo ita habeant, quam, quæso, iustam commonitionis, aut queritationis causam nos reliquam habemus, si quâ nonnunquàm iniuriâ vel contumeliâ afficiamur? Quæ enim Christo per summam contumeliam illata sunt, ea ad summum contumeliarum omnium fastigium peruenerunt.

F

Nullam Christianus homo iustam queritandi causã habet, si quã nonnũquàm contumeliã afficiatur. Christi Discipuli non circa eas an à Christi patientiã spectaculo exclusi sunt.

Meritò quidem Christi Discipuli ad miserandum & indignum illud spectaculum admissi non sunt: periculum enim haudquaquàm leue erat, ne ex tantis illis iniuriis & contumeliis, grande aliquod scandalum caperent. Quæ enim hîc acciderunt, ea omnem modum & orationem multis partibus excedunt.

Et posteaquàm illuserunt ei. Vbi milites ad satietatem vsque, Christum Redemptorem nostrum ludibrio habuerunt, abduxerunt eum, vt crucifigeretur.

G

Christus Dominus suam ipse Crucem per ciuitatem Hierosolymorum portauit. Dominus tantisper Crucem suam baiulauit, donec extra ciuitatem occurrit Simon Cyrenæus.

Et angariauerunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum. Marcus Simoni Cyrenæo Christi Crucem impositam scribit. Ioannes autem Dominum ipsum Crucis suæ lignum baiulasse scriptum reliquit. Sed vtrumque verum & certum est: Nam initio suam ipse Crucem Seruator noster portabat: Verùm inter eundem, circa mediam fortassis viam, casu occurrit Simon Cyrenæus, quem comprehensum, vt IESV Crucem post illum baiularet, coëgerunt. Hùc enim spectant illa Matthæi: *Exeuntes autem inuenerunt hominem Cyrenæum nomine Simonem. Hunc angariauerunt, vt tolleret Crucem eius.*

Quamobrem Dominus noster intra & extra ciuitatem tantisper Crucis sui molem baiulauit, donec tandem obuiàm venit Simon Cyrenæus, qui militum imperio adactus, dilassatum IESVM ab onere illo subleuauit: Quin Euangelista Marcus quoque, hoc ipsum confirmat, dum inter cætera ita narrat.

H

Cur Simonis Cyrenæi liberi nominentur diuersa cau[s]a.

Et deducunt illum, vt crucifigerent eum. Et angariauerunt prætereuntem quempiam Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandrini & Ruffi, vt tolleret Crucem eius. Ad maiorem autem lucem, exactiorémque rei gestæ notitiam, adiungit, quorum parens Simon ille Cyrenæus extiterit. Forsan enim quidam de eo, qui Crucem IESV post illum portauerat, dubij erant, aut hic fortassis Simon per id tempus adhuc superstes erat, ita vt certò ea referre potuerit, quæ circa Crucem Domini acciderant. Fieri nihilominùs potest, ea de causa illud adiunxisse, quo ea corroboraret & illustraret, quæ cæteri Euangelistæ de Cruce deportata scripserant. Vtcumque sit, certum est, Marcum aliorum dicta eâ adiectione, euertere non voluisse.

Et si Euangelistæ de potu Christo propinato nõ eodem modo loquantur, attamen inter se non pugnãt quia nõ agunt de eadem propinatione.

Et dabant ei bibere myrrhatum vinum & non accepit. Aduerte hoc loco, Euangelistam, qui Domino IESV vinum felle mixtum oblatum scribit, neque à veritatis scopo aberrare, neque illi rursùm, qui vinum myrrhatum illi propinatum asserit, aduersari, ne ab illo tandem dissentire, qui aceti tantùm oblati meminit. Siquidem non omnes de eadem propinatione agunt, sed de alia & alia. Vnus namque ex illis, qui antequàm in Crucem ageretur factum fuerit, exponit, alter véro, quid in ipsa Cruce oblatum

A Cap. 27. Cap. 15. Cap. 19.

oblatum sit, describit. Sic quoque accipere, & gustatum reddere,& initio gustare noluisse non pugnant.

Matthæus igitur Christum Dominum, vbi vinum cum felle mixtum degustasset, bibere noluisse scribit, Marcus verò vinum myrrhatum initio, hoc est, antequàm in Crucem subleuaretur, oblatum recusasse exponit. Ioannes autem acetum, per spongiam & hyssopum ori illius admotum, accepisse tradit. Neque tamen, dum hæc scribit, cæteris, qui huius propinationis & sumptionis, (sicut nec hyssopi quoque) expresse non meminerunt, aduersatur, absit. Nam cum milites multa nefaria summa cum licentia in Iesvm designarent, (provt in magna insanientis multitudinis confusione fieri consueuit) vnus obtrudebat hoc, alius illud, alius item aliud. Multa quoque, quæ isthic facta fuerant, ab Euangelistis omninò prætermissa sunt. Addi his potest, qui scribit: *Cum accepisset* Iesvs *acetum, dixit: consummatum est*, non dicere verè bibisse: siquidem simpliciter tantùm degustare,& non bibere non contradicunt,sed prudentis menti vinum idemque offerunt.

Non omnes Euangelistæ eadem prorsus scripserunt. Non omnia quæ Christus passus est, Euangelistæ scripserunt. B

Paucis, quæcumque ab Euangelistis exposita sunt, ea omnia verissimè exposita sunt: vtpotè ab illis, qui & sancti erant, & rem optimè exploratam habebant: Neque enim temerè, aut vt sors ferebat, quæ acciderant, scriptis mandabant, sed accuratè & bonâ fide. Neque quorumlibet rursùm hominum tempore scribebant, sed eorum ætate, iisque adhuc vitæ superstitibus, qui, si quid fortè literis comprehendere ausi fuissent, præter id quod verè acciderat, falsitatis eos reuincere poterant.

Multa causa cõpellebant, vt Euangelista nonnisi vera certóque comperta scriberẽt.

Et cum eo crucifixerunt duos latrones. Christo in venetandam Crucem acto, duos vtrinque latrones vnà cum illo suspendunt. Erat sanè res isthæc, quod quidem ad Iudæorum studium & scopum attinebat, aliud nihil, quàm mera indignaque quædam contumelia, re ipsa autem Prophetiæ illius: *Et cum iniquis reputatus est*, fide expletio & in mentem reductio erat. Et cur, inquis, vniuersorum Dominus & opifex nostri causâ homo effectus tantam ignominiam, tantaque supplicia pertulit? nobis ille assimilatus est, nostrasque in se miserias & Cruces suscepit, vt naturam nostram per peccatum collapsam erigeret, & in pristinum dignitatis gradum denuò reuocaret. Commoda itaque, quæ per illius Cruciatus in nos defluxerunt, sunt permulta: Ipse enim nostra pro nobis debita exoluit, ipse peccata nostra tulit, ipse nostri causâ doluit & gemuit, &c.

Isa. 63.

C

Cur Filius Dei homo factus tanta nostrâ causâ perferre voluerit.

Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Quomodo Marcus horâ tertiâ Iesvm Crucifixum dicit, horâ autem sextâ obortas tenebras? Probabile fit, Christvm ad tertiam, vel ad finem tertiæ in Crucem sublatum: tenebras autem & reliqua prodigia circa sextam euenisse.

Noli scribere: Rex Iudæorum. Iudæi Pilatum, vt causam,quam Cruci affixerat, refigat, admonent: (ea autem erat eiusmodi scriptura: Iesvs *Nazarenus Rex Iudæorum*) at nihil obtinuerunt. Præses namque in sententia perstitit: Nam vt alius Euangelista scribit, respondit illis: *Quod scripsi, scripsi.* Interim templi magistratus populusque Iudæorum per ea, quibus Christo insultabant & illudebant, eum Regem non esse, ostendere conati sunt, sed frustrà.

Titulus crucis Iu- D *dæis exosus, sed frustrà.*

Et prætereuntes blasphemabant eum, similiter & summi Sacerdotes. Non tantùm Scribæ & Pharisæi Christo Iesv in Crucem sublato insultant,verùm cæteri quoque, qui obiter solum illàc pertransibant, virulentam linguam in illum exertare non dubitabant. Et quod omnium deterrimum erat, insontem Dominum ob imposturas & seductiones ea pati furiosè blasphemant. Inter cætera autem dicunt: *Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Si Christus Rex Israël est, descendat nunc de Cruce, vt videamus, & credamus ei.*

Etiam viatores Christo in Crucẽ sublato insultãt.

Atqui meritò obiecerit hîc quispiam illis: Si alios saluos fecit, vosque Iudæi verè & ex animo id accidisse cognoscitis, quo modo, si voluisset, ex vestris manibus se expedire non potuisset? Verùm per hæc dicta cætera quoque signa, quæ ante patrârat, calumniari, & in dubium vocare voluerunt, addunt rursùm.

E

Confidit in Deo, liberet nunc eum, si vult. At si hæc ratio vllam omninò ad sanctitatem illius labefactandam vim habet, neque Prophetæ, verè fuêre Prophetæ, neque iusti verè iusti: siquidem Deus non semper illos è periculis & sceleratorum manibus eripuit.

Deus non semper liberat iustos ex periculis.

Et qui cum eo crucifixi erant, conuitiabantur ei. Hanc de latronibus historiam Lucas accuratiùs prosequitur. Matthæus enim & Marcus rem hanc breuiter tantùm attingunt, scribunt autem Latrones, qui cum illo crucifixi erant, æquè ac cæteros, conuitia in Christum detorsisse. Lucas verò alterum quidem ex illis Iesvm conuitiatum narrat, alterum verò conuitiatoris insolentiam graui oratione compressisse & reprehendisse, cui proinde magna quoque merces, magnusque honos à Christo promissus fit. Fieri nihilominùs potuit initio vtrumque quod causam, propter quam Dominus ad mortem condemnatus fuerat, ignoraret, blasphemasse, posteà verò Christi innocentiâ compertâ, alterum quidem conuitiis valefecisse, alterum verò insanabili animi malitiâ detentum, post cognitam quoque Domini innocentiam conuitiari perrexisse.

Probabile fit vtrũque latronem quod Christi innocentiam ignorarent non habe rent, initio conuitiatum esse.

F

Et factâ horâ sextâ, tenebræ per totam terram factæ sunt. En hâc ipsâ horâ exhibetur, quod Iudæi ante à Christo petierant nempè signum cœleste. Hoc autem paulò post aliud maius consequitur, & quodnam illud? illud vtique, quod Dominus sese daturum promiserat: *Generatio* aiebat *mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ*, & aliò rursùm loco: *Cum exaltaueritis Filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum.* Etenim multò admirabiliùs erat, cùm ex Cruce adhuc pendebat, virtute illius hæc accidisse, quàm si cum in terris adhuc ambulabat, euenissent.

Christus in Cruce pendens exhibet, quod Iudæi ante ab illo petierant, nempè signum cœleste. Matt. 12. Ioan. 12.

Tenebræ per totam terram factæ sunt. Editur hîc eiusmodi prodigium, cuiusmodi anteà nusquàm, nisi in sola Ægypto, visum fuerat, idque circa tempus, quo pascha immolabatur. Etenim quæ ibi fiebant, horum typus & vmbra erant. Ne autem aduersarij cauillari possent, tenebras illas propter Solis Eclypsin obortas, propreteà decimâ quartâ Lunâ, hoc est, in ipso Plenilunio, quando Sol deliquium pati nullo modo potest, accidit hoc signum. Accidit adhuc medio die, quo omnes, qui terrarum orbem inhabitant, illud conspicari & admirari valerent.

G *Tenebræ Ægypti, figura tenebrarũ quæ acciderunt Christo in Cruce pendente.*

Erat verò obscuratio illa tanta tamque stupenda, vt sola ob miraculi magnitudinem sat esse potuerit ad conuertendum omnes quotquot spectaculo huic præsentes aderant, maximè verò quod eo tempore accidisset, quo Iudæorum principes contumeliarum & iniuriarum omnium telam iam absoluerant. Iam tum enim Deum meum missum fecerant. Iam dicteria & probra in illum iactare desierant. Iam cuncta, quæ volebant maledicta & conuitia in Iesvm meum effuderant.

Et horâ nonâ exclamauit Iesvs *voce magnâ.* Clamat & loquitur Dominus quo Iudæi illum adhuc viuere, omniumque admirabilium, quæ fiebant vnicum auctorem esse certò hinc cognoscant, cognoscendoque moderatiores & æquiores in eum euadere incipiant. Clamat autem.

H *Dominus in Cruce clamat & loquitur ob Iudæorum salutem.*

Eloi, Eloi, lamma Sabacthani. Nimirùm vt planum ex hoc fiat, ad vltimum vsque vitæ halitum Patrem honorasse, nullaque in re ipsi contrarium esse. Ea ipsa quoque de causa, nempè vt palam constet, quanta sibi cum Patre consensio & concordia intercedat, Propheticam vocem hoc loco vsurpat, ait enim:

Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Ostendit per hæc inter cætera nullam mortis causam sibi cohæsisse. Ostendit per eadem æquè se omnes vna cum natura nostras miserias & languores in se transtulisse. Nos enim ij eramus, qui à Deo proscripti abiectique per illius Crucem & mortem, qui secundum se impetrabilis est, ab

Illud, Deus meus quare dereliquisti me, non ad Christum sed ad Christi membra pertinet.

A ab eodem denuò in filios assumpti, & in vitam reuocati sumus. Ipse verò Christus secundum se, nunquàm à Patre desertus, nunquàm ab illo abiectus fuerat, notum est enim illud Ioannis: *Solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater.*

Christus nunquàm à Patre desertus. Ioan. 8.

Et quidam ex circumstantibus dicebant: Ecce Eliam vocat. Spectat hinc quoque vesanum illorum iudicium: putant namque Eliæ opem implorare. Fieri tamen potest, Romanorum militum inscitiâ hoc accidisse.

Currens autem vnus. Et hoc quoque quod spongiam aceto plenam ori illius admouebant, insanæ absurdæque illusionis opus erat. Quamobrem Dominus IESVS non solùm à Iudæis, verùm etiam à Græcis & Gentibus variis modis ludibrio habitus est.

Dominus Iesus non solum à Iudæis, verùm etiam à paganis & Græcis B *ludibrio habitus est.*

IESVS *autem emissâ voce magnâ exspirauit.* Per hoc factum Dominus IESVS demonstrabat, se totam vitam mortémque suam in libera sua potestate positam habuisse. Quare Marcus Pilatum non citra admirationem iámne obiisset interrogasse narrat, addit item: Centurionem ea potissimum de causa credidisse, quod cum valido clamore, magnæque potestatis significatione spiritum reddidisse animaduertisset. Vox autem, quâ vsus est, secundum Lucam eiusmodi erat.

Christus Dominus moriendo vitam mortémque in sua se potestate habuisse ostēditur.

Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc quoque Christi commendatio in animarum nostrarum commodum cedebat: quippè quas ille à corpore, quod inhabitauerant, absolutas, quasi quoddam depositum, in Dei viuentis manus eâ oratione tradebat. Cuius quidem rei Apostolus Petrus non ignarus, in priori sua Canonica, ita scribit: *Itaque & hi, qui patiuntur, secundum voluntatem Dei: fideli creatori commendent animas suas.*

Vox Christi morientis. Centurionem couertit. 1. Pet. 4

IESVS *autem emissâ voce expirauit: & velum templi scissum est.* Vna hæc vox & velum templi discidit, & monumenta aperuit, & domum Dei desertam reddidit. Fecit hoc autem non in templi contumeliam, sed in Sacerdotum notam. Illi enim, qui diutiùs in templo diuersarentur, indigni erant. Oportebat ad hæc vaticinium, quod de futura templi desolatione editum extabat, impleri. Oportebat æquè legis vmbras iam consummatas, iustificatisque per fidem in Christum sancta sanctorum iam tandem patefacta demonstrare. Oportebat denique iis omnibus, qui Christi vestigiis impigrè insistunt, aditum ad interius tabernaculum, omni impedimento prorsùs sublato, iam patere ostendere.

Cur voce Christi velum C *templi discissum sit.* Matt. 23.

Et velum templi scissum est. Quomodò is verus Dei Filius non erat qui & petras rumpebat, & tenebris terrarum orbem inuoluebat, & monumenta aperiebat, & mortuos vitæ restituebat? non quidem corpore, vt Elisæus, illos contingens (quippè quod tunc temporis ex Cruce adhuc pendebat) verùm solo nutu & voluntate, quos volebat, ex puluere exsuscitans.

At verò quod non tantùm mortui resurgant, sed saxa quoque rumpantur, & terra concutiatur, illud planum facit Christum, qui vel mortuus admirabilia illa faciebat, multò faciliùs Iudæos conterere, & in nihilum redigere potuisse, si ita ipsi visum fuisset.

Signa quæ Christo in Cruce pendente & moriēte euenerunt eui dentissimi diuinitatis illius testes erant. D

Erant autem & mulieres de longe aspicientes. Maria Magdalene, & Mater Domini, & Mater Ioseph, & aliæ mulieres iuxta Crucem Domini perseuerabant: Siquidem spectaculum illud mulieribus minùs formidabile erat, quàm Apostolis. De hac autem mulierum constantia Ioannes ita scribit: *Stabant autem iuxta Crucem* IESV, *Mater eius, & soror Matris eius Maria Cleophe, & Maria Magdalene.*

Ioan. 19.

Cæterùm ministerium, quod fœminæ, quæ IESVM sequebantur, præstabant, aliud ferè nullum erat, quam quod de pecuniis suis ipsi ipsiúsque Discipuli sumptus faciebant. Erat porrò mulierum illarum præsentia, & apud Crucem perseuerantia hactenùs necessaria, quatenùs ipsas, vbi Dominus poneretur, non lateret: Nam cum sepulchrum IESV inuisere, eiusdemque corpus inungere deliberatum haberent, consentaneum erat, vt locum quoque, vbi reconderetur, diligenter notarent & obseruarent.

Cuiusmodi fuerit ministeriū quod mulieres Christo præstabant.

E Et quia hoc illarum studium pium Deóque gratum erat, factum est, vt primæ omnium in IESVM iam exsuscitatum inciderent, primæque ad Apostolos certum de resurrectione nuntium deferrent. Placuit enim Domino, vt genus illud, quod ante tanquàm ruinæ nostræ causa malè audiebat, læto hoc resurrectionis spectaculo ante cæteros omnes frueretur.

Mulieres primæ de Christi resurrectione edocentur, & Apostolos edocent.

Erant autem mulieres, &c. Matthæus & Marcus nullam Matris Domini mentionem faciunt. Sunt tamen, inter quos etiam est Ioannes, qui Matthæum & Marcum per Matrem Iacobi Minoris & Ioseph, Deiparam Virginem designatam putant. Appollinarius autem Matthæum quidem & Marcum, IESV Matrem omninò prætermisisse existimat, Marcum verò per Salomen Matrem Filiorum Zebedæi insinuasse. Addit idem Apollinarius Matthæum Salomes huius sub Matris Filiorum Zebedæi nomine commeminisse. Euangelistæ autem nominatim harum mulierum mentionem fecêre, quod præ cæteris celebres, & ob virtutum ornamenta præstantes haberentur.

Hæc opinio rariori & veritati magis est consentanea, neque enim mater Dñi, fuit mater Iacobi & Ioseph, etiāsi cū F *quibusdā statuatur Ioseph habuisse liberos ex alia quadā vxore, quod ipsum quoque improbabile est.*

Venit Ioseph ab Arimathia. Etsi hic Ioseph IESVM CHRISTVM publicè non sequeretur, erat tamen germanus Christi Discipulus. Et quidem antè occultus erat, nunc verò post Domini mortem, præclarum propter IESVM facinus ausus est: Neque is enim ignotus aut obscurus quispiam erat, sed tanquàm vnus ex ordine Senatorio, apud Iudæos admodùm illustris & celebris habebatur. Ex hoc autem Iosephi facto, & summam animi illius constantiam & fortitudinem spectare licet, (parum enim aberat, quin vitam ipsam Christi causâ impenderet: quippè qui Iudæorum omnium inimicitiam propter illum in se susciperet) & summum rursùm eiusdem erga Dominum nostrum studium & beneuolentiam: Non ob id solùm, quod corpus eius à Pilato imperatum honorificentissimè & sumptuosissimè sepeliret; verùm ob id etiam, quod in proprio eóque nouo monumento illud conderet. Interim quod Christus Dominus non in veteri sed in nouo monumento conditur, illud non citra peculiarem Dei prouidentiam & sapientiam accidit: siquidem per hoc vnum præcautum est, ne vlla prorsùs suspicio oboriri possit, alium pro alio inde resurrexisse.

Ioseph ab Arimathia occultus Christi Discipulus ante, nunc efficitur manifestus. Ioseph ab Arima- G *thia præclarū propter IESV facinus ausus.*

Maria autem Magdalene, & Maria Ioseph, &c. Mulieres de quibus paulò antè habitus est sermo, assident, & accuratè, vbi Dominus ponatur, obseruant: (nihil enim adhuc eximium de Christo compertum habebant, aut animo versabant) quò Iudæis, quorum furiam muneribus iam forte deliniuerant, abeuntibus, demortuum Christi corpus liberius complecti contrectaréque queant. Ostendunt hæ autem ad mortem vsque magnam animi fortitudinem & charitatem, magnamque in pecuniarum impensa liberalitatem & magnificentiam.

Ioseph ab Arimathia tam tūm non vità prius Christo impēdit. Ioseph ab Arimathia Christi corpus honorificentissimè sepelit. Cur Christus in n

CAPVT XVI.

ET *cum transisset Sabbatum, Maria Magdalene.* Posteaquàm Dominus resurrexerat, venit Angelus Domini, & submouit monumenti lapidem. Submouit autem à sepulchri ostio grande illud saxum propter mulieres, quo nimirum sepulchrum à corpore vacuum cernentes, Angelum verò in illo sedere coram conspicantes, eum quem quærebant, ex mortuis resurrexisse certò crederent.

H *uo monumento sepultus. Cur Angelus Dñi submouerit lapidem à monumento.*

Ad tempus verò, quo mulieres ad monumentum venere, quod attinet, Matthæus Mariam Magdalenam cum altera Maria vespere Sabbati ad sepulchrum venisse scribit. Lucas verò vna Sabbati valde diluculò. Ioannes autem vna Sabbati mane, cùm tenebræ adhuc essent, hoc est, illo tempore, quo nox iam decedens ad diem inclinare videbatur, Mariam Magdalenam ad monumentum venisse asserit. Potest autem hæc temporis constitutio & vespera Sabbati vocari, & vnà rursùm Sabbatorum valdè diluculò.

Quo tempore mulieres ad sepulchrum Christi venerunt Euangelista vno prius me exponit

Quin Marcus quoque, vna Sabbotorum valdè mane

A

mane dicens, nocturnas horas etiam tùm adhuc obtinuisse subindicat. Certum est autem, omnes omninò, qui vnam Sabbati dixêre, resurrectionis diem significare voluisse. Matthæus itaque: *Vespere autem Sabbati*, dicens, resurrectionis exordium exprimit: siquidem Iudæorum Sabbatismus, omnísque illorum solemnitas & festum à vespera initium facit.

Vespera Sabbati resurrectionis exordiū continet. Iudæi à vespera diem festum ordiuntur.

At quia in quibusdam Euangelij Marci exemplaribus habetur: *Surgens autem* IESVS *mane prima Sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalene, &c.* hoc autem illi aduersari videtur, quod legitur apud Matthæum: (hic enim vespere Sabbati Dominum resurrexisse scribit) propterea comperti sunt, qui hunc Marci locum à falsariis vitiatum existiment. Verùm ne ad id hic confugere videamur, ad quod cuiuis confugere procliue est, Marci contextum vno duntaxat commate ab ea quam offert difficultate vindicare possumus.

Marcus cū Matthæo vnā dūtaxat distinctio adhibitā conciliari potest vbi de tempore dominicæ resurrectionis discrepare videntur.

B

Itaque locum hunc Euangelistæ ita legamus, vt proxime post τὸ IESVS, virgulam subiiciamus, ad hunc modum: *Surgens autem* IESVS, mox verò subdamus: *Mane primo Sabbati apparuit primo Magdalene*, ita vt illud: *Surgens autem* IESVS, reiiciamus ad id, quod apud Matthæum vespere Sabbati legitur: tunc enim ipsum resurrexisse credimus,) Quod hinc autem consequitur, nempè illud: *Mane prima Sabbati &c.* (quod alteram sententiam auspicetur) ad sequentia transmittamus. Marcus ergo Mariam Magdalenam IESVM, quem Matthæus vesperi Sabbati exsuscitatum commemorat, manè vidisse narrat. Hoc ipsum eo ipso quoque Ioannes confirmat, quod Magdalenam mane, cum tenebræ adhuc essent, illum conspexisse affirmat. Euangelistæ proinde duo tempora insinuant: vnum, in quo Dominus surrexit, quod est vespera Sabbati: Alterum, in quo apparuit, quod est mane prima Sabbati.

Christus vespere Sabbati resurrexisse creditur. Euangelistæ de Christi resurrectione differentes

C

tes duo distincta tempora assignant vnū quo surrexit, quod fuit vespera Sabbati, alterum quo mulieribus apparuit, quod fuit diluculum prima Sabbati.

Et respicientes viderunt lapidem reuolutum. Neque hoc quoque, quod mulieres, quæ summo mane ad IESV sepulchrum sese contulerant, intereà dum respectant, lapidem à monumento reuolutum vidisse hoc loco narrantur, illis aduersatur, quæ apud Matthæum ea de re leguntur, scribit is autem in hunc modum: *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalene & altera Maria videre sepulchrum. Et ecce terræmotus factus est magnus: Angelus enim Domini descendit de Cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum: Erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimentum eius sicut nix.* Nam dum mulieres anxiè, vt est apud Marcum, inter se disquirunt & disserunt, & *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* dicunt: illo tum temporis necdùm deuoluto, Angelus è cœlo descēdit, saxumque à monumento submouit, atque ita respicientes, lapidem ex insperato reuolutum viderunt. Quod autem ab Angelo reuolutus fuerit, hoc Marcus reticuit, quia Matthæus iam ante illud exposuerat.

D

Denique licet Matthæus Angelum super lapidem sedisse scribat, Marcus verò mulieres, posteaquàm in monumentum ingressæ fuerant iuuenem stolâ candidâ coopertum à dextris sedentem vidisse narrat, adhuc nullo vero dissidio hi Euangelistæ inter se pugnant: siquidem cōtingere potuit, vt illum ipsum Angelum, quem secundum Matthæum fulguris more splendentem candidoque vestitu instar niuis micantem lapidi insidentem viderant: posteaquàm iam in monumentum intrauerant, quasi viæ ducem præeuntem, nec non à dextris se collocantem conspexerint. Quem quoque Angelum Marcus in iuuenis schemate visum asserit. Nam Matthæus quâ formâ à mulieribus conspectus fuerit, non exponit. Quod ergo à Matthæo prætermissum fuerat, hoc Marcus expleuit.

Eundem Angelū, qui lapidi insidebat postea intra monumentum se collocasse verisimile est.

Non nescimus autem esse, qui varias visiones contigisse dicant & doceant, eáque ratione omnem, quæ se inter Euangelistas offerre videtur, diaphoniam è medio tollant. Aiunt itaque, alias esse mulieres, quarum fit mentio apud Matthæum, alias rursùm, quarum apud Marcum. Addunt Mariam Magdalenam propter incensum erga Christum studium, omnibus se adiunxisse, eáque de causa vni illi diuersas visiones obtigisse. Scribunt tandem tempora, quibus à mulieribus ad monumentum ventum est, ab Euangelistis diuersa assignari. Secundùm illos igitur, alij alias mulieres, alia tempora, alia referunt visa. Atque ita vnus Euangelista, quod ab aliis dictum, vel scriptum fuerat, non euertit.

Hæc opinio non est improbabilis.

E

Nolite expauescere, IESVM *quæritis, &c.* Primum omnium omnem animi metum mulieribus eximi oportuit, ac tum demum de Christi resurrectione verba ad eas facere. Angelus itaque ante omnia omnem pauorem illis adimit: Nam & forma, in qua apparebat, læta erat, adeóque aliquod non omninò obscurum resurrectionis symbolum præ se ferebat, & verbis præterea blandis illas compellabat, aiebat enim, IESVM *quæritis Nazarenum crucifixum.* Non erubescit crucifixi nomen: hoc vno enim nomine & re omnium bonorum nostrorum summa continetur.

Læta forma, in qua Angelus visus est, resurrectionis symbolū erat. Vno crucifixi nomine continetur tota salus nostra.

F

Surrexit. Vnde hoc notum? quia *non est hic. Ecce locus, vbi posuerunt eum.* Propter hoc enim, nimirùm quod locum, vbi positus fuerat, vacuum demonstrare posset, lapidem sustulerat.

Sed ite, dicite Discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam. En aliis quoque Resurrectionis mysterium denuntiare iubet: Hoc autem id, quod Angelus mulieribus denuntiabat, maximè credibile efficiebat.

Et Petro. Per hoc quod rei huius indicium Petro vult fieri, admonet illas, eum, qui propter negationem antè reiectus videri poterat, nunc per & propter pœnitentiam denuò assumptum, & inter cæteros Apostolos æquè atque ante rursùs numeratum.

Petrus per pœnitentiam recuperauit ordinem & magistri sui gratiam.

Præcedet vos in Galilæam. Rectè in Galilæam, non etiam in Hierusalem: per hoc enim ab omni difficultatis & discriminis formidine illas absoluit, idque cum ob alia, tùm verò præcipuè, ne metus fidem illarum plus iusto contunderet.

At illæ exeuntes fugerunt de monumento. Etsi Maria Magdalena & Maria Iacobi, & Salome aromata præparauerant, attamen, si Eusebio Cæsariensi fides est, non sunt tres illæ eæ, quæ orto iam sole ad monumentum venerunt, sed aliæ innominatæ. Multæ enim erant, quæ vna cum CHRISTO Hierosolymam ascenderant. Illæ verò, quæ secundùm Marcum, exorto iam sole, ad sepulchrum venerunt, erant admodùm simplices & imperfectæ. Quare etiam non noctu, sed mane ad monumentum veniunt.

Non est certum

G

omninò mulieres quæ orto sole monumentum venerunt fuisse Magdalenam, Mariam Iacobi & Salomen.

Ad hæc cùm ab Angelo audissent, *ite, & annuntiate Discipulis eius, & Petro*, statim fugerunt, neque quicquam omninò ex iis, quæ in mandatis acceperant, cæteris patefecerunt: metuebant enim, neque fidem quoque, quam oportebat visioni habebant. Et quia tales erant, neque quæ Saluatorem viderent: neque quæ Angelum instar fulguris fulgentem, aut duos Angelos in monumento sedentes, aut duos viros iuxta, vt Lucas narrat, astantes conspicerent, dignæ visæ sunt. Viderunt autem quendam tantùm iuuenem albâ stolâ amictum, hoc est, visionem animi illorum exilitati & simplicitati planè conformem.

Cap. 4.

H

Secundùm Eusebium igitur Marcus non de Magdalena, sed de aliis incerti nominis mulieribus hæc narrat. Neque enim fieri potest, addit idem vt Magdalena post tantas res visas, orto demùm sole, ad monumentum veniret, aut quis lapidem reuolueret, anxiè inquireret.

Non desunt tandem, qui Euangelistas iis, quæ in Christi Resurrectione acciderunt, non interfuisse dicant, adeóque vnum quemlibet ex illis simplicissima narratione ea tantùm complexum, quæ ex tantis illis, quæ præter omnem spem euenerant, audiuerat: Diuino interim spiritu rem omnem ita ordinante & administrante, vt omnibus palam constaret, de Resurrectionis miraculo, cæterisq; omnibus fidei mysteriis simpliciter, omni prorsùs curiositate anxiáque disputatione seclusâ, scripsisse & docuisse. Illud ipsum tamen eâ sapientia & cautione, vt nunquàm verè pugnantia prædicauerint, aut literis mandauerint.

A

TITVS BOSTRORVM Episcopus in Sacrosanctum IESV CHRISTI Euangelium, secundùm Lucam.

TITVS Bostrorum Episcopus tempore Iuliani Apostatæ claruit, quem Episcopatu eiusdem Vrbis Iulianus exturbare conatus est, vt refert Sozomenus lib. 2. hist. cap. 14. *& alij. Imò ea de re extat epistola Iuliani ad Bostrenos Græcè edita. Mortuum autem Titum sub Valente S. Hieronymus in cathologo prodit. At auctor huius operis cum sæpiùs citet Ioannem Chrysostomum & Isidorum Pelusiotam Chrysostomi discipulum, item & Cyrillum Alexandrinum, & constet Chrysostomum sub Iuliano fuisse puerum aut tantum octo annorum: nam cum auctoribus Leone Augusto, Georgio Alexandrino, Zonara, aliisque in eius vita, obierat, natus annos quinquaginta duos, menses octo, Honorio septimum, & Theodosio secundum Coss. hoc est anno Domini secundum exactiorem chronologiam 407. oportuit eum ortum anno Christi 354. & ita anno 362. qui erat secundus Iuliani imperij non excesserat octauum ætatis annum: Rursumq; Isidorus & Cyrillus iuniores Chrysostomo fuerint. Hinc non parua suspicio est alterius potius quam Titi Bostrensis Episcopi hoc esse opus. Accedunt & aliæ coniecturæ quas omittimus.*

B

EX BELLARMINO DE SCRIPT. Ecclesiasticis.

Titus Bostrorum Episcopus vixit sub Imperat. Iuliano, sed obiit sub Valente, vt S. Hieron. testatur in *lib. de Script. Eccles.* scripsit egregios libros contra Manichæos, è quibus tres cum argumento quarti, editi sunt Ingolstadij anno 1604. ad Henrico Canisio *tomo. 5. antiq. Lectionis*: Extant etiam eiusdem Titi Commentaria in Lucam. Obseruandum est autem ea non posse esse huius Titi, quoniam author horum Commentariorum passim citat Chrysostom. Cyrillum Alexandrin. & Pelusiotam, qui pueri erant cum Titus moreretur.

C

Inter Euangelistas, solus Lucas exordio vsus.

QVONIAM *quidem multi, &c.* Cæteri Euangelistæ ab ipsis statim rebus initium faciunt. Lucas verò, tanquam grandia quædam expositurus breui exordio præmisso, rem aggreditur, ait autem.

Quoniam quidem multi conati sunt, &c. ἐπεχείρησαν, hoc est, tentarunt, adorti, vel aggressi sunt. Indicat hâc voce Euangelista, fuisse, qui diuinæ gratiæ præsidio destituti, ad texendam Euangelij historiam sese contulerant. Matthæus enim non tentauit, sed cœlesti spiritu afflatus, conscripsit. Idem statuas de Marco, Ioanne, & Luca. Porrò Euangelium, quod inscribitur secundùm Ægyptios, tum illud rursùm, quod duodecim Apostolorum titulum præ se fert, hoc ab iis prodiit, qui Euangelium scribere conati sunt. Feruntur permulta alia Euangelia, verùm Ecclesia ex omnibus quatuor duntaxat recipit.

Euangelium secũdũ Ægyptios

D

& duodecim Apostolos apocriphum. Ecclesia quatuor tantùm Euangelia recipit.

Rerum πεπληροφορημένων, hoc est, certò compertarum, Significat hoc verbo ea literis se commissurum, non quæ incertâ aliorum relatione didicerat, aut solâ humanâ fide acceperat, sed quæ exploratè norat, perfectéque reipsa assecutus fuerat.

Rerum: appositè hoc, neque enim Dominus IESVS imaginaria, vt hæreticis nugari lubet, sed verâ naturalique carne indutus, in mundum hunc venit. Nam, vt ipse veritas est, ita quæcunque patrauit, aut pertulit, verè patrauit & pertulit.

Dei verbum non externo tantùm schemate, sed

Qui ab initio, &c. Hoc addit. quod fidum scriptorem se probet: sensus enim est, quæ scribo, ea ab illis non accepi, qui intermedio tempore consecuti sunt, neque ab illis etiam, qui post res perfectas vocati sunt: sed ab illis, qui ab initio rerum gestarum spectatores, verbique ministri fuerunt. Allegat autem testes omni exceptione maiores, quo historiæ Euangelicæ, quam conscribit, robur & auctoritatem comparet: per rerum autem spectatores, verbique ministros sanctos Apostolos designat.

Qui ministri fuerunt τοῦ λόγου, hoc est, verbi, vel doctrinæ, quam verbum tradebat. Recipit námque hic locus vtramque expositionem: nam & doctrinæ, quam Seruator proseminauerat, subseruierunt: & ipsi rursùm verbo familiare obsequium præstiterunt.

Sicut tradiderunt. Per hoc omnem ab Apostolis inuidiam submouet. Significat his enim: Quod gratis illi acceperant, hoc gratis nobis tradiderunt.

Visum est & mihi assecuto omnia à principio diligenter, &c. Quæ dicit, hùc tendunt: posteaquàm omnia, quæ iam inde ab exordio acciderunt, accuratè percepi, forsan periculi expers non forem, si tanti ponderis res silentio premerem. Scripturus sum autem non quæ obiter tantùm audiui, sed quæ exploratè noui, quæque ordine & exactè, à primo initio consecutus sum. Commendat autem beati Lucæ diligentiam ipse etiam Apostolus, scribit enim: *Misimus cum illo fratrem nostrum, cuius laus est in Euangelio.*

Optimè Theophile. Virum fidelem, cui præsens hoc Euangelium nuncupat, Theophilum appellat, vel quod hoc illi nominis esset, vel certè, quia religioni & pietati comprimis deditus erat.

Vt cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es, veritatem. Quæ Theophilus auribus ante hauserat, ea nunc Lucas literis consignata his illi offert, nimirùm frequenti illorum lectione, in fide instructior, constantiorque euadat.

CAPVT I.

IN *diebus Herodis Regis, &c.* Meminit Herodis Regis, ne quem tempus, quo gesta sunt quæ hic narrantur, lateat. Appellat autem illum Iudæorum Regem, quia ea literis mandat, quæ apud Iudæos contigerant.

Sacerdos quidam nomine Zacharias. Ioannis præcursoris parentem nominat, quo Euangelij historiam ab ipso exordiens, sensímque ad IESVM CHRISTVM Dominum nostrum eandem deducens, nihil ex iis, quæ posteà consecuta sunt, prætermissum ostendat: consentaneè vtique ad illud, quod in exordio promiserat. Quin ob hoc quoque à Ioanne, eiusdémque patre narrandi initium facit, quo dum præcursorem iustis encomiis ornatum in medium adducit, ad eius patefactionem viam paulatim muniat, quam ille prædicabat.

De vice Abia. Insinuant hæc, duos extitisse Sacerdotes, qui alternis Sacerdotio fungebantur, Zachariam nimirum & Abiam. Quia ergo vterque ordine suo sacrum ministerium obibat, secundùm Abiam sacris operabatur Zacharias. Nemo autem ex voce ἐφημερίας, quâ Euangelista hîc vtitur, inferat, alternis tantùm diebus sacris in templo operam dedisse, non enim ad vnum tantum diem singuli in officio erant, sed ad integram hebdomadam.

Et vxor illius de filiabus Aaron. Cùm Zachariam vtrinque legitimum Sacerdotem extitisse ostendere vellet, vxorem illius è filiabus Aaron ortum duxisse asserit.

Erant autem iusti ambo ante Deum. Iustum esse ante Deum, id demùm solidæ perfectæque laudis est: solus námque Deus est, qui hominum corda exactè perspecta habet. Etenim secundum externam faciem, multi coram hominibus habentur iusti, qui tamen propter latens in pectore venenum non sunt eiusmodi.

Incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus domini sine querela. Cur in omnibus domini præceptis & cæremoniis ἀμέμπτως, hoc est, inculpatos incessisse additur? Quò hinc cognoscatur, nullum prorsùs factum, aut inanis gloriæ studium, aut aliud quodcumque istiusmodi vitium in animo fuisse.

Et non erat illis Filius. Quia verò Euangelistæ in animo erat, admirabilem domini ortum orbi patefacere, simulque eum, qui nostri causâ in medium prodibat;

A *solida laudis est.* *Non omnes iusti, qui apud homines iusti habentur.*

naturae opificem esse ostendere, praemittit sterilis mulieris partum, subdit enim: *& non erat illis filius, eo quod esse Elizabeth sterilis.*

Apparuit autem illi Angelus. Quandoquidem Deus, & Dei Angelus non apparent promiscuè omnibus, sed iis, qui puro castóque sunt animo, cuiusmodi erat Zacharias, eapropter is Angelum domini coram cernere promeruit.

Quo sensu Zacharias & Elizabeth vixerint corã Deo inculpatè & sine querela. Cur virgineo partui B *sterilis partus praemittatur. Deus & Angeli puris castisque mentibus familiarius apparent. Duplex in Hierosolymitano templo ara.*

Stans à dextris altaris incensi. Non citra causam altare incensi vocat, siquidem extabat alia ara aere recta, in qua alia dona & sacrificia offerebantur.

Et Zacharias turbatus est videns, & timor irruit super eum. Cur turbatus? quia homo earum virium non est, vt eiusmodi peregrinum inusitatúmque visum, citra vllam commotionem ferre valeat. Interim Angelus ab ea animi consternatione, eiusmodi oratione illum adducit: *ne timeas Zacharia.* Hâc enim voce animo turbatum & abalienatum ad se reuocat, & recreat.

Ne timeas Zacharia. Quomodo, inquit Angelus Zachariae pro populo intercedente, proque peccatis illius Deum deprecante, & veniam conseruis suis deposcente, dicit: *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua?* videri haec enim possunt patum inter se cohaerere. Inexauditae autem orationis argumentum, filium nomine Ioannem ex Elizabeth ipsi nasciturum subdit. Aptè cohaerent omnia: quia enim pro peccatis populi deprecabatur, procreaturus erat autem filium, qui sublatâ voce: *Ecce agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi*, clamaturus erat, conuenienter dixit: *Exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium.*

Inexpectatus Angelus suâ naturâ ho- C *minem exterret.* *Ioan.1.*

Erit magnus coram domino. Per haec singularem animae Ioannis excellentiam & sanctimoniam designat. Caeterùm vt de parentibus illius: *Et erant iusti ambo coram Deo*, ante dixerat, ita hîc Ioannem magnum coram domino fore pronuntiat.

Quid Sicera nomine cõmuniter accipiatur.

Vinum & siceram non bibet. Sicerae nomine id omne denotari solet, quod, licet ex vite natum non sit, inebriandi tamen vi pollet.

Ioãnes in vtero adhuc haerens, Spiritu sancto repletus est.

Et Spiritu sancto replebitur. Ioannes intra matris vterum adhuc haerens, Spiritu Sancto repletus est, quando nimirùm ad salutationem, & accessum Matris Domini ad Elizabeth, prae gaudio in vtero materno exultabat.

Christus Dominus omnibus veritatis lucẽ proposuit.

Et multos filiorum Israelis conuertet. Secundùm Angeli praedicationem, Ioannes quidem multos filiorum Israël ad Dominum Deum ipsorum conuertit: Dominus autem noster IESVS CHRISTVS, omnibus veritatis lucem proposuit, hoc enim proprium illius munus erat.

D *Mal.4.* *Ioannes & Elias Christi praecursores.*

Et ipse praecedet ante illum in Spiritu & virtute Eliae. Sensus est: Quemadmodùm Elias secundum CHRISTI aduentum praeibit, iuxta illud Prophetae: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequàm veniat dies Domini magnus & horribilis*: ita Ioannes primi illius aduentus praecursor erit.

Quo sensu Ioannes in virtute & Spiritu Eliae Christo praecessisse dicatur.

In Spiritu & virtute. In Spiritu quidem, nam vt sancti Spiritus gratia Eliam afflatat, ita Ioannem quoque: In virtute verò, quia in demandati muneris & ministerij excellentia, ambo pares extitêre.

Filij Iudaeorum Apostoli.

Vt conuertat corda patrum in filios. Quorsum, inquis, haec tendit oratio? Iudaici populi filij erant sancti Apostoli: nam secundum sanguinis cognationem ortum ex illo ducebant. Praedicit ergo Ioannis ministerium eiusmodi fore, vt Iudaeorum corda, ad Apostolorum doctrinam conuertat. Qui enim Christo Domino tam illustre testimonium perhibeat, is, vt Apostoli illum, tanquàm idoneum magistrum, in cuius fidem & disciplinam sese traderent, vltrò affectarentur, suâ illâ praeclarâ testificatione efficiebat.

In Apostolis iustorũ pru- E *dentia inerat.*

Et incredulos ad prudentiam iustorum. Hoc est Iudaeos, qui initio fidei expertes erant, ad Apostolos, in quibus iustorum prudentia lucebat.

Ioannis oratio populum Iudaicũ ad Christi susceptionem praeparabat.

Parare domino plebem perfectam. Hoc est, vt populum Christo Domino, priusquàm orbi se manifestet, reddat instructum, fideique capessendae aptum: siquidem admirabilia illa, quae de Seruatore palam annuntiabat, populi animos ad illius susceptionem excitabant, & praeparabant.

Surdum fuisse ex eo constat quod nutibus cũ illo agebant.

Vnde hoc sciam? Quia verò Zacharias fide vacillans, aiebat: *Vnde hoc sciam?* propterea surditate, loquendique facultate mulctatus est.

Ego sum Gabriel, &c. Quod Angelus pro responso affert, eiusmodi est: Quandoquidem Angelo, qui Deo assistit, fidem non habes, neque Deo, qui illum misit, credis, magísque rei difficultatem, quàm dicentis virtutem considerans, vocem edidisti planè incredulam, propterea voce tantisper orbabere, donec re iam expletâ, & tuam in credendo tarditatem, & Dei rursùm agnoscas potentiam.

Zacharias populum nutu alloqui- F *tur.*

Et erat plebs. Morae silentiique causam, quam populus discere auebat, Zacharias nutibus indicat: Siquidem hùc spectat, quod Euangelista dicit: *& ipse erat innuens illis & permansit mutus.*

Cur Elizabeth occultarit se mensibus quinque.

Post hos autem dies concepit Elizabeth, & occultabat se mensibus quinque. Quandoquidem Elizabeth mulier erat pudica, & grauis, eapropter rubore quodammodò suffundebatur, quod in senectute foetum concepisset.

Probrosa apud Iudaeos sterilitas.

Respexi auferre opprobrium meum inter homines. Hoc ideò dicit: quia aetate illâ probrosum erat apud homines, sterilem esse, liberísve carere: sicut è diuerso honorificum, publicóque praeconio dignum, numerosam procreasse sobolem.

Mense autem sextò. Nimirùm post Ioannem in vtero conceptum.

Maria & Ioseph eiusdem generis & tribus.

Missus est Angelus Gabriel ad Virginem desponsatam, &c. Sacratissimam Deiparámque dominam nostram viro de familia Dauidis desponsatam asserit Euangelista: per hoc vtique indicare volens, ex eodem illo Dauidis genere, vnde Ioseph qui illam duxerat, ortum trahebat, ipsam quoque inculpatissimam virginem fluxisse. Nam secundum legis praescriptum alienae tribus mulierem matrimonio sibi iungere fas non erat.

G

Aue gratia plena. Quandoquidem Deus ad Euam dixerat: *In dolore paries filios*, propterea Angelus gaudium, per quod dolor olim decretus soluatur virgini denuntiat: *Aue*, inquiens, *gratiâ plenâ.*

Dominus tecum. Quod dicit, hùc rendit, nec existimes virgo, me absonum, aut mollem aliquem sermonem ad te deferre, cuiusmodi ad innuptas puellas iuuenes nonnunquam solent, diuinus est enim, quem affero: quippè cum ipso, quod dominum tecum esse asseram, oblatae salutationi Dei memoriam admisceam.

Metum attentionẽ impedit.

Ne timeas Maria. Quia verò fieri vix poterat, vt conturbata accuratè ad ea, quae Angelus dicturus erat, attenderet, quo ab omni animi commotione iam libera, diuinum sponsum sedatè excipiat, propterea Gabriel in ipso statim orationis vestibulo omnem illi metum adimit, dicens: *ne timeas Maria, &c.*

Habere gratiam virgini cũ multis H *cõmune erat, concipere autem & parere Deum illius proprium.*

Inuenisti enim gratiam apud Deum. Quod Angelus ait, *inuenisti gratiam, &c.* Hoc illis cum aliis multis commune erat, siquidem multi alij ante ipsam, gratiam apud Deum inuenerunt: at verò, quod subiungit, nempè, *ecce concipies in vtero, & paries filium, &c.* sed factae promissionis proprium. Dicit autem, quo Dominum nostrum non aliundè, quam ex ipsomet virginis vtero, carnis nostrae substantiam suscepisse, planum faciat.

IESVS idẽ sonat Hebraeis quod Graecis ...

Et vocabis nomen eius IESVM. Meritò IESVS appellatus est, quia salutis nostrae causa in hunc mundum ingressus est. Quandoquidem nomen hoc IESVS in Graecam linguam translatum, Θεὸν σωτῆρα, ϰαὶ ἰατὴν, hoc est, Dei salutem & sanitatem sonat.

Aliter Christus aliter Ioannes magnus. Quomodo Iesus vocatur filius Altissimi.

Hic erit magnus. Non quidem vt Ioannes, sed vt Dominus, & orbis conditor: hoc enim denotat, quod mox subditur, *Et filius Altissimi vocabitur*, At quorsùm, inquis, dicit, filius Altissimi vocabitur, cum rectius dictum oportuerit filius Altissimi est, vt qui ante omnia saecula, ex Deo & Patre genitus sit? Responsio esset, vt filius, cum verus alioqui naturâ suâ Deus esset, propter adiunctam humanam naturam muneris loco accepit nomen, quod est super omne nomen (est enim & appellatur Deus.) Rursùm vt idem ille, cum vniuersae creaturae opi-

fex

A

Phil. 2.

Psal. 2.

fex & conditor foret, ratione humanæ naturæ ex liberali Patris donatione recepit gentes in hæreditatem: *Postula à me*, ait per Prophetam, *& dabo tibi gentes hæreditatem*: ita cum naturâ suâ verus Dei Filius esset, ante omnia sæcula ex paterna substantia ortus, propter susceptam humanitatem appellatus est Altissimi Filius.

Cuiusmodi thronus Christi.

Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid Patris eius. Et hoc quoque ad verbi œconomiam, carnisque susceptionem spectat, per sedem autem hoc loco, non sensilem aliquem, aut caducum, vel interitui obnoxium thronum designat; sed immortalitatem, & talem omninò qui solis instar radios suos per vniuersum terrarum orbem diffundat, animásque mente & ratione præditas diuinæ doctrinæ luce illustret.

Per domũ Iacob designātur omnes homines.

Et regnabit in domo Iacob. Per domum Iacob non Iudæorum tantùm gentem significat, sed omnes omninò homines, qui per Seruatoris nostri gratiam, ex omnibus gentibus, & nationibus Sanctorum adoptione potiuntur.

B

In omne æuũ regnare solius Dei proprium.

Et regni eius non erit finis. Obtinere regnum in omne æuum, & in nullum conuenit, nisi in solum conditorem vniuersorúmque Deum & Dominum. Qui itaque salutis nostræ causâ homo fieri dignatus est, is solus æternus Rex est.

Quo sensu virgo interroget quomodo fiet?

Quomodo fiet istud, quia virum non cognosco? Sacratissima virgo, Deique parens Maria, non quasi incredula: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* interrogat: verùm vt sapiens, rei quæ denuntiabatur, modum & rationem discere desiderat, neque enim ante eiusmodi quippiam, nempe vt virgo pareret virgo, factum fuerat, neque in posterum vnquam futurum erat. Quare Angelus quæsitum in bonam partem accepit, modúmque his verbis exponit:

1.Cor.1.

C

Angelus paucis verbis Trinitatis mysterium Virgini aperit.

Christũ naturalẽ Virginis Filium esse, ex Euangely phrasi manifestum.

Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. At quomodo Christus, qui, Apostolo teste, Dei virtus est, superueniret? Sanè tu vim cœlibatus allabentem non cernes, interim mysterium illud, quod sub sensum non venit, fabrè effectum dabit. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hoc est, vndequâque circumdabit te, induet te, circumuallabit te, complectetur te: Obseruare hîc autem licet, quomodo dum Spiritum sanctum, virtutémque & Altissimum nominat, totam sacratissimam Trinitatem virgini patefaciat. Quod Zachariæ hæsitanti Angelus non ignouerit, non est mirum: habebar is enim aliarum sterilium mulierum, quæ ante illius ætatem pepererant, ex Diuinis scripturis exemplum non vnum, virgo autem nullum penitùs.

Ideò quod nascetur ex te. Non dicit Angelus ad virginem, quod natum est, simpliciter, ne quis corpus, quod ex ea prodiit, aliundè petitum existimet, sed addit ex te, quo nimirùm, quod nascebatur, secundum naturam ortum ex illa ducere, adeóque naturalem illius fœtum esse, certo persuadeat.

Quomodo Christus sit dicatúrq; sanctus.

Quod nascetur ex te sanctum. Non ob id sanctum vocabitur, quo Filium Dei intra se habiturum, aut sanctimoniam aliundè accepturum sit, sed quia vnus ille, qui hominis, naturâ suâ Dei quoque Filius existit.

D

Idẽ omninò Christus Dei & hominis filius.

Elizabeth duplici nomine virginis cognata.

Ecce Elizabeth cognata tua. Angelus sacratissimæ virginis cognatam vocat Elizabeth: siue quod eodem generis auctore Iacob descenderint ambæ: siue quod Aaron qui è familia & Tribu Leui ortum trahebat, lege necdum promulgatâ, Elizabeth filiam Aminadab, sororem autem Naason, qui è tribu Iudæ genus ducebat, vxorem acceperat. Quo tempore stirps regia Iudæ ex qua fluxit sacratissima Virgo, cum sacerdotali stemmate Leui, ex qua erat Elizabeth, coniuncta est. Admirabili autem sapientissimáque sacrosancti Spiritus gratiâ, & prouidentiâ factum est, vt hæc quoque Zachariæ coniux perinde atque Aaronis, Elizabeth appellaretur quo nimirùm per nominum cognationem, hanc generis propinquitatem ex prima illa Elizabeth prouenisse liquidò discamus.

Zacharia & Aaronis coniuges cognomines.

Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Hæc sacratissima virginis oratio huc tendit. En tabula sum, quamuis scripturam excipere idonea: scribat in me Scriba ille, quodcumque visum fuerit, faciat de me vniuersorum Dominus, quicquid libuerit.

E

Cur Virgo post salutationem Angeli, iam ad montana properat.

Et discessit ab illa Angelus. Consensu fideique confessione à sacrosancta Virgine impetrata, Angelus discessit ab ea. Quin ipsa quoque sanctissima Virgo, earum rerum, quæ ab Angelo didicerat, euentum cognoscere auida, statim ad montana, vbi Zacharias sedes habebat, ad Elizabeth se contulit.

Quod Ioanni, hoc nulli Prophetarũ ante vsu venit.

Ioannes acceptā gratiam cum matre communicat.

Et factum est, vt audiuit, &c. Quod nulli Prophetarum antè, hoc Ioanni vsu venit; in causa autem erat vicinus Christi aduentus, hunc enim ille proximè antecedebat. Quare non priùs quoque repletus est Spiritu sancto, quam ea quæ Christum Dominum vtero gestabat, illi se adiunxisset. Repletus autem exultauit, gratiáque quam acceperat matrem participem fecit. Elizabeth autem propter infantem, quem intra viscera gestabat, Spiritu afflata, eiusmodi Prophetica verba detonuit: *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.* Nulla enim mulier tantam vnquam consequuta est gratiam, neque consequetur vnquam, quantam mater Domini.

F

Nulla ex omnibus mulieribus Virgini magnitudine par.

Psal. 132.

Elizabeth duplici de causa Christũ vteri virginei fructum vocat.

Et benedictus fructus ventris tui. Ad promissionem Dauidi factam alludens, Christum Dominum ventris fructum appellat, scriptum extabat enim: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Appositè autem Elizabeth CHRISTVM IESVM vteri virginei fructum vocat, quandoquidem non prodiit ille ex viro, sed ex sola sacrosancta Virgine Maria: Etsi istud non absque peculiari Spiritus sancti allapsu, Altissimíque, quæ illam obumbrauerat, virtute. Nam qui à parentibus proseminantur, illorum fructus sunt, & nominantur. Quamobrem tam ipsa sacratissima Deipara, quàm eiusdem aui, & ataui, quod ex viris orti essent, Dauidici ventris fructus appellantur, iuxta illud, quod modò citatum est. *De fructu ventris tui,* &c.

Psal. 131.

Matth 3

G

Vt Ioannes Christi, ita Elizabeth virginis præsentia indignā se prædicat.

Et vnde hoc mihi, vt veniat, &c. Cuiusmodi verba suo posteà tempore deprompturus erat Ioannes, eiusmodi ferè hoc loco depromit mater illius Elizabeth, vt ille enim indignum se pronuntiat, qui CHRISTO proximè assisteret, ita hæc quoque Deiparæ Virginis præsentiâ indignam se pronuntiat. *Vnde,* ait, *hoc mihi,* &c. Quasi dicat, quo excellenti opere promerita sum, vt mater Domini mei veniat ad me? Vocat autem illam matrem, cùm vterum adhuc gestaret, partus tempus propheticâ voce anteuertens. Prædicat verò eam beatam, vt quæ certò ea effectum sortitura crediderit, quæ ipsi à Domino prædicta fuerant.

Virgo Mater tanti miraculi subseruit.

Maria in Deo matrem obtinet generis splendorē.

Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum, &c. Cum Sacrosancta Virgo dicit: *Magnificat anima mea Dominum,* seipsam laudis hostiam sese offerre ostendit, idque ex debito, sensus enim est: Quàm illustre & magnum est mysterium & miraculum cui subseruio, tamen eum magnificare obligor, qui admirabilia in me & per me operatur; atque ideò *Spiritus meus in Deo salutari meo exultat,* ingentíque gaudio perfusus, in eodem sese oblectat. Etenim qui in mundo salutem per me largitur, & Deus meus, & Seruator meus est. Spiritus autem & anima, pro eodem hoc loco vsurpantur.

H

nequaquā electa.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Ille, inquit, est, qui me respexit, ego enim cum humilis, abiectæque conditionis essem, tantoque beneficio me planè indignam censerem, nihil prorsùs eiusmodi expectabam. Ast nunc inexplicabile illud Incarnationis Sacramentum expletum reddens è terra subuehor in cœlum.

Omnes fidelium omnium generationes Virginem matrem feliciem beatámque prædicant.

Ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quasi dicat, non tu sola Elizabeth posthàc me felicem fortunatámque prædicabis, sed omnes omninò fidelium omnium generationes.

Virginis partus naturæ fines excedit.

Quia fecit mihi magna. Admirabilia, ait, per me operatus est potens ille, nam cùm virgo essem, præpotenti illius voluntate naturæ fines supergressa, concepi: nulliúsque viri commercio vsa, digna effecta sum, quæ non cuiusuis promiscuè, sed vnigeniti Filij Dei mater fierem.

Conceptus Virginis diuina omnipotentia.

Qui potens est. Hoc addit, ne quis tanto huic mysterio fidem detrahat. Quæ enim dicit, hùc spectant: nemo, si Virgo concepi, miretur, nam qui hoc operatus est, omnipotens Deus est.

Et

A *Deus nullius rei etiam pollutæ contactu pollui potest.*

Et sanctum nomen eius. Per hoc, quod nomen illius sanctum vocat, vniuersorum conditorem, nihil ex eo quod mulierem contingat, labis contrahere significat.

Solius Dei misericordia, Incarnationis Filij Dei causa extitit.

Et misericordia eius à progenie in progenies. Hoc ideò dicit, quia non alia de causa in Virginis vtero conceptus, homóque factus est quam vt suam in omnes generationum generationes misericordiam diffunderet.

Non omnes Dei misericordiâ potiûtur.

Timentibus eum. Opportunè hoc additur, nam qui modis omnibus indigni sunt, cuiusmodi inter cæteros sunt qui in infidelitate obstinatè persistunt, illi misericordiam non consequuntur. Consequuntur autem hi soli illam, qui veritate agnitâ, ad fidem vitæque emendatioris frugem ex animo sese conuertunt.

Fecit potentiam in brachio suo. Siquidem opus hoc non hominis, sed manus illius opus est, Patris námque brachium est Filius, iuxta illud: *liberasti in brachio tuo, populum tuum*: Per hunc igitur contra spiritales hostes, qui iam olim in genus nostrum Tyrannidem exercebant, victoriam obtinuit triumphúmque erexit.

Cœlestis B *Patris brachiū Filius. Superborum dæmonum cōsilia & machinationes Deus per Filij sui incarnationē dissipauit.*

Dispersit superbos mente cordis sui. Horum eorundem, inquit, spiritualium superborumque hostium corda, hoc est, consilia, & machinationes, quas aduersum nos moliebantur, dispersit, cassásque penitùs & inefficaces reddidit.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Eosdem illos qui sub aspectum non cadunt, aduersarius, potentes appellat, quos itidem, tametsi validos, è cœlo in terram deturbauit, & exaltauit humiles, hoc est, eos qui submisso animo sub potenti Dei manu seipsos submiserunt, impertiens ipsis, *virtutem & potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.*

Diabolus tametsi potens, è cœlo nihilò secius deturbatur.

Esurientes impleuit bonis. Hoc est, fideles ex gentibus ad fidem conuersos, qui magnâ diuinorum eloquiorum, cœlestisque doctrinæ fame tenebantur, noui Testamenti operibus exsatiauit.

C Luc. 10. *Gentes esurientes impleta bonis. Quinam diuites illi, quos Deus dimisit inanes.*

Et diuites. Hoc est Iudæos, qui lege ditati, Prophetarumque oraculis saginati erant, dimisit inanes, omníque spiritu, & virtutum fructu vacuos. Cur ita? quia Deum & Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, quem Lex & Prophetæ venturum prædixerant, recipere noluerunt.

Duplex est Israël, secundū carnem & secundum spiritum.

Suscepit Israël puerum suum. Hoc ad carnalem Israëlem referri potest, siquidem multæ myriades ex ipsis in Christum crediderunt, credentésque salutem consecuti sunt. Potest rursùm ad spiritalem, hoc est, ad eos, qui internis mentis oculis Deum cernunt (hoc enim sonat vox Israël) cuiusmodi sunt, qui ex gentibus ad Christum conuersi sunt, haud incommodè accommodari.

Gen. 12. 22. 18. Galat. 3.

Recordatus misericordiæ suæ: Sicut locutus est ad Patres nostros, &c. Hoc ideò dicit: Quia non Abrahamo promiserat, nempe: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*: iam tandem ad finem deductum erat.

Maria mansit D *apud Elizabeth vsque ad tempus partus.*

Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus. Hoc est tantisper, dum tempus partus Elizabethis appeteret: nam si mense sexto à Conceptione Ioannis, Missus est Angelus Gabriel ad sacrosanctam Virginem, ipsáque ad cognatam suam Elizabeth profecta, tribus mensibus hæsit cùm illa, liquidum euadit, cùm sacratissima Virgo domum rediit, parturitionis illius tempus iam tum expletum fuisse. Rediit autem, quia circa Elizabethis partum magna hominum multitudo ad Zachariæ ædes confluxura erat: Virgo autem sanctissima virgineo quodam pudore tenta, hominum conspectum declinabat. Cur tot mensibus isthic mansit? forsan vt admirandæ rei euentum spectaret: Tum etiam, quod eiusdem rei magnitudine attonita, quidque facto opus non satis gnara, de iis, quæ ad se attinebant, consilium capere vellet.

Cur Maria redierit domū ante Elizabethis partum. Non vna causa, cur Maria diutius hæserit, apud Elizabethē & Zachariam.

Elizabeth impletum est tempus pariendi. Obseruatione dignum est, num in tota veteri & noua Scriptura, de peccatoris ortu vsquam dictum cōperiatur, *& impletum est tempus pariendi*: Arbitror equidem non facile quempiam illud scriptum inuenturum, nisi vbi is, qui nascitur, iustus nominatur. Quia ergo istud hic locum habet, rectè Euāgelista ait: *Elizabeth impletū est tempus pariendi.*

E *Cur nomen post circumcisionem olim imponebatur.*

Et factum est octaua die, &c. Cur lege sancitum erat, ne vlli omnino infanti, ante susceptam circumcisionem, nomen imponeretur? Quia par erat, vt per signaculum quod Deus præceperat, hoc est, per circumcisionem primo omnium in Dei populum censerentur, ac tum demum humano nomine insignirentur.

Elizabeth spiritu sancto mota infanti Ioannis nomē indit.

Et respondens mater eius, dixit: nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Non temerè Christi prodromum Ioannis nomine appellandum censuit Elizabeth, sed tanquā vates Spiritus sancti afflatu mota, neque enim illa illorū conscia erat, quæ Zacharias per oraculum acceperat. Quomodo enim maritus hæc illi indicasset, qui fari omnino non valebat?

Zacharias quod nutu nequibat, scripto indicat.

Et postulans pugillarem scripsit. Zacharias postulatis pugillaribus, nomen, quod infanti indereur, scripsit; siquidem nutibus illud exprimere nequaquam poterat, quomodo enim id potuisset?

F *Ioannes gratiam sonat. Quid portenderint ea quæ circa Ioannis ortū acciderunt.*

Et mirati sunt vniuersi. Stupor hinc inde oriebatur, quia animaduertebant Zachariā & Elizabethē de Ioannis appellatione, quæ noua alioqui & inusitata in illorum cognatione erat, inter se conspirare. Sonat autem Ioannes idem, quod Dei gratia. Eapropter vbi primum nomen hoc exarauit, statim diuinæ gratiæ beneficio apertum est os eius, & locutus est benedicens Deum, multaque, vt infra patet, cùm de Christo iam tum præsente, tum de Ioanne quoque futura prædicens.

Christus non omnes efficaciter visitauit.

Et factus est timor super omnes vicinos eorum. Ob hoc in omnes, qui circumcirca habitabant, timor irruit, quia consentaneum erat, vt quemamodum vniuersus populus de Zachariæ silentio obstupuit, ita de restituta ipsi fandi facultate vicissim admiraretur; adeoque vt omnes propter duo hæc miracula, magnum quiddam de puero animo conciperent. Portendebant autem omnia hæc Ioannem testem comprimis idoneum fore, qui Christo testimonium perhiberet. Zacharias porrò in Dei laudem ingressus, ipsum plebem suam visitasse asserit: canit autem in hunc modum.

Cornu in scripturis bifaria vsurpatur & vtraque G *nostro cōuenit in Christū. Prophetæ omnes de Christo vaticinati.*

Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit, &c. Quos visitauit? Eos vtique, qui in Christum crediderunt. Hi namque ea visitatione digni effecti sunt, quippe qui diuinam visitationem efficacem in se extitisse, palam ostenderint.

Et erexit cornu salutis, &c. Cornu in sacris literis, modo pro regno, modo pro robore vel potentia vsurpatur: vtrumque autem in Christum, qui ex familia Dauidis originem ducit, appositè quadrat. Ipse enim est Rex regum, iunctaque patris virtus, qui omnes aduersarios nostros in triumphum egit.

Christus liberauit nos sub hostibus, qui sub sensū non cadunt.

Sicut locutus est per os Sanctorum. Hoc est secundùm sanctorum vatum prædictionem. Vniuersi namque prophetæ Christi mysterium denuntiarunt.

Salutem ex inimicis nostris. Ipse idem vis illa est, quæ liberauit nos ex inimicis nostris, & è manu omnium, qui oderunt nos. Liberauit nos autem; non de aspectabilibus hostibus, sed de iis, qui sub aspectum non veniunt.

Clementia nobis exhibita, redundat etiam in H *veteres, & quomodo istuc.*

Ad faciendum misericordiam cum patribus nostris. Per hæc insinuatur, miricordiam, clementiamque nobis exhibitam, in Abrahamum, cæterosque patres aliqua etiam ratione exundasse. Etenim beneficiorum quæ Dominus in nos contulit, sensum capientes, ipsi quoque communis lætitiæ particeps quodammodo efficiuntur.

Cuiusmodi fœdus Deus cum Abrahamo pepigerit.

Memorari testamenti sui sancti. Testamentum seu fœdus, de quo hoc loco sermo, illud est, quod pepigit cum Abrahamo, dicens: *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.*

Gen. 22. Gen. 12. 18. *Quomodo semen Abrahami multiplicatum.*

Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum. Hæc eodem tendunt, dixerat enim Deus ad illum: *Benedicens benenedicam te, & multiplicabo te.* Multiplicatum est enim semen Abraham, cum ipse etiam gentium populus, per fidem ad Christum conuersus, censeatur in illius semine.

Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, &c. Quandoquidem contingit non raro, vt aliqui de hostium manibus eripiantur, id tamen non absque timore: propterea id nobis se præstiturum asserit, vt metus

omnis

A *Non omnes citra timorē ab hoste liberātur. Qui Christus citra timorē ab hoste nos vindicarit. Quinam sine illi, qui Deo seruiunt in sanctitate Ioānnis ortus admirabilis, & ratio.*

omnis expertes, ab hostili manu in libertatem vindicemur. Etenim Christi aduentus efficit vt formidine vacui, ex inimicorum potestate eriperemur. Neque enim illum hostilium insidiarū sensum cepimus, ex templo enim & quasi præter omnem spem nos à vi illorum ereptos, in sortem & partem suam transtulit. Eapropter & nos vicissim illi, in omni sanctitate & iustitia seruire debemus. Hoc autem fit, dum vniuersa illius præcepta, non ad exiguum aliquod temporis spatium tantum, sed omnibus diebus vitæ nostræ sanctè religiosèque expleamus.

B *nis vsu donatus, ante ortum ex vtero. Zacharias per spiritum intelligit. Ioannē adhuc puerū in desertum concessurum.*

Et tu puer Propheta altissimi vocaberis. Quorsum Zacharias infantem, tanquam eum, qui ritè iam audiat, audita que perfectè intelligat, affatur, dicens: *& tu puer:* &c. An non, obsecro, superuacaneum erat puero rationis vsu adhuc destituto, istiusmodi occinere? nequaquam. Statuere enim licet, vt Ioannes admirabilem habuit ortum. (Nam & Archangelus illum prædixit, & ipse rursum, quando sacrosancta Virgo ad salutandam Elizabeth venit, communes naturæ terminos supergressus, in vtero materno, spiritu exultauit) ita admirabiliter, præterque communem rerum ordinem, iam tum plenum rationis, sensuúmque vsum sortitum fuisse. Tempestiuius ob id quoque præsenti illi vaticinatus est pater, dicens: *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius,* qui futurorum præscius, tanquam Propheta, illum paulo post à se in desertum concessurum intelligebat, id quod ipse etiam Euangelista non prorsus dissimulat, ait enim: *Et erat puer in desertis vsque in diem ostensionis suæ ad Israël.*

Scientia salutis, est fides in Christū Christi notitia parit

Ad dandam scientiam salutis plebi eius. Salutis notitia, quam hominibus dandam iri asserit, est cognitio Christi. Hæc vna enim est, quæ omnibus cum Iudæis, tum etiam Græcis; dummodo tamen ita comparati sint, vt salutem agnoscere velint, salutem impertitur.

C *peccatorū remissionē. Per Dei misericordiam salutem consecuti sumus. Sola Dei misericordia in causa fuit, vt Sol iustitiæ nos inuiseret.*

In remissionem peccatorum eorum. His explanatur modus, quo Christi notitia parat salutem, quia nimirum operatur peccatorum remissionem. Deus namque per hoc medium suam mortalium generi præstare voluit misericordiam.

Per viscera misericordiæ Dei nostri. Verè per viscera misericordiæ Dei nostri, misericordiam consecuti sumus, quia non per opera, quæ fecimus nos.

In quibus visitauit nos Oriens ex alto. Sensus est: non nostra merita, sed illa ipsa cœlestis patris viscera in causa fuere, vt Sol ille iustitiæ, qui oritur ex alto, nempe è cœlo, hoc est, vnigenitus Dei Filius Deus noster clementer nos inuisere dignaretur.

Tenebræ ignorationem. Vmbra D *mortis peccatū designat. Mors cū peccato magnam affinitatē habet.*

Illuminare his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. Per tenebras ignorationem, per mortis vmbram, peccatum designat, eo quod mors hæc, vtpote æterna, sub sensum non cadat. Habet autem peccatum non paruam cum morte affinitatem: nam vt mors sensilis, animæ à corpore separationem, ita peccatum Spiritus sancti ab anima discessum denotat.

Doctrina Christi aperit viam ad pacem.

Ad dirigendos pedes nostros in viā pacis. Hoc est, vt vitæ nostræ dux Christus, per Euangelij prædicationem, dirigat, deducátque gressus nostros ad suam doctrinam: Hæc vna enim est, quæ viam aperit ad pacem, animæque tranquillitatem.

Vt corpore, ita virtute crescebat Ioannes.

Puer autem crescebat. Quandoquidem iuxta ætatis analogiam & incrementum, prodromus gratia & spiritu proficiebat, ob id Euangelista subdit: *Puer autem crescebat, & confortabatur Spiritu.*

E *Cur Ioānnes vixerit in deserto. Improbi & scelerati mūdi nomine designantur.*

Erat in desertis vsque ad diem, &c. Cur isthuc? nempe vt supermundanum Christum annunciaturus, extra scelestorum hominum, qui mundi nomine designantur, consuetudinem, ætatem agat, Christóque testimonium perhibiturus, nec non hominum nequitiam impeterritè redarguturus, testis doctórque omni exceptione maior habeatur.

CAPVT II.

Cur circa Christi ortum vniuersale edictum exierit.

IN *diebus illis exiit edictū.* Quandoquidem vniuersalis quædam gratia, totum terrarum orbem illustratura erat, tempore, quo vnus Seruator in totius mundi salutem nascebatur, vnum exiit edictum, vniuersum orbem comprehendens, vnde Euangelista, *& factum est in diebus illis,* &c.

Occasione Augustalis edicti Maria in Bethleē F *concessit. Mich. 5. Matt. 2.*

Exiit edictum. Ecquis, inquis, vniuersalis edicti huius vsus extitit? Inter cætera commoda, quæ attulit descriptio hæc, opportunè sacratissimam virginem è Nazareth in Bethleem emisit: quo Christum isthic in lucem ederet, adeóque, vt Prophetiam, quæ dicit: *Et tu Bethleem domus Ephrata minima es, vt sis in principibus Iuda: ex te enim mihi egredietur, vt sit princeps in Israël,* expletam probaret.

Cur Christus primogenitus appelletur

Et peperit filium suum primogenitum. Cur Euangelista filium illius primogenitum vocat? neque enim sacratissima semperque virgo Deipara Maria, vllum vnquam alium filium habuit. Quia Dominus noster IESVS CHRISTVS, qui carnem ex illa suscepit, cùm verus alioqui Deus esset, secundum carnem factus est noster frater. Primogenitus itaque appellatus est, quasi inter omnes fratres primatum obtinens.

Non vnā de causa Dominus reclinatur in præsepio.

Et reclinauit eum in præsepio. Reclinatur in præsepio, tum quia, vt Euangelium prodit, *non erat illis locus in diuersorio:* tum rursum, quo nos à belluina illa viuendi ratione, amentiaque brutis animantibus propria, liberaret, liberatosque ad prudentiam homine dignam transferret.

Spiritales pastores Prophetæ.

Et pastores erant in eadem regione vigilantes. Vt diuina oracula in veteri testamento per corporis exortes spiritus, transmittebantur ad spirituales pastores, hoc est ad Prophetas, & inde ad alios, ita nunc per sensiles, crassoque corpore indutos transmittuntur ad carnales pastores: Nam & is quoque, qui corporis antè expers erat, per carnem assumptam, mortalium generi conspicuum se reddidit. Quin ob id quoque, præ cæteris, pastoribus beneficium hoc obtigit, quia præ cæteris simplices, doliqueexortes erant: sectabantur enim adhuc veterum consuetudinem: nam vt Patriachæ, & ipse etiam Moyses pascendis gregibus quondam intenti erant, ita nunc ipsi quoque.

Cur Angeli Christo nato, præ cæteris G *pastoribus visi sint. Cur Angeli. Gloria in excelsis, &c. concinuerint. Angeli & homines simul vnū mysticū corpus absoluunt. Eph. 3.*

Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo. Hoc est, non tantum Iudæorum genti; sed toti mortalium generi absolutè. Quod autem cœlestium exercituum multitudo, non absque gaudio, laudumque præconio recinebat: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax,* illud haud obscurè iudicabat, Deum, qui ante illorū gloria erat, qui degebant in supremis, nunc demum eorum pacem effectum esse, qui versantur in terris. Etenim qui factus est nobis pax, bonaque voluntas, is illos, qui in cœlo, & eos rursum, qui degunt in terra, vnum gregem absoluere palam ostendit. Siquidem Angeli, virtutesque cœlestium ordinum vniuersæ, iis duntaxat exceptis, qui a Deo desciuerunt, dum Dei Opt. Max. iussa constanter exequuntur, pacem quam cum illo habebant in perpetuum retinuerunt, nos autem peccatum, tanquam hostes, à Deo abalienauerat. Quia ergo Dominus noster IESVS CHRISTVS inimicitiam dissoluit, suoque patri nos denuo reconciliauit, iuxta illud Apostoli: *Christus est pax nostra,* iure meritoque Angeli Christum Deum nostrum, tanquam pacis huius conciliatorem celebrant, laudibusque euehunt.

Bethleē H *domus panis. Pastores Bethleitæ Sacerdotes & astrei dei grāt. Proprium pastorū munus. Cur Christū inquirere oporteat in mystica ara, quoties offerre. Cuiusmodi verba Maria obseruet.*

Et claritas Dei circumfulsit illos. Diuina claritate; cœlestique gloria circumfusi, necnon Angelorum exercitum conspicati, spiritualique eorundem hymno recreati pastores, magno mox ardore feruntur in Bethleem, quæ interpretatur domus panis. *Transeamus vsque in Bethleem,* inquiunt, hoc facto Ecclesiæ pastores sacerdotioque initiatos adumbrantes. Horum namque munus est cœlestem panem, hoc est, agnum illum Dei, qui tollit peccata mundi, quiq; pro sua ingenti clementia quotidie in mystica ara sese offerri sinit, studiosè inquirere.

A

Tam Pastorũ quã Angelorũ dicta Christi diuinitati testimonium perhibẽt.

Maria autem conseruabat omnia verba hac. Ecquænam erant illa, quæ sacrosancta Deipara conseruabat, & obseruabat? omnia simpliciter, tam ea, quæ acceperat ab Angelo, quam ea etiam quæ didicerat à pastoribus.

Conferens in corde suo. Id est, hoc cum illo, & illud rursum cum altero committens, singuláque cum singulis componens, vniuersa summa consensione ad hoc tendere comperit, vt eum, qui secundùm carnem ex ipsa natus erat, verum Deum esse probent.

Gal. 4.

Non vna de causa Christus circũcisionẽ suscepit.

Et posteaquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer. Circumcisus est Dominus noster IESVS CHRISTVS, quia vt est apud Apostolum, factus est sub lege, *Deus*, scribit ille, *misit filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Factum est id autem duplici de causa: primo quidem, quo nos per legis consummationem, à legis onere redimeret: Deinde verò, quo per obedientiam modis omnibus perfectam, insignem Adami inobedientiam sanaret. Atque huc tendit illud Apostoli: *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi:* nempe omnes illi, qui in Christum Deum & Dominum nostrum credunt.

Rom. 5.

Christũ verè circumcisũ inficiantur qui verè in B *carnatũ negant.*

Cum igitur Scripturæ diuinitus inspiratæ Christum vere circumcisum disertè asserant, quis eorum temeritatem ferat, qui veram illum circuncisionem pertulisse negare audent? Atque isthuc, inter cæteros, haudquaquam obscurè inficiantur, qui Christum non verè, sed imaginariò tantum incarnatum mentiuntur.

Quid de præputio actum, sacra litera non produnt.

S. Titi sententia de Christi præputio.

Illos porrò, qui de circumcisi præputio quæstionem mouent, anxiéque & curiosè, quid de eo factum sit, disputant, veluti qui circa incerta, planéque inaccessa occupentur, missos hic facimus: siquidem sacris literis nihil ea de re proditum extat. Quid diceret, vt crucis tempore, immaculatus illius sanguis vnà cum aqua, in terram defluens, terram, in quam dimanabat, sanctificauit, ita præputium per circumcisionem ablatum, terram, in quam ferebatur, contactu suo sanctificasse, is meo iudicio à veritatis scopo haud procul aberraret. Vtcumque res habet, certum est, qui sponte se circumcidi passus est, eum modis & rationibus, quas ipse compertas habet, totum illud, quod per circumcisionem à corpore decesserat, ita conseruasse, vt resurrectionis tempore, nihil eorum omnium, quæ ad perfecti corporis constitutionem deposcuntur, omnino desideratum fuerit, adeoque, vt integer, omnísque prorsus vitij, etiam quod ad hanc partem attinet, expers è mortuis in vitam redierit. Nam & nos quoque communis resurrectionis momento, corpus nostrum integrum, omnísque ex parte perfectum recipiemus.

Christus integro perfectóque corpore resurrexit.

Omnes homines integro C *corpore resurgẽt.*

Errant qui Christum in ipsa statim salutatione conceptũ dicunt.

Et vocatum est nomen eius IESVS. Cum Euangelista dicat: *Et vocatum est nomen eius* IESVS, hoc est, Saluator, *quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur*, mirum est quomodo exorti sint quidam, qui ipso statim temporis articulo, quo Angelus dixit: *Aue gratia plena* in vtero conceptum fuisse asserere audent?

Virgo mater, egebat Purificatione.

Luc. 12.

Maria nullo legis sensu contaminata erat.

Et posteaquam impleti sunt dies purificationis eius, secundum legem Moysi: rectè ab Euangelista subiungitur, *secundum legem Moysi*: nam secundum rem, sacrosancta Virgo mater nulla prorsus purificatione egebat, adeóque vt purificationis dies, qui, si id, quod pepererat, masculus erat, quadraginta habebantur, morosè expectaret, nullum operæ pretium erat. Legis vox eiusmodi erat: *Mulier, si suscepto semine masculum pepererit, quadraginta dies polluta erit.* At castissima Deipara Maria, quod non ex viri semine, sed ex Spiritus S. virtute concepisset, neque secundum legem, neque secundum arcanam legis significationem immunda erat.

D

Verius optabat liberationem à diabolo & peccato, quæ mystice per Herodem & Romanos designatur.

Simeõ de Christi aduentu certo oraculo edoctus.

Et ecce homo erat in Hierusalem, &c. Quod Simeonem Israëlis consolationem expectasse hoc loco asseritur, eiusmodi est: Optabat pius senex, vt Israëliticus populus in Christum crederet, credendoque consolationem, hoc est, à Romanorum dominatu, Herodisque hominis alienigenæ tyrannide liberationem, per illum quandoque inueniret.

Quo sen-

Nunc dimittis seruum tuum Domine. De dimissione ex caduca hac, mortalíque vita hæc accipe.

E

su Christus dicatur gentium lumen.

Secundum verbum tuum in pace. Hoc dicit propter oraculum, quo edoctus fuerat, non prius è viuis se excessurum, quàm Christum Dominum in carne præsentem oculis conspexisset.

Quomodo Christus Israelitica plebis gloria prædicetur.

Lumen ad reuelationem gentium. Quandoquidem gentes in tenebris, hoc est, in terra veritatis ignoratione degebant, cultumque, qui soli Deo debetur, dæmonibus impendebant, Christus autem lux est, quæ verum illis Deum, hoc est seipsum, & Patrem, & Spiritum sanctum patefecit, propterea lumen ad reuelationem dicitur.

Christus nulli auctor ruinæ.

Et gloriam plebis tuæ Israël. Idem ille Christus Israëli quoque cessit in gloriam: nam & ortum secundum carnem ex illis ducit, & multos præterea ex illorum genere, propter fidem in ipsum, ad cœlestem gloriam euexit.

Qui cecidit, aliquando stetit.

Quomodo Christus in multo- F *rum ruinam & resurrectionem sit positus.*

Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum Israël. Quod Dominus in ruinam & resurrectionem multorum positus dicitur, id non ita accipiendum est, quasi aliis auctor sit, vt cadant; aliis necessaria causa, vt resurgant: nulli enim ruinæ causam offert; nec vllum rursus, vt exurgat, compellit. Quicunque enim cadunt, à gradu vtique; vel ordine, in quo antè consistebant, decidunt: pagani autem humi perpetuò reptantes, nunquam constiterunt. Rectiùs proinde dicitur, per Christi aduentum effectum, vt is, qui antè in peccato immotus perstabat, peccato per pœnitentiam cadat, ipsique moriatur, quò iustitiæ deinceps viuat, pérque fidem in Christum consurgat. Vt enim meliora exurgant, peiora ruant oportet. Nisi enim scortatio, & impudicitia cadant, pudicitia & castitas nunquam exurgent. Sic quoque nisi belluinus sensus ruat, rationis vis, quæ in nobis est, non facilè surget. Hoc igitur sensu in ruinam & resurrectionem multorum positus intelligatur.

Vt virtus surgat, peccatũ cadat oportet.

Signi nomine crux denotatur

Num. 21.

Crux Christi, eiusdemque argumenta G *variè oppugnantur.*

Et in signum cui contradicetur. Sacris literis edocti, per signum salutarem viuificámque crucem accipimus; Moyses enim, vt tradunt illæ, fecit serpentem æneum, & posuit eum in signo hoc est, in cruce. Quia ergo non desunt vnquam, qui de Christi Domini nostri incarnatione verbosè digladientur, eandémque variè oppugnent, (Alij namque Dei verbum corpus sumpsisse, alij absque vlla corporis concretione ad nos descendisse aiunt: Alij rursum corpus extitisse; alij externa tantùm corporis specie œconomiæ opus expleuisse definiunt. Alij item terrenum, alij cœleste corpus habuisse asserunt: Alij tandem ab æterno extitisse; alij ab immaculata Virgine Maria primam originem traxisse contendunt) meritò Christus Dominus in signum, cui contradicitur, positus perhibetur.

Hac mystici gladij expositio, neque veterum scriptoribus, neque excellentissima quoque gratia qua D. Virgo ornata erat, satis est consentanea.

Et tuã ipsius animam pertransibit gladius. Gladij nomine tentatio, cogitationúmque fluctus, & mentis agitatio hoc loco designatur. Simeon namque sacræ Mariæ Virgini vaticinatur, post luculentum illud Gabrielis testimonium, post arcanam diuinæ Conceptionis notitiam, post euidentem tot illustrium miraculorum demonstrationem, quando cruci assistet, factáque & dicta, quæ tum se offerent, cernet & audiet, quandam animi titubationem ipsi obrepturam.

Immeri- H *tò Virgo mater, quæ Christũ neque animo, neque corpore vnquam deseruit: Stabat n. iuxta crucem Iesu, confertur hic cum Apostolis crucis scandalũ passis.*

Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. His insinuatur, post scandalum, quod discipuli, & ipsa quoque sacratissima Virgo, de Christi cruce passuri erant transactum fore, vt tempestiua mox præsensque medicina adhibeatur, talis nimirum, quæ fide eorum corda confirmet stabiliatque. Sic Petrum post Christum negarum, Christianæ fidei validissimè adhæsisse nouimus. Quòd igitur Christi virtus ostendatur, humanæ naturæ infirmitas redarguitur.

Alio sensu romphæam, animi afflictionem, quam sacrosancta Virgo, dum cruci assisteret, pertulit appellat. Indignum namque censebat, insontem Filium talia, tantáque perferre: nam statim è mortuis resurrecturum, vt quiddam nimis ardùum & grande, per id tempus necdum certò credebat. Ait ergo, *Vt reuelentur ex multorum cordibus cogitationes.* Hoc est, vt omnes omnium cogitationes manifestæ fiant, cunctisque clare constet,

qui

A

Hæc explanatio verior, & apud veteres multò receptior. Nullo modo fit credibile, Virginem matrem de Christi resurrectione dubitasse. Quomodo, & qua de causa Anna cõfitebatur Domino.

qui ex omnibus ex animo illum dilexerint, eamque erga eum dilectionem constanter vsque ad mortem declarauerint: Qui rursum fucatæ, minimèque syncerae fidei in eum extiterint, grauéque, propter Crucem, scandalum passi fuerint. Qui illum tandem in mortem tradiderint, crucique eiusdem & morti insultauerint.

Et erat Anna Prophetissa. Anna hæc, quæ tam illustri Euangelistæ testimonio commendatur, mundi Israëlisque salutem præ foribus iam adesse cernens, confitebatur Domino, hoc est, gratias illi ex animo agebat.

Et loquebatur de illo. Quid loquebatur? Hic inquiebat, est mundi Redemptor, hic hominum est Seruator, hic ille est, qui nostram mœstitiam, animique deiectionem in gaudium & lætitiam conuertet.

Reuersi sunt in Galilaam, in ciuitatem suam Nazareth. Etsi natiua illorum ciuitas esset Bethlehem, attamen quod fixum annos iam aliquot domicilium in Nazareth obtinerent, vulgo ciuitatis Nazareth ciues habebantur, & dicebantur.

B

Anna di Christo oratio. Quo sensu Nazareth patriam Christi ciuitas dicatur. Puer Iesus secundum id tantum, quod ex nobis sũpserat cresco.

Puer autem crescebat, & confortabatur. Quandoquidem Euangelista Deum verbum, non nudum, sed vera carne indutum inducit, propterea scribit: *Puer autem crescebat, & confortabatur*, Sunt enim isthæc, ad assumptam carnem referenda: secundum corpus namque crescebat, & confortabatur, membrorum nimirum robore vnà cum ipsa corporis mole sensim gliscente, & adolescente.

Plenus sapientia, & gratia. Puer IESVS non implebatur gratia & sapientia, quod aliquod gratiæ, aut sapientiæ incrementum, per temporum interualla ipsi accederet, (semper enim, vt Deus, earum rerum plenus erat) sed quod Dei verbum, sapientiam & gratiam, qua pollebat, iuxta corporis incrementum, magis magisque subinde proderet.

Audientem illos & interrogantem eos. Quid interrogabat? ea vtique omnia, quæ erant legis, faciebantque ad legales sanctiones & ritus.

C

Quo sensu Iesus crescebat grat'a & sapiētia. Christus de legũ sensu & vsu disputat cum doctoribus. Quo sensu B. Virgo Ioseph Christi patrem vocat.

Ego & pater tuus. Norat sacratissima Virgo puerum IESVM non esse filium Ioseph; Verùm ne Iudæi ex scortatione natum falsò suspicarentur, propterea ad illum aiebat: *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Sed nunquid, obsecro, quærebant eum tanquam qui periisset, aut ab itinere, vt pueri solent, aberrasset? Absit. Neque enim sapientissimæ Virgini matri, cui plurima iam antè de illius diuinitate patefacta, compertáque erant, tale quippiam in mentem venire potuit. Sed nec ipsi etiam Iosepho. Quærebant autem illum perinde, ac si quis Scripturam, vel abditam scripturæ cuiuspiam sententiam quærat: Constat namque anxiè & dolenter illam inquirere; non quidem vt errantem, aut falsam, aut fallentem, sed vt veram mysticamque doctrinam continentem, necdum tamen proditam. Ad eum ergo modum, & illi quærebant Dominum nostrum IESVM CHRISTVM: Solliciti enim erant, ne forsan ab iis discessisset, ipsosve deseruisset.

D

Quid est, quod me quærebatis? Deus & Dominus noster humana responsione, quam dare licebat repudiata, diuinam attulit minimè obscurè, per illam ostendens, se Deum esse carne obtectum. Nam cùm Deipara Virgo Iosephum, qui vulgò parens illius habebatur patrem illius appellasset, ipse sermonem ita excepit, vt templi Dominum, hoc est, Deum non autem Iosephum patrem suum esse planum faceret. Quandoquidem cùm in Dei templo ageret: *Nesciebatis*, inquit, *quòd in his quæ patris mei sunt, oportet me esse?*

Et ipsi non intellexerunt. Sacra Deipara verbum, quod ad illos loquebatur, non assequebatur: Siquidem mysterium vsque adeò subtile & abditum, statim deprehendere, id humanæ mentis opus neutiquam erat.

Christus exemplo obedientiam docet.

Et erat subditus illis. Ob id sponte se illis subiecit, quò filios omnes exemplo suo huc inducat, vt debitum honoris cultum parentibus impendant, ipsisque in omnibus morigeros se præstent.

Et mater eius conseruabat omnia hæc, &c. Quæ verba sacrosancta Virgo mater conseruabat omnia, & quæ Angelus & quæ Pastores, & quæ Simeon, & quæ Anna, & quæ ipsemet tandem filius ad illam dixerat. Nam etsi sacratissima Deiparaque Virgo, quæ ab illo depromebantur, plenè non assequebatur, intelligebat nihilominus diuina, humanóque sensu sublimiora esse: neque enim audiebat IESVM tanquam duodecim annorum puerum, sed excipiebat & obseruabat verba illius, tanquam verba viri modis omnibus perfecti.

E

Maria audit puerum Iesum, vt virum ætate perfectum.

IESVS *autem proficiebat sapientia, ætate, & gratia.* Iterum hic Euangelista progressum in sapientia & gratia secundum corporis incrementum assignat. Eum namque sensim progrediendo notitiæ excellentiam ostendebat, vt apud non paucos existimationem homine maiorem de se concitaret, quam etiam diuinitatis opinionem, pro ætatis ratione, & quantitate, magis magisque subinde confirmabat, clariusque, patre sic volente prodebat.

Puer Iesus sapientiam homine maiorem ostendit.

CAPVT III.

F

Ante Christi ortum, sceptrum de tribu Iuda ad alienigenas translatum erat. Gen. 49.

ANno autem quintodecimo. Commodè Euangelista temporis, & principum, qui tum imperabant, meminit, *Anno*, inquiens, *quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris*: quò hinc nimirum discamus, quando Deus & Dominus noster IESVS CHRISTVS homo factus est, iam tum omnem omnino Principem & Ducem de familia Iudæ defecisse. Homines verò alienigenas, Pilatum videlicet, qui Romanorum locum tenebat, & Herodis Ascalonitæ filios regni sceptra tenuisse. Aderat iam enim ille, cui imperium, veluti depositum asseruabatur: nempe Christus Deus noster. Principes autem de tribu Iuda, iuxta Patriarchæ Iacob prædictionem imperare iam tum prorsus desierant.

Factum est verbum Domini super Ioannem. Hæc clarè ostendunt, Ioannem ad Baptismi & verbi ministerium se non ingessisse, sed à Deo vocatum, & missum fuisse. Cæterùm virum hoc munus in causa fuit cur tam stupenda & admirabilia, in ipso statim initio, circa illum acciderint. Oportebat enim non modo Christum ipsum; sed Christi quoque præcursorem idoneum apud omnes haberi, cuius dictis fides accommodaretur.

Ioannes ad Baptismi & verbi ministerium à Deo vocatur.

G

In eremo. Cur Verbum Dei, factum est ad Ioannem in eremo? Non citra mysticam rationem id factum est: Quia enim plures futuri erant filij desertæ, quàm nuptæ, eius rei gratia in deserto prædicandi exordium facit, nisi enim hic facti huius scopus extitisset, in deserto verba facere superuacaneum erat.

Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Baptisma Christi ex vi propria, perfectam peccatorum remissionem habet. At Ioannis verò Baptisma, licet peccatorum remissionem adiunctam habebat, non eam tamen ex se habebat, sed ex pœnitentia. Erat enim imperfectum; quamuis cæteris Iudæorum Baptismatis perfectius: præparabat enim homines ad pœnitentiam; eosdémque, qui Christi Baptismum aliquando susciperent, capaces reddebat.

Magnum inter Ioannis & Christi Baptisma discrimen. Ioannis Baptisma Iudæorum Baptismatis perfectius.

H

Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Quia verò Ioannes Christi præcursor erat, vox rursum & non Verbum (anteuertit enim vox verbum) eapropter tanquam Domino nondum præsente: *Parate viam Domini*, inquit. Hoc est, missis veteris legis vmbris, ad illorum susceptionem vos comparate, quæ ipse decreturus, & promulgaturus est.

Quid sit parare viam Domini.

Rectas facite semitas eius. Is Dei semitas rectas facit, qui per illius iustitiam graditur: Siquidem malitia & improbitas res obliqua & sinuosa est.

Res obliqua iniquitas.

Omnis vallis implebitur, &c. Hac oratione Propheta obiectioni, quæ ab aliquo hæsitante fieri fortè poterat, obuiam it. Quia enim dixerat: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius*: ardua autem & spinosa, & propter plurima impedimenta, res penè inaccessa est virtus: (opponunt se huic enim maligni spiritus, tũ internæ quoque, externæque animi perturbationes) quomodo, diceret quis Prophetæ poterat, cùm tot vbique obsistent obices, fieri

Isa. 40.

Res ardua virtus idque multis de causis.

A fieri potest, vt per virtutis iam recta incedamus? Ipse ergo obiectionem eiusmodi excipiens, ita respondet: Nihil vereare, siquidem omne illud, quod virtutis cursum antè impediebat, per Christum è medio submouebitur, & emendabitur. Si qua profunda, & ob id transitu difficilis vallis occurrerit, ea ad superficiem vsque implebitur, solóque æquabitur. Rursum si mons quispiam, aut collis semitam interceperit, adeóque iter laboriosum molestúmque reddiderit, is quoque humiliabitur, & in viam planam redigetur. Denique omnia posthac erunt directa & peruia.

Christus Dominus viam virtutis arduam alioqui facilem reddidit. Quid vallium & montium nomine designet Euangelista post Isaiā. Quo sensu & modo aspera per Christum facta sint plana.

Per profundas autem valles; per montes itidem & colles, inconcinnos sensuum motus, inconditasque animi perturbationes, & omnia omnino obstacula, quæ dæmonum malitia obiicit, designat. Paucis quod oraculum habet, eiusmodi est: omnia quæ hactenus virtutem viamque, quæ ad Deum ducit, difficilem effecerunt, ea per Christum auferentur, solóque sternentur: ita vt omnia iis in posterum futura sint plana, qui iter hoc carpere voluerint. Sunt autem isthæc plana & leuia ad hunc sensum facta, quia Christus Sathanam fregit, eundémque sub seruorum suorum pedibus strauit; incensos autem carnis ardores, prauasque eiusdem cupiditates in se ipso sedauit & aboleuit.

B *Qui designentur per praua & tortuosa per Isaiā & Euangelistam.*

Et videbit omnis caro salutare Dei. Non modò Iudæos, aut proselitos; sed vniuersam mortalium naturam Dei clementia & benignitate posthac potituros ostendere volens subiungit: *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Quasi dicat: salutaris horum Euangeliorum virtus, cœlestísque doctrinæ notitia, vsque ad orbis terræ fines proseminabitur, proseminataque mortalium genus à ferina illa, belluinaque viuendi consuetudine, mentísque duritia, & feritate, in magnam quandam animi mansuetudinem, motúmque suauitatem conuersura est. Siquidem per praua illa & tortuosa, quæ paulò antè per Christum corrigenda monuerat, quosvis corruptæ deprauatæque vitæ homines insinuat: cuiusmodi, inter cæteros erant & sunt publicani, meretrices, fures, latrones, Magi, &c. Hi enim cùm dudum antè fuissent peruersi, tandem aliquando viam rectam terere cœperunt. Et hoc est quod Dominus Iudæis alicubi obiicit, dicens: *Publicani & meretrices praecedent vos in regno Dei.*

C Matt. 21. Matt. 3.

Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant Hæc, & quæ sequuntur, vsque ad illud: *omnis arbor non faciens fructum, &c.* In Euangelio secundum Matthæum exposita sunt.

Et interrogabant eum turbæ dicentes: Quid ergo faciemus? Ioannes, quid facto opus esset, à turbis interrogatus, periti medici more, singulis opportuna præsidia, salutariaque pharmaca præfinit. Et quidem turbis, vt mutua beneuolentia se inuicem complectantur, mutuisque operis se mutuò subleuent iniungit. Publicanis verò ad telonium sedentibus ad immoderatam auaritiam, insatiabilémque illam habendi sitim, viam obstruit. Militibus autem, ne quem temerè concutiant, non absque singulari prudentia præcipit. Deus namque nullum omnino, modò ritè iustéque vitam instituere non detrectet, ab se reiicit.

Ioannes singulis hominum generibus salutaria pharmaca præfinit.

Deus neminem sanitatē capiētem respuit.

Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus. Tantæ fidei, tantæque auctoritatis apud omnes erat Ioannes, vt Iudæorum populus in eam suspicionem veniret, eum esse Messiam illum & Christum, quem sancti Prophetæ in mundum venturum prænuntiarant. Ipse verò eiusmodi opinionem præscindens aiebat.

D *Ioannes summa existimationis apud Iudaes.*

Ego quidem aqua baptizo vos. Hæc quoque vsque ad illud: *Paleas autem comburet igne inextinguibili*, in commentariis ad Euangelium Matthæi iam antè explanata sunt.

Multa quidem & alia exhortans Euangelizabat populo. Per hæc indicatur, qui Euangelij doctrinam candide annuntiant, multa inter prædicandum salutaria documenta in medium afferre.

Matt. 3.

Herodes autem. Quod de Herode Tetrarcha hic subditur, hoc totum enarratum est in Euangelium Matthæi. Quemadmodum illud etiam quod de Ioannis Baptismate hoc loco attexitur.

Cap. 14. Cap. 3.

E *Et ipse erat incipiens quasi annorum triginta.* Christus triginta plus minùs annos natus, accedit ad Baptisma: siquidem communi mortalium consensu, illa ætas perfecta haberi solet. Voluit per hoc quoque indicare, mysticam regenerationem viros secundum Spiritum perfectos generare. Quin primus quoque homo perfectus conditus est: statim enim veluti adultus collocatus est in paradiso, eundemque excolere & custodire iussus est.

Cur Christus circa trigesimum ætatis annum Baptismo initiatus sit. Adamus secūdum florida ætatis staturam conditus. Cap. 1.

Putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli. De Domini nostri IESV CHRISTI ortu secundum carnem, nonnulla offert se hic controuersia. Matthæus enim genealogiam illius texens, à Salomone orsus, deducit illam in Mathan, Iacob, & Ioseph. Lucas verò initio à Nathan facto descendit in Matham, Heli, & Ioseph. Ex quo apertè constat, vtrumque Euangelistam aliud & aliud proximum genus Iosepho assignare. Nam vt idem Ioseph, qui sacratissimæ Deiparæ sempérque Virginis maritus habebatur, simul ex Iacob & Heli ortum duxerit, id videtur omnino impossibile.

Melchi & Matham eandem

F Verùm huius, quæ apparet, differentiæ & difficultatis incommoda inuestiganda est solutio. Tertius ergo à fine, secundùm Matthæi genealogiam, est Mathan; quintus autem à fine secundùm Lucam, est Melchi. Melchi porrò & Mathan diuersis temporibus vnam eandémque Estham vxorem habuere. Primus duxit eam Mathan, procreauitque ex illa Iacob. Mathan autem vita defuncto, Melchi, qui erat ex eadem tribu, etsi non ex eodem genere, eandem Estham iam tum viduam, asciuit sibi in coniugem, suscepitque ex illa Heli. Iacob igitur & Heli fuerunt fratres vterini: vtpote ex eadem matre editi.

Estham vxorem habuere.

Iacob & Heli fratres vterini. Heli & Iacob fratres eandem ducunt vxorem.

Cæterum cùm Heli accepisset vxorem, nullisque ex ea liberis susceptis, mortem obiisset, secundum legis præscriptum, ingressus est ad illam Iacob, tanquam frater, Heli, germano suo sine prole defuncto, semen excitaturus. Procreauit itaque ex illa Ioseph atque ita idem omnino Ioseph, & naturalis filius est Iacob, & legalis rursum filius Heli.

Idem Ioseph, est naturalis filius Iacob, & G *legalis Heli.*

Cùm ergo Matthæus naturalem Iosephi parentem exprimere vellet, Iacobum nominat, & vnde hic descendat indicat. Lucas verò legalem eiusdem patrem manifestare deliberatum habens, Heli in medium adducit, stirpémque, vnde idem Heli descendit, aperit. Opportunè autem conuenienterque alter naturalis, alter legalis patris meminit, quò hac nimirum ratione planum fiat, Iosephum ex vtroque parente ad Dauidem & Iudam genus suum referre. Ad hæc cùm Iudæi tanquam lege obstricti, legales parentes agnoscant, Græci verò & pagani, quibus nihil cum lege commune est, naturales tantùm progenitores spectent, Euangelistæ diuino Spiritu afflati, Iosephum ex vtróque patre, legali, inquam, & naturali genus suum ad Dauidem reducere ostenderunt. Quamobrem cùm duo hi patres originem suam ad Dauidem referant, tam Iudæis, quàm Græcis omnis prorsus hæsitationis, omnisque offensionis causa adempta est.

CAPVT IV.

H

IESVS *autem plenus Spiritu sancto.* De Seruatoris nostri tentatione disputatum est in explanatione Euangelij secundum Matthæum.

Cap. 4.

Et ostendit illi omnia regna mundi in momento temporis. Hoc est, omnia mundi regna oratione delineauit, delineataque menti illius, vt opinabatur, impressit; qui enim omnia condiderat, nihil ille eorum omnium, quæ diabolus ostendere volebat ignorabat. Nam nisi sic exponamus, quomodo is potuit omnia orbis loca, in vnum quasi centrum adducta, corporeis oculis spectanda subiicere, ac veluti digito intento, age, hoc Persarum, hoc Iudæorum est regnum, dicere?

Quo sensu diabolus temporis momento ostenderit Christo omnia mundi regna.

Et regressus est IESVS *in virtute Spiritus in Galilaeam.* Hoc dicit propter signa, quæ Spiritus sancti virtute patrabat. At nemo interim existimet, aliunde, & veluti precario,

Quomodo Dominus a

A *Iordane regressus in virtute Spiritus. Spiritus S. vis non aderat Christo ab extrinseco.*

precario, tanquam vnumquempiam è Sanctorum numero, eiusmodi gratiam accepisse. Non enim ab extrinseco ea vis illi aderat; verùm cùm natura & veritate Dei Filius esset, ter Sacrosancti & homousij sancti Spiritus virtute & energia tanquam propria ad miraculorum opera vtebatur.

Et venit in Nazareth, vbi erat nutritus. Manifestum deinceps seipsum Israëlitis sanguinis necessitudine coniunctis facere volens, palamque à Deo & patre in sublunaris orbis salutem sese inunctum ostendere instituens, non absque singulari consilio & sapientia, ciuibus oppidi Nazareth, apud quos secundùm carnem nutritus fuerat, istud, præ cæteris, donauit; vnde Euangelista: *& venit Nazareth, vbi erat nutritus.*

Dominus non absque singulari consilio à

Et traditus est illi liber Isaiæ. Accepto libro, quæ in Isaia de ipso prodita extabant, nempe illa; *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, Euangelizare pauperibus misit, &c.* legit. Per hæc autem auditoribus planissimè ostendit, se illum ipsum esse, qui tum per Prophetam loquebatur, quique humanam naturam indutus, olim in mundum hinc inferiorem venturus, eundémque de morte in vitam asserturus erat.

B *Nazareth concionandi exordium facit.* Isai. 61.

Propter quod vnxit me. Filium tantum secundum carnem, quatenus nimirum factus est homo nostri similis, inunctum dicimus, secùs nequaquam.

Idem ille, qui olim per Isaiã & alios prophetas postea per seipsum locutus est. Christus tantum secundum naturam assumptã inunctus est.

Hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Per hæc manifestè confirmat, quod modò dicebatur: nempe se illum ipsum esse, de quo Isaiæ vaticinium editum extabat. Ipse enim est, qui regnum cœleste iis annuntiauit, qui erant ex gentibus (siquidem gentes verè erant pauperes, neque enim Dei cognitionem, neque legem, neque Prophetas, neque aliud quicquam in bonis habebant) cæterisque omnibus, spiritalibus opibus destitutis. Ipse rursum tyranno Apostata, hoc est Sathana subuerso, eos qui captiui tenebantur, in libertatem vindicauit. Ipse itidem spiritali, diuina, cœlestique luce illos collustrauit, qui cor obscuratum habebant, *Ego,* inquit, *lux in hunc mundum veni.* Ipse æquè à peccatorum vinculis eos expediuit, qui corde erant saucio. Ipse tandem annum Domini acceptum prædicauit: cuius quidem rei sapientissimus Paulus quoque alicubi mentionem facit: *Ecce,* inquit, *nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.*

C *Gentes ante Christi aduentum verè pauperes: virtute omni spiritali præsidio destituta.* Ioan. 12. 2. Cor. 6.

Et omnes testimonium illi dabant. Hæc illi audientes; deque verbis gratiæ, quæ de ore illius procedebant admirantes, adhuc abiectè de illo sentire, & loqui non desinunt, aiunt enim: *Nonne hic est filius Ioseph.* Quamobrem iure illud in eos depromseris: En populus hic stultus, & excors est, oculos habet, & non videt, aures & non audit.

Ciues Nazarei abiectè de Christo loquuntur, & sentiunt. Psal. 113. Sap. 15.

Medice cura teipsum. Protritum vsitatúmque apud Iudæos erat, vt medicos in morbum prolapsos, faceto hoc vrbanóque dicto: *medice cura teipsum,* quidam exciperent.

Dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua. Christi oratio huc tendit, vultis, vt multa signa apud vos, apud quos educatus sum, edam, verùm noui, quid communiter accidere soleat. Etenim vt res præclaræ, nisi rarò admodum fiant, vulgò semper ferè contemnentur, ita viri excellentes, honoréque & admiratione digni, si nimis familiares sese exhibeant, omniúmque conspectui passim sese offerant, apud eos, qui familiariter, & quasi domesticè illos norunt, debito honore plerúmque orbantur. Atque hinc est, quod vobis dico: *quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.*

D *Nimia frequẽtia & familiaritas pariunt contemptum.*

Multa viduæ, &c. Quandoquidem vaticinia, quæ de Christo, eiusdémque aduentu edita extabant, iam ad finem adducta videbantur: alij ex Iudæis ad quosdam, qui regnum apud ipsos administrauerant; alij verò ad sanctos Prophetas illa detorquebant, propterea Dominus ab ea operatione salubriter illos abducit, eosdémque tanquam fide laborantes; neque oracula eiusmodi ad se magis quàm ad illos ad quos ipsi ea referebant, pertinere credentes tacitè redarguit.

Iudæi vaticinia de Christo edita alio transferunt. 1. Reg. 17.

4. Reg. 5. *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ.* Cum, inquit, ætate Eliæ, multæ in Israël viduæ essent, ad nullam ex illis missus est Elias. Rursum cùm multi Elisæi tempore lepra in Israël laborarent, nullus tamen ad illum missus est, nisi tantum Naaman Syrus. Cur ita? quia ex omnibus viduis illa sola reperta est fidelis, pari modo ex omnibus leprosis solus Naaman idoneus inuentus est, cui hoc beneficium impertiret.

E

Et eiecerunt illum extra ciuitatem. Qua de causa, cùm eum ex monte præcipitem dare vellent, ipse per medium illorum transgressus abiit? non ideò id fecit, quòd Crucem fugeret, (nam vt pateretur, in mundum venerat) sed quòd tempus eam ad rem idoneum necdum adesset: Cœperat enim iam tum primùm Euangelij doctrinam disseminare. Veruntamen quòd hic fecit, euidenti argumento est, Iudæos nullo modo eum in Crucem agere, aut in suam potestatem redigere, tempore, quo Cruci affixus est valituros fuisse, nisi ipse vltro in mortem se tradidisset.

Iudæi Christum vulgaris sancti loco habebant.

Et stupebant in doctrina eius. Quoniam quidem Iudæis persuasum erat, Christum nihil præ cæteris Sanctis peculiare habere, verùm tanquam vnum è Prophetis in medium prodire, ea propter, quò maiorem de ipso, quàm de aliis opinionem & existimationem concipiant, communem Prophetarum mensuram excedit. Neque enim dicere consueuerat: hoc dicit Dominus, verùm tanquam legis Dominus, multa, quæ legis modum exuperabant, edicebat, immundósque Spiritus cum potestate Deo digna increpabat. Laudat autem ipsum immundus Spiritus, dicens:

F *Christus opere & sermone se cæteris Prophetis & Sanctis maiorem ostendit.*

Sine, scio te, quia es Sanctus Dei. Hoc ideo nequam Spiritus aiebat, quia fore sperabat, vt per istiuscemodi adulatoria blandimenta aliquod inanis gloriæ desiderium in eius pectore excitaret, eaque ratione efficeret, ne vel se, vel sui ordinis alios increparet, hanc nimirum gratiam, pro impensa gratia rependens. Ast fraudulentus prædo, quam consectabatur prædam, non est assecutus. Deus enim non irridetur nec dolo cuiuspiam capitur. Quare Dominus impuram illius linguam mox compesci, vtique ab eo, quem occupatum tenebat, abscedat, cum maiestate indicit. Permisit nihilominus, vt hominem, in quo erat, solo sterneret, quò facto hoc omnibus palam fieret, dæmonem fuisse, qui verba per os illius fundebat; adeóque, quæ accepta fuerant, non prodiisse ex hominis corde, sed ex dæmonis improbitate. Etenim animo restitutus, mentisque compos effectus, sobrij modestique viri oratione vtebatur.

Cur nequam Spiritus Christo blandiatur & aduletur.

G *Deus nullius dolo capitur. Dæmon per os hominis verba fundit.*

Et colloquebantur ad inuicem dicentes, quod est hoc verbum? Admirabantur virtutem illius; vt qui cum imperio, & potestate miracula patraret. Neque enim viuum illud, & efficax Dei patris verbum, per quod omnia, & in quo omnia, precibus adhibitis, immundos Spiritus, aut morbos profligabat, sed solo nutu & iussione sanabat.

Christus cum imperio & potestate miracula patrat.

Surgens autem IESVS de Synagoga. De socru Simonis Petri, cæterisque, qui à diuersis languoribus curati, spiritibúsque immundis liberati fuerant, de Petro itidem, & Andrea & Ioanne, & aliis nonnullis, qui piscatoria naui & arte posthabita, secuti sunt Dominum, scriptum est ad Euangelium Matthæi.

H Cap. 74.

CAPVT V.

Concluserunt piscium multitudinem copiosam. De hac piscium captura, Cyrillus Alexandrinus scribit in hunc modum: Dominus per munia piscatoria, piscatur Discipulos piscatores, vt hinc discant voluntatem habere omnipotentem, vniuersamque creaturam nutibus illius ad nutum obsequi, tum rursum quò per euidens hoc miraculum, veluti per typum vel imaginem quampiam admoniti edoctique, certò apud se statuant, operam, quam Euangelicæ doctrinæ rete laxantes, insumpturi essent, sua mercede & fructu nequaquam frustratum iri: vt qui citra vllam controuersiam gentium greges per illud sint collecturi.

Cur Dominus per munia piscatoria, piscatur Discipulos. Omnia diuino nutui ad nutum obsequuntur. Apostoli piscatores gentium.

Quin aliud quoque obseruare hîc licet: nempe cum

A

Non soli Apostolis Gentes piscati sunt, sed multi alij ante & post ipsos, & cum ipsis. Illustres piscatores secundum Apostolos Euangelistæ. Rete Euangelij etiamnum iacitur & impletur.

Simon, & qui cum illo erant, rete subducere non possent, eiusdem piscationis socios nutu (nam cùm præ stupore, & metu loqui non auderent, nutibus vsi sunt) aduocasse, eosdémque vt vnà operi incumberent, prædamque captam conseruare adiuuarent hortatos esse. Designabat hoc enim mysticè multos fuisse, & esse, olimque futuros esse, quibus hic piscandi labor, cùm Apostolis communis esset, inter quos primas facile tenent, qui sacrorum Euangeliorum volumina conscripserunt, & in lucem ediderunt. Secundum hos autem cæteri pastores, & doctores, populorúmque duces, & candidi dogmatum veritatis interpretes. Iacitur enim etiamnum Euangelij rete, Christo Domino illud implente; eosque, qui in profundo pelago, hoc est, in mundi huius commotione & fluctibus, vt scriptum est, versantur, ad conuersionem vocante,

B

Et ecce vir plenus lepra. De leproso, & paralytico, & publicano, vsque ad illud: *Nemo mittit vinum nouum, &c.* scriptum est ad Euangelium secundum Matthæum.

CAPVT VI.

Cuiusmodi fuerit Sabbatum primò secundum.

Factum est autem in Sabbato primo secundo. Quod de Sabbato primo secundo Euangelista hoc loco commemorat, illud sanctus Isidorus Pelusiotes ita exponit. Dicitur, inquit, Sabbatum primò secundum, quia secundum erat solemnitatis paschæ primum autem azymorum, neque mireris secundum diem Sabbatum appellari: Iudæis enim totum paschalis celebritatis tempus, Sabbatum appellare legitimum erat. Quare alicubi festum hoc Sabbatum Sabbatorum appellatur. Quæ hinc sequuntur, vsque ad illud: *Quos non licet manducare, nisi tantum Sacerdotibus*, vt & illa rursum, quæ de eo subnectuntur, qui habebat manum aridam, ea in Euangelio Matthæi exposita sunt.

Iudæi totam hebdomadã paschalis solemnitatis Sabbatum appellabant.
Matt. 12.

C

Christus omnia sua opera dirigebat ad fideliũ ædificationem & vtilitatem. Preces secretum & à turbis otium deposcũt.
Matt. 6.

Factum est autem in illis diebus, exiit orare in montem: & erat pernoctans in oratione Dei. Per hæc, vt placet Cyrillo, Euangelista ostendere voluit, Christum Dominum, omnia quæcumque faciebat ad nostram ædificationem, communémque eorum vtilitatem, qui in illum credituri erant, fecisse. Voluit per hæc rursum spiritalis vitæ formam se ipsum proponere, quique inter veros adoratores censendi sint, patefacere. Voluit tandem exemplo hoc docere, preces, quæ ad Deum transmittuntur, secretò, hoc est nemine, quod ad eius fieri potest, cernente, vel obseruante, transmitti debere. Huc enim tendit quod Dominus noster IESVS CHRISTVS seorsim in monte, & quasi in oratione orasse scribitur, id quod ante quoque verbis expressè tradiderat. *Tu*, inquit, *quando oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.*

Quid obseruare debeant qui salubriter

D

orare volunt.

Qui ergo salubriter precari cupiunt, sanctas purasque, & ab omni ambitione alienas manus ad Deum subleuent, eumque in modum sese componant oportet, quasi diuinam maiestatem coram assistere conspiciant. Debent adhæc mentem ab omni tumultu, mundanaque cura, & cogitatione abducere & seuocare. Debent æque, non remisse, aut ignaue, hoc est, cum quodam mentis tædio, & animi inconstantia illud ipsum facere, sed constanter & studiosè: debent postremò opus, si quod forsan præ manibus est, in secundis habere, neque mirari, aut frangi, si non statim audiantur. Audiuimus enim Dominum nostrum, non quouis modo, hoc est, obiter orasse, sed in oratione Dei pernoctasse.

Cap. 15.

Vocauit Discipulos suos & elegit duodecim. De Apostolorum vocatione, & beatitudinibus scriptum est ad Euangelium Matthæi.

Væ illa, quæ Dominus hoc loco

Væ vobis diuitibus. Posteaquam Deus bonorumque omnium Dominus ostenderat, Sanctos, qui paupertatem illius amore consectantur, esuriuntque, & sitiunt, & lugent, &c. sua mercede non cariturus, ad eos nunc sermonem conuertit, qui contrariis studiis incumbunt. *Væ*, inquit, *vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Væ vobis, qui saturati estis nunc, quia esurietis, Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Væ cum benedixerint vobis omnes homines, &c.* Insinuat hic omnia isthæc eiusmodi esse, quæ & supplicium procreent, & vindictam inferant; quo nimirum impendentium tormentorum metu exterriti, diuitiis congerendis non nimium inhient, neque in voluptatibus, & locis, nundique huius deliciis ætatem transigant; quin potius coronarum, & opum, quas ij hæreditabunt, quos Dominus beatos prædicat, desiderio incitati, ad labores, spontaneæque paupertatis studium propter Deum amplectendum, sese accingant. Dominus namque hos quidem cœlestis regni hæredes futuros, illos verò in extremam calamitatem ruituros asserit; vt qui suam hic mercedem, & consolationem receperint. Addit porrò similem eos pœnam adituros, qui ab omnibus hominibus laudari, magnique apud omnes fieri volunt.

E

intermi- natur æternum supplicium insinuant.

Non omnes diuites damnantur.

F

Matt. 6.
Matt. 6.
Cap. 5. 7.
15.

Cæterum quod de diuitibus hoc loco traditur, illud non pertinet ad omnes, sed ad eos tantum, qui totum animi desiderium ad pecunias contulerunt: Cuiusmodi sunt, qui vocem Domini dicentis: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in Cœlo, &c.* vel non audiunt, vel auditam contemnunt.

Diligite inimicos vestros. Doctrinæ & admonitionis, quæ hinc, vsque ad illud: *& facta est ruina domus illius magna*, consequuntur, ea in Euangelio Matthæi enucleata sunt.

CAPVT VII.

Matt. 8.

Apud Ioannem non Centurio pro seruo, sed Regulus pro filio rogat.

Centurionis cuiusdam seruus malè habens. Et hæc quoque iam aurea explanata sunt. Chrysostomus in commentariis ad cap. 8. Matth. locum de Centurione enarrans docet hunc eundem esse cum illo; alium autem eum, cuius fit mentio apud Ioannem.

Cur Christus Dominus post sanatũ Centurionis seruum, non vocatus necessitauit

G

que rogatus exsuscitauit viduæ filium.

Et ibat IESVS in ciuitatem quæ vocabatur Naim. Cur is, qui omnia nouit, vitæque & mortis potestatem habet, post sanatum Centurionis seruum à nemine accersitus, ad demortui adolescentis excusationem se confert? ait enim Euangelista: *Et ibat IESVS in ciuitatem quæ vocabatur Naim.* Factum est hoc non casu, sed summo iudicio, summaque sapientia, ne videlicet nonnulli quandoque in medium prodirent, qui dicerent, Centurionis seruum omnino moriturum non fuisse. Et quamuis Euangelista oppositum scribat, dicere tamen poterant magis illum spectasse ad gratiam, quàm ad veri narrationem. Christus itaque Dominus infrenem, petulantemque illorum linguam compescere instituens, defuncto, qui iam efferebatur, obuiam prodiit, accedensque loculum tetigit; & verbo simul & tactu, cùm solo alioqui verbo tanquam omnipotens, facere id potuisset, adolescentem excitauit. Ob id autem loculum seu feretrum tetigit; quia voluit, vt hinc disceremus, corpus Christi Dei nostri, corpus vitæ esse eiusdemque carnem, vnigeniti Filij Dei, verbique cunctipotentis carnem. Nam cùm caro eius, illi effecta sit propria, qui viuificat omnia, vt ipsa quoque sit viuifica, mortemque & corruptionem interimere idonea.

Caro & corpus Christi viuifica sunt,

H

quia diuini verbi propria effecta sunt.

Et resedit, qui erat mortuus, & loquebatur. Resedit, & locutus est mortuus: ne cui secundum externam tantùm faciem, & non verè resuscitatus videretur: Siquidem sedere, & loqui veræ exsuscitationis argumenta sunt. Corpus enim exanime, neque sedere neque loqui potest. Quare etiam tradidit illum matri suæ, tanquam verè viuum, vereque exsuscitatum.

Sedere & loqui certa vitæ argumenta.

Et conuocauit duos de Discipulis suis Ioannes. Quandoquidem miraculi huius magnitudo omnes, qui ad spectaculum præsentes adfuerant, in magnam admirationem coniecerat, & per vniuersam Iudæam diuulgatum iam erat, factum est, vt Ioannes Baptista quoque ex Discipulis suis illud resciscerer. Quamobrem duobus ex vniuerso numero accersitis, misit illos ad Dominum dicens: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Verùm de hac, discipulorum Ioannis ad Christum legatione, eiusdemque causa,

Ioannes mittit discipulos ad Christum.

A

Cap. 11. Versipelles Pharisæi. Dominus Pharisæorum, tametsi versipellium mensam non auersatur.

causa, vsque ad locum illum: *Et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis*, perscriptum est in Euangelio Matthæi.

Rogabat autem illum quidam ex Pharisæis. Animaduertere hoc loco licet, Pharisæum, qui Dominum IESVM CHRISTVM ad prandium vocarat à versipelli simulatione, latentique infidelitate immunem non fuisse; aiebat enim: *Hic si esset Propheta, sciret vtique, &c.* At Dominus hominem eiusmodi esse, certò compertum habens nihilominus in domum illius ingredi, mensæque accumbere non dedignatur.

Cautè lege, nam fallitur auctor iste eas mulieres distinguens,

Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit, quòd IESVS *accubuit in domo Pharisæi, &c.* Hæc mulier, neque ea est, cuius fit mentio apud Matthæum nec ea rursum, cuius apud Marcum; nec ea tandem, cuius apud Ioannem: Siquidem illæ paulò ante Dominicam Passionem fecerunt, quæ fecisse scribuntur, hæc autem circa Euangelicæ prædicationis medium, aut citiùs quoque, vt facilè quis, si eam in rem curiosè inquirere vellet, deprehendere posset.

B

cum vna tantum extiterit. Vide post alios cõ. annal. anno Christi 32. c. 17. & seqq

Mulier hæc peccatrix incensum erga Christum amorem ostendit. Dominus intima cordis sensa penetrat.

Osculabatur pedes eius. Non simpliciter, aut oscitanter Domini pedes osculatur, sed seriò & ex animo, exosculatósue pretioso vnguento perfundit. Vtróque autem officij genere incensum erga Christum amorem ostendit. Christus verò Dominus, qui non tantum externa verba audit; sed intima quoque cordis sensa penetrat, plenéque comprehendit, tanquam Prophetarum Dominus, Pharisæi cogitata in lucem effert; ait autem:

Simon habeo tibi aliquid dicere. Mox illo verò, ad CHRISTI quæsitum, respondente: *Æstimo, quia is, cui plus donauit,* Dominus vicissim excepit. Cur tu ergo huius flagitia animo pertrectas? nam neque tu quoque peccati expers es; quamuis enim minus fortè debes, quàm illa, attamen non es ab omni prorsus noxa immunis. Et sæpe quidem vsu venit, vt is, qui grauiter & multum impegit, per confessionem à peccatis absoluatur: Alius è diuerso qui parum peccarat, per superbiam, confessionis pharmacum aspernetur: adeóque in pœnarum reatum incidat. Neque enim ob id condemnationis iudicium euadet peccator, quòd paucis delictis obstrictus teneatur; nam & propter pauca quoque condemnabitur, nisi eam confessionem, & pœnitentiam de paucis illis in medium afferat, quàm oportet. Siquidem ad tremendum illud tribunal constitutus, tanquam verè peccator, liberè pro se loqui non audebit.

C

Sæpe, qui minus peccarũt damnantur, qui verò magis seruantur, quia hi pœnitentia ducũtur, illi non item. Etiam pauca peccata damnant si per pœnitẽtiam & cõfessionẽ non expiãtur.

Vides hanc mulierem, &c. Quasi dicat, tu ne illis quidem vsus es, quæ ad manum erant: aquam enim, quæ nusquam non obuia, facillimo negotio parari potest, pedibus meis non dedisti; hæc autem ea etiam effudit, quæ difficillimè habentur. Quandoquidem lachrymis pedes meos abluit: at tanta lachrymarum profusio, paratu minimè facilis est.

Et capillis suis tersit. Nimirum quò per ea aucupetur sanctimoniam, per quæ iuuentutem pellexerat ad noxam. Ad hæc despectui me habuisti: neque enim osculum mihi dedisti, neque oleo caput meum vnxisti, hæc autem cum omni timore & reuerentia osculata est pedes meos, osculóque delinitos vnguento inunxit.

D

Lachrymæ cõtritionis nõ facilè obtinentur. Mulieres capilli pelliciunt ad noxam. Christus euidenti ratione ostendit, se mulieris peccatricis quæ illum ungebat, statum non ignorasse. Christi

Et quia intra te aiebas: *Hic si esset Propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum quia peccatrix est,* agnosce vel ex hoc tandem, quod illius peccata non ignorabam, quia tuas cogitationes cognosco. Quamobrem & te, & tua cogitata, tanquam omnium gnarus exploratè tenens, & peccatorum molem, qua hæc premitur, neutiquam nesciens, tibi dico: *Remittuntur ei peccata multa, &c.*

Et cœperunt qui simul, &c. Per hæc Euangelista ostendit, alios quoque vnà accubuisse, ad quos Christi verbum spectabat: Neque enim erat illud tanquam vulgaris cuiuspiam Prophetæ, sed tanquam Domini, vnicuique, quod æquitatis ratio poscebat, distribuentis. Deposcebat hæc autem, vt eam, quæ confitebatur, quæ lachrymabatur, quæ ad Christi pedes sese abiecerat, quæ omnem honorem & reuerentiam eidem impenderat, vicissim in gratiam & amicitiam reciperetur.

E

Fides tua te saluam fecit. Credidit enim illa Christum habere potestatem remittendi peccata. Quid autem dicit: *Vade in pace,* idem est, quod *noli amplius peccare.*

CAPVT VIII.

ITer faciebat per ciuitates & castella. Qui doctor è Cœlo ad terram descenderat, is ciuitates & oppida prædicans, & regnum Dei annuntians peragrabat, quò eos, qui vitam in terris degebant, ad cœleste regnum prouocaret: (Est interim ipsa etiam terra illius opus) quoque ij, qui per seductionem à cœlesti ordine, & tranquillitate exciderant, per rerum terrenarum contemptum, animo ad cœlestia assurgerent.

Duodecim erant cum illo. Erant hi quidem cum illo; attamen verbi ministerium tum non obibant, sed ea tantùm, quæ ad Euangelij doctrinam faciunt, discebant, & à Christo præceptore hauriebant.

F

Et mulieres ministrabant ei de facultatibus suis. Mulieres quæ Christum secutæ fuerant, administrabant illi de facultatibus suis: Christo & Apostolis non tam corporis solatia & fomenta exhibentes, quàm salutem ex Euangelij doctrina haurientes. Erogabant autem & insumebant, quæ in bonis habebant in egenorum vsum, quò compararent pietatem.

Exiit qui seminat. Quod de iacti seminis similitudine; de lucerna accensa sub modio non recondenda; de matre & fratribus, qui cupiebant illum videre, de ventorum & fluctuum increpatione, de dæmonum legionem habente, & Gerasenis; de filia Archisynagogi & Hemorroissa, de duodecim Apostolis, eorundémque potestate & munere, de Herode Tetrarcha, & quinque panibus, de Discipulorum responsione ad illud CHRISTI, *quem me dicunt esse turbæ*, de Domini transfiguratione & lunatico, de eo tandem, quod Discipuli de antecessione inter se versabant, in hoc & proxime consequenti capite certa quadam serie traditur, hoc totum in Euangelio Matth. explanatum est iam ante.

G

CAPVT IX.

PRæceptor vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia. Quod de Ioanne fratre Iacobi, Dominum eiusmodi oratione compellante: *Præceptor vidimus quendam in nomine tuo eiicientem dæmonia & prohibuimus eum, quia non sequitur nos*, Euangelista hoc loco exponit: id non ita accipiendum est, quasi Apostoli inuidia perciti, hoc dixerint: non enim inuidebant sed an aliis quoque munus hoc, Apostolis alioqui proprium, exercere liceret, à Christo discere cupiebant. Quamobrem ipse eos de quæsito hoc anxios instituens, ita respondit: *Ne inhibeatis eum, qui conterit Sathanam in nomine meo: talis enim vobis non aduersatur.* Iam qui vobis, qui me diligitis, non aduersantur, pro vobis faciunt. Si qui enim sunt, qui quæ ad gloriam meam spectant, implere satagunt, illi non ex se, sed gratia mea præuenti, ea præstant.

H

Factum est autem dum complerentur dies assumptionis. Ecquid est, quod de assumptionis illius diebus, Euangelista hic dicit? Aduentante iam tempore, quo cum salutarem Crucem nostri causa subire oportebat, cœlóque repetito, Deo Patri dextera assistere, constituit Hierosolymam ascendere; nec amplius huc illuc diuagari, vicósque & ciuitates obire: hoc enim denotatur verbis illis: *& ipse faciem firmauit, vt iret in Ierusalem.*

Et misit nuntios ante conspectum suum Discipulos. Præmittit hos ad Samaritanos, vt denuntient, cupere se apud illos diuertere, etsi repulsam istic accepturos non ignoraret. Facit hoc autem, tum vt omnem illis excusationis causam adimat, tum maximè, vt nonnulla hinc vtilitas ad Discipulos accedat. Qui enim perpessionis tempus vicinum iam tum habens, Hierosolymam ascendebat, insanas Iudæorum furias ibidem experturus, ne indigna eum pati cernentes, offenderentur, neque, si qui ipsos aliquando, vel contumelia afficerent, vel iniustè insectarentur, animo frangerentur, aut patientiæ & mansuetudinis obli

A

obliuiscerentur, propterea Samaritanorum petulantiam, quasi quoddam futurorum incommodorum præludium & præexercitamentum, venire permisit: tamen non eiusmodi oratione illos compellans: Quamuis Samaritani vos non exceperint, nihilominus meis, qui Dominus sum, vestigiis insistentes, æquanimiter, vt Sanctos decet perdurate.

Dominus discipulorum bilē, vi diuinâ cōprimit.

Igitur cùm ex Discipulis eius quidam dicerent: *Domine vis dicamus, vt ignis descendat de Cœlo, & consumat eos?* acriter statim illos increpuit, celerémque eorundem bilem, vi quadam diuina compressit, ac, vt ad omnia aduersa patienter se præbeant, grauiter admonuit, non tum solùm, sed postea quoque, si forsan, dum sublunarem hunc orbem percursuri sunt, in impios quosdam quandóque incidant, qui diuini verbi prædicationem non ferant.

B

Discipuli Christi initio imperfecti.

Quod autem dicunt: *vis dicamus, &c.* id arguit noui Testamenti gratia necdum fuisse imbutos, sed veteris consuetudinis imperfectioni obstrictos adhuc hæsisse. Dicebant hoc enim in Eliam, qui bis quinquaginta viros vnà cum ducibus illorum igne absumpserat, mentis oculum conijcientes.

Domine sequar te, quocumque ieris. De hoc scriptum est ad Euangelium Matthæi, sicut de illo quoque, qui aiebat: *Domine permitte mihi primùm ire, & sepelire patrem meum.*

Cap.8.

Velle domesticis valefacere, prius quàm Christum sequare, id est animi parū adhuc in proposito firmi.

Sequar te Domine, sed permitte mihi primum renuntiare his qui domi sunt. Qui dicebat: *sequar te Domine*, promptitudinem sanè laude & æmulatione dignam ostendebat: at verò, dum iis renuntiare efflagitat, qui domi erant, animum declarat adhuc ancipitem, & certa quadam ratione diuisum. Nam domesticis, aut genere propinquis, qui perfectioris vitæ institutum plerumque non probant, eiusmodi consilium velle communicare, istud est mentis etiamnum fluctuantis, & in Religionis proposito nondum satis firmatæ. Quamobrem Dominus quoque petitionem illius istiusmodi oratione non iniuria excipit.

C

Domesticis sanguineue coniunctis de religionis proposito consulti, in oppositam plerumque partē impellunt.

Operam perdit, & damnum præterea sibi ascifcit, qui inchoatum opus ignauiâ victus

D

persequi omittit.

Nemo potest Christum & mundum simul sequi.

Quid sit retro respicere.

Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Quemadmodum agricola, qui sulcum ducere, terramque aratro proscindere orsus est, si ignauia victus, inchoatum opus ad finem vsque persequi destiterit, ex toto insumpto labore, agrum aristis luxuriantem nunquam cernet, neque vllum omnino fructum hinc colliget, sed illud præterea incommodum sentiet, quod apud eos, qui opus fœliciter semel cœptum, malè intermissum animaduertent, ridiculus fiet, ita quoque si quis Christum Deum sequi deliberatum habuerit, neque ab iis omnibus tamen sese abdicauerit, quæ in mundo habebat, amicisque carnalibus, & iis præsertim, qui propositum illius auersantur, nuntium miserit, nihil ille vnquam toto illo laudabili proposito, magni, aut præclari efficiet, neque regno Dei capessendo vnquam idoneus euadet. Inijcit quidem manum aratro, quia promptum sectatorem spondet. Respicit autem retrò, quia per hoc quòd rem cum domesticis vult conferre, iisdémque vale facere, dilationis & procrastinationis causam quærit. Tales profectò non erant SS. Apostoli: nam vbi illi primùm Christum dicentem audiuissent: *Venite post me*, statim relicto patre, naui, & retibus, secuti sunt eum. Ad eum itaque modum illos comparatos esse decet, qui Christum ex animo sequi volunt.

Matt.4.

Apostoli semel vocati, prōptè perfectéque Christum secuti sunt.

CAPVT X.

Cur Dominus duodecim Apostolis

POst hæc autem designauit Dominus, & alios septuaginta duos Discipulos, & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse venturus. Non citra causam Christus Deus, & Dominus noster duodecim Apostolis septuaginta duos Discipulos adiunxit: Cernebat enim magnam eorum futuram multitudinem, qui olim in ipsum credituri erant. Tendebat enim non Israëli tantum retia, sed gentium quoque gregibus; Hæc ergo auctioris numeri ratio extitit. Quæ hinc consequuntur, vsque ad illud: *Nolite transire de domo in domum* (id quod vagorum, mercedémque ambientium est, & certe nihilominus calumniæ expositum est) & hinc rursum, vsque ad illud: *Qui me spernit, spernit eum, qui misit me*, ea in Euangelio secundùm Matthæum enarrata sunt.

E

72. discipulos adiunxerit.

Cap.10.

Septuaginta duo magis gaud ne de signorum virtute, quā de prædicationis munere.

Reuersi sunt autem septuaginta duo cum gaudio. Paulò antè septuaginta duos ablegasse exposuerat, nunc verò eosdem cum gaudio rediisse commemorat. Gaudij autem causa erat, quia ad illorum inuocationem diuina miracula consequebantur, dicebant enim: *Domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo.* Hoc autem aiebant, quia impensius gaudebant, quod signorum effectores euaserant, quàm quòd diuinæ prædicationis ministerium acceperant, Apostolicæque gratiæ communione digni habiti fuerant.

Diabolum nemo

F

mortaliū videre potest.

Videbam Sathanam, veluti fulgur de Cœlo cadentem. Hæc Christi Domini oratio huc tendit: si dæmonum antesignanus & princeps è Cœlo decidit, serui illius in posterum efficere quid poterunt? Dicit verò, se illum ruentem vidisse; siquidem alius, quàm index ille, qui sub aspectum non venit, eum videre omnino nequit.

Dæmon sua voluntate obscurus & tenebrosus effectus.

Tanquàm fulgur. Hoc addit, quia licet diabolus prauo voluntatis proposito, effectus sit obscurus & tenebrosus, secundum naturam tamen quandoque illustris & clarus extitit. Quòd enim Deus condidit, hoc venustum & pulchrum erat: id autem, in quod draco ille infernalis seipsum transformauit, hoc malum & turpe est. Cùm res ergo ita habeat, inquit, & ego is sim, qui eam vobis potestatem contuli, nemo vestrum se ipsum admiretur, nemo se efferat, aut magni faciat.

Facultas signorum à solo Deo dimanat, quare nemo ob illā efferre se debet.

Secundum beatum Cyrillum, potest hic locus aliter quoque exponi nempe vt sensus sit: Videbam Sathanam sicut fulgur de Cœlo cadentem, hoc est, è sublimi in terram; à gloria, ad ignominiam, à summa fortitudine, ad summam infirmitatem deiectum. Nam ante CHRISTI Dei & Seruatoris nostri aduentum, toto passim terrarum orbe rerum potiebatur, colebaturque ab omnibus propemodum gentibus & nationibus. Vbique extabant delubra in illius honorem erecta, vbique aræ, vbique sacrificia. Posteaquam autem vnigenitum Dei verbum è Cœlo descendit, ruit ille vt fulgur. Nam qui paulò antè eos omnes cultores habebat, quos malis artibus in errorem pertraxerat, is illorum pedibus nunc subiicitur, qui supplices olim, prostratique illum adorauerant.

G

Latum dæmonis imperium ante Christi aduentum.

Serpentum & scorpionum nominibus dæmones significantur.

Et ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones. Hæc idem illud, quod modò dicebatur, confirmant. Quod enim de serpentibus & scorpionibus hoc loco scribitur, hoc totum ad diabolum & dæmones, qui vnà cum illo à Christi Dei nostri seruis, à quo tantam illi potestatem acceperunt, calcantur, referendum est.

Gratia sanitatū, in aliorū vsum cōfertur.

Nolite gaudere quia spiritus vobis subiiciuntur. Quasi dicat: cauete ne aliqua hinc inanis gloria in animos vestros irrepat: Nam si quid hoc est, aliorum est, eorum nimirum, qui sanitatis beneficium hinc consequuntur.

H

Quo sensu iustorum nomina in cælo scripta dicantur.

Diabolus è cælo ruit in terram, homo è terra subuehitur in Cœlum.

Gaudete autem, quia nomina vestra scripta sunt in Cœlo. Scripta sunt autem, non per calamum & atramentum, sed per Dei Opt. Max. memoriam, eiusdemque Dei gratiam & gloriam. Et quidem diabolus è summo deorsum ruit, homines autem, qui deorsum in terris vitam degebant, inter cœlestes ciues censentur, & describuntur. Vera itaque & solida lætitia est, supernè inscriptum esse. Inscribitur autem vnusquilibet eò verius & firmius istic, quò Christi gratia & præsidio adiutus, plura hic illustrioraque opera ediderit.

Quæ hinc consequuntur, vt est illud: *In ipsa autem horâ exultauit in Spiritu sancto*, & illud rursùm: *Beati oculi qui vident, quæ vos videtis*, & illud tandem, quod de legisperiti interrogatione subditur, vsque ad illum locum: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, hoc totum in Euangelio Matthæi explanatum est.

Cap.13. 22.

Iurisperitus à Christo laudatus in superbiam effertur.

Ille autem volens seipsum iustificare, &c. Iurisconsultus hic à Domino laudatus, in superbiam & arrogantiam prorumpit: ponit namque, se nullum extare, qui

secundum

A

Errant cum in iurisconsulto Euangelico qui solum iusti iusto, aut ex cellentem excellenti proximum iudicant.

secundum exactam iustitiæ rationem cum illo conferri queat. Hoc enim insinuat Euangelista dum ait: *Ille autem volens seipsum iustificare, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus?* Hic legis-peritus, scribit Pelusiota, solum iustum iusto proximum iudicat. Eum autem ille tantum iustum censebat, qui ad virtutum fastigium peruenerat. Neque enim hominum inter se cognationem, aut excellentiam ex natura, aut naturæ similitudine spectandam putabat, sed ex dignitate, & actione. Seipsum proinde iustificare, hoc est, iustum demonstrare, quantosque in virtutibus, aut iuris sapientia progressus haberet, ostentare volens, aiebat: *& quis est meus proximus?* quasi dicat: ostende mihi aliquem tantum, quantus sum ego?

Propinquitas spectanda ex natura conditione verius quàm ex præstanti actione vel morū similitudine.

Dominus autem, tanquam rerum omnium opifex (ipse enim paruum formauit & magnum) propinquitatem hanc non ex dignitate, vel præclara aliqua actione æstimari vult: sed ex naturæ conditione. Hominem itaque

B

tantum non ita compellat: Nolo nunc dicere, quòd cæteris nihil præstes: neque, quod falsò opinaris, studeo hic refutare: ne verè studio si forte autument, charitatem vitæque integritatem proximo nihil debere: verùm detur, quod de virtute & dignitate persuasum habes, ratione niti: at tu interim operanda, vt egenti posthac proximus fias, non spatio aut loco tantùm, sed pia animi affectione, diligentique eiusdem cura præcipuè: huc enim exemplum, quod de Samaritano hoc loco affertur, pertinet. Cum ergo cognatio, de qua hic sermo est, non ex virtute, aut dignitate, vt dictum est, æstimanda sit: sed ex natura, commiserationisque & curationis ratione: tutè illum potissimum tibi proximum iudicato, qui opera tua maximè indiget, adeóque vt opem illi feras, ne tantisper, dum voceris, expectes: sed vltro occurras, manumque porrigas.

Qua ratione homo egenti se proximum ostendere debeat. Ille confundus est proximus de quo bene mereri licet

Suspiciens autem Iesus dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Hiericho. Quando Christus Dominus hominem ab Hierosolymis Hierichonta versum de-

C

Hierosolymorum nomine Paradisus mysticè significatur, hominis autem fauci, genus humanū. Quid Hiericho denotet. Latrones, qui hominem despoliarunt & vulnerarunt, dæmonum acies insinuant.

scendisse asserit, eius è supernis ad inferna descensum tacitè exprimit. Qui quidem descensus, per Adæ præuaricationem contigit. Hic enim è sublimi illa, paccataque, & diuina paradisi habitatione (quæ Ierusalem, quæ Dei pacem denotat, haud incommodè appellatur) ad cauam illam humilemque, & ardore præfocatam Hierichonta prono lapsu decidit. Hiericho namque mundi huius vitam, miseriis & perturbationibus, quæ à Deo seiungunt, plenam significat.

Et incidit in latrones. Latronum nomine agrestes, sæuasque dæmonum acies designat. Qui quidem dæmones hominem illum fortitudine, temperantia, cæterisque virtutum indumentis & ornamentis miserè exutum, peccatorumque vulneribus dirè sauciatum, semiuiuum reliquerunt, & abierunt. Neque enim facile est illis, lethalia vulnera prius alicui inferre, quàm virtutum præsidiis & munimentis ipsum despoliarint. At verò vbi primùm virtutum arma abstulerunt, statim citra intermissionem cædunt & sæuiunt: neque antè cædendi & sæuiendi finem faciunt, quàm mortem intulerint. Neque

D

Dæmones post sublata virtutū præsidia, inferunt vulnera. Dæmones non prius sæuiendi finem faciunt, quàm hominem peremerint. Per sacerdotem & leuitam, eorū prætereuntes

enim contenti sunt solo virtutum spolio, verùm toti in hoc sunt, vt homini vitam adimant.

Accidit autem, vt sacerdos quidam descenderet eadem via. Quandoquidem lex Leuiticum sacerdotium induxit; Dominus per sacerdotem & leuitam legis imbecillitatem, eiusdemque inutilitatem explanat. Neque enim plagas, illi qui in latrones inciderat illatas, sanare valebat. *Impossibile est enim, per taurorum & hircorum sanguinem auferri peccata.* Et quidem sacerdos sauciatum defixis oculis aspexit, verùm robore destitutus: neque perfectæ sanitati ægrum restituere, neque prostratum erigere potuit. Quòd enim præteriisse scribitur, id ita inde digressum subindicat, vt tamen vulneratum contueri non omiserit. Constitit enim, & iacentem contemplatus est: imò verò sanandi animo eundem contrectauit, verum cùm se ad præstandam sanitatem impotentem animaduerteret, plagarum, hoc est, perturbationum magnitudine victus exterritusque, retrorsum abiit, pedemque retulit, hoc enim significatur vocabulo illo ἀντιπαρῆλθεν.

E

At verò vbi ille, qui per massæ nostræ primitias, vniuersam naturam humanam induerat (in ea enim cuiusque gentis, hoc est, Iudæi, Samaritani, Græci, &, vt paucis dicam, omnium hominum pars quædam inerat) corpore, quod iumenti vice ipsi erat, loco hominis sauciati affecto, afflictoque sese applicuit, omnis mox vulnerum dolor, & sanies è medio facessiuit. Verè hic enim erat, qui ibat, sed non præteribat: quinimò dubio ob iter isthac faciebat, quo eos inuiseret, propter quos è cœlo in terram descenderat: & apud quos rursum veluti hospes diuerteret. Neque enim posteaquam citra vllam prorsus sui mutationem, aut falsæ imaginis speciem, hominem semel induit, ab hominibus tantùm visus est, sed verè etiam inter homines conuersatus est. Enimuero legitimorum, beneque affectorum medicorum proprium est, familiariter cum ægris versari: neque prius eos deserere, quàm integram sanitatem recuperauerint.

Infudit oleum & vinum. Vinum oleo temperatum, hoc est, doctrinam informandis animis idoneam, in ægri vulnera infudit: siquidem vulnus graue, & morbus quodammodo insanabilis, non ferebat illud purum, hoc est, excedentem illam astrictionem & acrimoniam. Quare cum publicanis quoque & peccatoribus accumbebat, cibumque cum illis sumebat.

F

Imponens illum in iumentum suum: hoc est enim in seipsum. Ipse enim veluti propria corporis sui membra nos portat.

Duxit in stabulum. Hoc est, in Ecclesiam, hæc enim cùm omnium capax existat, omnes intra gremium suum complectitur. Neque enim nunc amplius iuxta legalis vmbræ, typicique cultus angustias, audimus, *Non introibit in Ecclesiam Dei Moabites, aut Ammonites*, auditum autem: *Euntes docentes omnes gentes, &c.* rursùm: *In omni gente, quæ timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi.*

G

Et curam eius egit. Quomodo peculiarem illius curam habuit? Quia Christus ipse in Ecclesia ex gentibus, quæ in Idololatriæ sordibus sepultæ iacebant, congregata, versatus est iuxta illud: *Habitabo & ambulabo in eis*, omnemque spiritalem gratiam illi impertitus est.

Dedit duos denarios stabulario. Stabularij typum gerunt Apostoli, & qui illos secuti sunt, Doctores & Pastores. Iis enim Christus Dominus ad cœlum ascensurus, obtulit duos denarios, mandatum dans, vt diligentem curam ægro impendant: certoque promittens, vbi redierit, se id totum cumulatè refusurum, quodcunque supererogatum fuerit.

Cæterum per duos denarios, duo Testamenta designat, vetus nimirum & nouum: vtrumque enim Dei est, & vtrumque vt legitima numismata solent, vnam eandemque Regis vnius imaginem & inscriptionem præ se fert, & eundem tandem per diuina eloquia, regni characterem cordibus nostris imprimit inducitque.

H

His ergo denaris acceptis, propriaque industria auctis, (eius enim naturæ est argentum spiritale) Domino ad vltimum diem reuertenti, singuli dicturi sunt: *Domine duos denarios tradidisti mihi: ecce propriam industriam in medium conferens, eandemque hisce adiungens, lucratus sum alios duos:* siquidem gregem tuum auxi. Quibus Dominus responsurus est: *Euge serue bone & fidelis.*

Deinde Domino ex legisperito sciscitante: *Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones?* illoque respondente; *qui fecit misericordiam in illum*, mox audiuit: *vade, & tu fac similiter.* Quasi dicat, & sacerdoti dignitas, & titulus rursum, nomenque iureconsulti, res sunt, quæ paruam vtilitatem sacerdotibus & iurisperitis afferunt, nisi bonis operibus illa probent, & exornent. Cernis hinc ergo regni coronam iis contextam & præparatam, qui proximum diligunt.

Dum irent, intrauit in quoddam Castellum. Magna virtus,

legis infirmitas exprimitur. Hebr. 10. Sacerdos leuitic. ægrum sanare voluit sed non potuit. Christus per massæ nostræ primitias vniuersam naturam humanam induit. Christi Domini probi ... neque ... dici ... nere ... fungitur. Cur Samaritanus vino oleū admiscuerit. Ob morbi magnitudinem summa lenitate & mansuetudine opus fuisse insinuat. Deut. 23. Matt. 28. Act. 10. Christus versatur in Ecclesia ex gentibus congregata. Christus omnem gratiam impertitur Ecclesiæ. Stabularij typum gerunt Apostoli & illorum in munere successores. Per duos denarios duo Testamenta exprimuntur.

A

Quomodo mystici denarij augeantur.

Sacerdotium & iuris sapientia parum prosunt, si bonorum operum ornamentis destituantur.

magnumque & illustre bonum & donum est hospitalitas, quo Martha ornata, Dominum ipsum hospitio suscipere meruit. Interim quod Maria complexa fuerat, illud, Domino nostro IESV CHRISTO teste, excellentius erat. Maria enim, quæ ad pedes Iesu considebat, verbaque eiusdem audiebat, Marthæ prælata est. Ad hanc enim dictum est: *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima, &c.* Non ea de causa huc venimus, vt superuacaneis escis ventrem impleamus: natura enim paucis contenta est. Ad illam verò: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ecquænam erat pars illa? eloquiorum veritatis perceptio, diuinorumque mysteriorum contemplatio. Verumenimuero licet Dominus Mariam ob id, in quod ex instituto incumbebat, commendarit: Mattham tamen ab eo, quod familiariter tractabat, non submouit. Ex quo coniectura fit, per duas has mulieres geminam nobis vitæ sortem ob oculos ponere voluisse: Alteram minorem, tametsi vtilissimam: alteram sublimiorem & spiritaliorem. Hæc circa cœlestia & spiritalia versatur: illa circa externa corporis ministeria.

Illustre bonū & donum est hospitalitas.

B

Maria Martha ratione muneris prælata.

Natura paucis contenta.

Dominus Mariam Marthæ ita prætulit, vt tamen Marthæ munus non damnarit.

Duæ vitæ per Mariam & Martham designata.

Quilibet proinde nostrum vtrum ex his voluerit sibi deligat. Cui egenis ministrare, aut aduersa valetudine laborantes curare placuerit, Marthæ exemplum secutus, hoc vitæ institutum complectatur. Quodcumque enim quispiam in Christi seruum contulerit, hoc in Christum ipsum redundat. Qui autem Mariam æmulari maluerit, quæ corporali ministerio posthabito, ad rerum spiritualium considerationem se contulit, animoso, candidoque pectore rem adoriatur. Contulit hac re Christus non parum quoque suis discipulis: ostendit enim quomodo, quáue ratione in illorum ædibus gerere sese debeant, qui, dum terrarum orbem prædicationis causa percurrent, eos hospitio excepturi sunt.

C

Et qui Mariam, & qui Marthā æmulantur vitā æternam promereri possunt.

CAPVT XI.

DOmine doce nos orare. De oratione communi, deque altera illa, quæ dominica appellatur, perscriptum est ad Euangelium Matth.

Cap.6.

Quis vestrûm habebit amicum, &c. Hæc per modum parabolæ proponuntur, ne ignauo, negligentique animo precationi insistamus: néve, si prima fortè oratione fusa, auditi non fuimus, secundam statim, tanquam quæ nullum nobis operæpretium afferre queat auersemur, insulsè aliquid istiusmodi animo pertractantes: En sæpenumero iam accessi, lachrymatus sum, obtestatus sum, nihil vnquam hactenus consecutus sum. Non ita nos ratiocinari decet: cogitemus potius vniuersorum Dominum peculiarem nostri curam habere, quidque è re nostra sit adeoque quid concedere conueniat, probè nosse. Adde his, si lubet, nos ea frequenter petere, quæ modulum nostrum multis partibus excedunt.

Non est desistendum, si semel aut iterū precati exauditi non fuimus.

Causa nō vna, cur

D

precantes non semper audiamur.

Hæc igitur, aliaque similia animo versantes, orationi impigrè incumbamus, in eaque constanter perseueremus. Etenim quæ citra sudorem obtingunt: vel ex parato subministrantur, ea, vt non contemnantur, certè minoris plerumque fiunt. Cùm enim dicit: *quærite*, laborem, cùm verò, *pulsate*, constantiam, & quandam importunitatem iniungit. E rebus igitur, quæ apud nos receptæ sunt, quod vtile est, venari discentes, quæramus, pulsemus, & importunè insistamus.

Impigrè constanterque precandum.

Minoris fiunt, quæ citra sudorem obueniūt.

Et ibit ad illum media nocte. Hoc propter eos affertur; qui circa vitæ catastropham peccatorum, quæ admiserunt, sensum capiunt, fideque ad Christum sese adiungunt. Huc enim clementis Domini tendit oratio.

Oratio quandam importunitatem deposcit.

Amice commoda mihi tres panes. Amicus, cuius ostium pulsatur, est Dominus, & Deus, & Seruator noster IESVS CHRISTVS, qui omnes diligit, omniumque etiam eorum, qui in ipsum necdum credunt, salutem sitit. Per tres autem panes, fidem in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum designat. Siquidem trium horum inuocatione sacrosanctæ, homousiæ, & viuificæ Triados constat professio.

Qui sint, qui media nocte

E

pulsant & trant.

Christus Dominus omnium salutem sitit.

Amicus meus venit de via ad me. Per amicum, qui de via hospitij causa diuertit, Angelum, vel Angelos, qui circa vitæ finem accedunt, vt nos secum assumant, haud incommodè accipere possumus. Amant enim nos ipsi quoque, deque salute nostra lætitiæ materiam hauriunt: notum est enim illud Christi: *gaudium est in cœlo, &c.*

Tribus panibus Trinitatis mysteriū adūbratur.

Quis sit amicus ille, qui de via diuertit.

Luc.15.

Pueri mei mecum sunt in cubili. Per pueros in conclaui quiescentes, describit conuersos, vt pueros: cuiusmodi sunt, qui simplici corde Euangelio credunt: atque ob id idonei habiti, qui pacatè cum Christo quiescant. Qua de re Saluator alicubi ita ait: *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac, &c.*

Quinam sint pueri

F

illi, qui cum patre familias in conclaui degunt, & dormiunt.

Matt.8.

Propter improbitatem tamen eius surget. Improbitatis, vel impudentiæ nomine, hoc loco constantem prolixamque in oratione perseuerantiam designat.

Quis autem ex vobis Patrem petit panem. De hoc loco, deque habente dæmonium mutum, & aliis nonnullis, quæ hisce annectuntur, vsque ad illud: *Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus*, perscriptum est ad Euangelium Matth.

Cap.7.9

Beatus venter qui te portauit. Cur muliere exclamante: *Beatus venter qui te portauit, &c.* Christus Dominus intulit: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud?* Conuenienti planè opportunoque tempore, hoc ab eo dictum est: quandoquidem non deerant per id tempus, qui Dei verbum adeò non audiebant, vt eos etiam in ius vocarent, palamque condemnarent, qui audiebant. Dominus autem oppositam quasi viam ingressus, illos præ cæteris beatos fortunatosque prædicat, qui Dei verbum audiunt, auditumque custodiunt.

Cur Dominus dixerit: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei.

Quin ob mutum quoque & surdum, quem paulò antè sanauerat, illud dixisse videri potest. Hic enim Christi beneficio huc iam adductus erat, vt Dei verbum audire, & discere, audiendo verò & discendo, credere, credendo autem, operari, operando demum, gloriæ coronam cum iis omnibus, qui Domini præcepta obseruant, consequi posset.

Gradus quibus ascendi-

G

tur ad cœlestem beatitudinem.

Generatio hæc, generatio nequam est. Quæ de nequam generatione Christus Dominus hic docet, vsque ad illum locum: *Et erit lucidum totum, &c.* ea in Euangelio Matth. iam antè enodata sunt.

Cap. 21. 6.5.

Rogauit illum quidam Pharisæus, vt pranderet apud se. Cùm Pharisæi malitia simul & inuidia flagarent, hominesque auari, & fastu pleni essent, cur Christus Deus & Dominus noster, ab vno ex eorum grege, ad prandium vocatus, non recusauit, sed in domum illius ingressus, vnà cum cæteris accumbit? Non ideò hoc fecit, quòd illorum peruersitatem ignoraret: notat enim ille omnia. Verùm cùm eum docere & erudire in animo haberet, voluit rem hanc in spiritalis institutionis materiam & causam conuertere.

Pharisæi malitia & inuidia flagrant.

Causa, cur Dominus cū iis cibum caperet, & familiariter ageret, quos improbos esse

H

sciebat.

Pharisæum cœpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium. Pharisæus hic, quòd Dominus, antequam mensæ accumberet, non lauaret, offensus est. Sed admodum insulsè. Faciebant hoc autem Pharisæi suo more (siquidem Moyses hunc ritum nusquam præceperat) rati omnes animi corporisque sordes per eiusmodi baptismata sese deponere, sed stolidè. Nam etsi ablutio, quæ per solam aquam fit, vtilis & salutaris sit iis, qui corporis inquinamenta contraxerunt: attamen impuritatem, quæ cordi vel menti cohæret, expiare nequaquam valet.

Moyses de Pharisæorum baptismatis nihil cauerat.

Pharisæorū baptismata non expiabant animorū sordes, vt falsò illi & stolidè persuasū habebant sed corpus tamen.

Vos Pharisæi, quod deforis est calicis, &c. Hæc, & quæ sequuntur vsque ad illud: *Spiritus sanctus docebit vos*, in Euangelio Matth. enarrata sunt.

A sanguine Abel vsque ad sanguinem Zachariæ, qui periit inter altare & ædem. Gregorius Nyssenus Zachariam, qui hoc loco inter aram & ædem trucidatus asseritur, Ioannis Baptistæ patrem fuisse autumat. Cædis autem causam idem Gregorius duplicem allegat. Alteram quòd sacratissimam Deiparam Mariam post immaculatum partum à loco, qui secundum legis præscriptum

Cap.23.

intra

A

Greg. Nyss. de Zacharia qui inter arã & ædem periisse scribitur sententia: sed apud veteres Latinos parũ recepta. Peculiaris locus virginibus in templo Salemonis assi- B *gnatur. Cur Dominus litem, quæ inter duos fratres de hæredita te intercesserat, dirimere noluerit. Dominus rebus fluxis non nimium vult nos esse deditos. Iniuria iuxta Christi* C *consiliũ, vltro cedendum.* Matt 5. *Auaritia inexhaustum diabolis barathrum.* Ephes. 5. *Cur auaritia nomine ido lolatria ab Apostolo designetur. Quo sensu vita hominis non est in abundãtia eorũ* D *quæ possidet. Inexplebilis prorsus auari animus. Auari diuites nullius rei, nisi sui tantum commodi & quæstus rationem habent. Stultum est longã sibi vitã promittere. Nemo*

intra altare & ædem virginibus in templo assignatus erat, non semouerat: Alterum quòd illum ipsum, qui diuina dispensatione secundum humanam naturam verè ex illa in lucem prodierat, totius creaturæ Regem esse prædicauerat. Iudæi itaque cum regium nomen exosum haberent, ac, ne principi cuipiam obnoxij fierent, timerent, Zachariam sacerdotem inter altare & ædem peremerunt.

CAPVT XII.

Magister dic fratri meo, &c. Cur Dominus dicente quodam: *Magister dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem,* excepit, dicens: *Homo quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Quia prætermissis vtilibus, & ad animæ salutem facientibus, quæ eum vel imprimis inquirere oportebat, de terrenis momentaneisque anxius, Christum istiusmodi rerum sequestrem deposcebat. Ob hoc ergo tanquam importunum: neque quicquam, vt ea quæ scire debebat, disceret, sollicitum, placido vultu illum à se dimisit.

Cùm autem hominem, propter repulsam, pusillanimen effectum animaduertisset, innata grauitate vsus, cùm illi ipsi, tum cæteris omnibus quoque qui vel tunc audiebant, vel in posterum audituri erant, suasit, ne fluxis istis caducisque rebus nimium sese dederent: neque propter eiusmodi res concertationem aliquam cum fratribus inirent, etiamsi qui plus iusto obtinere aliquando contenderent: Verùm dicti illius: *Volenti tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium,* memores, iniuriæ vltro cederent, eaque, quæ ad animæ salutem vtilia vel necessaria haberentur, studiosè inuestigarent, subdit porro:

Videte & cauete ab omni auaritia. Per hæc insatiabilem illam habendi sitim, non secus atque quoddam diabolicum, pleneque inexhaustum barathrum deuitandam admonet. Quin sapiens Paulus quoque non alio, quàm idololatriæ nomine auaritiam designat: quasi eos tantum hoc morbo laborare conueniat, qui Deum non norunt. Vel ideò certè hac nota auaritiam explicat, quòd æquè ferè profanum & execrabile sit, seruire pecuniis, atque lignis, vel lapidibus.

Non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his, quæ possidet. Quomodo hominis vita in eo, quod ex substantia, quam possidet, ipsi redundat, non est posita? Quia vitæ mensura non extenditur cum opibus: ita nimirum, vt vita tamdiu perstet, quamdiu opes durant. Quemadmodum Dominus noster IESVS CHRISTVS, per similitudinem admodum appositam, quam hoc loco subiungit, clarè euidenterque demonstrat, ait autem.

Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit, &c. Diligenter sermonis huius artificium rimemur, accurateque vim illius expendamus oportet. Neque enim vnum aliquod prædium tantùm spem Domini solatum narrat: sed vniuersum agrum vberrimos fructus fudisse commemorat, vt ingentem morbi animi magnitudinem clarius hinc perspiciamus.

Etenim qui tanta bonorum copia vndequaque affluebat, animo adhuc angebatur, curisque immensis distrahebatur: aiebat enim: *Quid faciam?* Non enim spectabat ad vitam futuram, neque oculos in Deum coniiciebat: neque vllo prorsus pauperum amore, aut cura tangebatur, neque vllam tandem gloriæ, quæ inde ad se redundare poterat, rationem habebat. Verùm omnia ad seipsum, suumque commodum & vsum referebat. Et quod his omnibus absurdius est, longam sibi vitam promittebat: quasi illa quoque tanquam reliqua humi nascentia, è terra decerperetur, dicebat enim: *Dicam animæ meæ: anima habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti, cuius erunt?*

Verè itaque dictum est, hominis vitam in eo, quod ex facultatibus, quas possidet, ipsi redundat, positam non esse, hoc est, non ob id quempiam diutius hic viuere, quòd multas habeat opes. Quamobrem, quod statim hic subditur, metuentes, nempe illud: *Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues,* nunquam, quòd diuites aliquando fieri velimus, in animum inducamus. Profectò ter felix fortunatusque est ille, opeque citra vllam controuersiam præclara nititur, qui secundum Deum diues est: sicut è diuerso verè miser & infœlix haberi potest, qui in alteram partem abductus est. Imò verò omnis eiusmodi amens & stultus est: quemadmodum regius quoque Psaltes, minimè obscurè alicubi id profitetur: *Veruntamen,* ait, *frustra conturbatur homo: thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.*

Nolite solliciti esse animæ vestræ. Hæc, vsque ad illud: *hæc omnia adijcientur vobis,* in Euangelio Matthæi explicata sunt.

Nolite timere pusillus grex. Hoc est: noli diffidere aut spem abiicere. Vocat autem Sanctos gregem pusillum: nam qui in voluntaria paupertate, facultatumque, quas obtinebant, abdicatione, ætatem transigunt, ij parui plerumque in mundo fiunt. Aut ideo certè gregem pusillum appellat, quia totum genus humanum, nedum soli sancti, cum immensa illa Angelorum multitudine collatum, perexiguus grex est. Est enim illorum multitudo incredibilis, hominum numerum infinitis penè partibus excedens. Cùm enim in parabola de centum ouibus, maius gaudium in cœlo esse asseritur, supra vna oue, quæ errauerat, reperta, quàm supra nonaginta nouem, quæ non errauerant, vniuersum hominum cœtum, qui in terris versatur, ita ad innumeras illas cœlestium spirituum cohortes sese habere indicatur, sicut se habet vnum ad centum.

Quia complacuit patri, dare vobis regnum. Quasi dicat: esto, grex vester adeò pusillus sit: nihilominus benignitas Dei, quæ omnem rationem superat, illi ipsi quoque cœlestium spirituum, qui tanto interuallo excedunt, sortem, hoc est, cœlestis regni hæreditatem, impartiri dignatur. Cùm ille ergo tanta, tamque illustria largiatur: quomodo fieri potest, vt è rebus ad caducam hanc vitam necessariis, nobis, quantum sat est, prospicere omittat: maximè verò si illud facere non detrectauerimus, quod mox consequitur, videlicet: *Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, &c.* de quibus vsque ad istud: *ibi & cor vestrum erit,* in Euangelio Matthæi perscriptum est iam antè.

Sint lumbi vestri præcincti. Quod de lumborum cinctu hic dicitur, id ad corporis lumbos, quasi eos præcingere iubeamur, referendum non est: sed ad alium sensum: vult enim animo prompto, & ad quoduis bonum, & laude dignum opus obeundum parato nos esse.

Et lucernæ ardentes. Lucernæ hoc loco mentis vigilantiam, spiritalemque animi iucunditatem, & lætitiam denotant. Vult enim vt in virtutum studium impigrè incumbamus: externumque & internum sermonem, hoc est, tam eum, qui latet in mente, quàm eum rursum, qui prodit ex ore, nunquam non splendentem habeamus: perque vtrumque ex æquo lucem fundamus: Siquidem, vt hic nos intus: ita ille foris illustrat alios. Sit itaque doctrinæ nostræ lucerna animata, quam actio deinde studiosa irriget, & nutriat, ne quando obscura & tenebrosa euadat.

Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis. Cœleste regnum nuptias vocat: eò quòd nihil prorsus abiectum, aut mœstum apud diuinam illam immortalemque naturam locum habeat.

Vt cùm venerit, & pulsauerit, &c. Hoc est, cùm in secundo aduentu repente, & inexpectatè, & quasi intempesta nocte irruens foribus astiterit (per hæc namque incertus illius aduentus significatur) confestim aperiant ei.

Beati sunt serui illi. Illi, inquit, serui, quos pater illefamilias: siue in secunda, siue in tertia noctis vigilia aduenerit, inuenerit vigilantes, hoc est, paratos, omnique

A

Deus pro meritorum ratione soluit præmia. Qui sint primæ stationis vigiles, qui item secundæ & tertiæ. Diuersæ noctis vigiliæ ad diuersas ætatum qualitates referri possūt.

omnique virtutum generi intentos, sunt verè beati.

Præcinget se, & ministrabit illis. Hoc est, pro meritorum ratione soluet præmia. Nam etsi mensam variis donorum & gratiarum ferculis magnificè instructam, omnibus promiscuè appositurus sit: attamen pro exhaustorum laborum quantitate, singulis alias & alias spiritales delicias apponet.

Et si venerint in secunda vigilia. Primæ stationis vigiles, eos existimare licet, qui, quòd cæteris accuratiorem vitæ rationem tenuissent, bonorumque operum studio præ aliis excelluissent, primi ordinis mercedem consecuti sunt. Secundæ verò eos, qui infra primorum gradum constiterunt: Tertiæ autem, qui his adhuc obscurius vixerunt. Sunt qui primam, secundam, & tertiam vigiliam, ad diuersas ætatum qualitates referant. Et primam quidem ascribunt pueris infra pubertatis annos adhuc constitutis, secundam iuuenibus adhuc adolescentibus, tertiam adultæ firmatæque ætatis viris.

B

Hoc autem scitote. Hæc cum cæteris, quæ sequuntur, vsque illud, *& partem eius cum infidelibus ponet,* in Euangelio secundum Matth. enarrata sunt.

Cap. 24.

Seruus Domini voluntatem ignorans vapulat, quia eam discere neglexit. Si Domini volūtatem ignorans vapulat, quid de eo fiet qui compertam calcat?

Qui non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Cur seruus, qui domini voluntatem non cognouit: plagis autem digna fecit, rationem reddere, pœnamque subire compellitur? Quia cùm domini voluntatem scire potuisset, discere neglexit. Iam si is, qui Domini voluntatem compertam omnino non habuit, promeritam pœnam non euadet, quomodo ille dira verbera euasurus est, qui certò exploratam perficere non voluit?

Cui multum datum est, multum quæretur ab eo. Hæc clarè indicant, doctorum, pastorumque iudicium, cæterorum non parum grauius, periculosiusque fore. At qualia ea, inquis, sunt, quæ Dominus ab eiusmodi hominibus deposcit? Inter cætera deposcit ab illis fidem modis omnibus rectam: doctrinam ab omni errore alienam: spem erectam & firmam: inconcussam in rebus aduersis patientiam: infractam Spiritus fortitudinem: omnibus denique præclaris virtutibus & actionibus promptum expeditumque animi studium, quò Euangelicæ conuersationis exemplum aliis præbere queant.

C

Graue eorū iudicium futurum, quibus aliorum salus cōmissa est. Cuiusmodi sint ea quæ Deus à Doctoribus & Pastoribus deposcit.

Ignem veni mittere in terram. Hæc, & quæ sequuntur vsque ad illud: *donec nouissimum minutum reddas,* exposita sunt in Euangelio Matthæi.

Cap. 10. 5.

CAPVT XIII.

Aderant autem quidam, illo ipso tempore, nunciantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum. Credibile fit, Galilæos, quorum cruorem Pilatus sacrificiis admiscuit, ex eorum numero extitisse, qui erroneam Iudæ Galilæi, cuius beatus Lucas in Apostolorum actis mentionem facit, opinionem sectabantur. Cæterum Iudæ huius dogma, (si vera sunt, quæ Iosephus, circa Iudaicarum antiquitatum finem, ea de re exponit) eiusmodi erat, vt aliquam pietatis speciem præ se ferre videretur. Docebat enim nullum omnino neque honoris, neque beneuolentiæ, neque vllius alterius rei causa, dominum aut Regem appellare fas esse. Imò verò eiusmodi nomina, ne ore quidem efferre licere. Vnde fiebat, vt multi ex ea secta, dura sæpe verbera, grauissimasque fustigationes, ea sola de causa subire compellerentur, quod Cæsarem dominum vocare nollent.

Actor. 5.

D

Cuiusmodi fuerit dogma Iudæ Galilæi.

Iidem illi nulla omnino sacrificia Deo offerri volebant, præter ea, quæ in Moysi lege decreta extabant: eapropter omnia illa sacra & sacrificia, quæ seniores populi pro Imperatoris populique Romani salute & incolumitate instituerant, apertè inhibebant. Verisimile fit ergo, Cæsarem ob hoc indignatum, Pilato iniunxisse: vt iuxta sacrificia, quæ secundum Moysi legem offerre videbantur, illos trucidari, eorumque, qui offerebant, cruorem, vnà cum illis ipsis sacrificiis, quæ offerebant, misceri curaret.

Iudæi pro Cæsaris salute sacrificia offerebāt. Qua de causa Pilatus Galilæorum sanguinem miscuerit eorū sacrificiis.

Quia ergo supplicium hoc, conseruandæ religionis causa irrogatum censebatur: adfuerunt, qui Christo Seruatori nostro illud denunciarent: cognoscere ex illo volentes, quidnam ille de eo facto sentiret, plerique enim è populo cæsos, iustè propter peccata sua è medio sublatos, iudicabant: vt qui seditionem in populo concitassent, principesque & magistratus in subditorum odium coarmassent, & irritassent. Dominus autem ponit quidem peccasse; addit nihilominus, non ideo hæc tam dira illos perpessos: quasi cæteris omnibus, qui similia perpessi non fuerant, sceleratiores extiterint.

E

Dominus non negat Galilæos, quos Pilatus trucidarat, peccasse, negat autē omnium maximè peccasse. Dominus grauiter minatur ne deberentur Iudæi ab intestinis seditionibus, quas

Non dico vobis, sed nisi pœnitentiam habueritis, &c. Hoc dicto populares ab intestina seditione, quam pietatis prætextu incendebant, auertere studet. Illud enim: *nisi pœnitentiam egeritis,* idem sonat, quod: nisi à seditionibus illis concitandis animum in posterum seuocaueritis, cristasque aduersus principes & legitimos magistratus erigere desieritis, (id quod diuinæ voluntati omnino dissentaneè facitis) omnes simul peribitis, vesterque sanguis vestris sacrificiis permiscebitur.

F

pietatis prætextu concitabant. Quo consilio Dominus attulerit exemplū turris quæ in Siloe prolapsa decem & octo homines obtriuerat.

Sicut illi decem & octo, super quos cecidit turris in Siloë. Turris, quæ in Siloë lapsa, ruina sua decem & octo homines oppressit, non oppressit illos, quasi hi soli cæteros omnes scelere & nequitia vicerint, (negat hoc enim dominus) verùm per paucorum necem omnibus, qui Hierosolymorum ciuitatem incolebant, exemplum propositum est. Vna enim turris comparatur cum tota ciuitate: decem rursum & octo homines, cum vniuerso ciuitatis populo, quò nimirum pars exterreat totum. Quia ergo perfidia & incredulitas habitatoribus Ierusalem vsque adhærere perrexit, & ipsi vnà cum illa paulò post in idem incommodum inciderunt, in quod turris, & decem & octo: cùm nimirum Titus euersa ciuitate, ingentem populi multitudinem neci dedidit.

Arboris ficulneæ sterilitas

Dicebat autem & hanc similitudinem: arborem fici, &c. Hac fici similitudine notatur sterilitas ciuitatis Hierosolymorum, vt quæ amata tantùm folia, hoc est, quendam externum tantùm vigorem, ne prorsus infructuosa videretur, funderit, fructum verò omnino nullum.

G

Iudæorū sterilitatem denotat. Dominus visitauit Iudæos per Moysen, prophetas, & seipsum. Quid per ficum designetur secundū Isidorum Pelusiotam.

• *Ecce anni tres sunt, ex quo venio, quærens fructum, &c.* Appositè tertiò se venisse asserit. Venerat enim per Moysem, per Prophetas, & per seipsum. Euangelica ficus, scribit Pelusiota, est humana natura: paterfamilias, Deus pater: vinitor, vitisque cultor filius Dei, qui è cœlo aduenerat, quò hanc vineam, ficumque in ea plantatam, & à patrefamilias tanquam inutilem exscindi iussam, excoleret, & repurgaret.

Christus Dominus intercedit apud patrem pro ficu & vinea.

Dicit illi: Domine dimitte & hoc anno. Quasi dicat: si per legem, & prophetas, meliores effecti non sunt: neque vllos fructus pœnitentiæ dignos ediderunt, forsan mea nunc doctrina, meoque sanguine irrigati, fidei obedientiæque finctum ferent. Quod si secus: in posterum illam exscindas, hoc est, in futuro sæculo è iustorum sorte eos proscribas.

H

Iudæis accidit triplex insignis præuaricatio, & triplex item visitatio.

Cæterùm vt contingit triplex insignis visitatio, ita triplex quoque legis præuaricatio. Prima ex his accidit in paradiso, quando præceptum, quo cauebatur, ne quis de ligno, quod erat in medio paradisi gustaret, violatum est. Secunda in deserto: quando lege iam lata, per summam Iudæorum impietatem, diuinus cultus delatus est inanimi vitulo. Tertia in legis gratiæ exordio, quando iidem Iudæi Rege gloriæ negato, fœdeque repudiato, clamauerunt: *Non habemus Regem nisi Cæsarem.*

Ioan. 19.

Dum fodiam circa illam, & mittam stercora. Per stercora, vt placet Gregorio Theologo, designantur lachrymæ, & gemitus, & humi cubationes, & vigiliæ, animæque & corporis extenuatio, totiusque adeò vitæ per veram confessionem, humilemque conuersationem emendatio.

Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis. Mulier hæc sæua dæmonis tyrannide, & improbitate hoc corporis vitium contraxerat. Huc enim tendit illud Christi Domini: *Quam alligauit Sathanas ecce decem &*

octo

A *Dæmon varios morbos humanis corporibus adfert. Grauia flagitia sæpe in causa sūt vt homo tradatur in dæmonum potestatem.*

esse annos. Solet is enim varios humanis corporibus morbos afferre. Fieri autem potest mulierem hanc, ob grauia quædam flagitia, in quæ inciderat, tot annos à Deo desertam neglectamque fuisse. Vtcunque res habet, voce certè diuinissima cœlestique potestate plenissima, Dominus fœminæ huius infirmitatem è medio profligauit.

Christi caro diuini verbi virtute polle- B *tur.*

Et imposuit illi manus, & confestim erecta est. Manus imposuit, vt hinc discamus, sacrosanctam Christi carnem diuini verbi virtute & energia polluisse. Erat enim Verbi propria, & non alterius cuiuspiam filij, ab illo distincti, seorsumque, & per se subsistentis: vt impiissimè quibusdam visum est. Quæ de Archisynagogo & Sabbato hic subduntur, ea in Euangelio Matthæi iam antè enarrata sunt.

Christi caro diuini verbi caro erat, & non alterius cuiusque.

Et omnis populus gaudebat in vniuersis, quæ gloriosè fiebant ab eo. Rectè hoc: quandoquidem opera admiranda, quæ faciebat, soluebant omnem prorsus quæstionem, & dubitationem, apud eos præsertim, qui animo subdolo maleque affecto non quærebant. At verò principes Synagogæ toti in hoc erant, vt violatæ legis prætextu aliquam Domino calumniam intenderent.

Pharisæi opera Christi de industria calumniantur.

Simile est regnum cælorum grano sinapis. De hoc loco & de fermento, vsque ad illud: *Sunt primi, qui erant nouissimi*, scriptum est in Euangelio Matthæi.

Pharisæi operam dant ne aliquis ex Christi signis, aut C *concionibus fructum capiant.*

Exi, & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Pharisæi inuidia concitati, hæc Christo denuntiant: quia tota vi ad hoc intenti erant, ne qui vllum omnino, siue ex diuinis illius miraculis, siue ex doctrina, quam legali multis partibus excellentiorem tradebat, fructum caperent. Quòd enim aiebant: *Herodes vult te occidere*, hoc ideo dicebant: quia malitiam, quam in pectore fouebant, honesto titulo prætexere cupiebant. Quare Dominus huius rei non ignarus: vt qui vnus mortalium omnium corda & renes scrutari soleat, more suo placidè, non tamen absque quadam obscuritate respondet, dicens:

Cur Pharisæi Christo denunciant, vade hinc, quia Herodes vult te occidere.

Ite, & dicite vulpi huic, &c. Videri poterat, totam orationis vim, in vnam Herodis personam conuertere: & ita arbitrati sunt nonnulli, & tamen contra Pharisæorum prauitatem dirigit illam verius, quàm contra Herodem. Neque enim aiebat, dicite ἀλώπεκι ἐκείνῃ, vulpi illi: sed ἀλώπεκι ταύτῃ vulpi huic. Enimuerò quò improbæ fraudis commentatione Pharisæos vulpibus similes clarè ostenderet, summa industria media quadam voce vtebatur. Nam vt vulpes bestia est, nunquam non callida & versipellis, ita Pharisæi quoque.

Dominus sub persona Herodis perstringit Pharisæorum improbitatem

Rati illum ergo, qui virtutum est Dominus, manum Herodis veritum, solum versurum: *Vade hinc*, dicunt, *quia Herodes vult te occidere.* At is nihil ea comminatione exterritus, id modis omnibus expletum iri denuntiat, quod Pharisæorum cuneo mœstitiam nequaquam paruam allaturum sciebat, ait enim: *Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio.* Nam, vt modò dicebatur, ob id illum abactum cupiebant, ne admirabilium operum demonstratione vsus, multos ad fidem pertraheret.

D *Pharisæi vulpibus similes.*

Tertia die consumor. Per hoc indicat, quò mundus per ipsum seruetur, sponte se crucis tormenta subire.

Pharisæi frustra minantur Christum per Herodis famitiam à benefaciendo absterrere & in fugam agere.

Veruntamen oportet me, &c. τὸ oportet, non denotat hìc ineuitabilem aliquam necessitatem, quæ Christum vi quadam ad hoc vel illud impulerit. Constat namque in libera voluntatis illius potestate situm fuisse, liberè inoffenseque, quocunque libitum fuisset, concedere: totamque Iudæam, nullius prorsus insultu, aut insidiis impeditum, dum per pretiosam tandem crucem vitæ finem facere voluit, peragrasse.

Hodie cras, & sequenti die. Hæc non vnius, aut alterius diei tantùm: sed plurium dierum spatium significant.

Dominus sponte se in mortē offert.

Non capit, Prophetam perire extra Ierusalem. Hac oratione Dominus Hierosolymam multarum cædium & sanguinum sanctorum ream pronuntiat, subindicatque seipsum quoque Prophetarum omnium dominum haud alibi, quàm istic, mortem perpessurum. Quod autem dicit non capit, vel non contingit, &c. Nemo ita accipiat, quasi Iudæi vi aliqua fatali adacti sint in Sanctos sæuire i dictum est autem propter certam veritatis cognitionem: quatenus nimirum Christus Dominus sanguinariam illorum voluntatem exploratè compertam habebat.

E *nulli fatali aut alteri cuicunque necessitati subiacebat, sed per omnia & in omnibus sui iuris & liber erat.*

Ierusalem, Ierusalem, &c. Hoc totum, vsque ad illud: *benedictus qui venit in nomine Domini*, expositum est in Euangelio Matthæi.

Hodie & cras non biduum præcisè, sed breue tempus in Scripturis denotant.

CAPVT XIV.

ET factum est, cum intrasset Iesus in domum cuiusdam principis. Dominus noster IESVS CHRISTVS à Pharisæo, qui inter sui ordinis homines principem locum obtinebat, Sabbato denuò inuitatus, peruersitatem illorum nihil moratus, accendere non detrectat. Imò verò quo aliquam vtilitatem iis afferat, familiarem & quasi domesticum se illis exhibet, nempe vt virtutis simul & gloriæ illius omni humana maioris spectatores effecti, eum, qui ad nostram similitudinem sese demiserat, ab eo interim, quod erat, non discedens, verum Dei filium esse credant.

F *Hierosolyma o multorū Sanctorū cædium rea.*

Dominus Pharisæis tametsi peruersis, familiarē se exhibet, quò hac ratione illos lucrifaceret.

Et ipsi obseruabant eum. Obseruabant, ne legis reuerentia contempta, aliquid die Sabbati patraret, quod per legem fas non erat. Christus autem Dominus magis intentus, vt nonnullis benignè faciat, quàm vt stultam illorum reprehensionem depellat, aut declinet: consilium illorum, qui parati aderant illum in ius vocare, si quod fortè beneficium die Sabbati in aliquem contulisset, vesanum esse palàm ostensurus, percunctatur ex illis: Sabbatóne curare liceret? (Nam, vt Euangelista scribit, *homo quidam hydropicus iacebat ante illum*) cùm illi verò callidè, maligneque tacerent, Dominus præfractam illorum impudentiam euidentibus, planèque necessariis rationibus impetit. Eius autem ratio huc tendit: Si lex inhibet misericordiam præstare Sabbato: cur tu Pharisæe eius misereris qui in puteum decidit: neque, siue puer sit, quod in id periculi deuenit: siue aliud quodcumque istiusmodi, Sabbato inde extrahere veretis? Nuntio proinde Pharisaicæ inuidiæ misso, eum, qui aqua intercute laborabat, è vestigio à morbo liberat.

Pharisæi obseruāt Christū, aliquid ne contra le- G *gis reuerentiam designet.*

Dominus magis intentus vt egentibus benignè faciat, quam vt falsam Pharisæorum calūniam depellat.

Cum inuitatus fueris ad nuptias, &c. Quòd Dominus de inuitatis hoc loco dicit, obseruans, quomodo primos accubitus ambiebant, leue fortè, paruique momenti quibusdam videri queat. Verùm qui mentis oculum accuratè in illud defigit, is demum quanto probro dedecoreque hominem liberet, quantumque decus & ornamentum eidem conciliet, animaduertit. Constat namque, manifestæ amentiæ indicium esse, honores nullo iusto titulo debitos temerè ambire. Pertracta tecum, quanta cum turpitudine coniuncta res sit: quando honoratiore quopiam adueniente, is, qui vtrumque inuitarat, illi, qui in primam sedem Inuaserat, dicit: facesse hinc, da huic locum. Ille porrò cordatus, summaque admiratione dignus censendus est, qui cum primæ sedis honorem iure promereatur: attamen ne ambitionis morbo teneri videatur, adeò illum non affectat, vt vltro quoque aliis deferat. Talis enim delatum honorem quasi debitum recipit, omnique iure: *Amice ascende*, audit. Quapropter magnum præclarumque bonum est, animus modestus, suaque sorte contentus.

Amentiæ indicium est, honores nullo iusto titulo debitos ambire.

H *Alteri potiora deferre virum & apprimè honestū est. Præclarū bonū animum sua sorte contentum.*

Omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Hæc ad diuinum iudicium referenda sunt, siquidem in humanis, non semper id locum habet. Comperitur enim non rarò, qui ambitum mundi honorem adipiscantur. Verùm hic honos, res est nullius ferè ponderis.

In humanis non semper qui se exaltat, humiliatur, aut qui se humiliat exaltatur.

Cum facis prandium aut cœnam. Cœlesti doctrina, de salutari animi submissione, & humilitate tradita inuitatis: nunc documentum apprimè vtile iis suggerit, qui alios inuitant. Ostendit autem, beneuolam hospitum

susceptio

A *Hoſpitalitas res fructuoſa, & æmulatione digna.*

ſuſceptionem, rem eſſe omni ſtudio, & æmulatione dignam, oppidoque fructuoſam: etſi eiuſmodi fructus non ſtatim ſemper appareat.

Non idẽ omnium inuitantium ſcopus, nec idem etiã animus. Sunt qui inuitant, vt viciſſim inuitentur, & hi parum præſtant.

Exponit deinde, non vnum omnium inuitantium ſcopum: nec idem omnium ingenium eſſe. Competiuntur enim inter illos præcelſi ingenuique: comperiuntur rurſum vilis abiectique animi. Hi amicos, vel fratres, vel cognatos, aut vicinos tantùm ad cœnam, vel prandium vocant: & quidem eo id animo, vt ſtatim oblata occaſione, viciſſim ab illis inuitentur. Illi verò id, quod multis partibus præſtantius, & magnificentius eſt, faciunt. Etenim Chriſti Domini doctrinam ſecuti, ſuam in pauperes, debiles, claudos, cæcos, alioſque eiuſmodi, à quibus nullam retributionem ſperare licet, benignitatem exercent: adeoque ex eorum albo ſe eſſe probant, quibus Deus in futura vita mercedem ſe redditurum, alicubi promittit.

B *Salubriter inuitant, qui egenos ad cœnam vel prãdium vocant. Fructuoſiora sũt, quæ pauperibus propter Deũ impendũtur, quã quæ in amicos conferuntur.*

Cæterùm Chriſtus Dominus hæc ea de cauſa non monuit, quaſi ſanguine, vel alia neceſſitudine coniunctos, conuiuio excipere, vel alio modo honorare, non liceat: licet id enim: Verùm docere per hæc voluit, beneficia, quæ in amicos, vel cognatos conferuntur, in altera vita ea mercede non penſari: neque ea rurſum commoda afferre, quæ ſolent illa, quæ pauperibus propter Deum impenduntur.

Sanctorũ præmia non con- C *ſtant rebus corporeis.*

Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Qui hæc dicebat, necdum ſpiritualis, ſed totus adhuc animalis: adeoque, qui exactè ea caperet, quæ Ieſus proponebat, minimè idoneus erat. Arbitrabatur enim, Sanctorum retributionem rebus corporeis conſtare. Chriſtus proinde Deus noſter iis, qui tum præſentes aderant, parabolam contexit: qua œconomiam totius mundi cauſa ſuſceptam, admodum appoſitè conuenienterque ob oculos ponit. Eſt autem ea eiuſmodi.

Parabolæ & ſimilitudines non ſunt res ipſæ, ſed rei tantum vmbra. Cur Chriſti œconomia cœna familiarius appelletur quã prandiũ.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Per hunc hominem Deum Patrem, denotatum exiſtimare licet. Imagines namque ita ad veritatem exprimendam effinguntur, vt tamen non ſint ipſa veritas. Hîc ergo vniuerſorum opifex, gloriæque Dominus fecit cœnam magnam: hoc eſt, vniuerſalem toto terrarum orbe, propter Chriſti œconomiam, ſolemnitatem inſtituit. Vocat autem feſtum hoc cœnam, non prandium: quia in nouiſſimis ſæculi diebus, & quaſi ad æui noſtri occaſum, Dei Filius apparuit nobis. Quo etiam tempore mortem noſtri cauſa ſubiit, ſuamque carnem in cibum nobis propoſuit.

Pater miſit Filiũ in mundum, tan- D *quã ſeruum, quia ſeruuli forma illum induit.*

Et vocauit multos, nempe totam Iudæorum multitudinem. Et quiſnam ille erat, inquis, quem pater miſit, quem ſuum quoque ſeruum appellat? Ipſemet Chriſtus. Hic enim, cùm Deus eſſet natura, verusque & naturalis Dei Filius, forma ſerui accepta, ſeipſum exinaniuit.

Cuiuſmodi fercula inferantur in cœnam Dominicam.

Quia parata ſunt omnia. Ecquænam ſunt fercula illa, quæ ad cœnam vocatis parata denuntiantur? Quæ alia, quam peccatorum remiſſio, Spiritus ſancti communicatio, adoptionis gratia, regnum cœleſte, aliaque eiuſmodi. Ad hæc enim omnia Chriſtus Dominus per Euangelica oracula inuitauit omnes; præ cæteris autem Iſraëlem.

Et cœperunt ſimul omnes ſe excuſare. Hoc eſt, vniuerſi, quaſi ex condicto, communique pacto vocationem ſpreuere. Cur ita? quia mente excuſſa villis, agriculturæ, liberorum procreationi, aliiſque id genus terrenis rebus perditè affixi hærebant.

Cur Iudæi ad myſticas Seruatoris nuptias vocati, Dei conſilium E *contempſerint. Phariſæi auaritiæ dediti, & præ cæteris increduli.*

Cæterùm per eos, qui amicè accerſiti, venire detrectarunt, ſeſeque malè excuſarunt, Iudaicæ Synagogæ proceres, haud incommodè acceperis. Erant hi enim præ cæteris pecuniæ, & auaritiæ dediti, totique in vnum hoc intenti: quo etiam nomine grauiter paſſim in diuinis literis præſtringuntur. Hoc itaque morbo infecti, duraque & infracta incredulitate acti, extra hoc feſtum manſerunt, magnamque hanc cœnam, in conuicia verſi, turpiter aſpernati ſunt.

Cuiuſmodi fuerint illi, quos vocatores in vicis & plateis abiectos comperere. Multi ex Iudæorũ plebe, in F *Chriſtum crediderunt.*

Exi cito in plateas, &c. Phariſæorum procerumque Iudæorum loco vocati ſunt, qui ægri, abiectique in vicis & plateis iacebant, hoc eſt, illi, qui ex Iudaica multitudine habebantur infirmiores, mentemque, vſque ad illud tempus obtinebant claudam, magnaque caligine obſcuratam: Nam paulò poſt, per fidem in Chriſtum ſani, robuſtique effecti ſunt. Etenim lumine diuino intra ſe recepto, tecta veſtigia figere edocti ſunt. Quòd autem quàm plurimi ex Iudæorum plebe crediderint, hoc quiuis facilè, ſi ſanctorum Apoſtolorum acta percurrerit, cognoſcere quiuerit.

Cuiuſmodi fuerint, quos ſerui patrisfamilias inuenerunt in publicis viis & ſepibus.

Exi in vias & ſepes. Cùm ſua natura benignus & bonus ſit Deus, in publicas quoque vias, & ſepes emittit vocatores. Significatur hoc autem poſt Iſraëlitas per fidem introductos, gentium quoque populum fuiſſe vocatum. Siquidem Iudæis intro iam receptis, ſeruus ait: *Domine factum eſt, vt imperaſti, & adhuc locus eſt.* Porrò autem, qui ex gentibus vocati, ad cœnam hanc venere, illi mente erant agreſti, animoque efferato, quaſi extra vrbes, abſque vlla prorſus ciuilitate nati & educati. Neque enim vllis omnino bonis legibus, aut moribus vtebantur: Verùm pecudum more, in magna quadam rationis caligine & amentia verſabantur.

Fides inter dona diuina fere præcipuum. Quo ſenſu gentes ad cœnã intrare G *compulſæ ſint. Potens vocatio compulſionis nomine ſignificata.*

Et compelle intrare. Bonus hic pater gentes, non ſimpliciter ad cœnam vocari, ſed compelli quoque vult. At dicis: Cùm credere vnicuique ſit liberum: imò verò cùm donum hoc non ſine precibus à Deo obtineri ſoleat: quippe quod inter cætera chariſmata, quæ nobis ab illo obueniunt, præcipuum ferè exiſtat, quomodo dicit: compelle intrare? Quadam orationis figura iſthuc dicitur: Quia enim gentes intoleranda quadam errorum ſeruitute tenebantur, diabolo ſubditæ, Dei autem diuinæque cognitionis prorſus erant ignaræ, propterea validiori quadam vocatione egebant: tali nimirum, quæ aliquam compulſionis ſpeciem præ ſe ferret: quò vel hac ratione tandem aliquando ad eum reſpicerent, deſertiſque antiquis erroribus, aliquem doctrinæ cœleſtis guſtum caperent, atque è diaboli vnguibus, quibus antè conſtringebantur, euadere quandoque poſſent.

Natura ad meliora vtendum. Quid liberi parentibus, quid parentes rurſum debeant liberiſ. Vxor maritu timorem, ma- H *ritus vxori amorem debet.*

Si quis venit ad me. Cùm hominum amator, Chriſtus Dominus hoc loco dicit: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, &c.* Neque enim naturam vult nos ignorare, neque natura rurſum vult nos ſeruire: ſed natura ad meliora ſalutique viciniora vult nos vti. Etenim vt liberi parentes venerentur, eorumdemque mandatis obſequantur, parentes verò liberos alant, & inſtituant, hoc expreſſum Domini decretum eſt. Pari modo, vt vxores maritos ſuos timeant, mariti verò vxores ſuas diligant, id diuinus Apoſtolus diſertè præcipit. Neque enim fidei domeſticis, fidei domeſticos odio perſequi licet. Domini autem oratio aliud nihil à nobis exigit, quàm vt eos auerſemur, qui fidem noſtram in Deum impedire, aut ab iis rebus auertere nos ſtudent, quæ ad animæ ſalutem ſunt neceſſaria: tum ne eò vnquam nos abduci ſinamus, vt propter qualemcunque carnalem amorem, eam dilectionem negligamus, aut contemnamus, quam debemus Chriſto.

Quo ſenſu iubeamur parentes, cæteroſque cõiunctos odiſſe. Quomodo eos comparatos eſſe conueniat, qui myſticã turrim ædificare, hoc eſt, aliquid re-

Quis ex vobis volens ædificare turrim, &c. Quod per turris ædificationem nobis hic adumbratur, eiuſmodi eſt: Qui præclaram illam inculpatamque viuendi rationem capeſſere in animo habent, illi promptitudinem, quantùm ſat eſt, mente concipiant, necnon in medium afferant oportet: debentque beatum illud vitæ inſtitutum ea ratione complecti: vt dictum illud ſapientis, ſubinde ſecum pertractent: *Fili, accedens ad ſeruitutem Dei, præpara animum tuum ad tentationem, deprime cor tuum & ſuſtine.* Quod ſi qui ſunt, quibus ea animi promptitudo non adeſt, quomodo, quæſo, illi ad ſcopum ſibi propoſitum, aliquando peruenire poterunt?

Aut quis Rex iturus committere prælium, aduerſus alium regem. Per hæc indicatur, certamen nobis eſſe cum aduerſis poteſtatibus. *Non eſt nobis colluctatio,* ſcribit Apoſtolus, *aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates.* Tum rurſum cum prudentia ſenſuque carnis, hoc eſt, cum lege illa, quæ in membris noſtris graſſatur, plurimaſque animi pertur-

bationes

bationes intestinaque prælia, quotidie istic excitat. Cum his ergo assidua nobis est lucta. Hæ effetæ illæ, sæuæque hostium copiæ sunt, quæ nobis aduersantur.

Quomodo autem hos superabimus? si certò credemus, in Deo nos facturos virtutem: ipsumque eos omnes, qui nos vexant, in nihilum redacturum. Hac ratione sanctus Propheta Dauid seipsum solabatur: *Dominus*, inquit, *mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos*: & alio rursum loco: *Dominus illuminatio mea, quem timebo?* Ipse enim nostra est fortitudo. Ipsum proinde adiutorem nacti, nullam cum inimicis nostris dæmonibus pacem ineamus (nam cum dæmone, vel carne pacem habere, aliud nihil est, quàm dæmoni, vel carnis sensui obsecundare.) Quin potiùs præpotentis Dei nostri auxilio, toto animo, indefesseque implorato, viriliter illi obsistamus. Quæ hinc sequuntur, vsque ad parabolam de ouibus, hoc est, vsque ad illud: *quàm supra nonaginta iustos, qui non indigent pœnitentia*, ea in Euangelio Matthæi exposita sunt.

CAPVT XV.

QVæ mulier habens drachmas decem, &c. De hac drachma, Gregorius Theologus scribit ad hunc modum: Christus Deus noster accendit lucernam, hoc est, suam ipsius carnem, mundumque, quæ domus illius est, euerrit, hoc est, à peccatis expiauit: & drachmam, quæ regia quidem imagine insignita erat, verùm perturbationum cœno obruta; quæsiuit. Drachma autem inuenta gaudio plenus, conuocauit cœlestes virtutes: amat enim illas, conceptæque lætitiæ easdem participes, mysteriorumque œconomiæ suæ conscias reddidit.

Homo quidam habuit duos filios. Quæ de duobus filiis hic dicuntur, ea ad vniuersum mortalium genus referri possunt. Constat enim illud in duos ordines deduci: Horum alter complectitur iustos: alter peccatores. Pater autem humanæ naturæ, est benignus Deus.

Et dixit adolescentior. Adolescentior, qui ad patrem accessit, non ob ætatis infirmitatem: sed ob mentis imbecillitatem, animique inconstantiam impubes vocatur.

Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Quasi dicat: posteaquam liberæ voluntatis conditus sum, nolo coactus seruire. Si voluero, temperans ero, sin id autem noluero, compelli non volo.

Et diuisit illi substantiam. Pater ergo liberali munere donatum dimisit: Tradidit enim illi vniuersam creaturam in possessionem. Huic cùm naturalem, tum scriptam quoque legem adiunxit; quò hac nimirum ratione eruditus, & institutus, legislatoris voluntatem impleat. Deposcit enim ille à nobis spontaneum obsequium.

Et peregrè profectus est. Non quidem de loco ad locum commigrans; sed mente à Deo decedens, & Deus vicissim ab illo: Siquidem nullum is seruitium detrectantem, vi ad seruitium compellit.

Dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. A Deo itaque seiunctus, vixit luxuriosè; & insumpsit substantiam, hoc est, insitam animi lucem, temperantiam, veritatis notitiam, Dei memoriam, &c. Quo factum est, vt valida mox fames illum inuaderet. Inualit autem eum, non inedia panis, aut sitis aquæ, sed desiderium verbi Dei. Eiusmodi enim esuries prædictarum virtutum iacturam consequi solet.

Et abiit & adhæsit vni ciuium regionis illius. Inedia compulsus, abiit ad eiusmodi regionem, vbi ciues sunt dæmones; vbi extrema bonorum omnium inopia semper vrget.

Et misit illum in villam suam, vt pasceret porcos. Tali honore dæmones afficere solent cultores suos: Eiusmodi muneribus cumulant eos, qui suggestionibus illorum morem gerunt. Etenim vt primùm quis à Deo desciuerit, perque carnis illecebras, & voluptates dæmonibus adhærere cœperit; statim quasi in porci naturam versus, terram tantùm spectat. In turpitudinis porrò cœno vltro

A *Religionis institutum complecti volunt.* Eccles. 2. Ephes. 6. *Cum quibusnam hostibus, in mortali hac vita homini iugis sit lucta.* *Quibus armis spiritalis hostis debellandus.* Psal. 117. Psal. 28.

B *Quid sit cum dæmone vel carne pacem habere.* Cap. 18. *Gregorij Theologi sententia de drachma perdita.* *Lucerna accensa denotat Christi humanitatẽ, domus mũdum, drachma*

C *genus humanum.* *Vniuersũ mortaliũ genus in duos ordines deducitur.* *Filius adolescẽtior non ætate sed sẽsu adolescens erat.* *Libera voluntatis conditi sumus.* *Cuiusmodi fuerit substantia, quam pater fa-*

D *milias iuniori tradidit.* *Deus spõtaneum obsequiũ à nobis deposcit.* *Qualem substãtiã filius prodigus dilapidarit.* *Virtutum iacturam consequitur inedia verbi Dei.* *In regione dæmo-*

citroque aliquantisper volutatus, meritò inter porcos censetur. Tandem in eiusmodi vitæ obscœnitate diu multùmque perstans, aliis quoque perditionis forma efficitur; Lasciuiæ luxuriæque dogmatis certa quadam ratione illos pascens, & nutriens.

Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. His insinuatur, nullam flagitiorum satietatem eum cepisse. Peccatum autem non iniuria assimilatur siliquis. Nam vt harum gustus suauis est, & tamen adiunctam habent nonnullam asperitatem; ita peccatum quoque ad breue quidem tempus oblectat; verùm postea cruciat prolixè. Paucis, delectat momentaneè, sed flagellat æternè.

In se autem reuersus. Hoc est, priorem fœlicitatem cum posteriori miseria conferens; qualisque & quantus erat, quando cum Deo patre adhuc degebat, animo pertractans, quàm teter & miserabilis tandem, posteaquam Deo deserto, dæmonibus cœpit esse obnoxius, euaserit, iterum iterùmque expendens, dixit.

Quanti mercenarij. Hoc est, Christi mysteriis initiati. Deus namque pro sua benignitate, & circa horam tertiam, & circa sextam, & sic deinceps, hoc est nunquam non, vt scriptum est, operarios in vineam suam conducit.

In domo patris mei abundant panibus. Hoc est diuinorum donorum, & eloquiorum deliciis affluunt; ego verò ingenti earum rerum penuria hic laboro, inediaque miserè pereo.

Surgam, & ibo ad patrem meum. Hoc est, pulchrè eo reuertar, vnde turpiter decessi.

Et dicam ei: Pater, peccaui in cœlum, & coram te. Pauca hæc verba mihi ad salutem sat fuerint. Noui patris mei suauitatem; noui facilitatem; miserebitur mei pœnitentis, & ad sanam mentem reuertentis, quem in peccati sordibus se voluntatem non puniuit.

Et surgens, venit ad patrem suum. Vnde surrexit? è voluptatum & deliciarum cathedra, è peccatorum fouea: Siquidem bono voluntatis proposito adiunxit opus. Oportet enim non ea solùm, quæ Deo sint grata & accepta, velle; sed bona animi desideria, per bona opera quoque ostendere.

Cum autem adhuc longè esset. Quomodo longè? quia Deus hominis pœnitentiam, sua misericordia, & benignitate solet anteuertere.

Vidit illum pater eius, & misericordia motus est. Quamuis enim Deus sit natura, clementia tamen & benignitate patet est.

Et accurrens, cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Non enim expectauit, vt is, qui tam grauiter offenderat, propè accederet; verùm ipse vltro obuiam illi processit. Familiare namque est clementissimo Deo, animam pœnitentem suauiter complecti, eiusdemque subiectionem & obedientiam paternè exosculari.

Dixitque illi filius: Pater, peccaui in cœlum. Haud secus firmamenti faciem metuo; atque accusatoris cuiuspiam vocem.

Et coram te. Propter quod diuinitatis tuæ lucem intueri vereor: nam & animi, & corporis oculos immundos habeo. Præ omnibus autem malis, plurimum meæ me incusant insanæ libidines.

Fac me sicut vnum ex mercenariis tuis. Quæ dicit, huc tendunt: Obsecro, Domine, ne me rursum ex aula tua proscribas; ne forsan inimicus oberrantem deprehendens, denuò captiuum abducat. Neque tamen vt mysticæ tremendæque mensæ tuæ me adiungas, peto: quandoquidem eo animo sum, vt sancta illa sanctorum ne aspicere quidem profanis oculis audeam.

Dicit autem pater ad seruos suos. Hoc est, ad sacerdotes.

Citò proferte stolam primam. Hoc est fidem, veritatisque cognitionem: quarum rerum à patre discedens, iacturam fecerat.

Et induite illum, Qui seipsum exuerat.

Et date annulum in manu eius. Hoc est, fidei signaculum, quo contra diabolum armatus aliquando fuerat.

Et calceamenta in pedes eius. Quò in præparatione

E *nũ extrema semper bonorum omnium fames vrget.* *Dæmones cultores suos mittunt ad porcorum gregem.* *Quemodo sensim in porcos degenerant qui carnis illecebris &*

F *voluptatibus operam dãt.* *Peccatũ cum siliquarum natura, cognationem non habet vllam.* *Miser, qui dæmonis seruituti obnoxius tenetur* *Deus nũquam non operarios in vineam conducit.*

G *Quid sit pane abũdare.* *Pauca verba ad salutẽ satis sunt, dũ modo ex animo cõtrito procedant.* *Non satis est bona voluntas ad salutem, nisi adsit copia benè operandi.* *Deus animam pœnitentem pa-*

H *ternè cõplectitur* *Deus immundo corde & animo cerni nequit.* *Mystica tremendáque mensa, est Eucharistia.* *Prima stola est fides.*

A *Fidei signaculũ annulus.*

Euangelij pacis, hisce indutus, serpentes & scorpiones, hoc est contrarias virtutes, intrepidè proterat.

Vitulus saginatus Christus in crucem immolatus & in mystica mensa propositus.

Et adducite vitulum saginatum. Illum inquam, vitulum adducite, qui pro terrarum orbe immolatus, eisque, qui vera resipiscentia ducuntur, donatus est. Hoc est, tremendorum mysteriorum participem illum facite.

Et manducemus, & epulemur. Quia hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit; perierat, & inuentus est.

Gaudiũ est in cælo & in terra super peccatore pænitentiam agente.

Et cœperunt epulari. Gaudent enim non ij solùm, qui degunt in cœlis, super vno peccatore pœnitentiam agente; verùm ij etiam, qui versantur in terris: Siquidem iusti omnes de eiusmodi hominis sorte lætantur.

B *Quo sensu senior filius ob iunioris reditum, & eius rei causa festum celebratũ dicatur cõmotus. Matt. 20.*

Erat autem filius eius senior in agro. Quæ de proposita parabola hinc, ad finem vsque consequuntur: puta quòd filius senior, quid hoc esset, percunctatus, communisque lætitiæ & celebritatis causam edoctus, præ indignatione noluerit in domum ingredi, & alia quædam eiusmodi, illa eo sensu accipienda non sunt, quasi senior iuniori salutem re ipsa inuiderit; aut patri propter summam illam, in perditum filium, clementiam, verè succensuerit. Nam, vt D. Chrysostomus parabolam de operariis in vineam conductis, quæ apud Matth. extat, edisserens, rectè monet, id, quod vniuersè proponitur, parabola est, singula autem parabolæ membra sigillatim, & quasi ad verbum curiosè expendere & inuestigare, istud neque necessarium est, neque commodè fieri quoque potest: sat est autem, si scopum, propter quem præponitur, vtcumque perspectum habeamus, fructumque nonnullum ex eo decerpamus. Aliquid verò hoc amplius anxiè inquirere, id nullum est operæpretium. Neque enim vllus omnino inter Sanctos est, aut fuit vnquam, qui Dei erga peccatorem benignitatem, in ius vocaret, aut improbaret: vt qui ab omni inuidentia & odio sint prorsus alieni. Etenim si animos suos pro peccatoribus tradere parati sunt, quî fieri potest, vt salutem illorum dolenter ferant? Imò verò tantum abest, vt bonum quodcumque illis inuideant, vt beneficia quoque in eos collata, perinde ac si inseipsos collata forent, grata acceptaque habeant.

Singula parabolarum partes non deposcunt peculiarẽ & anxiã interpre- C *tationem.*

Nullus Sanctorũ Dei, in peccatores clementiam dãnauit vnquam. Sancti ab omni odio & inuidia alieni.

Et cur ergo, inquis, parabola eiusmodi quippiam præ se fert? Ecquid nobis illa vult adumbrare? Aliud nihil, quam excellentem Dei clementiam, quæ vtique erga omnes, & eos præcipuè, qui peccatis desertis, ad sanam mentem redeunt, veróque pœnitudinis sensu concutiuntur, tanta est, vt iis, qui pœnitentia non indigent, inuidiam quodammodo mouere queat. Nam & in humanis quoque aliud eiusmodi receptum videmus. Etenim cùm quempiam insigni aliquo beneficio affecimus, dicere nonnunquam consueuimus: En ille vel ille, quòd tanto honore te cumulauerim, me incusauit. Dicimus hoc autem, non vt hunc, vel illum inuidiæ insimulemus, aut quouis modo calumniemur, verùm vt doni, quod obuenit, magnitudinem, per hoc exprimamus.

Parabola de filio prodigo, summam Dei erga peccatorẽ resipiscẽtem cle- D *mentiam adũbrat.*

Illustria dona in immeritos collata inuidiam mouere dicuntur.

Adde his, Christum Dominum senioris filij exemplo eos, qui inculpatam, virtutibusque ornatam vitam ducunt, præmonere, & quasi præmunire voluisse; ne quam vnquam maligni diaboli fraude impulsi, cogitationem admittant, quæ ob peccatorum pœnitentium salutem, qualescunque inuidiæ stimulos animo ingerat, verùm mente ab istiuscemodi cogitatis, tota vi abducta; de illorum salute potiùs gaudeant, & in Domino exultent.

Diabolus nonnullos, ob pænitentium salutem, ad inuidiã prouocat.

Sunt qui per duos filios, sanctos Angelos & homines, qui in terris vitam degunt, designatos existimant. Et quidem per senioris personam, Angelorum ordinem, per lasciuum autem & prodigum adolescentem, humanum genus denotatum volunt. Non desunt tandem, qui per seniorem filium Israëlem secundum carnem; per iuniorem verò gentium populum insinuatum contendunt.

De his opinionibus, scribit Cyrillus: Liberum cuique iudicium esto; probet quisque studiosus, quod vero affinius iudicat; mihi interim neutra opinionum probatur; neque enim cogitare fas est, sanctos Angelos prodigi filij conuersionem ignorasse; aut festum eius rei causa celebratum nesciuisse, adeoque quasi rerum ignaros, quid hoc esset, interrogare compulsos esse. Sed neque iis quoque assentiri valeo, qui per seniorem filium carnalem Israëlem accipiunt. Constat namque Israëlitas per vniuersam ferè scripturam diuinitus inspiratam, veluti desertores, & incredulos perstringi; tantum abest, vt paterna mandata illi nunquam præterierint.

E *Iudæi per vniuersã scripturã malè passim audiunt.*

Parabola succinctè explicata, rebus obscuris lucem affert.

De parabolis porrò Cyrillus idem scribit & sentit, quod Chrysostomus: nempe dum breuiter, succinctéque explicantur, vtilium rerum notitiam afferre: etsi hoc ipsum obliquè & dissenraneè. Vt autem singulæ parabolæ partes subtiliter, & exquisitè discutiantur, id minimè opus est. Nam præterquamquòd commodè istud fieri nonqueat, sermo quoque modum excedens, nimia copia, & quasi luxu, auditores benè affectos non parum sæpe offenderet; nimiáque loquacitate nauseam non paucis moueret. Probat id ex parabola, quæ de homine diuite, qui habebat villicum, capite proximo proponitur, & explanatur.

Parabola nimis curiosè explicata nauseam mouent. Commodo exemplo F *ostẽditur, non omnia parabolæ mẽbra, commodã expositionẽ admittere.*

Enimuerò si quis accuratè explicare velit, quis fuerit homo ille, qui habebat villicum diffamatum: Tum quis illum diffamauerat; hinc cuiusmodi debitores illi fuerant; mox quinam illi, qui à debitorum summa partem resecarant: postremò cur hunc oleum, illum verò frumentum debuisse commemoret, ne orationem ille obscuram, planeque superuacaneam in medium afferret. Igitur non omnes & singulæ parabolæ partes ad rerum propositarum explicationem sunt vtiles, sed quædam tantùm. Siquidem id solùm ex eiusmodi imaginibus desumendum & explicandum est, quod rei quidem obscuræ nonnullam lucem; auditoribus verò aliquem vsum afferre natum est.

CAPVT XVI.

HOmo quidam erat diues, qui habebat villicum. Scopus & mens parabolæ hîc propositæ, vt eidem Cyrillo placet, eiusmodi est: Vniuersorum Deus & Dominus nihil æquè desiderat, atque vt totis animi neruis virtutum studiis incumbamus, iisque omnibus, quæ animos nostros in hac vita distrahere, & disturbare solita sunt, nuntium mittamus, quò nimirum quietè, paccatéque assiduò ipsi seruiamus. *Vacate*, clamat per Dauidem, *& videte quia ego sum Deus*, & per seipsum rursùm: *Vendite quæ possideris, & date eleemosynam.* Et quidem lex hæc diuinæ voluntatis citra vllam controuersiam est vtilis & salutaris: Verùm humana mens est admodum infirma, & ad res terrenas plus satis semper incuruata.

G *Vniuersorum Dominus nihil æquè desiderat, atque vt virtutũ studiis insistamus.* Psal. 45. Luc. 12. *Mens humana infirma, & ad terrena incuruata.*

Propter hæc ergo Dominus per similitudinem, hoc loco propositam, facilem expeditamque salutis viam nobis ostendit: tantum non eiusmodi oratione omnes compellans. Si qui ex vobis sunt, qui omnibus omnino, quas in terra possident, opibus simul & semel desertis, sublimem illam vitæ conuersationem capessere non volunt; minimum ex eo, quod à necessario sumptu redundat, pauperum œconomi sint; quò nimirum vel hac qualicumque facultatum suarum communicatione, multis amicis, multisque misericordiæ testibus hic comparatis, quando olim è caduca hac, terrenaque vita excedent, in eorum tabernaculis tum locum aliquem inueniant, quibus in hoc sæculo benignè quandoque fecerant.

Quæ à victu necessario redũdãt, in egenos erogãda.

Quod si verò ne hoc quidem facere in animum induxerint; verùm omnia, quæ gratis à Domino acceperunt, suis tantùm sumptibus, & voluptatibus consecrare, aut in momentaneos honores conuertere perrexerint, obliti Dei dicentis: *Aperiendo aperies viscera tua fratri tuo egeno*, aliorúmque omnium, quæ diuina scriptura de subleuanda miserorum inopia passim præcipit, morte iam illis insultãte, & ab omnibus, quæ in bonis habebant, ipsos vel inuitos submouente, & extrahente, à sua villicatione omnino amouebuntur. Et quod his grauius est, propter inclementem illam, duramque, & inhumanam in pauperes voluntatem, æternorum tabernaculorum loco, æternum inextinguibilémque ignem sortientur. Deut. 15.

Iudicium eorũ, qui superuacanea in pauperes non expendunt.

Qui

A

Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis erit. Qui ritè honesteque vitam instituere didicit, futurorumque bonorum spe fultus à terrenis fluxisque rebus mentem abduxerit, ea sapiens animoque pertractans, quæ sunt cœlestia, eorúmque amore & studio incensus, caducas hasce opes, quas & minima bona, & iniquitatis mammona appellat, prouidè in egenos dispensauerit; qui, inquam, in minimis istis fidelis compertus fuerit, is in magnis quoque, hoc est, in donis bonisque spiritalibus fidelis erit. Qui autem in eiusmodi opibus iniustus deprehensus fuerit; vtpotè in sui solius vsum illas conuertens, asseruansque; ille in diuinis quoque charismatis iniustus deprehendetur.

Inter bona infimum locũ tenent, opes caducæ. Quis dicatur fidelis aut infidelis in minimis, quis item in magnis. Quod ex bonis ad vitã necessariis superat, Dominus alienum vocat. 1. Tim. 6 Quomodo opum copia quidam ab homine alienum dici queat. Res perardua diuersis seruire, & inculpate viuere. Pharisæi

Et si in alieno fideles non fuistis, &c. Opum copiam alieni nomine designat: Quandoquidem non nascimur diuitiis stipati, sed nudi. Verè enim sacris literis proditum extat: *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quod nec auferre quid possumus.* Itaque opibus affluere, si hominis naturam spectemus, ab homine alienum est. Si cui autem adsunt, extrinsecus, & quasi per accidens aduenerunt.

B

Nemo seruus potest duobus dominis seruire. Vnum eundemque ad opposita diuelli, & inculpatam nihilominus vitam ducere, rem arduam, summéque difficilem esse, Christus Dominus hoc loco ostendit, dum ait: *nemo potest duobus dominis seruire, &c.*

Audiebant autem omnia hæc Pharisæi, qui erant auari, & irridebant illum. Pharisæi auaritiæ morbo obstricti, Christi sermonem in risum transferunt: nihil morati, quòd in prolixa oratione ipsos, ab eiusmodi vitio sanare, conatus esset. Quia ergo cum laborem incassum sumpserat, temporisque qualitas ad id prouocabat, blandum sermonem in grauem conuertit reprehensionem, palàm demonstrans, ambitionis amore obcæcatos, eum honorem & gloriam superbè ambire, sibique vendicare, quæ in solos iustos probosque viros conuenit; cùm ipsi interim nihil minùs essent, quàm eiusmodi; dicit autem.

C

Christi sermonẽ in risum conuertunt. Christus blandum sermonẽ, in grauẽ reprehensionem trãsfert. Christus Pharisæos ambitionis notat. Superbia & arrogantia Deo summè exosa. Quæ Dominus ad

Vos estis, qui iustificatis vos coram hominibus; Deus autem nouit corda vestra. Quia quod hominibus altum est, abominabile est ante Deum. Isthæc proinde & nos audientes, omnem fastum, omnémque inanem gloriam, & studium placendi hominibus tanquam quæ Deo sint prorsus exosa, summaque execratione digna, cum omni nequitia & auaritia, promptè, totoque pectore abijciamus: Animi verò submissionem, & in egenos commiserationem, Dei auxilio freti, studiosè consectemur. Neque enim propter illos tantùm, per sacra Euangelia hæc prodita sunt; sed propter mortales omnes, qui de generatione in generationem, perpetua quadam successione, se inuicem excipiunt.

Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. Hæc vsque ad illud; *qui dimissam à viro ducit, mœchatur,* in Euangelio Matth. explicata sunt.

D

præsentes disserebat, ea pertinent ad omnes. Cap. 11. 5 Christus Dominus per parabolam de diuite & Lazaro propositã, ad beneficentiam mortaliũ genus excitat. Diues epulo anonymus inducitur

Homo quidam erat diues. Hanc de diuite epulone & Lazaro parabolam, ad rem præsentem appositè admodum effictam efformatamque, Christus Dominus noster hoc animo in medium adducit, vt ad beneficientiæ studium nos ciat & excitet. Vult enim nos in mutuum amorem esse propensos, communicationi deditos, liberales item & studiosos egenorum curatores, & in hoc studiorum genere præcelso animo præditos.

Homo quidam erat diues. Hunc tanquam durum, & in pauperes inhumanum, Dominus anonymum nominísve expertem inducit: nempe vt exemplo id confirmet, quod per Prophetam de iis aliquando prænuntiarat, qui Deum non metuunt: *Non, inquit, memor ero nominum illorum per labia mea.* At pauperem verò proprio nomine designat; siquidem tales in Dei lingua & ore obuersantur. Fertur autem vulgi sermone, cui Hebræorum traditio quoque astipulatur, Lazarum hunc fuisse quendam extremè egenum, & ægrum, Ierosolymis per id tempus notum; Dominum autem hunc præ cæteris in exemplum assumpsisse, quò ea, quæ de epulonis inhumanitate dicere instituerat, apertiora euaderent.

E

Nemo autem hæc, aliáve similia audiens, existimet, pro bonorum, vel malorum operum ratione; plenam iam retributionem, quibusdam obtigisse. Quod hic enim proponitur, parabola est, maioris lucis, & explicationis causa, à Christo Deo nostro efficta, commodeque inducta; nimirum vt illi, qui terrenarum opum copia affluunt, hinc discant, nisi ita comparati sint, vt in egenos velint esse benigni, & liberales, & benefici, & ad subleuandam illorum egestatem prompti, expeditique fore, vt ineluctabile damnationis barathrum, diráque supplicia certò olim incidant. At nunc otiosum, vanúmque diuitis huius fastum & supercilium contemplemur.

Induebatur purpura & bysso; & epulabatur quotidiè splendidè. Hoc est; cultui, luxuique corporis, ex instituto operam dabat. Nam & vestitu vtebatur sumptuosissimo; & in deliciis volutabatur assiduis; hoc enim denotatur per voces illas: *Et epulabatur quotidie splendidè,* hoc est, perditè, & prodigè, & ille quidem ita. Lazarus autem morbo grauatus, inediáque exhaustus, ad domus illius vestibulum iacebat abiectus, neglectus, prostratus, pro nihilo habitus, omni cura, omníque humano præsidio prorsus destitutus, ad placandam inediam aliud nihil expetens, quàm micas, quæ de diuitis mensa temerè cadebant; & nemo illi dabat. Grauissimæ autem inediæ tormento, accedebat morbus longè molestissimus.

F

Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Istuc canes non faciebant, quasi ea re voluerint illum lacessere, aut vlla omnino iniuria afficere; Faciebant autem eo, quo poterant sensu, vicem illius dolentes: curámque illius, qui ab omnibus desertus erat, amicè suscipientes; necnon vulnera eiusdem beneuolè, medicorum more, fouentes, & circumlingentes; quò per hoc quoque diues epulo feris bestiis immanior; imò verò omni misericordia, omnique humanitatis sensu prorsus exutus ostendatur.

G

Etsi verò pauper Lazarus in tanta illa miseria & calamitate constitutus esset, nequaquam tamen veluti fastidio victus, animum despondit, aut conuitia dixit, aut stomachosè succensuit, aut murmur aliquod contra diuitem edidit. Et vnde hoc tibi compertum est, inquis? Ex eo, quòd Angeli illum sustulerunt, honorificóque comitatu deductum, in sinum Abrahæ deposuerunt.

Mortuus est autem & diues, & sepultus est. Non temerè adiectum putemus, diuitem, postea quam mortuus fuerat, in sepulchrum illatum esse. Quandoquidem cùm in viuis adhuc ageret, anima illius in abdomine, perinde atque in quodam monumento, obruta, defossaque iacebat; carnémque veluti sepulchrum circumgestabat. Propter hoc ergo adiunctum videtur, & sepultus est.

H

In inferno autem eleuans oculos suos. Diues à corpore iam absolutus, è carnis illecebris, mundique voluptatibus, rectà migrat ad inferos. Quò autem istic constitutus, acriùs excrucietur, cernit Lazarum in Abrahæ sinu collocatum. Quemadmodum enim Deus Adamo è Paradiso eiecto, ex aduerso Paradisi sedes assignauit; quò creber eiusdem conspectus, conceptum dolorem subinde instauraret, eaque ratione bonorum, è quibus exciderat, iacturam exactiùs sentiret: ita Lazarum quoque in cruciatuum illius augmentum, diuitis huius aspectui obiecit.

At cur, quæso, Lazarum in sinu Abrahæ potiùs vidit, quàm apud quemcunque alium iustum? Quia Abraham hospitalitati comprimis deditus fuerat: Vt huius ergo hospitalitas illius inhospitalitatem redargueret, propterea æquus iudex hunc cum illo collocare voluit. Abraham enim, vel obiter tantùm prætereuntes venabatur; & ad domum suam pertrahebat, diues verò etiam intra domus vestibulum abiectos aspernabatur.

Cur diues orationem ad Abrahamum dirigebat, ad Lazarum autem non item; aiebat enim: *Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum, &c.* Quia rubore & verecundia impediebatur. Persuasum habebat enim Lazarum veteris iniuriæ memoriam adhuc retinere. Ego, apud se inquiebat, tantis opibus circumquaque affluens, nullàque

& quæ Psal. 15 Lazarum extrem... egenum ... æger Ierosolymis ... fuisse ... Insinuatur ... opinio qua ... posita ... ponitur ... plena retributio ne asseratur. Hæc ... Dissimi... epulonis vita ... Lazari ... omni prorsus humano præsidio destitutus. Quo ... Lazari vlcera linxerit. Huius Lazari ... calamitate ... Angelico comitatu stipatus Lazarus ducitur ad requiem. Cur ... mortem sepultus dicatur. Epulo deliciis deportatur ad supplicia. Adamus è regione paradisi sedes habuit & quare. Cur diues Lazarũ ... apud Abraham ... apud alium iustum.

A vnquam iniuria affectus, hominem in tanta miseria & calamitate constitutum despexi; neque vel panis micam fame pereunti impertiui: Quomodo is ergo vsque adeò durè à me habitus, meæ huic petitioni annuet? Hæc autem dicimus, non vt Lazarum incusemus; (neque enim ille ita affectus erat) sed quòd diues eiusmodi quippiam metuens, animóque versans, Abrahæ potiùs, quàm illius opem implorandam existimarit. Credebat enim Abrahamum, quæ acciderant, ignorare. Ecquid autem ille?

Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua. Hic tu mihi singularem iusti huius viri prudentiam expende: Non dixit; inhumane, crudelis, perditissimè; tot mala homini huic irrogasti, & adhuc amicitiam, adhuc misericordiam, adhuc veniam, adhuc commiserationem ambis? Non erubescis, non verecundaris, dum isthæc petis? quid autem dicit: *Fili, recepisti bona tua*, notat enim scriptum esse: *Cor exacerbatum ne perturbes magis.* Sat suum est illi supplicium. Caue calamitati illius insultes. Fili, non ego Dominus, sed tuæ conditionis homo sum: quare hinc illuc transire, aut alium transmittere, in nostra potestate non est positum.

Singularis Abrahæ prudentia, & suauitas. B *Eccl. 4.*

Fili recepisti. Cur Patriarcha non potiùs dicit: Fili accepisti bona in vita tua, quàm recepisti: τὸ recipere enim insinuat, & denotat debitum. Recipiuntur enim, quæ iusto aliquo titulo debentur. Ecquid hinc ergo discimus? Illud inter cætera, nempe eos etiam, qui alioqui scelerati sunt, & in vltimum quodammodo malorum deuenerunt, vnum aliquod interdum, aut alterum, aut plura quoque bona opera facere: id quod huic quoque diuiti vsu venerat. Quia ergo per molles fortunatosque dies, quos Deus in hac vita illi indulserat, bona omnia, quæ vnquam fecerat, iusta mercede pensata fuerant, propterea audiuit: *Fili recepisti bona in vita tua; & Lazarus similiter mala.* Forsan Lazarus quoque in vnum, aut alterum, aut plura quoque errata inciderat, quæ per dolores, & miserias, quas patienter in hac vita tolerauerat, Deus eum eluere voluit; quare ait: *Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris:* Iudicium enim sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.

Aliud accipere, aliud recipere: hoc enim debitū significat, illud non item. Etiam mali, & improbi boni aliquid interdum faciunt: Deus opera mora. C *liter bona, temporali mercede cōpensat.*

Inter nos & vos chaos magnum firmatum est. Quid sibi vult, quòd Abraham magnum inter vtrumque chaos firmatum asserit? Indicat discrimen, quod inter iustos & peccatores intercedit; vt enim oppositæ illorum sunt voluntates & studia; ita impermutabilis quoque eorundem est status. Nam vt hi perpetua quiete potiuntur, ita illi perpetua dependunt supplicia.

Chaos inter Lazarum, & diuitem firmatum indicat impermutabilē iustorum & iniustorum statum in altera vita.

Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei. Diues epulo eorum spe frustratus, quæ sui causa petiuerat, quod reliquum erat, pro aliis precatorem agit: vsque adeò benignus, & humanus euaserat in tormentis. Qui paulò antè enim Lazarum præsentem superbè despiciebat, is aliorum absentium cura frustra nunc æstuat. Efflagitat autem, non vt quiuis promiscuè ex mortuis exsuscitatus in domum patris eius mittatur; verùm vt Lazaro prouincia hæc demandetur.

Diues epulo pro aliis intercedit.

D Cur Lazarum, præ cæteris expetit? nempe vt illum ipsum gloria & honore videant cumulatum, quem paulò antè innumeris malis & incommodis oppressum viderant, hoc est, vt illi ipsi; qui summæ illius inediæ, paupertatis, & miseriæ testes fuerant, illius quoque mutationis & gloriæ testes existant: adeoque res humanas vitæ huius limitibus non concludi, ex vtraque sorte edocti, vitam in posterum ita instituant, vt supplicia sceleratis apud inferos constituta euadere queant. Quid autem ad hoc Abraham?

Causa cur diues Lazarū ex mortuis exsuscitatum in domū paternam mitti voluerit.

Habent Moysen, & Prophetas, audiant illos. Quasi dicat; non eam tu de fratribus curam habes, quam Deus, qui condidit illos. Adhibuit illis enim mille Doctores, & Magistros, illis credant, si velint.

Maiorem Deus quā homo de homine curam habet.

Non, pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad illos, pœnitentiam agent. Cur diues isthæc dicit? Quia ipse Prophetas nullo prorsus fructu audiuerat. Quæ enim ab illis prodita extabant, ea propalam contempserat, fabularúmque loco habuerat. Ex qua re coniecturam faciebat, suos quoque fratres ita comparatos esse. Volebat enim ita dicere: Illi nunc ratiocinantur, vt quondam ego: nempe quis inde aliquando rediit? quis ex mortuis vnquam resurrexit? quis ea, quæ apud inferos sunt, enarrauit? Eapropter si quis ex mortuorum grege ad illos accederet, non denegarent illi fidem, verùm dictis illius studiosè intenderent.

Diues fratrum suorum animos ex suo spectabat. E

Ait autem illi: si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent. Rem ita habere puta, illos, qui scripturis non credunt, illorum quoque dicta flocci facere, qui ex mortuis resurrexerunt, id Apostolorum ætate Iudæi clarè ostenderunt. Nam cùm hi Moysem, & Prophetas audire semel detrectassent, neque mortuos exsuscitatos cernentes, crediderunt. An non Lazarum perimere conati sunt? nónne Apostolis, esto, permulti tempore quo Christus in crucem actus est ex mortuis surrexissent, hostiliter insultarunt? Porrò autem per sinum Abrahæ, Isaac, & Iacob, sanctus Dionysius Areopagita, diuinissimas illas, fortunatasque sedes designatas asserit, quæ omnes iustos post fœlicissimam consummationem intra sese recipiunt.

Qui scripturis nō credunt, neque mortuis exsuscitatis fidē habent.

Ha sedes ante Christum F *passum erāt limbus patrū, nunc verò cœlum sunt empyreū.*

CAPVT XVII.

Impossibile est vt non veniant scandala. De scandalis vsque ad illud: *Dimitte illi*, scriptum est in Euangelio Matthæi.

Cap. 19.

Et dixerunt Apostoli: Domine adauge nobis fidem. De veteribus Sanctis proditum extat, fide inuentos probatos, sancti itaque Apostoli hos æmulari cupidi, ad Christum Dominum dixerunt: *Domine adauge nobis fidem.* Non petunt autem fidem simpliciter; ne quis illos fide caruisse existimet, sed fidei incrementum, hoc est, certam in fide stabilitatem. Dominus autem gratiæ huius illos capaces fieri volens ait:

Hebr. 11. Quo sensu Apostoli augmentum fidei expetiuerint.

Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: eradicare, &c. Si vis fidei, dixerit quispiam, tanta est, vt id, quod vsque adeò firmatum, & in terra radicatum est, alio transferre valeat; ergo in vniuersum nihil ita immotum & solidum est, quod fides loco mouere non queat? Nemo ita desipiat, vt Christum Dominum, ad solum stuporem & admirationem excitandam, hæc dixisse existimet: non eo enim fine illa deprompsit, sed ad procurandam & promouendam nostram salutem & vtilitatem. Voluit enim, vt hinc disceremus, diuinæ virtutis pondus tantum esse, vt nihil non possit. Verùm de grano sinapis disputatum est in Euang. Matthæi.

G *Quò tenderit dominus cū dixit, si habueritis fidem, vt granū sinapis. Cap. 17.*

Quis autem vestrûm habens seruum. Mens humana sua natura rapitur ad inanis gloriæ studium, malum vtique periculosum, & Deo Opt. Max. admodum exosum. Causa autem morbi huius sæpe sunt præclara quædam facta, quibus laudem & commendationem apud Deum promereri videmur. Etenim infernalis ille draco, omnisque mali architectus diabolus, quosdam nonnunquam huc agit, vt Deum, propter vitam honestè laudabiliterque institutam, cœlestem gloriam iure sibi debere existiment. Vt hæc ergo pestis omnium pestilentissima è medio profligetur, Christus Dominus serui hoc loco debitum, ob oculos nobis ponit, ait autem.

Humana mens naturaliter fertur ad inanem gloriam. Causa superbiæ sæpe sunt præclara quædam opera.

Quis vestrûm habens seruum arantem aut pascentem boues, &c. Docet per hæc, dominicæ potestatis vim, promptam vbique, expeditámque obedientiam, tanquam certum debitum à seruis exigere. Neque enim vllam, ait ille, Dominus gratiam debet seruo, si is illud præstiterit, quod secundùm seruitutis conditionem præstare obligabatur. Quamuis ergo seruus, si id, quod officij ratione explere tenebatur, non expleuerit, pœnæ periculo sese exponat, attamen ob iniuncti operis expletionem, nulla illi debetur merces, aut gratia. At licet res ita se habeat, nihilominus Deus & Dominus noster, pro sua singulari liberalitate, & in genus nostrum benignitate, non modò præmia laboribus paria laborantibus persoluit; sed multis quoque partibus laborum exhausto-

H *Quid Dominus debeat seruo, si quid sui est muneris præstet. Quid ille seruo immineat, si officiū non faciat. Deus præmia insumptis laboribus multis partibus maiora persoluit.*

rum

A Rom. 8.

Dominus illustris miraculi opere prouocat Israëlem ad fidem sed frustra.

rum pondere maiora. Quemadmodum sapientissimus Paulus alicubi disertè id exponit; scribit enim: *Non sunt condigna passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Et cùm ingrederetur in quoddam castellum, occurrerunt illi decem viri leprosi. Rursum Seruator noster IESVS CHRISTVS, illustris miraculi opere, gloriam suam pandit, quò, vel hac ratione, excordem amentemque Israëlem ad fidem pertrahat: Verùm vt ex leprosorum quorundam sanatione clarè cognoscere licet, perstitit ille in sua obstinatione, & infidelitate æquè atque antè. Hi enim secundùm Mosaicæ legis præscriptum, è ciuitatibus & castellis, tanquam immundi, exclusi, Christo iter facienti obuiam venerunt, eundemque, vt à morbo, quo tenebantur, sese liberaret, enixè rogauerunt. Is autem cùm benignus & clemens esset, sortis illorum misertus, lepram profligauit. E quorum numero nouem erant Iudæi, vnus autem Samaritanus. Cùm autem abirent, Sacerdotibus, vt iussi erant, sese ostensuri inter eundum sanitate potiti sunt. Et quidem nouem in ingratam obliuionem lapsi, non sunt reuersi, vt darent gloriam Deo: vnus autem solus, & ille quidem alienigena, debitam gratiarum actionem obtulit. Promptiores namque propensioresque fuerunt hi semper ad fidem amplectendam, quàm ingrati Iudæi. Quare Dominus, *nonne*, inquit, *decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?*

B

Promptiores ad fidem gentes quàm Iudæi.

Quid sit, regnum Dei intra vos est.

Ecce regnum Dei intra vos est. Quòd hîc dicitur, eiusmodi est. In vestræ voluntatis arbitrio positum est accipere regnum Dei. Cuilibet namque iustificationis gratiã per fidem in Christum Iesum adepto omnique virtutum genere expolito, cœleste regnum consequi integrum est.

Per cruces & molestias homo cælesti regno capessendo idoneus redditur.

C

Apostoli post Christi ad cælum ascensum plura perpessi quã antè.

Et ait ad discipulos suos: venient dies, &c. Cùm sanctos discipulos ad quiduis, cruciatum & molestiam ciere natum, perferendum paratos, necnon ad omne patientiæ genus egregiè instructos vellet; quò nimirum hac ratione probati & expoliti, in regnum Dei quandoque possent ingredi, ait ad illos: *Venient dies, quando desideretis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis*; hoc est: quando vno die cum illo in terris versari desiderabitis, & non obtinebitis. Nam etsi tunc quoque cùm ætatem cum illo in terra degebant, crucis expertes non viuerent; attamen post illum ad cœlos assumptum, multis grauioribus malis tentati fuere. Iam maiorum malorum, quæ ceruici incumbunt, comparatione, leuiora mala quodammodo optabilia sunt.

Cap. 24.

Operibus spiritalibus impigrè incumbendũ: neque exemplo vxoris Loth à cœpto opere desistendũ.

Ecce hic est, ecce illic. De secundo, inexspectatoque Christi aduentu, vsque ad illud *non redeat retro*, scriptum est ad Euangelium Matthæi.

Sicut factum est in diebus Loth. Affert in exemplum vxorem Loth, quæ posteaquàm è Sodomis semel egressa, conuersa est retrò, mutata est in statuam salis, hoc est, conuersa est in lapidem. Quin & Loth quoque, eorumque, qui ignis & sulphuris materia in Sodomis effecti fuerant, meminit: quò nimirum vnumquemlibet per hæc moneat, vt operibus spiritalibus impigrè incumbat; neque semel exorsus, retrò facilè respiciat hoc est desistat.

D

CAPVT XVIII.

Christus per iniqui iudicis parabolam ad iugẽ orationẽ nos exstimulat.

Deus se diligentibus auxiliarem manum nunquam non porrigit.

D*Icebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare.* Per parabolam, quam Christus Deus & Dominus noster, de iniquo Iudice, qui erat in quadam ciuitate, hic proponit, ad iugem indefessamque orationem nos exstimulat. Nam si frequens viduæ aditus, & interpellatio, hominem vsque adeò improbum alioquin & sceleratum; vt neque Deum timeret, neque hominem reuereretur, emollinit; ita vt tantùm non inuitus illam de aduersario suo vindicaret; quomodo ter misericors, improbitatisque osor Deus, qui manum auxiliarem, & seruatricem, nunquam non illis porrigit; qui ipsum diligunt, illos non suscipiat, qui dies noctesque supplices eum adeunt; eosdemque tanquam electos suos, ab aduersariorum iniuria non vindicet? Et hæc quidem sanctus Cyrillus.

E

Errant qui Deum iudicem iniquum ... contend... cùm Euangelium apertè clamet.

Quin beatus Chrysostomus quoque in diuersis sermonibus, vbi de iniquitatis iudice disserit; virum illum iniquum & exlegem fuisse tradit, atque hoc ipsum sacrum Euangelium eo ipso quoque ostendit, quod Dominus dicit: *Audite quid iudex iniquitatis dicit; Deus autem non faciet vindictam electorum suorum?* Siquidem per verba hæc planum facit, alium esse Deum, alium iniquitatis iudicem. Quomodo ergo post tam illustrem demonstrationem, quidam in animum inducere non horrent: imò verò palàm effutire audent, Deum ipsum iniquitatis iudicem esse? Profectò res est summa admiratione digna.

In nouissimis temporibus iuxta Christi doctrinã ... desciscent à fide.

F

Veruntamen filius hominis, &c. Non quòd Christus Dominus, quid futurum sit, ignoret, ait: *Veruntamen Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* (quomodo is enim, qui omnia nouit, quicquam ignoret?) Verum quòd ostendere per hæc voluit, nouissimis temporibus non defuturos, qui à recta inculpataque fide desciscant, errorúmque spiritibus, & peruersorum hominum mendaciis attendant.

Per parabolam de Pharisæo & Publicano docet Dominus quomodo nos orare oporteat, ne frustra oremus.

Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant, &c. Per parabolam de Publicano & Pharisæo, qui vnus ex eorum numero erat, qui in se confidebant, tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, benignus Deus, & Dominus noster IESVS CHRISTVS nos docet, qua ratione hominem orare oporteat, ne orando frustraneam operam sumat, hoc est, ne per ea, per quæ rem se facturum existimabat, eum contra se concitet, à quo omnia cœlestia charismata, tanquam à fonte dimanant: Scriptum est enim: est iustus, qui in iustitia sua perit. Nam & Pharisæus quoque hoc loco ea de causa condemnatur, quòd orationem instituisset nimis insulsam, nimisque inscitam, & imprudentem. Multa enim errata ex illa, contra illum depromi possunt. Nec enim ipse tantùm seipsum admirabatur, id quod stultorum proprium est; sed multos præterea vnà cum ipso Publicano condemnabat, scelerumque reos prænuntiabat.

Pharisæus insulsam orationem instituit. Seipsum admiratur, stultorum proprium.

G

Cuiusmodi fuerit affectus Publicani.

At verò Publicanus ab ipso condemnatus, ne oculos quidem ad cœlum tollere audebat; verùm omni propemodum animi fiducia destitutus; conscientiæque stimulis grauiter agitatus (vt qui Dei leges nullo ferè loco sese habuisse non ignoraret) vel in diuinum solum conspectum prodire nefas ducebat. Suum igitur pectus tundens, quæque admiserat delicta, humiliter confitens, & animi morbum Deo tanquam medico pandens, ad misericordiam illum prouocabat, & inclinabat. Quamobrem, vt iustus iudex testatur, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.

Hæc itaque audientes, prudenter virtutum studia exerceamus; nemo autem harum rerum causa in superbiam, & fastum efferatur. Quin ea potiùs mente recolat, quæ Christus Dominus sanctis Apostolis alicubi prædicat, *Cùm, inquit, omnia feceritis, quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus*, & ante hunc locum, *Omnis qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.*

Luc. 17.

Luc. 14.

Ibid. P.

H

At stupore inquis, & admiratione dignum est, quomodo Pharisæus, dum grandia quædam de se iactat, impegerit: Iob verò, qui multò plura, multóque maiora de se depromserat, laudem promeruerit? Audi breuiter: Pharisæus nemine prorsus instigante, vel irritante, magna de se fundens, vniuersóque terrarum orbi sese anteponens, meritò offendit, vt qui superbiæ morbo sese laborare manifestis argumentis prodiderit; Iob verò, quovsque probabatur, suas virtutes & prærogatiuas omnino occultas habebat: At verò cùm iniustè accusabatur, ea coactus in medium attulit, quæ ad depellenda crimina falsò ipsi imposita, facere videbantur. Quod ergo celebris Iob fecit, hoc ab omni noxa alienum fuit, tota nimirum culpa penes illos residente, qui inique illum incusauerant. Hæc Pelusiota.

Afferebant autem ad illum & infantes. De infantibus, deque illo, qui dicebat: *Magister bone, quid faciam, &c.* vsque ad illud: *& tertia die resurget*, scriptum est ad Euangelium Matthæi.

A

Cap. 19. *Apostoli ante Christum passum Prophetarum oracula non satis intelligebant.*

Et ipsi nihil horum intellexerunt. Propterea sancti Apostoli nihil horum intelligebant; neque, quæ dicebantur, capiebant; sed erat verbum ab iis omnibus absconditum, quia necdum ea exactè norant, quæ sancti Prophetæ de Christo prædixerant.

Cæcus per fidem agnoscit, Iesum filium Dauid naturalē esse Dei filium.

Cùm appropinquaret Iericho, cæcus quidam sedebat. Accedit cæcus ad Christum, tanquam ad omnipotentem Deum; nominat autem illum filium Dauid, siquidem in Iudaismo educatus, quæ de ipso per legem, & Prophetas prædicta erant, non ignorabat, & inter cætera, quòd secundum carnem ex genere Dauid oriturus erat. Certò igitur persuasum habens eum, qui ex sacratissima Virgine, secundum carnem ortum ducebat, naturale Dei verbum esse; adiit ad illum, sicut ad Deum, eiusmodi vsus oratione: *Miserere mei fili Dauid.* Nam quod ita comparatus, supplicationem attulerit, id Christus ipse testatum facit, ait enim: *Fides tua te saluum fecit.*

B

Et qui præibant increpabant eum. Admirari licet de constanti cæci huius confessione, siquidem quibusdam illum increpantibus, & vt taceret, admonentibus, ipse de sua contentione nihil quicquam remisit. Quare meritò quoque honorauit eum Christus Dominus. Accersitum enim iuxta assistere iussit.

Dominus honorat & sanat cæcum propter suam fidem.

Cur Dominus ex cæco interrogauit, Quid tibi vis faciam? Efficax vox Christi, C *quia vox Dei.*

Et interrogauit illum. Haud ignarus, quid vellet, interrogat ex illo: *Quid tibi vis faciam?* (norat enim omnia) verùm vt circunstantes, vnáque gradientes discant, non petiisse pecuniam, aut aliquid aliud eiusmodi ab illo; sed opus diuinum, hoc est, miraculum, tanquam à Deo. Posteaquam verò petitionis modum manifestauit, tunc demum Christus Dominus Iudæorum perfidiam, & incredulitatem palàm redarguit. Etenim sua, hoc est, summa vsus potestate, ad cæcum, *respice*, dixit: statimque vox luminis casso, lux effecta est; erat enim veri illius luminis verbum. Quis vnquam sanctorum Prophetarum eiusmodi quippiam fecit? hoc est, aut tanta vsus est potestate aut tanta vnquam locutus efficacitate? A cæcitatis porrò morbo liberatus, non neglexit Christi amicitiam: mox enim illum ponè secutus, laudem, quæ in solum Deum conuenit, deprompsit. Quin aliis quoque ansam, vt eum publicè laudarent, & glorificarent obtulit. Sequitur enim: *Et omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo.*

Cæcus Christo depromit laudem quæ in solum Deū conuenit.

CAPVT XIX.

Publicanorū studium in auaritiā de industria intentum.

E*T ecce vir nomine Zachæus, & hic princeps erat Publicanorum.* Zachæus hic inter Publicanos principatum tenebat: siquidem ad summum auaritiæ, sitisque pecuniariæ fastigium peruenerat; Enimuerò præcipuum publicanorum studium, in vnam hanc rem de industria incumbit. At non perstitit Zachæus in illis sordibus; consecutus est namque à Christo peccatorum veniam. Ipse est enim, qui eos ad se vocat, qui procul absunt; quique illos illuminat, qui in tenebris & obscuritate desident. Cùm ergo Zachæus Dominum Iesum videre desideraret, eaque de causa in arborem sycomorum ascendisset; atque ideo aliquod iam salutis semen in illo germinasset, statim Christus Dominus, qui omnes homines vult saluos fieri, diuinitatis oculum in eum defixit, blandaque & amica voce eundem compellauit:

Christus eos vocat, qui longè absūt, eosq; qui illuminat, D *qui in tenebris desident.*

1. Tim 2. *Dominus vult omnes saluos fieri.*

Zachæus salutis capax & auidus.

Zachæe, inquiens, *festinans descende.* Nam, vt Deus omnium præscius iam tum, quod futurum erat cernebat. Animaduertebat enim hominis animam ad capessendam vitam Sanctis dignam vndequaque paratam, necnon ad pietatem amplectendam, modis omnibus propensam. Quare vt primùm Christum Dominum non citra gaudium in domum excepit, statim effectus est misericors, statim studiosus pauperum curator, eoque mox iustitiæ ardore inarsit, vt in quadruplum ea se resarturum sponderet, quæ per iniustitiam forsan sustulerat. Atque hoc legi consentaneè: mandabat ea enim, vt pro vna oue furto ablata, redderentur quatuor. Rectè proinde Christus Deus noster ait.

Zachæus vbi primum dominum in domum suscepit, effectus est misericors.

Zachæus legis de-

Hodie salus domui huic facta est, eò quòd & ipse sit filius Abrahæ. Vbicumque enim Christus ingreditur, ibi salus præstò est. Oportebat autem, vt ipsi etiam Iudæi, de Zachæo admirabiliter seruato, gauderent, nam & ille quoque inter filios Abrahæ, quibus Deus per Prophetas sanctos redemptionem per Christum promiserat, censebatur.

E

creto se accommodat.

Exod. 22. 2. Reg 12.

Parabola de homine nobili, vniuersā Christi œconomiam nobis ob oculos ponit.

Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam. Parabolæ hic propositæ scopus est, vniuersam diuini verbi œconomiam, nostri causa susceptam, perfectamque, totamque eiusdem virtutem & energiam, hoc est, omnia, quæ circa hoc verbi mysterium à principio, vsque ad finem acciderunt breuiter nobis ob oculos ponere. Etenim Deus verbum factus est homo, eaque de causa sortitus est nomen serui. At verò secundum inexplicabilem generationem, quam habet ex patre, erat, maneque semper ingenuus & illustris. Post absolutum porrò œconomiæ secundum carnem mysterium, concessit ad gloriam, quam naturaliter alioquin insitam habebat; & peregrè quodammodo ad longinquam regionem profectus est; siquidem cœlum est regio à terra seiuncta. Ascendit autem, vt susciperet sibi regnum. (At quo sensu, inquis, ille, qui vnà cum Patre omnibus imperat ascendit ad Patrem, suscepturus ab eo regnum? Ad carnis œconomiam sunt hæc referenda: Pater namque non aliter Filio dat regnum, quàm incarnato, vel homini facto.) Ad cœlos autem euectus, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis; sessurusque dum pedibus illius substernantur omnes inimici eius.

Christus vt homo seruus, vt Deus liber & ingenuus.

F

Quo sensu pater filio largiatur regnum.

Dominus ad cœlos ascendit sedetque ad dexteram maiestatis in excelsis, Hebr. 1.

Ciues, qui nobilem virū, hoc est, Christum super se regnare noluerūt, sunt Iu- G *dæi.*

Ciues autem eius oderant eum, &c. Ecquinam sunt ciues illi, qui oderunt eum? haud alij vtique, quàm Iudæi, de his enim ait: *Viderunt, & oderunt, & me, & Patrem meum.* Sed neque passi sunt quoque, illum super se regnare. Quare regno palàm illi abrogato, ad Pilatum aiebant: *Non habemus regem, nisi Cæsarem*, cùm tamen Propheta Zacharias iam olim disertè ad illos clamaret: *Exulta satis filia Sion; iubila filia Ierusalem. Ecce Rex tuus venit tibi Saluator, & ipse pauper, & ascendens super asinum, & super pullum filium asinæ.* Tum Isaias quoque: *Ecce*, ait, *in iustitia regnabit Rex, & principes in iudicio præerunt.* Sed & Dauid quoque Propheta de Christo ita scribit: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.*

Ioan. 15. Ioan. 20.

Iudæi loco filij Dei, Cæsarem in regem eligunt.

Zach. 9. Psal. 32. Psal 2.

Quinam & quales sint illi, qui per talēta sibi cōmissa lucrum faciunt sortēque acceptam dupliciter H *augent.*

Vocatis autem decem seruis, dedit illis decem mnas. Cuiusmodi fuêre serui, quibus accersitis distribuit decem mnas? Seruorum nomine hoc loco designantur, qui magnos in virtutibus progressus habent: quibus proinde, vt rectè ad omnem virtutem informare, seseque & alios probè gubernare sciant, solida esca conuenit. Hi enim sunt, qui, dum populum fidei suæ concreditum, ritè studioseque instituunt, talentis sibi traditis incrementum adiiciunt, sortemque, quæ Sanctos decet, adipiscuntur. Quare etiam à nobili viro illo, hoc est, Christo Deo & Domino nostro, post acceptum regnum, in aduentu secundo redeunte, summis laudibus euehentur, summoque honore potientur; siquidem sortem denariam, & quinariam, quam acceperant, duplam hoc ipso dependentes, quòd multos Christo lucrati fuerant, decem, aut quinque ciuitatibus præficientur, hoc est, præerunt rursum non iis tantùm, quibus antè, sed multis prætereà aliis.

Quid sit quinque aut decē ciuitatibus præfici.

Mna collata, Christi gratiam significat.

At seruos verò ignauia superatos, ignominia & probrum excipient. Etenim qui mnam suam sudario obuolutam abdiderat, eiusmodi sententiam audiuit: *Serue nequam sciebas, quia ego homo austerus sum, tollens, quod non posui, & metens, quod non seminaui, &c.* Cur gratiam; quæ meo beneficio tibi obuenerat (hanc enim mna significat) non dedisti trapezitis, hoc est, cur illis eam ad opus non tradidisti, qui talento tuo probè vti scivissent? *Et ego veniens, exegissem meum cum vsuris?* Munus namque Doctorum & Pastorum proprium est, vtilem & salutarem doctrinam auditoribus seminare; auditorum verò, deiecta semina non solùm integrè conseruare; sed omnem quoque virtutem adiicere. Eapropter ignauus seruus gratia, quam acceperat, exuitur, qui verò meliorem viam ingressi fuerant, diuinæ gratiæ augmentum consequuntur, & quod eo maius est, læti æternis bonis perfruuntur.

Quod pastorum vel doctorū, quid item auditorum sit munus.

Veruntamen inimicos meos. Iudæi, inquit, qui hominem illum nobilem super se regnare noluerunt, ad vnum

omnes

A

omnes in illius conspectu trucidati sunt. Etenim aliquot iam ex illis in Ierosolymorum expugnatione, cladem, de qua hîc sermo, experti sunt. In secundo verò Christi veri Dei nostri aduentu, vniuersi veluti in bello quodam internecino supplicio nunquam finem habituro mancipabuntur.

Cap. 21. *Lapides clamantes, deno tãt gẽtes.*

Et factum est, cùm appropinquasset ad Bethphage. De hac materia, vsque ad illud: *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt,* scriptum est ad Euangelium Matthæi. Et quinam, ais, sunt lapides illi? Illi vtique, qui quondam lapides adorabant, gentes nimirum deceptæ, & diaboli fraude in errorem abductæ.

Idolis quondam seruiẽtes. Deo, vt homo est, dolorem tribuere fas est, secus nequaquã.

Et vt appropinquauit ciuitati, fleuit super illam. Fleuit super Ierusalem hominum amator Dominus, vt hinc discamus vero doloris sensu eius causa tactum fuisse; si ei tamen, qui est Deus super omnia, dolorem tribuere fas est. At fas est; nam qua ratione sceleratorum hominum miseria affici cognosceremus, nisi per opus humanum, planum illud nobis faceret? Quare non statim quoque, sed trigesimo demum quinto anno post Christi Seruatoris ad Cœlos ascensum Ierosolymorum ciuitas capta est: benignissimo Deo tanto annorum interuallo promeritam pœnam differente; patientérque, vt per sanctorum Apostolorum prædicationem ab errore ad sanam mentem, veramque fidei cognitionem se reciperent, expectante: eaque ratione *ab ira, quæ super filios diffidentiæ ventura est,* liberarentur. Quare etiam omnes illi cladem euaserunt, qui ex illis in Christum crediderunt. cæteri verò, qui in perfidia perstiterunt, miserè interierunt.

B *Cur Dominus triginta quinque annos, & eo amplius distulerit expugnationem Ierosolymorum.* Ephes. 2. *Qui ex Iudæis in Christum crediderunt, illi cladem Ierosolymorum euasere.*

Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi est. Hoc est, si cognosceres, quænam sint illa, quæ & vtilia, & planè necessaria sunt, vt pacem cum Deo ineas (cuiusmodi inter cætera sunt fides in Christum, & obedientia, cessatio à typis, & vmbris, cultúque legali) non tantæ te miseriæ & Cruces exciperent: verùm sunt isthæc ab oculis tuis abscondita. De industria enim scire, hoc est, Scripturas, quæ œconomiæ meæ Sacramenta produnt, intelligere noluisti.

C *Qualia sint quæ Iudæis cum Deo pacem conciliare poterant. Cuiusmodi fuerit tempus visitationis Iudæorum.*

Tempus visitationis tuæ. Visitationis tempus illud vocat, quo ipse Cœlo dilapsus, eam visitauit; multaque inter visitandum diuina documenta tradidit, ac plurima tandem stupenda miracula in ea patrauit.

Et ingressus templum cœpit eiicere. De iis, quos è templo eiecit, cæterisque omnibus, quæ inde consequuntur, vsque ad illud: *Hi accipient damnationem maiorem,* disputatum est in Euangelio Matthæi.

CAPVT XX.

Cap. 22.

QVo audito dixerunt illi: absit. Parabola de vinea, alteri genti tradenda, audita, Iudæi mox subiiciunt: *absit hoc.* Siquidem ex Christi verbis, ingentem calamitatem ceruicibus suis impendere intelligebant.

D *Quo sensu Pharisæi viduarum domus deuorasse dicantur.*

Qui deuorant domus viduarum. Quomodo Scribæ deuorabant domus viduarum? Ieiuniorum loco gastrimargiam suo exemplo docebant; viduarum ad hæc causas non propugnabant; sed bona illarum absumebant. Accipient hi autem maiorem damnationem: nam cùm Doctorum & Pastorum formam præ se ferant, ad omnem tamen improbitatem, & malitiam, duces se præbent.

CAPVT XXI.

Quomodo vidua plus omnibus in gazophylacium miserit. Vidua totum, quod habebat, offerens, Dei honorem &

VIdua hæc pauper, plusquam omnes misit. Quo sensu mulier hæc paupercula, & vidua diuites omnes, qui dona in gazophylacium mittebant, superabat? iustorúmque calculum à Deo accepit? quia diuites ex magnis opibus pauca, ipsorúmque facultatibus imparia huc inferebant, cùm multa alioqui, pro opum suarum quantitate huc inferre, & offerre debuissent. Vidua autem modicum illud, quod sudore parauerat, & è quotidiano victu vix compararat, hoc totum in medium attulit. Ea enim magnanimitate, & deuotione duos obulos, hoc est, omnia, quæ habebat, obtulit, ac si vitam propriam pro nihilo duceret.

E *cultum vita propria visa est anteferre.* Cap. 24.

Et quibusdam dicentibus de templo. De templo, & sæculi consummatione, vsque ad illud: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt,* scriptum est ad Euangelium Matthæi.

Attendite autem vobis, ne forté grauentur corda vestra crapula. Cùm de sæculi consummatione disseruisset, supremúmque diem illum, citra vllam controuersiam, olim venturum exposuisset; atque ea omnia quæ futura prædixerat, certò euentura, asseruisset; neque fieri posse, vt quippiam ex omnibus secus, ac prædictum erat, eueniret, statim subdit: *Attendite vobis ne forté grauentur corda vestra in crapula & ebrietate, &c.* Etenim vitæ huius cura, crapula item, & ebrietas homini intellectum adimunt, fidem obscurant, & earum rerum, quæ sunt vtiles & necessariæ, obliuionem inducunt. Quocirca magna opus est vigilantia, magnaque cautione & prudentia, dandaque opera, vt præter iugem orationem, conuenientia quoque ieiunia Deo offeramus.

Sæculi cura & crapula homini intellectũ & mentẽ adimit, F *fidem obruit, & vtilium omnium obliuionẽ inducit. Iugi oratione, & pertinentia ieiunia adiungenda.*

Et erat diebus docens in templo. Ecquænam docebat in templo? ea vtique, quæ legalem cultum & sensum multùm excedebant. Nam quæ in typo tantùm, & vmbra antiquis tradita erant, ea ille cum potestate, ad veritatem transferebat. Propterea quoque populus sermonis illius vim & potestatem admiratus, libentissimè eum audiebat.

Doctrina Christi legalem cultum & sensum multis partibus excedebat.

Nocte exiens morabatur in monte. Pernoctabat autem in monte oliuarum; cùm, vt ciuitatis tumultus, & strepitus declinaret; tum etiam, quò nobis hoc facto precandi formam daret.

CAPVT XXII.

G *Populus Iudæorũ Christum differentẽ audiit.* Cap. 26.

APpropinquauit autem dies festus azymorum. De eo, quòd dies festus azymorum appropinquabat; & quòd summi Sacerdotes eum interficere quærebant; & quod sathanas in cor Iudæ intrauerat; & quod de Christi traditione cum principibus Sacerdotum pepigerat; & de eo tandem, quòd ad hanc rem conficiendam, tempus opportunum quærebat, vsque ad illud: *& duodecim Apostoli cum eo,* præscriptum est in Euangelium Matthæi.

Et ait illis: desiderio desideraui, hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Per hæc disertè significat, se non inuitè ad Crucem & mortem accedere; sed magno cum desiderio Crucis supplicium pro mundi salute subire. Non manducat autem hoc pascha cum Iudæis, sed tantùm cum discipulis suis: Siquidem Iudæi, propter obstinatam incredulitatem, hoc paschate indigni erant.

Dominus pro mundi salute, magno desiderio Crucis supplicium subiit.

Ex hoc non manducabo illud. De hoc loco vsque ad illud: *Væ homini, per quem tradetur.* De eo rursum, quòd facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior, vsque ad illud: *Sicut qui ministrat,* scriptum est in Euangelium Matthæi.

H Cap. 29. 20.

Cæterùm cùm Dominus palàm dicat: *Ego in medio vestri sum, sicut qui ministrat,* quis adeò sæuus, aut mentis inops est, vt omnem mox fastum, & ambitionem non respuat? Cui vniuersa sancta: menteque & ratione prædita creatura, cultum & ministerium defert; quique eadem prorsum cum Deo Patre maiestate & potestate pollet, is ministri persona sumpta Discipulorum pedes lauat. Etsi interim hunc ministerij ordinem, non absolutè, sed tantùm secundùm carnis œconomiam subeat.

Christus Dominus verbo & exemplo sustulit omnem superbiæ & ambitionis causam, docuitque omnem animi submissionẽ & humilitatẽ.

Vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno Patris mei. Hoc ea de causa non asserit, quasi vllus istic denuo mensæ, aut esculentis locus futurus sit; sed quòd res spiritales, rebus apud nos vsitatis, exprimere voluerit. Tum rursum, vt ostendat; quemadmodum ij, qui primas apud terrenos reges obtinent, eadem cum illis domo & mensa vtuntur; ita sanctos, celeberrimósque Apostolos quoque, primis honoribus apud immortalem regem

In cœlesti beatitudine nullus est locus esculentis, nec potus.

A

Quid sit, accumbere mensa Christi in regno cælorum. Matt.20.

potituros; tanquam qui in tentationibus constanter cum illo perseuerauerint.

Et sedeatis super thronos. Hæc alibi iam exposita sunt.

Cur soli Petro dictum sit: Simō, ecce sathanas expetiuit vos, &c. Mos sathanæ sanctis insultare, eisdémque insidias moliri.

Dixit autem Dominus Simoni, Simon ecce sathanas, &c. Cur cæteris omnibus missis, soli Simoni Petro dictum est: *Simon, Simon, ecce sathanas expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum.* Vt hinc moneatur, ne viribus suis nimium fidat; verùm ex solius Dei gratia, laudem quærat. Cribrare autem idem est hoc loco, quod turbare, vexare, exterrere, tentare, &c. mos est enim sathanæ sanctis probatisque viris insultare; quemadmodum cognoscere ex iis licet, quæ per diaboli inuidiam beato Iob acciderunt.

B

Orare nō conuenit in diuinam naturam. Simon fide infirmatus.

Ego autem rogaui pro te, ne deficiat fides tua. Per hæc Dei verbum verè carnem se factum planum facit: siquidem precari tantùm in humanam naturam conuenit, in diuinam autem nequaquam. Ostendit per hæc eadem quoque, si Simon Petrus sathanæ liberè, prout petiuerat traditus esset, fidei iacturam in totum facturus fuisset, quandoquidem in illius potestatem non traditus, aut certè non plenè traditus, adhuc fide infirmatus est: negauit enim.

S. Petrus eorum Doctor & firmamētum, qui in Christū credunt. Matt.26.

Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Hoc addit, ne animum prorsus despondeat; quin magnam potiùs de Dei auxilio fiduciam mente concipiat. Illud autem: *& tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos,* hunc habet sensum: Esto posthac Petre, eorum doctor, & firmamentum, qui mihi per fidem adiungentur. Nam etsi me negaturus es, non ob id tamen Apostolica gratia priuaberis; id quod certissimum diuinæ erga illum serenitatis, infandæque benignitatis argumentum erat.

Domine tecum paratus sum ire in mortem. De hac Petri sponsione, Christique, quod eum negaturus esset, prædictione, scriptum est iam antè.

C

Matt.10. Marc.6. Cur Dominus initio prædicationis suæ Apostolis indixerit perfectā rerum abdicationē, quā in vltima cœna visus est reuocare.

Quando misi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, &c. Non sancit opposita, aut inter se pugnantia Dominus; quando initio dicit: *nolite possidere peram*; nunc verò, *qui habet sacculum, tollat; similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium:* Siquidem initio perfectam illam rerum abdicationem Apostolis indixit, vt exemplo, certaque experientiæ fide edocti, nihil vnquam necessariorum per Christi virtutem & prouidentiam sibi defuisse, promptè postea intrepidèque terrarum orbem percurrant.

At verò ad œconomiæ suæ terminum iam adductus; illa, quæ modò audita sunt, præcepit; ne videlicet, si quando paupertate, aut inedia, aut nuditate, aut aliquo alio eiusmodi incommodo tentarentur; ab omni prorsus cura, & sollicitudine semper vacui degerent; rati ea, quæ muneris sui erant, perinde per ipsos perfectum iri, ac per quædam in anima instrumenta.

Cur Apostoli, diuenditis tunicis, iussi sint gladium emere, plures exstitere causæ.

D

Fecit hoc rursum ea quoque de causa Dominus; ne qui posthac dicerent, Apostolos nihil de suo in medium contulisse; verùm omnia diuino nutu & prouidentia, absque vlla prorsus illorum opera, perfecta esse. Fecit id denique ideo etiam, quò debitam vbique mensuram seruare discerent, neque aliquam opinionem maiorem de se caperent.

Propter hæc ergo, & alia his maiora, cùm decreuisset illos in multa inexspectata incommoda labi permittere; noluit prioris illius sanctionis rigorem vrgere; sed primæui illius instituti seueritatem nonnihil remittere, ac temperare; ne grauis planèque intoleranda vita illis esset, si omni externo præsidio sæpe destituti, exactam illam abdicationis regulam perpetuò & accuratè obseruare compellerentur.

Cur Dominus gladij ænigmate vsus sit.

Et emat gladium. Per gladium, quem parare iubet, Iudæorum aduersum se insidias & apparatum designat; seseque mox ab illis comprehensum iri, eodem illo symbolo indicat. Atque hoc quidem ille, ne nimiùm turbarentur, disertis verbis exprimere noluit: interim per gladij ænigma malum, quod impendebat, eaque à

E

Iudæis sese perpessurum, quæ paulò post perpessus est, insinuat; quemadmodum ex iis id perfacilè colligi potest, quæ proximè subduntur: nam cùm dixisset, *emat gladium*, statim subiungit: *Quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me. Et cum iniquis deputatus est. Etenim quæ de me sunt, finem habent.* Neque ergo rem omnino tacitam habuit, ne repentina Iudæorum insultatione plus æquo turbarentur; neque manifestè rursum indicauit, ne nimia formidine exanimarentur.

De duobus gladiis, quos Dominus sat esse dixit, argumentum dilemma. Dominus nō omnia obscura Apostolis semper edisserebat.

Cùm autem Apostoli, quo tenderet, non intelligerent; *Domine,* inquiunt, *ecce duo gladij hic; at ille dixit eis, satis est.* Atqui si humano præsidio vti illos voluisset, neque si centum gladij in parato fuissent, satis erat. Quod si verò illo defensionis adminiculo eos vti non voluit, duo quoque superuacanei erant. Attamen secretum hoc illis non aperuit; sicut nec alia quoque complura. Persæpe enim, dum Apostoli obscurum aliquod illius dictum non assequuntur, præterit illud, finitque, vt dictorum notitiam, è rerum, quæ postea consecutæ sunt, euentu, hauriant: sicut quando dicebat: *Soluite templum hoc, & in triduo, &c.*

F

Positis genibus orabat. De oratione, quam fudit Christus, antequam pateretur, scriptum est in Euangelio secundum Matthæum.

Cap.26. Cur Dominus in horto sanguine sudarit. Sub sanguineo sudore magna mysteria tecta latebant.

Et factus est sudor eius, &c. Vt verum se hominem esse, omnibus planum faciat, eamque luctam & agoniam ex diuina natura non prouenire ostendat: *Factus est enim sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Sub qua re vtique magnum Sacramentum tectum latebat. Nam licet ingenti terrore quispiam concutiatur, summéque meticulosus habeatur, non ideo tamen ob solum metum; vel ob solam animi luctam, sanguine sudare solitus est. Eapropter sanguineo sudore perfundi, res est planè præter naturam. At placuit nihilominus Christo, vt hoc quoque in se fieret, quò nimirum timiditatis fons, pauorisque fluxus, qui naturæ nostræ cohærebat, hoc modo abstergeretur, penitùsque ex illa profligaretur.

G

Sanguine sudare res est præter naturā. Christus Dominus non egebat vi ab Angelis confortari.

Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans illum. Non ideo id factum est, quod is, qui ab vniuersa cœlestium virtute, non absque timore, & tremore adoratur, & glorificatur, Angeli confortatione egeret; verùm vt illud impleretur, quod in magno Moysi cantico ea de re proditum extabat, nempe illud: Et confortent illum omnes filij Dei. Enimverò propter summum rei miraculum, Angelus non citra illustrem laudem, pronamque adorationem, eiusmodi oratione cum affatus credi potest: Tua Domine est virtus, tua est potentia. Tu enim aduersus mortem, aduersus infernum & diabolum, dum genus humanum ab illis liberas, victoriam & regnum obtinuisti.

Qua ratione Angelus affatus sit Christum in horto.

Et cum surrexisset ab oratione. De hoc loco, déque Iudæ osculo, & sequentibus, vsque ad illud: *& duxerunt illum ad Pilatum,* scriptum est in Euangelio Matthæi.

CAPVT XXIII.

Cap.21. Iudæorū aduersus Christum accusationes variæ, sed omnes apertè falsæ.

H

Coeperunt autem illum accusare. Accusabatur Christus à Iudæis variè; Ast illorum accusatio fide carebat; quippe cum res ipsa voces depromeret accusatoribus planè contrarias. Nunquam enim ille, ne Cæsari censum darent, prohibuerat; imò disertis verbis oppositum iniunxerat. *Reddite,* inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.*

Matt.21. Christus ad regnū Iudæorū petitus, fugit in desertū. Dominus nihil vnquam præ se tulit, quod terreni regni ambitionem saperet.

Sed neque vnquam quoque imperium affectauerat; imò verò cùm turbæ totæ in vno hoc essent, vt regem eum crearent, ipse, illis desertis, secessit in montem. Qualem, quæso, iniqui illi calumniatores, militarem apparatum viderant apud illum, vt de regni affectatione illum accusarent? Ecquod vnquam ille, quod vllum omnino fastum, aut superbiam, aut arrogantiam saperet, dicto, aut facto præ se tulerat? Nonne vicos, & ciuitates hominum curandorum causa pedes obire palàm cernebatur? Quare ipsi etiam Pilato eiusmodi accusatio vana,

nullaque

A *Pilatus Iudæorũ accusationem tacitè deridet. Cur Dominus Herodi multa interrogãti nihil respondeat.*

nullaque omnino probabili ratione nixa visa est. Vnde percunctatio illa, *túne es rex Iudæorum?* aliud nihil erat, quàm tacita quædam accusatorum derisio. Etsi interim per hæc Christum Dominum reuera regem esse, non negetur.

Et vt cognouit, quòd de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem. Christus Dominus à Pilato ad Herodem missus, ab eodemque de multis interrogatus, nihil quicquam respondit. Neque enim opus erat, vt hominem nihil prorsus responsione dignum in medium afferentem, vllo omnino responso dignaretur: maximè verò quòd doctrinæ tradendæ tempus iam tum nullum esset. Sed neque decebat quoque, vt cœlestia signa coram illo ederet, qui præstigiis spectandis, quàm diuinæ virtutis miraculis cognoscendis auidior erat. Dominus proinde tempus illud silentium postulare cernens, tacuit omnino.

B *Candida vestisque Herodes Christum induit, illius innocentiam propalam ostendit. Vestis cãdida, qua Dominus ab Herode indutus fuit, Iudæorũ calumnias redarguit.*

Spreuit autem illum Herodes, cum exercitu suo. Homo omni orationis sensu destitutus, numen illud venerandum, omnique cultu & adoratione dignum ludibrio habet. Cæterùm per quæ ille Christum deridet, per ea ipsum ab omni prorsus noxa, & iniustitia alienum esse propalàm declarat. Neque enim candido vestitu conuenienter illum induisset, si quod facinus dicto vel facto designasset. Quare Iudæi quoque hìc confunduntur, falsæque accusationis rei peraguntur. Quandoquidem eum, quem de multis accusauerant, candida veste ornatum, ab Herodis tribunali decedere conspicantur. Nam etsi totum, quod Herodes hic fecit, irrisionis tantùm causa fecerat; attamen idipsum, quod fecit, non fecisset; si quid iusta ira dignum in eo deprehendisset.

Pilatus Herodis C *facto eruditus, insontem proclamat.*

Quin Pilatus quoque Christum Herodis sententia, nihil mali, aut morte dignum admisisse publicè hoc ipso demonstrat, quòd pro tribunali sedens, principes Sacerdotum, & magistratus populi ita compellat: *Obtulistis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes quoque.*

Romani Iudæos viuere sinebant suis legibus & moribus. Ionathas ad populi petitionem vita donatus.

Necesse autem habebat, &c. Cur oportebat, vt vnum dimitteret eis per diem festum? probabile fit, posteaquam Iudæi in Romanorum ditionem & potestatem iam deuenerant, Romanorum duces id illis indulsisse, quod secundum patriæ ritum, legitimum apud eos erat. Inter hæc autem continebantur quoque, vt vnus è flagitiosorum hominum numero, populo ad diem festum donaretur, hoc est, liber à morte dimitteretur. Sic Saul quoque Ionatham ad populi petitionem vita donauit.

Cap.27. *Dimitte nobis Barabbam.* De Barabba, déque Simone Cyrenæo, quem angariauerunt, scriptum est ad Euangelium Matthæi.

Filiæ Ierusalem nolite flere. Cur Christus Deus, & Dominus noster, quando triumphantis more Crucem adibat, mulieres, quæ plangebant & lamentabantur eum, adeò ob eiusmodi planctum & luctum non commendauit, vt obliquè quoque reprehenderit? Quia ad Crucis supplicium sponte contendebat. Iam licet illi, qui ad Cruciatum inuitus rapitur, commiseratio nonnullum solamen afferre soleat; attamen Crucem cupidè vtróque affectanti, eiusmodi sympathia molestiam parit veriùs, quàm leuamen.

D *Cur Dominus mulieres quæ plangebant eum, non commendarit. Etsi mors Domini aliquo sensu plausum deposcat, aliis tamẽ vehementem luctum & mœrorem à nobis efflagitat.*

Quia ergo illæ mœstæ afflictæque eum lugebant, quem æquius erat, plausu lætaque acclamatione excipere; quippe qui mortem iam tum extinctum, diabolum debellatum, & infernum euersum, & conculcatum abibat; & ob id tacitè illas increpat, quidque posthac futurum sit palàm denuntiat. Quæ etiam denuntiatio tum euentum sortita est, quando Romanorum gladius Iudæorum prouinciam, & Ierosolymorum ciuitatem, miserandum in modum depopulata est.

Christus

Quia si in viridi ligno, &c. Seipsum Dominus propter vitam diuinam, immortalem, & incorruptam, quæ in carne illius abdita latebat; Tum etiam propter operam virorum, fructuumque vbertatem viride lignum vocat. Huius autem ligni fructus erant, viuifica doctrina, diuinæque admonitiones, & exhortationes, &c. Quod autem hoc loco Christus vult dicere, eiusmodi est:

E *Cur se ipsum viride lignum vocat, quare. Cuiusmodi fructus ... viride lignum quod Christus erat. Iudæi aridum & infructuosum lignum.*

Si Pilatus Romanorum præses, eiusdémque milites, me talem, hoc est, tanta virtute & dignitate ornatum, tanta ignominia & dedecore affecerunt, totque malis omni ex parte circumdederunt, quid acres bellicosique eorundem Romanorum exercitus populo vestro, hoc est, Iudæis facient, qui aliud nihil sunt, quàm quoddam aridum & infructuosum lignum? In quibus nihil deprehendent iustum, nihil admiratione dignum, nihil denique tale, propter quod consentaneum erat, vt venia vos donarent; aut aliquam salutem populi vestri rationem haberent. Quid aliud ergo restat, quàm vt vos tanquam aridum & inutile lignum comburant? hoc est, vndique obsideant, & in captiuitatem redigant, & propter impietatem, quam in Christum Seruatorem exercuistis, morti & internecioni dedant?

F

Crucifixerunt eum, & latrones. De Christi Domini crucifixione, vsque ad illud: *Erat autem & superscriptio scripta super eum, literis Græcis, Latinis, & Hebraicis: hic est Rex Iudæorum,* scriptum est alibi, nempe in Euangelio Matthæi. Cap.2...

Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus. Cur Matthæus & Marcus vtrumque latronem conuitia in Christum detorsisse asserunt, Lucas verò alterum tantùm? Initio vterque latro æquè ac cæteri Iudæi Christo insultabat: forsan quò hac ratione, gratiam illorum emeriti, venia potirentur, aut aliquod saltem pœnarum laxamentum consequerentur. Posteaquam verò beneficio, quod à Iudæis expectabant, sese frustratos viderunt, alterè latronibus, ille nimirum, cuius hic fit mentio, resipuit, sociúmque, vt vna resipisceret, grauiter admonuit.

Vterque latro initio Christum conuitiabatur, quare fecerint. Latro conuersus pœnarum socium ad conuersionem incitat.

Ast vnde hic, cùm miracula, quæ circa Crucem paulò pòst acciderant, nulla adhuc vidisset, ad mentem rediit? Fortassis ex oratione, quam IESVS CHRISTVS magna cum fiducia ad Deum, tanquam ad patrem transmittebat: *Pater*, aiebat, *ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Nam & perinde cum eo loquitur, atque par cum pare, & Patrem vocat, & cum magna libertate; *dimitte illis*, clamat. Non enim dixit: Domine, rogo te, vt hanc illis noxam condones; sed simpliciter, *dimitte illis*, inquiebat. Ostendit per hæc autem, quæ Iudæi per iniuriam & contumeliam in illum committebant, eapropter vtriusque naturæ, & diuinitatis identitatem, in ipsius quoque patris iniuriam & contumeliam redundasse.

G *Quæ Iudæi committunt in Christum in patris iniuriam redundant.*

Matthæus itaque & Marcus ad alia festinantes, ea tantùm exposuerunt, quæ initio circa latrones acciderant; quod reliquum verò eius historiæ erat, id prætermiserunt. Lucas autem prioribus, tanquam ab aliis iam expositis missis, quæ Matthæus & Marcus omiserant, prosecutus est: nempe vnius latronis pœnitentiam, noxæque agnitionem; exordio ab oratione illa Domini facto: *Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* Per hanc enim (vt paulò antè dicebatur) probabile fit, alterum latronem ad compunctionem, cordisque contritionem peruenisse.

Lucas ... plet quæ Matthæus & Marcus circa latrones historiæ prætermiserant.

Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Quomodo hæc Dei, & Domini nostri promissio latroni facta, nimirum: *hodie mecum eris in Paradiso, expleta est?* Quod Christus Dominus noster sua diuinitate impleret omnia, & in Cruce erat secundum carnem, & in Cœlo secundum diuinitatem. De Cruce rursum depositus, & in inferno erat secundum animam, & suæ nihilominus diuinitatis virtute latronem in Paradisum inferebat. Forsan latronem, qui in ipsum crediderat, priùs transtulit in Paradisum, quàm ipse ad inferos descendit.

H *Christus secundum carnem erat simul in Cælo, in Cruce, nec secundum animam simul erat in cælo, in inferno, sed in inferno tantum. ... Etsi ... nec recepe... rint ... secund... adeóque ...*

Ad illorum porrò cauillationem, qui ita argutantur: quomodo latro ingressus est in Paradisum, cùm Sancti, iuxta Apostoli doctrinam, promissionem necdum acceperint? respondet D. Chrysostomus in hunc modum:

Ecquid,

A *plenã illã retributionẽ, ac reperunt tamẽ potissimam, hoc est, claram Dei visionẽ, cœlestémque beatitudinem.* 1.Cor.2. *Etsi hac, siue Chrysostomi, siue Titi sentẽtia, sit multorum ve-* B *terũ, hac tamen ætate ob Ecclesiæ definitionem eam tueri non licet.* Cap.27. Ioan.12. *Dominus Cruci adhuc affixus incipit quosdã ad se per fidem trahere. Nonnulli ex Iudæis Christo ex Cruce* C *adhuc pendente ad illum conuersi sunt.*

Ecquid, quæso, incommodi est, etiamsi latro in Paradisum illatus dicatur. Neque enim Paradisi deliciæ sunt bona illa, quæ Deus nobis promisit: Non audis Apostolum, bona, quæ nobis promissa sunt, eiusmodi esse asserentem, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit? &c.* Paradisum autem, & Adami oculus vidit, & auris audiuit, & cor illius comprehendit. Latro ergo nondum recepit bona illa, quæ expectamus; neque enim Deus se nos in Paradisum illaturum promisit, sed in ipsum Cœlum; neque ille prædicabat regnum Paradisi, sed regnum Cœlorum.

Erat autem ferè hora sexta. Hæc vsque ad illum locum: *& hac dicens expirauit,* exposita sunt in Euangelio Matthæi.

Videns autem centurio, &c. Quod Christus Dominus antè prædixerat, videlicet; *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum,* hoc opere iam nunc explere incipit. Cœpit enim multos statim Cruci etiamnum affixus hætens, ad veritatis lucem trahere. Quare etiam Centurio, quæ fiebant, animo pertractans, glorificabat Deum. Sed & nonnulli quoque ex Iudæis animo compuncti, rea pectora tundebant, mentisque oculis ad Christi agnitionem coniectis, ab impietatis, quam contra Dominum exercuerant, peste liberi, vt credi potest, euadebant, audaxque & nefarium illorum facinus, qui Dominum in Crucem egerant, detestabantur. Etsi id fortassis ob principum, qui ad spectaculum aderant, metum & immanitatem non apertè.

Et ecce vir nomine Ioseph. Quomodo Ioseph Dei & Domini nostri IESV CHRISTI corpus sepeliuerit, & mulieres vnguenta detulerint, & Dominus ex mortuis resurrexerit, totum id explicatum est iam antè.

CAPVT XXIV.

Matt.27.28. *Cur Dñs discipulos in Emaus euntes vocet stupidos & corde tardos. Discipuli mulierũ de Christi resurrectionẽ dicta pro deliriis habent.* D *Discipuli Christi duri ad credendũ Christi resurrectionem, & quare. Dominus ex scripturis, & prophetarum oraculis resurrectionẽ suam probat. Dominus non omnibus scripturarũ nodos*

ET *ecce duo ex illis ibant.* Quandoquidem Discipuli illi, qui castellum Emaus versum iter faciebant, mœsti de Christo tanquam de eo, qui ampliùs in viuis non ageret, inter se disserebant, (huc enim tendit hæc illorum oratio) *Et nos sperabamus, &c.* Propterea Dominus illis se adiungens, ipsos stupidos, cordéque & mente tardos appellat; hac ratione animos illorum ad resurrectionis fidem paulatim excitans. Nam etsi resurrectionis famam, cùm per mulieres, tum per Petrum & Ioannem quoque ad se peruenisse non dissimulant; attamen quæ ea de re referunt, tanquam fide adhuc destituti referunt; aiunt enim: *Sed & mulieres quædam ex nostris, terruerunt nos;* neque enim fœminas illas aliquam omnino veritatis lucem in medium attulisse putabant: Quod autem de resurrectione coram exposuerant, hoc totum ex quadam animi perturbatione, sensuúmque illusione ortum credebant. Sed neque illud quoque, quod Petrus & Ioannes de solis linteaminibus in monumento repertis testati fuerant; certum satis veræ resurrectionis argumentum censebant; idque cùm ob alia, tum ob id maximè, quòd se illum non vidisse affirmarent; subdunt enim: *& abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt, sicut mulieres dixerunt; ipsum verò non inuenerunt.*

Et ipse dixit ad eos, ô stulti. Christus Dominus, à tanta illa cæcitate, Discipulos modis omnibus liberos esse volens, veterum oracula, & vaticinia in memoriam reuocat, Moysèque & aliis sacris vatibus in testimonium adscitis, ea edisserit & explanat, quæ in illorum dictis obstrusa iacebant, hoc est, dignis ea reddit clara & liquida, quæ apud indignos sunt, manentque semper obscura.

Et appropinquauerunt castello. Quia verò, vt Euangelista exponit, eorum oculi tantisper tenebantur, ne eum agnoscerent, dum Seruatoris nostri doctrina in illorum corda recepta, viam ad fidem ipsis aperuisset; ob id, vbi primum eò adductos animaduertit, vt ver-

E *aperit sed dignis aut certè non indignis. Dominus tantisper discipulorum oculos, ne eũ agnoscerẽt tenuit, dum mentis illorum oculi aperirentur, fidemque de Christi resurrectione cõciperent.* F *Cur Dñs familiariter cum discipulis non versaretur post resurrectionem sicut ante. Discipuli Christo, in panis fractione cognito, statim sese Ierosolymã versus conferre, at nõ statim* G *eò peruenerunt. Dominus citra vllas ambages, discipulis clarè sese manifestat. Discipuli præ admiratione, & stupore Christum spectrum esse existimant. Pax vobis, salutatio Christi* H *familiaris. Soli Deo occulta cordium patent. Cur Dominus discipulis, post resurrectionẽ ostẽdat manus & pedes, &c.* 1.Cor.15. *Quo sensu seminari dicatur corpus animale, & surgere spiritale.*

bis illius acquiescerent, absolutéque crederent, statim natiuum vultum illis patefecit; attamen apud eos non mansit: *Et ipse,* scribit Lucas, *euanuit ex oculis eorum;* neque enim Domino post resurrectionem eiusmodi cum Discipulis conuersatio, & vsus erat, cuiusmodi antè. Nam quò maius sui desiderium, maiorémque amorem in illorum pectore excitaret, raro admodum cum illis agebat.

Et resurgentes eadem hora, reuersi sunt in Ierusalem. Hoc est, eodem illo tempore, quo Dominus è conspectu illorum sese subduxit, nihil cunctati, statim Ierosolymam rediere. Veruntamen, neque eadem illa hora, vndecim simul congregatos compererunt, neque eodem illo temporis momento, quæ de domo IESV comperta habebant, retulerunt; sed post aliquot horas, intra quas nimirum, sexaginta stadiorum interuallum, quod inter Emaus & Ierusalem interiacebat, eos conficere potuisse, probabile erat. Inter quod etiam temporis spatium Dominus Simoni visus est. Vndecim igitur duobus indicarunt, Dominum verè resurrexisse, & apparuisse Simoni; duo vicissim ea vndecim Discipulis exposuerunt, quæ acciderant in via; tum quomodo eum in fractione panis cognouissent.

Dum autem hæc loquerentur, stetit IESVS *in medio eorum.* Oculis eorum ab omni nube iam liberis, apparet illis IESVS; neque de se nunc loquitur, tanquam de altero; sed se ipsum manifestum exhibet, omnésque bono animo esse iubet. Illi autem præ admiratione, vsque adeò exterriti & consternati sunt; vt pro IESV spectrum aliquod, aut vmbram aliquam, sese conspicari existimarent: Dominus autem eiusmodi cogitationum fluctus sedare volens, verbum consuetum, & apud illos protritum mox depromit, ait enim: *Pax vobis.* Quò autem firmiter, circa vllam hæsitationem, se illum ipsum esse crederent, qui mortem perpessus fuerat, ostendit statim, se tanquam verum Deum (huic enim soli occulta cordium sensa patent) internam illorum conturbationem minime ignorare.

Quid, inquit, *turbati estis; & cogitationes ascendunt in corda vestra? videte manus meas, &c.* Commonstrat illis manus, & pedes, & clauorum vestigia; & hæc ipsa contrectare iubet; quò certò exploratéque hinc cognoscant, illud ipsum corpus, quod mortem subierat, resurrexisse.

Nemo proinde communem carnis resurrectionem, tanquam vanam calumnietur, neque turbetur, aut corporum de mortalitate ad immortalitatem transitum inficietur, si de humano corpore scriptum audiat: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale:* Quemadmodum id enim animale dicitur, quod animali, hoc est, carnali conscientiæ obsecundat; at spiritale illud vocatur, quod Spiritus sancti impulsui ad nutum obsequitur. Atqui post generalem mortalium omnium ex mortuis resurrectionem, nullus ampliùs carnalibus illecebris, aut voluptatibus locus erit; Verùm omnis omnino carnis peccatique stimulus iam tum prorsus extinguetur, & eneruabitur. Illud ipsum nihilominus, quod fertur in terram, exsuscitatum induet immortalitatem.

Locus hic autem admonere videtur, vt paucis expendamus, per quot argumenta, modos, & rationes Christus Dominus Discipulis, suam resurrectionem probarit. Primo ergo per hoc verè se resurrexisse ostendit, quòd seipsum palpandum, & spectandum, manúsque, & pedes suos contrectandos sponte obtulit: *Palpate,* aiebat, *& videte.* Item: *Videte manus meas, & pedes meos.* Mox verò per hoc, quòd escam ab Apostolis petitam, in omnium conspectu comedit: etsi nulla alia de causa istud fecerit, quàm vt illum ipsum à mortuis resurrexisse, omnibus planum fieret, qui ante Crucem toto œconomiæ suæ tempore humano more cum illis manducabat, & bibebat, & versabatur. Neque enim post resurrectionem comedebat, quasi caro illius aliquo adhuc alimento indiguisset. Postremò autem per hoc, quod mentem illorum illustrauit; quò scripturas, quæ

A *Carnalibus illecebris nullus amplius post resurrectionem locus erit. Christus Dominus multis modis & argumentis, se verò exsuscitatum ostendit. Cur Dominus exsuscitatus,* B *in cõspectu discipulorũ manducauerit. Nisi Dominus menti lucem infundat scripturas intelligere nõ valet. Dominus benedictionem suam discipulis impertit.* Cap. I. C *Verbum cum adiuncta sibi carne vnà cum patre regnat.*

de illo disserebant, intelligerent; & inter cætera, oportere, vt ea omnia, quæ à Prophetis de ipso prædicta fuerant, implerentur; pœnitentiaque & peccatorum remissio, inter omnes gentes, in nomine ipsius prædicarentur.

Vos autem sedete in ciuitate. Vbi illos in ciuitate Ierusalem considere, & dum virtute induerentur ex alto permanere iussisset, eduxit eos in Bethaniam, ibidémque sublatis in Cœlum manibus, suam illis benedictionem impertiuit. Hoc autem, vt ex Apostolorum actis cognoscere licet, die quadragesimo à sua resurrectione accidit: Quæ enim Euangelistæ succinctè, & breuiter dixerant, illa illic latiori enarratione edisseruntur, & explanantur.

At posteaquam verò bene illis precatus est, paulùlum progressus, subuectus est in Cœlum; vt vnà cum adiuncta sibi carne patri assideat, simulque regnum cum illo administret. Et hæc quidem est via illa, quam verbum humana forma vestitum nobis præmuniuit. Venturum est olim autem vnà cum Angelis sanctis in gloria Patris; nosque ad sese assumet. Ipsum decet gloria, & imperium, in sæcula sæculorum, Amen.

TITI BOSTRENSIS Episcopi Libri tres, vnà cum argumento libri quarti aduersus Manichæos, nunc primùm in lucem editi.

Interprete Francisco Turriano Societatis IESV.

Editi ab Henrico Canisio.

S. Hieronymus Catalog. script. Ecclesiast.

TITVS Bostrenus Episcopus sub Iuliano & Ioniano Principibus, fortes aduersum Manichæos scripsit libros, & nonnulla alia. Moritur autem sub Valente. *Hæc S. Hieronymus. Scripsit etiam Commentarios in Euangelium S. Lucæ, qui Græcè exstant in Bauarica Bibliotheca. Latinè vertit & publicauit Theodorus Peltanus Societ.* IESV *Theologus. Plura de Tito Baronius Tomo IV. Annalium, anno Christi* 362. *num.* 154. *& anno* 363. *num.* 142.

Trithem. de script. Eccles. Titus Episcopus Bostrenus, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in sæcularibus literis egregiè doctus, ingenio acer & vehemens, multa fertur edidisse opuscula, quibus memoriam sui nominis cum gloria transmisit ad posteros. De quorum numero

D subiecta feruntur Contra Manichæos lib. 2. Commentariorum Euangelij lib. 1. Et alia complura. Claruit anno Domini 34?, Et sub Valente Imp. mortuus est. *Hæc Trithemius, qui errat, cum ait duos tantum libros contra Manichæos scripsisse. Constat enim fuisse quatuor: quartus autem in nostro apographo desideratur; argumentum tamen illius superest.*

TITI BOSTRENSIS EPISCOPI aduersus Manichæos.

Argumenta quatuor librorum.

Argumenta hæc ex Græco versa sunt.

Argumentum primi libri.

PRimus liber continet confutationem præcipuorum capitum, quæ sunt penitus aliena, & cum communibus notionibus naturæ insitis, & anticipatis pugnantia.

Argumentum secundi libri.

SEcundus liber docet, & explanat non pecca[re] hominem ex quodam malo æterno, & sine pri[n]cipio, ac Deo contrario, quod quidem non est, [&] nullum esse malum secundum substantiam in i[is] quæ sunt esse, nec vllam inæqualitatem in nostr[is] rebus, ac vanè & valdè impiè gubernatione[m] vniuersi improbari, & reprehendi. Denique om[] nem de prouidentia disputationem summatim com[] plectitur, docétque minimè necesse esse suspicar[i] ex rebus vllum esse secundum principium De[o] contrarium.

Argumentum tertij libri.

TErtius liber pro lege, & Prophetis disputa[t] quippe cum totum vetus testamentum à De[o] datum sit, & nihil eorum, quæ in eo facta, au[t] dicta sunt, probabilem accusationem eius, qu[i] fecit, & dixit, habeat, sintque omnia cum nou[o] testamento consentientia, vt nec ex hac parte ne[] cesse sit cogitare aliquod secundum principium Deo contrarium.

Argumentum quarti libri.

QVartus liber nouum testamentum ab illorum Blasphemia in Deum defendit, vt qui nullam prorsus communionem cum eo habeant, & frustra, ac vanè quasdam partes eius ad constituendam suam impietatem per vim trahant, quodque id, quod diabolicè subiiciunt, nihil eos iuuat ad ea stabilienda, quæ contra Deum dicunt.

Iste liber quartus non comparet in nostro Apographo.

TITI EPISCOPI BOSTRENSIS contra Manichæos Liber primus.

QVibus studium est, causas eorum, quæ homines peccant, à Deo remouere, aiunt, sanctum, & verum esse Deum, huc spectant tales, & hoc eis propositum est tueri. Cum enim non negant, procurare Deum res nostras, rectè, ac verè hominibus peccata eorum assignant; alioqui parum quid sanare qui voluerunt, in grauiorem & difficiliorem impietatis ægritudinem inciderunt; Dei prouidentiam, quæ in vniuersitate rerum cernitur, negantes. Manichæus verò, qui à barbarie & furore nomen ducit, nocentiore adhuc contra impietatem remedio abusus est; cum enim demonstrare voluisset, non esse Deum auctorem mali, malum ei opposuit ingenitum, vt ait, ingenito, viuum viuo, semper obsistens ac repugnans, & nunquam non negotium & molestias inferens; quodque ab eo funditus extingui & interire nequeat, vtpote æterna, & completa substantia, tanquam ingenita: sic fugiens fumum, vt est in prouerbio, in ignem incidit. Etenim ne videatur Deus, vt Manichæus existimat, nostrorum malorum esse in causa, ex toto quodam, & integro malo apud se fructum fingit percipere. Quid enim, si res tractat Deus, vt Manichæus ait, toleranter & sapienter? at nunquam opinione huius, bello & pugna carebit; quo quid potest de Deo quod minus eum deceat, cogitari?

Quòd pium quidem sit apud homines, totis viribus confiteri Deum non esse iniuriarum, & maleficiorum auctorem, prima doctrina Ecclesiæ Catholicæ studuit profiteri. Cum autem quærimus, quomodo nos peccamus nolente Deo, vt peccemus? de grauioribus nos

Deum accusamus, cum à leuioribus eum, sicut ille, defendere volumus.

Sed qui viam veritatis ex sanctis scripturis & ex communibus notionibus cognitam habemus, pergamus firmè ad talem quæstionem, piam argumentationem pro Deo concludentes, nos ipsos studio veritatis accusando: non enim vt verbo accusationem eorum, quæ in nos incret nos peccamus, declinemus, decebat in Deum impios esse, poscentes ab eo, quæ sunt contumeliosiora omnibus & quæ nequaquam sunt.

Præterea quid existimamus peccata apud homines sanabilia esse, vtpote quæ non à principio quodam contra eos effluant, sed alio modo à nobis fiant, quem disputatio suo tempore explanabit, non solum non sumus in Deum impij non audentes coniecturam facere non posse Deum propter difficultatem resistere vitio, quod ei non inest, sed quæ à nobis vitiosè aguntur, nitimur in eis cessare, cum iis, qui aduertunt, demonstramus, quæ à nobis principium ducunt, vt fiant, per nos etiam, ne fiant, finem assequi, tametsi non apud omnes: non enim hoc generale in singulis est, sed in singulis eorum, qui studium adhibuerunt, iudicium tamen vniuersi est, posse esse in singulis: veruntamen quid barbarè cum impietatem excogitaui, fingens malum sine principio, contra Deum verè principio carentem, ac solum, & hoc secundum principium insanè constituens, non solum malum collocat in ordine æquali Deo, tanquam hoc honorare velit, quod scilicet odit, sed mala, quæ ex malo, quod principio caret, insanabilia penitus esse, cum necessariò affirmat, facit insidiosè, vt existiment qui ei credunt, iniustitiam non posse apud homines corrigi; ita vt anticipata voluptate peccatorum, pro conuersione desperatio obiiciatur, quasi fieri non possit, vt impetus vitij, quod principio caret, coërceatur, præterquam si quis cupiditate gloriæ, quod plus boni, vt isti fingunt, habere videatur, studium adhibeat, vt, quoad fieri potest, non peccet, vt manifestum faciat, non aliundè, quam à se peccatum proficisci. Existimabitur tamen apud ipsos melior esse propter admistionem naturæ, qui non natura, sed labore, & sudore vsus est, qui quidem putabit se laudati cum alioqui vera laude priuetur, veram enim gloriam ex labore ac studio virtutis proficiscentem relinquens, si quidem pietati erga Deum studebat, necessitatem naturæ rapinam esse falsò ducit, qui vtilitatem industriæ ad impietatem in Deum adhibet, vt nec animus ignauiæ & inertiæ deditus, cum malè agit, pungatur, siquidem alteri cuidam principio actiones adscribit: neque qui studio vtitur, laude dignus habeatur, quippè qui in id cogitatione incumbat, quod est omnium atrocissimum, instituti scilicet ad impietatem aduersus Deum.

Cum verò Manichæi rationem creationis mundi à Deo facti non intelligerent, non solum actiones hominum à ratione auersas excutientes, eo modo, quem diximus, lapsi sunt, sed etiam plurimas creaturas, imò ferè omnia in crimen vocauerunt, quæ nullam tamen vituperationem verè admittunt, mala autem hæc appellauerunt, in aliis quidem mistionem contrariorum boni scilicet & mali, vt loquuntur, mentientes, in aliis verò malum simplex, & vnius formæ reprehendentes; quantum in ipsis fuit, omnia confuderunt, appellantes mala, quæ minimè mala sunt. Si enim iniustitiam, in qua homines sunt, quæ sola est iniustitia accusarent tanquam malum, sic etiam oportebat nomen, & opinionem de ea munire, tanquam quæ esset, dum est actio; aut non esset, dum non est actio, non autem oportebat introducere principium ipsum contra Deum, fuisset tamen eorum error affatim circumscriptus, & terminatus: nunc autem cum ferè omnia, quæ fabricata sunt, mala esse dicant, blasphemiam in Deum in infinitum auxerunt, & producunt tanquam certa, & ratione, ac iudicio probata omnes bestias, & feras, non putantes oportere facta esse hæc à bono, non solum eorum opinione inutilia, sed hominibus nocentissima, quamuis demonstrari possint vtiliora, & commodiora esse quam ea, quæ verè hominibus conducere videantur: ac multa quidem alia connectunt ad accusationem rerum, & gubernationis vniuersi.

Dabitur vero opera, vt nihil tam eorum, quæ dicta, quam quæ dicenda sunt, disputatio non ratione conclusum relinquat; fingunt enim cogitatione duarum naturarum contrariarum admistionem, & his, vt eis videtur, res omnes distribuunt; vndenam, inquiunt, mala, si hæc non ex aliquo principio sunt? Si quis verò percunctetur, qualia peccata in homines confertis? quæcunque fabricatus est Deus & totam ipsam rerum compositionem ac gubernationem vituperant: vt iam si quis demonstret omnia benè, & necessariò facta esse, & fieri, necesse est, excidat eis, & auolet ratio contrarij principij; cum enim, ea quæ infra sunt, non intellexissent, quomodo habeant de iis, quæ sunt supra, sunt commenti; neque percepissent, quomodo ea, quæ videntur, disposita sint, id quod non videtur, calumniati sunt; & cum studere viderentur, vt cognoscerent, quia non cognouerunt, in maiorem ignorantiam inciderunt, etenim veluti in tenebris quærerent, quæ de iis, quæ apparent, ignorabant, non solùm non inuenerunt, quod quærere videbantur, quin potius maiores ignorantiæ tenebras sibi offuderunt: nos verò primò de duobus principiis contrariis, quæ ponunt, disserentes ad conclusionem argumentationis de vniuerso veniemus, esse scilicet bona, & necessaria omnia, & illa maximè, vt superius dixi, in quæ maximum impetum, & incursum faciunt, quasi omnium concessu mala sint, præterea etiam omnium rerum gubernationem, atque illa, in quibus seueritatem prouidentiæ, qua, quæ magis necessaria sunt, procurantur, improbant; & non solum hæc, sed de iis etiam, quæ apud homines iniustè fiunt, neque propter hæc principium mali contra Deum oportere cogitare; docebimus enim hæc etiam bonitatem Dei, qui nos fecit, declarare; & neque ab hominibus fieri secundum voluntatem Dei, nec ex principio quopiam contrario in nos ferri.

Igitur aggrediamur deinceps ad principium impietatis illorum commentitiæ, inquirentes, vtrum notiones naturales contraria principia rerum admittant, si enim ne consentientia quidem admittunt, multò minus pugnantia; scribens igitur ille ipse furens Manichæus, vbique incipit; *erat Deus, & materia; lumen, & tenebræ; bonum, & malum in omnibus summè contraria*; vt in nulla re alterum cum altero communionem, & societatem haberet, ambo ingenita, & viuentia; igitur aut disiungent se; aut si fuerint, simul amica, & neqnaquam contraria esse apparebit: at patet dicere eum seiuncta esse hæc; igitur vtrumque cum altero finitum, & terminatum erit secundum substantiam, & neutrum incircumscriptum, & infinitum; circumscribere autem Deum secundum substantiam, & non nosse, & confiteri infinitum esse, quomodo non est admodum impium? quandoquidem non solum circumscribi, & terminari substantia Dei videbitur, sed à malo vt ille ait, hoc accipere. Quod quidem extra communes notiones est, quæ menti suggerunt, vt eum vbique esse noscat, & natura incomprehensum.

Præterea etiam, si hæc necessariò à se dissident, non solùm Deus opinione illius insana naturæ circumscriptæ esse videbitur, sed in priuato loco esse, & residere propè contrarium; quæ enim à se mutuo arcentur, propriis, & priuatis locis circumscribuntur; excutienda igitur sunt hæc, si ambo contraria tanquam ingenita antiquiora locis erant, aliquando rursus prius erant communiter à pugna inter se libera. Sin verò disiunctio substantiæ vtriusque simul ex æternitate fuit, antiquior erat locus substantiæ vtriusque, vel simul cum illis ingenitus; si autem antiquior, vt iam ambo videantur vtriusque loci propagines, non sunt hæc ingenita, nec æterna, quod quidem locis, ex quibus hæc extiterunt, videbitur inesse. Si verò locus est simul cum illis ingenitus, erant plura ingenita, & non iam duo; necesse enim est, vt alia sint illa loca præter hæc, quæ in illis sunt, sine quibus nec esse possunt.

Ad hæc poscendum est ab istis intermedium, & vtrisque

A vtrisque interiectum, quod alterius cum altero communitatem arceat, & prohibeat, ne finibus inter se commista, rursus rationem, ac naturam contrariorum tollant. Quid igitur erit istud, quod ambo illa distermi-net, & intersepiat; opus enim habet, apud istos cuiusdam tertij commentum fabulæ. An dicturi sunt nobis, esse murum adamantinum, aut aliud quid delirum? Cuiusnam prouidentia hoc quicquid sit, interseptum esse dicent? vtricunque enim contrariorum hoc assignare velint tanquam postea immissum, non reperient exitum in hac causa: neque se hinc expedient, reuocata enim ascendendo ad antiquius, disputatio rursus deprehendet contraria inter se separata, tanquam nullo modo contraria. Sin verò neutrius prouidentia interseptum, quod declarant, esse dixerint, necessario fatentur introducere se aliquid ingenitum, quod neutrius substantiam participet, vt omninò dirimendo separet hæc: atque ita fiet, vt reperiantur turbam ingenitorum ponere, qui duo ingenita esse dixerunt. B

Attamen hoc, quod disterminat, & interseptum est, siue murus est, siue terra, siue domus, siue aliud quodlibet; numquid, alicubi quidem habet basim, alicubi verò culmen? Atqui perspicuum est, infra quidem habere basim. Sed vbi, & quantam? supra vero culmen, sed vbi, & quantum? supra enim & infra nomina fabricationis mundi, ante fabricationem sunt apud istos: atque oportet etiam interseptum profundius, & altius esse quam ea, quæ disterminantur, ne si quid ex parte inferiori, aut superiore deficiat, aditum contrariis præbeat, vt simul sint. Si autem cum vmbra & sole comparent illud, quod interseptum vocant, putabunt quidem nihil habere commune vmbram cum sole, conuincetur tamen, deceptos esse eos turpiter à Manichæo, vmbra enim communione solis, & præsentia fieri solet mole quadam interposita, quæ communionem, & præsentiam solis ad alteram partem transmittit; nihilque aliud vmbra est, quam indicium luminis corpore quopiam interiecto impediti; nocte enim, cum non adest lumen, nec pars vmbræ esse potest: vbi igitur vmbra est, ibi lumen, quæ enim vltra vmbram sunt, lumine collucent, præterquam, cum id, quod vmbram facit, multa altitudine superat id, quod illuminat: & malum in lumine habitans lumen esse apparebit, nisi murum maximè ridiculum positum habeat. Quomodo enim vmbra esse poterit lumine materiam ex omni parte collustrante, nisi quid in medio prohibeat, & lumen omnino ab ea excludens vmbram efficiat? in lumine non videbitur posuisse pro muro ridiculo: quod interpositum si non sit, & quam maximè disterminet, perpetua erit communitas malo cum lumine. C

Rursus, meridianam partem malo tribuentes, somnium fabricæ describunt: vbi enim erat meridies ante meridiem? Locus autem in mundi fabrica alius alio inhonoratior non potest esse: quod enim ad læuam est in occasum aspicienti, ad dextram rursus est aspicienti in orientem. Verum absurdissimum est hoc barbaricum dogma: duo enim prorsus principia quomodo principia sunt, aut appellentur? siquidem principium est, quod omnibus est antiquius, & omnium tenet principatum, & imperium, quorum neutrum in neutro duorum esse potest: esse enim ambo eiusdem temporis, & cognata, rationem eorum inter se principatus, & excellentiæ tollit: imo quæ non solum à principatu potestatis inter se libera sunt, vtpote contraria, sed natura pugnant, quomodo cogitari possunt habere omninò principatum? Quod si ratio principatus neutrum horum incolume seruat, quomodo principia vocabuntur? D

Quomodo rationes naturales admittent, vt sint duo secundum substantiam contraria, vbi primò quidem, nomen substantiæ commune est vtriusque? primum igitur, quatenus vtrumque substantia est, perspicuum est conuenire inter se, & non esse contraria: deinde ambo sunt animalia, præterea æqualiter ingenita. Quorum autem eadem sunt nomina, & eadem descriptio, horum substantia quomodo contraria, aut pugnans esse potest? siquidem nomina res significant: dicitur enim de vnoquoque quod vnumquodque est, vt, esse potest: itaque cognoscimus vim nominum esse res: vtrumque igitur eorum, quæ Manichæus contraria putat, substantia viuens, & ingenita nominatur, manifestumque est, cum talis error principium ducat à barbaris, esse etiam apud eos sublatam communium notionum consecutionem: integra enim atque eadem est vtriusque ex æquo descriptio, quæ non modò omnem contrariorum suspicionem eiicit, sed neque differentiam vllam in iis, quæ nominant, esse permittit. E

Aiunt autem Manichæi asseclæ hoc quidem bonum, illud verò malum, qualitates videlicet ante substantiam intelligentes, nominata enim, similiter in vtroque substantia (sunt enim ambo substantia viuens, & ingenita) superuacanea est, deinceps sunt veluti qualitates contrariæ, etsi enim non decet, nominare in Deo qualitatem, esse tamen prius quodammodo est cogitatione, quam talem esse, substantia autem significatur, cum dicitur substantia viuens, & ingenita; præterquam si dicant propria accidere ambobus contraria, quod est omnium stultissimum: ingenito enim nihil accidit, cui enim non accidat esse, huic neque taliter esse acciderit: quod non est, non accidit. F *Superuacanea sunt tanquam, &c.*

Qualitates igitur contrarias licet in rebus inuenire, substantias verò nequaquam: album enim & nigrum contraria sunt, vtrumque in corpore eadem substantia, sunt autem talia partim contraria inter se, partim non contraria: primum namque subter vnum genus sunt; vtraque enim sunt color. Deinde etsi contraria esse videantur, tamen aspectum variè delectant, neutrum enim illorum immoderatione hunc offendit: imò etiam virtus, & vitium in anima: atque hæc quidem contraria non solum in eadem substantia, sed in vno genere nominantur: vtrumque enim est habitus, quæ tanquam accidentia insunt in anima, à qua abesse possunt; anima, in qua hæc sunt, alias aliter affecta, & disposita, vt liqueat, aliud esse de substantia loqui; aliud de iis, quæ substantiæ accidunt. G

Atqui fit aliquando, vt album quidem, & nigrum abesse non possint ab iis, in quibus insunt, nemo tamen ab his vnquam illa, in quibus hæc sunt, nominauit: nullus enim cum voluit significare lac, potius nomine albi abusus est, quam vsus nomine substantiæ imposito speciei, ne pro vno multa significare videatur, quibus inest albus color: quin etiam coruum non declaramus nomine nigri, sed nomine auis, & speciei: hæ igitur & huiusmodi qualitates inseparabiles sunt: virtus autem & vitium in anima ex qualitatibus, quæ accidunt, sunt, vt magis conueniat, vt minimè videatur substantia hominis ab his nominari: sed oportere hanc propriè significare: nemo igitur quid est homo, ex vitio, quod alicui inest, significauerit: sed primò speciem substantiæ dixerit, deinde quis sit, adiicit; postea qualitatem in eo dicit. *Quid est homo, id est, substantia hominis.*

Qualitates igitur contrariæ, sicut antè dixi, in iis, quæ accidunt, reperiri possunt, partim quidem separabiles, partim verò non: in Deo autem omnis qualitas eiecta est, quandoquidem nihil eorum, quæ de eo dicuntur, aliud est præter ipsum: simplex enim est, & compositionis expers: cogitatione tamen, vt superius dictum est, prius est esse, quam talem esse. H

Quamobrem rursus dicimus, si vtraque eorum, quæ Manichæus contraria esse dicit, substantia viuens, & ingenita sunt, non enim negabunt, vel ambo bona vt magis ad id quod benè pieque sonat, propter verè bonum, ipsum contrarium: quod dicit, quod minimè est, tralatur, non enim dicemus, vel contra, si ambo mala: quod enim ingenitum est, omninò bonum est, continuo igitur Deus cum ingenitus sit, nequaquam habet hoc ipsum non ingenitum esse tanquam malum, sed tanquam bonum certè. Quæ igitur sortitio ista, eandem rem, & nomen apud Deum quidem pulchram, & bonam esse, contra verò malam apud malum, vt isti aiunt, in generationem quidem inueniri queat differentia, differentia tamen, & non contrarium: in eo verò, quod est ingenitum esse, quid potest

A potest esse differens, nedum contrarium? Quamobrem omnino fieri non potest, vt ingenitum ingenito contrarium sit: si quid enim sit, nullum eorum debet nec esse, nec appellari contrarium, vt in omnibus rebus nulla sit cum contrario communitas, ac societas.

Scilicet ingenitū.

Si enim non sit omninò contrarium, quatenus ei communitas cum altero est, non est contrarium: contraria tamen sunt esse, & non esse: *fortasse vero nec hæc contraria sunt, non enim pugnant:* quod verò est, non est contrarium ei, quod est; si autem quomodo est, penitus cum est, quod est, conuenit, vnum & solum, quod verè est, omnibus erit principium vt fiut.

Sūt enim in Deo simul, qui vocat ea quæ non sunt tanquam ea, quæ sunt sicut Apostolus ait.

Aiunt prætereà etiam ipsi, oportere omnia, quæ sunt Dei contraria, appellare materiam, verbi gratia, si Deum appellemus lumen, contrarium vocemus tenebras: si bonum, illud malum. Si tamen appellaremus Deum ipsam illam veritatem, patet vocandum esse contrarium mendacium. B Quod autem verè est, vt opinati sunt, quomodo erit mendacium? quod enim est, si dicatur non esse mendacium fuerit. Quod verò verè est, quod facit, vt verum sit esse aliquid, nunquam erit mendacium. Si enim dicat esse, verum dicit: si verò non dicat esse, vt non dicat verum, neque dicet non esse, vt mentiatur; quòd si dicat non esse, notione mentitur, non est igitur ipsum mendacium, verè enim est.

Deinde si vocant isti bonum immortalitatem, malum vocabunt interitum, at cuius erit interitus ipse interitus? boni enim non poterit, sin erit sui ipsius interitus, multis sæculis à se interiuit, & frustra, ac vanè eum esse, cogitatione fingunt: quomodo autem erit interitus, aliud namque tollit interitus, non seipsum: sin verò seipsum, neque principio subsistere potuit: videbitur enim magis se ipse interimere, quam esse: interitus enim immortalis non potest secundum communes notiones cogitari; quod autem est ingenitum, necessario est ab interitu liberum, & æternum, vnde & immortale: supra mortale enim est C quod ingenitum est: si autem hoc habet materia vt nunquam facta fuerit, quod maius est, quomodo non hoc, quod minus est, non ei inest, nunquam scilicet interitum cepisse? Si autem non capit interitum tanquam æterna, neque suiipsius est interitus, & non erit substantia ipsius interitus.

Sed qui ex Schola Manichæi profecti sunt, huiusmodi disputationes cum audiunt, vnde, inquiunt, ea ordinis perturbatio, quæ in rebus cernitur? at sæpè dictum est propter ignorantiam diuinæ gubernationis, & quomodo res dispositæ sint, falsam & impiam cognitionem sibi comparasse propter inscitiam eorum, quæ scire sibi videbantur, quæ peius, quam si ignorassent, sciuerunt, & quod verius est, amisso, quod quærebant, priusquam quærerent: disputatio verò nostra cum tempus erit, quam putant perturbationem ordinis rerum, bonum ordinem esse à Deo altissimo proficiscentem conficiet & concludet: & quæ ipsi dicunt mala alia quidem in actione tantum posita, alia verò secundum substantiam, minimè mala esse docebit.

D Erat, inquit Manichæus, tempus, cum materia, sine ordine ferebatur; & generabat, & crescebat, ac multas potestates producebat, aucta igitur euehebatur nesciens substantiam boni: postquam vero magis enecta nouit terram, & lumen boni, nitebatur ascendere ad ea, quæ non erant propria, bonus vero potestatem quandam mittit, cui nomen, quod ei visum est, imponit, custodituram scilicet præscripta, re autem vera futuram ipsi materiæ illecebram & inuitamentum ad moderationem eius à voluntate alienam, quod quidem factum est, cum enim vidisset materia potestatem missam quasi adamans, concupiuit quidem eam, sed ardentiore appetitu prehensam absorbuit & quodammodo tanquam bellua ligata est, vsi autem sunt hoc exemplo, tanquam cantione potestatis missæ sopitam esse: facta igitur est, aiunt, mixtio & temperatio ad hunc modum, absorptaque potestate boni, & materia absorbente, sic ex vtraque fabricatum esse vniuersum à bono scilicet: non enim malum prouidit ortum mundi: hinc aiunt alia quidem bona esse, alia verò mala facta mistione illa & duorum coïtu per vim contrariam rerum, quæ hic sunt.

τοῖς ὅροις.

E Decernit autem omnem quidem animam esse ex parte boni: corpus verò & carnem ex parte materiæ: & iam quidem corpus animam tanquam in carcere detinere: iam verò animam detineri tanquam belluam à cantione. Sic bonus cum materiam decepisset mundi, inquit, factus est fabricator, non quidem quod ipsum fabricari desiderasset, restitit enim ei, sed propter seditionem à malo excitatam, quam corrigere, & moderari cogitauerat, non tamen fieri potuisse, vt venenum mali, quod est in rebus, quas videmus, extraheretur, sequi verò hoc, vt opinati sunt, ex perturbatione ordinis, & ex inæqualitate rerum nostrarum, atque hunc quidem diuitem esse, illum verò pauperem: hunc gloriosum, illum inhonoratum, & inglorium: & quæcunque talia sunt: studium verò boni esse liberare animam à malo, & hanc quodammodo ex F materia exhaurire; hoc autem fieri per lunam crescentem, & decrescentem, vt nos videre videmur, re vera, inquit, ipsa in modum hydriæ impleta, ex substantia infusa in bonum cognatum exinanitur, etsi enim non his verbis, hæc tamen vult dicere, quæ multo honestius à nobis dicta sunt: plurimum enim absurdi, & incredibile est in eius narratione.

παρισάμενος.

Quæcunque igitur alia aniliter, & commentitiè loquitur, & scribit, sermone Syriaco vtens, quomodo terra sustinetur, non deuitans poëticam fabulam: quomodo imbres fiunt, & sudores esse principium materiæ, hæc, & alia eiusmodi, quæ præter negotium sui certaminis tractat, superuacuum esset ad confutandum proferre; oportet quæ de singulis delirè scribit, quæ omnibus nota sunt, non pati, vt librum infinitis nugis dilatent, quippe cum satis sit confutato capite insaniæ eius, reliqua contemnere; etsi non contingeret, vt necessario hæc causa sermonem de prouidentia complecteretur, quo demonstrare oportet, omnia esse benè, ac diuinè ordinata, & G ineffabilem Dei sapientiam prædicare, ridiculum esset vel aliqua saltem confutatione, quæ proposita sunt, digna esse putare, quæ quidem extra communes notiones congesta, sponte sua apud eos, qui mentem habent, coarguuntur.

Satis autem erat, postquam non minus demonstratum est, nequaquam duo principia esse præsertim contraria, de homine iam & de reliqua fabrica disserere, nihil tamen prohibet, quin consideremus, quomodo proposita incredibilia sunt. Ferebatur inquit, aliquando materia perturbato ordine. Qua ordinis perturbatione? an secum sola? an contra aliquem? omnis enim iniustitia non est sui iniustitia, sed altero indiget, in quem fiat, cui igitur non erat communitas cum alio: in quem perturbato ordine ferebatur? aut quæ ratio ipsius perturbationis?

Generabat quidem, primum nequitia progrediens, & crescebat; igitur ingenita generabat, & non erit locus dicendi, æternam aliquid noui moliri; aut enim natura H molietur, atque ita nunquam intermisit rerum nouarum molitionem: si modo appellare oportet nouarum rerum molitionem, contra quam negotium à Deo susceptum minimè principium temporis habeat: aut si hoc cogitatione vtens facit, rationem habet, & cognitionem: & euersa est causa nequitiæ ratione carentis. Siue igitur ratiocinatione vtens, siue motu rationis experte seditionem mouit, quæ ratio patitur, in infinitis sæculis dimissa sit, huiusmodi seditionem mouere? ex quo enim dicit cohibitam, & retentam esse, punctum temporis fluxile reperietur, si cum infinitis sæculis præteritis comparetur. Quod enim incipit, & terminat, finitum est; qui autem sunt ex toto infiniti, æterni sunt, & ingeniti.

καινοτομίαν.

Prætereà, si ratiocinatione vtens ad seditionem deprauabatur, quomodo non potius aggressio rei, quæ fieri non poterat, interrupta, & rescissa est? tanquam non posset contra sapientiam inuictam incursionem facere? vnde factum est, vt cauerent, ne ei rationem & cognitionem tribuerent, vt locum haberet commentum seditionis contra Deum, & necessariò ab ignorantia, & natura

non

A non ratiocinante tracta, non expectabit infinita sæcula, dum se armat,& se exercitu sepit,fiat ad audaciam promptior; si enim copiosior fiebat iis, quos generabat, nequaquam tamen appetitum naturæ augebat: neque motus naturalis quicquam appetitus assumebat; neque accidisset ei primùm quidem augescere, atque ita seditionem mouere,hoc enim naturæ ratione vtentis est,quæ ex proposito nequiter agit.

ὁρμήν.

Quomodo autem augeri poterat nequitia(id est satanas)accessione sobolis? si enim iis,quos gignebat,ad nequitiam perficitur, imperfecta erat nequitia, & non erat in summo,& fastigio nequitiæ; sin vero erat perfecta,& summa secundum rationem propriam: rursus minimè videbitur augeri nequitia per propagationem generatorum,neque fiet audacior,& præfidentior,cum non sit particeps rationis: nec ad auxilium suum adhibebit quos genuit:alioqui videbitur antequam procrearet, imperfecta fuisse non solum nequitia ad nequitiam, sed ad vires, B & robur quod alienum est ab ingenito.

προσβολῶν. διὰ προσβολῶν.

Explanans autem modum seditionis huius factæ Qui, inquit,ex ea nati sunt,se mutuo insectati sunt,& deuorauerunt; dura, & grauia passi; neque prius destiterunt in seipsos moueri, quam lumen serò tandem viderent; his enim verbis vtitur: à se enim ipsi exagitati, cum alioqui nescirent, ita tamen ausi sunt vsque ad lumen accedere. Ecquid his incredibilius, & magis commentitium? eos, qui vnam matrem sibi ascribunt,& vendicant,& cognatione naturæ iuncti sunt, in seipsos frustra inuadere, & vicissim membra sua deuorare,& nunquam in hac re cessare?quod quidem si verum erat,præstabat ipsos à se ipsis consumi: & inaniter demens Manichæus ἀταξίαν, id est, perturbationem ordinis vocat in eo quod vtile est: huic enim nequitiæ adscribit, & assignat perturbationem ordinis ante mundum,quam sic vocat, tanquam doleat, & se misereat materiæ,quod non prius à se ipsa vtiliter, & conuenienter consumpta esset: & tanquam quidam amicus huius, mœrens, ac grauiter dolens,quod sibi nocuisset,quæ contra se vtiliter fecit,in iis perturbationem ordinis C vocat, cum deberet potius compositionem ordinis excellentissimam vocare,interire scilicet malum à seipso: ille autem ait,in perturbato ordine erant,& sibi inter se nocebant,viso lumine desiuerunt.

Igitur insidiatum est lumen vtilitati, si quidem malos à mutua cæde liberauit, & tanquam medicina medici profuit ægrotis: at non conueniebat bono, vt parceret malo,& sineret permanere incolume,& non sineret à se ipso consumi: si enim ne à se consumeretur, hoc prohibuit,ipse planè seruauit ipsum: essetque verior ἀταξία,id est, aberratio à bono ordine hoc, quod ait,sublatam esse perturbationem ordinis: sic igitur est in libro, qui apud ipsos fertur, seditione inter ipsos orta, prodierunt vsque ad confinium, & viderunt lumen spectaculum quoddam pulcherrimum, & maximè decorum: tunc commotione sua in insaniam acti consultauerunt de lumine, quid faciendum esset,vt se cum eo,quod præstantius erat,miscerent: hoc autem cogitare non poterant, sed præ cupiditate melioris arbitrati futuram esse propriam prædam, D cum multi essent, exercitum instruunt.

Manichæus, quæ sunt omnium pulcherrima, & bellissima, filiis nequitiæ testimonio suo nesciens tribuit. Etenim si quòd est pulcherrimum, & maximè omnium decorum, amanter viderunt, & cupiditate incensi propriam prædam esse existimauerunt, liquet rectè sensisse: quare consilium capiunt, qui non sunt rationis participes, quomodo se ipsi cum lumine misceant: & relinquitur, vt inuidia esset, non permittere istis frui bono: non enim erat sermo Manichæi constans. Si enim contra se insaniebant, oportebat quidem dimittere eos, vt à se ipsis interirent. Si desiderio luminis tanquam elegantes tenebantur, honestum etiam erat eis, concedere,vt fruerentur: decorum enim,& laudabile omninò est secundum naturam, desiderium boni, quo frui non potuerunt, sicut ait qui dogmata Manichæi scripsit, cum alioqui desiderarent, potuerunt tamen se conficere, & destruere,tale enim penitus est bonum,vt neque consumi possint,neque possint insidias ei ponere, qui eius participes sunt. Quomodo omnes simul in militiam profecti sunt, qui non cognouerant, quis resisteret, & aduersaretur? sic enim est in libro, vnde ista Manichæi apposuimus,quod neque Deum in lumine habitare sciebant: neque se vnquam impunè laturos,si in Dei domicilium inuadere auderent. E

Si igitur non cognouerunt contrarium, quod obstabat eis, alienum est prorsus à ratione educere exercitum contra eos, à quibus se repelli nesciebant: par enim erat armati eos, vt aiunt ipsi, igne, & tenebris, si præuidissent se ab alienis arceri; sed quia omninò ignorabant, non solum est credibile, sed planè sibi repugnans, armaturam, & exercitum describere, cum nullus penitus expectaretur, ad resistendum adfuturus. Non minus contrarium est dicere, tum cupiditatem luminis illos habuisse, tum apparatu bellico vsos esse confiteri: armis enim bellicis omnis hostis contra aduersarium se tegit, & munit, non contra id, quod cupit esse præmium certaminis; si ergo non erat aduersarius, quatenus ipsi ignorabant, quomodo non sunt contraria cupere, & belligerare? quomodo autem illud etiam non est magnopere repugnans, eos, qui in iis, quæ secundum naturam sunt, nunquam concordes fuerunt, inter se ad bellandum conspirasse? simul, inquit, contra lumen consilium ceperunt. Qui enim membris suis inter se vicissim pascebantur,& semper nulla vnquam intermissione facta contra se insaniebant, quomodo in iis, quæ præter naturam sunt, ad habendam cupiditatem, & ad commotionem iræ contra Deum concordes fuerunt? F

Si verò iuuit spectasse lumen, nonnè oportebat duci eos à Deo ad perfectam naturæ mutationem adhibita illis curatione, ad fruendum ipso bono, hoc est, Deo perfectè? Quomodo iuuit spectaculum luminis visi profectos ad bellandum cum exercitu? quibus hoc ipsum lumen non permisit contra se ipsos furorem amplius exercere vt quidem exercere oportebat, contra se vero ipsum præter quam oportebat, permisit? Verum in his quidem commentis multum deliramenti est, quæ aliter etiam conuincimus, non posse condonari; nominant enim terram boni (id est Dei) qualem verò terram ante mundi creationem? apud eos scilicet ortum rerum anticipant nomina; prius enim quàm fateantur creasse Deum mundum, ait absurdissimus Manichæus, esse quod nondum factum erat; terra namque si quidem fuerat, erat: Sin verò non erat facta, erat simul cum Deo ingenita. Quid verò opus erat Deo terra, qua non fuit vsus? Sed hic insipienter terram Dei vocat, antequam dicat factum esse, nec enim ante creationem poterat testimonium dici de terra facta. G

Deinde à Deo quidem creatum est lumen in aspectum cadens,ipse autem Deus lumen est intelligibile, non sensibile, vidit igitur, inquit, nequitia lumen summi boni: si lumen, quod in sensum cadit, nondum erat mundus, nec ortus mundi. Quomodo igitur vidit, quod nondum factum erat? cui enim fuisset vsui, nondum homine, qui vteretur, creato? vtilia enim vtenti cognata sunt, non enim Deo, qui ab omni participatione sensili liber est, vtile erat. Si autem ipsum Deum: quod est lumen intelligibile, omninò vidit similitudine naturæ simile, necesse igitur erat, vt ipsa lumen sensibile vidisset; sensibile autem quorsum fuisset, & in quem vsum ante sensibilia creata? alioqui quomodo tenebræ vident lumen? si enim viderunt lumen, diabolus non erat tenebræ, magnam enim societatem, & coniunctionem habet sensus cum sensibili: naturalis coniectus oculorum propter similitudinem aspectus cum re, quæ videtur, statim exprimit figuram eius propter legitimam naturæ communionem; corpus enim corpus videt; simile in simile intendit aciem; neque possunt oculi naturæ inferioris quod natura præstantius & excellentius est, videre, nedum quod naturæ contrariæ est. Si autem, quod est naturæ excellentioris, quippe cum non sit contrarium, præterquam incorporeum, ab inferiore H

A vtpote corporeo omninò non potest videri, ἄλλως γε τὸ ἐναντίον τῷ ἐναντίῳ, εἴγε ἐστιν, ἀθέατον. Sanè contrarium à contrario, si modo est, videri non potest: sunt igitur, ista quæ scilicet se vident, cognata & amica, & nequaquam contraria.

Sed plenum est commentum barbara pernicie, ait enim; non solum vidit materia, sed decreuit ascendere, tanquam studium quoddam adhibens ad demonstrandum habere se communionem, & societatem cum lumine: fortasse eos, qui ex ipsa nati sunt, pœnituit, quod infinitis sæculis superioribus non fuissent experti lumen, & quomodo tenebræ adsciscunt, & vindicant sibi lumen? aut quorsum, & in quem vsum volunt tenebræ inuadere lumen? an vt naturam mutent, & efficiantur lumen? an vt nutriantur lumine, alimento naturæ contrario? at ignorans voluit ascendere; etenim si cognouisset, ratio constaret, cur mutari voluisset; nunc autem cum natura sit nequitia & ignorans, integra euersio totius rei, & cau-
B sæ est. Non fuge à contrario.

Quod autem magis à ratione auersum est, ait missam fuisse à bono potestatem, non iam lumen sensibile, sed velut diceret, sobolem Dei, hanc cum vidisset materia, concupiuit quidem tanquam amans eam: impetum verò in eam fecit, & absorbuit, & suis potestatibus distribuit: qua via fieri non poterat, vt videret missum ex natura boni, hoc inquit, effectum est, vt absorbere posset missum: vtar enim adhuc amplius eodem verbo, quoniam si vel solum vidit, quod ex substantia Dei propagatum erat, non est nobis opus alio quopiam verbo ad euertendum commentum, vidit enim omnino tanquam similis simile. Quod enim est penitus secundum naturam contrarium, & summè contrarium, nunquam videre poterit contrarium, nec propinquabit ei, quia si vel solum videat, ratio contrarij prorsus tollitur.

Hoc autem addit cæteris, quæ dixit, absurdius, & secum vehementer pugnans, ne opus sit, vt alius contra eum dicat: amauit enim, inquit, potestatem illam visam
C tanquam oblita penitùs naturæ propriæ, non illa quidem oblita est, quæ non erat, sed hi sunt suorum commentorum immemores: aiunt enim, priusquam hæc seditionem moueret, non habuisse cognitionem boni: ne cognitione boni naturam ab ipso accusatam ornent. Nonne amentia est, putare eam, quæ in se non habet, vnde cognoscat esse bonum, potuisse videre, & postquam vidit, desiderasse? longe enim maius est substantiam aspectu videre, quam cognoscere esse: primum non solum nos, sed potestates Angelicæ excellentiores, esse quidem bonum cognoscimus ac cognitione sola ad pietatem in Deum alimur, tanto verò excellentius Angeli, quanto natura sunt excellentiores; videre autem substantiam Dei neque nobis, nec illis licet; siquidem nos quamdiu corpus secundum naturam induti sumus, nec Angelos ipsos videre possumus.

Manifestum enim est, & planè concessum, qui videt, simile sibi videre; si quis verò existimet futile esse quod dicimus, videmus enim solem, lunam, & stellas, præ-
D terea apud nos lapides, aurum, argentum, denique mare ipsum, & omnia animalia, ac nullo pacto his similes sumus: aduertat iste, quod etsi eorum quæ enumerauimus, diuersæ species sint, at horum omnium genus supremum corpus est: substantia namque partim inaspectabilis est, vt incorporea: partim aspectabilis, vt corpus; prima igitur partitio omnia hæc tanquam genus separat, & distinguit. Quare corpus, corpus videt: & quatenus corpus, simile & cognatum est videns viso, quamuis sint diuersæ horum species propter varietatem, & ornatum vniuersi.

Ridiculum enim esset, si quia flos pulcherrimum aspectum habet, & ab auro differt, & quod est floridum differt à viridi, non vterque vocaretur, quod in re est, color; color enim est vterque, tametsi diuersus; idem enim aspectus cum vtroque coniunctionem & societatem habet; sic omnia corpora sunt aspectabilia, licet differentes sint species; esse autem corpora alia aliis præstantiora, nihil prohibet, quin omnia corpora sint spectabilia: ex quo fit, vt non sit quod sub aspectum cadit maximè, & E
præcipuè adorandum ab eo, qui illud cernit tanquam ab ipso comprehensum.

Si igitur materia vidit, quod ex substantia Dei erat, cognatione magna, & similitudine ducta, ad spectaculum venit: nec amplius opus erat dicere contra hanc fabulam, quæ consistere non potest; si verò etiam desiderauit, quod vidit, de re omnium optima testimonium illi perhibuit homo stultus, vt videatur nomen quidem nequitiæ imposuisse ei, substantiam verò bonam esse eidem attestatus. Quid enim maius esse poterat ad probandum bonitatem, quam desiderasse bonum? Quod autem dicit apprehendisse, & absorbuisse, vt substantia Dei contraria tanquam semine fieret grauida, & distribuisse suis potestatibus, ô furorem amentis! non solum vidit, sed desiderauit; & non tantum desiderauit, sed absorbuit, & non solum absorbuit, sed etiam retinuit. Hæc omnia perspicuè non contrariam naturam definiunt, sed potius summam, & altissimam cognationem vtriusque F
concedunt.

Sic enim succensens, quod quidem ratiocinationis indicium est, sine desiderans absorbuit quod vidit, hæc planè ad communitatem naturæ pertineant. Si enim summè contraria fuissent, nequaquam vtraque coissent; vt alia omittam; neque hoc barbarus aduertit, quod potestas à Deo missa, siquidem incorporea erat, nullam partitionem recepisset, vt nullo modo posset diuidi secundum substantiam in contrarias potestates, ac multo minus absorberi: quod enim expers corporis est, quonam modo absorbeatur? si verò corporea erat, omne corpus sectum, & in frustra partitum quodammodo perit, & non potest vitam suam viuere: igitur vel incorporea erat potestas à bono missa, & nullo modo absorpta est, nec in multos diuisa est, atque ita ex toto fabula sublata est: vel corporea quædam potestas erat, & à nequitia deleta est, & interitum cepit, quod est ad contumeliam Dei sceleratius, quin potius ad euersionem fabulæ valentius: corpus enim per se diuisum, & dissipatum, ac dispersum, (mens enim non diuiditur) quas vires habet ad subigendam nequitiam, G
quod tantum detrimentum, & contumeliam in naturam propriam accepit, vt videatur deletum esse, & interisse? hoc enim corporis diuisi proprium est.

Quod autem amentius est, si cum voluisset Deus terram eripere nequitiæ, ex natura propria emisit illud nudum ad contumeliam, & interitum ipsius substantiæ, tot sæculis sessurum, & habitaturum simul cum nequitia, & particeps eius futurum, ac cum ea pariter peccaturum: quod quidem vel vnam horam, aut punctum temporis substantiam Dei passam esse, vt nequitiæ subiecta esset, & pariter cum ea deliquisset, omnem amentiam superat. Quanto melius erat traditam esse terram, quam substantiam Dei comprehensam esse? si enim non fuisset ferenda incursio in terram, vt materia ordinem perturbaret; quanto minus ferenda erat tanta seruitus, & naturæ diuinæ subiectio, idque non ad breuissimum tempus, sed ad vniuersum, & immensum sæculum? vt neque nequitia peccare desisteret, & Deus cum ea per potestatem ex se H
genitam peccaret.

Vnde consequens est, neque Deum voluisse mittere nequitiæ ex substantia sua genitum ad peccandum cum ea, nec illud missum inductum fuisse, & obtemperasse, vt ad tantum malum, & lucem proficisceretur, vt impleretur scilicet omni iniquitate, & iniustitia, simul & impietate, idque pro terrena liberatione terræ non iam tunc captæ, sed capiendæ, tanquam non potuisset Deus aliter huic terræ præesse. Vide quam planè infirmum mentiatur Deum Manichæus in Deum furens, tanquam defensor possessionum alicuius pupilli, & cuius infirmitatem necessarium est confiteri, vt partes patroni impleat: vt enim contra defendens nequitiam nequaquam per se consistentem omnia quidem fecisse contra Deum, narrat, seditionem, impetum in res eius, postremo, quod est omnium flagitiosissimum, obtinuisse omni sæculo substantiam eius, eamque in infinitas partes diuisisse, præfocare, & in se ipsa reprimere, habereque eam sociam in omni

Nequitiā vocat semper Satanā. προβε-βλημένον

προσ-βιῶν.

A omni praua actione, & intemperantia, Deum autem non potuisse locum suum vllo alio modo neque valenter eripere, neque saltem vacare à peccato, quod naturam eius decebat.

Quæ enim id quod ex ipso secundum substantiam genitum est, pariter cum materia peccat, plane in eum, qui genuit, redundant. Sic demum omnem potentiam in Deum testimonio suo tribuit nequitiæ, Deum verò dicit passum esse omnium durissima; & audet subiungere, quod potestas Dei missa sopiuit materiam tanquam belluam cantione, non solum summè contraria sermone omni probabilitate carente miscens, & quæ de nullo pacto esse possunt secundum naturam, commento suo largiens, sed contra quam vult hic etiam conficiens & concludens; ex vtrisque enim ait hunc Deum vniuersum hoc fabricatum esse. Corpus verò hominis esse quidem nequitiæ: animam verò Dei, siue cum sunt vnius formæ, siue cum iam ex contrariis composita, quorum neutrum, vt paulo pòst docebimus, consistere potest: corpus tamen solum, ac per se nihil mali neque cogitat, neque facit, non enim occidit, neque adulteratur, neque latrocinatur, nec aliam iniuriam facit, cum non adest anima.

Atqui ob hanc causam excogitauit Manichæus hypostasim principij contrarij, & mistionem contrariorum, vt causa malorum reperiretur. Sed si admistio animæ, quæ Dei est, cum corpore, quod diaboli, causas & primordia iniuriatum, ac peccatorum hominibus præbuit; per se autem non delinquit corpus, melius erat, vt anima à Deo creata non admisceretur nequitiæ non extanti: nullum enim ex peccatis quæ homines committunt, in vita cerneretur, neque penitus esset. Quod enim esset homicidium nemine occiso? Si per mistionem contrariorum, vt est in hac fabula ridicula, non fuisset factus mundus, quod adulterium esset non extante corpore, neque per se concupiscente, nisi anima, quæ Dei est, missa esset in corpus? alterum enim ex duobus relinquitur, aut dicendum esset gubernatione Dei, prouida coïsse contraria, vt tanquam à bono Deo fieret mundus, atque ita ipse omninò malorum in hominibus auctor esset, siquidem volens visus est nequitia contra eos, qui futuri essent: aut vi coactum esse à nequitia, & iam nequitiam victoriam deuicto Deo reportasse.

Sed dicam iterum, quale homicidium erat, si neque homo erat, neque gladius, nec aliud genus teli aut instrumenti ad occidendum, nisi per coniunctionem contrariorum ædificatus esset mundus? materia enim per se, ac sola quamquam nati ex ipsa seditionem in seipsos mouebant, homicidium quidem ignorabat: non enim habebat mortalem, quem occideret; adulterium nesciebat, quia sponsiones nuptiarum ad eum non versabantur: nec erat calumnia, omnino enim iudicare non poterat, cum esset rationis expers: cupiditas autem diuitiarum, quæ est omnium malorum radix, ne nominabatur quidem: cupiditas enim diuitiarum apud homines est propter vsum, & necessitatem, qua erat liberata materia: ambitio non participabat perturbationem rationis, quia erat in materia vacuitas rationis: gulæ, ac ventris vitium, & fornicatio, ac masculorum concubitus apud eam locum non habebant; & vt summatim dicam, omnia mala, quæ apud homines feruntur, ante mundum ædificatum minimè habebat materia.

Itaque non fuit ligata commistione, sed potius contra conuenienter eidem causæ amenti, sicut equus campum nactus, cursu fertur ad iniustitiam malorum hominum, quæ enim erant ante mundi fabricationem mala, ex quo mundus est, in mundo versantur: quãuis enim ponamus, vt ille dicit, natos ex materia fecisse seditionem, & furore in seipsos fuisse percitos, & infinitis malis se vicissim affecisse, & contra lumen exercitum eduxisse, non tamen bibens ea mala, quæ in homine numerauimus, cũ illis fuisse cogitatione fingeretur, quia nó poterãt humana mala agi priusquàm homo esset: & vbi esse potest, qui dicat, quod ligata nequitia frænata est, quæ neque malorum humanorum meminerat? postquàm verò ligata est, de his accusatur.

Margin notes (left): ἀνέκτου. — B — C — διχοτομία. — Materiam vocat diabolum. — D

E Quid autem nocebat bono sola secum ordinem perturbans, & non habens, cui perturbationem ordinis inferret? euertere enim bonum nullo pacto poterat; si autem nitebatur inuadere in loca aliena; aliter impetum eius amentem reprimere oportebat: quæ enim prius non nocebat, ordinem contra se perturbans, nunc quidem videtur aliud quid assumpsisse, in quod tanquam in familiare, & coniunctum, perturbationem ordinis nocentiorem efficiet; continuò dicemus, quod etiam homines per seipsos malefici, volent quidem aliquid mali facere: non habentes autem in quem faciant, otiosi reperiantur; se verò ipsi beneuolè aspiciant ob concordiam ad maleficium, materia autem neque volebat, non enim consilium capiebat, cum esset expers rationis: neque poterat, cum esset sola & per se: igitur quæ à Manichæo vocatur materia, videtur sumpsisse fere à bono pet animam veriorem materiam ad operationem nequitiæ, quam nesciebat; accusabatur enim ante mundi fabricam F de perturbatione ordinis nobis ignota, & minimè apparente: didicit autem operari manifesta mala, & quæ cernuntur: excitauit ergo belluam cantio, & nequaquam sopiuit, vt ille dicit.

Si autem dicit noluisse Deum, vt fieret mundus, percunctandum est, qui erat, qui voluit? an malitia, quæ non habebat cognitionem? Quis est, qui ex vtrisque fecit, quæ sunt? nunquid materia? non esset in admiratione eius operatio. Sed nunquid non voluit Deus, coactus tamen est? si ita esset, magis subiectus fuisset, quam subiecisset; atque superuacaneum esset illum admirari sapientiam Dei vi coactam, & damnum eorum, qui futuri erant ante coniunctionem contrariorum, neque saltem nominabantur, hæc post ortum mundi floruerunt.

An non est absurdum dicere, voluisse Deum perturbationem ordinis, quæ nobis demonstrari non potest, à materia tollere, & actionis malorum, quæ videmus, & in hominibus apparent, omni ordine, & ratione carentis auctorem fuisse? perturbationem namque ordinis, de qua materiam damnabat, verbo solùm proferre potuit, non tamen rebus ipsis, & operibus demonstrare: G mala autem, ex mistione ista, contrariorum conficta, & quæ fieri non potuit, oculis cernens insanus homo dissimulare ea non potest. Quare dum docere vult non esse Deum auctorem iniustitiæ humanæ, maximè esse planè confitetur: imò plenius quàm si hoc solum studeret.

Age iam, consideremus mala, quæ ab hominibus fiunt, ad quem verè pertinent. Aggredietur fortasse introducere missionem animæ cum contrariis, quam suspicatus est. Siue ipsa anima sit μονοειδής, id est, simplicis, & vnius formæ ex bono apud ipsum, siue ex compositione contrariorum ex parte eius, quod est bono contrarium, facilè secundum hoc impium fundamentum, & principium demonstrabuntur mala quæ fiunt: est igitur anima expers corporis, quæ nullo pacto compositionem secundum substantiam, præsertim contrariorum recipit. Qui enim visi sunt eam componere, non substantiam variam, & à se differentem introduxerunt, sed operationes eius H ex iis, quæ videntur, descripserunt, cum non possent exstruere vnam simplicem definitionem qua comprehenderetur.

Etsi enim variis qualitatibus, quas alias aliter recipit, à se differt, tamen secundum substantiam, quæ opus Dei est, immurabilis est, & non componitur ex diuersis; à contrariis tamen mistionibus tantum abest, quantum abest, vt ipsa per se corpus esse videatur: ponamus igitur, vt ille mentitur, si quidem hoc dicere aggrediatur, esse scilicet animam hominis compositam ex bono, & malo, nonne quod in ea est particeps rationis, opinione istius attribuendum est bono, id est, Deo? quod verò ratione caret, nequitiæ? liquet, nihil aliud posse dicere: excitata ergò cupiditate siue ex corpore, siue ex ea parte animæ, quæ ad nequitiam pertinet, an fortuitò actio prodit? nonne antegreditur in homine consideratio, & consilium, deinde iudicium, & electio actionis, atque ita desiderium ad effectum perducitur? crimen verò nequitiæ

Margin notes (right): Quia ab aliquo quod sine cognitione & ratione fit, non est admirabile in eo: à quo fit. — ὑποστάσεων.

A nequitiæ ex actione, non ex desiderio conflatur, vt si maneat in loco cogitatio desiderij nō progrediens ad opus per electionem partis ratiocinantis, primum quidem citò potest desinere incensum simul & extinctum. Deinde nequaquam existimabitur crimen non solum commune, sed neque si iudicetur secundum summum virtutis.

Apparent igitur peccata conuenienter rationi, parti animæ rationis participi assignata esse, & adscripta, & non corpori, nec vlli alij parti huius animæ, vt nequitia quidem ratiocinationis expers liberata sit à culpa, atque accusatione eorum malorum, quæ apud nos sunt, quippe cum nec ipsa extet: videanturque hæc secundum sermonem illius, ex parte Dei depromi: licet nulla alia ratione vera vteremur. Si enim anima non discernens qualitatem cupiditatis, ad actionem sine vlla ratiocinatione procederet, affirmare quis posset quæ inconsideratè, ac præter rationem fiunt, ex parte rationis experte depromi. Sin autem sæpenumerò ratio ipsa iam eligit B cupiditatem, tanquam praua institutione flexa libens: iam rursus repudiat, cum aliquis metus eam refrænat, aut desiderium virtutis ad se attrahentis: liquet solum rationem esse, quæ rectè, & prauè facta sibi vindicat, & asciscit.

αἰτίας.

Hic versatur & vertitur ad occurrendum contrà excussio eorum, quæ malè à Manichæo probata sunt, non enim, vt apparet, vllum materiæ peccatum est in nostris actionibus, sed animæ, vel partis huius, quæ est rationis particeps, quæ Manichæo auctore, ad partem Dei pertinet.

Ad hæc, si accideret, vt in iis, qui pudicitiam colunt, esset insitum, non excitari cupiditatem, posset quis in impudicis liberare ratione à criminibus, quasi cupiditas rationem ex toto ab actionibus auerteret, quam cupiditatem ille dicit esse ex parte mali, sed si quis maximè apud eos qui pudicitiam amplectuntur, hac via, & ratione C eam colere reperiat, quod illi cupiditates naturæ ratione frænant, & cohibent, perspicuè concluditur, rationem esse, quæ delinquit, & virtutem colit, quæ vtrumque & virtutem, & vitium nouit. Quare autem insita nobis sit peccatorum cupiditas, dicemus, cum erit opportunum, docentes, pertinere hoc maximè ad admirationem creatoris.

Quod autem nunc quæritur, si non satis confectum est, nullo modo peccata nostra esse opus alicuius materiæ, aut nequitiæ, sed contra solius rationis, licet etiam aliter confirmare quod dictum est, an aliud quid dicere possunt esse homicidium quàm malum, & scortationem, atque adulterium, & furtum & mendacium? si non aliud possunt; perspicuum est, quòd mala erunt. Quid si iudex occidit eum, qui iniuriam fecit, cædes igitur lege sancitur? atqui idem efficit, qui violentè occidit, & qui lege, sed propositum distinguit factum, quin potius eadem est actio eius, qui cum aliena se miscet: sed propositum separat, quæ similiter facta sunt.

D Prætereà, furari à Manichæo quæ sunt apud eum, vel instrumenta, vel cibos, an non videtur idem opus esse, atque furtum criminosum facere? non tamen ratione idem est, sed penitus differens. Deinde, si furens homo gladium repetat, quem deposuit, sanæ mentis cum esset, vt necesse sit ei, cui commissum est depositum, mentiri non se accepisse, quid verbis differt mendacium à vera perfidia, nisi proposito asseuerantium discernantur?

Ex his igitur patet actionem, vt plurimum non per se explorari, sed mentem vel cogitationem eius, qui suscepit, eadem ratio in contrariis reperiri potest, si quis enim pecuniam, vel alimentum impertiat egenti, non vt illi benignè faciat, sed vt laudem eorum, qui vident, aucupetur, nonne perspicuum est, factum quidem esse pulcherrimum, & benignum propositum tamen valde humile, & criminosum? si quis prolixè precetur, & frequenter ieiunet, religionem, & tolerantiam hominibus ostentans, liquet non esse propter opus laudandum: sed propter mentem, quam in iis, quæ fecit, habuit, vituperandum. Quin etiam si quis alius temperans sit, & à

διαβεβλημένον.

E multis cupiditatibus abstineat; non desiderio virtutis, sed vt pecuniæ parcat, an non satis manifestum est, hunc, qui sic est, affectione affectiones alias vincere, ipsam verò tolerantiam specie extrinsecus apparente pro nequitia animo, & proposito suscipere?

Si igitur sæpe quæ praua existimantur, ex animo facientis honesta esse apparent: vel quæ non praua existimantur, sed contra potius honesta, & bona putantur, voluntate, & proposito suscipientis conuincuntur nequitiæ, quis iam potest contradicere ex magna parte actiones non apud veritatem explorari: mentem verò esse, quæ in iis quæ aguntur, excutitur?

Quæ igitur opera abscribemus nequitiæ? illáne, quæ videntur mala, quæ quidem sunt bona, quando ratione virtutis fiunt? Quæ verò adsciscemus bono? an quæ apparent bona esse quæ quidem ratione fiunt? igitur neutra neutri solummodo: Solum rationem, & quod in mente actionem suscipientis præcipuum est, diiudicabimus: vtrum rectè suscepit, an secus, quod autem maximè principale mentis hominis est pertinere ad meliorem partem animæ, vt ille tradit, licet infinitè insaniant Manichæi non possint negare. F

ἀρετῆς διανοία. ὑπότομος.

Iniquum igitur iudicium pronuntiauit Manichæus contra materiam, à se factam, assignans illi, quæ nullo pacto ei conueniebant, si eorum, quæ apud homines fiunt, causa erat, imò contra potius ad partem boni conuenienter rationi pertinere existimarentur, si duo quædam principia contraria sunt, vt ille insanè tradit. Dicit præterea studuisse Deum, vt potestatem absorptam, quam vocat animam omnium, rursus ad se reciperet, ne quod erat ex ipso, materiæ illigatum, & in supplicio semper sine vllo fine permaneret. Quid igitur principio hoc protrahebat, tot sæculis neque respirare posset, & magis pateretur, quam ageret? si enim in fabula esset, Deum quidem nullam contumeliam in substantiam suam accepisse, neque vel paululum inhæsisse materiæ valde indecoræ, sed alium quendam alienissimum à natura eius, & hunc continuò ereptum esse, ita vt huiusmodi prehensio magis apparendo in speciem, quam succumbendo facta esse videretur, habuisset commentum paulum saltem ad suadendum in mendacio: nunc verò immensum sæculum ponunt, & hoc esse ex natura Dei, manere vinculis constrictum, vt ipse Deus comprehensus esse videatur propter similitudinem eius, qui detentus est, & quia hoc, quod captum tenebatur, ex natura eius erat: vnde maiore studio ad seipsum, vt aiunt, recolligere desiderabat: materia autem simplex erat ἀπαθὴς, vtpotè magis agens quàm patiens. G

Ex his perspicitur, omnia, quæ ille planus composuit, ad blasphemiam Dei composuisse, qui nihil horum contra se fecit: itaque vult, inquit, & studet, vt ad se recipiat illam virtutem: & hæc est apud ipsos salus expectata, & beatitudo, esse scilicet redditum Deo, quod erat eius proprium: ipse igitur expectat sibi finem, sperans accipere beneficium: siquidem recuperaturus est, quod ex natura eius est, libertatem: vt quæ destruxit, ædificet, & nihil aliud: & spe nutritus sedeat tolerans, & in finem intuens, vt ipsum quodammodo à nequitia liberet: quod quidem si retardetur, & non citò fiat, ipse sit, qui tarditate punitur. H

Supra verti sæpe potestatem. sic vocabat Manichæus animam.

Liquet enim non esse penes ipsum celeritatem finis: olim enim in hac re spem habuit: quonim aliud ridiculum dicit Manichæus, quod cum ij, qui erant ipsius materiæ, sentirent se malè perituros; lumine paulatim ablato, ex aduerso machinati sunt carnis constructionem, ad vinciendas magno vinculo animas. Quare vt ille tradit, perspicuum est, quamdiu illi carnem suppeditabunt, tamdiu animæ Dei inhærescent materiæ & vinctæ tenebuntur, eritque penes illos non circumscribi mundum tempore, & non erit in potestate boni finis eius.

Quid aliud dicere potest qui aduertit, quam quod non constat sibi Manichæus, quin potius huc, & illuc se transferens à seipso redarguitur, qui enim ait, Deum esse fabricatum mundum, quomodo rursus ait eos,

qui

qui sunt materiæ filij, opposuisse ei carnem, tanquam partita esset Deo cum illis fabricatio mundi, & hac quidem ratione facta Deo violentia, concedens verò illis hoc tanquam munus, non compleret vniuersum secundum propriam voluntatem.

Tanquam autem causæ suæ & principij oblitus planus, dicit futuram esse pestiferam materiæ ademptionem, & ereptionem virtutis illi admistæ, qua posuerat frænatam esse perturbationem ordinis in illa principe materia: si enim cum adest, nequitiam ligat: rursus recedens relaxat, erit magna causa lætitiæ ipsi materiæ hæc ereptio: si igitur ad extremum spes ipsi est, reditutum esse ad Deum, quod ab ipso disiunctum fuit, quod à principio decreuit, & adegit illud subire infinitis sæculis laborem inanem: & malas sordes, non in eo spem maximam, & beatitudinem ponere, si rursus recuperaretur? materia enim nullo pacto apparet refrænata, ac repressa: imò contra potius maiorem licentiam ad excogiranda praua opera adepta.

B At oportebat, inquit, hanc ligare, cum igitur paulatim abstracta erit virtus detenta, quid fiet? liquet, rursus reuersuram esse materiam ad perturbationem, negat Manichæus: nequaquam inquit, ad extremum enim vincet eam, facietque vt redacta in glebam à se ipsa comburatur, cur igitur non fecit hoc à principio? Vtrum non voluit, an non potuit? si noluit, quomodo rursus volet, pœnitentiâ ductus, iudicans, & eligens quod melius est? nonne pertinebat ad bonum aliter à principio funditus delere nequitiam, siquidem poterat? sin vero non poterat, periculum infirmitatis in auctorem mundi emergit. Quomodo ergo postea poterit; an viribus, quas non habebat, assumptis vel augescens, vel accessionem, & incrementum adhibens; si enim ambo contraria ingenita sunt, neutrum accretionem, aut imminutionem recipit.

Totum igitur commentum barbari consistere nequit, quid verò? an dicit Manichæus sensu se percepisse maiorem, vel minorem partem virtutis admistæ materiæ ereptam, & ademptam? siquidem, ex quo luna crescit, & decrescit, Deus, inquit, paulatim recuperat quod lunæ proprium est, & tamen tot sæculis lapsis, neque genus humanum numero viuentium imminutum est, nec vllum aliud genus quadrupedum diminutionem vllam cepit: quin potiùs quæ facta sunt solito more fiunt, & desinunt esse, & adhuc magis humanitas in multitudinem creuit: vnde igitur insanus ille opinatur paulatim auferri virtutem, quam fingit admistam esse nequitiæ? siquidem eadem similiter se habent in mundo, eadem enim est mensura diei, eadem noctis, neque lumen magis tenue factum est, neque tenebræ maiores, idem namque est curriculum solis, & Lunæ, id est, idem ordo, qui à principio factus est, perseuerat.

Percunctandum etiam illud, an animæ quæ peccauerunt, & infinitorum malorum in vita reæ fuerunt, dabunt pœnas eorum, quæ commiserunt? siquidem dabunt, quod quidem & ipse confitetur, cum ait, in gleba has infigendas esse cum nequitia, reperietur Deus naturam suam punire, quo, quid absurdius & flagitiosius fieri potest? si vero impunitæ, & inultæ erunt, non solum neque dolorem, neque damnum afferet peccatum, sed etiam plus iustitiæ habere videbitur, quandoquidem in hoc sæculo voluptatem afferat suscipienti, & in futuro non sit supplici causa.

Præter hæc omnia illud est in isto stupendum, vbi ait: quod nequitia hic occupata, id est, ligata est, Deus interim profundum implet aggere, vnde materia emersit, nihil ipso in grauissimo mentis alienatione intelligente ἐς τὸ ἐκβαλλόμενον, vt quod iniiciebatur, si erat ex terra boni, quomodo in loco contrario recipitur? Si autem ex partibus nequitiæ, quod ex parte nequitiæ est, ei conuenit, non includet inde exortam materiam. Sedet autem Deus, auctore Manichæo, transferens semper aggeres, & paulatim quædam profunda aggeribus replens. O amentem furorem! ad quem pluribus vel saltem respondere, res est ridicula.

E Si verò vultis scire dæmones ipsos non esse malos à radice, neque habere radicem vitij & turpitudinis, sed voluntate huc processisse, cum non essent natura mali, neque natura adscripti ignorantiæ: non nox & tenebræ secundum substantiam, sed habitu & studiis, & tractatione huiusmodi studiorum facti tales, inquiramus disputando. Cæca igitur natura neque minimum quidem aspectum habebit, & ipsa ignorantia neque stillam cognitionis sibi vendicabit, neque nox ipsa & tenebræ sic natura ortæ vel in parnum splendorem mutabuntur: apparet autem cognouisse dæmones saluatorem, ac Dominum confessos esse, scimus, inquiunt, quis sis, filius Dei viui, cognoscere autem non potest ignorantia, neque videre cæcitas, sciunt, & verum dicunt scientes: & non per calumniam dicunt: dicunt enim tametsi non legitima & syncera affectione veritatem, non iam de cæca natura aut ignorantia accusantur, alioqui ne minimum quidem vidissent; nec ei supplices fuissent: neque cessissent dicto: neque secernere potuissent eum, qui apparuit, sed potius existimassent ex suis esse, nihilque inter seipsos & illum interesse. F

En animalia non vtentia ratione sapientes ab insipientibus non internoscunt. Si autem cognouerunt dæmones, & propter iudicium soluti sunt lege non internoscendi aliud ab alio, & diiudicando agnouerunt talia, conuincitur non naturam in hac re, sed voluntatem moderari, quamuis enim ægrotet voluntas, quamuis erret, non tamen desinit esse rationis particeps; quin potius non est hoc interemptum. Sic dæmones agnouerunt eum, rogauerunt, supplices ei fuerunt, ne iuberet eos abire in abyssum. Si erant filij abyssi, si cognationem cum abysso habebant, cur cognata refugiunt? cur radicem suam recusant? potius enim iam amplexi essent, arbitrantes requiem suam esse in cognatione positam: siquidem in cognatis fit recreatio: in peregrinis verò & alienis afflictationes, magis erat illis recusandus IESVS: magis recusandus hic locus, vbi boni & æqui sunt: amplectendus verò discessus in abyssum. Contra verò dum recusant & cauent, & illuc abire detrectant, imò ob hanc causam supplices orant, satis indicij dederunt, nullam se necessitudinem & cognationem cum loco tormentorum habere; nihil enim seipsum affligat & malo afficit. omne autem quod affligatur, & malo afficitur, ab alio affligatur; necesse enim est, quod affligat, non sit sui afflictatio ac cruciatus, sed alterius, quod aptum natum est, vt affligetur, & malo afficiatur.

Huic legi seruiunt, & parent animalia rationis expertia.

Ecce ignis non comburit se, sed aliud, neque se consumit. Ecce aqua non inundat seipsam, quæ alia inundare solet, se verò ipsa non potest. Ecce aër refrigerare se ipse non potest, quoniam omne quod facit & cruciat, aliud quid cruciat & dolore afficit. si autem abyssus cruciat, & dæmones cruciantur ab ipsa abysso, estque abyssus locus tormentorum, torquentur enim dæmones; non iam torquentur à simili, sed alij cum sint, ab alio torquentur, non ab hac natura, neque substantia, qua scilicet dæmones sunt, alterius enim substantiæ est abyssus. Atque esse quidem dæmones alterius generis ac substantiæ, præter abyssi substantiam, satis ex iis, quæ dicta sunt, perspicitur: ipsa verò abyssus locus est tormentorum ac suppliciorum, non tamen æternus nec ingenitus: sed postea fuit, serò tandem factus, vt esset medicina, & opem ferret peccantibus. Sacræ sunt plagæ, quæ sunt remedia, & auxilia erratorum; non enim, vt sint mali, factæ sunt plagæ: sed vt non sint mali, verbera inducta sunt; mali enim dolore plagarum amputant & præcidunt vitia: idcirco non querimur de abyssis: quin potius tormentis & suppliciis scimus castigari ac corrigi eos, qui deliquerunt.

Si autem abyssus est, vbi dæmones torquentur, & supplicio afficiuntur, & substantiam habent, quæ subire potest tormenta, & dolorem sentire, & supplicia sustinent, & habent remunerationem pœnarum, quibus puniuntur, quomodo ingeniti? quomodo semper? quomodo nunquam esse cœperunt? quomodo ex se sunt, qui impassibiles non sunt? qui pati possunt? qui possunt puniri:

A puniri? ingenitum enim nihil vnquam mali sustinebit: nec ab vllo punietur, quin potius à se ipso principium ducens, se ipso consistit, & non ab altero cœptum est; nec ab altero supplicium fert: & cui non assignatur auctor, non assignabitur vindex, & non iudicabitur ab altero, qui ab altero non est cœptus, ac neminem metuet, qui à nemine accepit, vt esset. Quid enim metuet, si in perfectione consistit? si perfectam consummationem habet? si à se consummatus est? si se ipso aptatus? quorum enim aptatio incommodari potest, riment eum, qui aptare potest, quod potest male affici, timet male afficientem. Si autē timent dæmones, & possunt male affici, non sunt ingeniti, quod enim ingenitum est, impassibile est, & non potest pati, quod extra naturam genitorum est.

ἁρμονία.

Quod autem supplicant, in sensu sunt, & sciunt, quid sint, & quod pœnas sustinere possunt; non enim se ignorauerunt, non se impassibiles esse cogitarunt; nosse autem aliquem seipsum, & non ignorare, signum est sensus, & indicium. Si vero quia erant passibiles, formidauerunt, &
B formidantes supplicauerūt, & supplicauerūt ei, qui poterat, non ignorauerunt eum, qui interrogabat: ipsa enim supplicatio testatur cognouisse eos interrogantem, atque esse quidem se passibiles nō ignorauerunt; esse vero illum, qui interrogabat, Dominum, & regem vniuersitatis rerum ex supplicatione apparet sciuisse. Hæc de dæmonibus dicta sunt, vt neque de dæmonibus disputatio vacaret.

Interrogauit autem illū Iesus dicens quod est tibi nomen? Luc. 8.

Possunt & hæc addi, naturam esse sibi similem, nihilque eam à se differre: ecce ignis totus, similis sibi est, non minus calidus, quam sit ipse, neque magis non habet plus, & minus; in naturis enim vacant plus, & minus; vbi enim est plus & minus, non est natura, sed accessio voluntatis: si autem de dæmonibus scriptum est, ire, & assumere septem alios spiritus nequiores se, & apparet ex sermone, esse accessionem, quia hoc est nequam, illud verò nequius, differentia nequitiæ est. Vbi est natura non sibi similis, si differentia reperitur in nequitia; & differentia
C voluntatis, non naturæ testis est? ac de his quidem satis dictum sit.

ἐπίδοσις.

Aggredietur deinceps commentum primum istorum fabulæ exponere, & confutationibus refellere. Malum, inquit, erat, & ingenitum erat, erat autem & Deus bonus, & diuisa loca habitationis, & vterque apud se ab altero seiunctus, ac separatus quidem Deus à malo; separatus item à Deo princeps mali, & vterque apud se erat, & vterque suis imperabat, & gubernabat, vt natus, & aptus erat, malus quidem male; bonus vero bene: malus noces, & suis rebus nocens, & suis nocere non desinens; bonus semper bonus, & iuuans, & res suas iuuans, & nunquam non iuuans. Omnis enim vtilitas à bono cœpit proficisci: cum doctrinis pugnauerunt, extrema quæ sciuerunt: inuenire non potuerunt, qui à principio, quæ consectaria erant, non approbauerunt, ac parua quidem sunt hæc, & non multa, satis tamen sunt ad disputationē quæstionis: formam tantum protuli; non excurri multitu-
D dinem testimoniorum. Quæ enim affinitatem & cogitationem cum his habent, quæret Lector, & ex his ad similia, & affinitate coniuncta legendum progredietur.

καθ' ἑαυτόν.

Age nunc, instruamus paremúsque illorum disputationem ipsorum dogmata apponentes: malus quidem erat satanas, bonus vero Deus, & sic res erat: fabulam verto, vt fabulam repudiem, & nisi opponam, quæ exponunt, non possum fabulam euertere: bonus quidem erat Deus, inquit, malus vero satanas, & numquam non erat, erat enim semper, & à nullo profectus, erat enim, & radix erat, inquit, erat item Dominus, & ipse erat, & radix erat; & radix bona, & radix bonorum, & omne bonum ab hoc profectum est; duæ namque radices erant: & duo surculi prouenerunt, surculi radicibus respondentes ab illa talia: ab hac talia fieri iactant.

Quædam deesse videbantur hoc loco, quæ ad confutationem eorū quæ proximè ex Manichai libro recitauerat, pertinebant: quorum confutatio ordine secutura erat.

Insistamus hic, deinde quæstionem aggrediamur, videamúsque argumentationes, & quæ dicta sunt, recordemur, vt argumentationibus conclusiones conficiamus; & ex iis, quę diximus, fidem faciamus, dicemus enim istis; si Deus erat radix, & bona radix, & boni fructus, & ex bonis

E fructibus profusi; ac satanas radix erat, & mala radix, ac fructus mali ex mala radice fusi: cuius radicis Apostoli fructus extiterunt, vt ex fructibus, quod quærimus, cognoscamus? nondum à radicibus argumentum sumo, dicemus enim, mala radix nihil boni proferre potuit: neque radix bona quicquam mali. Videntur autem Apostoli quandoque boni, quandoque mali fuisse, ac sero quidem boni, principio autem mali, mutasséque malos mores.

Si enim dicamus esse Apostolos fructus satanæ propter vetera delicta, adhibebunt eis reuerentiam propter Apostolatum, perfectionem virtutum. Sin verò Dei fructus, quid dicent de antiquis eorum peccatis, & de antiqua vita diabolica? ad pudorem enim reuocabit eos scriptura, & eorum iudicium redarguet. Si vero non reperientes exitum, & quo se vertant nescientes, nos rursus interrogent, dicantque nobis quoque difficiles esse quæstiones ad soluendum, difficile item ratione concludere: respondebimus, non esse fructus Dei Apostolos, sed factos, & fictos; non enim tanquam fructus ex radice profusi sunt, sed tanquam creaturæ à creatore, & auctore creati, creaturæ enim eius sunt, non tanquam eiusdem substātiæ, cuius ipse est. Geniti sunt ab ingenito, cum aliquando non essent, postea facti sunt, qui vt essent quidem ab eo, qui fecit, acceperunt, non substantiæ ex substantia, sed facti hypostases, bonitate auctoris: atque ita facti, ἵνα ὡς αἱρετὴν τὴν ἀρχὴν ἔχειν, vt voluntate habeant principatum, ait igitur Saluator, *si quis vult venire post me, si vis perfectus esse, si vis sanus fieri*: si is, qui fecit, sic loquitur, per quem pater omnia fabricatus est, intellige voces auctoris, in voluntate posuit leges: in voluntate legitima recondit: voluntatē agentium fecit dominam actionū esse.

F

In Epist. Iudæ, Angelos vero qui non seruauerūt suū principatum, &c.

Sanè quidem vt nos honoraret, voluit Verbū, vt communitas actionum in voluntate penderet: *si volueritis*, inquit, *& audieritis me, bona terræ comedetis; si autem nolueritis, nec audieritis me, gladius deuorabit vos.* Sed absurdum est prætermittere sermonem de improbissimis, ac prætetire considerationem de iis, qui turpissimè, atque effrænatissima licentia in vita versantur, ne nostrum silentium periculosissimam desperationem eis compararet: non magnopere accusant Nabuchodonosorem? non valde reprehendunt Pharaonem? non ad summum fastigium turpitudinis progressos existimant? talia enim de illorum vita, & instituto vbique iactant: si igitur in illorum animis nullum studium cerneretur, alia ratio esset: sin vero in adeo malis etiam partes aliquæ eorum, quæ bona sunt, reperiuntur, sensus, perceptiones, intelligentiæ, pœnitentia; ac supplicationes, quid iam dicturi sunt? si enim hic turpissimus appareat habere partes quasdam virtutis, & mores idoneos, quid dicent? si enim respondebunt, mistum esse satanam, vt qui fructus ex virtute, ac vitio mistos attulerit, aut fructus hos non esse diaboli: non enim fructus misti, fructus fuerint carentis mistione: neque quod non est mistum, radix misti erit: hi autem misti esse, aliquo tempore apparuerunt, & percepisse scientias, & improbitate capti esse: hac ratione apparebunt non esse veræ personæ, sed fictæ cogitatione.

Actiones bona, quarum cōmunitate cum Deo coniuncti sumus, omnes sunt voluntariæ.

G

ἀνέτως χαλινώτατα.

H

En Pharao, cum increpatur, remittit, & mollitur, flectitur mente, & percussa anima non perseuerat in duritia. Quin potius duo facit, poscit quod optat, & accusat factum: & non videtur anima oculis capta, sed ad pœnitentiam procedens, ac petitionem, & supplicationem amplectens, & in precibus blandiens: si autem natura malus fuisset, quomodo de precibus, & pœnitentia cognitionem habuisset? si enim bona est pœnitentia, & bona item precatio: si vero natura mala, quomodo malū cum bono mistum fuit? Quomodo ex malo bonum prolatum est? Apparent non intelligere, quæ loquuntur: quin potius mente rudi, & inerudita, sputa magis verborum, quam verba proferre.

Nabuchodonosor quamuis moribus sæuus esset, & fornacem præparasset, & imaginem fecisset, & minis terreret, atque imaginē venerari cogeret, statim vt sancti pueri in fornacem illati sunt, & cedebat flamma, & corpora non attigit, sanctáque est fornax Synagoga, ac pro lamentis hymni & laudes adhibebantur, neque iam tanquam igne

A igne carnem vrente lamentatio fiebat, sed ab anima lætante cantus celebrabatur, statim inquam prospexit, quæ intra fornacem fiebant, honoratusque est Angeli spectaculo, misitque vocem, Nonne tres viros in fornacem intulimus? en, quatuor video, & quartum tanquam similem filio Dei: continuo igitur legem de hac re scribit, vt confiteantur Deum, vt testentur veritatem, sit interpres & enarrator visi. Accusabimus igitur enarrationes, an laudabimus? præclara res est legatione fungi pro Christo, an hoc in malam partem accipi sinamus? si obire legationem pro diuina scriptura, & testes esse veritatis gloriosum est, obiuit autem legationem Nabuchodonosor, & scripsit, & ad vniuersam ditionem suam misit, sublata est natura mali; siquidem cum sciret, quod erat bonum, ad doctrinam de bono respexit, si vero doctrinam affectione turpitudinis hebetauit, accusatur; aliud enim est, non posse agere, quod honestum est; aliud vero scire quid est, quod honestum est, B non tamen agere posse inclinationi affectus succumbentem.

(*Margin:* πρεσβεύειν τὰ θεῖα λόγια. — *Opera enim hominis mala opera tenebrarū,*)

Quòd si in hominibus non sunt reperti fructus diaboli: & eorum, quos diximus, mores pudendi fuerunt, ipsorumque turpitudo conuicta est, quo demum conuertemus nos? nisi forte ad dæmones eamus; nisi forte dicant, nullum quidem hominem esse fructum diaboli, dæmones verò solos fœtus, & partes eius esse, sed si hoc dixerint, hic quoque pudendi erunt. Primum verò audiant, si dæmones sunt fructus diaboli, & nullus homo est diaboli fructus, igitur nulla est diabolo in hac vita cum hominibus communitas, sed potius ab omnibus disiunctus est, ab omnibus alienatus est; eiectus est........

(*Margin:* & diaboli dicuntur, & sunt secundum imitationem, & secūdum ea est homini cōmunitas cum eo. Deerant hic aliqua.)

Quia vero in errore, & fallacia adhuc progredientes, magis adhuc fallacia, & mendosa verba proferunt, ne silentio prætermittamus ea: aiunt enim, quod nequitia cuncta antegressa, & sola procedens, seipsam iniuria afficiebat, & sibi nocebat; postquam vero affuit in loco veritatis, obstupuit, & repentinum lumen admirata C est, pugnæ suæ oblita est, inuasit quod apparuit, rapuit lumen, absorbuit spectatum. Iam hic risus multus, & magnum ludibrium, hic omnis fabula Græca protrita est, & victa huius fabulæ habitu; fabulæ enim fabulæ dicuntur, sed tanquam fabulis creditur; hæc autem si vt fabula dicitur, sic tanquam fabulæ crederetur, parum damni fieret: nunc vero vincit fabulas, stulti credunt ei tanquã veritati. Si enim apud se manens, vt dicitis, se ipsam obsedit, cum venisset in fines luminis, vidit lumen, & obstupuit, & à sua pugna liberata est, & adorta est lumen visum, & rapuit, quod spectauit, quomodo non apparebunt hæc non posse fieri, & falsa esse? Quomodo enim sibi ipsa iniuriam faciebat? se ipsa interimebat? se ipsa delebat? Quomodo nunc quidem absorbens, nunc vero generans, si ingenita erat? dissoluebatur enim se ipsam interimens, & non iam esse poterat sibi interitum afferens. Si autem partes suas habebat intereuntes, quod pignus esse potest satis idoneum, non totam interire, partibus natis aptis ad intereundum? Si autem se ipsam generabat, & esse in-D cipiebat, & incipiens esse, generabilis erat; quomodo erat ingenita?

Quamobrem non ab alio, absurda eorum opinio, sed ab eorum nugis redarguenda est, multa enim dicunt secum pugnantes: nec expectant, faciat alius, vt erubescant, sed ipsi hoc aliis inuident, & ipsi se erubescunt. Quod enim dissolui potest, & dissoluitur, & potest interire, quomodo fuerit ingenitum? quomodo à se extiterit? quomodo non ab alio originem duxerit? cum hoc quidem tale liberum sit ab interitu, & impatibile, illud vero tolli, & perire possit, cum non sit à se, quod si perit, vt dicitis, hoc enim verbis vestris definitis, ac decernitis, confitentes absorberi, & captam, atque absorptam interitum cepisse, potest igitur capi, & dissolui, & dissoluta, atque capta, non iam sustentabit ea, quæ sunt non intereuntium; cum vero non habeat naturam ab incommodo, & interitu alienam, non iam ingenita esse putabitur, & si ingenita non est nequitia, neque ortu, neque sine carere apparebit, cum alias quidem non sit, modo vero solum insonare videatur; quod enim est, non est substantia, sed morbus quidam, qui substantiis accidit, qui potest à substantiis, & personis separari. Quod autem deceptor, quod est, ruina & lapsu accidit, vt esset, ipsa ruina & lapsu attestante ademptionem bonorum priorum, testatur quidem Isaias Propheta, cum ait: *Quomodo, cecidit è cœlo lucifer, qui mane oriebatur?* cum vero hunc talem eius statum ex lapsu accidisse sciret Saluator, antiquum verò statum diuinum, ac splendidissimum, & maxime decorum fuisse, de eo testatur in Euangelio inquiens, *ecce video satanam tanquam fulgur cadentem de cœlo*; si autem sic natus erat, si sic aptus natura, non diceretur tum cecidisse, tum decidisse, quod enim cadit, ex statu quopiam cadit; & quod decidit, ex quapiam abundantia excedit.

Si nominatur in iis, qui ceciderunt, erat aliquando in statu & stabilitate; si autem in iis, qui deciderunt, accusatur, non erat inops, non erat Irus aliquando, cum afflue-F bat bonis copiosè, quibus propter morbum aliquem priuatus, in iis qui ceciderunt, numeratur, & habetur. Sanè quidem affluentiam eius scriptura fatetur; si enim in eo, quod ait, *quomodo cecidit lucifer*, nomen luciferi affluentia erat, & qui erat lucifer, ipsam luciferi effectionem, & vim, & affluentiam, & possessionem habebat, & ab hac cum decidit, hac factus est vacuus: inops quidem est illius affluentiæ Luciferi; vagatur mendicus, & est pene Irus, & in casum, ac ruinam datus, qui olim valde copiosus erat; si autem secundum Euangelium ex eorum numero est, qui cadunt, & humi iacent, & in pauimento voluuntur, stetit aliquando, & poterat dicere, *Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem*; poterat audire illud, *State succincti lumbos vestros in veritate*; & cum posset hoc audire, adhibuit ad cautionem, & firmitatem, quod ait scriptura, *qui stat, videat ne cadat*, & cum nihil munierit contra hoc, in talibus hodie vertitur, ac voluitur, quod enim semper humi iacet, nunquam cadet; iacet enim humi; quod autem cecidit, G & est humi, non deueniet ab stantibus, & erectis ad cadendum; & quod semper est in inopia, & nunquam accidit, vt affluat, nunquam cadet; semper enim nihil habet, & cadere non potest, quod nihil vnquam habuit. Quod casum, & ruinam sentit, propter abundantiam & rem amissam sentit, ac ratio quidem prima opinionem istam conuincendi talis est.

Sed quia dicunt, quod nequitia adhuc progrediens, ac se ipsam intendens ac roborans & lumini appropinquans, rapuit ex eo, & absorbuit: age, legationem, quam pro diabolo contra veritatem susceperunt, dissoluere ne defugiamus, extollunt enim his verbis malum: extenuant autem veritatem; & neruos tribuunt nequitiæ; veritatem vero sine neruis ponunt: etenim si nequitia rapuit, lumen vero raptum est, & quod dominaturum erat, patitur; & quod patitur, passibile est, passibilis igitur ipsorum opinione Deus est. Satanas vero expers naturæ passibilis, ille quidem male affici potest; hic vero male afficere; si enim lumen passibile est, & ipse Deus est H passibilis, cum non sit aliud præter lumen. Quod si potuit male affici, & non à se male affici, sed ab hoste, & pugnante, & deficere à se, & esse apud deterius, quomodo à propriis separatum est, quod naturam habet copulatricem? quæ enim secundum naturam apta nata sunt, vt à se ipsis separentur, non insunt natura; si autem ingenitum erat lumen, & erat cum ingenito copulatum, quomodo vnquam separari potuit? quomodo à se diuelli, & fieri aliud quam erat? si enim ministrauit malo, idque per vim à nequitia illatam, deinceps nequitiam eligebat, & quæ sunt nequam, perpetrabat, & ignorabat se, nec se iam amplius agnoscebat, sed sui potius oblitum erat, putabat enim se tale esse, quale est malum: si ita erat; apparebunt hæc repugnantia. Quod enim ingenitum est, neque se ignorat, nec aliud erit, præterquam est, sed potius tale perseuerat, quale erat: nec vnquam à se disiungi potuit, quod nunquam cœpit esse.

Verum quia anilia, & commentitia loquuntur, non intelligen-

(*Margin:* Διωχθεῖ.)

A intelligentes quæ dicunt, sed ex iis ipsis, quæ dicunt, redarguti, & se erubescentes, hoc etiam ad ea, quæ dicta sunt, addamus: si poterat lumen commutari, & aliud præterquam erat ipsum fieri, & esse apud nequitiam, ac sui obliuisci, & facere, quæcunque nequitia facit, potuit hoc euenire principibus nequitiæ; vt magis potuerint mutari in bonũ: si autem mutatio fieri potuit, & variatio, quomodo non melius erat ex vitio in virtutem mutari, quam ex virtute in vitium? Quomodo passus est Deus & permisit rapi lumen? Quomodo non prohibuit aggressionem? Quomodo non seruauit sua? Quomodo postquam ablata sint, noluit eorum prouidentiam & procurationem habere? Quomodo non prius impetum, & conatum coërcuit? Quomodo non magis seruauit, ne caperentur, sed potius capta, & direpta auxilio non honorauit? si ideo fecit, vt lumen cum in malis esset, mala mutaret, quasi mutari possent mala: non igitur mala natura, mala sunt, quæ cum mutari possunt, sponsionem in mutatione ipsa accipiunt, non esse natura B mala.

Si autem sciebat non mutari, neque natura apta esse, vt mutationem caperent, quomodo frustra fiuit, vt bonum iacturam faceret, & lucrum non tribueret malo? Quomodo fiuit ipsa mala non mutari, se vero & sua bona mutata neglexit? Absurda est enim hæc præscriptio, ipsum esse mutabilem, quia sua mutantur: non esse autem mutabilem materiam. Atque hoc quidem sic redarguimus, vt prolixum sermonem contrahamus, silentio prætereuntes illa integumenta, quæ obtendunt, illas repugnantias & fabulas & pugnas Gigantum, vt quæ de principio rerum dicta sunt, instar cuiusdam subsidij dicta sint, habeanturque, tanquam semen quæstionum.

ANNOTATIO TVRRIANI.

C *Hactenùs liber primus, & bona pars secundi, vt ex argumentis primi & secundi libri in principio ab Auctore propositus intelligi potest, si cum his hactenùs conferantur.*

TITI EPISCOPI BOSTRENSIS aduersus Manichæos,

LIBER II.

DVCIT iam nos deinceps ratio disputationis ad disserendum serio de Deo: forrassis enim nihil à ludo differunt, quæ hactenùs ad confutationem fabulæ illius dicta sunt; ne igitur risum moueamus prudentibus, commentum valde sibi repugnans accuratius excutientes, quæ autem à Manichæo magis mystica inuenta sunt, quæ sunt complura, silentio prætereuntes, aggrediemur iam docere, nequitiam quidem D nequaquam secundum substantiam existere, neque materiæ principium vllum principio carens Deo contrarium esse. Vnum vero esse principium omnium, & vnum Deum, qui omnia creauit bona, & ipsius sapientia digna.

συνδυασ-λογίας.

λίαν ἀ-σύστατον.

Manichæi enim, postquam in disputatione de principiis conuicti sunt, ad hanc dubitationem tanquam difficilem ad enodandum & multas tendiculas, & captiones contra disserenti præbentem deducuntur. Quærunt enim, vnde mala existant? nos autem fidenter respondemus, cum vnus sit Deus, qui cuncta fecit, nihil quidem secundum substantiam malum esse, cuncta autem valde bona, & differenter bona, & ad varios vsus facta: nihilque eorum quæ facta sunt, sine ratione factum esse, sed vnumquodque eorum, quæ effecta sunt, paruum & magnum, in cœlo, & in terra, & in mari habere in se rationem suæ essentiæ, fabricatámque esse sapientiam Dei ineffabilem, vniuersum hoc tanquam integrum, & E totum corpus constitutione partium, & membrorum, vt quidquid adimetis rationi eorum, quæ facta sunt tanquam superuacaneum, & inutile, totum corpus mutilatum esse videatur, siquidem quod in rebus videtur vilissimum, & despicatissimum, absolutionem corporis complet; nihilque in rebus otiosum est, neque temerè, atque inaniter factum, nec ad superuacuam ambitionem interpositum.

Sola verò hominum ad nequitiam peccantium iniustitia rectè & iustè, ac verè nequitia est, non tamen ex nequitia principio carente profecta, quam Manichæus, cum non sit, esse excogitauit tanquam ab hac principio carente, quam finxit, proficiscentem; vt satis in superioribus disputatio aperuit, & docebit clarius in iis, quæ sequuntur.

Quamobrem cum de hoc primo actum sit, sic via & ratione progrediemur, docentes nihil esse in rebus malum secundum substantiam, quin potius quæcunque in F sæculo gubernat, ac dispensat Deus, decore, vt sapientiam eius decet, & ad vtilitatem eorum, propter quos hæc facit, gubernat, ac dispensat. Ornatum igitur extruxit Deus, & de hoc ij, contra quos disputamus, non fluctuant, neque tempestate iactantur; si enim mundum ornatum & decorum in inornatum mutant, de modo, & causa facti mundi confitentur; hominem vero, etsi est pars mundi, tamen quia eum ciuem rationis participem præposuit, ac præfecit Deus, in cæteris aliis, quæ neque ad nequitiam, nec ad virtutem spectant, vt gubernaret, sibi ipsi reseruauit, virtus & vitium vt in potestate eius esset, fecit, ingenerans naturæ vtriusque cognitionem, vt instar oculi hanc adducens & adhibens, non solum cum perfecta scientia in vita ambularet, sed esset auctor officiorum virtutis.

διαχει-μάζον-ται.

Homo igitur iniustè operans, iustè de peccato accusatur. Si enim peccatum committit tanquam non possit ab eo se abstinere, iniustam querelam subit; sin autem cum posset non facere, facit contrarium, merito G accusatur tanquam iniustitiam suscipiens, & peccatum rectè ratione criminis appellatur peccatum, quod semper committitur præter rationem, qua vt potuit, vt sit iam peccatum omne id, quod præter rationem fit; quamuis ex iis, quæ sunt secundum naturam, occasionem, & subsidium accipiant; vsus enim eorum, quæ sunt secundum naturam, à ratione auersus, efficit, vt peccatum existat; ratio autem in nobis exploratrix est eorum, quæ secundum naturam sunt; ex quo fit, vt non lateat, cum committitur.

δοκιμα-στικός.

Si ergo ad exercitationem virtutis rationem nobis insitam exerceamus tanquam corpus temperato motu, sanam hanc, & beneuolentem reddemus. Sin vero exercitatione, & accuratione hanc non excoluerimus, languescens obscurior efficitur, ac demum neglecta cæcatur, penes nos vero est, vbique ratione, quæ in nobis est, vti; & sicut qui artem ædificandi exercent, sic norma ac regula ad accurationem virtutis adhibita, hanc rationem excolere, tanquam semina in terra sparsa, quæ cum neglecta sunt, pereunt.

H Hoc loco ambiguitas quæstionis exoritur: Quare tanto periculo obiecti sumus, vt penes nos sit esse bonos, & non esse? vt non omnino boni efficiamur, sed plerumque, non tantum quandoque, mali, necessarium non simpliciter, vtile periculum; alioqui à toto aberraremus, totoque frustaremur, etenim si fecisset nos Deus, vt non possemus peccare, nunquam facti essemus boni; bonus enim apud homines est, qui iustus, & temperatus est; abstinens autem ab iniustitia, fit iustus; & fugiens intemperantiam, temperatus; potestate igitur contrariorum comparatur, & acquiritur possessio contrariorum; vt si quis non habeat potestatem intemperantiæ, non possit fieri temperans; non enim non posse suscipere incontinentiam, facit continentiam: nec infirmum esse ad iniustitiam, facit iustitiam; sed posse facere, ratione vero abstinere, ne faciat; hæc est virtus temperantiæ, & iustitiæ; & non posse solum, sed à natura inuitari, & titillari, vt aliqua vera laus sit voluisse non

facere,

A facere, hæc enim, & non alia inueniri potest apud homines virtus. Deus enim non est vocandus temperans, aut fortis, & alia huiusmodi; siquidem supra humanam virtutem est; etsi enim dicitur iustus, aliter quam nos dicitur: homo autem, quatenus homo, quomodo fiat bonus, quærimus: vnicuique enim eorum, quæ facta sunt, mensura naturæ decreta, & constituta est: quam quidem transire & superare non potest; sed deficere potest perfecta, & absoluta virtus. Quæ igitur mensura homini ad virtutem definita est, & vt sit bonum temperantiæ, & iustitiæ, & aliarum virtutum? supra hæc enim vt homo sit bonus, fieri non potest: si enim temperantia est continere cupiditates voluptatum, oportet esse in potestate ea, quæ temperantiæ sunt contraria, quorum dicitur continentia, quæ est temperantiæ nomen, & officium, atque opus: non esse autem in potestate voluptates, priuationem temperantiæ plane efficit: similis ratio est iustitiæ, & aliarum virtutum.

B Si quis vero contra dicat, oportuisse nos non esse aptos ad suscipienda contraria virtutibus, vt intemperantiam & iniustitiam, sicut Deus, nihil aliud hic dicit, quam oportere nos non esse homines, vt si quis spectaret aquilam in sublime volantem, & succenseret naturæ equi, eamque acerbe vituperaret tanquam dissimilem naturæ aquilæ, cum oporteret equum ex natura equi considerare. Sane quidem hominem fecit Deus, qui esset homo, animam item cum corpore, quia est habitator mundi corporeus. Hic igitur si fiat bonus, quoad natura hominis patitur, spectatus, & probatus reperiatur. Quomodo autem fiat homo probus, inquirendum est: atque requirendum à Deo, vtrum fecerit eum: homo igitur fiet bonus, si sit temperans, & iustus: si enim liceat meliore modo fieri hominem bonum, accusandus sit Deus, qui illo modo præstantiore non fecit hominem bonum. Sin autem quantum in natura hominis situm est, nihil melius, opus est homini temperantia, & iustitia, aliisque virtutibus: hic rursus quærendum C est, quomodo homo temperatus, & iustus esse potest? vult enim qui eum fecit, vt talis sit: igitur temperantia sine comparatione, & contentione contrarij fieri non potest; similiter iustitia: alioqui nunquam erit temperantia, neque iustitia.

Quòd si hoc modo non possit fieri iustus, & temperatus, non aliter fiet homo iustus & temperatus, & tunc merito reprehendatur Deus, quia fecit, vt impossibile esset fieri hominem bonum, temperatum dico, & iustum, quo quidem modo tantum, & nullo quopiam alio futurus erat gloriosus, & sapientia auctoris sui dignus habendus. Si autem qui contra dicit, perseueret contendens oportuisse natura, & non labore fieri hominem temperantem, rursus hic omittens quid sit temperantia, ad eligendum, ac sumendum, quod à ratione auersum est declinat, tum quia ponit, & statuit, posse hominem sine temperantia & iustitia esse dignum auctore suo, qui eum fecit, tum quia non vult considerare, quomodo possessio harum virtutum comparetur, quia quod vincu- D lo naturæ factum esset, nunquam esset temperantia, quæ minime aliter quam resistentibus voluptatibus cognoscitur; vt pugnans, & vincens eas vocetur, & sit temperantia: similiter in aliis, sic sanè hominem construxit natura quidem neque bonum, neque malum, committens rationi electionem melioris, si vero neque bonum, neque malum, quæritur, quid restet.

Considerandus est puer paruus, in quo cernitur vtriusque extremi ademptio, id est, neque bonum, neque malum esse: substantia enim huius bona est, bonitatem verò secundum virtutem nondum asciuit: sic item & aurum bonum est natura, ratione vero virtutis non est bonum, cum sit inanimatum: similiter pretiosi lapides, & omnia, quæ sunt, vnumquodque secundum propriam in aspectu pulchritudinem: hac ratione homo etiam pulcher est, valde pulcher substantia & essentia ipsa, bonitas vero per solam virtutem asciscitur, labore comparatur: idcirco fecit Deus, vt hoc in potestate eius situm esset, si igitur potestatem quidem dedisset Deus, non autem naturæ præfecisset cognitionem virtutis, & vitij, visus esset cæcum aurigam currui velocissimo præficere: E sin verò ambo simul commiscuit potestatem ad asciscendum, quod melius est, & cogitationem ad discernendam, & muniendam electionem, artificem quidem aurigam mentem adhibuit. Hæc autem currum naturæ saluum, & incolumem agitabit, nisi somnum in studio capiens à voluptatibus deturbetur.

Substantia quidem & natura pulcher est homo, vt aurum, vt lapis pretiosus, vt opus Dei; bonus verò, aut contra malus, proposito: hæc enim adiacent ei, tanquam quæ fieri possunt: qualitates verò adueniunt, & adiunguntur secundum institutum, quo ducitur, & secundum electionem propositi, vt nequitia, quæ in actione consistit solum, ante actionem non existit per se: habet tamen homo potestatem nequitiæ, quam potest operari, habet, inquit, potestatem eius, non vt eam operetur, sed vt non operans eam, optimus appareat. Si F enim non esset penes eum actio, videretur subire inuidentiam creatoris, vt haberet impedimentum approbationis, & priuationem libertatis, vt qui non haberet in potestate sua situm, vt esset bonus, vt iam conditio, partesque naturæ, quæ in homine inferiores videntur, verissime superiores, ac valentiores essent: nunc autem nequitia minime per vim subit, cum non sit secundum substantiam, & si homo non haberet eius potestatem, non esset penes eum fugere eam: fugit enim, non tanquam existat, quod non existit, sed tanquam id, quod ab ipso fieri potest.

Quomodo autem, qui odit malum, quod optimum est, compararet, nisi illud, quod facere poterat, volens recusaret, virtus enim in hominibus pene nihil aliud est, quam recusatio, ac declinatio vitij: temperatus enim est, qui non est intemperans; & iustus, qui non est iniustus, & similiter in aliis. Deus enim bonus est, non quia non facit iniuriam: tametsi possit, sed quia solummodo beneficus est. Quamobrem solus est bonus, in ho- G minibus vero bonum ex fuga mali primum existit, cuius potestatem necesse est esse ei, qui vult esse bonus, vt sit penes ipsum non facere malum: etsi enim à perfecto præter fugam contrariorum requiruntur etiam actiones, fuga tamen & declinatio deterioris maius quid est ad probationem: hinc fit, vt apud homines nemo vacuus à peccato reperiatur: quippe cum probatior sit homo propter difficultatem abstinendi à peccato: quandoquidem hoc potissimum modo signatur virtus, actionem autem bonam etiam apud valde malos reperimus.

Sic apud ... min...

χαρ... τηρίζ... ται.

Liquet igitur beneficium esse homini potestatem suscipiendi peccatum, à quo quidem se abstinens spectatur, & probatur, & non aliter: libera igitur potestate virtutis & vitij honoratus est homo, habens natura horum cognitionem, quæ in actionem venire possunt, & priusquam veniant, non sunt. Vbi enim erit quod agitur, si non est, qui agat? Quare adest nequitia, cum est H actio eius; abest, cum non est: continuo etiam Deus bonus cum sit, & solummodo beneficus, nihil mali facit, neque per ignorantiam abstinet à nequitia, neque quia deest potestas, omnino ab ea seiunctus est. Quomodo enim ignoret nequitiam, qui docet, non adhibere eam ad actionem? Quomodo rursus rationi consentaneum est, existimare, quia desit potentia, Deus à nequitia abstineat? non enim ille qui est solus bonus, quia non potest iniustus esse, bonus est, sed quia perfectam potestatem habet non volendi iniustitiam.

Si autem dicamus, non posse Deum aliquid iniustum facere, rectè quidem dicimus: attamen, non posse, non ad infirmitatem referimus, sed ad summam perfectionem non volendi quod iniustum est, & ad immutabilem declinationem deterioris: cum enim sit secundum naturam immutabilis, immutabile est ei nolle quicquam mali facere. Quamobrem potest quidem, sed non facit natura immutabili non volendi malum: atque ita non est nequitia apud Deum, non solum quia non existit per se, sed quia nec est in actione. Quia verò hominibus

quodam

A quodammodo non est immutabilis recusatio nequitiæ,& si quis ad virtutem ascendit, solum videtur esse nequitia dum est in actione: non autem est ante actionem; sic hominem Deus honorauit fabricans eum ad imaginem suam, vt sicut ipse libertate naturæ bonus est, sic homo libertate propositi imitator Dei esset, non abstinens à peccato, quia desit naturæ ipsi potestas, sed libertate propositi virtutem honorans.

Hæc autem satis abundéque declarant tot mutationes ad virtutem,& vitium,quæ in hominibus sæpenumero reperiuntur:in quibus neutrum horum diuturna consuetudine fixe inest. Quæcunque enim necessitate naturæ facimus,horum mutationem non recipimus. Quæcunque vero ratione propositi,& deliberationis facimus,hæc in nobis variantur, & alias aliter habent ad propensiones, quæ in proposito fiunt, non igitur peccare naturale est, & necessarium hominibus, sed voluntarium est maleficium:declarat autem labor virtutis voluntarium eorum, B qui eam acquisiuerunt, in quibus si paulum negligentiæ insit,periclitatur possessio virtutis parta.

Si quis vero aduersus hoc producat eum,qui vult quidem quandoque abstinere à prauis, dicit tamen se non posse;aduertat ipse, quod sicut morbus corporis diuturnus non facile mutatur, sic animæ habitum non bonum tempore fixum,non est facilis ratio depellendi in longinqua consuetudine:nisi maius aliquod bonum subeat,quo antegressum malum expellatur; hinc fit, vt sæpe aliquis cum effrænate in turpe quoddam opus impetum fecisset, vel propositum esset adulterari,solo aspectu mariti,metu cupiditatem repressit,aut memoria legum in mentem reuocata;alius cum deliberasset latrocinari, metu supplicij cupiditatem coërcuit; sic peccata opera sunt affectionum,non autem ex natura efflorescunt: honoramus autem omnes, & amamus, qui æquitatis participes sumus, leges, quæ maleficos sine vlla excusatione puniunt, sic communi opinione per opera confirmamus C non cogi homines natura ad maleficia, sed quia proposito & deliberatione ea eligunt, supplicio dignos declarari.

Sed quia Manichæi aliter etiam nituntur conuincere dua naturas contrarias in nobis esse,quia aliquando quidem nos cogitamus mala; aliquando vero bona, aduertendum est,quia naturalis cognitio vtrorumque in nobis inest,necessario nos ad cogitationem eorum,quæ cognoscimus, excitari, nullam quidem iacturam, aut damnum facientes,sed potius totum lucrantes,præposito,& antelato, quod melius est. Quomodo enim in hominibus motus, & excitatio ad melius testata esset, nisi vtrumque naturaliter cogitari posset,iustitia scilicet,& iniustitia; cognitio namque necessaria est ad diiudicandum,cogitatio vero rimatur cognita, propositum in quam partem vult, propendet: hæc vero non sunt partes animæ differentes, sed tanquã operationes eius; non tamen inest oculo nostro naturaliter vt videat aliud si accidat, vel actiones malas, & bonas, ac neutrius causa fuerit,mens D enim aspectum recipit, visa diiudicat, atque discernit: cogitatio necessario instar oculi mouetur ad ea quæ fieri possunt, non mouens animam ad ea per vim, sed cognitione naturali hæc attendens: continuo quidem si volumus, simul contraria cogitamus, simul tamen contraria facere non possumus.

In hunc mundum actio quidem electione propositi decreta est; cogitatio vero naturalem cognitionem virtutis,& vitij testatur: nisi enim hæc præcognoscceremus, nec ea cogitaremus, neque quod melius est, eligeremus, prægressa omnino electione deterioris, prauis institutis anticipati: quamobrem magis est studendum, & laborandum hominibus in educatione filiorum, quam agricolis in incremento arborum. Interpretari igitur cogitationem nostram indicium esse duarum naturarum contrariarũ,perinde est, ac si quis diceret, esse aspectum mistionem omnium colorum, quia in hæc omnia aciem intendit. Quod igitur necessario accepit homo vt posset peccare, sic à Deo factus, vt non aliter posset ex virtute viuere, id quod Deus cum esset bonus & non inuidus,naturæ insitum esse voluit,& quod propter ea, quæ iniuste E apud homines fiunt,nullo pacto necesse est putare materiam principio carentem & nequitiam resistere Deo, nec existimare penitus secundum substantiam per se extitisse nequitiam, sed in actione consistere superius demonstratum & conclusum est.

Deinceps de sapientissima Dei gubernatione, & de iis, quæ inaniter,& temerariè à Manichæo in criminibus ad asserendam nequitiam obiecta sunt,pro viribus dicendum est: multam perturbationem ordinis in nostris rebus; diuitias & paupertatem, sanitatem & inualetudinem, tanquam sit in eis inæqualitas, criminatur: item illud; sæpè maleficum supplicium legum effugere, innocentem vero puniri, quandoque etiam improbos imperium in alios inuadere: dicendum igitur est, productum esse hominem ab auctore suo in hanc vitam, vt nullum aliud negotium ageret, quam vt solam pietatem & virtutem compararet? hæc enim si acquisiuisset, rectè hanc vitam tranaret: his vero neglectis, periculose demergeretur deceptus: alimentum autẽ corporis,& vestitum, reliquum tegumentum dedit Deus ipsi non tanquam dona præcipua, sed tanquam necessaria ad vitam hic tuendam, vt dum corpus habet, tum horum præsidio viuat, tum impigre laborem suscipiat, & quæ dicta sunt,paret. F

Lumen autem asciuit ei corporeum naturæ eius conueniens, tum aërem ad ducendum spiritum,& aquam & quæcunque alia necessaria: hæc enim auctore Deo communia sunt naturaliter cum omnibus hominibus, nec vllus dicere possit minus luminis impertiri pauperi, neque minus aquæ suppeditari, neque minus aëris ad respirationem, quæ est ad viuendum maximè naturalis: & alimentum necessarium tametsi non sine sudore suppeditat: aurum autem, & argentum & lapides pretiosos qui habent,ab ipso accipiunt, non tamen plus conferre possint ad facultatem, quam superius diximus, nisi magis etiam impedire,tamẽ neque profectio hominibus à Deo G proposita, paupertate impeditur, neque diuitiis facilior efficitur. Sed vtraque conditione studiosis, & maximè industriis, ac gnauis licet constitutam viam, & destinatam conficere: paupertas enim per tolerantiam & libertatem, opulentia vero per modestiam,& cultum, honoremque auctoris bonorum, quem anteponi bonis ipsis, perficere potest,quod studet,& laborat; vt neque pauper sine difficultate, & laboribus assequatur virtutem; sed egeat studio, & accuratione, si qua in ipso inest incuria, ne propter paupertatem aliquid illiberale faciat, & dum iniquo animo ferr paupertatem, animum suum,ac voluntatem patefaciat,vt qui magis,quam Deum honoret ea, quæ à Deo dantur.: neque qui diuitiis affluit possit, sibi instar rei venalis pietatem,& virtutem comparare,quin potius plus in hac re sudandum ei sit: magis enim hic,vt est, fluctuat, & tanquam tempestate iactatur mens, cura & sollicitudine in bona externa,& in animam partita:& nisi existimet esse opes omnino πάρεργα, ἔργον vero solum amicitiam cum Deo, demergetur in amentiam in- H tegram,non intelligens se primo & solo bono relicto,seruire mortuis diuitiis,quas cũ reliquerit aliis,ipse abibit.

Ex æquo igitur vacat periculo via virtutis,neq; diuiti, neque pauperi impedita, inter se autem diues & pauper solum differunt externarum rerum accessione, quæ nihilo plus valet ad id, quod propositum est, adipiscendum: atque hoc quidem necessario diuina sapientia disposuit: quando enim pauper exercetur ad tolerantiam capiendam, videns apud alium opulentiam, animus etiam diuitis exploratur tenuitate pauperis: inutiles enim sunt opes, si non adsit paupertas: cui enim benigne faciet opulentus? & paupertas non est spectata, & probata, nisi aduersante opulentia. Denique neque diuitem esse, beatum est, neque pauperem esse, miserum, quandoquidem solus ille, cui accedit firma animæ secundum virtutem felicitas, siue diues, siue pauper sit, compos eius est, cuius causa à Deo factus est homo, vt iam opus sit à Deo accipere, vt sit, à se vero accipere, vt bonus sit, adiuuante Deo; vult enim Deus, vt homo cum sit

rationis

Margin notes: σχεμπτικόν.; Mutatur morbus, cui, depulso morbo succedit sanitas.; ἀφώνιται.; ἰσοπαλής.

A rationis particeps, habeat aliquid à se ad gloriosam fiduciam.

Quocirca non admirabimur, neque beatum prædicabimus virum diuitem maleficia committentem; neque stupebimus contra Dei prouidentiam, quod, qui talis est, diuitiis affluat. Quid enim amplius habet vir improbus diues? Quid vero non minus habet? vigiliæ enim & pericula propter pecunias, dolores vero de consumptis maiores, quam voluptates de acquisitis: non enim tam delectat, quod adest, quam cruciat, quod abest: & semper cupiditas diuitiis augetur: ita vt sine intermissione cogitatio habitet cum affectione effrenata, corpus vero sæpenumero cogitatione contabescat. Demum quæ videtur præstantior conditio affluentiam opum possidentis, difficilior, & molestior est, quam conditio egentis: ille enim deliciis, & mollicia cubilis vtens, quandoque in varios morbos incidit, cum pauper siccitate victus necessarij valetudinem corpori asciuit: at quis dicat non esse cor- B pus excellentius, & magis honoratum, quam bona externa? quod si habitudo corporis valentior in iis perseuerat, qui necessariis moderate vtuntur, iis vero, qui se ad immoderatas delicias dimittunt, simul robur & firmitas corporis relaxatur, an non liquet hac parte, & hac ratione inferiores esse diuitias paupertate? præterquam si quis reperiatur, qui egeat necessariis, quod quidem nunquam studioso virtutis accidit.

Nunquid voluptas ciborum sumptuosorum permanet cum sensu eorum, qui semper vsi sunt eis, an valde vilis efficitur diuturno vsu? vt iam nihilo plus habeant isti in eo, quod ad delicias & voluptatem adhibent: semper enim quod consuetum est, facile contemnitur. Pauperi autem quod tenue, & vile est, propter sanitatem suauissimum est. Si quando vero sit ei, quod sumptuosum est, peregrinum, & nouum ducit ad fruendam relaxationem: vt hac ratione, qui recte cogitet pauperem reperiat præstare diuiti: morbus autem & bona valetudo æque necessaria sunt. Sanitas enim valet interdum ad iniustitiam & C offensionem virtutis, morbus item aliquando ad euertendum, & refutandum peccatum valet, iuuatur enim sæpenumero ratio externis fluctibus: interdum experientia inualetudinis de beneficio bonæ valetudinis admonet ad declinandum maleficium: esset autem despecta sanitas, si vniuerse per se permaneret, nihilque quod eam impediret, posset contingere.

Si autem ille quidem iustus ægrotet, hic verò audax bene valeat; ille quidem cohibetur vnda adiutus, vt vita eius querela, & reprehensione careat; hic vero tanquam desperatus traditus est peccatis. Si rursus audax, & valde impius morbo conflictetur, iustus vero firma valetudine sit, punitur ille quidem sensu supplicij, non vt iuuetur, sed vt alios exemplo iuuet; hic vero, tanquam, qui solutis vinculis mansuete versari potest, sine ægrotatione perseuerat; quamuis vtraque prorsus vbique vtilia sint; & miser, qui prouidentiam hinc negat, aut accusat: ille enim morbus solus mortifer est, qui animam ad auertendam virtutem male afficit: in quibus igitur ratio salua, & D incolumis perseuerat, siue ægro corpore, siue sano sint, vtriusque vtilitatem sentient: etsi enim non omnino morbus maleficum puniat, siquidem leges etiam interdum malefici effugiunt; an propterea desinet lex esse impedimentum maleficis, quia non per omnes Legi subiectos procedit? an admiratio sapientiæ Dei hinc etiam, sicut vndique declaratur? si enim penitus constaret, nullo pacto posse hominem effugere supplicium legum, qui quodcumque lege vetitum est, admitteret, abstinere peccato, non esset spectatum ac probatum, sed adulterinum & incertum: omnes enim metu supplicij, non odio maleficij abstinerent: oportet autem honestum, & probum magis odisse maleficium facere, quam maleficij pœnas dare, quamuis iniuste.

Hinc fit, vt maior pars maleficorum leges effugiat, quoniam non est hoc supplicium delinquentium, sed opinio tantum vindicationis: mors enim naturalis sine supplicio etiam aduenit. Quæ alia est vltio, & supplicium delinquentium, cuius effugium reperire non possunt: eua- E dunt autem plures ex nostra vindicta, vt posse latere tormentum, & cruciatus, humanæ cogitationis efficiatur. Et vniuerse quod dictum est ad furantem, & mentientem, & grauiora maleficia committentes porrigitur.

Sed dicet aliquis, magis torqueretur conscientia hominum, si nullus maleficus deprehensus puniretur; contra vero euenit, vt plane sit hortatio quædam ad maleficium faciendum, quosdam maleficos aliquando non comprehendi à legibus: vnde vtrumque necessarium est, & incidere maleficum in leges, ac comprehendi ad exemplum vitandi maleficij; & effugere tormentum, & cruciatum cogitationis. Homini enim ad eligendum virtutem & vitium libero, sic facto à Deo, foris accedit, vt quodammodo mens eius adiuuetur, & quasi fulciatur timore, & vacatione timoris, hortationibus, & dehortationibus, morbo, & sanitate, paupertate, & opibus: denique omnia, quæ contraria inter se videntur, consone, ac conuenienter in vnum tendunt, & spectant, vt humanam mentem F exerceant, & nemo se dedat somno, quin potius hinc, & illinc pulsus, & excitatus, vigilet ad officium pietatis & virtutis obeundum; si vero accidat, vt aliquis puniatur non solum innocens, sed vir admirabilis, & ab eo pœnæ virtutis repetantur, quid noceret sustinenti? arguit quidem hoc eos, qui faciunt, non eum, qui sustinet, licet vsque ad mortem iniquum supplicium progrediatur: qui talis est, anticipatione mortis, quæ pertinent ad vitam futuram meditatus est, cum enim nihil suaue est eorum, quæ multis iocunda sunt, nec acerbum, an non est hic ante mortem huic vitæ mortuus? Qui hic ea, quæ existimantur insidiæ factæ, loco beneficij & gratiæ ducit, qua expectat post hanc vitam maiora bona consequi, quam ea, quæ relinquere videtur, ad quæ, ab inimicis suis cito dimissus, tanquam beneficos ducit eos, qui ei insidiati sunt.

Alia etiam ratione apud homines necessarium est permitti à Deo tormenta, & cruciatus, vt magis spectata, ac probata sit libera virtutis susceptio, si neque mortem G oppetere reformidet: Iam cum improbos, & auaritiæ deditos viderimus aliquando imperium tenere, & ad magistratus eligi, scire oportet permitti hoc prouidentia, ac gubernatione Dei: cum enim, qui sunt sub imperio, peccatis abundant, iustum supplicium est iniquitas eorum, qui imperio præsunt, qui vlciscuntur, quæ faciunt, & puniunt, quæ committunt: vt maxime pateat, non contingere, vt peccatum impunitum sit; rectus quidem videri potest iudex, quia ne quid mali committat, eos, qui committunt, punit. Sin autem is, qui iudicat, incipit ea admittere, quæ in aliis vindicat, & punit & quidem impensius, vt suadeat, se nihil mali agere, plane apparet ius firmum, & valde horribile esse incidere in huiusmodi magistratus, ad sustinendas pœnas propter improbitatem morum: feruntur autem in scripturis huius modi sententiæ diuinæ manifestè contra eos, qui delinquunt.

Manichæus tamen amentissimus, vt dogma nequitiæ ingenitæ, & blasphemiæ in Deum apud eum firmum es- H set, nullam partem gubernationis Dei prætermisit, quin eam calumniaretur: videmus sæpe iustos, qui deliquerunt, sub ditione, & potestate impiorum esse, vt sic castigentur, sicut cum generosus filius: qui patri non paret, a peregrino, & hospite verberatur, vt dolor plagarum, & ignominia verbera adhibentis delinquentem mutent: vnum enim est ac solum, & verum, vt diximus, quod Deus ab homine in vita requirit, vt efficiat sapienti cogitatione, ne virtutem vlla ex parte offendat: quod quidem si attendat vel solum hoc, beatissimus sit, quamuis nihil aliud in vita habeat: hoc si in vniuerso sermone de prouidentia commemoretur, nulla suspicio relinquetur de inæqualitate & perturbatione ordinis in iis, quæ à Deo gubernantur; si quis enim reperire posset, quod aliis laxata esset via virtutis piæ, & sanctæ, aliis vero clausa, videretur contra hoc caput bonorum esse in inæqualitate accusatio gubernationis. Sin vero id, quo solo potest quis vere beatus esse, omnibus æque communiter propositum est, vt possit esse compos eius: quam oppressionem, aut

A inæqualitatem poterit quis obiicere quamlibet accusandi cupidus? quandoquidem habere plus bonorum externorum, rursus rationibus ad æqualitatem reuocatur; vt non minus, vel etiam magis delectetur pauper iis cibis, qui ei adhibentur, quam diues.

Similiter euenit in iis, quæ ad tegumentum corporis pertinent, quamuis viliora sint, sensum informant, quæ ei consueuerunt apponi, vt nemo, quod plus est, sentiat; sensu consuetudine hebetato: nec alius quod minus est; quia propter consuetudinem non percipit sensu, quod deest; hinc continuo fit, vt barbari, quod maius est, nudo corpore vitam degentes, & sine stragula veste cubantes, & asperis indumentis vtentes, nunquam paterentur, vt relinquerent rationem viuendi gratam, vt qui propter consuetudinem, quid eis desit, non intelligunt: imò qui non possunt hanc relinquere, & potius, ac libentius desinerent rectè valere, & mallent frigora, & ardorem solis tolerare.

B Atque ad vitam degendam, ac iocunde quidem degendam, nemo plusquam alius habet in vita; communia sunt omnibus, quibus natura recreamur, accubationes, & epulares somni; communia alimenta, & eorum fructus, ac iocunditates, si quis prudenter præstantiam quidem eorum prætereat, vsum vero sensu experiatur, & probet. Communes item sunt non minus exactè animarum, & corporum dolores; atque in his quidem magis reperietur ex superantia apud eos, qui in vita plus habere videntur. Quare cum hæc ita sint, vbi erit inæqualitas in gubernatione Dei? qui varietatem, non inæqualitatem in rebus nostris posuit; aliud enim est varietas sapientiæ, quæ in mundo decorem habet: aliud perturbatio ordinis in gubernatione. Si quis reperire posset alios quidem homines natura ab affectionibus animæ, & corporis liberos, alios vero non liberos: rursus alios sine cibo viuentes, alios cibo alentes vitam: aut alios, qui nequitiam suscipere non possent, alios, qui possent: item alios mortales, alios immortales, rectè iste inæqualitatem gu-

C bernationis reprehenderet, & turbationem ordinis, quasi magis sortitione, quam ratione, res nostras Deus procuraret. Sed si idem modus in ortu omnium, vna & eadem naturæ educatio, & eorum, quæ necessaria sunt, sine quibus vita degi non potest, communis est omnibus ex æquo suppeditatio, finis autem omnium vnus, & solus, cum appareat summa æqualitas in omnibus; vel cæcus prorsus est, qui Dei prouidentiam tanquam non ordinatam accusat, vel oculis maleuolis, & inimicis res aspicit, & ob eam causam non est dignus fide; etenim si perturbatio ordinis in varietate inest, decorum varietatis, quod sapientem artificem magnopere decet, reprehendit iste. Pergat etiam improbare varietatem colorum, & diuersitatem ac differentiam ciborum, ac potionum, quæ mirabiliter sensus recreant eorum, quibus adhibentur.

Hinc profecti sunt misertimi homines, qui ad defendendum fatum videntur sibi confirmare malum inæqualitatis duobus principiis introductis: ostensum tamen est prudentibus nullam in rebus nostris inæqualita-

D tem esse.

Quia verò bella etiam assignant, & attribuunt nequitiæ, quomodo varia fata, ipsorum opinione, multorum aliquando millium in vnum tempus, imò in vnam horam incidunt: an vnum fatum conciliat hos, & copulat inter se? an non est ridiculum existimare hoc? ex quo fit, vt inæqualitas fati, quæ est grauis morbus errantium, locum in rebus non habeat; bella autem principium sumunt ex auaritia: geruntur autem permissu Dei: malum enim horum est ipsa causa, id est, cupiditas, quæ auaritiam parit; quod quidem malum ab hominibus, non à Deo proficiscitur, vt in iis, quæ prius dicta sunt, patefactum est.

Mors naturæ est, non mala; ortus, & mors natura sunt à Deo sancita; non quidem vt pereant, qui moriuntur, sed vt apponantur iis, qui sunt; non enim esset † boni, solis hominibus, qui sunt largiri, vt sint, & nati sint, sed etiam eos, qui non sunt, creando adiungere ad eos, qui sunt: vt qui sunt nati curriculo vitæ satis decur-

† *Hoc est Dei.*

E so, vt à cursu requiescant, mortem accipiant, non quæ eos ad pereundum ducat, sed quæ aliter singulos pro dignitate transferat, & qui non sunt, aditum habeant ad capiendum ortum: mors igitur lege naturæ sancita, non est mala, quocumque modo accidat: nec enim inquirendum est de variis casibus, propter quos accidit: vnus modus communis omnibus cognoscendus est, qui est discessus animæ à corpore, non sine casu quodam, & necessitate: sed expectandum est, quandiu domicilium naturale durat, & non dissoluitur; cum hoc tamen naturali domicilio & communi simul inest quidam metus, qui quidem necessario de suspecto supplicio suscipitur: non tamen ab omnibus: sed ab iis, quibus mens est prompta, & facilis ad peccatum, ad huius enim euersionem metus ille suscipitur. Qui enim degit ex virtute, is quidem peccate desinit, & non opinatur duram esse mortem: qui verò deditus est peccatis, eadem imprudentia, qua peccat, mortem timet: necessarium tamen est, vt hanc imprudentiam hic metus consequatur, vt qui timebat id, F in quo non erat timor, verè timeat, quod timere oportet, damnum, inquam, ex peccato. Quia igitur gentes peccatis redundant, quorum species vna est insatiabilem esse, ipsæ sunt sibi causa supplicij, id est, mortis, quod quidem dictum est, non esse verè supplicium, quod natura est omnibus definitum: beneficio autem afficit eos, qui in bello cadunt, & eos, qui euadunt incolumes; illis quidem finem peccandi affert, his verò exemplum timoris proponit: afficit autem beneficio, licet iusti cum multitudine vulgi à vita recedant: sicut enim iniustis mors est finis iniustitiæ, sic iustis tanquam victoribus quodammodo est initium coronarum.

De bello iniusto loquitur proficiscente ex cupiditate insatiabili, cuius sunt bella gentium

Vnde hoc per prouidentiam sapientissimam admirabile euenit, vt quod videtur punire, beneficium fiat; non dico videri punire per ea, quæ Deus hauddubie facit, quæ acerba, & aspera videntur, sed per ea, quæ hominibus trãsfugis permittit, quamobrem bellum istorum non est opus Dei, sed permissio necessaria: in speciem quidem ad puniendum peccatum, verè autem ad imponendum G finem peccato; vbi quamuis iustus cadat, (iustum autem bellare non decet) maius beneficium accipit: maius enim est percipere fructum laborum virtutis, quod piis post mortem contingit, quàm desinere peccare. Qui autem contra hæc disceptant, priusquam probent bellum esse ex omni parte malum, partem eius accusant: si enim bellorum originem ex nequitia per se existente, & ex principio ingenito duci dicunt, oportebat eos, ipsam mortem, & quidem solam vituperare; supernacaneum enim est causas bellorum excutere, & inquirere, cum quod necessariò accidit, in iudicium non cadat.

Huiusmodi scilicet bellum quod à transfugis, & cupidis geritur.

Quomodo autem possunt mortem malam dicere, quæ vt Manichæus fallaciter tradit, animam à materia liberat? quare communi omnium sententia nequaquam malum est mors; quod enim necessariò omnibus accidit, non est malum: inaniter autem mortem, quæ propter bella accidit, accusant, quæ nihil amplius affert, quam quod secundum naturam constitutum est. Si quis verò ipsam causam bellorum malam esse dicat, siue ira sit, siue H inimicitia, siue auaritia, non aberrabit à recto, & decenti; tribuendum tamen est hoc hominibus prauo animo affectis.

Scilicet semel mori.

Quod autem mors mala minimè est, illa etiam ratione, & via probari potest: si enim mors non omnibus definita, & decreta esset, accideret, vt iustus semper laboraret in studio virtutis, nullum fructum percipiens, præter sudores: & iniustus in voluptatibus peccatorum immortalis degeret, essetque vtrumque valde absurdum; at mors iniustam voluptatem delinquenti reprimit, & cohibet: & iusto labori quietem affert. Etenim quia necessarium est, homines posse peccare, id quod est causa, vt possint ex virtute viuere: potestas autem à Deo data ad comparandam virtutem, apud maiorem partem hominum ad facilitatem peccati declinat, vt admirabilior sit virtus difficultati admista, vtilis est vtrisque mors iusto, & iniusto: illi quidem quietem à laboribus affert: huic verò peccatorum finem.

Si

A Si igitur mors bona est, & non solum non mala, vt ostensum est, & non soluit animam, vt Manichæus opinatur, à materia, quæ non est: sed eo modo, quem diximus: quare principium nequitiæ in bellis excogitabimus? & non potius solum iniustum animum, ac voluntatem accusabimus? Quod enim inde euenit, quod quidem prouidentiæ Dei assignabitur, iustum, non ex bello solum, sed quocumque modo mors accidat, vniuersè bonum esse natura, in superioribus conclusum & confectum est. Quare bellum est accusandum, non mors, quæ inde accidit, quæ vtiliter constituta est, sed animus ac propositum non iustè bello vtentium, cuius non est auctor, qui res nostras procurat.

Rursus est aliud genus eorum, quæ Manichæus dementissimus accusat: terræmotum dico, pestem, famem ex sterilitate, ex locustis, & aliis huiusmodi, tanquam à principio contrario hæc proficiscantur: sciunt verò omnes, solere plerumque omnes homines, paucis exceptis, in rebus lætis, & prosperis laxare mentes, & affectionibus succumbere, nullamque virtutis, & laborum pietatis memoriam habere, atque hoc quidem quodammodo consentaneè accidit: postquam enim satietas ciborum & potionum immoderata propter magnam vbertatem hominibus incidit, ventre pinguiore facto, crassitudo mentis & remissio cogitationis accedit: anima autem grauata subiicitur affectibus à ratione alienis: si qua verò calamitas ex iis, quas numerauimus, accidat, minus curant ventrem homines, minusque voluptatibus inseruiunt: temperantiam autem, & pietatem pro virili consectantur, & quoad fieri potest, meliores mores induunt pressi magis, quam secundis rebus lætificati. Quæ igitur nequitiæ attribuemus opinione Manichæi? illane, quæ sensui quidem acerba sunt effectu verò valde vtilia? Quæ rursus bono? iucundane, quæ quandoque nocentissima sunt? sæpe enim, quos prosperitas ad meliorem frugem non mutauit, luctus, & calamitas conuerterunt: indigent enim homines quandoque huiusmodi admonitionibus ad excitandam mentem, & vt à multa mollitudine liberentur.

C Si enim videremus secundis rebus florentes, à magnis saltem iniuriis abstinere, & parua maleficia committere, posset aliquis cum ratione in hæc inuehi, tanquam contra rationem acciderent: sin verò abundare semper necessariis, obliuionem summam largitoris affert istis: necesse est, vt aliquando calamitatibus memoria Dei excitetur: cui oportebat sine intermissione gratias agere pro nostrarum rerum prouidentia, & procuratione. Vnde admonens Deus homines, talia dispensat, ac gubernat, non perturbationi iræ inseruiens, sed curam amplectens eos conuertendi, quos opus est conuertere: nec enim excellentissimæ, & perfectæ ergà homines charitatis esset humanas ægritudines præ lenitate extenuare, & incrementum eis permittere non increpando. Quin potius contra, ad inhumanitatem hoc spectaret, si cum vellet non recedere ab ea lenitate, quæ speciem tantum habet, insidiosè permitteret in dissolutionem nequitiæ omninò homines decidere. Dico autem lenia præbere ratione, & ea, quæ acerba putantur, necessario infligere: nec enim pater cum filium delinquentem verberat, inhumanus est: contra potius si hunc ad conuersionem non traduceret, paternam prouidentiam ac misericordiam habere non videretur: nec enim medicus cum secat, & vrit vlcus serpens inhumanus est: imò quanto magis rationem artis adhibet, tanto magis, vt ægrotum sanet, dolorem & seuerioribus remediis inducit; tanquam interiturus sit æger ab vlceribus, nisi hoc modo auxilietur ei: sanandus verò, sectione, & vstione adhibitis.

Quamobrem, vt hoc exemplum docet, homines potius quàm Deus, sunt qui aspera, & acerba sibi inferunt, qui vsum, & opportunitates temporis proposito proprio per affectus suos præparant: sicut enim medicus non facit, vt opus sit vrere, & tempus vrendi, sed vlcus & medicum adducit, & vstionem vocat: sic humanæ affectiones Deum accersunt ad ea adhibenda, quæ ad curationem pertinent: qui minimè patitur, quin hominibus semper tanquam operi suo prouida cura prospiciat commisit enim hominibus vt haberent liberam electionem virtutis, ac probitatis: quod tamen in nobis e[st] infirmum ad affectiones, fulcit, ac firmat per ea, qua[e] interdum ad admonendum, & increpandum manifest[e] adhibet; neque perpetuo, quæ austeriora, & acerbio[ra] sunt, inducens, vt necessitate, & vi mœroris liber[ta]tatem non excludat: neque rursus relinquens nobis ap[p]etitum segnitie omninò solutum, ne anticipatione affectionum sine curatione dimittat; vtrumque sa[pientia] pientia ineffabili ad vtilitatem hominum dispensat, & moderatur, qui vniuscuiusque tempus opportunum nouit.

Statim vt videris terræmotum, aut siccitatem, aut in[cursionem] cursionem locustarum, simul sanè omnes fere homine[s] videas ad metum flexos, & ad supplicandum ei, qui po[test] test hæc depellere; si autem ea, quæ videri solent iucun[da], da, & placida, humanam rationem laxam, ac remissam reddunt, molesta verò & acerba excitant, & ad statum magis pium conuertunt: an non dicat aliquis, illa qui[dem] dem pro corporibus, hæc verò pro animis à Deo guber[nari]? nari? num igitur quæ animas ad pietatem, & virtutem commouent, appellanda sunt mala: etsi enim sensui suf[ferentium] ferentium molesta sunt, & tristia, ad salutem tamen ho[minum] minum necessariò infliguntur.

Manichæus verò demens semper se secum pugnar[e] ignorat; etenim si accretio materiæ nocet, quis non sen[tiat], tiat, contra quàm dicit, accidere? augebitur enim hæ[c] contra homines, qui semper in rebus lætis, & secundi[s] sunt, & deliciis indulgent, & ventri, & voluptatibus inf[...] ventrem deseruiunt: minuetur verò vehementer fam[e], peste, morte, quæ non permittunt proficere eam ad iniu[stitiam] stitiam accretionis. Quamobrem consentaneum erat, v[t] hæc potius vocaret bona, conuenienter suo fundament[o] & principio, quàm mala; sic enim meliorem ratione[m] videretur assecutus, quàm si rursus ratione referens i[u]cunda ad alia contraria principia, rursus mala vocasse[t]: vtraque enim sunt bona ratione à Deo data. At ille ga[u]dens peccato ad constituendam & conflandam nequ[i]tiam, per se, vt opinatur, consistentem, dolorem capit e[x ad]monitionibus Dei efficacibus, quibus meliores facti h[o]mines, & sæpenumero aliqui perfectè ad virtutem redu[cti], cti, dogma eius falsum esse declarant.

Ad hæc omnia, si non accideret aliquando, vt qu[æ] Deus communiter omnibus hominibus donat, & larg[i]tur, prohiberentur, largitionem eorum, ac suppeditati[o]nem ad vim alicuius naturæ immutabilis homines ret[u]lissent, neque cum acciperent, gratias largienti egissen[t], neque habentes, vnquam petissent.

Priuantur igitur interdum ad breue tempus, vt p[e]tant; & rursus accipiunt, vt gratias agant ei, qui da[t], agnoscentes ipsum esse, qui præbet, & non alia quæpia[m] natura suppeditans præter Deum, expers iudicij & im[]mutabilis; vult autem Deus, vt ei gratias habeant ho[]mines, quo digniores fiant, vt dona eius accipiant, n[on] vt ipse fructum aliquem sibi metat; vult autem eos bo[na] petere, vt accipientes ea, eum sentiant, qui suppedita[t], qui lætatur dandis suis; sed magis lætatur, cum dat d[i]gnis; tanquam benignitas erga homines quodammod[o] inhonorata sit, nisi gratis & beneuolis hominibus exh[i]beatur, quæ valde rationi consentanea tunc appare[t], cum ij, qui bona accipiunt, omnibus bonis largiente[m] præponunt.

Et si ciuitates concidant exorta impietate, sicut n[u]per contigit, cum ille impiissimus dominaretur, & erro[]rem idololatriæ recoleret, ac renouaret, peccatum inte[r]mitur, & error in Deum minuitur; nihil verò ampli[us] accidit, quam mors secundum naturam, & quod fit [ad] diuinam conuersionem, nequaquam malum est, sed co[n]tra potius bonum est, tanquam speciem medicinæ h[a]bens; malum verò tantum est, vtilem Dei gubernati[o]nem improbare. Qui enim procreationem liberoru[m] reprehendit tanquam augentem materiam, cum mo[r]tem vniuersam improbet, an humanam mentem habe[re] videtur? valde sibiipsi repugnantia cogitatione fingen[s]

A

θαίατον ἀγόειν

Si enim mala est procreatio, malū erat Manichaeum natū esse: quo nihil sibi repugnantius dicere poterat: ipse enim putabat se verum dogma tradere. Docere autem

B

veritatē vt putabat, quis dicat malum esse?

At neque procreatio mala est, quæ facit, vt genus mortale semper viuat, & adiungit ad fabricam mundi eos, qui procreantur; neque mors quamuis vniuersè inferatur, mala est: nec à Deo constituta, vt homines iacturam, & damnum faciant, sed ad vtilitatem summam iustis & iniustis decreta est.

Quod autem vnicuique priuatim accidit naturaliter, hoc si multis confestim adueniat, naturaliter quidem contingit, nihilque amplius est, quam quod singulis contingit, sed tanto magis curam gubernantis, quam illud, quod priuatim accidit, significat, quanto in illo priuato minus est iudicij diuini in delinquentes: hoc autem generalius propter speciem, quàm habet diuinæ iræ, morientes quidem beneficio afficit, sicut ante explicatum est, viuentes verò conuertit. Si quis verò obiiciat, quamuis multa huiusmodi sæpenumero fiant: nihilominus tamen humanam vitam eisdem maleficis implicatam esse, similiter hic quidem iudicio meo facit, vt si quis pisces in lacu, aut mari videns, existimet artem piscandi otiosam, & inutilem esse, quia pisces captos non videt, natantes in aquis videt: aut perinde est, vt si quis multos ægrotos cernens, curationem medici nihil esse arbitretur.

Cum enim multi proficiant ad pietatem, & virtutem illis pertimescendis, quæ Deus aliquando sua gubernatione operatur: qui criminandi studio tenetur quod profectum est, negat, & quòd multi in peccato perseuerantes, contendunt, exprobrat.

Atque neque nos dicimus habere talia vim cogendi multos, sed dehortandi à peccato gratos, & beneuolos, quæ ad breue tempus inuecta, celeriter quiescunt, ne magis vim afferant, quàm suasione mutant: rursus verò, quæ erant in consuetudine, exercentur, in quibus animus, & voluntas eorum, qui mutati sunt, spectatur, & exploratur, vt ij sola memoria exemplorum infirmitatem suam fulciant, & stabiliant, qui sunt grati, & æqui. Imò verò potius dicendum est, si cum talia contingant, C pauci quidam, & valde rari sunt, qui vitam mutant, an non multò plus ad nequitiam cogitatio hominum profecisset, si per hæc, quæ accidunt, non fieret à peccatis auocatio?

Quòd si nullus hinc vtilitatem caperet, quod quidem fatuum est dicere, præstaret reprehendere homines, qui nec hoc quidem modo iuuari volunt, quam culpam negligentiæ in Deum transferre, quasi non amplius studio conuertendi vtentem: qua ratione vtendum est in eos, qui nullum sensum talium capiunt: est autem compertum iis, qui sunt grati & æqui, non solum aliquos ad perfectam mutationem in melius capiendam metum impellere, sed aliis etiam appetitum, & audaciam ad iniustitiam occulte imminuere.

Veniamus deinceps ad rationem creationis, quam iste planus calumniatur: ac primum de tenebris, & nocte inquiramus, quod potissimum iste mente cæcatus vituperat: tenebras enim quæ in nocte apparent, illarum tenebrarum, quas Manichæus cogitat esse quasi per se sint, in- D telligit esse indicium, eius scilicet, quòd non est: nihil penitus videns, nec intelligens, sed ad instar cæci hominis in res ipsas offendens, & incurrens: vocatque tenebras, & veluti horret, vt non opus habeat disputatione, vt falsitas doctrinæ eius argumentatione concludatur, vt qui nomen rei è seipsa vituperatæ vsurpet. Dicendum ergò est, vocari quidem has tenebras, non tamen secundum substantiam existere: adueniunt enim, & recedunt quotidiè, suntque consequentes in modum vmbræ: non sunt enim creatæ per se, vt substantia, nequaquam mundo autem creato, est vmbra: nascitur enim homo, qui per se est, sequitur autem cum vmbra secundum molem corporis, & neutiquam cum eo ipso fabricata est, sed aduenit vt situm, & locatum est corpus, & vt est luminis circuitus, & conuersio: siquidem nox, & tenebræ, cum sit mundus corporeus, solummodo sunt consequentes, non autem sunt fabricatæ in modum substantiæ creatæ.

Cum enim sol diurnum cursum absoluit, & vertitur ad recessus proprios, necesse est ea, quæ sunt intra mundum, E omnia inumbrari, cum sit extra, quod illuminat, sic Deo volente, causas. Cur ita voluerit, paulo post pro viribus dicemus. Illud statim dicendum est, quæ habent molem corpoream interdiu in contrariam partem luminis positi vmbras iacere, & transfertur simul cum lumine in contrarium vmbra: & vbi est vsque ad meridiem sol, ibi est post meridiem vmbra: vbi autem vmbra post meridiem, sol est post hunc: vmbra verò diurna vmbra est, & non omnino tenebræ: quia quod continet cum sit vndique apertum, locis etiam, quæ vmbram habent, præbet luminis participationem: itaque si domum quampiam ex omni parte bene claudas, & neque vel augustus aditus lumini relinquatur, noctem efficies etiam in meridie: hoc autem fit in nocte, sole loca sua ambiente, & circumeunte. Vnde nox est priuatio luminis, potest autem hoc, quod fit, clarius percipi, si quis considerat, alicubi esse & manere noctu solem, interdiu verò nusquam esse tenebras, sed penitus dissolui, & tolli. Quare substantia luminis facta est, non autem tenebrarum. F

Considerandum verò est, quam sit necessaria nox: primum, est communis requies omnibus: somnus enim diurnus magis necessitatem noctis declarat, cuius quidem tempus tam longum non sufficit hominibus, vt à sensibus requiescant: & diurnum somnum capere non æqualiter omnibus licet: in nocte verò communis est omnibus & æqualis mensura ad requiescendum, nullam inæqualitatem habens ad auaritias vitæ, & plus habendi cupiditates: quod quidem non minus æqualitatem creatoris testatur, tanquam vni generi hominum æqualiter prospicientis. Deinde, si semper esset dies, & spatio diei non succederet nox, non possemus metiri tempus non diuisum in partes. Diuisio autem diurni temporis facit, vt liceat tempus per has particulas numerare: nisi autem tempus discerneretur, in multis rebus non posset hominibus ratio vitæ iniri, & constare: & quod maius est, non esset voluptas luminis fruendi, si non essent tenebræ nocturnæ in proximo eo modo, quem diximus: lumen enim corporeum continuum neque quod lumen esset, cognosceretur: lumen enim dicitur, & est, vt à tenebris G distinguatur, non igitur esset, vt esse apparet admiratione dignum à Deo creatum, nisi comparatio eius, quod videtur contrarium, illud ostenderet.

Quamobrem oportet gratias agere Deo sapientissimo creatori, cum propter alia multa, tum maximè quia fecit, vt lumen sentiremus, & eo frueremur, quod quidem esse non aliter discernere potuissemus.

Est autem obstupenda ineffabilis Dei sapientia, quod cum tot, & adhuc plures necessariæ hominibus & opportunæ vtilitates ex tenebris existant, tamen quia erat nomen, & res tenebrarum, non fecit eas secundum substantiam, sed fecit, vt venirent, & recederent: vt quasi essent ea, quæ diximus, & adhuc plura commoda præberent: & quasi non essent, minimè mundi fabricator accusaretur: extra culpam igitur & querelam est nox, quin potius, vsu est omnibus modis mirabilis.

Sed aiunt, latronem noctu latrocinari; sed quid hoc contra noctem? si enim non contingeret de die latroci- H nari eos, qui latrocinari volunt, oporteret tempus nocturnum accusare. Sed quia latro opportunitatem furti expectat, siue die, siue nocte incidat, animus maleficium facientis, non tempus est crimini dandum: verumtamen si maleficus nocti pareret, dormiret sane, hoc enim solum nox iubet.

ἀσθήσεις

Præterea considerandum est, similiter inter se contraria videri, lumen, & tenebras, veritatemque & mendacium; quod enim est lumen corpori, hoc est veritas animæ: & quod tenebræ oculis, hoc ignorantia, & mendacium menti: homo enim nihil aliud est quam anima, & corpus: vtrique parti suppeditat Deus, corpori lumen: per corpus enim lumine corporeo fruitur: per animam verò veritate spirituali.

Sicut autem non sunt tenebræ secundum substantiam, solum autem eas aduenire permissum est, sicut ostensum est, sic etiam mendacium non manet ab aliqua substantia per se existente, quam ille principium ingenitum vocat, neque

A neque est substantia quæpiam per se existens, ac viuens. Sed sola cogitatione esse, concessum est, & aduenire, atque recedere similiter in tenebras, idque valde vtiliter, & necessario: nisi enim cogitatio mendacij esse posset permissu Dei, veritatis optio non esset in hominibus: spectata, & probata, frustra nominaretur, nisi permissum esset, esse mendacium cogitatione: nemo enim esset amicus veritatis, nisi potestatem haberet cogitandi mendacium: non dico esse mendacium adiunctum veritati, sed quod optio veritatis non videretur esse, nisi potestas mentiendi adiaceret; quòd quidem veracibus prodest, non veritati: oportet enim eum, qui verax est, vt penes eum sit mentiri, à quo cum abstinet, verax est. Posse ergo mentiri affert hominibus, vt veritatem mendacio anteponant. Sicut positæ tenebræ, sensum luminis mouent, & excitant: tamen sicut lumen in tenebris lucet (dissoluit enim eas aduenien, quippe cum non sint secundum substantiam) sic veritas vincens mendacium, omninò conuincit, quod non est, cogitatione esse propter potestatem cogitationis, id est, quia cogitari potest; quomodo enim potest quis veritatem eligere, si suscipere mendacium non est penes ipsum?

Sensu enim percipimus lumen abesse.

B

Si igitur ostendi posset esse tenebras secundum substantiam, & non aduenire, & recedere, sicut dictum est, poni etiam posset falsa, & mendosa substantia. Sin verò, nec ille, nec alius ostendere potest non dissolui has tenebras, quæ ad instar vmbræ fiunt, vt lumen quidem noctu existat, tenebræ verò interdiu non sint: liquet neque mendacium, quod cum tenebris similitudinem habet, per se existere instar substantiæ, sed necessario permitti: vt cogitatione tantum sit, idque ad electionem veritatis.

Quia verò lumen secundum substantiam per se extitit, planè existimare licet esse veritatem per se secundum substantiam, vt similitudinis ac proportionis ratio limatè, & perfectè seruetur: ecquid prohibet, quin Deum ipsam per se veritatem esse existimemus, & reputemus? Sic enim Deus est lumen, lumen autem intelligibile, non aspectabile, lumen scilicet sicut veritas, lumen enim spirituale, nihil aliud est, quàm lumen veritatis, Deus tamen cum lumen, & ipsa per se veritas sit, à mendacio abstinet, non quia deficit ei potestas, sed quia non vult vnquam mentiri. Si autem non potest, non enim absurdum est sic loqui, ideò non potest, quia nunquam vult.

C

ἀδυναμία.

Quibus enim velle & non velle diuersè accidit, rectè & rationi conuenienter his attribuitur, posse: Deo autem quoniam nunquam accidit velle, confitendum est non posse eum mentiri, sic tamen, quia scilicet non potest velle: non autem quia non potest ad instar eius, cui est infirmitas, & deficit potestas: creaturam enim impediri, & constringi natura: lumen, inquam, corporeum non habere penes se, vt sit lumen, sed penes auctorem luminis esse, non est alienum à ratione sic dicere: auctorem verò subiectum esse necessitati naturæ, valde absurdum est cogitare, vt non videatur penes ipsum esse verum dicere, sed à natura per vim cogi: cum alioqui ipsum solum sit, quod quidem est iis tamen, quæ creauit, imposuit, vt natura & necessitate essent, quod sunt. Deo tamen nemo imposuit, vt necessitate naturæ esset veritas. Supra naturam igitur est, qui naturas fabricatus est, ipse autem liber est à necessitate naturæ: sic enim vere bonum esse confitebimur.

D

Igitur ex iis, quæ dicta sunt, patefit, per se mendacium non esse: mendacem verò esse eum, qui mentitur à mentiente enim vocatur mendacium: non autem mentiens vocatur ab eo, quod non est: mendacium enim non potest esse antequam cogitetur, similiter tenebræ non sunt creatæ, sed subierunt, factæ vmbra vniuersi; præterquamquòd tenebræ non solum subire permissæ sunt, sed valde etiam vtiliter. Cogitatio verò mendacij electionem veritatis apud homines declarat; cum verò anteponitur veritati mendacium, nocentissimum est, idque valde consentaneè: mendacium enim ab hominibus excogitatum est, tenebræ verò corporeæ à Deo positæ sunt: idcircò oportet illud quidem fugere; hoc verò non vituperare, quòd necessariò à creatore positum est.

E Vituperat autem non has solum iste inauditæ contra Deum blasphemiæ inuentor: sed etiam animantes, quæ naturam sæuam sortitæ sunt à creatore, more inimici, qui omnia accusans, in creaturas Dei inuehitur. Sed blasphemiam amentem, & vecordem istius deceptoris in huiusmodi animantibus sermo noster redarguet.

Omnes enim feras, ac bestias, quadrupedes, ac serpentes cum vituperat, perinde mihi facere videtur, vt siquis seruus deditus peccatis, & improbissimus alia quidem Domini, & auctoris sui approbet, odio autem habeat, & criminetur flagellum solum, quod apparet, qui ipso quidem odio ostendit, quàm necessarium sit flagellum appositum: homines enim faciles, & parati ad capiendam obliuionem contra Deum, si nihil haberent in fabrica mundi, quod dignum esse metu appareret, amplius quidem procederent animo, & voluntate contra Deum, accusati verò essent non rectè, vtpote nulla re earum, quæ apparent excitati; etsi enim natura inest nobis libertas ad eligendum quod melius est, tamen propter ignauiam, facile in obliuionem incidimus: multa igitur sunt, quæ necessario cogitationem nostram ad Deum timore excitant: sicut rursus plurima, quæ hanc cogitationem per benignitatem, & bonis fruendi copiam & facultatem ad agendas gratias creatori mouent: vtrisque enim erudimur, & instituimur iis, quibus tanquam bonis fruimur: & iis, quibus tanquam horribilibus & pertimescendis conuertimur.

F

Quòd igitur sæuum est natura, horribile est, sed non malum: malitia enim & nequitia affectio cogitationis sunt: appetitus autem naturalis sic factus, ab omni culpa, & crimine liberatus est. Deus autem misericordia erga homines motus, fecit, vt metu, & horrore bestiarum ratione carentium, probitatem, quæ ad partem rationis compotem pertinet, consectaremur: & nihil in huiusmodi bestiis, ac feris malum: quod enim non nouit, quod est, quomodo malum est? vt iam non minus sic redarguatur, quod Manichæus tradit de nequitia, quam finxit, & ingenitum principium vocat: non enim tribuit ei cogitationem, & cognitionem nequitiæ, ne si reperiatur habere sensum boni, hac ratione appareat, non esse nequitia: cognitio enim boni testimonium est naturæ non malæ. Manichæus verò, cum nequitiam statuit, ratione carere, & cognitione priuatam esse, eam etiam priuat cognitione eius, quod ipsa est.

πάθος

G

Si enim sentiat, & cognoscat, quod mala est, sentiet omninò contrarium euadens bona. Siquidem malum ratione deprehenditur sensu & comparatione boni, vt si manifestum sit malum, contrarium quoque sit manifestum: omne enim contrarium probatio, & iudex est contrarij, cognitione tamen & iudicio. Sine cognitione enim neutrum est alterius iudicatio. Si igitur nequitia se ipsam ignorat, & cogitatione non suscipit malum, non erit nequitia: frustra, & vanè accusabitur: nequitia enim libera à ratione, similis est phrenetico, id est, furioso in febre, aut in alio casu, qui, quod facit, nescit, cui omnes ignoscere consueuimus: ac magis quidem ad luctum flectimur, à nequitia eum liberantes: cum sine causa percutit, aut etiam occidit, si gladiū reperiat. Sic omnibus hoc manifestè patet: & hoc iudicium commune est ac naturæ consectarium, non nominare malum, si ignorat quod facit. Si igitur neque id, quod cognoscit, bonum necessarium vocabitur, sequitur neque id quod seipsum & quid sit, ignorat, nequitiam esse, quorum alterum neque ipse admittit: alterum verò per errorem, & contra communem existimationem statuit: sic neque fera vlla mala est, cum sit rationis expers: homo verò male moratus malus est, qui ratione vtens capessit, quæ non ignorat; accessio enim rationis ad naturam nequitiæ crimen inducit; præparat enim ratio cognitionem actioni susceptæ; quia priuatio cognitionis priuatio est culpæ, & criminis. Sic homo vtrumq; cognoscens virtutem scilicet & vitiū, ab eo, quod elegit, nominatur, antecedit enim electioni cognitio, prius autē quam cognoscat, dū puer paruus est, à neutro extremo nominatur, id est, neque bonus, neque malus dicitur.

H

A dicitur. Quamobrem ex omni parte liquet, virtutem & vitium rationi, & post rationem electioni attribui; bestiæ igitur, quæ non sunt rationis participes, non sunt nequam, nec à nequitia productæ; quia si illa ita se habeat, non est nequitia.

Præterea videre licet sæpenumero, quod est in serpentibus nocentissimum: venenum dico à medicis absolutissimis ad medicinam adhiberi; & mista cum iis, quæ possunt auxiliari, grauissimos morbos interdum depellere: & ex ipsis carnibus, aliis generibus, & herbis admistis optimum remedium corporibus confici. Similiter in aliis bestiis, quædam enim partes, & membra, & sanguis, sola, ac per se ægrotantibus conducunt. Quomodo igitur sunt ex nequitia, quæ ex parte sunt vtilia, & iuuant? Hæc igitur omnia ducenda sunt vtilia propter homines tantum; non autem appellanda sunt bona, neque mala, quæ hominibus tantum necessariò metum iniiciunt, vt ad melius institutum se conuertant, & otium bestiarum,

B atque vocatio earum à vocando, apud homines otium, & inertiam prohibet; sunt enim polita ipsa instar flagelli apparentis in domo, vt metuant famuli, ac ministri, si quis eorum se dedat otio, aut si quis domi delinquat. Si verò contingit videre has, quas diximus, bestias nihil nocere improbis, admiremur in Domino tolerantiam malorum: nihilominus tamen considerare oportet flagellum propositum: contra verò si boni incidunt in has feras, aduertendum est, quod Dominus bono delinquenti prospicit, & cauet, non autem ei qui valde desperatus est: ille enim peccat, quæ curari possunt: hic verò reseruatur ad supplicium, quod euadi non potest: huiusmodi enim exempla permulta in diuinis scripturis videre ac legere licet: magna itaque cura est Deo de homine, quamobrem omnibus modis proposuit, quæ eum ad timorem monerent, & excitarent, vt neque somnus illi à creberrima molestia liber esset, quin hic etiam à quibusdam feris, & serpentibus impeditus, cogitationem instar stimuli pungeret, ac multa quidem sunt, quæ humanam infirmitatem

C iuuant: vt ergò homo recordetur Dei, eiusque memoriam habeat, mirifice per ea, quæ corpore patitur, à morbis animæ liberatur: & per ea, quæ pati posset, quamuis non patiatur, ad timorem conuertitur. Incidit quoque homo necessario in morbos corporis, vt peccatum, grauissimum morbum & qui solus verè morbus est, effugiat: cui enim non dolet, intemperans est: & qui peccat impune, funditus perit.

Si enim tam multis, ac tantis ad timendum propositis, ex magna parte homines, ex vacuitate timoris ægrotant, quomodo conuictum, & societatem inter se habere potuissent, si nullus eis metus ante oculos impenderet? mollit igitur duriorem mentem morbus: & sæpenumero naufragium mercatores periuriis assuetos mutauit, & rursus inopia opibus elatum depressit: orbitas filiorum correxit auaritiæ propter liberos deditum.

Quòd si non correxit, exemplum saltem sentientibus

D præbuit: ac liberi quidem nullam prorsus iacturam aut damnum fecerunt, quin imò beneficium acceperunt ab institutione malorum parentum liberati: auaritia autem refellitur.

Rursus alij cum parentes alioqui probos habeant, moriuntur, aut quia futuri erant indigni genitoribus suis, ne bonorum malæ columnæ extent; aut si probi quidem sunt, euasuri tamen praui mutatione morum, si crescerent: beneficio afficiuntur, non permanentes in malum suum, omnia Deo, prouidentia, & præcognitione sua gubernante. Admodum itaque necessarij sunt metus, & variæ, atque infinitæ sunt causæ eorum, quæ Deus dispensat ac prouidet: & sæpe sæpius eadem propter varias causas eueniunt: ille ægrotat propter peccata, vt conuertatur: alius propter virtutem, vt magis adhuc exerceatur: in testimonium item alius propter nimium peccatum, vt arguatur: & eiusdem casus variæ etiam causæ; ille amittit opes malè eis vsus, Deo sic illi prospiciente, ac præcauente; alius vt ad virtutem per inopiam se exerceat; alius sponte sua graue pondus diuitiarum abiicit, ne sint ei impedimento ad virtutem; neque facile

E quispiam perspicere potest absolutam rationem earum rerum, quas Deus gubernat, vt hominibus consulat; pauca verò quæ comprehensa sunt fidem faciunt eorum, quæ non sunt. Quædam enim ipse declarat hominibus, vt quodammodo ex iis, quæ sentiunt, ascendere possint ad eum: alia verò plurima, obscuritate contegit, ne contra se fiat magister non credendi: nec enim decebat omnium, quæ sigillatim fiunt, demonstrationes à Deo poscere: siquidem huiusmodi cognitio difficilior, & peior est quàm ignorantia: hac enim ratione suadetur menti, quod addiscat: alioqui nihil eorum, quæ Deus gubernat, ad iustam gubernationem referret: melior autem est in Deum fides, & charitas, & quamuis mens non perspiciat, quæ fiunt, confidat tamen rectè gubernanti; siquidem in omnibus rebus adduci argumentis, & probationibus, potius esset perfidia, quàm fides.

Imò plerique in veros, & germanos amicos non inquirunt curiose, legitimam, ac germanam amicitiam hoc F ipso reddentes, quòd cum amicis sine curiositate versantur: tanquam facilè accusationem perfidiæ incurrentes, si nunquam post periculum factum ipsis confidant; sic etiam Deus cum maximè velit, vt simus erga ipsum bene animati, non omnem prouidentiæ suæ vim & efficientiam declarat; vult enim, vt ei credamus: neque rursus omnem nos celat, sed quibusdam exemplis quodammodo mentem nostram sustentat.

Qui igitur animo grato, & pio sunt, simul sentiunt, & memoriam semper conseruant, instar terræ bonæ satæ, florescentes in studio virtutum.

Qui verò mentem habent magna grauitate consuetudinis peccatorum obrutam & oppletam, aut anticipatione aliarum contra Deum fictarum cogitationum, quales Manichæus deprompsit, & quales apud alios repeririuntur: pulsatur quidem eorum mens, sed repellunt sensum exemplorum, & vtilitatem.

Atque hæc quidem adiecta sunt generatim de prouidentia Dei vniuersorum; erat autem nobis quæstio de G omnibus feris, demonstratumque est rationibus ex natura ductis, neque malas esse, nec ex vllo malo principio profectas, vtiles verò esse hominibus ad incutiendum metum. Si enim, quæ in mundo facta sunt, suauia essent, & hilaritatis plena, nihilque omninò esset, quod vel sensim perterrefaceret, graue & durum visum esset hominibus instrui ad non timendum.

Habent autem hæc etiam varietatis ornatum, & decorem cum terrore mistum; præter hæc etiam continuo sunt alia animalia, quæ nec idonea sunt ad alendum homines, neque possunt præbere eis vestitum: neque rursus ferina sunt, & sæua, sed solum varietatem mundi supplent: manifestumque est omnia animalia mansueta, & non mansueta, & quæ sunt interiecta, vnius creatione, & voluntate permanere, nec à seipsis vicissim interire, variis modis excellenter munita: alia enim prædita sunt iuncto robore, alia vero infirmiora, velocitate naturali se tuentur; alia aliter armata sunt; & quæ videntur ar- H mis carere, alia quædam forma munitionis tuta sunt: aut enim naturam volucrum sortita sunt, aut sub terra latent: sic fabricator mundi ornatum confecit varietate: & regens ad æqualitatem quæ sunt diuersa, omnibus distribuit tuitionem sui, vt nullum genus horum imbecillitate naturæ proditum, pereat: ad commutationes temporum induuntur tegumentis suapte natura ortis, & pilis densis, ac duris coriis, quæ hyeme, & in æstu ad propulsandum incommodum idonea sunt, & quæ faciunt, vt facilius recubent, & requiescant, vt videatur suapte vi, & natura supposita eis stragula; ac partim quidem parum fœcunda sunt, aut tanquam difficilia ad capiendum, aut tanquam diuturnæ vitæ; alia verò, quæ facilè capiuntur, & ad vtendum quotidiè tradita sunt, fœcunditate sua durant, & seruantur.

Alimenta verò aliud animal alia habet, atque omnibus abunde apposita sunt, ita vt nulla herba ex iis etiam, quæ mortiferæ videntur esse, natura sit mortifera; quod enim alteri generi nocet, alteri prodest. Salutare autem &

pestiferum

Marginal notes: ἀπμαίχως. (beside "possunt auxiliari"); φυλοl. (beside "enim peccat")

A pestiferum simul natura quomodo hoc esse potest? differentia autem his vtentium, varietatem quæ in his inest, requirit, vt in animantibus ratione carentibus vestigium quoddam appareat rationis, legis scilicet eius, qui ea creauit: nihil enim horum ignorat, quod sibi cognatum est: neque propter naturam ferinam, & rationis expertem, quod pestiferum sibi est tanquam aptum ad nutriendum adhibet. Quin potius vnumquodque quod sibi commodum est, appetit, & prosequitur. Si enim omnis herba, & radix omnibus esset accommodata, & congruens, minus pateficeret, quod lex creatoris etiam in animantibus ratione carentibus viget, & dominatur.

At verò esse hoc quibusdam nocens, aliis autem id ipsum salutare, clarius sapientiam Dei in omnibus prædicat, qua factum est, vt esset in animantibus ratione carentibus vis quædam naturæ, qua ea, quæ apposita sunt, discernerent. Quæ si naturaliter in singulis non inesset,

B meritò, ac rectè ea, quæ nocent, accusarentur tanquam à nequitia edita, & orta.

Sin verò in animalibus naturalis quædam vis discernendi, iudicium præoccupauit, & vnumquodque sibi conueniens eligit, omnis videlicet herba, & radix vtilis est, etsi non omnibus: varia autem sunt variè apposita.

Hoc igitur modo Manichæi, qui omnia criminari studuit, refellenda & euertenda est accusatio herbarum pestilentium. Sic enim & contra ferrum, & contra ignem mentitur, faciens in his contra quam vult. Qui enim accusat materiam, quam esse inaniter fingit, rursus apparet tanquam defensor, & patronus eius eis succensens tanquam malis, qui materiam consumunt: ferrum autem, & ignis seminata sunt in terra ab ipso mundi auctore, inuenta verò sunt ratione ab homine, id Deo concedente. Sine his autem penitus manca esset vita hominum.

Etenim si iudicauit Manichæus nocentia esse, quia

C consumunt & interimunt corpora ferro & igni obiecta, quanto magis apparebunt vtilia & salutaria propter vsum suum ad omnia necessarium. Si verò abdita sunt, & latentia in fabrica mundi, hæc autem à principio ratio hominis adinuenit, cui assignabimus rationem hominis horum inuentricem, an nequitiæ, & materiæ quæ cognitionem non habet, vt Manichæus est auctor, an Deo? At perspicuum est sapientiam rationis & bonum esse, & munus boni. In quem sinapie vi insiluit vnquam ferrum: quod vsui rationis tantum subiectum est, & omni arti seruit, ac ministrat.

At occidit homo ferro, inquit Manichæus: & ad instrumentum accedit malum artificium vtentis. Quasi non esset visum ferrum malum, nisi homo hoc modo ferro vteretur. Si enim vellet sicarius occidere, & ab ictu aberraret, an non liquet, animo quidem rem perpetrasse, ferrum verò extra culpam esse, sic quamuis ferro homicidium fiat, non est in crimine, & culpa ferrum, sed qui non secundum rationem vsus est ferro ad

D secandum: si autem ligno percutiat, aut cuspide feriat, aut propriis manibus strangulet, rursus hæc Manichæus appellabit mala, & omnia apud eum crimini potius dabuntur, quam cogitatio voluntaria.

Omnia enim, quæ dicta sunt cum ferro, neque bona, neque mala sunt: trahuntur enim, quo qui vtitur, velit, quæ verò sunt posita instar instrumentorum, & deseruiunt vtenti, quæ si homini non essent tradita, nec artificia sic perageret, nec vtilitates ex artificiis copiosas haberet; & quod plus est, minime ad virtutem exercitatio adhiberetur, non habendo enim apposita instrumenta, quæ ad actionem virtutis, vel vitij accommodari possent, non haberet potestatem virtutem vitio præponendi, vt maximam iacturam fecisse videretur; & à maxima laude excidisse, si propterea videretur non admittere turpe factum, quia non habuit copiam eorum, quibus perficeret; quod enim omnino non agit, otiosum est, & inglorium.

Sed vide, inquiet, quod ex instrumentis prouenit, magis necessarium accidit: mors enim non est inuenta

E ab interfectore, sed à creatore sancita est, & si quis studeat ferrum, & lignum, & lapidem, ignem, & aquam, & alia eiusmodi tanquam malefica accusare, relicto principio instrumentorum, reprehendat, & accuset id, quod ex instrumentis prouenit, mortem dico, probetque non esse hanc à Deo decretam, & constitutam secundum rationem: atque ita postremo appellat mala, quæ male adiuuant mortem. Sed si nemo potest probare mortem esse malam, sed contra potius, vt copiose probatum est, vtilem esse, an non superuacaneum est accusare tanquam natura sint mala ea, ex quibus mors accidit, quæ neque sciunt, ad quæ sint adhibenda ab altero, cui tradita sunt, & ab omni culpa, & crimine sunt libera: cum oporteret hominem solum accusare, qui ea instrumenta tunc mouet, cum non licet, neque conuenit.

Sic enim verè conclusum, & confectum est, nihil in

F fabrica mundi esse malum, solam rationem humanam, quæ necessario potestatem accipit, aliquando quidem peccare: peccantem verò ob id solum reprehendi, quia quod deterius erat, præposuit meliori: neque contra naturam posse aliquid nouare, nec esse penes eum, vt quæ supra sunt, sint infra, sed solum facere ea, quæ secundum naturam sunt, quamuis accusetur facere præter rationem.

Sicut cædes mortem secundum naturam operatur, nihil amplius faciens, quam quod est secundum naturam, præterquam quod coarguit eum qui fecit, rursus adulterium, & alia eiusmodi ob eam tantum causam accusantur, quia sint auersa à ratione. Contra naturam verò à creatore constitutam nihil penitus potest aliquid noui moliri, quippe cum lex eius, qui naturam fabricatus est, sit, & maneat immutabilis, in ipsis verò, quæ naturalia sunt, peccata versantur nullam nouitatem introducentia, solum arguunt, & conuincunt facientem sponte peccare, vt qui non possit aliter ex virtute de-

G gere, nisi penes eum sit contrarium agere, quod quidem volens, & libens declinat, vt virtutem comparet; est igitur summæ stultitiæ, & insipientiæ ferrum, aut lignum aut alia eiusmodi in crimen vocare, & non eum, qui his præter rationem vtitur.

Si quis verò quærat, quare occiditur homo? rursus dicendum erit, quod sæpius dictum est, quare igitur homo denique moritur? quod quidem si malum esse ostendatur, rectè culpa in eum, qui constituit, redundat. Sin verò non est mala, permissio tantum eius, qui res nostras procurat, inquirenda est, quare homo in hoc genus mortis incidit, quæ non est secundum naturam mala, & continuo reperietur ex multis, ac variis causis accidere, quas enumerare curiosum fuerit.

Idem enim iusto, & iniusto diuersis causis accidit, non vt iusto sit damno: nec iniusto, vt sit supplicio, & vindictæ, (non enim quod secundum naturam est, supplicium fuerit) sed vt sit exemplo aliis, vel ad prohibenda mala insanabilia, multæque aliæ causæ sunt, propter

H quas Deus hominem occidi permittit: constat tamen nihil amplius, quàm quod in natura decretum, & constitutum est, accidere, licet enim diuersus casus accidat, febris, satietatis immodicæ, aut contra exinanitionis ex fame, frigoris, æstus, aggeris, lapidationis, gladij, ignis, aquæ: at in his omnibus vnum est, quod inde prouenit, ecquid hoc? id scilicet, quod à creatore, rectè, & vtiliter in vniuerso genere constitutum est.

Sic igitur, ac multis etiam aliis modis demonstrari potest nihil esse in fabrica mundi malum: neque quicquam in gubernatione diuina, quod reprehendi possit, sed omnia inexplicabili sapientia facta esse, & prouidentia ineffabili gubernari, vt non sit facile eorum, quæ à Deo facta sunt, tum quæ suauia, tum quæ tristia & molesta esse videntur, rationem perspicere, aut comprehendere: non enim vt videtur, oportebat patere omnibus diuinæ sapientiæ iudicia, & mentem Dei, quæ nec explicari, neque comprehendi potest, omnino nudam, & apertam esse hominibus, quandoquidem plurima etiam hominis regis

A consilia interdum celantur, vt quod agitur, qua ratione fiat, ignoretur.

Quare non mirum est, si totius gubernationis Dei rationem non percipiunt: quos decet sine curiositate subiectos esse, & silere, & minime contra diuinam gubernationem dicere. Sæpe enim pudet nos in architectum peritum aut ædificatorem nauis expertum, aut in fabrum spectatum curiose inquirere, cum quisque eorum, quod artis suæ est, facit: quin potius experimento confisi, expectamus, vt opus videamus, contingit etiam aliquando, vt lapsum eorum non sentiamus.

Quid dicemus de sapientia Dei, qui omnem mentem, & intelligentiam superat? quam quidem oportebat siue eam intelligentes, siue non intelligentes obstupescere & honorare. Si quis verò quia rationem multorum, quæ à Deo fiunt, non assequitur, decidat in absurdas de Deo opiniones, miserrimus, & valde stultus, & insipiens est, hic ipsa cæcitate mentis suæ tanquam duce vtens, vt

B Manichæus, qui insaniam sceleratissimam, contra eos, qui ei crediderunt, excogitauit: qui quia non intellexit, quomodo nostra Deus gubernaret, secundum principium ingenitum nequitiæ finxit, vt ab iis, quæ sunt supra delaberetur: & ea, quæ infra, vt intelligeret non ei concederetur, ea in Deum vniuersorum fingens, quæ patientiam eius altissimam prædicarent, diuisit enim ea, quæ Dei sunt: & eorum plurima ad nequitiam, quæ nihil est, retulit: omnibus modis in Deum blasphemus, qui ait, opera bona Dei composita esse ex nequitia.

Quid igitur diceret de principiis corporum, quæ quatuor elementa appellari consueuerunt, quæ quidem contraria inter se sunt, & perfecte opposita? nullum autem horum potest quicquam per se efficere. Quid enim erit, scilicet ad generationem corporis, siccum sine humido? aut quid calidum sine frigido? Si igitur contrariorum coniunctio efficit corpus, quænam ille ex quatuor elementis referet ad nequitiam? aut quæ ad bonum? si enim Manichæus in omnibus elementis mistionem boni &

C mali cogitatione fingit, necesse est diuidere quatuor in duo, & hæc scilicet æqualiter separare: vel tria in vnum: at quodcunque referat ad bonum, reperietur posse per se nocere, quia nullum ex quatuor elementis est purum, ac merum, & non periculosum, ac continuo quod in mistione redundat, efficitur corpori causa interitus, vt aiunt, qui sunt in his periti, & exercitati.

Si ergo calidum quidem per se vrit, frigidum verò refrigerat, siccum autem siccat, & humidum humorem efficit, quod horum Deo attribuet iste planus? ipsum enim corpus totum consentaneum ex iis elementis mistum esse, ex quibus compositum est, & per se existit: vt autem vnumquodque elementum sit ex mistione eorum elementorum, ex quibus fit mistio corporum, fieri non potest.

Quamobrem ratio non patitur, vt quodque singulare & indiuiduum elementum in duo contraria principia diuidatur, & mistio cuiusque eorum introducatur, quam enim compositionem excogitabit in sicco decep-

D tor iste? quam mistionem in mero, & puro igne? aut quam coagmentationem in frigido, quod ex toto frigidum est? similiter in humido.

Hæc enim vnius formæ, & indiuidua planè sunt: vt nullum horum per se possit existere, sed aliis iunctum.

Insanit igitur & quidem grauissima insania, cum partem quidem ignis dicit esse boni: partem verò mali: est autem necesse illi hoc facere in elementis, & diuidere, quæ diuidi non possunt: siccum enim ex toto siccum est, & per se siccitas simplex est, & vnius formæ, & frigidum neque cogitatione diuidi potest, cum sit vnum, ac simplex ex toto: similiter humidum, & calidum.

Quid igitur in igne erit Dei? & quid contra erit nequitiæ? quandoquidem neque diuisionem recipit, neque mistionem accepit, cum sit purum, & merum: corpus enim diuiditur saltem cogitatione: merum autem elementum quomodo ex contrariis compositum esse vi-

E deri potest? quidnam contrarij cogitare quis potest in puro igne.

Si igitur vnumquodque est ex toto periculosum, nullum eorum, per se secundum rationem Manichæo congruet bono, sed potius omnia referentur ad malum: præterea non erunt corpora ex altero composita, quod est alienum à fundamento Manichæi.

Quomodo autem videbitur ei in igne hoc quidem esse salutare, quod est boni, hoc vero mortiferum, & vrens, quod est mali, nisi insane fingat mistionem elementorum, ex bono, & ex malo? quod quidem si putet, cogetur tribuere ex Deo, quæ volet ex quatuor elementis, quæ ex toto, & indiuiduè tali natura prædita sunt: & cernetur confiteri existere ex Deo metum, & per se nocens: diuidit autem insanus naturam ignis indiuiduam, dicens aliud esse in igne salutare: aliud verò vrens, non intelligens barbarus, in vsu ignis esse diuisionem, non in natura ignis: huius enim nimia propinquitas pernicies est: moderata verò distantia securam participationem caloris affert: cum alioqui ipsa vis vrendi sola, quæ quidem est ignis, necessaria sit: hæc enim mollit, & liquefacit ea, quæ ad vsum necessario adhibentur, vt nihil aliud sit ignis, quàm vis eius ad vrendum: & nihil aliud necessarium sit ad hunc vsum, quam hoc. Manichæus verò valde ingratus, & beneficiorum Dei immemor ignem vituperat. F

Si quis autem ponat quatuor elementa, sicut ille opinatur, ad malum pertinere, quomodo hæc, quæ sunt singula vnius naturæ, contraria esse videantur? Si enim calidum est ex ipso, frigidum ex altero, aut contra, si frigidum ex ipso, calidum ex altero, & sic rursus in alia coniugatione hoc fundamento posito, mistio corporum fieri non poterit: si verò ad excogitationem nequitiæ referat inuentionem extruendi mistionem corporum, sapientissima apparebit nequitia, quæ alioqui cognitionem, & intelligentiam non habuit, ita vt maximam creatoris laudem, & admirationem ferat, siquidem cognouit, quomodo per se existeret mistio scilicet corporum. G

Sed quia solem honorat, & vt existimauit, decernit non habere mistionem mali, age videamus de sole pro studio veritatis, videbitur enim esse vnius ex quatuor elementis, substantiæ, inquam, calidæ: non enim nocet subiectis, sed solum calefacit, & iuuat, quia plurimum distat: quibus autem appropinquat, vrit, & tale solum sterile reddit, & in æstate cum in terram iacit radios puros in meridie, vsqueadeo eam calefacit, vt pauimentum nudis pedibus suppositum instar incendij sit.

Sæpè autem homines in flammam solis incidentes nimio æstu interierunt non inuento prope, quod refrigeraret: efficit autem nigra corpora, & adurit, facitque plane, quod ignis solet: imo ipse ignem fœcunde generat, si quis aquam in vase vitreo soli aduerso admoueat: vis enim radij solis lucido illo aquæ & vitri coacta, & conferta: atque in angustum quidem transmissa, & adiuncta materiæ, facile ignem concipienti, simul parit ignem, & aperte suadet non volenti contendere, esse quidem solem speciem ignis, ex operibus verò splendidis ipsius creationis ipsum primum, siquidem natura ignis splendidior est omnibus. ἀκμή. H

Cum enim omnia alia elementa deorsum ferantur, solus ignis in ea quidem, quæ comburi possunt, insultat, sursum verò supra omnia fertur leuitate sua, aëremque ipsum conuincit grauiorem esse, quia supra eum in sublime fertur, vt subtilior, tenuiorque appareat quam aër propter cognationem cum sole. Vnde Manichæus cum solem facit diuinum tanquam ex natura boni, videtur similem igni facere, imò talem quendam, qualis est ignis, introducit. Sol enim substantiæ calidæ, ab igne differt τῷ θέσει, efficientia verò idem operatur, nisi mensura distantiæ ea, quæ sunt opposita à validiore iactu radiorum defendat: quinimmo omnibus animantibus, & stirpibus nocens existimaretur, nisi simul alia cum eo fabricator mundi ad auxilium fecisset, quæ

faciunt,

A faciunt, ne nobis, & aliis animantibus noceat; hæc autem sunt latibula, & tecta: stirpibus verò aquæ sunt auxilio, & flatus ventorum.

Quare qui definiunt esse quintum elementum solem, ne contra ea, quæ clara sunt, contentiosè disputent, nec vlla fides habeatur Manichæo scelestissimo, & in Deum blasphemo, qui solem cum Deo confert; & ex substantia eius esse dicit. Omne enim, quod sub aspectum cadit, cum sit corpus, natura oppositum est inaspectabili, & incorporeo, cuius opus esse potest, & quidem opus valde mirabile, similitudinem verò naturæ nullam habere potest.

Valde difficile esset enumerare, quæcunque impia hic planus libris suis inseruit: vituperans enim res omnes tanquam malas, fructus etiam terræ tanquam nutricios materiæ accusat: ac solem quidem admiratur, & ex bono esse decernit, quæ verò alit calore, stirpes dico, & semina, non pudet acerbè vituperare, quæ quidem sine B sole qui à Deo factus est, omnino non consisterent. Sicut enim nihil iuuaret sol, nisi imbres arbores irrigarent, & vtiles venti perflarent, sic imbres, & alia sine sole nihil iuuarent.

Ille igitur etiam hic vehementer secum pugnat, accusans grauiter, & ad nequitiam referens fructus terræ à sole alioqui auctos, quem valde admiratur, & honorat: imbres dicit esse superfluentias præsidum materiæ, qui ex amore laborant aduersus potestates boni, qui cum ita laborent, sudores eorum esse definit, id quod in eis, vt ipse putat, abundat, & superfluit.

Nititur etiam docere, superuacaneos esse imbres in mare, & in loca sola, & quæ non seminantur, effluentes, tanquam aduenerit ad ratiocinandum diligenter contra Deum, quasi frustra, & profusè, ac prodigè aquas consumat, qui præ summa amentia non videt, quid Deum deceat. Quòd si Deus inops aquarum esset, faceret diligenter vt accommodate ad vsum, & necessitatem effluerent. Sed quia diues est, & tam diues, quan- C tum nemo oratione consequi potest, hæc ipsa abundans imbrium effluxio demonstrat mare, ex quo aquæ in aërem feruntur, per imbres irrigare; solitudo verò, & locus, qui non excipit semen, necessario pluuiam accipit ad suppeditandum fontibus, & aliquando iter facientibus, vt inueniant aquas collectas. Denique vt terra expers pluuiæ sole arderet, non sanciuit: vt plurimum enim aut per flumina, aut per imbres vniuersa terra rorem à Deo accipit.

Siue igitur non pluat, præsto est Manichæus & qui eum sectantur, ad blasphemiam Iudaicam: sine pluat, non desinit inaniter accusare, & reprehendere Deum, & panem si in manus ad vescendum sumant, primum discipuli blasphemiæ Deum maledictis insectantur: atque ita ingrati satiantur, & quasi nihil fructus ex creatura perciperent, linguam soli in eam acuerunt, imò in auctorem eius, & tanquam inimicissimi Dei, ea, quæ sunt creata, participant, idque succensentes, quod eis indigent.

D Procreationem liberorum contumeliose vituperant, volentes, vt corpora sine ea miscerentur, qui serui quidem sunt necessariæ successionis à Deo sancitæ, sed non voluptatis, inimici autem per omnia veræ & germanæ virtutis, ac pietatis, tanquam accusantes humani generis perpetuitatem, & volentes alicubi sistere processum eius naturalem, sancientes legem Deo, & bonitate eius succensentes, qua eorum blasphemiam patienter tolerat.

Cum alioqui naturalis quidam appetitus concubitus ob eam causam corporibus constitutus, & ordinatus est, vt animalia ferè necessitate motuum naturæ ad efficiendam successionem ferantur, sapientia infinita creatoris qui hoc statuit: etenim quia laboriosi sunt partus muliebres: laboriosæ item viris & fœminis educationes liberorum, valde autem necessariæ successiones, appetitus quidem naturaliter mouet, & quodammodo vim adhibet, ratio autem sanctè demonstrauit præstabiliorem esse successionem voluptate, & extra culpam est voluptas corporum, si quidem rationem, & legem au- E ctoris sequatur.

Qui autem sæpius voluptatem capientes, opus quod inde necessario prouenit, odio habent, & mandant sic commiscere corpora præter edictum, vt conceptus concludant, & eiiciant, & partus tempestiuos & maturos non expectare, quippe cum hoc solum sit graue, & difficile, hi inquam, qui inimici naturæ excitati sunt, & insanire contra Deum vniuersi didicerunt. Quare, inquiunt, insita est corporibus libido corporum commiscendorum?

Sed quomodo esset in hominibus decor pudicitiæ priuatæ, nisi natura esset quod titillaret, & ratione coërceretur? vbi esset apud mulieres virginitas, aut apud viros intractatio nuptiarum, nisi ratio amorem sanctitatis haberet, quæ naturaliter certans eos, qui recte cupiditatem insitam reprimunt, & domant, victores declararet? idque non ad contumeliam naturæ, sed ad exercitationem tolerantiæ, & sanctitatis? sic sane cibis, & F potionibus delectamur, non criminosa voluptate fruentes; naturalis enim hæc est, & tamen ieiuniis nos exercemus: non quod est supra naturam contra naturam exercentes, sed tolerantiam amplectentes, & Deum per humiliationem placantes, & propitium reddentes: nunquam exercitationem ieiunij susciperemus, nisi fames esset in corpore.

Vbique igitur appetitus asciscit laudem & moderati vsus ciborum, & abstinentiæ pro viribus: non enim vsus eorum, quæ secundum naturam sunt, peccatum parit: vini quidem moderata potio salutaris esse potest: vitium verò ebrietatis per intemperantiam introducitur.

Similiter vsus cibi secundum naturam moderati culpa vacat: gula verò arguitur, & reprehenditur propter nimium, & quia est præter rationem, sic etiam vti legitime, & moderato appetitu miscendi corporis, omnino caret crimine, præter legem autem, & immoderate vti crimen affert incontinentiæ. Manichæus igi- G tur, & eius asseclæ nihil ratione perspicientes, omnia furenter contumeliis affecerunt: tanquam omnis cupiditas sit mala, cuius quidem modus, & temperamentum legitimum extra culpam, & crimen est: abstinentia verò pro viribus spectata laus est admirabilis virtutis.

Si enim quis abstinens laudabilis est apud Deum, non male in potestate eius est, id cuius abstinentia officium est perfectæ virtutis: maxima enim iactura fieret, si in potestate eius non esset, tanquam non posset edi virtus per abstinentiam: nisi enim contrarium fieri possit, non potest fieri malum, neque rursus fieri potest bonum, nisi possit malum, vt sæpe demonstrauimus. Manichæus autem bonum, & virtutem inhonorat, cum potestatem, & libertatem vituperat.

Præterea non pudet dicere animatos esse lapides: & introducere omnia animata, & quæ manifesta sunt inanimata, tanquam illa virtus boni in lapidibus etiam contineatur: qui vsque à Deo quod ab ipsis honoratur, H ad ludibrium, & vtilitatem deiicit, vt naturam boni in lapidibus inanimis ligatam esse dicat: affirmare autem sic se habere ista, quæ dicit, qualis insaniæ indicium esse dicitur? si enim in lapidibus continetur, quod à Deo missum est, iam vicit nequitia, contra ligato, quod ad ligandum venerat: dicit animæ lapidum, & lignorum indicium esse sonum in aëre lapidis, & virgæ, tanquam audierit aliquando vocem ipsorum articulatam.

Est autem apud nos etiam cogitatio, & sermo animæ, qui nequaquam auditur: quod enim auditur, percusso aëre per instrumentum corporeum auditur, quod quidem absque motu rationis in animantibus ratione carentibus inueniri potest, quæ clamant quidem sed non articulate, quia ratione priuata sunt.

Est autem proprium corporis licet sit inanimatum, percusso aëre sonitum reddere: quod enim caret corpore, non reddet vocem, quæ audiri queat, quia non

percutit

A percutit aërem, cum sit ab instrumento percutiente liberum.

Quamobrem incorporeæ potestates inanimæ videbuntur, quia nihil quod sensu auditus percipiatur, ab eis ad nos fertur: quod igitur oportebat fieri indicium corporum prorsus anima carentium, vt quæ necessario aërem pulsant, (hoc enim corporis est, non animæ) hoc accepit Manichæus tanquam signum animationis: hinc etiam est, quod grauiter accusat eos, qui mactant quadrupedes, & volucres, quæcunque homines ad vescendum adhibent, tanquam hæc etiam vlla virtus boni animet, in eisque contineatur. Sic studet, vt modis omnibus contumeliosè vituperet, quem bonum scilicet appellat: interrogandus quippe est, cuius pro curatione tradita sunt hæc à principio hominibus ad vescendum? an nequitiæ tanquam contumeliosæ in bonum? at non fuit illa tantæ rei conscia, vt quæ cognitionem non habuit: non enim alius creator mundi fuerit: neque Deus, vt B ait, creauit, & virtutem ex propria natura produxit ad correctionem materiæ.

Exciterunt igitur omnia animalia volente eo, qui creauit, & quæ ad alendum homines idonea sunt, & quæ non: nemo igitur alius procurauit, vt hæc hominibus in cibum, & alimentum adhiberentur, nisi qui ea creauit: non enim vniuersa natura, quid sibi vtile esset, cognouisset, nisi qui eam fecit, sic sanxisset. Ex quo continuo factum est, vt hæc fuerint diuitiæ natura, quippe cum nunquam earum vsus deficiat, & quo magis quædam vsu consumuntur, eo sunt diuturniora: ac partim quidem alunt homines, partim vestiunt, & alia alios vsus præbent, facta homini serua à creatore. Vnde subiecta sunt ei etiam, quæ sunt vasta mole, mansuetè obedientia: & quæ in aëre, artificio rationis ad nos trahuntur, & quæ in aquis, educuntur, atque ea magis, quæ vtilitatem hominibus explent. Sic patet, non homines sibi per vim animalia ratione carentia subiecisse, præter voluntatem C eius, qui ea creauit, quin potius lex creatoris hæc ei subiecit.

Dicit etiam Manichæus impium esse bouem arationi terræ applicare, ne anima à Deo missa, valde seruitute pressa videatur: & quomodo agricultura sustentari posset? quomodo durans genus hominum perseueraret? sic Manichæus omnia præter communes notiones contra creationem variè furens finxit. Serua enim hominis naturaliter mansueta animalia facta sunt, & vsui eius destinata: non mansueta autem alia ratione serua, præter causam dictã, vt homo ratione præditus in omnia animalia ratione carentia dominaretur, Deo ob varias causas id procurante: alioqui non Leo tantum fera fortissima, aut aliqua alia huiusmodi bestia, aut serpens hominem vinceret; sed culex etiam, aut aliud ex minimis: verùm natura feratum aliter etiam quam dictum est, ad aspectum, & experientiam hominibus diuersis de causis necessaria est.

Sed quia ad singula, quæ ille nugatur, & fingit, respondere & occurrere delirum esse videtur, contemplan-D dum est intelligentiam sine disputatione, quomodo vnius verbo omnia aptata sunt. Vna lex creatoris in omnibus dominatur, & nihil in rebus pugnat, neque belli indicium, vel dissensionis in creaturis apparet, quin potius omnia (homine quidem peccante) pacem inter se habent, vt quæ ab vno pacis, & quietis statutum acceperunt, à quo hoc ipsum, quod sunt, à principio habent: conspirat enim cum rebus quæ in terra sunt, cœlum pluens, cum tempus postulat; ac rursus pluuiam sustinet, cum opus est solo calore ad maturandum: sol autem suo circuitu lege auctoris constituto efficit tempestates, nunquam eas commutans, quin imò vnum ordinem earum immutabilem tenet: perseueratque in natura varietas: atque vna & eadem summa conspiratio supra & infra cernitur: nox autem omni sæculo permansit sine inconstantia aduersus diem, non motu fortuito, & carente ratione diei succedens, sed sapientia auctoris addendo, & subducendo temperata, idque non alias aliter, quin potius manifestum, ac certum est tempus accessionis, manifestum item & certum tempus subductionis: rursus sol E non grauatur nocti succedere: neque contumeliam ducit legem creatoris, sed potius more probi serui, confecto sine cessatione vlla cursu diei, recedit, vt ei lex imposita est, diligenter se abdens, vt nox spatium sibi dimensum recipiat.

Quid verò de terra, & mari dices? quomodo ambo terminis circumscripta sunt? licet videre mare fluctibus elatum, lege autem ab impetu prohibitum, & vi ventorum impulsum in terram, metu autem legis retrorsum reflexum: quamuis non murus adamantinus auxilio est ei, ne mare effluat, & inundet terram, & non obediat auctori suo, quinimo satis est propugnaculum terræ aduersus mare verbum eius, qui fecit, coërcétque arena, quin potius lex cohibet & foris flatus ventorum violentos, & intus fluxionem aquarum, vt nullam partem terræ inundet aqua maris: & creaturæ quidem amicæ, & tanquam inter se germanæ vnum verè auctorem sibi F ascribunt, ac profitentur. Quis enim vnquam historicus scripsit, in cœlo motum stellæ in stellam factum esse? aut in terra animalia alterum genus oppugnasse, vt ipsum delerent, aut ipsa contra delerentur? sed potius quæcunque aliud in aliud incurrunt, & inuadunt, sapientia creatoris statutum est hoc: vt quæ abundant, consumantur: quæ & esse, & consumi, vtrumque hominibus prodest.

Si autem ad ipsa principia corporum consideranda veniat, & quatuor elementa contempletur, quemadmodum eorum conspiratio, ac concentus ex contrariis pendeat, magis stupebit consensum rerum, vt quæ ab vno, & solo hoc ipsum, quod sunt, habeant: in his enim quatuor elementis, id quod contrarium est, amicitiæ causa est: & quod in eis natura pugnat, summam pacẽ facit: quæ quidẽ quatuor numero sunt, vnum verò conflatu, ac concursu quin potius se ipsis inter se indigent, vt sint: & ipsa natura contrarij se vicissim adiuuant, & in se ipsis inter se G abdita sunt, & per se ipsa inter se apparent: & vt paulum dicam, neque calidum frigidi frigore frigescit: nec humore humidi extinguitur: neque siccum ab igne combustum est, nec ab humido humore perfusum: ex his enim inter se constituta sunt, & consistunt: & in se ipsis mirabiliter insunt: ac putabis quidem solum ignem esse, non tamen absque humido, & sicco, quibus quidem alitur, & splendet. Sicut alia in se ipsis inter se insunt, tactu tantum contrarium indicantia, sic tamen sibi inter se amica, vt nullam discordiam habere videantur. Hæc autem silentio prædicant admirabilem vnius ingeniti sapientiam, à quo facta postea concreta, ac mista sunt: non enim corpus ex vno quopiam & simplici elemento fieri potest; mistione enim & concretione conflatur corpus: quæ autem concretio, ac mistio esse possit sicci tantum? qnæ humidi solum?

Igitur necessaria est varietas ad mistionem corporis: necessaria item natura contrariorum, quæ in auctoris admirationem ad coagmentationem vnius vrget: quæ quidem non primum per se sola constituta sunt, atque H ita coierunt ortum pariter inter se capientia; & simul vt facta sunt, sensibus sunt diiudicata. Cum enim corpus per se extitit, ratio & mens coniuncta, & concreta, sensu discernit; quamobrem natura contrariorum postea deprehensa est sensu corporis, quod ex ipsis concretum, & temperatum est: quæ quidem non prius sunt, quam corpus ipsum, sed simul cum eo incipiunt esse. Quis dignè, vt meretur, admirari potest potestatem creatoris, & concordiam, ac concentum creaturarum? quàm in pace, & sine pugna omnia, excepta iniustitia hominum.

Permanet igitur ac perseuerat omnis fabrica in suo & ordinato motu conseruans in se immutabilem legem auctoris: ecquis velit, si sensus animæ sanos habeat, cum hæc ita sint, & infinita alia, quæ omnem mentem superant, aliud principium cogitatione fingere, & hoc soli Deo ingenito opponere? concors enim, & consentiens principium somniare superuacuum est, cum vnum sufficiat, contrarium verò suspicari, furiosi prorsus est, cum vniuersa inter se consentiant, varietate quidem

ornata

A ornata, in quibus sapientia veri auctoris factum est, vt sanitas, & tranquillitas cum austeritate appareat, quia omnis suauitas nimis mera, nocens est, & à ratione aliena: seueritas verò, & austeritas sola, suauitatis expers, ad feritatem & inhumanitatem spectat. Verumque autem corrigit, & delectat, exhilarat, & deterret: promittit suauitatem, & minatur terrorem: protendit spem donorum, & subostendit periculum suppliciorum, ne ratio eorum, qui in terris versantur, mollitia, & laxitate propriarum rerum in ignauiam demergatur: neque perpetuo metu percussa cæca fiat. Sed potius ex vtraque parte & ad timorem Dei, & ad virtutem instituatur.

PRÆFATIO IN LIBRUM TERTIUM Titi Bostrensis contra Manichaos.

B QVæ superioribus libris tum ex rebus ipsis, tum ex communibus notionibus dicta sunt, fortassis omnium, qui extra Ecclesiam sunt, mentem munire possunt, vt blasphemiam Manichæi in auctorem vniuersi non admittant. Quia verò aliam venationem contra eos, qui intra Ecclesiam sunt grauem quidem illam & periculosam meditatus est, quædam in scripturis sanctis dicta ad suam falsam doctrinam per vim detorquens, tempus est, vt ex diuinis scripturis confutationes contra eum agitemus, ad muniendum eos, qui ipsis scripturis sanctis credunt, qui absurdis, & improbabilibus earum interpretationibus interdum ab illo decipiuntur: vario enim fallendi artificio errorem, quem adiutore diabolo excogitauit, firmare nititur: apud Gentiles quidem non refellens illorum dogmata, quæ verò minora mala sunt, in maiorem molem impietatis extollens, peruersiorem Hellenismum introducit.

C Quibus ferè ad omnia consimili opinione malarum, & falsarum doctrinarum circumuectus, accessionem fictionum suarum immittit: apud Christianos vero, scilicet quæ Christianorum sunt, aggressus & probabilitate nominis Christi, & verborum scripturæ, & modestiæ specie lupum quidem qui est ipse, intus tegit, pellem vero ouis extrinsecus indutus, efficitur falsa stella gregi: atque ita imprudentioribus, & minus cordatis nocet, cui propositum est, impietatem maxime omnium nouam tum à se, tum ab aliis colligere. Vt autem nullus Christianus nouitatem eorum malorum, quæ collegisset, expendere saltem, & considerare aggrederetur, Paracletum se appellauit, vsu nominis, quod non solum supra hominem, sed supra Angelum est, fallaciam suam tegens, ac dissimulans, vt auctoritate appellationis probabili, homines alioqui stulti, nullo adhibito iudicio, quæ dicit, amplecterentur: aliquando etiam tanquam Apostolus IESV CHRISTI, barbaris genere, idem genere & mente barbarus impietatem per epistolas tradit: sed de his postea.

D Ex scripturis, quæ sunt veteris testamenti, illas ascribit Nequitiæ, quam vocat, legem scilicet, & Prophetas: Euangelia verò & reliqua noui testamenti à Bono data esse dicit, vt putat, sed nec hæc quidem iste inuentor blasphemiæ affirmat esse ex toto à contrario Dei vacua & pura, sed esse in his multa à materia, quam vocat, admista, oportereque his ablatis sola requirere, quæ ad partem boni reputat pertinere.

Sic correctionem sanctarum Scripturarum, vt opinatur, solus aggrediens, & hac potissimum ratione ausus videri Paraclitus, plurima quidem tollit, pauca vero noui testamenti relinquit, quæ concentum ac concordiam cum cognatis sermonibus desiderant.

Putat quidem omnem blasphemiam eis imposuisse, vt qui illa solum reliquerit, quæ ad illa monstra, quæ fingit, trahi possint, nihilo verò minus etiam hæc ipsius amentiam, & furorem summum coarguunt, vt iuuante Deo apertè disputatio cum in eis versabitur docebit.

Ostendendum igitur primo est, quam dementer in sanctas scripturas veteres blasphemus est, consentiens E hactenus cum se antiquioribus, viris prauis, & ab Ecclesia eiectis: impietate verò omnes illos superans. Si igitur sicut Gentiles historiis scripturarum penitus non credunt, sic etiam ille non credens scripturis, nequaquam, aut fortuito facta esse, quæ in eis narrantur, diceret, neque nos quicquam contra eum de his disputaremus: nec ipse maiorem confutationem per hæc subiret.

Sed quia veritatem Dei in eis fuisse attestatur, causam verò horum esse ait nequitiam; quæ nihil est: Age, doceamus nunc, quomodo magna opera, ac magis admiranda nequitiæ, quam ipse accusat, attribuit, quippe qui cæca ratione non intelligit admirabiles Dei creatoris vniuersorum gubernationes; ac prouidentias, quæ in historiis feruntur.

Ait igitur ad verbum siue ille, siue alius quispiam eius discipulus, qui caput inscripsit de prima formatione humana. Quia cognouerunt magistratus materiæ, quod si F omnino pars luminis, quod in eos incidit, omnino auferretur; mors eis aduentura esset, machinati sunt descensum animæ in corpora, quæ quidem ne vllo modo rediret, vnde descendisset, ipsi curarent: reuersa verò, vt non reperiretur digna habitatione supera, vtpote fœditate carnis inquinata, & polluta.

Et paulo pòst: Quamobrem vnusquisque eorum, qui sunt magistratus materiæ, sicut diximus prius, propter motum factum: & propter eum; qui primum apparuit ad redemptionem animæ, ianua primum aperta, præ terrore inuitus dimissa virtute; quæ in eo erat, formauit se ipsum ad venandam animam, & imitationem sui finxit in terra, coëgitque animas delinitas, vt difficile ab ea imitatione abstraherentur.

Ac primum quidem Adam ab eis formatur, ac fictus est instrumentum cupiditatis, & esca animarum è cœlo descendentium, & Machina ad trudendum eas in corpora. Primum autem considerandum est, quantam sapientiam opinione sua ascribit, & attestatur magistratibus materiæ, quam omnino de ignorantia condemnat, G & vituperat, tanquam machinatis per carnem descensum animæ ad eos, ne priuarentur lumine eis admisto, qui rursus redire animam non sinerent. Sin verò rediret, indigna superna habitatione tanquam sordibus carnis polluta declararetur: quasi non posset Deus animam à se creatam integre seruare victus machinis magistratuum materiæ. Ac de his quidem adhuc dicere an non est ridiculum?

Quia verò ait, primum, quod magistratus materiæ formauerunt, esse Adam instrumentum cupiditatis, & escam supernarum animarum: didicimus hinc clare eum dicere, esse hominem formatum à materia quæ minimè est, qui materiæ, & nequitiæ vbique plus tribuit simulatione accusationis; nunc autem ipsam dicit hominem fecisse animal omnium animalium, quæ in mundo corporeo sunt, præstantissimum, ac maxime regium, vt- H pote ratione præditum, & admirabile tum ratione naturæ, tum institutis, atque exercitationibus. Quæstionem autem ponit de vniuerso mundo, quare factus est?

De homine autem, dum nititur demonstrare, non esse à Deo formatum, mouet alias quæstiones dementes. Quomodo, inquit, dedit Deus Adæ mandatum? alterum enim ex duobus necesse est, aut cognoscebat, quod transgressurus esset, & sic non solum frustra, & inaniter dedit, sed ipse est in culpa, & reus peccati illius: aut si dicatur ignorasse, necesse est dicere, Deum ignorantia præditum esse: vt iam mandatum quidem à nequitia, vt opinatur, datum fuerit ad insidiandum homini, & non ad alium vsum: adiutum verò magnopere fuisse, & liberatum hominem, cum credidit consilio serpentis, quem Angelum Dei esse decernit: cæcus enim, inquit, erat: cum autem gustasset vetitum, cognouit se esse nudum, & tegumento inuento vsus est: cognouitque bonum, & malum. Sic magnam cepit vtilitatem.

Quomodo, inquit, Deum decet, vt dicat: *Ecce Adam*

factus

A *factus est tanquam vnus ex nobis sciens bonum, & malum: nunc autem ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum?* Si enim poterat recuperare immortalitatem, inuidus fuit, qui ex paradiso virum eiecit, & à participatione ligni vitæ exclusit, quo participato semper immortalitatem habere poterat.

TITI BOSTRENSIS CONTRA Manichæos, liber tertius.

Postquam autem de principio breuiter disseruimus, pertractemus quæstionem de lege, decreuerunt enim amplecti Euangelium, legem verò, & Prophetas reprehendere studuerunt: ac totum quidem vetus testamentum calumniati sunt, Euangelia verò honorare suspicati sunt: honorem potius Euangeliorum simulantes, vt esset simulatio inuitamentum eorum, quos B deciperent: nec enim qui assentiuntur Euangeliis, honorare se Euangelia confitentur: quin potius quia honorant nomen Iesu, fingunt honorem Euangeliorum: oportebat autem eos, si quidem Euangelia honorabant, non circumcidere Euangelia: non demere de Euangeliis: non alia apponere, neque verbis, & propria sententia Euangelia adscribere: nec enim eorum lingua hæc Euangelia habet: & eorum lectionem prætermittunt: adscripserunt itaque quæcunque voluerunt: & detraxerunt, quæcunque iudicauerunt, & postea nomine appellant Euangelia, qui corpus Euangelij non seruauerunt, sed potius aliud corpus literarum, quod vsque ad nomen tantum Euangelij pertingit, propria voluntate fecerunt: plus enim quam Gentiles Euangelia inhonorauerunt: illi non recipiunt, & non recipiendo non corrumpunt, sed solum reiiciunt: non tamen calcant literas: hi vero cum recepisse videbantur, calcauerunt, insultarunt, & adulterauerunt litteras: & quod præstigiatores, & improbi faciunt, fecerunt: illi non crediderunt solum, & qui- C bus non crediderunt, de eis à se differi non patiuntur: hi vero in medium prodeuntes conati sunt concentum soluere, modulationem doctrinis artificio fabricatis tollere ausi sunt, præparato nomine Euangelij, vt esset fallaciæ causa: si enim Euangelium cognouissent: legem non ignorassent: quod si legem ignorauerunt, quomodo Iesum receperunt? sine lege enim Christus non recipitur: nam qui finem desiderat, principium inuestigat: contra verò, qui est principij contemptor, vanus est, vane loquitur, non potest in finem euadere.

Si autem finis legis est Christus, frustra laborant, qui legem fugiunt, & cognitionem Iesu se habere profitentur. Nisi lex loquatur, Dominus non agnoscitur: taciturnitas enim legis, ignoratio est prædicati: rursus verò cognitio legis notitia est prænunciati: si enim Moysem audirent, crederent in eum, qui venit. Sane quidem neque suscitato creditur, nisi lex fidem faciat audientibus. Etsi quidem dicat, Mitte Lazarum, vt nunciet fratribus meis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormenti, D & respondente Abraham, Habent Moysem & Prophetas, dicat, Nisi quis ex mortuis resurgat, non credent, audiet tamen ille, Si Moysem & Prophetas non audiunt, neque si quis à mortuis resurgat, audient. O rem mirandam! neque si quis à mortuis excitatus nuncium afferat, ei creditur sine lege, & Prophetis: imo neque Dominus Iesus Apostolis apparere voluit transfiguratus, nisi adhibitis lege, & Prophetis; & qui potuit testimonium à patre ferre, non inhonorauit consortionem Sanctorum, quin potius cum vellet certissimam fidem in conspectu Apostolorum facere, quod in montem eos adducebat, & transfigurabatur, ostendebat Moysem, & Eliam, vt testimonio esset consociatio sanctitatis illorum, & vt is, qui Iesum recipit socios eius ne dedecoret, nisi eius stipatores, & ministros paruifaciat, regem ipsum inhonoret.

Denique tantam curam legis, & Prophetarum Saluator habuit, vt nihil ex lege non perfecerit, omnia autem, quæ scripta erant, patrauerit, clamaretque. Non E veni soluere legem, sed adimplere: ingrederetur autem in templum, & turpes inde administrationes domus Dei eiecerit, vt reddens domum puram, re ipsa plenissime persuaderet se suorum, ac paternarum rerum procurationem suscipere. Clamat enim, Domus patris mei domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum: & quia sunt infinitæ scripturæ, quibus illorum absurda opinio redargui potest, nos ne prolixe scribentes librum in longum producamus, permittemus aliis vti verborum analogiis; nos autem breuitate vsi ad ea, quæ contra scripturas dicunt, pergemus: recipientes Euangelium non recipiunt legem, quia non totum & integrum Euangelium recipiunt, alioqui legem reciperent, si vniuersum Euangelium tenerent: nunc autem primo cauponati Euangelium, consentaneè legem non recipiunt. Conuincuntur igitur non tenere legem, propter latrocinium in Euangelio. Si autem Euangelio testimonium tribuunt, & legem non honorant, te- F stimonium inhonorant: non iam enim est hoc legem inhonorare, sed potius non credere testanti: ac si vnum quidem Euangelium testaretur, aliud vero taceret, & vnius tantum dedecoratio esset, non tacerent alia Euangelia, quæ dedecorationem vnius communem ducerent.

Illi cauponantur Euangelium, qui in fabulas illud vertunt, & cogitata sua cum gratia miscent. Sic Theodor. 2. Cor. c. 2. interpretatur cauponari verbū

Si verò Marcus ait, principium Euangelij IESV CHRISTI, sicut scriptum est in Isaia Propheta, Matthæus autem, liber generationis IESV CHRISTI filij Dauid, filij Abraham, & hic quidem progenitorem Iesu secundum carnem scit esse Abraham, & Dauid honorat, coniungit Euangelium cum lege, & legem cognouit esse principium Euangelij, fatetur verum saluator, cum ait, Qui vos spernit, me spernit: non enim vsque in legem euadit dedecus, & ibi residet, sed in ipsum Saluatorem redundat. Ac Iudæi quidem audiant, si Moysem audiretis, audiretis vtique me, de me enim scripsit ille. Manichæi vero audiant: si Euangelium audiretis, & legem audiretis, de lege enim scripsit Euan- G gelium. Verum Iudæi quidem velo oculis adhibito, neque legem intellexerunt, neque nunciatam agnouerunt. Hæretici vero oculos habent cæcos, & aures surdas. Quia non introspiciunt in Euangelium, legem oppugnauerunt. Ioannes enim clamat: Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes, hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine: cognouit testem, & cognouit de quo erat testimonium: & testem præscribit inquiens: Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem. Ioannes igitur testatur: & lex testis est: & testimonium legi perhibetur.

προχάσει.

Vide, non credere testimoniis, quantum absurdi afferat: atque hi quidem cum talia dixerint, neque Lucas sileat, eadem enim voce vsus est, & aliis Euangelistis consona loquitur: narratque quod Gabriel quidem apparuit Mariæ, & cœlestem salutationem ei attulit, inquiens: Aue gratia plena, Dominus tecum: quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat, qualis esset ista salutatio, & ait Angelus ei: ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in H vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum: hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Honoratur Dauid, & pater eius esse conceditur, & stat ac durat principatus eius, traditúrque Domino, & finem non habet, cuius gloria perpetua est: atque hæc quidem sunt principia Euangeliorum, oportebat enim, vt ex principiis sermonem texeremus: post quæ, qui pone gradiatur, consecutionem, & concentum sermonum ex vniuersis Euangeliis intelligat.

Eadem voce patris scilicet, quia Dauid patrem Christi, vocauit sicut Matthæus.

Quia v. etiam Apostoli ministri Euangelij stylum Euangelium seruat, & Paulus quoque eum nouit, & ministerium passionum suarum in parte Euangelij metitur: ait enim: Secundū Euangelium meū per IESVM CHRISTVM, nos neque principia Apostoli prætermittemus: quin illa commemoremus, vt omnes scripturas, & principia scripturarum percurrentes, vna earum voce legem dispensemus.

A semus. Scribens igitur Hebræis sic ait: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissime diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem & sæcula fecit*: Hoc in loco patrem filij cognouit, & patrem filij cognoscens, non partitur rem: non tacet de antiquis, non adscribit alios Prophetas, sed Deum Prophetarum, & patrem filij. Paulus non partitus est, neque diuisit: imò totum prædicat, illum quidem à Prophetis adoratum, hunc verò partu editum, atque huius quidem patrem, qui illos habuit adoratores, & sibi supplices: cui enim supplices sunt illi Prophetæ, huius filius est Christus. Si autē filium honoras, eos verò qui patri supplicant, accusas, & conuitiis insectaris, ore effers quæ vis: succenset filius, non patitur contumelia patrem affici. Si enim pater filij inhonorationem suam ducit, quanto magis filius contumeliam patris vtilitatem suam esse reputabit?

B Sed vt sensim pergentes, paulatim ad erubescendum compellamus, sic aggrediemur argumentari: Si Dei est lex, quare legem non tenent? Sin verò legem criminaris, cuius verba, ac vox lex est? cuius potestate, quæ scripta sunt, locuta est lex? Hic partitæ sunt hæreses: nec iam vno modo sermocinantur, sed sibi repugnantes: ac Valentiniani quidem sic: Manichæi verò aliter: secus Marcion. Sputa non verba testimonium sunt contra legem. Valentiniani quidem, iustus, inquiunt, erat Deus legis, & cum iustus esset, non erat pater filij. Iesus, inquiunt, bonus, bonus autē, & pater quidem bonus, & bonum, quod genitum est: Deus verò legis iustus: taliter differentes non intellexerunt, qualem habitudinem habeat iustum ad bonum: neque de eo cogitauerunt: cum autē huiusmodi cogitationes cōcipere non potuerint, hoc solum eos interrogemus: Si iustus est Deus legis, & non est pater filij, non est iustus Iesus, quomodo iustitiam à filio requirimus, si non est genitus à iusto? Quomodo iudicat? Quomodo iudicio decernit? Quomodo commissum est ei à patre tribunal? Quomodo vnicuique reddit secundum opera sua? quomodo C verum est quod ait Paulus, *iis qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam*: iis autē qui sunt ex cōtentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autē iniquitati, *ira & indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum*? soluta enim sunt & euanuerūt hæc verba, si definitio iusti non accōmodatur, & redditur filio. [Si autē iis, qui deliquerunt, constitutum est supplicium, & iustus qui præest, supplicium metitur, contra verò honores, & munera seruantur bene meritis, & honor delectu, ac diiudicatione iusti ponderatur, quomodo non discindunt, & comprimunt petulantiam? Si autem talis quidem est vnigenitus, pater verò non est talis, non iam ex simili similis genitus est: non iam est imago eius, qui genuit: non figura, non splendor: non iam qui videt filium, videt patrem, si non quæcunque habet filius, habet pater, & clamat Saluator in Euangelio: *O pater iuste, mundus te non nouit, ego vero te noui.* Quid agemus? terga demus verbo Saluatoris, ne credamus scripto: aut habeamus in admiratione verbum, D est enim verbum veritatis. Valentinos verò tanquam insanientes, & à dæmone actos extra conuentus, ac consessus sanctos, & Deum decentes collocabimus.

Sed quia aliquid indecorum nobis accidit, dum sermonem contra istos hæreticos longe protrahimus, cum nos negotium susceptum non eo trahat, reuocemus sermonē, & ad propositum, & institutum pergamus. His hactenus vtiliter consideratis, vt sermo de istis non omnino nobis præteritus sit. Tripartita enim nequitia contra legē locuta est, totidem ministris, & præfectis blasphemiæ vsa, Valentino quidē ad minuendam, & extenuandam legem, & separandum Euangelium: Marcione vero ad tradendum esse scripturam legis abortionem quandam: Manichæo autem ad mentiendum, esse legem cuiusdam mali, splendore carentis, & ex toto tenebricosi, talia enim agit, talia verba componit: vana loquitur: aures rudes & inexercitatas compositione verborum in admirationem traducent.

Quamobrem percontari oportet, si malus ille sine splē- E dore, & totus, & ex toto tenebræ, legē scripsit, quomodo non cognouit aduentū filij? quomodo eum adesse? Quomodo ante euentum rerum intellexit quæ Deus consilio ceperat, & prænunciauit ea, & prædixit? manifestæ enim sunt scripturæ legis, quæ à principio aduentum filij testātur. Si enim dicant cōtra ea, quæ in manifesto sunt, loquētes, non prænunciasse legem, neque Prophetas præsignificasse, redarguentur non à nobis nostris confutationibus, sed ab ipsis Euāgeliis apertis verbis: cum vbique clamāt, nunc quidem, vt impleatur quod dictū est per Isaiam Prophetā, *nunc verò, non veni soluere legem, sed implere.* Si vero ex his conuicti, consenserint, quid ad hoc respōdebūt, si enim nemo nouit, quæ sunt hominis, nisi spiritus Dei, qui autē legē scripsit, nouit quæ erant in Deo, & sciebat, quæcunque Deus volebat, & idcirco scripsit accuratè, & scienter, erat igitur ex Deo, & Deus, & in Deo, & ideo quæcunque volebat Deus, locutus est, sciens quæ in Deo erant, & non ignorās. Si autem nemo cor nostrum nouit, F sed solus nouit, qui eum fecit, & latet cor nostrum alios, non potest tamē latere Deum, quid autem volebat Deus, non ignorabat nequitia, sed sciebat, & hic quidem volebat, illa vero cognoscēbat: quomodo non tribuunt nequitiæ magnam amplitudinem, quā non potuit celare Deus de consiliis, & voluntate sua. Quomodo non detrahunt Deo, qui non potuit celare nequitiam, ac ridemus quidem viros, qui cum aliquid contra hostes moliuntur, & machinantur, consilium excogitatum in apertum efferunt.

Qui talia loquuntur, & huiusmodi sermonem serunt, non vidēt facere se, vt ludibrio sit Deus, qui cum militet tanquam Dux exercitus aduersus nequitiam, consilia sua non occulte seruauerit, ne nequitiæ patefierent. Quòd si diuinæ & Angelicæ potestates non possunt intelligere, quid consilij capiat Pater, solusque Filius intelligit, & enarrat, *Deum nemo vidit vnquā, nisi vnigenitus Filius qui est in sinu Patris*, ipse enarrauit, quomodo malæ potestates ea, quæ in Deo erant, cognouerūt, cum neque diuinæ po- G testates hæc scire possint, nisi ea tradēte, & enarrante vnigenito discāt? Quòd autē ipsa lex omnia, quæ ad aduentū eius pertinēt, prius narret, *Ecce*, inquit, *virgo in vtero habebit, & pariet filium*. Alius Propheta non ignorat locū: *& tu Bethleem terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda*: Alius locum definite, vbi positus: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*: alius fugam in Ægyptum, & reditum ex Ægypto. *Ex Ægypto vocaui filium meum.*

Alius habitationem in ætate puerili. *Terra Zabulon & terra Nephtalim via maris vltra Iordanem. Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam*: Alius etiam præcursorem non ignorat. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Denique si quis vellet Prophetias ex lege colligere, totum Euangelium componere videretur cōscribendis rebus in eo gestis, Propheticis verbis, narrans studiose, & φιλονεικῶς non sine spiritu eius disciplinas, eius doctrinas, eius baptismata, eius miracula, iudicium factum, perditionem Iudæ, quæ in H patibulo facta, fel, acetum in siti porrectum, ipsam sepulturam, & monumentum, descensum ad inferos, ipsam resurrectionem, & ad extremum assumptionem: tunc enim, quod superest, clamabit: *Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*: tunc adiungit hoc, quod à Dauid scriptum est: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Si igitur Lex à Deo diligenter aduentum filij descripsit, & longinquo tempore antequam res euenirent, eas prænunciauit, non iam accusatur: non iam alteri adscribitur. Qui genuit, prædixit. Qui deliberauit, res dicto anticipauit. Deus genuit: Deus dicit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Deus misit me. Deus per Moysem locutus est: Prophetam nobis suscitabit Dominus Deus ex fratribus vestris: ipsum audietis, quæcunque loquetur vobis: de iis ipsis omnibus Deus deliberauit: & cum deliberasset, non tacuit, consilium, ac deliberationem prænunciauit, per prænunciata fidem faciens.

A *Vocatur*,inquit,*nomen eius,magni consilij Angelus,admirabilis consiliarius,princeps pacis, pater futuri sæculi* : atque hæc quidem confutatio sic habet.

Quia verò legem attribuunt malo , quid dicturi sunt, si quis eos percunctetur,si malus mala suadet:& non potest non suadere mala,si quandoque bona suadebit,etiam bona consilia dabit ? si enim dicant,aptum esse natura ad suadendum bona,ad dandum bona consilia,rursus definitionem suam soluunt : non enim malus est,qui bona dat consilia. Sin autem nulla bona voluntas,ac deliberatio à malo proficiscitur , cuius ordinis dicent esse illas suasiones,ac monitiones : *Non fornicaberis : Non adulterabis : Non furtum facies : Non falsum testimonium dices* : cuius ordinis dicent esse illud,quod scriptum est:*Non facies tibi idola,nec vllius similitudinem, neque quæcunque in cælo, neque quæcunque in terra,neque quæcunque in aquis* : cuius partis esse illa dicturi sunt?*Non concupisces bouem fratris tui,aut subiugale,aut vxorem,aut omne iumentum*?Si enim
B hæc honesta,& diuina,atque amabilia esse dixerint,ipsæ monitiones efficient,vt se ipsi erubescant,qui amplitudinem eius,qui monuit , ignorauerunt. Sin verò dixerint praua esse hæc, & in crimine,& prauum est non scortari, & prauum , ac vitiosum est non concupiscere aliena , & huiusmodi sunt,quæ mala sunt, aduerte,qualia bona esse intelligunt, & quomodo prostitutores sunt voluptatum, & conciliatores idolorum , ac turpium cupiditatum inuentores.Qui enim legem accusant,pro vitio à lege alieno obeunt legationem.

ὑπεραν-μίας. Qui legem,quæ voluptates tollit,quæ fallaciam euertit,quæ superstitionem extinguit, relegant,quid aliud faciunt,quam voluptates domum introducunt: & cupiditates accersunt ? vt autem voluptas licenter in mentes irrumpat:legem ex habitationibus eiecerunt, ne lege vsi, à lege pudore afficerentur. Sed quomodo lege eiecta aures suas venales præbent cupiditatibus : apparet lex esse interfectrix nequitiæ : hi autem indoctè,& ineruditè aggressi sunt accusare legem:ac lex quidem nequitiam odit,
C hi verò legem oderunt : euertit quidem superstitionem lex , hi verò audent legem euertere : opponamus igitur res. Si lex nequitiæ contraria est , hi autem legem oppugnant,succensent propter nequitiam, quia lex nequitiam criminatur : etenim quia non patiuntur,vt accusetur nequitia, idcirco legem ipsi accusauerunt, vt accusatio nequitiæ nullas vires haberet lege in crimen vocata.Si Lex idola tollit,& multitudinem deorum soluit,hi autem tela in legem torserunt , consentaneum erat,vt multitudinem deorum denunciarent : vt igitur multitudo deorum confirmaretur , legis præceptum apud eos vetitum est, quod ait : *Audi Israël, Dominus Deus tuus Dominus vnus est, & diliges Dominum Deum tuum*, & ne forte aspiciens in cælum , & videns solem,& lunam , & stellas , adores ea Contra hæc verba tela iecerunt : contra hæc præcepta exasperati linguam tanquam gladium acuerunt, idcirco à dæmonibus aguntur , & omnia venerantur , nec aliud sciunt , quam omnia adorare : ac semper se humi sternunt , & mentem habent elatam: errantque ac vagantur sensu animi : omnia pro sua licentia verterunt in
D deos:vicerunt Gentiles & multitudine,& vanitate,Gentiles ex Gentilibus oriundi,& magnitudine flagitij Gentilium ignorantias illorum superantes.

τῶν καλῶν. Ne quis autem arte fallacissima studiosè & accuratè vsus dicat,Simulauit lex,& quædam pulchra furata,tanquam sua protulit, cum vellet sua flagitia honestare , & partes honestatis inseruit studio obtegendi turpitudinem aliarum partium.

Age excutiamus primò, vtrum aliquid absurdum , & flagitiosum apud Legem appareat : atque ita flagitium istorum redarguatur.Secundo,si quasdam partes vitij vlciscendo dissipauit,reddens eos,qui credebant liberos ab omni parte vitij , non iam lex simulata apparebit , quin potius inimica,& hostis vitij,& nequitiæ. Tertio,si quædam honesta circumseminauit , & non omnem speciem virtutis cum littera legis coniunxit,vt quædam videatur scripsisse, plura verò reliquisse:habeat vim aliquam refu-
πεχχα-ψώμδα. tatio legis. Sin vero vniuersa , quæ honesta , & decora
E sunt , omnino in litteris legis posita sunt,admiremur legem,& Dei legem confiteamur , dicamusque sermonem Dei esse : in hos verò accusationem à lege transferamus, quorum sententia adulterina,& deprauata est. Quòd igitur nullam partem vitij lex habet inseminatam , neque partem abstulit aliam,& alij pepercit,sed potius pura est lex,& sancta,& Dei lex : Paulus clamat : *lex quidem sancta,& mandatum sanctum, & iustum, & bonum, &, scimus enim,quod lex spiritualis est.* Quod enim sanctum est, & spirituale,& bonum, ab omni turpitudine liberatum est, & nulla culpa in eo hæret,gloriaturque virtutibus,& cũ Deo loquitur.Sermocinatio enim cum Deo non patitur, vt alterius ordinis sit. Sed gubernatione Spiritus S. temperatur. Deus enim spiritus est : & qui eum adorant , in spiritu,& veritate oportet adorare.Lex autem cum spiritualis sit,sermocinationem cum Deo parat,etsi potest spiritualis alia quidem iudicare , ipse autem à nemine iudicatur,quantò magis lex spiritualis potest quidem aliorum
F omniũ sermones iudicare,ipsa verò à nemine iudicabitur.

Quòd autem omnem speciem vitij sustulit , & nullam partem prætermisit,aut neglexit, sed potius omne genus vitij vindicauit,tollens & exscindens illud,constat ex legibus ac regulis de vitio constitutis , cuius sunt species quatuor,imprudentia,intemperantia, timiditas, & iniustitia : siquid autem praui lex reticuisset , imperfecta esset lex.

Sin verò vt omnes species nequitiæ præcideret , eas vindicauit, & retractauit, sequitur vitium à lege coërceri , & reprimi,quæ neque reliquias eius patitur. Vbi igitur valet,& viget lex,& suasioni neruos adhibet:ibi neque humor vitij reperitur : vbi autem debilitatur, obambulat nequitia compilans,& depascens,licenter gradiens, & licentiam nacta propter custodiam animæ neglectam. Clamat enim lex:*Si populus meus audisset me,Israël in viis meis si ambulasset,pro nihilo inimicos eius humiliassem.*

Cùm enim lex persuadet, neruos amittunt vitia humi iacentia,quæ nec animam ex aduerso intueri possunt.
G Si enim lucerna pedibus meis lex tua, & lumen semitis meis, omnis offensio sublata est, illuminato corde & splendente : etsi enim quis ætate illa adolescentiæ lubricus sit,custodiam tamẽ verborum conseruet perseuerans erectus , clamabit , *In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos.* Dauid comparatis sibi viribus ad non labendum, abdendo in mente disciplinas legis aiebat : *In corde meo abscondi eloquia tua,vt non peccem tibi.*

Atque ita qui legem pro custode adhibuerit , intelliget, quomodo lex singulas species vitij abigit, & eiicit : imprudentiam quidem per scripturam, quæ ait , *Nolite fieri sicut equus & mulus:quibus non est intellectus* : timiditatem verò per scripturam,quæ dicit , *Ne timueris : cum diues factus fuerit homo*, ne timeas probrum hominum,& vituperatione eorum ne vincaris:& time Deum,& valebis,præter ipsum autem ne alium timeas : timiditate hic ὀνειδισ-μόν. eiecta, & extrusa, & robore imposito ac fortitudine immissa lex clamat,Iustus tanquam leo confidit,qui non timet,neque horret iumentum:duabus partibus vitij subla-
H tis imprudentia,& timiditate simul tollit intemperantiá, inquiens:nõ fornicaberis,non mæchaberis:vbi cohibẽtur perturbationes,frænum tẽperantiæ in mente reperitur:ac tribus extinctis,extinguit etiã iniustitiam:*Non facies tibi pondera parua,& magna;pondera iusta & æqualia sint tibi.*

Atque ita singulis partibus nequitiæ deletis soluta est nequitia, quæ non potest amplius obambulare in mente. Quas igitur vitij species non sustulit lex? quas partes voluptatis non destruxit?quas timiditates, quas imprudentias non vsque adeo vindicauit tollens voluptatem , vt etiã curam oculorum habuerit;auditioni non pepercerit, & linguam non neglexerit?posui enim oculis meis custodiam,& non intelligam super virginem,*Sanctus vsque ad curam oculorum procedito , ne voluptas animam titillans , eam ad concupiscendum adducat* alius sanctus clamabat, *ne circumspicias pulchritudinem alienam , ne voluptas cum vestibulum animæ ceperit , spem ingressus concipiat* , quin imò à ianuis repulsa insidias suas desperet ; progre-

diens

A dicens autem ad aures, & ad linguas, vigiles, & custodes membris præfecit; non cedens loco suo; quin potius clamat, *Pone Domine custodiam ori meo*, ne sermo turpis sine vtilitate emissus inuitamentum voluptatis turpia loquenti adiungat. Habens præterea curam lumborum, præcauit,ne mens huc & illuc agitata vincta esset:præcepit enim:Sic comedetis pascha, lumbi vestri erunt præcincti, ne si membra habeant discincta, facili motu prehendere possimus:tursùs verò in sic præcinctis optimum ordinem ad res gerendas,& ad negotia reperiamus.

Ad hunc modum partibus voluptatis sublatis, in species vitiorum partis ratione præditæ,& in species iniustitiæ inuasit:si enim tollere, quæ sunt alterius, & per vim tollere, & inuito domino,iniustitia est,& tollentem,quæ aliena sunt,dare ea meretricibus,vel luxuriosè consumere, species iniustitiæ est, iniustus est, qui honorem Deo eripiens,lignis & dæmonibus eum adhibet; & honorem Dei consumit, & in mente luxuriosus est: nec enim ita B luxuriosè viuit, qui opes consumit, vt est iniustus, qui magnas & affluentes diuitias honoris Dei ex animo delet: quamdiu enim diuitiæ cognitionis Dei in animo permanent, respondet in ea charitas erga Deum: cum autem omnes diuitiæ dilapsæ, & consumptæ sunt, & ad inopiam redacta est anima,relinquitur tunc,vt honorem Dei lignis, & arti pictoris, & sculptoris deferat. Vnde Apostolus,cum sciret ipsam iniustitiam esse culturam falsæ religionis,dixit & auaritiam,quę est idolorum seruitus.

Ergo quia teterrima pars iniustitiæ est ignorantia in Deum,leuius autem est delictum in homines,& in partes duas diuiditur iniustitia, in ignorantiam in Deum, & in delictum in homines,ab vtrisque principium sumpsit lex scripta: ac primum quidem clamat;*Non facies tibi idoli vllius similitudinem,* ne scilicet si in honorem eius, qui te fecit, luxuriosus sis, totum honorem Dei funditùs labefacias; iratus est autem populo iuste, cum facto vitulo clamabat: *Hi sunt Dij tui Israël,qui te eduxerunt ex terra Ægypti:* etenim quia dona Dei illi assignabant & at-C tribuebant, qui mouere se non poterat,eratque flagitiosissima iniustitia diuitias beneficiorum sui auctoris arti & sculpturæ attribuere:idcircò veritas excitata,& lex scripta,& iniustitia vetita est:& qui discebat,erudiebatur:atque ita sublata prius iniustitia,quæ etiam Dei prouocauit: iniustitiam quoque in hominem sustulit.

Ac primum quidem noluit,vt amor diuitiarum in anima insideret, quoniam amor diuitiarum parit iniustitias, & cupiditas habendi diuitias generat auaritiam: radix enim malorum est cupiditas diuitiarum, erunt autem rami, & surculi cupiditatis pecuniarum iniustitia,& auaritia, & quoniam à cupiditate pecuniarum incipit auaritia & iniustitia, præoccupat Lex, prius tollit,prius denuntiat: *diuitiæ si affluant, nolite cor apponere:* ne diuitiæ mentem cum fluxu diuitiarum confluentem fluxis diuitiis capiant.Si enim opes fluunt, & non stant, meritò resistit mens, quæ statum suum fluxis diuitiis non violat,& quia tum auaritia molesta est, tum cupiditas gloriæ, cuius flos in anima prædatur, erudiuit, inquiens; *Vidi im-*D *pium superexaltatum,& eleuatum sicut cedros libani:transiui,& ecce non erat:*vt mens nulli gloriæ quamlibet magnæ facile flaccescenti magnitudinem suam illecta vendat, quin potius supra hæc omnia se erigens amore veritatis teneatur:idcirco moderationem honorat,& iniustitiam expellit, & diuina loca ad habitandum rependit & assignat iis,qui modestiam seruauerunt.

συμμετρίας. Sic autem clamat; *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo,aut quis requiescet in mõte sancto tuo?qui ingreditur sine macula,& operatur iustitiam,qui loquitur veritatẽ in corde suo,* vt omni specie auaritiæ relegata locum iniustitiæ nõ relinquat:atque ita omnẽ speciem iniustitiæ sustulit lex: idcircò qui secundum legem loquitur,pro veritate loquitur:idcirco qui sunt operarij veritatis,non excandescunt, cum lex aduersus vitium loquitur,loquebatur aliquando Dominus aduersus auaritiam, exasperabantur Iudæi, & molestè ferebant:amor enim diuitiarum asperos,& duros eos aduersus loquentem efficiebat,ita profectò est, cum pædagogus cum puero ignauo, & pigro disserit:odio ha-E betur ab eo,quem instruit.Omnis enim qui motus adolescentiæ à ratione auersos exscindit, in odio est propter amorem voluptatum:ob hanc causam.Lex in odium venit hæreticis.Quia contra perturbationes tendebat,contra peccata ambulabat: contra adamata disserebat, rem æquo animo non tulerunt.

Vt autem sermo, & disputatio nostra amplissima sit, & scelus hæresis, quæ iniustè ad legem vituperandam se cõtulit,appareat,non solum quod omnes species,& formas vitij sustulit,dicamus; sed reddamus insuper sermonem, quod omnem speciem virtutis lex enarrat,& exponit. Si enim omnia vitia lex sustulisset,non autem omnes virtutes inseruisset, māca esset lex relicta virtutum exstructione,quæ quidem omnia vitia cum relegasset,nõ iam omnes virtutes animæ despondisset.Sin vero in disputatione nostra apparent, apud legem & Prophetas omnes virtutes positæ,an non oportet legem Dei admirari,& amplecti? Cum enim sint quatuor virtutes,prudentia,temperantia, F fortitudo,& iustitia,omnes virtutes apud legem cernuntur:vnde qui vult esse temperatus,habet in lege disciplinas. Qui studet,vt sit prudens,adhibitis subsidiis legis, præclare se in rebus geret.Qui vult esse fortis,instruat se præceptis legis.Qui vult iustitiam assequi,pondus iustitiæ teneat,& nihil inæquale faciet,faciens omnia ad perpendiculum iustitiæ,& qui factus est particeps prudentiæ,dicat,Dominus docuit me sapientiam, & prudentia hominis non est in me, vt hâc fictâ & errante eiectâ, & repudiatâ,optimam,& diuinam amplectatur.

Pudicitiæ vero exempla infinita reperiet, qui legendo quæret,vt exempla pudicitiæ exprimat,& antiqua exempla ad firmamentum,& robur castitatis complectatur,vt illius adolescentis in ipso flore ætatis,qui fuit à fratribus venditus & ab Ægyptio emptus,qui libertatem corporis mutauit,libertatem verò animæ immutabilem conseruauit:qui exuit pallium,ne pudicitia exueretur,cui vis quidem pallium abstulit,necessitas verò non eripuit casti-G tatem:qui maluit affligi,quam in morbum voluptatis incidere:maluit esse in vinculis,quam capi voluptate:qui inuidiam turpi actioni præposuit:qui existimari,& non esse voluit: melius enim iudicauit, haberi turpis,quam esse, & latere:si enim esset,& lateret,metuebat testem Deum. Sin verò haberetur, contentus erat teste facta inspectante: atque pudicitiæ quidem hoc sit exemplum.

Fortitudinis verò multa quidem sunt alia,satis verò nũc sit illud Iudith,quæ muliercula erat,& infirma erat,& nõ audax erat,quia muliercula erat:audax tamen fuit,& fortis,quia credibile ei fuit,quæ expectatione hominum fieri nõ possunt,posse fortitudine,quæ cum fide mista,ac tẽperata,ad fidem & spẽ adduxit insperata, muri enim aperti sunt,& exiuit adolescentula,& cum sola ancilla exiuit nõ formidans, quod erat in pulchritudine suspectũ,non metuens gladios,nõ timẽs,ne in libidine esset,ne vis inferretur pudicitiæ,non formidans,ne quid repentinũ ex gladio accideret:quin potius terrorẽ gladij fortitudine vincens, formositatem vero Deo commendans.Deum enim custodem pulchritudinis dignum,cui financeret, existimabat esse, H gladios vero sarmenta,& papyrum ducebat,animi fortitudine formidinem superans;transiuit mulier, & non est indicatum temerariũ,quod ausa est:non fuit in ea criminatio duritiæ:nec enim imperfecta fuerũt,quæ fuerãt iudicata, & decreta,vt duritia accusetur:perfecit ea,de quibus deliberatũ fuerat:ad finẽ perducta sunt cõsiderata.Idcirco in admiratione est,quia prudentiam fortitudini admiscuit,quia omne consilium cœptũ ad exitum perduxit.

Duriti[a] enim fi[t] pori sim[i]lis pari[...] tiam in[...]iatur.

Hoc fortitudinis exemplo sumpto, iustitiæ etiã exemplum sumamus.Cum Abraham iniuriã affectos vlciscens pro eis pugnauit,& cum post auxilium allatum audiret à liberatis,Accipe tibi equitatum,& omnia,non in quæstũ aspexit,sed iustitiam attẽdit,quomodo conscius se gratis cepisse,non debebat vendere donum,quia gratia non patitur,vt venumdetur,siquidem iniusti sunt,qui dona vendunt:& non iuste quis venalia,& beneficia venundat:vestis, & res pretiosa vendatur in foro,beneficium verò,ne habeatur vendibile,quod magno animo gratis indigenti dari debet, tale exemplum habemus; dona, & beneficia non

A non oportere multa pecunia vendere, sed seruare quemque honorem suum,& non priùs pecunia corrumpi.

Atque hæc quidem hactenus persecuti, probauimus verumque esse in lege,& vitij extirpationem, & virtutis officium,atque exercitationem atque hæc quidem satis esse, vt se isti erubescant. Aliquid simile reddimus in Euangelio,& lege. Si enim essent Euangelia, & esset lex, & nihil lex haberet æquale Euangelio, crimini daretur dissimilitudo. Sin autem similitudo est, quid de similitudine contendimus?cum similitudo non patiatur, vt controuersia sit. Proclamat cognationem stylus, similitudo germanitatem significat: ad vnam causam aliorumq; omnium, Patrem autem Saluatoris lex,& Euangelia ducunt mentem. Lex dixit: *audi Israël, Dominus Deus tuus Dominus vnus est.* Dixit Euangelium: *Nemo bonus nisi vnus Deus:* clamauit Apostolus Paulus: *Vnus Deus, ex quo omnia*, ex lege, & ex saluatore, atque ex Paulo cognitus est ingenitus, & sine patre, genitus verò ex sinu, &
B filius eius, qui genuit. Rursus hic scripturæ consentiunt: Lex ait: *Ex vtero ante luciferum genui te*; Euangelium verò, *Vnigenitus, qui est in sinu patris, ille enarrauit.* Sinum dicit Euangelium, & vterum lex, & filius legitimus similis ei, qui ex vtero & sinu genuit, denuntiatur: ac testimonium quidem perhibet vox Euangelij: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, testatur etiam Dauid in Psalmo: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Vna vox & tunc, & nunc missa est, & vnus, qui misit, locutus quidem tunc est, nunc autem nobiscum sermocinatus, non mutatur, qui tunc locutus est. Qui enim serò tandem hanc vocem misit,iam ante in Psalmis eam prænuntiasse reperitur, fuitque facta denuntiatio sanctis Angelis,vt instruirent Filio, & religionem venerationis,atque adorationem ei adhiberent: scriptum est enim: *& adorent eum omnes Angeli Dei:* Astipulatus est huic denuntiationi Paulus: imò hanc retractat, & interpretatur; studetque, vt sit interpres eius, quod prius dictum, & prius scriptum est: cum enim, inquit, *Introducit primogenitum in orbem terræ*, dicit, *& adorent eum*
C *omnes Angeli Dei.* Videbisque Apostolum studuisse, vt vetera interpretaretur, & non neglexisse legis explanationem: aliquando enim dicit,omnia subiecit sub pedibus eius,& statim enarrat inquiens, cum autem dicat, omnia subiecta sunt ei; sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia,nihil reliquit non subiectum illi, vt sit Deus omnia in omnibus:quandoque dicit:*Propter hoc relinquet homo patrem,& matrem:*& illud:*Sacramentum hoc magnum est,ego autem dico in Christum & in Ecclesiam.*

Atque Apostoli quidem interpretes sunt veteris legis; consonantque vetera nouis: at verò, qui sunt non Apostoli,accusant vetera, qui quidem cum non faciunt,quod Apostoli, sed potius cum eorum scripto pugnant, mentiuntur Apostolatum,facti Pseudoprophetæ: explanatores enim veritatis, qui legem honorauerunt, iidem legem exposuerunt. Hi verò qui legem criminati sunt, legem feriunt, & eos, qui legem explanauerunt, pungunt. Parem similitudinem Euangelij atque legis cognoscunt
D Apostoli, qui cum legem sumunt,Euangelium aspiciunt; cum Euangelium aspiciunt, legem non tollunt: isti verò dum, quæ sunt similia, semper dissimilia esse putant, & quæ sibi inter se amica & germana,inimica & aduersaria esse profitentur, non quidem effugiunt, quin malitia eorum conuicta sit:disiungere vero. & dirimere similia dum student, neque tamen possunt: siquidem lex ab Euangelio diuidi non potest, inuidiæ suæ fructum perceperunt obiurgationem. Quæcunque enim de Patre in lege scripta sunt,hæc etiam sunt in Euangeliis:quæcunque de Filio,hæc in vtrisque: quæ de Spiritu sancto,hæc quoque in ambobus reperire poterimus, neutra enim scriptura non meminit de Spiritu sancto:imò in Euangelio est donum, ibi est petitio, & aliquando dicit Dauid: *Spiritum sanctum ne auferas à me*: interdum dicit Euangelium: *Accipite spiritum sanctum*, vt quod quidem habet Dauid ne auferatur ei rogat: quod verò hic donat, id cum ille acceperit, habeat: familiaritate etiam Spiritus sancti, animæ honorantur, nec à familiatite eius aulsæ, neque sine eius familiaritate permanentes.

E Ad eundem modum poterit quis elaborando,de Angelis,& Archangelis, & aliis potestatibus,& de cœlo,ac terra, aliisque creaturis similitudinem legis & Euangelij, contemplari: atque ita inuestigando vsque ad minimum deuenire:nos verò tantam molem recusantes, & principio tantum vsi,prouocantesque studiosos, vt suscepto ad tractandum argumento ad omnia theoremata procedant, id solum ad librum adiungemus,quod hæretici cum quadam reprehensione accusant,vt eorum accusationem dissoluamus,& legis dispositiones perspiciamus.Si enim illi legentes,quæ contra scripturam obiiciunt, ore contumelioso vsi sunt:at nos amentiam similitudine redarguemus, & quæ in crimine obiiciunt,apponere non dubitabimus.

Quomodo de dando & accipiẽdo Spiritu sancto consensit vetus & noua scriptura.

Accusant enim veterem legem tanquam acerbam, & crudelem; accusant præterea veteres ministros tanquam austeriores,& magis ad obiurgationem propensos, & ab affectione misericordiæ alienos, non intelligentes, quod scriptum est: *Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Do-* F *mine*,neque scientes,perfectionem ratione gubernationis ex misericordia,& vindicatione pendere: idcirco cæcati, miserationes legis tacent; & vindicationum potius meminerũt:& vbique clamant:Non videtis, quia pueri parui conuitium fecerunt Elisæo,qui maledixit eis,& duobus vrsis tradidit pueros ad deuorandum? Non videtis, quia quibusdam militibus missis à rege ad vocandum Eliam inuitis, noluit ire cum eis, ignem iaculatus est, & viros consumpsit, inquiens, *Si vir Dei ego sum,descendet de cœlo ignis & deuorabit te,& quinquaginta tuos?* Si huius mali accusationes,& vindictas inter vitiosa & praua referunt, quid dicturi sunt de Paulo, qui cum videret aliquando Barieu magum, qui erat cum Sergio Paulo proconsule, differentem, & artificiosa machinatione orationis mentem eorum, qui veritatem didicerant,deprauantem, non est passus,increpauit,puniuit,priuauit oculis,clamauit,*O plene dolo,& omni fallacia,fili diaboli,non desinis subuertere vias Domini rectas?& nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus non videns solem vsque ad tempus.*

Quid de Petro dicent, quando Ananias, & Sapphira G vendita possessiuncula partem pretij sibi auerterunt,partem attulerunt? cum Ananiam iudicatum, & mendacij conuictum morte affecit,Sapphiram autem eidem sepulchro tradidit?iacebant enim mortui,verbo interfecti.Illic ignis allatus consumpsit ad Eliam profectos;hic verbum emissum in conspectu discipulorum efficit, vt qui fidem cauponati erant,morerentur: illic Elisæus corpora puerorum bestiis dedit; hic Paulus aspectum oculorum ademit,& eum,qui videbat, cœcauit, & qui talia patrauerunt, pœnas dederunt. Si igitur pœna ac vindicta in malis enumeratur, mali sunt Paulus,& Petrus:sin autem boni sunt, quia Apostoli sunt,boni sunt,quia pœnas exegerunt. Quid pœnas accusas,idque Apostolis irrogatione pœnarum vsis? quod si Apostolos quidem approbamus,pœnas verò improbamus,non decernunt,vel ius dicunt leges secundum personam de factis; non disceptant contra personas,sed astipulantur similitudini factorum.

Sed rursus aiunt:Misericors est filius: misericors, qui H Euangelia scripsit, & qui misericors est, filius est misericordis.Lex vero dura,& aspera est non parcens delinquentibus;misericordiam autem continet Euangelium, quod delicta quidem coërcet, pœnitentias verò prædicat.Ecce, dicent, Petrus negauit,& Saluator pepercit,& eum, qui tam graue peccatum commiserat,dissimulat,& minas clementiæ subiecit, vt esset omnibus per vniuersam vitam exempli,& imago clementiæ Saluatoris.Quid igitur lex? an caret imitatione exempli,& non habet imaginem parem, & huic respondentem?ac Petrus quidem studio virtutis deditus,& lapsus,venia,& condonatione honoratus est: in lege autem nemo post peccatum & quidem magnam veniam sibi per pœnitentiam conciliauit? Si enim ignorant, recitabimus quod scriptum est: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam, & à peccato meo munda me. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Si autem non ignorant, sed

sciunt,

A ſciunt, ſilentium tenent in malo ſermone.

Cognatæ igitur & germanæ ſunt res, ſimiles imagines: atque hic quidem Petrus, illic vero Dauid, vt magnorum virorum lapſus magna etiam venia curentur; & iis, qui grauiter deliquerunt, magna etiam miſericordia tributa ſit. Si igitur admirantur Euangelia, quia Petrus miſericordiam conſecutus eſt, admirentur etiam legem, quia & Dauid miſericordiam adeptus eſt. Si autem legem accuſant, quia poſt tanta delicta non eſt Dauid data venia: neque Petrus opinione eorum querelam, & accuſationem effugiet: & videbitur quidem contra ſolum Dauid facta accuſatio; ſed reipſa eadem accuſatione accuſabitur Petrus. Si autem dixerint, bonam quidem eſſe veniam, ſed veniam veteris legis vſque ad vnum pertigiſſe, in Euangelio autem multam eſſe veniam, & pelagus condonationis, & clamat ibi Saluator: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*: legant vetera, & ſubeat admiratio eorum, quæ ſcri-
B pta ſunt.

Si autem propter deſuetudinem exercitationis nolunt legere ſcripta, etiam hic deſinant accuſare. Saluator dicit: *venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, neminem prætermiſit, neminem reliquit, omnes complexus eſt. Dauid vero ait: *Omnes gentes plaudite manibus*, & rurſus, *Auribus percipite omnes, qui habitatis orbem, quique terrigenæ, & filij hominum, ſimul in vnum diues, & pauper*: omnes in Euangelio excitati ſunt; omnes in lege: neminem reliquit Euangelium; neminem lex omiſit: clamauit Euangelium, *agite pœnitentiam, appropinquauit enim regnum cœlorum*, omnibus dimiſit hanc ſermocinationem; cum delinquentibus loquebatur, cum lapſis ſermonem habebat, cum iis, qui iam erant rei mortis, loquebatur, libertatem per prædicationem præconciliabat.

Profectus eſt Ionas Niniuem, quæ erat ciuitas non parua & magna gentium frequentia habitata: edidit com-
C minationem, non reticuit pœnam, clamauit, perterruit ſermone: vidit viros, ad mutationem vitæ impulit, fecit, vt peccatum repudiarent: prænunciata commmatio abiit, ſucceſſit miſericordia: factum eſt, quod vt fieret, curabatur: non enim interitus quærebatur, ſed mutatio morum indagabatur: poſtquam factum eſt hoc, & viri mutati ſunt, apparuit donum Dei, clamauit iudex patrocinium ſuſcipiens, dixit miniſtro ſuo: *Si tu triſtatus es pro cucurbita, pro qua non laboraſti, quæ ſub vna nocte nata eſt, & ſub vna nocte periit, ego vero non parcam pro Niniue ciuitate magna, in qua habitant pluſquam centum viginti millia hominum, & multa iumenta?* & pepercit Deus, qui nunc quidem hæc dixit; in alio autem Propheta clamauit, inquiens: *Nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat*, qui ab iis, qui ſciunt laudes eius canere, in laudibus vocatur *miſerator, & miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ*: tam ingens enim pelagus miſerationum apud Deum eſt, vt minimam, & breuiſſimam etiam flagitio-
D ſiſſimorum ad pœnitentiam inclinationem non relinquat inhonoratam. Achab enim ferme ad extremum nequitiæ proceſſerat, & cum paulum compunctus eſſet, honorauit eum Deus, & rem miniſtro oſtendit, & minas repreſſit, ac cohibuit, protrahens interim tempus ſupplicij. *Vides*, inquit, *quomodo compunctus eſt Achab?* non inducam mala in diebus, ſed in aliis diebus, idque vt minimam aſperſionem pœnitentiæ decenti honore Deus honoraret.

Sed hæc hactenus, ne diſputatio de lege omnino præteriretur non tractata & excuſſa. Hoc ſolum addemus, fuiſſe legem vmbram futurorum bonorum, pædogogum vero adiuuare puerum, & ætatem pueritiæ, quouſque magiſter ſuſceptа grandiore eius habitudine, maioribus diſciplinis eum tradat: commodius enim & aptius hoc principio tanquam fundamento iacto, poterit quis confirmare, quomodo lex per Moyſem data, gratia vero & veritas à Chriſto facta ſit: nos autem alias argumentationes abortionis iſtius attringamus, propoſita alia huius opinione in ſcripturis abſona, & abſurda, vt ea excuſſa & euoluta, quoad fieri poteſt, mentes illaqueatas ex opinio- E
ne amente eripere poſſimus.

Porrexit enim ſe vſque ad fabricam mundi, & hoc, quod cernitur creatum, à diabolo creatum eſſe vult: eſſeque hominem à diabolo formatum atque animam quidem à Deo, eſſe tamen corpori à diabolo aptatam, & factum hominem, qui ſubſtantiam quidem corporis ex ſubſtantia diaboli acceperit, ſubſtantiã vero animæ tanquam ſpolium & exuuias ex Deo ſumpſerit: vt anima quidem ſumpta ſit ex Deo, traxerit vero de Deo ſpoliũ diabolus: atque ita ex ſubſtantia diaboli, & ſpolio Deo detracto fabricatum eſſe hominem ex corpore & anima conſtãtem, atque animæ quidem non eſſe auctorẽ diabolum, neque ſubſtantiã eius feciſſe, ſed ſolius ingreſſus animæ in corpus effectorem eſſe: detractam enim tanquã ſpoliũ, vt ipſi aiunt, in carnẽ immiſit, carnem vero ipſam, & formationẽ, & figuram, & talem formam, ac totã ſubſtantiã opus eſſe & formationem diaboli. Fatentes igitur factũ eſſe ho- F
minem ex contrariis, neque quæ ſit contrariorum ratio ſciunt; neque ſciunt, eſſe quædã contraria, quæ inter ſe cõmiſceri non poſſunt, quia nullam inter ſe communionem, neque miſtionem habere queunt: quin potius cauſa ſunt interitus ſui in illa, quæ putatur, communione, quia non poſsũt ſimul eſſe, imò aliud tollitur, quia aliud dominatur.

Ecce, in vno cubiculo dies & nox inueniri non poteſt, quia ſolum lumen inuentum prius ſuſtulit tenebras. Ecce, in vna anima pudicitia, & ſcortatio non poſſunt cerni, quia ſola pudicitia, ſi apparuerit, fugat, & amandat ſcortationem: Ecce, pietas, & impietas in homine vno nunquã erit: vbi enim pietas cernitur, neque ſtilla impietatis apparebit: confirmat autem Apoſtolus, & ſignat, quæ dicta ſunt: Quæ, inquit, *ſocietas luci ad tenebras? Quæ pars Chriſto cum Belial?* Quæ enim ſunt ſibi contraria, non poſſunt eſſe ſibi amica, & vnus concentus non poterit facere, vt quæ ſunt vnius concentus diſcrepent: nec enim ex numeroſo, & non numeroſo vnus concentus, & vna
modulatio efficitur, nec ex ſilentio, & locutione vna cõ- G
poſitio fit. Vnum enim ſolum eſſe oportet, altero ſublato, quod non patitur, vt ſimul ſit. Si autem corpus eſſet diaboli, & anima Dei, quomodo vnus concentus hominis ex eis conflatus eſſet? Quomodo vna amicitia, & affectio?en, aptatus, & factus eſt vnus homo, & concentu, ac conuenientia vnus eſt, ecce anima copulata eſt cum corpore, & illud amat, & effectione complectitur, nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fouet eam. Si autem alterum alterius curam habet; & dolorem corporis ſuum ducit anima, & non diſiungitur affectionibus: ſed adiungit ſe ad vulnera, adiungit ſe ad affectiones: & cum corpus dolet propter vulnera, in triſtitia & moleſtia eſt anima, quæ poteſt eſſe expers doloris.

Cum verò voluptatem percipit, & à voluptate titillatur, anima etiam motus corporis participat; & titillationes ſimul attingit: ac ſimiliter quidem deſinit, accipit vero ſimiliter incrementum. Cum anima, inquam, deſinit perturbationibus moueri, ſimul deſinit corpus, & conquieſcit. Cum vero cupiditas in anima remoratur, titilla-
tionibus etiam in corpore remoratis; corpus ſuauitate H
perfundit, & inflammat: fiuntque æqualiter titillationes, & æqualiter titillationum abiectiones, & defectiones. Si autem ex cõtrariis eſſet homo, ac corpus quidem diaboli eſſet, anima verò Dei, primum quidem non facta fuiſſet coniunctio vtriuſque, nec ipſa diuturna miſtio perficeretur. Secundo, quamuis alterum ab altero reciperetur, & vtrumque tamen, quæ ſua eſſent, propria, & priuata duceret, quæ verò alterius, aliena, & neque voluptas corporis, animæ voluptas fieret: neque vulnera corporis dolores animæ eſſent: ſed vtrumque per ſe voluptatẽ, & dolorem ſibi impertiret. Quomodo diabolus illinc, quod ſuum non erat, ſumere potuit? quomodo anima, quæ non eſt huius, ſed alterius, & nullam admiſtionem eius habet, ſed eſt alterius ſubſtantiæ, & ſubſtantiæ omnino à diabolo alienæ, quomodo, inquã, in alienis & externis eſt? & admiſtionem corporis diaboli, tanquã vinculũ patitur, & tolerat? & ligata eſt in non ſuo? quomodo carnem propriam eſſe ducit, & ſanctam facit, atque eam ad virtutem præparat, vt

A vt quoad fieri potest, similem Deo efficiat? cum enim corpus castum est, & non sordidatum, neque maculatum, cum sanctum est, & honestum, cum sermo eius sanctus, & rectus, cum aspectus iustus, cum motus eius diuini sunt, quid aliud est hoc, quam similem esse Deo? ac de his quidem hæc dicta sunt.

Pauca autem ex scripturis apponamus, vt appositio scripturarum illos ad erubescendum se adigat, & nobis fidem maiorem conciliet. Saluator enim cum in Euangelio de formatione viri & mulieris meminit, formationem ad patrem suum, & conditorem vniuersi referens, aiebat: qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos, & dixit: propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carnem vnam: itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet: nouit cuius esset corpus, & cuius anima confitendo auctorem vtriusque, & patrem confitendo: & retinet, ac cohibet humanas cogitationes, volens, vt non
B possint disiungi, quæ facta sunt, non concedens, vt vlla humana sententia, ac voluntate, quæ bene aptata sunt, separare liceat: in Euangelio autem iis, qui falsò videbantur eodem studio & cura teneri, occulta tamen & quæ intus erant in homine, negligebant: aiebat, stulti, nonne qui fecit, quod foris est, quod intus est, fecit? Si autem, quod intus est, anima est, quod autem foris, corpus, & qui fecit, quod intus est, animam fecit, & qui fecit, quod foris est, corpus fecit, igitur qui est animæ auctor, & effector, corporis auctor & effector est, & Deus est, qui vtrumque fecit, & aptauit, & coniunxit, qui hanc harmoniam decentissimam coagmentauit? ipse autem Saluator quam accurationem corpori in sermonibus suis adhibet, cum ait: sunt eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum. Qui poterit capere, capiat? adhibens enim hanc diligentiam, & studium corpori, & efficiens ipsum sanctum & perturbationibus, ac voluptatibus vacuum, & omnem cupiditatem verbo
C amputans, & detondens, procurationem corporis demonstrat, & curam carnis prouidam significat: sollicitudine autem, & accuratione suam esse prædicat, progrediens vsque ad curam aspectus: ne si aspectus fortuito, ac temere moueatur, omni labe, & macula impleatur: quin imò si constanter, & grauiter cietur, in apta modestia perseueret: ait enim in Euangelio; Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo: commotionem in corpore cum corde committitur, & aspectum curans, communem curam adhibet cordi, commotionem aspectus commotionem cordis reputans esse, & accurationem aspectus, accurationem mentis, nec enim aliter nocebit oculus, quam vt nocebit mens: quia non potest oculus deprauari, non deprauata anima; si enim anima est in æquitate, & rectè videt; apte, & conuenienter oculi cernent.

Hic igitur repudians turpem aspectum oculorum, sanctum aspectum inducit: vt oculi, inquit, recta videant, & palpebræ iusta intueantur: erigit enim & extollit oculos, non permittens simul, vt flectantur, sed potius excitat, & vt erecti sint, facit: idcirco saluator gerens ma-
D gnam prouidentiam, & procurationem corporum corpus gestauit, & in corpus venit. Si igitur non venit in corpore, quid dicturi sunt de cruce, & fixura clauorum, & lanceæ, & monumento, ac sepultura? Sin autem his conuicti corpus sumpsisse Saluatorem confitentur, quid dicent, si non sunt dicturi ipsum quoque à diabolo formatum esse? & non iam solum corpus humanum esse diaboli, sed etiam corpus Saluatoris benefici nostri; non enim parcent, nec abstinebunt se, quin vsque in hanc cogitationem euadant, & linguam in Saluatorem protendant. Qui enim contra ea, quæ ad illum pertinent, disputat, hic linguam acuens contra ipsum disputabat. Saluator autem baptismo etiam in Iordane abluebatur, & aquis aspergebatur, quis erat? & quid erat? Si enim corpus non gestabat, neque corpus habebat, quid commune est spiritibus cum fluminibus? Quis Angelus, quæ virtus, quæ dominatio, quis principatus, quæ potestas ad lauacrum descendit, & aquas experta est? quod si neque virtus, neque potestas, neque thronus in aquas descendit, extra quæstionem posita est res, factum est perspicuum, quod quærebatur: imò ascendit ab aquis, tenebatur à diabolo, esuriebat, sitiebat, nauigabat, dormiebat, iter faciebat, defatigabatur, ambulabat, esuriens venit ad ficum, postremo iudicatus est, & crucifixus: quis hæc proclamabat? quis hæc testabatur? taceant linguæ, loquantur acta. Os habent res: res amplius aërem pulsantes, sonum emittamus, os habent scripta: etsi nos taceamus, non tacent res: etsi nos non loquamur, quæ scripta sunt, non possunt non loqui. E

Igitur quia sic sunt hæc, & acta fidem habent, & narratio actorum vera est, & clamant ipsæ actiones vi sua, habuisse corpus Saluatorem, & corpus mortale, & quod propter nostra corpora corpus gestauit, quod reliquum est, simile quærit, propter nos venit illius corporis sui effector, & nostrorum effector. Si enim aliud fuisset illud, curam aliis non adhibuisset corporibus. Si autem factum est, & factum à Deo, factum vero est propter nos, igitur propter propria fiebat, vt quæ propria erant, salua essent: illud fecit, illius effectione omnium suorum libertatem operatus; gratiæ igitur debentur ei, qui corpora nostra fecit, qui eorum ignauiæ, atque pigritiæ prospexit, & consuluit: qui misit filium suum in corpore, & nostris corporibus pignus dedit, vt non iam amplius flectamur, & humi sternamur, sed simus elati, & erecti communitate corporum. *Id est, si non fuisset eiusdem naturæ corpus scilicet humanum anima intelligẽte praditum.* F

Illos igitur deceptores & fallaces in hoc etiam attenuemus, quod in corpora inuaserunt, & in corpus auctoris processerunt, ac contra œconomiam, & dispensationem Dei linguam extenderunt, ac contra libertatem nostram ad vsum & exercitationem linguæ loqui non dubitauerunt circulatores quidam, & circumforanei: congessimus aceruum verborum prauitatis istius: licet enim ex vno aliud accusare, imò omnia deinceps persequentes, omnia inutilia, & aliena existimare, idcirco nos omnem sermonem ipsorum huc vsque delapsi, ne magni- G tudinem libro præbeamus, his hactenus dictis terminemus, facta ex paucis aliorum indicatione, & ex dictis priùs eorum confutatione confecta: opus autem est diligentia studiosis, vt omnes præstigias præteruecti aures seruent, ne à prauitate capiantur, vt sint custodes suarum aurium: partim eas aperientes, cum verus sermo pulsat, partim claudentes, cum falsus, & dolosus, veritatem simulans laborat, vt in conclaue mentis irrumpat: multi enim ficti, & simulati pulsant aures, dicentes, ego IESVS CHRISTVS, & multos decipiunt: vnus autem solus Christus, qui est liberator, præses victoriæ, beneficus, qui dispositione pulsat, qui libertatem in ipso aditu conciliat, qui simul vt ingreditur, peccata excludit, qui in ingressu, amicitiam cum patre tribuit, qui mox ingrediens trophæa in anima ponit.

TITI BOSTRENSIS EPISCOPI Oratio. In Ramos Palmarum. H

VTi immensa abyssus, aquarum fontes copiâ scaturit; iique, iugi impetu decurrentia flumina regerunt; quæ terram obeuntia, irrigent, vt iis illa irrigua, panem in cibum fructificet, vinumque ad lætitiam hominum: eâque illi annonâ potiti, Scripturæ illud adimplent: *Edent pauperes & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum:* sic quoque ineffabilis Domini nostri IESV CHRISTI benignitas, ex suæ bonitatis ac benignitatis immensâ abysso, sacras nobis solemnitates, in quibus nostram operatus est salutem, ceu fontis venas profluit: sancti autem Spiritûs gratia in solemnitatibus efficax, implet *fluminis impetus:* deiferos vtique viros, *doctrinam* habentes *in docendo*, qui spiritalem ac rationalem humani generis terram lustrantes, Ecclesiam sanctam lætificent; ciuitatem illam Regis magni Iesu Christi, iuxta quod scriptum est: *Fluminis impetus lætificant ciuitatem Dei.* Ecclesia denique lætificata ac *Pulchrũ simile.* *Psal. 21. v. 27.* *Rom. 12. v. 7.* *Psal. 45. v. 5.* *Isai. 55. v. 1.*

A delectata à pinguedine cordis, regnantem in ipsâ Dominum laudat atque glorificat. Age itaque, vt & hodie, quod ipse de seipso, per sanctos Prophetas suos, prædixit, eloquamur, eam pro virili nostrâ parte, nostram scrutemur salutem, quam nobis Rex noster, festâ hac luce molitus est: Age exquiramus, cuiusnam gratiâ, Regem eum, nedum homines laudauerint, sed & Angelicæ Virtutes. Causa igitur eiusmodi cantici, iuxta quod videbatur, Lazari suscitatio fuit, quemadmodum ait Euangelium: *Cogitauerunt autem Iudæi, vt & Lazarum interficerent; quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in* IESVM. Et hæc quidem manifesta ratio laudationis illius fidelium: occulta autem ac abditior, resurrectio est vniuersæ naturæ hominum. Ac sicut signum Lazari, eiusque suscitatio hominum animos ad celebrandum canticis Dominum excitauit, sic & signum suscitandi vniuersi humani generis, Angelos sanctos ad laudandum permouit. Quantùm verò, totius vniuersitatis hominum resurrectio, Lazari vnius suscitationi præcellit, tantùm quoque gloria ac laudatio id temporis præstabit. Ac conscientia quidem clamantium hominum miraculo excitata ad laudandum mouebat; diuina autem prouidentia, nedum homines, sed & Angelos, ad IESV admirationem, ob naturæ totius futuram resurrectionem, occultè instigabat. Viderunt enim, viderunt reuerà, didiceruntque, ac quam nescirent sapientiam edoctæ sunt, cœlestes Virtutes per fidelium Ecclesiam, ab vniuersorum creatore Deo, in quo ante sæcula abscondita esset, nouùm elucentem; eam nimirum quæ in Domini IESV doctrinis ac promissionibus, miraculisque consistit, quemadmodum admirabilis Paulus quodam loco dicit: *Vt innotescat nunc Principatibus & Potestatibus per Ecclesiam, multiformis sapientia Dei.* Docentur enim supernæ Virtutes, necdum ab ipsis visa, auditaue. Etenim sunt creaturæ; nec vlla sit creatura, cui non doctrina necessaria sit. At neque nouerunt futura, nisi quid sanctâ ac adorandâ Trinitate docente acceperint. Didicerunt ergo, certumque argumentum futuræ resurrectionis Adami acceperunt, videntes filium Viduæ à Deo suscitatum. Protoplasto enim terræ filio mortuo, ea tanquam vidua effecta est. Rursus autem videntes suscitatam Archisynagogi filiam, sapienter intellexerunt Euam quoque cum Adamo suscitandam. Tum verò suscitato puero Centurionis alienigenæ, hoc abundè Deus docuit, fore vt externas quoque gentes suscitaret. En tibi tres mortuorum differentias. At Lazarum suscitando quartum mortuum, quatriduanum illum à sepulchro, elementis quatuor distrahentibus, olentem, putrem, vermibus mancipatum, notum factum est Principatibus ac cœlestibus Potestatibus, terrenisque hominibus, fore vt tandem Deus, vniuersam hominum naturam, elementis quatuor constantem suscitaret; quanquam illa in prævaricationis peccato fœteret; quanquam in idololatriæ impietate putruisset; quanquam ei dæmones instar vermium dominarentur, *& captiuam tenerent, ad suam ipsorum voluntatem.* Cùm hæc ergo Angeli arcanâ ratione, homines autem conspicuâ cernerent, vehementiùs admirati, obstupuerunt, cœperuntque clamare ac dicere: *Hosanna in altissimis.* Porro laudabant, non vt tantùm signiferum, sed vt etiam Regem, quòd omnem quam à sæculo diabolus morsque captiuitatem subiectam habuissent, ipse captiuasset: His enim, ac similibus de causis, eum diuini Prophetæ Regem prædicant.

Ioan.12. v.10.

Causa duplex submissi triũphatori Domine cantici.

B

Ephes.3. v.10.

Ephes.3. v.10.

Omnis creatura habet doceri.

C

Nesciunt Angeli à se futura.

Luc.7. v.11. Matt.9. v.18. Marc.5. v.22. Luc 8. v 41. Matt.8. v.5.

Lazari resurrectio, symbolum resurrectionis vniuersalis.

2.Tim 2. v.26.

D

Matt.21. v.9. Psal.67. v.19. Ephes.4. v.8.

Quia porrò præfati Prophetæ conuiuæ sunt rationalium animorum; ac sicut menses, anni spatij circulo, per partes humana corpora alunt; ita & ij, nos quoque per partes, seu potiùs communiter instructis epulis, dum interim festa agimus, seu etiam vbique, fidelium alunt animos, ac diuinis doctrinis Christianos inebriant, iuxta quod eorum aliquis dicit: *Inebriabuntur ab vbertate Domûs tuæ:* Venite, audiamus, & narrabunt nobis omnes qui diligunt regnum Dei, quid de eo prophetet magnus Zacharias, gloriosus ille inter Prophetas. Intelligamus quid fausti nuntij præco ferat, multis sæculis præcurrens

Psal.35. v.9.

E regno. Venite, atque vt conuiuæ rationales, fruamur verbis procedentibus de ore Dei, per spiritalem conuiuam Zachariam; cui obtigerit, vt suis nos epulis festâ hac luce exciperet, quemadmodum ait Dominus: *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Nam quia homines tristitiam oderunt: amant verò gaudium, incipit à gaudio clamare, dicens: *Gaude vehementer filia Sion. Gaude vehementer,* inclamat captiuitati Propheta, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* Quamobrem *Gaude*, & quamobrem *Vehementer* delectare & gaude? Quia venit qui conuertat te, sicut olim prædixit pater Regis qui conuertit te: *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti sumus sicut consolati: tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione.* Gaude, inquit, velut postliminiò reuersa, à captiuitate dæmonum, & sæculi huius potestate, ad cœlestem illam Ierusalem, quam pater tuus Abraham expectabat, vti ait quodam loco beatus Paulus: *Vos autem accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in Cœlis, & Iudicem Deum viuum, & spiritus iustorum perfectorum: Vnde fugit dolor, tristitia, & gemitus:* Vbi Iustorum *omnium lætantium habitatio est.* Tunc delectare, & iucundare, & gaude vehementer filia, huius vtique, Sion. Cur verò inquit, vehementer gaudebo, ô Propheta? *Gaude*, quia non vltra doloribus illis mancipanda sis: *Vehementer* autem, eò quòd liberator tuus haud habeat vti alij reges, sed sit Rex æternus, & cuius regnum æternum sit, quemadmodum ait Gabriel Angelus ad eius Matrem ac Virginem Mariam: *Et regni eius non erit finis:* ac sicut eius regnum æternum est, ita salus tua æterna erit. Propter hoc ergo, *Gaude vehementer: Prædica filia Sion.* Quid prædicabo, ô Propheta? Prædica Regi tuo, qui venit de excelsis Cœlorum, vt te saluet, gratiarum actionem, glorificationem, laudum cantica. Prædica *Hosanna in altissimis,* vnde is, te saluaturus aduenit: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Tu verò mihi Euangelistam considera, vt duplicem Christum prædicet. Dicendo enim; *Hosanna in altissimis*, sublimem naturam Diuinitatis ostendit: dicendo autem: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, substantiam designat humanitatis: semen inquam illud benedictum, quod benedictus Abraham in benedictionem accepit, vt in semine eius benedicerentur omnes Gentes terræ. *Benedictum,* inquit, *quod venit regnum Patris nostri Dauid.*

Matt.4. v.4.

Zach.9. v.9.

Rom.11. v.33.

Psal.125. v.1.

Hebr.12. v.12.

F

Luc.1. v.33.

G

Christi duplicis naturæ prædicatio.

Gen.18. v.18.

Marc.11. v.10.

Resumamus priorem vocem, ac velut prophetica vbera exprimamus: Quippe adhuc lac habent. Ait siquidem: *Gaude vehementer filia Sion: Prædica filia Ierusalem.* Quorsum verò, *filia Sion*, non Sion? Quorsum *filia Ierusalem*, non Ierusalem? Quæso attendas sapienter. Quemadmodum enim olera, volucres, quadrupeda animalia, atque homines, pro variâ formâ atque virtute, alia atque alia acceperunt nomina; sic sanè singuli diuinorum eloquiorum apices, virtutem propriam, ac sensum spiritalem habent. Scrutemur ergo, quamobrem Propheta, fidelem Ierusalem, primùm appellet filiam Sion; subindeque filiam Ierusalem: Nam ait. *Gaude vehementer filia Sion: prædica filia Ierusalem.* Sion exponitur, *Sitiens.* Hæc porrò, iustorum ac Prophetarum congregatio est, qui fuerunt à sæculo, vsque ad Christi aduentum: qui nimirum vniri sitierunt, ac placere, diuinæ adorandæque diuinitatis substantiæ, quemadmodum, ait Petrus Apostolorum princeps: *Vt diuinæ efficerentur consortes naturæ.* Hi, inquam, Christum quærentes, ac sitientes appellati sunt Sion, quemadmodum eorum aliquis ait: *Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum:* vbi autem adepti sunt ac accesserunt; seu potiùs *viderunt, ac conuiui sunt faciem eius*; sic enim habeat alia editio; facti sunt Ierusalem Deum videntes, ac totius scientiæ specula. Huius porrò Sion filiam vocat, fideles in Domino, qui sitiunt per fidem, quique exequendo Euangelica præcepta, Dominum in eis occultatum inuenire quærunt, vti ait Spiritus sanctus: *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob:*

H

Quid Sion, filia Sion, filiaque Ierusalem.

2.Petr. 1. 4.

Psal.41. v.3.

Psal.23. v.6.

A Vbi autem consecuti sunt, vocantur filia præfatæ Ierusalem, videntes Deum, ac scientiam spiritalem speculantes. Porro Propheta Deum obsecrans in spiritu, vt eam
Psal.73. v.2. Sion ac Ierusalem exhiberet, ait: *Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.* Ergo cum hac matre tuâ, tu Sion, *Gaude vehementer filia* cœlestis *Ierusalem:* Clama cum tuâ illâ matre: *Hosanna in altissimis: Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Matt.21. v.1. *Christus in cœnaculo. 1. Ecclesiâ, manducatur.* Quid verò ait Euangelium? *Cùm appropinquassent Hierosolymis, & venissent Betphage.* Idcircò enim iuit in cœnaculum, ad montem Oliuarum (quod est Ecclesia fidelis populi) vt eum manducarent. *Tunc misit* Dominus *duos ex discipulis suis.* Sunt hi, chori duo, Prophetarum scilicet, & Apostolorum. Apostoli enim cùm docerent Gentes, secum habebant à Deo inspirata oracula Prophetarum, quæ Christo testimonium perhiberent,
Ezech.1. v.17. quomodo vidit magnus inter Prophetas Ezechiel: *Rota,* inquit, *in rotâ, volans ac currens.* Dicens IESVS: *Ite in*
B *castellum quod contra vos est;* misit eos in vniuersum Gentium orbem. Hactenus enim Gentiles contrarij erant, fideli Ecclesiæ Iudaici populi. Porrò, opportuno eos tempore misit in castellum Gentium, quod contra erat: quippe illud paratum erat, vt præfatos duos choros Prophetarum ac Apostolorum reciperet. Et vt *ei pullum adducerent;* nempe Gentes: super quas ascende-
Psal.49. v.9. Matt.11. v.2. ret ac regnaret, iuxta quod Psalmista ait: *Regnauit Deus super Gentes: Dominus sedens super sedem sanctam suam. Super quem nemo vnquam hominum sedit.* Nam neque Deum sessorem habebant, ac regnantem super eas, neque legem, neque Prophetas. *Soluite,* inquit, *illum, & adducite mihi.* Apostoli enim à tenebris Gentes absolue-
Ephes.2. v.2. runt: hoc est, à Dei ignorantiâ; ab errore; à peccato; ab alieni seruitute; à potestate tenebrarum principis sæculi huius: adduxeruntque ad eorum creatorem, ac opificem Dominum. Ac ecce, super eas sedet, regnat-
Luc.19. v.38. que, vti super Cherubim, clamantes atque dicentes: *Hosanna in altissimis; Benedictus qui venit in nomine Do-*
C *mini: Pax in Cœlo, & gloria in altissimis.* Sic enim Lucas
Vt pax in Cœlo facta. ait. Cur is verò, *Pax in Cœlo,* dicit? Nunquid enim Angeli non habebant in Cœlo pacem? Habebant sanè, ac
Phil.4. v.7. planè habebant pacem in se ipsis: illam nimirum pacem, *quæ exuperat omnem sensum,* quemadmodum sapientissimus Paulus ait: Habebant in Cœlo pacem; haud tamen cum hominibus habebant. Cœlum per seipsum pace gaudebat. Vt autem Angeli vniuersum humanum genus Lazari signo congregatum viderunt, Gentesque solutas pulli instar, ad auctoris seruitutem accedentes, ac regnum, Cœlum quoque pacis fœdera cum hominibus iniit, clamaueruntque vnanimiter, atque dixerunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini: pax in Cœlo, &*
Gal.2. v.8. *Quid vestimenta pullo imposita, ac in terrâ strata.* *gloria in altissimis. Et imposuerunt super pullum vestimenta.* Significant hæc, quam ipse eis dedit gratiam in Gentibus, per quam IESVM super eas sedere fecerunt: nec id solùm, sed & per proprias quoque eorum virtutes, quemadmodum significat sacer Euangelista dicens: *Alij autem sternebant vestimenta in viâ:* Per hoc enim proprias eorum virtutes, quas gratiæ coniunxerunt, indi-
D Rom.5. v.1. cat, quemadmodum admirabilis Paulus apertè ait: *Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM: *per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in quâ stamus, & gloriamur in spe gloriæ Dei.* Hactenus quæ spectant ad gratiam. *Non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus nostris: scientes quòd tribulatio patientiam operatur; patientia autem, probationem; probatio verò, spem; spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Quod autem ait, *Sternebant in viâ,* eò dictum sit, quòd eorum virtutes, coram Gentibus, corporaliter, palamque ac sensibili ratione, adspectandæ proponerentur, vti
Phil.4. v.9. etiam alio quodam loco ad idem ait Apostolus: *Quæ vidistis in me, & audiuistis, & accepistis, hæc agite:* Verùm ad propositum reuertamur.

Turbæ autem quæ præibant, & quæ sequebantur, clamabant, cum laudibus, & ramis oliuarum atque palmarum.

E *Quid oliuarum ac palmarum rami.* Significant oliuarum rami, actuosam operationem exterioris hominis: rami autem palmarum, spiritalem, actiuamque ac contemplatiuam, atque puram hominis interioris operationem. *Clamabant dicentes: Hosanna in altissimis.* Reuerâ enim, omnes turbæ Iustorum, & Prophetarum, ac Sacerdotum; quos intelligimus præeuntes atque sequentes; fide clamant; dicuntque: *Hosanna in altissimis:* quemadmodum sacer Euangelista ait: *Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem; Dicite filiæ Sion.* Quibusnam Propheta ais, *Dicite.* En ipse prædicas: en ipse dicis. Ego, inquit, desiderabam videre & audire: nec ego tantùm, sed *& multi Prophetæ & Iusti.* Verùm dico, cùm inuentu- Matt.13. v.17.
ris ac discipulis, tum iis qui vident ac audiunt Regem Sion, vt dicant ac prædicent. *Dicite filiæ Sion, ecce Rex tuus venit tibi.* Non nudè dixit, *venit:* sed, *venit tibi:* hoc est, vt sit tuus, & habitet in te. *Ecce Rex tuus venit tibi iustus & saluans.* Saluans ab inimici seruitute credentes in eum. *Mansuetus, & sedens super pullum filium sub-* F
iugalis, hoc est, humilis, suâque humilitate, *dispergens* Zach.9. v.10.
currûs regni Ephraïm; hoc est, diaboli: qui regnauerat super Israël, & super Gentes. Sed & ad literam, regnum quoque populi Iudæorum disperdidit; illudque iam desiit. *Et equum de Ierusalem:* hoc est, omnem eorum principatûs superbiam; humili pullo suo. Porrò, Iacob cùm benediceret Iudam, factamque ad Abraham ac Isaac patres suos benedictionem, quæ est Christus, declararet, Gen.49. v.11.
ait: *Alligans ad vitem pullum suum.* Ad vitem enim de Psal.79. v.9.
Ægypto translatam, quæque totam impleuit terram, per doctrinam Prophetarum eius atque Iustorum, vniuersas Gentes alligauit. Nam pullus in lege immundus erat, vti & Gentes. *Alligans ad vitem pullum suum.* Quid ita? Vt ab eâ, legem ac Prophetas, ac in eis latentem Dei scientiam acciperent: hoc est, Christum; qui est benedictio ac purgatio Gentium. Quippe ait: *Et ad elicem pullum asinæ suæ.* Est elix, quod ex vite germinat: Christus nimirum, qui germinauit ex vite Synagogâ translatâ de Ægypto; quemadmodum ipsemet ad eum Iacob G
ait: *Ex germine, fili mi, ascendisti:* inque eo Gentes, insolubili vinculo alligatæ sunt. *Vitis, Synagoga: pullus alligatus, Ecclesia Gêtium.*

Et nos itaque insolubiliter Christo alligemur. Siquidem omnino ab eius solemnitatibus, salutem obtinere contendimus; nos quoque ipse vnà cum Lazaro, *à mortuis operibus* nostris, *quæ sine Deo sunt facta,* suscitaturus Hebr.6. v.1. Ioan.11. v.3.
est. Sic ipsi in Bethaniâ concœnabimus, quam interpreteris, *domum obedientiæ.* Sic à captiuitate obliuionis animi pariter ac corporis sensûs aptè colligemus, clamantes ac dicentes: *Hosanna in altissimis: Benedictus qui venis in nomine Domini;* in suam ipse Ierusalem ingressurus: non iam vt patiatur, vti tunc; sed vt saluet eam, Saluatorque ab eâ glorificetur, quomodo Dauid eam compellans ait: *Collauda Ierusalem Dominum: lauda* Psal.147. v.1.
Deum tuum Sion. Dixit iterum: *Collauda ac lauda;* animo pariter ac corpore. *Quoniam confirmauit vectes portarum tuarum:* nempe, fidem, spem, & charitatem, meditationem ac studium cœleste, longanimitatem, patien- H
tiam. *Benedixit filiis tuis in te:* nempe, infantibus fidelibus, qui Dominum cum ramis susceperunt; cum nouis vtique fructibus: infantibus, inquam, sugentibus lac doctrinæ Christi. Credentes enim in eum, mox laudant, sicut scriptum est: *Ex ore infantium & lactentium perfe-* Ps.8.v.3.
cisti laudem. Efficiamur pro immundo pullo sacrum ei vehiculum, vt in nos ascendat. Currum ei nostrarum cogitationum iungamus, & *regnabit* super nos, *in sæcu-* Luc.1. v.32.
la, & regni eius non erit finis. Hilarem vitæ rationem, ceu ramos oliuarum assumamus, vt quemadmodum ait regius Psaltes, *Faciem nostram in oleo exhilaremus.* Et ite- Psal.103. v.15
rum: *Seruite Domino in lætitiâ.* Diuinam rursum ac spiri- Psal.99. v.2.
talem operationem in interiori homine ceu palmarum ramos tollentes, sequamur, gratias ei agentes: ac pro candore quidem, rectam, intemeratamque, ac simplicem assumamus fidem; pro agilitate autem, patientem spem; spem inquam, quæ pungat ac iuguler, cogitationem omnem extollentem se, vt nos à Dei scientiâ captiuet: pro palmæ demum dulcedine, dulcem charitatem, quæ

ex

A Psal.91. v.13. Matt.21. v.12.

ex præfatis, fide, spe, ac reliquis constat, vt in nobis impleatur, quod dictum est: *Iustus vt palma florebit; sicut cedrus quæ in libano est, multiplicabitur.* Sequamur eumtem in sanctam ciuitatem: Ingrediamur cum eo in templum, vt in nobis mensas nummulariorum subuertat, ac dæmones vendentes columbas: nempe cogitationes in errore volantes; cum omnibus qui in nobis emunt venduntque, à nobis expellat; ac pro spelunca latronum, sacrum nos templum, vti antiquum illud, in quo Christus habitet ac deambulet, faciat; quo cæcis nostris largiatur visum, ac surdos faciat audire, & ambulare claudos, mortuosque cum Lazaro resuscitet. Vbi enim Vita habitat, ibi resurrectio est: vt cum Lazaro & turbis, ac discipulis eius; cumque infantibus, ac Angelis sanctis clamemus dicentes: *Hosanna in altissimis: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Christus Dominus & Deus noster, *Rex sæculorum.* Ipsi gloria, honor, potestas, & adoratio, cum Patre & Spiritu sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

1.Tim.1. v.17. B

S. PATRIS NOSTRI CYRILLI Archiepiscopi Hierosolymorum Catecheses, ex interpretatione Ioan. Grodecij.

De S.Cyrillo, eiusque scriptorũ monumẽtis, vide quæ annotat Baronius in Notis ad Roma. C nũ Martyrologiũ 18.Marti

PROCATACHESIS, SIVE PRÆFATIO Catecheseon Sancti Patris nostri Cyrilli Archiepiscopi Hierosolymorum

ΚΕ ΕΤ' ΔΟΎΓΗΣΟΝ.

IOANNE GRODECIO INTERPRETE.

IAM est beatitudinis odor in vobis, ô illuminati, iam spiritales colligitis flores ad plectendas cœlestes coronas, iam Spiritus sancti spirauit fragrantia, iam circa porticum regalis palatij fuistis: vtinam vero & ab ipso Rege introducamini. *Flores* nunc arborum *apparuerunt,* vtinam vero & fructus perficiatur. Nominatim in Christi militiam vocati dedistis, & sponsales lampades vobis donatæ, & regni cœlestis desiderium bonumque propositum & spes subsequens. Neque enim falsus est qui dixit, quod *diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Liberalis namque est Deus, & pronus ad beneficentiam, † expectat tamen cuiuslibet propriam voluntatem. Propterea subiecit Apostolus: *secundum propositum vocatis Sanctis.* Propositum cum adest proprium, vocatum te facit: nam etiamsi corpus hic habeas, mentem vero non adhibeas; nihil tibi proderit. Accesserat, aliquando Simon Magus ad hoc lauacrum; Baptizatus est, sed non illuminatus: & corpus quidem lauit aqua; cor autem non illustrauit Spiritu. Descendit quidem corpus & ascendit; anima vero si non est consepulta Christo, neque cum illo resurrexit. Equidem profero exempla casuum humanorum, ne & tu cadas: hæc enim *in figura contingebant illis;* scripta sunt autem in admonitionem eorum qui hodie quoque huc accedunt; ne quis vestrûm reperiatur qui tentet Dei gratiam, ne aliqua radix amaritudinis sursum germinans perturbet vos, ne quis vestrûm hæc dictitans ingrediatur: Sine videamus quid agant Fideles; ingressus videbo & discam ea quæ fiunt. Visurum te proposueras; videri vero te non putabas? Et existimas te quidem ea quæ fiunt apud Fideles, penitus perscrutari; Deum autem cor tuum non perscrutari? Scrutabatur olim quidam nuptias illas, vt est in Euangeliis; & vestem capiens minimè decoram, ingressus accubuit & comedit; admittebat enim ostiarius: Sed oportebat ipsum, cum videret omnes splendide vestitos, eiusce modi quoque capere amictum; verum ille, cibum quidem vna cum aliis sumebat æqualem, inæqualem autem ornatum & propositum habebat. Atqui Sponsus; quamuis liberalis, non tamen indiscretus. Circumiens namque singulos conuiuas & circumspiciens (curabat enim, non quomodo comedebant, sed quomodo essent ornati) vidit quendam externum, non habentem vestem nuptialem, dixitque illi: *Amice quomodo huc intrasti?* quo colore; qua scientia? Esto: ostiarius non prohibuit, propter liberalitatem eius qui exhibuit conuiuium. Ignorabas quali amictu ingrediendum esset ad conuiuium? sit ita sane! Sed cum iam intraueras; vidisti splendida discumbentium vestimenta; nonne te oportuit, vel ex his quæ cernebas, discere? nonne opportune te ingredi fuerat necesse vt opportune exires? nunc autem importune intrasti, vt importune eiiciaris. Et iubet ministris: *Ligate pedes illius,* confidenter intrantes; ligate & ipsius manus quæ splendidò illum nescierunt ornare vestitu, & proiicite ipsum in tenebras exteriores; Indignus enim est qui sponsales lampades ferat. Vides quid tum illi acciderit? caue ergo tibi. Nos enim qui sumus ministri Christi, quemlibet suscipimus; & tanquam in ordine ostiariorum constituti, apertum esse sinimus ostium. Permissum est tibi, etiam contaminatam peccatis habenti animam, & sordidam voluntatem intrare: intrasti, eo loco dignus habitus, nomen tuum inscriptum est. Aspice venerandum hoc Ecclesiæ institutum, circumspice ordinem & disciplinam, Scripturarum lectionem, † regularium præsentiam, & doctrinæ seriem: reuerearis locum, & erudiaris ex his quæ apparent. Exi potius nunc opportune, vt cras ingrediaris opportunissimè. Si auaram, cupidamque habes animæ formam, exue illam & ingredere. Exue scortationem, & indue splendidam temperantiæ stolam. Ego te admoneo, priusquam IESVS animarum sponsus ingrediatur, & amictum tuum videat. Satis longum habes interuallum, cum pœnitentia dierum quadraginta tibi datur: habes magnam opportunitatem & exuendi & abluendi, ac rursus induendi atque intrandi. Sin autem in mala voluntate perseuaueris, ille quidem qui te admonet vacat culpa, tu vero frustra existimas te gratia potiturum: aqua enim te capiet, sed Spiritus non recipiet. Si quis vulneris alicuius sibi conscius est, emplastrum accipiat: si quis cecidit, resurgat. Nullus sit inter vos Simon, nullus simulator, nulla huius rei curiositas. Contingit & alio prætextu eo venire. Fieri potest, vt vir cupiens mulieri complacere, vel ea de causa ingrediatur. Idem de mulieribus dici potest. Et seruus sæpe Domino, & amicus amico placere voluit. Capio inescatum hamo, & recipio te, malo quidem proposito venientem, spe autem bona saluatum. Fortassis ignoras, quo venis; cuiusmodi te capiat rete: incidisti in retia Ecclesiastica; viuus captus seruaberis, ne fugias: captat enim te IESVS, non vt occidat sed vt cæsum viuificet; nam & mori te, & resurgere oportet. Audisti Apostolum dicentem; *Mortui quidem peccato, viuentes autem iustitiæ.* Iam ab hodierna die vitam agens, considera quantam tibi IESVS dignitatem contulerit: Catechumenus vocabaris, foris subsistens; audiebas spem, & nesciebas; audiebas mysteria, & non intelligebas; audiebas Scripturas, & profunda illarum ignorabas: Nunc vero non amplius foris, sed intus sonas (hoc est, iam non amplius superficie tenus discis, vocem exteriorem hominis audiens; sed intus etiam Spiritu sancto doceris) inhabitans enim spiritus, diuinas deinceps ædes in mente tua ædificat. Cum audieris ea quæ de mysteriis sunt scripta, tunc intelligis quæ nesciebas. Neque vero rem exiguam te accipere putes: homo enim cum esses miserandus, Dei cognomen accipis. Audi Paulum dicentem; *Fidelis Deus.* Audi aliam Scripturam; *Deus fidelis, & iustus.* Hoc præuidens Psaltes, inquit in persona Dei, quandoquidem homines Dei cognomen essent accepturi: *Ego dixi, dij estis & filij altissimi omnes.* Sed caue ne sit cognomen tantum Fidelis; Infidelis autem, voluntas. Ingressus es in certamen, perfice cursum; aliud tempus eiusmodi non habebis. Si tibi dies nuptiarum proponerentur; an non relictis cæteris rebus omnibus, de apparatu conuiuij esses sollicitus? Sanctificaturus autem, seu desponsaturus animam cœlesti sponso;

Rom.8.c † Caute lege, non enim Deus exspectat voluntates nostras, vt aperte definiuit Arausicanum Concilium Canone 4. & interpretatione illorum verborum D Pauli, vt propositum non Dei, sed hominis intelligatur, tanquam Pelagianorum error. Vide S.Augustinus lib.2. cõtra duas epistolas Pelagianorum, ad Bonifacium, c.10, vide Sixtum li.6.Bibl. Annot.

E 101. Bellarm. lib.2. de Gratia, & libero arbitrio c.14. ... F ... G ... H

Rom.6. Baptizato quã accedat dignita...

1.Cor. 10. 2.Cor. 1.d. Psal.81. Hen... Dei cognomen accipit. Psal.81

A

sponso; an non postpones corporea, vt accipias spiritalia? Non licebit bis aut ter, hoc lauacro vti; vt si forte semel fueris eo frustratus, deinceps corrigas: si enim semel illo frustraberis, amplius id correctionem non patitur: *vnus enim Dominus, & vna fides, & vnum baptisma.* * Nam soli hæretici rebaptizantur: si quidem prius illud non erat baptisma. Nihil aliud à nobis requirit Deus præter voluntatem bonam: ne dixeris: quomodo mea delebuntur peccata? ego affirmo tibi, quod volendo & credendo. Quid autem his facilius? Si vero labia quidem tua dicant se velle, cor autem neget; scrutator est cordium ille qui iudicat. Cessato iam hodierna die, ab omni turpi negotio: non proferat lingua tua obscœna verba, non peccet amplius oculus tuus, neque commoditatibus inhiet & insistat: festinent pedes tui ad Catecheses audiendas. Exorcismos studiose suscipe, etiamsi inspiratus iam sis, & exorcisatus; salubris enim est tibi res ista: Nam vt rude infectumque aurum vel adulteratum multisque aliis commixtum mineris (vti cum ære, stanno, ferro, plumbo) si cupimus aurum tantum habere, non poterit illud sine igne ab diuersis à se metallis purgari: sic absque exorcismis, anima progredi non poterit: diuini enim sunt, ex diuinisque Scripturis collecti. Velatus est vultus tuus, vt mens tua vacet: neve oculus vagus efficiar, vt & mens vagetur: clausis vero oculis, aures minime impediuntur salutaria suscipere. Quemadmodum enim aurifabri, per quædam subtilia instrumenta, sufflantes ventulum igni, & aurum in fornace constantes, excitantesque propositam flammam, id quod quærunt, reperiunt: Sic cum Exorcistæ per Spiritum sanctum incutiunt timorem, & in corpore tanquam in fornace animam accendunt, fugit tunc inimicus Dæmon, adest autem salus * & spes vitæ æternæ assistit: denique anima repurgata à peccatis, salutem consequitur. Persistamus ergo in spe, Fratres, atque illi nos tradentes certo speremus vt Deus vniuersorum, voluntatem nostram videns mundet nos à peccatis, & spem nobis bonam semper de rebus nostris præbeat, & donet nobis pœnitentiam salutarem: Deus enim vocauit, tu vero vocatus es.

Eph 4.2.

Fides Catholica est baptizatos nō esse rebaptizādos, nisi quādo in eorum Baptismo, nō est seruata, vel forma, vel materia, vel intentio B *Ecclesiæ, & de his intellexisse certum est S. Cyrillū.*

Volendo & credēdo peccata remitti.

Exorcismi studiose suscipiendi, etiam post Baptismum.

Exorcismi ex Scripturis collecti sunt.

C

Vultus in Exorcismis velatus, & cur.

*Exorcismus fugit dæmon * & qui permanserit habet spem vitæ æternæ.*

Perseueres in Catechesibus: etiamsi longo sermone producantur, ne forte aliquando mens tua deficiat. Arma enim accipis contra aduersarias potestates: arma capis aduersus hæreticos, aduersus Iudæos & Samaritas, & Ethnicos. Multos habes hostes, multa tela accipe. Cum plurimis hasta concurris. Opus ergo est discere quomodo transfigas Græcum, quomodo pugnes contra hæreticum, contra Iudæum & Samaritam. Et arma quidem parata sunt, gladiusque Spiritus promptissimus: dexteram vero per bonam voluntatem extendere necesse est vt bellum Domini conficias & vincas aduersarias facultates, vt à nullo deinceps hæreticorum conatu, superari possis. Accipe hanc admonitionem, vt ea quæ in Catechesibus traduntur sic discas quo possis ea in perpetuum custodire. Non existimes institutiones istas esse similes Homiliis: Quamuis & illæ bonæ sint, & fide dignæ: tamen si quid in illis hodie neglexerimus, cras discere poterimus. Hæc vero, quæ de lauacro regenerationis per ordinem tradimus documenta, si hodie neglexeris: quando tamen corrigentur? Existima tempus id esse plantationis arborum, quo nisi fodiamus & inseramus, quando tamen poterit rectius plantari quod semel est male plantatum? Ædificium quoddam esse intelligas, Catechesim: ac nisi ordine vinculis constringamus structuram ne quid laxum & hians reperiatur, debile fiet ædificium: sed est opere pretium, lapidem apponi, & angulum angulo coniungi: atque superfluis abscissis, perfectas ædes efficere. Ad eundem modum, afferimus tibi tanquam lapides cognitionis: audire oportet de Deo viuente, audire opus est de Christo, audire necesse est de resurrectione; & alia permulta de ordine dicenda sunt; quæ nunc tantum summatim recensentur, deinceps vero suo loco satis explicabuntur. * Si vel vnum ex his non perceperis, etiamsi primorum aut secundorum memineris; ædificator quidem bene ædificat, tu vero fluxum & debile habebis ædificium.

Cathechesion vsus.

D

Cathechesis est veluti ædificium

** Post sed parietū erectionem, nisi alterū alteri colligaueris, ac nisi priorū & posteriorum memineris.*

E

Cum autem Catechesis recitatur; si † Catechumenus ex te quæsierit quid dicebant Doctores: nihil dicas * extra: mysteria enim tibi, & spem futuri sæculi tradidimus. Custodi hoc mysterium retributori, nec vnquam dicentem aliquem audi; quid obest, si & ego didicero? Etiam ægroti vinum quandoque postulant: quod si intempestiue illis detur, phrenesim conciliat: & duo hinc nascuntur mala: nam & Æger interit, & Medicus male audit. Sic & † Catechumenus, si audiat mysteria à Fideli, * phrenesim patitur: nescit enim quid audiuerit, & tamen arguit rem ignotam, dictaque irridet: Fidelis vero tanquam proditor condemnatur. Iam ergo tu in finibus nostris constitutus, caue ne quid effutias: non quod digna non sint narratione ea quæ ibi dicuntur, sed quod indignus est ille audire, cui referres. Fueras & tu aliquando Catechumenus: neque tamen proposita mysteria tibi enarrabantur. Quando autem sublimitatem eorum quæ nunc traduntur, experientià didiceris: tunc planè intelliges dignos non esse Catechumenos, qui ea audiant.

† recitator.
** externo.*
Mysteria Ecclesiæ, extra non proferenda.
Mysteria nosse: nocet aliquibus
† recitator
** Impostor esse incipit.*

F

Vnius matris filij & filiæ facti estis omnes, quicunque hîc nomina dedistis. Cum ante horam Exorcismorum ingrediemini, vnusquisque verba proferat: & si quis vestrûm aberit, perquirite. Ad cœnam si vocatus fueris, nonne expectares alium pariter vocatum? fratrem si haberes, nonne & fratri benefacere velles?

Ne sis curiosus in rebus vanis, ne quæras quid fecerit oppidum, quid Rex, quid Episcopus, quid egerit Sacerdos: sursum respice, tempus hoc ipsum expoicit. *Vacate & cognoscite, quia ego sum Deus.* Si videris fideles in ministerio securos, rem certam tutamque habent, sciunt quid acceperint, gratiam susceperunt. Tu verò adhuc in bilance aut consequendi, aut non consequendi consistis. Ne imiteris illos, qui nulli vacant meditationi, ac reuerentiam adhibe, cùm sit Exorcismus quovsque alij exorcizati aderunt, viri cum viris, & mulieres cum mulieribus. Nunc enim opus est proponere exemplum arcæ Noë, in qua erat & vxor eius, & vxores filiorum, filij ac filiæ eius: siquidem & Arca erat vna, & ostium clausum. Sed quid hæc significabant? Si conclusa Ecclesia, & vos omnes intus: * hæc tamen separentur, viri vt sint cum viris, & mulieres cum mulieribus, ne studium salutis sit perditionis occasio. Etsi enim pulchrum sit institutum, proximum assidere proximo, sed procul tamen sint affectiones. Tum verò assidentes viri librum aliquem vtilem habeant, & alius quidem legat, alius verò audiat: si autem desit liber, alter oret, alter boni aliquid dicat. Conuentus porro virginalis sic congregetur, vt vel psallat, vel oret, vel legat, ita vt labia quidem loquantur, vox autem ad alienas aures non perueniat. *Mulierem enim loqui in Ecclesia non permitto.* Et nupta quoque similiter agat, & oret labia mouendo, vt nascatur Samuel, vt sterilis anima tua pariat exaudientis Dei salutem. Samuel enim ita sonat. Videbo cuiusque studium, videbo cuiuslibet deuotionem. Accendatur mens ad pietatem, excitetur anima, excutiatur durities infidelitatis, decidant superflui scabritiei cortices, & maneat sola sinceritas, detergatur ferri ærugo, vt maneat proprius splendor. † Cùm vobis ostendet Deus noctem illam & tenebras in die apparentes, de quibus dictum est, *Tenebræ non obscurabuntur à te.* Quando vnicuique vestrûm porta Paradisi aperietur, quando ex aquarum vsu Christophorum (hoc est, Christum ferentium) prosperitatem habebitis, cùm appellationem Christi & rerum diuinarum virtutem accipietis. Iam verò mentis oculos aperite, iam choros Angelicos recogitate, & Dominum vniuersorum Deum præsidentem, & filium vnigenitum in dextra illius assidentem, & Spiritum simul persistentem, Thronos autem & dominationes ministrantes, & quemlibet nostrûm saluatum & saluatam. Iam auribus vestris, quemadmodum instruebamini, personet vox illa pulcherrima, quandoquidem vobis Angeli concinent: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates:* quando tanquam † columbæ, splendida specie lucenteque animam Ecclesiam Dei ingrediemini.

Curiositas vitanda.
Psal.45.a

Exorcismi reuerēter audiendi.

G

Gen.7.

† Verum ista res diuersa sunt.
Virorum officia ante sacras cōctiones.
Virginū cōuentus & oratio submissa.
1.Cor.14.
1.Reg.1.

H

† Tunc.
Psal.138.

Ps.31.a.
† Sydera.

Magnum

A *Baptismi encomio.* Magnum est sanè propositum hoc baptisma: captiuitatis liberatio, peccatorum remissio, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum & indelebile, currus ad Cœlum, deliciæ paradisi, regni Cœlestis conciliatio, charismaque adoptionis filiorum. Cæterùm Draco circa viam transeuntes obseruat: caue, te ne veneno infidelitatis inficiat: Videt tot saluatos, & quærit quem deuoret. Ad patrem spirituum ingrederis, sed per illum Draconem transis: quomodo igitur illum prætetibis? Indue pedes tuos apparatu Euangelij pacis, vt etiamsi te mordeat, nihil noceat. Fidem habeas inhabitantem & firmam spem, calceum fortem, vt prætereas hostem, & ad Dominum intres. Cor tuum præpara ad susceptionem disciplinæ, & sanctorum mysteriorum communicationem. *Orãdum sæpe.* Frequenter ora, vt Deus te dignum efficiat, neque interdiu neque noctu sis otiosus; & cùm somnus ab oculis recesserit, tunc mens vacet orationi. Si quam turpem cogitationem in mentem tuam venire animaduerteris, suscipe iudicij salutarem commemorationem: intende animum ad discendum, vt rerum turpium obliuiscatur. B *Iudicij memoria salutaris contra turpes cogitationes.* Si videris aliquem dicentem tibi: * ingredere aquam, vt submergaris, adhuc ciuitas balnea non habet? ** Cur aquam istam ingrederis exi hinc, an non sunt balnea in ciuitate?* Agnosce Draconem marinum hæc tibi obiicere: non loquentis attendas verbis, sed operantis. Custodi animam tuam, vt sis irreprehensibilis, vt in spe perseuerans, hæres vitæ æternæ fias. Nos quidem hæc tanquam homines & adhortamur, & docemus, ne vestrûm ædificium ex fœno, stipula & paleis conficiatis, ne cùm opus arserit, detrimentum patiamini: sed vt sit opus vestrum, aurum, argentum & lapides pretiosi. Meum est dicere, tuum verò agere, Dei autem perficere. Intendamus mentem, dirigamus animam, præparemus cor; de anima enim nobis certamen est, æternasque res speramus. Potens est autem Deus, qui nouit corda vestra, & scit qui sit verus, qui verò simulator: germanum quidem suum seruare, hypocritam verò fidelem efficere. Potest enim Deus facere fidelem, si modò cor illi præbuerit, & factum contra nos chirographum delere. C Obliuionem autem vobis tribuet rerum priorum, atque Ecclesiæ vos inseret, & induens vos armis iustitiæ sibi deliget, cœlestibusque rebus ac noui Testamenti replebit, & Spiritus sancti signaculum indelebile dabit in sempiternum, in CHRISTO IESV Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

EX BELLARMINO, DE SCRIPT. Ecclesiasticis.

S. Cyrillus Hierosolymæ Episcopus, sub Constantio Episcopus factus, ac sæpè de sede eiectus, & sedi restitutus, tandem Theodosio imperante obiit. Scripsit in adolescentia *Catecheses, quæ nunc extant Latinè & Græcè.* Fertur etiam eius Epistola ad Constantium de apparitione Crucis: cuius epistolæ S. Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis non meminit, sed nihil est cur improbetur.

D

AD LECTOREM.

Catecheses istas illuminatorum, accedentibus quidem ad baptismum, & his qui hoc lauacrum habent, iam fidelibus legendas exhibeas: Catechumenis vero, & aliis qui non sunt Christiani, ne dederis: alioquin redditurus es Domino rationem.

S. PATRIS NOSTRI CYRILLI Archiepiscopi Hierosolymorum, prima Catechesis, seu institutio Illuminatorum Hierosolymis, extemporanea, introductoria ad Baptismum.

ET LECTIO EX ISAIA: *Lauamini, &c.*

E *Isa. 1. d.*

NOVI Testamenti discipuli, & mysteriorum Christi participes, nunc quidem vocatione, paulò pòst verò & gratia, cor nouum vobisipsis facite, & spiritum nouum, vt ex eo lætentur cœlestes. Si enim *super vno peccatore*, vt est in Euangelio, fit gaudium, quantò magis tot animarum salus ad lætitiam Cœlestes mouebit? *Luc. 15* Bonum iter & pulcherrimum capessendo, cautè cursum pietatis percurrite. Ad vestram enim liberationem paratus adest vnigenitus Dei filius. *Venite*, inquiens, *omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* *Matt. 11. 5* Qui grauitate delictorum estis circumdati, & ligati catenis peccatorum vestrorum, propheticam vocem dicentem audite: *Lauamini, mundi estote*, auferte prauitates vestras ab animabus vestris coram oculis meis, vt Angelicus vobis chorus acclamare possit: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* F *Psal. 31.*

Qui fidei lampades nuper accendistis, nunc non extinctas easdem manutenendo custodite, vt qui latroni paradisum, in hoc sanctissimo monte Golgotha per fidem aperuerit, vobis quoque id præstet, quò possitis canticum sponsi cantare. Si quis est hic seruus peccati, paratus sit per fidem, ad ingenuam adoptionis filiorum regenerationem peruenire, & præcidens pessimam peccatorum seruitutem, atque in beatissimum Domini obsequium sese tradens, dignus censebitur, regnum cœleste hæreditate possidere. Exuite veterem hominem, qui corrumpitur secundùm concupiscentias erroneas: exuite autem per confessionem, vt induatis nouum, eum qui est renouatus, per agnitionem eius qui creauit illum. *Confessione exuitur vetus homo.* Arrabonem Spiritus sancti possidete per fidem, vt recipiamini in æterna tabernacula: accedite ad mysticum signaculum, vt sitis bene noti Domino. Recenseamini in sancto & spiritali grege Christi, ad dexteram eius segregati, atque paratam vobis vitam hæreditate possideatis. G Quibus adhuc peccatorum * asperitas adhæret, isti à sinistris consistunt, eò quod ad gratiam Dei non accedant, quæ datur per Christum in huius lauacri regeneratione. ** Cupiditas.* Regenerationem autem dico non corporis, sed animæ spiritalem renouationem. Corpora enim per eos, qui videntur, parentes generantur: animæ verò per fidem regenerantur. *Spiritus* enim *vbi vult, spirat.* *Ioan. 3. a.* Atque tum, si dignus eris, licebit tibi audire: *Euge serue bone & fidelis*: nempe cùm nihil impuri, nihil simulati in conscientia tua repertum fuerit. Si enim quispiam ex his, qui hîc adsunt, tentat gratiam Dei, seipsum decipit, & virtutem diuinam ignorat. *Simulatio fugienda.* Caue simulatam mentem habere, ô homo, propter illum, qui scrutatur corda & renes. Quemadmodum qui milites sunt conscripturi, & ætatem & corpora, deligendorum ad pugnam, diligenter excutiunt: sic & Dominus delectum faciens animarum, voluntates illarum scrutatur; ac, si quam hypocrisim deprehenderit occultatam, reiicit hominem tanquam ad veram illius militiam non idoneum: si verò dignum non inuenerit, huic libenter confert gratiam. H Non dat sancta canibus, sed vbi bonum videt propositum, illic salutare sigillum & admirandum imprimit, quod metuentes tremunt dæmones, & agnoscunt Angeli: ita vt illi quidem fugiant abacti; hi verò familiariter circa illud tanquam domestici versentur. Qui itaque spiritale hoc signaculum & salutare accipiunt, opus est vt voluntariè id faciant: vt enim calamus scriptorius aut telum, vt ab aliquo impellatur necesse est; sic & gratia indiget credentibus. *Propositi, & voluntates Deus intuetur Dei gratia indige creditibus ut velut mittente manu.* Arma capis non corruptibilia, sed spiritalia, atque deinceps in spiritalem Paradisum insereris, nomenque nouum accipis, quod antea non habebas. Antea Catechumenus eras, nunc verò fidelis vocaris. Transplantaris rursus in spiritales oleas, ex oleastro in oleam frugiferam insertus, ex peccatis in iustitiam, ex pollutione in puritatem, & particeps sanctæ illius vineæ efficeris: ac, si permanseris in vinea, tanquam vitis frugifera cresces: sin autem non maneas, ignis te consumet

A met. Fructum ergo ita vt æquum est, feramus, ne sic agatur nobiscum, vt actum est cum illa sicu sterili, ne fortè veniens IESVS, etiam nunc propter sterilitatem tibi maledicat: sed vt possimus omnes illi dicere: *Ego sicut olea fructifera in domo Dei*; Olea non corporea, sed spiritalis. Ipsius quidem est, qui lucem omnibus affert, plantare & rigare: tuum verò, fructum facere, Dei est, gratiam conferre: tuum verò, acceptare & custodire. Non ideo spernas gratiam, quòd gratis datur, sed religiosè potius, cùm eam acceperis, custodito. Tempus præsens, est tempus confessionis. Confiteare quæ perpetrasti siue verbo siue opere, siue noctu, siue interdiu: Confitearis tempore acceptabili, & in die salutis. Suscipe cœlestem thesaurum, & in Exorcismis studiosè verseris. Assistas Catechesibus, & quæ in illis dicuntur, memineris. Dicitur enim non ideo, vt audias tantùm, sed vt per fidem dicta obsignes. Omnem tunc humanam sollicitudinem deleas ex animo, nam in animæ cura versaris. Mundana hæc

Marc.11.b. *Sterilitas operũ maledicta.*
Psal.51 a. *Gratiam acceptare est in nostra potestate.*
Confessionis tempus & modus.
Exorcismis vtendum.

B omnino postpone: parua enim sunt quæ relinquis, maxima verò quæ dantur à Domino. Relinque præsentia, & crede futura. Tot annorum circulos transegisti, mundo frustrà operam nauans, & quadraginta diebus non vacabis pro anima tua? *Vacate & videte, quia ego sum Deus*, dicit Scriptura diuina. Otiosa loqui multa, recusa, ac neque ipse detrahas, nec detrahentem alicui audi: sed potius in precationibus assiduus esto, monstra in exercitio cordis tui, quod erat occlusum; munda vas tuum, vt gratiam capiat abundantiorem. Remissio enim peccatorum ex æquo datur omnibus: communicatio autem Spiritus sancti secundum fidei vniuscuiusque proportionem donatur. Si parum laboraueris, parum accipies: si verò multum operaberis, multa te merces manet. In tuî ipsius commodum curris; reputa si quid contra aliquem habes, ac dimitte. Accedis accepturus peccatorum remissionem, necesse est, vt & tu delinquenti ignoscas. Qua fronte enim diceres Domino; remitte mihi multa mea peccata, si tu pauca conseruo tuo non

Quadragesima tempore curanda est anima.
Otiosa loqui.
Gratia spiritus pro fidei ratione datur.

C remiseris? Sacris conuentibus libenter studeas, non modò nunc, cùm te Clerici hortantur, verùm & deinceps cùm iam gratiam acceperis. Si priusquam facta esset insitio, benè erat, nonne rigari & excoli, etiam post plantationem multò pulchrius est? Certamen sustineas pro tua ipsius anima, his præsertim diebus; † sacris lectionibus animam tuam recrea. Mensam enim spiritalem Dominus tibi parauit, dic & tu cum Psalmista: *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit: Super aquas refectionis posuit me, & animam meam conuertit*: vt & Angeli congratulentur, & ipse Christus magnus summusque Sacerdos propositum vestrûm suscipiens, & vos omnes offerens dicat Deo: *Ecce ego & pueri mei quos dedisti mihi Deus.* Qui omnes vos sibi placentes custodiat. Cui gloria, & nunc, & in sæcula infinita, Amen.

† *Diebus quadragesimæ.*
Psal.22.a.
Isa.8.d. Heb.2.d.

D

CATECHESIS SECVNDA
Illuminatorum Hierosolymis, extemporanea, de Pœnitentia & Remissione Peccatorum.

ET LECTIO EX EZECHIELE: Iustitia iusti super ipsum erit, & reliqua.

Ezec.18.a.

GRAVIS est res peccatum, & morbus animæ acerbissimus iniquitas, quæ & neruos illius omnes præcidit, & æterno igni obnoxiam facit: Malum liberi arbitrij germenque voluntarium. Nam quod voluntariè peccemus, dicit quodam in loco apertè Propheta: *Ego plantaui vineam fructiferam, totam veram, quomodo conuersa es in amaritudinem vti vinea aliena?* Plantatio quidem bona, sed fructus ex voluntate malus: atque ideo plantator quidem in culpa non est; vinea au-

Liberi arbitrij germen, peccatũ.
Hier.2.c.

E tem comburetur, quoniam in bonum plantata est, & in malum fructificauit. Fecerat enim Deus hominem rectum, vt inquit Ecclesiastes, sed ipse quæsiuit quæstiones multas. Et Apostolus dicit: *Ipsius enim factura sumus*, creati in bonis operibus, quæ præparauit Deus, vt ambulemus in illis. Creator itaque cùm sit bonus, bonos creauit: Creatura verò voluntate propria in amaritudinem conuersa est. Graue igitur malum, vt dictum est, peccatum, sed non incurabile: grauè retinenti; leue autem per pœnitentiam abiicienti. Posito enim quòd manu aliquis teneat ignem, quamdiu quidem retinet carbonem, proculdubiò vritur; si verò carbonem abiiciat, ablatus est feruor.

Eccl.7.d. Eph.2.b.

Quòd si quis cùm peccat, vri se non sentit, de hoc ait Scriptura: *Inuoluat quis ignem in sinu, & vestes eius non vrantur?* Vrit enim peccatum neruos animæ, & conterit ossa mentis spiritalia, ac lumen cordis obtenebrat. Sed dixerit aliquis: quid tandem est peccatum? animal est, vel Angelus? num dæmon est? Quid est hoc,

Prou.6.d

F quod tantam vim habeat? Non est hic inimicus, ô homo, qui tecum exteriùs pugnet, sed est mala soboles, à teipso voluntariè propagata. Rectis vide oculis, & non erit concupiscentia: Non rapias aliena, & cessabit rapina: Memineris iudicij, & non erit scortatio, nec adulterium, neque homicidium, neque vlla iniquitas apud te inualescet. Nam cum Dei obliuisceris, tunc demum cogitas peruersa, & iniqua perficis. Neque verò tu solus es dux istius rei, verùm est etiam alius quidam: ille & incitat, sed non vi superat reluctantem. Quare dicit Ecclesiastes: *Si Spiritus Dominantis ascenderit in te, locum tamen non deseras.* Si ostium occluseris, minimè tibi nocebit: si verò neglectè susceperis concupiscentiæ incitationem, per ratiocinationes radices in te figet, & mentem tuam ligabit, & te detrahet in foueam malorum. Sed fortè dices: Fidelis sum, non me apprehendet concupiscentia, etiamsi aliquid concupiuero obscuriùs. An ignoras, quòd etiam in petra quandoque radix agitur, & sæpe manet? Ne suscipias semen, quoniam perdet

Peccatũ quid sit, & vnde.
Iudicij memoria medetur peccatis.
Ecc.10.a *Peccatorũ initia non neglectè excipienda.*

G tuam fidem: priusquam floreat, radicitùs erue malum, ne si ab initio neglexeris, postea nequicquam incidas, & ignem magis excites. Lippitudinem incipientem tempestiuè cura, ne cùm excæcatus fueris, tum demum frustra medicum quæras. Princeps est peccati diabolus, & pater malorum. Hoc autem Dominus dixit, non ego, quòd ab initio diabolus peccat: nam ante illum peccauit nemo. Peccauit autem, non ex necessitudine naturæ vitium suscipiens, quò sic peccati occasio rursum in Opificem retorqueatur: Sed bonus creatus, propria voluntate factus est diabolus, ab actione capiens cognomen. Archangelus enim cùm esset bonus, diabolus postea seu calumniator, à calumniando dictus est: bonus cùm esset Dei minister, satanæ deinceps nomen tulit: Satanas autem aduersarium significat. Non mea sunt hæc dogmata, sed Ezechielis spiritiferi Prophetæ: Illic enim deplorans istum dicit; *Tu signaculum similitudinis Dei, & corona pulcherrima in Paradiso Dei factus.* Et paucis

Princeps peccati diabolus.
Diabolus factus ex Archangelo.
Ezec.28.c.

H interiectis: *Factus es immaculatus tu in diebus tuis, quibus tu creatus es, vsquequo inuenta sunt iniquitates in te: omnino pulcher reperiebaris.* Neque enim exteriùs congestum est, sed ipse genuisti malum, & causam mali. Deinde dixit: *Eleuatum est cor tuum super pulchritudinem tuam: Propter multitudinem peccatorum vulneratus es, in terram proiecit te.* Et Christus in Euangeliis similiter: *Vidi*, inquit, *satanam tanquam fulgur cadentem de Cœlo.* Cernis veteris Testamenti cum nouo consonantiam? Iste cadens traxit ad ruinam multos, iste obsequentibus sibi, suggerit concupiscentias: ex hoc scortatio & adulterium, ac omne denique genus mali. Per hunc pater noster Adam pulsus est, & pro paradiso admirando quodam modo sponte sua fructus ferente, terram spiniferam accepit.

Luc.10.c *Dæmon causa est peccati.*

Quid igitur (dixerit aliquis) decepti periimus? numquid * non est deinceps salus? cecidimus, an non licet resurgere? excæcati sumus, ergo non licet prospicere? claudi sumus effecti, licebitne incedere? In summa,

* *Numquid est salus?*

mortui

A *an licet resurgere? Ioan. 11. c.* mortui sumus, num fieri potest, vt resurgamus? Qui Lazarum quatriduanum excitauit, ô homo, nonne te viuentem multò faciliùs suscitauerit? Qui preciosum sanguinem suum effudit pro nobis, ipse nos à peccato liberabit. Non desperemus in ipso, Fratres, non abiiciamus nos ipsos in statum desperationis; *Contra desperationem.* Graue enim scelus, non credere spem pœnitentiæ. Qui non expectat salutem, temerè accumulat peccata: atqui sperat medicinam, deinceps sibi temperat. Latro enim, qui non sperat condonationem, deuenit in contumaciam: qui verò sperat remissionem, persæpè pœnitentiam suscipit. Si potest serpens deponere senectutem, cur nos peccatum non deponamus? Ac terra quoque spinosa cùm fuerit bene exculta, in frugiferam transmutatur; nostra autem non restaurabitur salus? Natura itaque est capax salutis, sed requiritur deinceps voluntas. *Voluntas in salutis reparatione requiritur.* B Benignus est Deus, & non parùm benignus. Non ergo dixeris, scortationem & adulterium commisi, grauia patraui scelera, idque non semel, sed frequentissimè, nunquid condonabit? nunquid obliuiscetur? Audi quid dicat Psaltes: *Quàm magna multitudo bonitatis tuæ, Domine.* (Psal. 30. c.) Non vincunt tua peccata multitudinem miserationum Dei: non superant vulnera tua summi illius Medici experientiam, fidelem modò teipsum præbeas. Edissere Medico affectionem tuam, dicens cum Dauid: *Dixi, confitebor aduersum me iniquitatem meam Domino*; (Psal. 31. c.) & fiet id quod proximè sequitur: *Et ipse remisit impietatem cordis mei.* Vis agnoscere humanitatem Dei, tu qui recens ad Catechesim accessisti? vis, inquam, perspicere Dei benignitatem, & longanimitatis illius multitudinem? Audi de Adamo. *Adami condemnatio.* Non patuit Adam protoplastus Deo, nunquid non potuit statim in illum mortem inducere? Sed vide quid agat benignissimus Dominus: Eiicit ipsum ex paradiso, neque enim erat dignùs illo loco propter peccatum. Constituit autem illum è regione paradisi, vt videat, vnde exciderit, & à quibus, in quæ delapsus sit, deincepsque per pœnitentiam saluetur. C *Caini impietas, & quo modo iudicatus à Deo. Gen. 4.* Cain primogenitus homicida, fratricida factus & inuentor malorum, & princeps cædium, primusque inuidus. Sed posteaquam è medio sustulit fratrem, quomodo condemnatur? Gemens & tremens eris super terram; Etiam hic post peccatum est dilatio mulctæ.

Hæc igitur vera est benignitas Dei; sed adhuc parua, respectu eorum quæ sequuntur. Cogita enim quæ tempore Noë contigerint. Peccauerunt † gigantes, & iniquitas in terra plurima diffusa est, & propter hanc futurum erat diluuium: (*† Homines gigantes tempore Noë.* Gen. 6.) Ac quingentesimo quidem anno comminationem protulerat Deus, sexcentesimo verò diluuium induxit. *Diluuij minæ centum annis præcesserunt diluuium.* Cernis benignitatis Dei latitudinem, in centum vsque annos protensam? Nunquid enim, quod post centum annos fecit, statim facere non potuit? sed data opera distulit, concedens pœnitentiæ indulgentiam, ac, si tunc egissent pœnitentiam, nequaquam Dei benignitate excidissent. D Veniamus porro ad alios, qui per pœnitentiam saluati sunt. Verumenimuerò & ex mulieribus si fortè aliqua dicat: scortatione & adulterio polluta sum, fœdaui corpus meum omni genere luxuriæ, nunquid erit salus? *Raab publicè scortata.* Aspice Raab, ô mulier, & spera tu quoque salutem: nam si ea, quæ apertè publiceque scortata est, saluata est per pœnitentiam; nunquid quæ semel tantùm fornicata est ante gratiam, per pœnitentiam & ieiunium non seruatur? Quomodo autem saluata est illa, perquire: hoc tantùm dixit: *Quia Deus vester in cœlo, & in terra Deus vester.* (Iof. 2. 11.) Suum enim dicere non audebat, eò quòd se impuram sentiebat. Quòd si scriptum habere vis testimonium, illam esse saluatam, habes scriptum in Psalmis: *Memor ero Raab & Babylonis, † & postea cognoscent me.* (Psal. 68. a. † vel, *scientiũ me.*) O magnam Dei benignitatem! etiam inhonestæ mulieris meminit in peccatis: sed non simpliciter meminit, verùm, *scientium me.*

Est itaque & viris & mulieribus salus, quæ per pœnitentiam conciliatur, etiamsi vniuersus populus peccet, non superabit diuinam benignitatem. E Vitulum populus fabricauerat, sed non destitit Dominus Deus à benignitate. (Exod. 32. a.) Negauerunt Deum homines, sed Deus seipsum non negauit. *Isti*, inquiunt, *sunt dij tui, Israël*: Et tamen pro more suo Deus seruabat illos. Neque populus tantùm peccauit, verùm etiam Aaron summus sacerdos. (Deut. 9.) Moyses enim dicit: *Et super Aaron facta est ira Domini, & rogaui*, inquit, *pro ipso, & condonauit illi.* *Aaron crimen sacerdotij eius non impediuit.* Tum verò Moyses quidem supplicans pro summo sacerdote peccante, placauit Dominum: Iesus autem vnigenitus, orans pro nobis non placabit Deum? Ac illum quidem propter crimen non vetuit ad summum sacerdotium peruenire: te verò ex gentibus venientem salutem consequi vetabit? Pœnitentiam ergo agas, ô homo, & non arcebitur à te gratia. Irreprehensibilem deinceps tuæ vitæ dispone modum; Benignus est Deus & verax, nec vllus poterit homo illius benignitatem satis prædicare, F imò etiamsi omnes omnium hominum linguæ simul coaceruarentur, ne sic quidem partem aliquam benignitatis illius enarrare possent. Dicimus sanè nos ex parte quadam de illius erga homines benignitate, sed nescimus, quanta ille & Angelis condonauerit. *Angelis etiam indulget Deus.* Indulget enim & illis, quandoquidem ipse tantùm vnus est, qui peccare non possit, qui purgat peccata nostra Iesus. Ac de istis quidem sufficiat: si verò plura velis audire, de nobis & alios typos proferemus. Accede ad beatum Dauid, & pœnitentiæ typum ab illo accipe. Deliquit vir ille magnus, cùm post cubile pomeridianum in palatio deambularet, vidit obiter mulierem, & humanum quid passus est: deinde peccatum perfecit, sed non occubuit animi illius in confitendo peccato æquitas. Venit Nathan Propheta, celerrimus redargutor, & vulneris medicus: irascitur, inquit, Dominus, quoniam peccasti. Idiota seu plebeius arguit regem, verùm Dauid rex non indignabatur; non tam enim dicenti, quàm mittenti attendebat. G Non excæcabat illum circumstans militum agmen: intellexerat enim Angelicum Domini exercitum, & tanquam videns inuisibilem perhorrescebat, ac respondit venienti, imò potius per illum mittenti: *Peccaui Domino.* *Confessio Dauidis.* Cernis humilitatem regis? cernis confessionem? non enim erat conuictus ab aliquo, non multi illius rei conscij fuerant. Celeriter transegerat negotium, & Propheta adest illicò accusator, & delinquens facinus confitetur: quod cùm ingenuè fassus esset, celeriter percipit medicinam. Propheta enim Nathan, qui comminatus est, extemplò inquit: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* (2. Reg. 12. d.) Cernis velocissimam Dei benignissimi mutationem? Attamen dicit: Irritasti inimicos Domini; multos enim propter iustitiam hostes habebas, sed custodiebat te temperantia: traditis autem his armis, promptos habebis, stantes aduersus te, & inimicos consurgentes contra te. *Satisfactio seu pœnitentia, dimisso peccato Dauid.* Propterea igitur sic eum consolatus est: beatus autem Dauid, quamuis audiuerit, Dominum transtulisse peccatum ipsius, non abstinuit tamen à pœnitentia, verùm loco purpuræ sacco vtebatur, H & loco aurei throni in terra cinereque rex sedebat, neque tantùm in cinere sedebat, verumetiam cinere vescebatur, quemadmodum ipse dicit: Quòd *cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam.* (Psal. 101. b.) Vindicabat lachrymis concupiscentem oculum. *Lauabo*, inquiens, *per singulas noctes lectum meum, & lachrymis meis stratum meum rigabo.* (Psal. 6. b.) Cùm principes illum adhortarentur, vt manducaret panem, non patiebatur id sibi persuaderi, & in totum vsque septimum diem ieiunium producebat. Rex igitur sic confitebatur; & tu idiota seu priuatus, an non debes confiteri? Porro cùm Absalon aduersus illum arma cepit, quamuis multæ illi ad fugam viæ patêrent, per montes tamen oliuarum fugere maluit, firma inuocans mente Liberatorem illum, qui istinc cœlos erat ascensurus. Et cùm vehementer eundem Semei execraretur, dixit, finite illum, vt Deus respiceret humilitatem eius. Sciebat enim, quod remittenti Deus remittet.

A *Salomonis pœnitentia.* Vides quod pulchrum est confiteri? Cernis, quod pœnitentibus datur salus? Et Salomon ceciderat: sed quid inquit? *Postea ego pœnitentiam egi.* Et Achab Rex Samariæ erat iniquissimus idololatra, excellenti improbitate, procul ab omni pietate, concupiscens agros & vineas alienas. Sed cùm Nabuthe per suam Iesabel oc-
1.Reg.21 cidisset, & Helias Propheta veniens, tantummodò illi comminatus esset, discidit vestimenta, & induit saccum. Quid autem dicit benignus Deus ad Heliam? *Vidisti, quomodo humiliatus est Achab ante faciem meam.* Quasi persuadens ira accenso Prophetæ, vt subueniret pœnitenti: *Non inducam malum in diebus eius.* Et quamuis etiam post hanc indulgentiam iste non erat à sua improbitate cessaturus, remittens tamen Deus ignoscebat: non ignorans, quid esset futurum, sed consentaneam pœnitentiæ præsentis concedens indulgentiam. *Ignoscit Deus etiam denuò peccaturis.* Iusti enim iudicis est, de singulis factis aptè sententiam
3.Reg.13 B pronunciare. Rursus Hieroboam cùm stetisset sacrificans idolis in ara, manus eius exaruit, quoniam iusserat arguentem se Prophetam comprehendere: sed cùm vim illius præsentis experientia didicisset, dicit: Supplica pro me Domino, & propter hoc verbum manus illius in integrum restituta est. Si Hieroboam sanauit Propheta, te Christus non poterit soluens à peccatis non liberare? Erat & Manasses sceleratissimus, qui Isaiam dissecuit, & in omni genere idololatriæ volutabatur, innocentúmque sanguine Hierosolymam replebat, sed captiuus postea abductus Babylonem, ma-
2.Par.33 lorum experientia adactus, pœnitentiæ vsus est medicina. Dicit enim Scriptura, quòd *humiliatus est Manasse coram Domino, & orauit, & exaudiuit eum Dominus, & reduxit illum in regnum eius.* Si is, qui Prophetam dissecuerat, per pœnitentiam saluatur; tu verò, qui nihil eiusmodi perpetrasti, non saluaberis? Caue ne virtuti pœnitentiæ frustra diffidas. Vis cognoscere, quantam vim habeat pœnitentia? vis nosse hæc fortia salutis arma, & discere quàm multis præualeat confes-
C *Confessionis vis & pœnitentia.* sio? Centum octoginta millia hostium Ezechias per confessionem in fugam verterat. Magnum quidem id reuera, sed exiguum tamen respectu eorum, quæ dicenda sunt: Diuinam sententiam promulgatam hic idem per pœnitentiam reuocauit. Ægrotanti enim illi dixe-
Isa.38.a. rat Isaias: *Dispone domui tuæ, morieris enim tu, & non viues.* Quæ deinceps expectatio, quæ spes salutis, Propheta dicente, quòd morieris? Sed non abstinuit tamen à pœnitentia Ezechias, recordatusque illius, quod scriptum est: *Cùm conuersus ingemueris, tunc saluaberis.* Conuersus ad parietem, & eleuans mentem à lecto ad cœlum (neque enim spissitudo parietum impedit orationes deuotas sursum emitti) *Memento,* inquit, *mei Domine:* sufficit enim ad sanitatem mihi, si tu memineris mei: non tu subiaces temporibus, sed ipse es vitæ legislator. Neque enim secundum generationem vel nexum, seu inclinationem astrorum, vt nonnulli fabulantur, sed tu ipse vti vis, vitæ mortisque potestatem habes. Itaque de cuius vita ex sententia Prophetæ de-
D speraba tur, huic quindecim annorum interuallum vitæ adiectum est, in cuius rei signum, Sol iter fecit re-
Luc.24.f. ciprocum. Tum propter Ezechiam Sol reuersus est; propter Christum verò, Sol obscuratus est, non retrocedens, sed deficiens, atque per hoc vtriusque differentiam & Ezechiæ, & Iesu, demonstrauit. Ac ille quidem potuit Dei soluere sententiam: Iesus autem non poterit remissionem peccatorum donare? Conuertere, & de teipso ingemisce, claude ianuam, & supplica vt tibi remittatur, vt flammas te vrentes auferat. Pote-
Confessio potest etiã ignẽ extinguere. rit enim confessio etiam ignem extinguere, poterit & leones cicurare. Quòd si non credis, recogita quid acciderit iis, qui erant cum Anania, quales effuderunt fontes? quot vasa aquæ, quadraginta nouem vlnarum flammam extinguere potuerunt, sed vbi modicum ascendit flamma, illic fluuiolum effudit fides, & istic di-
Dan.3.c. xerunt pro remedio malorum: *Iustus es, Domine, in omnibus quæ fecisti nobis, peccauimus, iniquè egimus:* Et pœnitentia dissoluit flammas. Si non credis, quòd ignem ge-
E hennæ potest extinguere pœnitentia, ex his quæ Ananiæ contigerunt, disce. Sed dixerit aliquis ex his, qui celeriter omnia percipiunt. Illos Deus liberauit tanquam iustos; nam quòd idololatriam committere nolebant, vim hanc illis tribuit. Sit ita planè: Veniamus deinceps ad alium pœnitentiæ typum.

Quam opinionem habebis de Nabuchodonosore? Audistine ex Scripturis, quod sanguinarius erat, & ferus homo leoninam quandam mentem habebat? Nonne audiuisti, illum ossa ex sepulchris regum eiecisse? populum captiuum abduxisse? regis oculos excæcasse, 4.Reg.25.
cum priùs videndos illi præbuit filios ante se iugulatos? Nonne audisti, quod Cherubim contriuit? non illa dico Cherubim spiritalia: absit, ne quis hoc cogitet; sed ea quæ fuerant sculpta. Sed & propitiatorium, in cuius medio vocem edebat Deus, & velum templi conculcauit. *Cherubim sculpta in templo Salomonis.* Thuribulum accipiens ad idolorum delubrum transtulit; sustulit omnes oblationes, templum funditùs combussit. Quantis hic dignus erat F
pœnis? in tollendis regibus, in sacris comburendis, captiuando populo, sacratis vasibus in idolorum templa inferendis? Nunquid non millies mori meruerat? Vides scelerum magnitudinem? Conuertere deinde ad Dei clementiam. In bestiam transmutatus est, in solitudine degebat? Flagellatus est, vt seruaretur. Leoninos habebat vngues; raptor enim Sanctorum fuerat. Crines quoque leonum habebat; leo enim rapax erat & rugiens: fœnum tanquam bos comedebat, pecus enim fuit, nesciens quis regnum illi contulerat. Tinctum erat corpus eius rore; etenim præuidens à rore extinctum ignem, non credidit. Et quid factum est? *Postea,* inquit, *ego Nabuchodonosor oculos meos in cœlum leuaui, & Altissimum deprecatus sum, & viuentem in æternum laudaui & glorificaui.* Dan.4.f. *Confessio Nabuchodonosoris.* Cùm igitur agnouit Altissimum, vocesque gratias agentes ad Deum emisisset, & deuenit ad eorum, quæ patrauit, pœnitentiam, infirmitatemque suam agnouit, tunc restituit illi Deus regni honorem. Quid igitur? Nabuchodonosori, tantis obnoxio sceleribus, quamprimùm confessus est, peccata remisit, regnumque restituit: G
tibi verò agenti pœnitentiam non remittet, neque regnum cœleste, si te pro dignitate gesseris, concedet? Benignus est Dominus & velox ad indulgendum, tardus autem ad vindictam. Nemo itaque desperet de sua salute. Petrus princeps Apostolorum excellentissimus, coram ancilla ter negauit Dominum, sed ad se rediens, fleuit amarè. *Petrus Princeps Apostolorum excellentissimus.* Fletus enim veram seu ex corde pœnitentiam designat. Atque ideo non solùm negationis illius accepit condonationem, verumetiam dignitatem Apostolicam non ablatam retinuit. Mat.26.g. Habemus, Fratres, multos peccantium typos, & pœnitentium, & promptè saluatorum. *Fletus vere pœnitentia est index.* Et vos igitur confitemini Domino, vt antè patratorum remissionem accipiatis peccatorum, & cœleste regnum consequamini, donumque supercœleste hæreditatis, cum omnibus sanctis, in Christo Iesu; cui gloria in sæcula sæculorum, Amen. H

CATECHESIS TERTIA ILLVMINATORVM Hierosolymis, extemporanea: De Baptismo: Et lectio ex Epistola ad Romanos: An ignoratis, quòd quicunque in Christum Iesum baptizati sumus, in mortem eius baptizati sumus? Consepulti ergo ipsi per baptismum, &c. Rom.6.a

LÆtentur cœli, & exultet terra, propter eos qui aspergentur hyssopo, & mundabuntur hyssopo spiritali, & virtute illius, qui tempore passionis hyssopo & arundine potatus est. Ac cœlestes quidem virtutes gaudeant, animæ verò, quæ cœlesti Sponso

copulandæ

A copulandæ sunt, præparentur. *Vox enim clamantis in deserto, parate viam Domini.* Res enim non parua est, neque vulgaris & temeraria coniunctio, sed Spiritus omnia perscrutantis secundum fidem dilectus. Nam mundana connubia non omnino cum iudicio fiunt, sed vbi vel diuitiæ, vel pulchritudo, illuc statim sponsus aspirat: Hîc verò, non vbi corporis pulchritudo, sed vbi irreprehensibilis conscientia: hîc non Mammonæ damnatæ diuitiæ, sed pietas animæ quæritur. Credite itaque filij iustitiæ Ioanni adhortanti, & dicenti: *Parate viam Domini:* auferte omnia impedimenta & scandala, vt rectè proficiscamini in vitam æternam; præparate animæ sanctitatem puram, per fidem non simulatam, ad Spiritus sancti susceptionem. Incipiatis stolas vestras per pœnitentiam lauare, vt ad sponsi thalamum vocari, mundi reperiamini. Vocat omnes simpliciter, quoniam liberalis est gratia, & sonora voce præconum, congregat omnes simpliciter, quoniam liberalis est gratia, ipse verò deinceps discernit eos, qui in typicas nuptias ingrediuntur. Absit, vt aliquis ex his, qui nomina dederunt, & in album relati sunt, audiat: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Vtinam verò liceat nobis omnibus audire: *Euge serue bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, ingredere in gaudium Domini tui:* hactenus enim foris stetisti. Vtinam autem & vos omnes dicere possitis: *Introducet me Rex in tabernaculum suum:* exultet anima mea in Domino: *induit me veste salutis & tunica lætitiæ*; tanquam sponso circumposuit mihi † mitram, & tanquam sponsam ornauit me ornatu, vt omnium vestrûm anima sine macula & ruga, vel aliquo eiusmodi reperiatur. Non hoc dico, antequam gratiam consequamini: Omnes enim ad remissionem peccatorum vocati estis, sed vt postquam data vobis fuerit gratia, irreprehensibilis conscientia reperiatur, & gratiæ congruat. Magna profectò res est, Fratres, magnaque cum attentione ad illam accedendum. Nam vnusquisque vestrûm assistet Deo coram multis Angelorum myriadibus. Spiritus sanctus obsignabit animas vestras, deligendi estis in militiam magno regi; itaque parate vos, & instructi estote, non quod stolas vestium splendidas induatis, sed animæ benè consciam pietatem. Non tanquam aquæ simplici studeas huic lauacro, sed vt spiritali gratiæ, quæ cum aqua datur. Nam vt illa, quæ † in aris offeruntur, cùm natura sint pura, inuocatione dæmonum impura efficiuntur: sic contrà aqua simplex, per Spiritus sancti, Christi & Patris inuocationem accepta virtute, sanctitatem consequitur. Cùm enim duplex sit homo, ex anima & corpore compositus, duplex quoque purificatio: incorporea quidem incorporeo, corporea verò corpori. Et aqua sanè mundat corpus, Spiritus autem signat animam, vt abluti in corpore aqua munda, & repurgati in corde accedamus ad Deum.

Connubium spirituale cũ iudicio fit, carnale non item.

B

Matt. 22. d.

Matt. 25 b.

Cant. 1. a

† coronã.

C

Magna cum attentione accedendum est ab baptismum.

† In idolorũ delubris.

Aqua sanctificatur per inuocationem.

Qui itaque in aquam descensurus es, non aquæ simplicitati mentem adhibe, sed Spiritus sancti virtute salutem suscipe; nam sine vtrisque ad perfectionem deduci non poteris. Non ego sum qui dico, sed Dominus IESVS CHRISTVS, ille qui eius rei potestatem habet: *Nisi quis*, inquit, *renascatur desuper.* Et addit: *Ex aqua & Spiritu, non poterit intrare in regnum Dei.* Neque si quis aqua baptizetur absque Spiritu, perfectam habet gratiam: neque si quis etiam benè compositis probisque sit moribus, non recipiat autem signaculum † per aquam, intrabit in regnum cælorum. Audax est hic sermo; sed non meus: Iesus enim est, qui hanc tulit sententiam. Cuius rei ex sacra Scriptura accipe demonstrationem. Cornelius erat vir iustus, & Angelorum visione dignus habitus, cùm tanquam columnam bellam in cœlo coram Deo, suas orationes & eleemosynas constituisset; Venit Petrus, & Spiritus infusus est Credentibus, & locuti sunt linguis diuersis, & Prophetabant, & tamen post hanc Spiritus gratiam dicit Scriptura: Præcepit illi Petrus, vt in nomine IESV CHRISTI baptizaretur, vt anima per fidem regenerata, & corpus per aquam susciperet gratiam.

D

Ioan. 3. a. Sine baptismo nõ est salus.

† aqua.

Act. 10. d

Act. 10. 48.

Anima per fidẽ, corpus per aquã regeneratur.

E

Quòd si quis scire desiderat, quare per aquam potius, quàm per aliquod aliud elementum gratia detur, sacras scripturas relegens inueniet. Magnum enim quiddam est aqua, & ex quatuor mundi elementis apparentibus, pulcherrimum. Angelorum habitaculum est cœlum, atqui ex aquis sunt cœli. Terra est hominum locus, atqui ex aquis etiam terra. Et ante omnem rerum creatarum sex illis diebus distinctionem, Spiritus Domini ferebatur super aquas. Principium mundi aqua, principium Euangelij Iordanis. Liberatio Israëlis à Pharaone per mare facta est, & liberatio mundi à peccatis per lauacrum est aquæ in verbo Dei. Vbicunque fœdus aliquod inter Deum & homines, ibi & aqua. Post diluuium fœdus percussum est cum Noë, fœdus & cum Israële ex monte Sina: verùm hæc non sine aqua, & lana rubea, & hyssopo. Helias assumptus est, sed non sine aqua; prius enim transiuit Iordanem, deinde in cœlum raptus est. Prius abluitur summus sacerdos factus, quomodo enim susciperetur pro aliis oraturus, qui nondum per aquam purificatus esset? Symbolum baptismi erat labrum in Tabernaculo positum: Veteris Testamenti finis, & Noui principium baptismus. Ioannes erat dux eius, quo *maior inter natos mulierum nullus*, qui finis erat Prophetarum: omnes enim *Prophetæ & lex vsque ad Ioannem*; & idem erat rerum Euangelicarum principium. *Initium* enim *Euangelij* IESV CHRISTI, & quæ sequuntur, *Erat Ioannes baptizans baptisma.* Etiamsi Heliam Thesbitem dixeris esse in cœlum assumptum: attamen non est hic maior Ioanne. Enoch translatus est, sed non maior est tamen Ioanne. Moyses maximus legislator, & omnes Prophetæ, sed non maiores Ioanne. Non ego Prophetas Prophetis audeo comparare, sed ipse Dominus noster & illorum, Dominus Iesus pronunciauit: *Maior inter natos mulierum Ioanne non surrexit:* non inter natos virginum, sed mulierum; Magni serui ad conseruos comparatio: Filij verò ad seruos minimè comparanda est gratia & excellentia. Vides quantum hominem huius gratiæ ducem elegit, nihil omnino possidentem, solitudinis studiosum, sed non inhumanum: locustas manducantem, & alas parantem animæ, melle vescentem, & dulciora melle vtilioraque loquentem, veste de pilis camelorum indutum, & exercitationis typum in seipso monstrantem, qui etiam in vtero matris cùm gestaretur, à Spiritu sancto sanctificatus est. Erat quidem & Hieremias sanctificatus, sed non Prophetauit in vtero: solus autem Ioannes in vtero existens, exultauit in gaudio, & corporeis oculis nihil videns, spiritu Dominum cognouit. Cùm enim magna sit gratia baptismi, magno quoque præsule egebat. Hic baptizabat in Iordane, & exibat ad illum omnis Hierosolyma, baptismique primitiis fruebatur, bonorum enim excellentia Hierosolymis. Sed cognoscite, cognoscite vos Hierosolymitæ, quemadmodum illi, qui exibant, baptizabantur ab illo, confitentes peccata sua. Primùm ostendebant vulnera, deinde ille medicamenta apponebat, & credentes liberabat ab igne æterno. Ac si velis hoc tibi probari, quòd baptismus Ioannis ab igne comminationis liberabat, audi ipsum dicentem: *Genimina viperarum, quis monstrauit vobis fugere à futura ira?* non igitur sis deinceps vipera, sed cùm esses aliquando genimen illius, exue, inquit, primæ illius iniquæ vitæ personam. Quilibet enim serpens in angustum intrans, deponit senectutem, & vetustatem per extrusionem exuit, corporéque denuò toto renouatur: Sic & tu *intra per angustam portam* & strictam, affligens teipsum per ieiunium, expelle tuam perditionem. Exue veterem hominem cum actionibus suis, & dic illud, quod est in Canticis: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* Cæterùm si quis est inter vos homo hypocrita & ostentator, deuotionem quidem simulans, non ex corde autem credens, Simonis Magi habens hypocrisim, qui non vt gratiæ particeps sit, accedit, sed vt perscrutetur anxieque speculetur id quod datur. Audiat & ipse à Ioanne: *Iam enim securis ad radicem arborum posita est, omnis igitur arbor, quæ non facit*

Gratia datur per aquam.

Aquæ encomia.

Cœli ex aquis sunt.

Genes. 8

F

Luc. 7. d.

Luc. 16 16

Marc. 1. a

Dux baptismi qualis.

G

Monastica exercitationis, quã Ioãnes monstrat.

Confessio præcedebat baptismum.

Ioannis baptismus liberabat ab igne comminationis

H

Luc. 3. b.

Mat 7. b.

Luc. 13. c

Cant. 6.

Hypocrisis excindẽda.

Matt. 3.

A *fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur.* Inexorabilis est Iudex, relinque hypocrisim.

Pœnitentiæ fructus. Luc. 3. c. Conscientia quæ linguam non arguit.

Quid igitur faciendum est, & qui sunt fructus pœnitentiæ? *Qui habet duas tunicas, det non habenti.* Fide dignus est qui docuit, quandoquidem primus compleuit quod docuit. Non dubitauit dicere: neque enim quæ linguam eius redargueret, habebat conscientiam. Qui habet escas, faciat similiter. Vis frui gratia Spiritus sancti, & cibis sensilibus pauperes non reficis? magna quæris, & parua non expendis. Etiamsi publicanus, etiamsi scortator eras, spera salutem: *Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Et testis Paulus dicens: *Neque fornicatores, neque idolis seruientes, neque alij eiusmodi, &c. regnum Dei possidebunt: Et hæc aliquando fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Non dixit, *quales estis,* sed, *quales fuistis.* Quod fit ex ignorantia peccatum, facilè condonatur; pertinax autem malitia condemnatur. Habes gloriationem baptismi, Filium Dei vnigenitum; quid enim quod ampliùs dicam de homine? Magnus Ioannes, sed quid is ad Dominum? magnifica vox clamantis, sed quid ad Dominum? clarissimus præco, sed quid ad Regem? bonus ille qui in aqua baptizabat, sed quid ad illum, qui baptizat in Spiritu & igne? Spiritu sancto & igne Apostolos baptizauit Saluator, quando *est de cælo factus repentè sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes, & apparuerunt ipsis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto.*

Matt. 21. c. 1. Cor. 6. b.

B *Ioannes in aqua, Christus Spiritu & igne baptizabat discipulos.*

Martyrum baptismus in propriis sanguinibus. Baptismus sanguinis.

Si quis non baptizatur, salutem non habet, præter solos Martyres, qui (vel sine aqua) regno cælesti potiuntur. Redimens enim terram Saluator per crucem, & in latere vulneratus, sanguinem & aquam emisit, vt alij quidem pacis tempore in aqua baptizarentur, alij verò tempore persecutionis in propriis sanguinibus baptizentur. Quòd verò etiam is rectè baptismus vocetur, vide Saluatoris testimonium, qui dicit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibam, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Ac Martyres quidem confitentur, spectaculum facti mundo & Angelis & hominibus: Tu verò paulò pòst confiteberis. Sed de his aliàs: nondum enim est ea audiendi tempus. Sanctificauit baptismum Iesus, cùm ipse baptizatus est. Si filius Dei baptizatus est, quis pius potest baptismum contemnere? Baptizatus autem est, non vt peccatorum acciperet remissionem, non poterat enim peccare, sed etiamsi peccato non esset obnoxius, baptizatus est, vt diuinam gratiam & dignitatem exhiberet baptizandis. Quemadmodum enim pueri participes facti sunt CORPORIS & SANGVINIS; sic & ipse particeps illorum factus, vt præsentiæ illius in corpore facti participes, diuinæ quoque illius gratiæ communicent. Sic baptizatus est Iesus, vt per eius participationem nos deinceps vnà cum salute honorem consequamur. Draco erat in aquis, vt ait Iob, qui ore capiebat Iordanem: Cùm igitur conterenda essent capita draconis, descendens in aquas ligauit fortem, vt facultatem calcandi super serpentes & scorpiones accipiamus. Minimè parua fuit bellua, sed horrenda: Nauis piscatoria quæcunque corium vnum caudæ illius ferre non potuit. Imminebat ab illo perditio, contagione inficiens occurrentes. Succurrit deinde vita, vt mors quoque timeret, vt saluati omnes dicamus: *Vbi est, mors, tua victoria? vbi, inferne, stimulus tuus?* Per baptismum enim soluitur mortis stimulus. Descendis quidem in aquam ferens peccata, sed gratiæ inuocatio signans animam, non permittit deinceps, ab horrendo illo submergi dracone. Mortuus in peccatis, descendisti, & ascendis viuificatus in iustitia. Si enim insitus factus es similitudini mortis Saluatoris, etiam resurrectione dignus efficieris. Quemadmodum enim Iesus, mundi totius peccata recipiens mortuus est, vt mortificato peccato restituat te iustitiæ, sic & tu descendens in aquam, & quodam modo consepultus illi, sicut ille in petra excitteris rursus in nouitatem vitæ ambulans: deinde cùm tibi gratia confertur, tunc rursus tibi aduersus contrarias virtutes dat potestatem. Quemadmodum enim ille

C *Marc 10. f. Christus cur baptizatus.*

D

1. Cor. 15 g.

E post baptismum & quadraginta dies tentatus est, non quod & antea non posset vincere, sed quòd ordine omnia successiuè facere volebat: Sic & tu ante baptismum aduersariis reluctari non audebas; Accepta verò gratia, deinceps confidens armis iustitiæ, decertato: & si vis etiam Euangeliza. IESVS CHRISTVS Dei filius erat, attamen ante baptismum non Euangelizabat. Si Dominus ipse secundum ordinem tempus quærebat, nunquid nos serui audere aliquid præter ordinem debemus? Ab eo tempore cœpit Iesus prædicare, cùm descendit in illum Spiritus sanctus corporaliter in specie columbæ: Non vt tunc primùm Iesus videret; videbat enim etiam antequam corporaliter in eum veniret; sed vt Ioannes baptizans illum cerneret. *Ego* enim (inquit) *non noui illum, sed qui misit me baptizare, ille mihi dixit. Super quem videris Spiritum descendere & manere in illo, ille est.* Si & tu non simulatam habueris religionem; descendet in te Spiritus sanctus. Vox tibi paterna desuper intonat: Non; *hic est filius meus,* sed, quod nunc factus est filius meus: In illo enim est ipsum esse. Quoniam *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* In illo est esse, quandoquidem est filius Dei: In te vero nunc factum est, quoniam non secundum naturam, sed iuxta alienam authoritatem habes adoptionem. Ille sempiternus est; tu verò ex profectu accipis gratiam. Præpara itaque vas animæ tuæ, vt sis filius Dei; & hæres quidem Dei, cohæres autem Christi. Præparaueris autem teipsum ita vt id consequare, si ex fide accesseris, si deponere veterem hominem volueris. Omnia sanè quæcunque perpetraueris, condonabuntur; siue fornicatio, siue adulterium, siue quodcunque aliud eiuscemodi genus peccati fuerit, quod nihilominus crucifigentibus Christum non æquatur. Quod maius esse potest scelus, quam crucifigere Christum? & huius tamen ablutio est, baptismus. * Nam illi qui accedebant ad Dominum, sciscitabantur dicentes: *Quid faciemus viri fratres?* Magnum enim hoc vulnus: Percussisti nos Petre nostra ruina dicens; *Ducem vitæ occidistis;* Quod emplastrum dabitur tanto vlceri? Quæ salus in hac perditione? *Pœnitentiam* (inquit) *agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine* IESV CHRISTI *Domini nostri, in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritus sancti.* O ineffabilem Dei benignitatem! Qui de salute desperabant, donum Spiritus sancti accipiunt! Vides baptismi virtutem? Si quis vestrûm, verbis blasphemis Christum crucifixit, si quis ex vobis, per ignorantiam coram hominibus negauit; si quis per malefacta sua, vt dogma Christi male audiret vel blasphemaretur effecit; agendo pœnitentiam, bene spera: adest enim & nunc eadem gratia. Confide Ierusalem, abstulit enim Dominus iniquitates tuas, abluit Dominus sordes filiorum eius & filiarum eius. In spiritu iudicij & in spiritu combustionis sparget super vos aquam mundam, & mundabimini ab omni peccato vestro. Saltabunt circa vos Angeli, & dicent; *Quæ est ista quæ ascendit dealbata & confirmata super patruele suo?* Quæ enim antea fuerat serua anima, nunc patruelem, ipsum Dominum ascripsit, qui non simulato proposito acclamat; *Ecce pulchra es; ecce es pulchra propinqua mea; dentes tui sicut greges tonsarum.* Idque fit, propter bona conscientia factam confessionem; & reliqua. *Vtraque permanentes,* propter duplicem gratiam; dico autem eam quæ ex aqua & spiritu perficitur; vel propter illam quæ ex veteri & nouo Testamento sibi mutuo respondet. Faxit Deus, vt vos omnes cursum Ieiunij perficiatis, recordantes ea quæ vobis dicta sunt, fructificantes in operibus bonis, & incontaminatè spiritali Sponso assistentes, remissionem peccatorum consequamini à Deo; cui gloria cum Filio & Spiritu sancto, in sæcula sæculorum; Amen.

* *

Baptismum sequitur pugna. Ordo in omnibus seruandus. Corporaliter descendit S. Spiritus in specie columbæ. Ioan. 1. 33.

F *Ioan. 1.*

Præparatio ante adeptionem.

** Nam cum accessissent tria millia dixit Petrus his qui crucifixerant Dominum cum dicerent, quid faciemus fratres?* G *Act. 2. f.*

Isa. 4. a. Cant. 8. f. H *Cant. 4. a.*

Ieiunij cursus.

A

CATECHESIS QVARTA ILLVMINATORVM, Hierosolymis, extemporanea: De decem dogmatibus: Et lectio ex Epistola ad Colossenses; Cauete ne quis vos seducat per Philosophiam & vanum errorem, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, *& quæ sequuntur.*

Improbitas imitatur virtutẽ. 2. Cor. 11. d.

IMitatur virtutem improbitas, & zizania contendunt triticum videri, quæ quidem specie quadam tritico assimilatur, gustu autem à sentientibus facile discernitur. Et Diabolus quoque transformatur *in Angelum lucis*: Non quod eò, vbi quondam erat, ascenderet; sed vt vitam Angelis æqualem ducens, homines cæcitatis caligine & incredulitatis pestilentia coram irretiret. *Multi lupi obambulant in vestimentis ouium*; & vestes quidem ouium nanciscuntur, sed non & vngues aut dentes. Ac pelle quidem mansueta induti, specie probitatis decipiunt, perniciosum vero impietatis venenum, ex dentibus emittunt. Opus est igitur diuina gratia, & sobria mente, & vigilantibus oculis; ne zizaniis pro tritico vescentes, imprudenter pereamus; neve lupum existimantes esse ouem, capiamur, neve perditorem nostrum Diabolum, bonum esse Angelum putantes deglutiamur: *circuit* enim *tanquam Leo rugiens, quærens quem deuoret*, vt scriptum est. Propterea nos Ecclesia admonet; propterea lectiones fiunt. Pietatis enim modus in his duobus consistit: in piorum dogmatum certitudine, & bonis operibus: ita vt neque dogmata sine bonis operibus accepta sint Deo; neque absque piis dogmatibus opera perfecta suscipit Deus. Quid enim prodest, scire quidem diuina dogmata pulchre, scortari vero turpiter? Quid rursus confert temperare sibi à malis, & blasphemare impie? Maxima igitur est possessio, dogmatum scientia, sed opus est temperanti anima: quoniam multi sunt qui per Philosophiam & vanos errores decipiunt. Et Græci quidem per eloquentiam capiunt; *Mel enim fluit de labiis mulieris fornicariæ.* Qui vero ex circumcisione sunt; per sacras Scripturas quas male interpretantur, accedentes decipiunt: à puero sese exercentes vsque ad senium, & in inscitia consenescunt. Hæreticorum autem filij, per blandiloquentiam & facundiam seducunt corda hominum minime malorum, qui grato Christi nomine, impiorum dogmatum venena occultant. De quibus omnibus simul dicit Dominus; *Videte, ne quis vos in errorem inducat*; atque ideo & fidei doctrina, & illius enarrationes fieri solent. Sed ante fidei traditionem; operæpretium existimo nunc continua repetitione atque summaria, necessaria dogmata comprehendere, ne multitudine dicendorum, & interuallo dierum totius sanctæ Quadragesimæ obliuio eorum quæ diligenter mente tenenda essent, vobis inducatur. Summatim itaque nunc ea spargemus, vt deinceps cum latius excolentur & explicabuntur, non eorum obliuiscamur. Tolerabunt autem eum vsum, quicunque adsunt perfectiores, & sensus iam habent exercitatos ad bona malaque discernenda, cum audient hanc paruulorum in Christo lacteam introductionem: vt simul hi qui egent instructione, vtilitatem ex his capiant, & qui iam hæc antea norunt, resricent eorum memoriam.

B Matt.7.c

1.Pet.5.c

Pietatis ratio in fide & operibus consistit.

C *Scientia opus habet anima temperanti.* Prou.5.3

Hæretici quomodo seducãt.

S. Quadragesimæ dies.

D

Lactea introductio.

DE DEO.

PRimum igitur dogma de Deo, in anima vestra fundetur: quod Deus vnus est, ingenitus sine principio, immutabilis, non alterabilis, neque ab alio factus, neque alium habens vitæ successorem, nec in tempore viuere incipiens, nec vnquam desiturus, & quod ipse est bonus & iustus: Vt si forte aliquando audias hæreticum dicentem, quod alius sit iustus, alius vero bonus; statim eius recorderis & agnoscas hæreseos venenum. Ausi enim sunt nonnulli impie, vnum Deum diuidere sermone: & aliqui dicebant, alium esse animæ opificem & dominum, alium vero corporum, absque ratione simul & absque pietate docentes. Quomodo enim duorum dominorum vnus homo seruus esset, cum Dominus dicat in Euangeliis: *Nemo potest duobus dominis seruire.* Vnus igitur est Deus solus, & animarum & corporum creator: Vnus est opifex cœli & terræ, Angelorum & Archangelorum creator, qui multorum quidem est opifex, vnius vero tantum Pater ante sæcula; vnius sane solius vnigeniti sui Filij Domini nostri IESV CHRISTI, per quem etiam fecit omnia visibilia & inuisibilia. Hic Pater Domini nostri IESV CHRISTI, non aliquo circumscribitur loco, neque minor est cœlo, verum opera manuum eius sunt cœli, & vniuersa terra pugillo eius continetur. Hic in omnibus & extra omnia est. Non existimes illum Sole minorem, vel illi æqualem esse: qui enim Solem creauit, ipsum oportet prius multo incomparabiliorem esse, longéque lucidiorem. Prouisor est omnium futurorum & omnium potentissimus, sciens & faciens quicquid vult. Non subiectus rerum successionibus, neque generationibus, neque Fortunæ, neque fato: In omnibus perfectus, & omnem virtutis Idæam æqualiter possidens. Neque augmento, neque diminutioni obnoxius, sed per omnia semper eodem modo sese habet, præparans pœnam peccatoribus & iustis coronas. Cum itaque aberrauerint quidam ab vno Deo, diuersimode multi sentiebant. Ac alij quidem Solem ponebant, vt occidente Sole, noctis tempore sine Deo essent: alij vero Lunam, vt in die, Deum non haberent.

E

Mat.6.c *Opifex omnium vnus.*

F

Errores varij de Deo.

Alij verò res alias quæ sunt in Mundo; alij artes, alij voluptates. Et alij quoque amore mulierum furentes; nudæ mulieris Idolum in sublimi statuentes adorabant, vt cupiditas illorum appareret. Alij vero ob auri splendorem in stuporem redacti, hoc ipsum & cæteras materias deos finxerunt. Si itaque aliquis doctrinam hanc de Monarchia Dei in mente fixerit & illi crediderit, omnem simul malorum, & idololatriæ, & hæreseon errorem ac perniciem præciderit. Hoc itaque primum est dogma pietatis, in anima per fidem fundandum.

G

DE CHRISTO.

Consubstantialis patri filius.

CRede autem & in Filium Dei, vnum & solum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, Deum ex Deo genitum, vitam ex vita genitam, ex lumine lumen genitum, ὁμοιον, hoc est, consubstantialem per omnia Generanti. Qui non in temporibus esse cœpit, sed ante sæcula sempiternus, incomprehensibiliter ex Patre genitus. Sapientiam Dei, & virtutem, & iustitiam substantialem. Qui in dextra Patris, ante omnia sæcula sedet. Neque enim vt aliqui putabant, post passionem coronatus, & tanquam à Deo, propter patientiam, accepisset à dextera thronum: sed ex quo est (est autem semper) habet regiam dignitatem, assidens Patri, Deus existens & sapientia, sicut dictum est. Cum Patre simul regnans, & omnium per Patrem opifex, non deficiens in deitatis dignitate, & cognoscens Genitorem suum. Et, vt summatim dicamus, illius quod in Euangelio scriptum est, meminero, quod nemo cognoscit Filium nisi Pater, neque Patrem quis cognoscit nisi Filius. Neque abalienes à Patre Filium; neque commixtionem faciens; υἱοπατρίαν, Filij Patrisque confusionem quandam credas. Sed crede quod vnius Dei vnigenitus vnus est Filius ante omnia sæcula Deus Verbum: Verbum non enunciatiue in aërem prolatum, neque verbis non subsistentibus assimilatum, sed Verbum Filius, rationabilium effector; Verbum audiens Patrem, & loquens ipse. Ac de his alio tempore, si Deus concesserit, latiùs vobis dicetur; neque enim obliuiscemur quod proposuerimus, nunc tantùm summarias Fidei introductiones facere.

Substantialis iustitia Dei filius.

H *Christus non est Verbum enunciatum, sed subsistẽs.*

* * *

A

DE GENERATIONE EX VIRGINE.

CRede, quod hic vnigenitus Filius Dei, propter peccata nostra de cœlo descendit in terram, & earundem affectionum cum nobis, assumpsit humanitatem, & natus est ex Maria Virgine & Spiritu sancto: Non opinione, non phantasia humanitatem assumpsit, sed in veritate: non tanquam per canalem transiens per Virginem; sed verè incarnatus ex ipsa. Lacte nutritus verè, veréque comedens, sicut & nos. Si enim phantasma erat illa incarnatio; phantasma, & salus. Duplex erat Christus: homo quidem id quod apparebat; Deus vero intelligebatur. Comedebat quidem vt homo vere, ita vt nos, similes enim nobis corporis affectiones habebat: vt Deus autem, quinque panibus aluit quinque millia. Mortuus est verè vt homo, vt Deus autem mortuum quatriduanum excitauit. Dormiuit in naui verè vt homo, & ambulauit super aquas vt Deus.

Christi natura duplex.

B

DE CRVCE.

HIc crucifixus est pro peccatis nostris vere; ac si negare volueris, locus hic apparens te arguit: beatus hic mons Golgotha, in quo nunc propter eum qui crucifixus est in illo, applaudimus, & ligno crucis vniuersus terrarum Orbis per partes repletus est. Crucifixus autem est, non pro suis peccatis, sed vt nos peccatis liberaremur. Et contemnebatur quidem tunc ab hominibus, alapisque percussus est vt homo, agnitus vero est à creatura, quod Deus erat: Sol enim videns inhonoratum Dominum, tremens defecit, neque spectaculum hoc potuit ferre.

Crucis ligno repletus est orbis.

DE SEPVLCHRO.

C

IN sepulchro lapideo, verè positus vt homo, sed petræ propter ipsum præ timore scissæ sunt. Descẽdit ad Inferos, vt & illinc Iustos liberaret: cur enim vellet, viuentes quidem frui gratia, quamuis plurimi ex his sancti non essent; qui vero cum Adam à longo tempore inclusi erant, deinceps non potiri libertate? Isaias Propheta tanta de illo prædicauit; & non vis, vt Rex descendens liberet suum præconem? Dauid illic erat & Samuel, & omnes Prophetæ, ac ipse Ioannes, qui ad eum per suos nuncios dicebat; *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Non vis, vt descendens liberet tales?

Petra, ipsa scissa passo Christo. Christi descensus ad Inferos.

Matth. 11.a.

DE RESVRRECTIONE.

QVi descenderat ad Inferos, rursus ascendit, & qui sepultus erat IESVS, tertia die vere surrexit. Ac si te forte exsibilent Iudæi, celeriter occurrens, sic eos interroga: Ionas tertia die de ceto exiuit, & Christus triduanus nunquid ex terra excitatus non est? Ossa Elisei, mortuum contactu excitarunt, & factor hominum, virtute Patris, nunquid non multo facilius resurrexit? Surrexit igitur vere; & à resurrectione apparuit rursus Discipulis, & duodecim Discipuli testes sunt eius resurrectionis, qui non verbis tantum testimonium perhibebant, sed vsque ad tormenta & mortem de veritate resurrectionis certabant. Cum autem *in ore duorum vel trium testium stet omne verbum* secundum scripturam: Duodecim vero, resurrectioni Christi testimonium præbentibus; an adhuc resurrectioni non plane credis?

Ion. 2. Matth. 12.d.

D

Resurrectionis testes.

Deut. 19. 15. Matth. 18.16.

DE ASCENSIONE.

CVm iam patientiæ cursum perfecisset IESVS, & homines à peccatis redemisset, ascendit rursus in cœlos, nube ipsum suscipiente: & angeli quidem, ascendenti assistebant; Apostoli vero aspiciebant. Quod si his dictis non credis, crede ipsi virtuti eorum quæ nunc videntur. Omnes reges cum moriuntur, vnà cum vita exuuntur omni potestate: Christus autem crucifixus, nunc ab vniuerso Orbe adoratur: Crucifixum nunc annuntiamus, & tremunt Dæmones. Multi quidem aliàs quoque crucifixi sunt, sed cuius alterius crucifixi inuocatio Dæmones expulit? Non pudeat itaque nos Crucis Christi. Quod si aliquis id occultet? tu manifeste signa te Cruce in fronte, vt dæmones signum Regis videntes, trementes procul fugiant. Fac autem hoc signum, & manducans, & bibens, & sedens, & stans, & loquens, & ambulans, in summa, in omni tuo negotio: Crucifixus enim hic, supra nunc in cœlis est. Si enim is crucifixus & sepultus permansisset in sepulchro, esset quod nos puderet: Nunc vero, qui in hoc Golgota crucifixus est, ex eo qui est ad Orientem monte Oliuarum, ascendit in cœlum, Hinc enim descendens in Infernum, rursus ad nos ascendens, à nobis deinceps illinc in cœlum ascendit, Patre ipsum aduocante & dicente; *Sede à dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.*

E

Signum Crucis in fronte vt dæmones trementes fugiant. Crucis signũ ad omnia præmittendum.

Ps. 109.

F

DE FVTVRO IVDICIO.

HIc IESVS Christus qui ascenderat, veniet rursus de cœlis non de terra, eo quod multi Antichristi nunc de terra venturi sunt. Iam enim, vt videtur, cœperunt multi dicere; *Ego sum Christus*; & ventura quoque est abominatio desolationis quæ sibi falsum nomen imponet. Tu vero non amplius verum Dei Filium vnigenitum; non amplius de terra, sed de cœlis venturum expectes, super omnem coruscationem & splendorem luminis omnibus apparentem & ab angelis stipatum, vt iudicet viuos & mortuos, & regnet in regno cœlorum in sempiterna sæcula. Confirma fidem tuam & in hoc, sunt enim multi qui dicunt finem esse regni Christi.

Cyrilli tempore, multi iã Christos se vocabant.

Matth. 24.a.

DE SPIRITV SANCTO.

G

CRede & in Spiritum sanctum, & rectam habeas de illo sententiam, multi enim sunt alieni à Spiritu sancto, qui nefanda de illo docent. Tu vero disce vnum esse Spiritum sanctum, indiuisibilem, & multarum virtutum, multa operantem; ipsum vero non partibilem, cognoscentem mysteria, & perscrutantem omnia, *etiam profunda Dei.* Qui in specie columbæ super Dominum IESVM CHRISTVM descendit, qui in Lege & prophetis operabatur, & nunc tempore baptismi animam tuam obsignat, cuius sanctificatione, vniuersa intellectualis natura indiget. Quem si quis ausus fuerit blasphemare, non habet remissionem peccatorum *neque in hoc, neque in futuro sæculo.* Cui cum Patre Filio æqualis dignitas & honor exhibetur: quo indigent Throni & Dominationes, Principatus & Potestates. Vnus enim est Deus pater Christi, & vnus dominus noster IESVS CHRISTVS, vnus Dei vnigenitus Filius, & vnus Spiritus sanctus qui omnes sanctificat; qui in Lege & prophetis, in veteri nouoque Testamento locutus est. Hoc signaculum vbique circumfer in mente tua, quod nunc quidem summarim & leuiter tibi tradidimus; deinceps vero, Deo volente, ex sacrarum Scripturarum demonstratione, singula (vt fieri poterit) comprobabimus. Necesse est enim de diuinis & sanctis fidei mysteriis, neque sine sacris Scripturis temere quicquam tradere, nec simplici credulitate & verborum apparatu circumferre; neque mihi hæc dicenti simpliciter credas nisi demonstrationem annunciatorum, ex sacris Literis accipias: Salus enim ipsa fidei nostræ non ex commentitia disputatione, sed ex demonstratione diuinarum Scripturarum est.

Spiritus sanctus animam obsignat.

Spiritus sancti dignitas æqualis cum Patre & Filio. Spiritu sancto in digent

H

Angeli. Mysteria fidei, sine Scripturis nõ temere tradenda. Salus fidei est ex Scripturarũ demonstratione.

DE STATV HOMINIS

POsteaquam autem venerandam hanc & sanctissimam fidem cognouetis, deinceps nosce teipsum quisnam es, quod duplex homo sis constitutus, ex anima & corpore compositus, quod etiam (sicut paulo ante dictum est) idem Deus, & animæ & corporis est opifex. Cognosce autem animam esse sui iuris, seu voluntatis liberæ, opus Dei pulcherrimum, secundum Factoris imaginem, immortale

Anima, est sui iuris est & liberæ voluntatis. Anima est immortalis

mortale

A mortale per eum qui immortalitate illud donauit, animal rationale, incorruptibile per eum qui gratiam illi contulit, potestatem habens facere quæ velit. Neque enim ex generationis natura peccas, neque propter animam fornicaris, neque, vt nonnulli fingunt, astrorum inclinationes ad amplectandam impietatem te cogunt. Cur tua ipsius mala confiteri detractas? cur innocuis Astris culpam ascribis? Non ergo deinceps attendas Astrologis; de his enim sacra dicit Scriptura: *Stent & saluent te astrologi cæli & terræ; ecce omnes sicut stipula igne comburentur, & non liberabunt animam ipsorum de flamma.* Disce autem & hoc, quod priusquam adesset in hoc mundo anima, nihil peccauit, sed venientes sine peccato, nunc ex nostro arbitrio peccamus. Ne quem audias disserentem male. Scis hoc dicere; *quod nolo, hoc facio*: sed memineris etiam dicentis, *si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis.* Et; *Sicut exhibuistis membra vestra serua immunditiæ & iniquitati & ad iniquitatem, ita & nunc exhibete membra vestra serua iustitiæ in sanctificationem.* Et memineris quoque Scripturæ quæ dicit; Et *sicut putauerunt Deum non habere in cognitione*, Et; *quod notum est Dei, manifestum est in ipsis*: Et quod oculis suis conniuebant: Et rursus, vbi Deus conqueritur & dicit; *Ego plantaui te vineam fructiferam, quomodo versa es in amaritudinem*, Vinea aliena? Immortalis est anima. Omnes animæ tam virorum quàm mulierum pulchræ & similes sunt; sed membra tantum corporis, discrimen faciunt. Non est aliquis ordo animatum quæ ex natura peccent, nec est vllus ordo animatum quæ ex natura iuste agant, sed vtraque hæc, voluntate fiunt, quamuis vnius speciei & similis sit in omnibus animabus substantia. Scio quidem, & quam multa dico & quam longum iam tempus sit, sed quid maiori studio suscipiendum est, quam salus? Non vis laborans sumere viaticum aduersus Hæreticos? Non vis cognoscere viæ diuerticula, ne ex ignorantia in præcipitium adducaris? Si magistri lucrum putant esse non paruum, te ista docere, tu qui discis, nunquid non debes suauiter suscipere dictorum multitudinem? Liberum arbitrium habet anima: & potest quidem Diabolus incitare; cogere autem præter voluntatem, omnino non potest. Subiicit tibi scortationis cogitationes: si vis, probas, si nolis, improbas: Si enim ex necessitate scortaris, cuius gratia gehennam Deus parasset? Et, si natura & non voluntate iuste ageres, cur Deus coronas pararet? Mansuetum est animal, ouis; neque tamen illa propter mansuetudinem coronatur, quoniam illa mansuetudo non ex voluntate, sed à natura illi inest.

Marg.: secundū Dei imaginem. — Astrologis non attendēdum. Isa. 47. 13. — Peccamus ex nostro arbitrio. Rom. 7. 16. — B Rom. 6. d. Rom. 1. Hier. 2. — Anima virorum & mulierū similes. — Viaticū aduersus Hereticos. — Liberum arbitriū habet C anima. Peccatū est voluntarium. Natura seu affectione nō coronantur.

DE CORPORE.

Cognouisti hactenus, dilecte, quantum sufficit de anima: accipe & de corpore, quantum fieri potest reliquum sermonem. Non patiaris tibi à quoquam persuaderi, quod alienum sit à Deo corpus hoc. Qui enim alienum esse à Deo corpus credebant, tanquam alieno quodam vase, in scortationem ipso facile abusi sunt. Quid autem damnabant in hoc admirando corpore? quæ pulchritudo illi deest? quid non est in illius compositione artificiosum? Nunquid non debebant splendidissimam oculorum constitutionem considerare? Quomodo aures à latere positæ, citra vllum impedimentum, auditum suscipiunt? Et quemadmodum olfactus quidem odores suscipit, & vim illorum discernendorum habet; Lingua vero, quomodo duabus rebus seruit, & gustui, & sermoni? quomodo pulmo in abstruso positus loco, incessabilem tamen habet aëris respirationem? quis assiduam cordis palpitationem condidit? quis venas & totidem arterias disposuit? quis ossibus neruos seu robur inseruit? quis partem quidem cibi in substantiam; partem vero in aptam egestionem discreuit; & membra verenda in conuenientibus occultauit locis? Quis defecturam humanam naturam per facilem communionem indeficientem constituit? Non ergo corpus accuses. Si enim corpus est causa peccati, quare mortuum non peccat?

Marg.: Corpus non alienū à Deo. Humano corpori nulla est pulchritudo. D — Corpus non est causa peccati.

E Appone arma dexteræ mortui, & cædes ab illo non fit. Ab eo qui nuper mortuus est, omnis pulchritudo iuuenilis recessit, & concupiscentia fornicationis non fit. Cum ergo non peccet per se corpus, sed per illud anima, instrumentū quoddā est animæ corpus, & tanquam vestis & stola animæ. Et, si sub illa fornicatio fuerit perpetrata, immunda efficitur, si vero anima sancta inhabitet, templum fit Spiritus sancti. Non ego hæc dico, sed Paulus Apostolus hæc dicebat: *Nescitis quod corpora vestra, templa sunt Spiritus sancti qui in vobis habitat?* Parce itaque corpori, tanquam templo Spiritus sancti. Non fœdes in fornicationibus carnem, ne polluas stolam pulcherrimam. Quod si polluisti, ablue per pœnitentiam, nunc enim tempus est ablutionis. Ac præcipuè de temperantia sermonem audito, secundùm Ordinem solitariam vitam agentium, & Virginum vitam æqualem angelis ducentium. Magna vobis reposita est, Fratres, corona: Ne parua voluptate vendatis magnam dignitatem. Audite quid dicat Apostolus: *Estne aliquis impurus sicut Esau, qui pro esca vendidit primogenita sua?* Sed tu in libros Euangelicos inscriptus cum sis propter institutum continentiæ, caue igitur ne delearis propter scortationem. Neque rursus cum magnopere studes temperantiæ, sis inflatus aduersus illos qui occupati sunt nuptiis, nam & hi mundi sunt: *Honorabile* enim *coniugium, & thorus immaculatus*, dicit Apostolus: & tu qui id ignoras, nunquid non ex nuptiis natus es? Non ergo ideo quod aurum possides, argentum reprobes: sed in bona spe consistant & hi qui nuptiis legitime vtuntur, non autem illis procaciter abutantur per intemperantiam. Qui notunt tempus continendi vt vacent orationi, qui vnà cum vestimentis, munda ad conuentus Ecclesiæ afferunt corpora, qui studio liberorum, non studio voluptatis ad nuptias accedunt. Et monogami quoque, eos qui ad secundas nuptias aspirant non reprobent. Bona est continentia, & admiranda, veruntamen per dispensationem fieri potest vt quis secundam vxorem ducat, ne in errorem incidant impotentes. *Bonum quidem esset illis si permanserint sicut & ego*; dicit Apostolus; *si autem non continent, nubant, melius enim est nubere quàm vri.* Reliqua autem omnia procul exterminentur; fornicatio, adulterium, & omne genus impudicitiæ. Custodi corpus Domino mundum, vt & Dominus respiciat corpus. Alis corpus cibis vt viuat & sine impedimento ministret.

Marg.: Corpus instrumentum animæ est. 1. Cor. 3. c. — Virgines & haeremitæ, æqualem Angelis vitā ducunt. Heb. 13. 16. — F — Hebr. 13. 4. — Nuptiæ sint studio Liberorum. 1. Cor. 7. b. — G

DE CIBIS.

Et de cibis ista vobis sint dogmata, quandoquidem multi circa cibos quoque impingunt: alij enim Idolothytis indifferenter accedunt, alij vero abstinent, sed iudicant tamen manducantes; & duplici modo circa cibos, quorundam anima polluitur qui ignorant debitas manducandi causas. Ieiunamus enim à vino & à carnibus abstinentes, non quod hæc tanquam abominationes oderimus, sed quod præmium expectamus: Tum vt sensibilia despicientes, spirituali deinceps & intellectuali Mensa fruamur & nunc seminantes in lachrymis, in futuro sæculo in exultatione metamus. Non igitur contemnas eos qui manducant, & propter corporum infirmitatem cibos sumunt: neque vituperes qui modico vino vtuntur propter stomachum & crebras infirmitates, ac neque ipsos condemnes tanquam peccatores, neque tanquam abominabiles oderis carnes. Sciebat enim quosdam tales futuros Apostolus, dicens; *prohibentes nubere, & vesci cibis quos Deus creauit in vsum credentibus & cum gratiarum actione sumentibus.* Abstinens igitur ab his, non tanquam ab abominabilibus abstine, alioquin præmium non habes: sed bona contemne, propter ea quæ proposita sunt spiritualia meliora. Confirma certo animam tuam, ne quid manduces quod idolis est oblatum. De cibis enim, non modo mihi nunc, verum etiam Apostolis, & ipsi Iacob huius Ecclesiæ Episcopo studium fuit. Et scripserant Apostoli & Presbyteri, ad omnes gentes Catholicam Epistolam; *præcipientes abstinere ab idolothytis, tum vero à sanguine, & suffocato, & fornicatione.* Multi

Marg.: Cur à vino & carnibus ieiunent Christiani. — H — 1. Tim. 4. a. — A cibis cur sit abstinendum. A sanguine & suffocato abstinebatur. Cum modestia manducandum.

A enim feti homines & more canum viuentes, sanguinem quidem, sæuissimarum belluarum in modum lambebant, suffocata vero crudeliter vorabant. Tu vero Christi seruus, cum manducas, cum modestia quadam manduca. Ac de cibis hæc sufficiant.

DE VESTITV.

Amictu saltem ad necessitatem vtendum.

AMictu simplici vtare, non ad ornamentum, sed ad necessitatem, non vt mollitiei studeas, sed vt hyeme calefias, & corporis ignominiam contegas: neque tamen prætextu isto tegendæ turpitudinis, superfluis vestibus in aliam turpitudinem incidas.

DE RESVRRECTIONE.

B

Resurrectionis exempla & demonstrationes.

MOdeste vt tractes corpus, hoc te moneo, & cognosce quod cum corpore resurges ad iudicium. Quod si quæ infidelis cogitatio tibi in mentem veniat, tanquam ea res fieri non possit, ex his quæ in te sunt, perspice ea, quæ non apparent. Tu ipse enim dic mihi, vbi ante centum & amplius annos fueras? recogita ex quanta exiguitate & vilissima substantia, in tantam staturæ magnitudinem & tantam pulchritudinis dignitatem euectus es? Tum vero, qui potuit id quod non erat, vt aliquid esset, producere, id quod iam est, cum ceciderit, restituere iterum non poterit? Qui frumentum propter nos seminatum, quot annis mortificatum excitat, nunquid nos ipsos, propter quos & ipse surrexit, difficile suscitabit? Cernis quomodo arbores tot mensibus sine fructu & foliis sunt: sed hyeme prætereunte, rursus tanquam ex mortuis reuiuiscunt? Et non multo facilius
Exo.9.c. nos reuiuiscemus? Virga Moysi, in disparatam Serpentis naturam, voluntate Dei mutata est, & homo cadens, rursus in seipsum non restituetur? Non attendas ergo his qui negant corpus hoc resurrecturum. Nam quod
C resurget etiam Isaias testatur: *Excitabuntur* (inquit)
Isa.26. *mortui, & resurgent qui sunt in monumentis: Et multi*
Dan.12.a *qui in puluere terræ dormiunt, suscitabuntur*, vt inquit Daniel; *hi quidem in vitam æternam, hi vero in ignominiam æternam.*
Resurrectio qualis. Omnes quidem homines resurgent, sed non omnium similis erit resurrectio. Omnes enim æterna accipiemus corpora, sed non omnes similia: nam iusti accipient, vt in æternum cum Angelis lætentur, peccatores autem, vt in æternum pœnas peccatorum luant. Quamobrem prospiciens nobis benignitatis Dominus, lauacri pœnitentiam dedit, vt multitudinem peccatorum (imò onus vniuersum) abiicientes, & sancti Spiritus recipientes signaculum, regni cœlestis hæredes efficiamur. Sed cum de Lauacro satis paulo ante dixerimus, ad reliquas Isagogicas doctrinas deinde pergamus.

DE SACRA SCRIPTVRA.

D

HÆc docent nos diuinæ Scripturæ tam veteris quam noui Testamenti, quod vnus est amborum testamentorum Deus; qui Christum in Nouo apparentem, Veteri prænuntiauerat: qui per legem & Prophetas, vt per pædagogos, in Christum ducebat. Antequam enim fides venisset, sub lege custodiebamur, & lex pædagogus noster erat in Christo. Ac si quando hæreticorum audiueris aliquem blasphemantem legem & Prophetas, re-
Matt.5.c sponde illi salutaria verba, dicens: *Non venit Christus legem soluere, sed adimplere.* Et diligenter ab Ecclesia disce, qui sint veteris & qui noui Testamenti libri, & nihil Apocryphum legas:
Apocrypha non legenda. cum enim ne ista quidem, quæ omnes confitentur, scias; quid in dubiis discere laboras? Lege sacras Scripturas nempe viginti duos veteris Testamenti libros; quæ à Septuaginta duobus interpretibus translatæ sunt.
Translationis 70. interpretum, historia. Alexandro enim Macedonum rege defuncto, & regno eius in quatuor principatus diuiso, in Babyloniam, Macedoniam, Asiam, & Ægyptum; vnus ex his qui in Ægypto regnabant, Ptolomæus Philadelphus, cum esset literatum studiosissimus rex & vndequaque libros congregaret; à Demetrio Phalereo Bibliothecæ præfecto, de Legis & Prophetarum diuinis libris audiens, & longe melius esse iudicans non coactè à nolentibus libros consequi, sed donis placare homines, & amicitiam eorum sibi conciliare quo posset optatis potiri; Eo quod intelligeret, id quod coactè fit & non voluntarie datur, dolo persæpe non carere; quod vero sponte & libere exhibetur, omni cum veritate donatur. Eleazaro tum apud Iudæos summo Sacerdoti, plurima dona misit in Templum quod hic extat Hierosolymorum, & sex viros, secundum duodecim Tribus Israël, ad se Interpretes mitti postulauit. Et vt diuinæ legis esse hos libros experientia disceret, & ne ij qui fuerant ad illum missi, mutuo conspirarent, prospiciens in insula Pharo quæ est prope Alexandriam, singulis interpretibus singulas domos distribuit, & vnicuique, vt separatim omnes Scripturas interpretarentur, mandauit. Qui cum in septuaginta duobus diebus negotium id perfecissent, simul omnium interpretationes, ex diuersis domibus prodeuntes, protulerunt. Collatis autem simul, non solum in sensibus, verumetiam in verbis consonas inuenit. Non facundia & apparatu sophismatum humanorum factum id fuerat, sed ex Spiritu sancto diuinarum rerum interpretatio perfecta est. Istorum igitur hos viginti libros lege, cum apocryphis vero nihil habeas negotij: has tantum studiosè meditare Scripturas, quas in Ecclesia confidenter legimus. Multo prudentiores te & religiosiores fuerant Apostoli, & primi Episcopi veritatis duces qui nobis eas tradiderunt. Tu itaque cum sis filius Ecclesiæ, non transgrediaris illius terminos.

E

Sex viri ex Tribubus veteris testa. 72. interpretes erant. Septuaginta interpretes 72. dieb. opus suum confecerunt singuli separatim.

F

Diuina 70. interpretum interpretatio.

DE LIBRIS.

Libri veteris testamenti.

AC veteris Testamenti, vt dictum est, viginti duos meditare libros, quos, si ita cupis, poteris ex me nominatim audire. Legis quidem sunt, primi quinque libri Moysi, Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomion. Deinde vero IESVS Naue, & Liber Iudicum cum Ruth septimus. Reliquorum vero historicorum librorum, primus & secundus Regum, vnus est apud Hebræos liber; vnus etiam, qui nunc dicitur tertius & quartus; similiter quoque & Paralipomenon primus & secundus, apud illos vnus est, & Esdræ primus & secundus, pro vno reputatur. Duodecimus liber est & Esther: & hæc sunt historica. Carmine vero scripta sunt quinque: Iob, & liber Psalmorum, & Prouerbia, & Ecclesiastes, & Cantica Canticorum, septimus & decimus Liber. Postea Prophetici libri quinque: Prophetarum duodecim, vnus liber, & Isaiæ, & Ieremiæ cum Baruch & Threnis & epistola, deinde Ezechiel, & Daniel, viginti duo libri veteris Testamenti.

G

Carmine scripti libri qui sint.

Thema Euangelium.

Noui autem Testamenti, quatuor tantum Euangelia: reliqua autem, falso inscripta & perniciosa sunt: scripserunt enim Manichæi secundùm Thomam Euangelium, quod Euangelico nomine coloratum animas simplicium corrumpit. Suscipe autem & Actus duodecim Apostolorum: Adhæc, septem, Iacobi, Petri, & Ioannis & Iudæ Epistolas Catholicas. Obsignationem vero omnium Discipulorum vltimam, Pauli quatuordecim Epistolas: Reliqua autem omnia in altero loco repone, & quotquot in Ecclesiis leguntur: quæ autem in Ecclesiis non leguntur, eas neque tu legas. De quibus ista sufficiant. Fuge autem omnem diabolicam operationem, & ne patiaris tibi quicquam persuaderi à Dracone apostata qui ex bona substantia spontaneam habuit mutationem, qui persuadere quidem potest volentibus, cogere autem non potest. Tum vero neque astrologis, neque auguriis, neque diuinationibus vllis mentem adhibeas, neque fabulosis idolorum oraculis. Veneficium autem, incantationem, & necromantiæ scelera, ne ad aures quidem admitte. Procul sis ab omni genere intemperantiæ: neque gulosorum, neque luxuriosorum, nec maximè auarorum congregationibus accedas, neque iis qui ethnica speculantur, neque vllis conuentibus eiusmodi, quibus aliquando

H

7. epistolæ Canonicæ. D. Pauli Epistolæ.

Astrologia & diuinatio vitanda.

quando

A quando vacabas. Auerseris & tabernariorum vtilitatem. Ab omni sabbatorum obseruatione abstine, neque commune aliquid in cibis diuersis esse, aut immundum dixeris. Præcipue autem omnia hæreticorum conuenticula oderis. Et omnino animam tuam munias, & stabilias ieiuniis, orationibus, eleemosynis, & diuinorum eloquiorum lectionibus: vt cum temperantia & pia * doctrina, reliquo vitæ tuæ tempore, vnica lauacri salute perfruaris: atque sic conscriptus, à Deo & Patre omnium, in cœlis potiare corona: in CHRISTO IESV Domino nostro: cum quo, gloria Patri cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum, Amen.

*Hæreticorum conuenticula. Ieiuniis & eleemosynis anima munitur. * Constitutionibus laudabilibus*

CATECHESIS QVINTA ILLVMINATORVM *Hierosolymis, ex tempore dicta, de Fide: Et lectio, ex Epistola ad Hebræos;* Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium; in hac enim testificati sunt seniores, *&c.*

Hebr. 11. a.

B

QVantam vobis dignitatem contulerit Dominus, ab ordine Catechumenorum ad Fideles translatis, Paulus Apostolus assistens, dicit: *Fidelis Deus, per quem vocati estis in participationem Filij eius.* Deo, Fidelis nomine, vocato, & tu hanc eandem accipis appellationem, magnamque accipis dignitatem. Quemadmodum enim Deus bonus & iustus vocatur, & omnipotens & opifex vniuersorum, sic & Fidelis. Cogita ergo in quantam proueheris dignitatem, cum diuinæ eris futurus particeps appellationis.

1. Cor. 1. a.

Fidelis cognomen est Dei.

Hic igitur deinceps quærite, vt fidelis inter vos aliquis secundum conscientiam reperiatur: Virum enim fidelem inuenire, hoc opus, hic labor est. Non vt demonstres mihi conscientiam, neque enim ab humano duce iudicandus es, sed vt Deo synceritatem fidei ostendas, qui scrutatur corda & renes, & cognoscit hominum cogitationes. Magnum quiddam est vir fidelis, omnique diuite ditior: Fidelis enim viri est, vniuersus mundus diuitiarum, qui possit contemnere ipsas & conculcare. Nam qui ad apparentiam diuites sunt, multaque possident, in anima pauperes sunt: quanto plura enim congregant, tanto magis eorum quæ desunt concupiscentia tabescunt. Fidelis autem vir, quod est maximè paradoxon, in paupertate diues est. Sciens enim, quod tantum habere necesse est, quibus tegamur, & vescamur, & his contentus, spernit diuitias. Neque vero apud nos tantum, qui sic appellamur, magnum quid fides est, verumetiam omnia quæcumque in Mundo geruntur, & quæ ab his qui sunt extra Ecclesiam peraguntur, in fide consistunt. Fide sunt Leges nuptiales, quæ diuersos in idem copulant: & homo alienus, per eam quæ est in contractibus sponsalitiis fidem, corporum & pecuniarum particeps efficitur. Fide etiam consistit agricultura: nisi enim crederet vsumfructum sese percepturum, non sustineret eos labores. Fideles & hi qui nauigant in Mari, exiguo enim ligno credentes, instabilem fluctuum agitationem sæuissimi elementi, pro terra commutant, & incertæ spei sese exponunt, & omnia ancora tutiorem circumferunt fidem. Per fidem itaque pleraque omnia consistunt humana negotia, idque non tantum apud nos sic creditur, verumetiam apud eos, vt dictum est, qui sunt extra. Quamuis enim non recipiant Scripturas, sed suas quasdam proferant ordinationes, fide etiam illa recipiuntur. Ad fidem veram nos vocat & hodierna Lectio, viamque nobis præparat, quomodo oporteat & nos placere Deo. Quando enim accesserit homo ad seruiendum Deo, non credens, illum futurum remuneratorem? Quomodo continebit puella, & iuuenis sibi temperabit, si non crediderit immarcessibilem esse castitatis coronam? Oculus omnem illuminans conscientiam, est fides, & intelligentiam efficiens: dicit enim Propheta; *Nisi credideritis, non intelligetis.* Obstruit fides ora Leonum, sicut de Daniele scriptura dicit, quod extractus est Da-

C

Vir fidelis magnum quiddam est. Diuites, sunt pauperes in anima.

Fide, omnia in mundo consistunt.

D

Castitatis incorrupta corona Fides intellectum illuminat

Ion 8 c. Dan. 7. g.

E niel ex fouea & nulla læsio apparuit in illo, eo quod crederet Deo suo. Estne quicquam diabolo horribilius? sed aduersus hunc arma alia habemus nulla, nisi fidem. Scutum incorporeum, aduersus hostem inuisibilem. Emittit enim varia tela, & configit in tenebris non vigilantes. Sed cum non apparet hostis, pallium habemus firmum, fidem, quemadmodum Apostolus dicit: *In omnibus assumentes scutum fidei, in quo omnia tela inimici ignea extinguatis.* Ignitum sæpe telum, turpis voluptatis concupiscentia, à diabolo emittitur, sed fides subiiciens menti iudicium, & refrigerans mentem, extinguit telum. Longus adeo est de fide sermo, vt dies illi proferendo non suffecerit. Sufficiet autem nobis nunc ex antiquæ legis figuris solus Abraham, quandoquidem illius facti sumus filij per fidem. Ille *non ex operibus tantum iustificatus est, verumetiam ex fide*, multa perfecta officia fecit. Sed neque prius amicus Dei vocatus est, quam credidisset, & omne opus secundum fidem perfecisset. Reliquit parentes per fidem, deseruit patriam & regionem & domum, per fidem. Quemadmodum igitur ille iustificatus est, & tu iustificeris. Emortuo quoque fuerat corpore ad filiorum procreationem, senex enim erat, & senem quoque habebat vxorem Sarram, nec vlla spes procreationis liberorum illi reliqua fuerat, & tum Deus prolem illi futuram promisit: non deficiens tamen in fide Abraham, & cum emortuum iam corpus suum intelligeret, non corporis imbecillitati sed promittentis potestati animum adiiciens, fidelemque credens eum qui promiserat, emortuum illius corpus, filium procreauit præter omnium opinionem. Et deinceps cum iussus esset offerre filium, quamuis iam audiisset, *In Isaac vocabitur tibi semen*, offerebat filium suum vnigenitum Deo, credens quod à mortuis poterit excitare Deus. Colligans filium suum, & lignis imponens; voluntate quidem immolauit, diuina autem bonitate filium viuum recepit; Agno, ipsi loco filij oblato. Cum adeo fidelis esset, obsignatus est in iustitiam, & circuncisionem recepit, signaculum illius fidei in præputio, accipiens promissionem quod erit pater multarum gentium: quomodo igitur est pater multarum gentium Abraham, videamus; Iudæorum quidem esse illum secundum carnis successionem, patrem, certum est: sed si carnem tantùm spectemus, falsum sit necesse est diuinum Oraculum. Neque enim nostrum omnium est pater secundùm carnem, sed figura illius fidei, omnes nos Abrahæ filios facit. Quemadmodum incredibile est apud homines à mortuis resurgere aliquem, sic etiam credibile non est, ex senibus mortificatis, filios procreari: sed Christo annuntiato quod in ligno crucifixus esset & mortuus & quod resurrexisset, nos credimus. Similitudine igitur fidei, deuenimus in adoptionem Abraham: Et tunc per fidem, similiter vt ille, accepimus spiritale signaculum, Spiritu sancto, per lauacrum baptismi, circumcisi, non corporis præputium sed cordis, secundum Ieremiam dicentem: *Et circumcidetis præputium cordis vestri Deo*, Sicut & Apostolus; *in circumcisione* (inquit) *Christi, consepulti ipsi in baptismate*, & quæ sequuntur.

Ephe. 6. e. *Fidei scutum.*

Iac. 2. d.

F

Gen. 21 b

Fides obsignat iustitiã.

G

Fides Abrahæ nos facit filios.

Ier. 4. a. Col. 2. b

H

Hanc fidem si custodierimus, irreprehensibiles erimus, omnique genere virtutum ornabimur: adeo enim potens est fides, vt eos etiam qui super mare ambulabant, leues efficere potuerit. Homo erat similiter Petrus, ex sanguine & carne compositus, & ex similibus cibis nutritus: sed dicente IESV *veni*, credens ambulauit super aquas, omni fundamento firmiorem super aquas habens fidem, & grauitatem corporis, leuitate fidei attollebat. Sed quandiù quidem credebat, super aquam tutum habuit gressum, cum autem dubitauit, tum submergi cœpit: vacillante enim aliqua ex parte fide, subsidebat simul & corpus. Et conscius huius affectionis eius, ille qui affectus animæ corrigit IESVS, dixit: *Modicæ fidei, vt quid dubitasti?* Et rursus confortatus ab eo qui manum eius apprehendebat, ex quo rursus credidit, manuductus à Domino, illum eundem super aquas gressum recepit. Huius enim nuper meminit Euangelium, dicens, quod *ascendentibus* ipsis *in nauim.* Non enim dixit, quod

Fides graui leues facit Matt. 14 d.

postea

A posteaquam transmisisset, Petrus ascendit nauim: Sed per hoc innuit, quod quantum spatium confecit ad IESVM eundo, tantumdem reuertens ascendit rursus in nauim.

Tantam autem habet virtutem fides, vt non solum ille qui credit saluetur, verumetiam aliis credentibus, alij seruentur. Non erat Fidelis paralyticus ille in Capharnaum: sed qui ferebant illum & per tectum funibus demittebant, illi credebant. Compatitur enim corpori ægroti & animæ. Et ne putes me illum accusare, Euangelium ipsum dixit: *Videns autem* IESVS *fidem*, non illius; sed, *fidem illorum, dixit paralytico, surge.* Illi qui ferebant, credebant, & paralyticus potitus est sanitate. Et vis certius videre, quod aliis credentibus, alij seruentur? Mortuus est Lazarus, præterit vna, altera, & tertia dies, dissoluti sunt nerui illius, & putredo corpus illius occupauit. Quomodo potuit credere mortuus quatriduanus, & pro seipso orare Redemptorem? Sed quod defuit mortuo, hoc per germanas sorores completum est. Veniente enim Domino, procidit soror, & dicenti, *vbi posuistis eum?* respondit illa; *Domine iam fœtet, quatriduanus enim est:* Dicit Dominus; *Si credideris, videbis gloriam Dei:* quasi diceret, quod tu debes huic mortuo reliquum fidei replere. Et tantum potuit illa sororum fides, vt mortuus à porta Inferni reuocaretur. Si alij (pro aliis credendo) potuerunt à mortuis suscitari, tu vero pro teipso syncere credens, nunquid non multo magis tibi commodabis? Quinetiam siue Infidelis sis, siue Fidelis, benignus est Dominus, clementer se offeret tibi pœnitenti. Tantum dic ipse quoque, *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam.* Si autem Fidelis esse videris, nondum tamen perfectionem fidei habes; opus est vt & tu cum Apostolis dicas, *Domine adauge nobis fidem.* Nam apud teipsum aliquid habes, ab illo vero permultum accipis. Nomen fidei vnum quidem est appellatione, dupliciter autem diuiditur. Est enim vnum genus fidei quod habet dogmaticam de aliquo animæ assensionem, & commodat animæ, sicut inquit Dominus: *Qui verba mea audit & credit ei qui me misit, habet vitam æternam & in iudicium non veniet.* Et, *Qui credit, non iudicatur, sed transiatus est à morte ad vitam.* O magnam Dei clementiam! Iusti quidem vix per multos annos probati sunt, quod autem illi per longæ ætatis inuestigationem corrigentes assecuti sunt, hoc nunc IESVS vna hora nobis donat. Si enim credideris, quia Dominus est IESVS CHRISTVS, & quod Deus excitauit ipsum à mortuis, saluaberis, & transfereris in Paradisum. Propterea & Latronem eo introduxit, vt non dubites num id fieri possit. Qui enim Latronem vna hora credentem, in hoc sancto Golgotha seruauit, idem & te credentem seruabit.

Fides qua pro alio creditur, vtilis est illi ad salutem.
Mat. 2. a.
Ioan. 11.
Credente alio alius seruatur.
B
Mar. 9. d.
Luc. 17. a
Fidei duo genera. Fides dogmatica.
C
Ioan. 5. d
1. Ioan. 15
Luc. 23.

Alterum autem genus fidei est, quod ex parte gratiæ, à Domino donatur. *Alij enim per Spiritum datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, secundum eundem spiritum; alij vero fides in eodem spiritu, alij autem gratia curationum.* Hæc igitur secundum gratiam donata fides ex Spiritu, non modo est dogmatica, verum etiam super humanas vires effectiua. Qui enim habet hanc fidem, *dicit monti huic, transi hinc, illuc, & transit.* Quando namque per fidem dicit hoc aliquis credens quod fit, & non ambigit in corde suo, tunc accipit hanc gratiam. Et de hac fide dicitur, *Si habueritis fidem sicut granum sinapis;* quod quidem minusculum est magnitudine, ardentius tamen vigore, & in exiguo loco seminatum, magnos continet ramos, tanquam quod & in alta augeri possit, & humilia cooperiri: Sic & fides in anima, celerrimo actu, maxima perficit. De Deo enim speculatur, Deum intuetur: ita vt qui meretur fide illuminari, & Mundi terminos circuit, & ante Mundi huius consummationem, iudicium iam videt & promissionum retributionem. Habeas itaque fidem in illum, vt deinceps eam accipias ab illo, quæ super humanas vires operatur: Fidem vero si didiceris, & promissionem possidebis: & obserua illam à sola Ecclesia tibi nunc traditam, & ex omni Scriptura munitam. Cum enim non omnes possint Scripturas le-

1. Cor. 12. a.
D
Matt. 17.
Mar. 4. c.
Fides Ecclesiæ sola seruanda.

E gere, & alios quidem inscitia, alios vero occupatio quædam impedit à cognitione: ne ob inscitiam animam perdas. In paucis versibus, vniuersam fidei doctrinam comprehendimus, quod in ipsa Lectione meminisse vos volo & apud vos ipsos studiosè recolere, non in chartas inscribendo, sed in corde memoriam insculpendo, & in meditatione custodiendo, necubi Catechumenus ea quæ vobis tradita sunt, exaudiat. Habere autem hanc doctrinam tanquam viaticum, omni tempore vitæ, & præter hanc aliam non suscipere decet: Nec si nos ipsi mutati, contrarium his quæ docemus nunc astruamus, neque si Angelus contrarius in Angelum lucis transmutatus, seducere te voluerit. Nam *etiamsi Angelus de Cœlis aliud Euangelizauerit vobis præter id quod accepistis, anathema sit:* Et vsque ad hanc quidem dictionem audiens, memineris fidei. Excerpe autem tempore opportuno ex sacris Scripturis, quæ est insita illis, probationem. Non enim, vt videtur, ab hominibus compositæ sunt res fidei, sed ex omni Scriptura, quæ sunt potissima vnam teplent fidei doctrinam. Et quemadmodum semen sinapis, in paruo grano multos continet ramos: sic & fides, in paucis verbis omnem tam veteris quam noui Testamenti pietatis cognitionem inuoluit. Videte itaque, Fratres, vt seruetis traditiones quas nunc accepistis, & in latitudine cordis eas describite, & cum pietate illas custodiatis, nequando vacillantes aliquos inimicus dissoluat, ne quis hæreticus ex his quæ tradita sunt aliquid euertat. Fides quidem est; proiicere argentum super mensam: Deus autem à vobis reposcet depositos sermones. Contestor, vt inquit Paulus, in conspectu Dei viuificantis omnia, & CHRISTI IESV qui professus est sub Pontio Pilato bonam confessionem, vt hanc traditam vobis custodiatis, fidem intemeratam, vsque ad aduentum Domini nostri IESV CHRISTI. Thesaurus vitæ nunc tibi traditus est, quem posteaquam apparuerit Dominus, tanquam depositum requiret, & temporibus opportunis illum ostendet beatus & solus potens rex regum & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, lucem inhabitans inaccessibilem. Quem nemo hominum vnquam vidit, neque videre potest. Cui gloria, honor, & fortitudo cum Spiritu sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Gal. 1. b.
Scriptura potissima capita replent fidei doctrinam.
F
Traditiones seruandæ ne euertantur ab hæreticis.
G

CATECHESIS SEXTA, ILLVMINATORVM Hierosolymis, extemporanea: De Monarchia Dei; In, Credo in Deum: & de hæresibus. & lectio ex Isaia, Renouantur ad me Insulæ Israël, & saluabit eas per Dominum salute æterna, &c.

BEnedictus Deus, & pater Domini nostri IESV CHRISTI. Et benedictus eius vnigenitus Filius: simul vt enim intelligitur Deus, intelligitur & pater, vt indiuisa Patris & Filij gloria perficiatur: Non enim aliam Pater gloriam, & aliam Filius habet; sed vnam & eandem. Quandoquidem Patris est Filius vnigenitus: & cùm Pater glorificatur, simul & Filius gloria fruitur. Gloria enim *Filij ex honore patris ipsius:* Ac rursus, glorificato Filio; & Pater magnificè honoratur. Et mens quidem celeriter intelligit; lingua vero verbis indiget, & longa enarratione eorum qui intercedunt sermonum. Simul quidem & statim oculus astrorum ordinem comprehendit latissimum, sed cùm de singulis velit aliquis disserere, quid sit Lucifer, quid Hesperus, quid vnumquodque Sydus, multis indiget verbis. Sic & terram & mare & omnes totius Mundi oras, in momento celerrimo mens comprehendit: sed quod statim fit in mente; hoc multis verbis vix differitur. Magnum autem & verborum est argumentum: dicimus enim, non quæcunque oportet de Deo (soli enim illi, hæc nota sunt) sed quæ capere potest humana natura, & quanta nostra infirmitas potest sufferre. Neque enim quid sit Deus exponimus, sed vt quod exactè de ipso nescimus, ingenuè profiteamur:

Patris & Filij gloria indiuisa.
H
Proprietates Dei eloqui nō licet.

A

Scientia in diuinis maxima, ignorantiam fateri.

fiteamur: Nam in his quæ de Deo dicuntur; hæc maxima est scientia, ignorantiam fateri. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum*, idque coniunctim omnes: vnus enim nequaquam poterit. Imò vero etiamsi omnes congregemur, non tamen ita vt æquum esset, fecerimus; non modo vos qui hic adestis, verum etiam si totius Ecclesiæ Catholicæ & præsentis & futuræ, omnes gentes & ore conueniant, Pastorem suum secundum dignitatem celebrare non poterint. Magnus erat Abraham & honorandus, sed magnus respectu hominum: cum autem ad Deum respexit, tunc inquit, ingenuè confitens, *Ego sum terra & cinis.* Non dixit, *terra*, & tacuit, ne seipsum magnum elementum terram appellare videretur: sed addit, cinerem se esse, vt vilitatem, fragilitatem, & imbecillitatem suam ostenderet. Estne autem quidquam cinere leuius, aut exilius? Accipe (inquit) comparationem cineris ad domum, & domus ad ciuitatem, & ciuitatis ad prouinciam;

B

Prouinciæ ad Romanorum Imperium, & Imperij Romanorum ad vniuersam terram & omnes terminos, rursus terræ totius, ad circumdans illam Cœlum: Cuius tanta est comparatio ad Cœlum, quantum est punctum circuli ad totam circumferentiam, tanta enim est Cœli ad terram comparatio. Et primum Cœlum hoc quod apparet, minus esse intelligas secundo, & secundum, tertio. Huc vsque enim eos nominauit Scriptura, non quod tot tantum sint, sed quod tot nobis cognoscere confert. Et cum animo cœlos omnes perspicis, neque tamen Cœli celebrare Deum, ita vt est, potetunt, etiamsi tonitrua habeant sonantissima. Si ergo tanta Cœlorum magnitudo Deum pro dignitate laudare non potest, quomodo tandem cinis vilissimus & minimus, dignas laudes Deo poterit tribuere? Qui continet Orbem terræ & illius habitatores, tanquam locustas in ipsa. Si quis audet de Deo dicere, primum enarret terminos terræ. Terram inhabitas, & finem terræ ignoras, quomodo Conditorem eius commodè poteris cognoscere?

Deus pro dignitate nequit laudari.

C

Cernis stellas, factorem vero illarum non cernis. Numera prius ea quæ vides, & tunc illum qui non apparet, enarra: eum qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus illis nomina vocat. Stillæ pluuiarum nuper copiosius influentes, parum abest quin perdidissent nos. Numera mihi huius tantum Ciuitatis guttas: non dico Ciuitatis, sed numera tantum (si potes) quæ vnius horæ spatio super domum tuam deciderunt. Sed cum sit impossibile, agnosce tuam imbecillitatem, & vel ex eo cognosce Dei potentiam. Numerantur enim ab ipso guttæ pluuiæ per vniuersam terram, non modo quæ nunc cadunt, sed quæ vnquam ceciderunt. Creatura est Dei Sol, & magnus quidem, sed minimus tamen respectu totius Cœli. Attente prius aspicias Solem, & tunc Dominum curiosè scrutare. *Altiora te, ne quæsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris:* vetatur tibi hæc cogitatio. Sed dixerit aliquis: Si incomprehensibilis est diuina substantia, & cur tu de his disseris? Nunquid igitur, quia totum fluuium ebibere nequeo, id quod mihi commodum est, sub mensura non hauriam?

Dei substantia incomprehensibilis. Psal.150. 1.Ioan.6.

D

Nunquid cum Solem oculis comprehendere nequeam, etiam lucis illius vsum, quantum sufficit, non aspiciam? Et si in hortum magnum ingressus fuero, & omne genus fructuum comedere non potero? visne, vt omnino esuriens inde exeam? Laudo & glorifico factorem nostrum: Mandatum enim Dei est, quod dicit: *Omnis spiritus laudet Dominum.* Et non dicit, vt enarret quid sit, aut quomodo sese habeat in sua essentia: Sed neque id nunc enarrandum aggredior, sciens, quod in laudando, dignitati illius non satis fecero. Opus autem pietatis existimans, & si id ratione in vniuersum liceat, aggrediar. Admonet igitur nos infirmitatis nostræ Dominus, dicens; *Deum nemo vidit vnquam.* Quid igitur? dicat aliquis: nonne scriptum est, *Quod Angeli paruulorum semper vident faciem Patris qui in Cœlis est*, * Vident sanè Angeli, sed non ita vt est, sed secundum quod est, & ipsi capiunt. Ipse enim IESVS dicit, quod Patrem *nemo vidit nisi qui est de Cœlo, hic vidit Patrem*, Vident Angeli, ita vt capiunt, & Archangeli, ita vt possunt; Throni vero & Dominationes; plus quidem quam illi, sed minus tamen quam pro Dei benignitate. Solus autem Spiritus sanctus, ita vt oportet, videt; ille enim scrutatur omnia, *etiam profunda Dei:* Et vnigenitus Dei Filius, ita vt oportet, etiam cognoscit. Neque enim Patrem quisquam cognoscit, nisi Filius: & cui is reuelauerit, videt quantum oportet, & enarrat per Spiritum secundum quod vnusquisque capit Deum. Quoniam deitatis paternæ est particeps Filius tanquam vnigenitus. Genitor videt Filium, & Genitus videt Gignentem. Angelis igitur ignorantibus eum, secundum propriam virtutem, vnicuique reuelat per Spiritum sanctum Vnigenitus ita vt diximus. Nemo hominum erubescat ignorantiam confiteri: Loquor nunc ego, & omnes suis temporibus, quomodo autem loquamur dicere nequimus, eum autem qui nobis dedit sermonem, quomodo eloqui poterimus? Animam ego habeo, cuius cum facultates enarrare non possim, quomodo datorem animæ enarrare potero?

*1.Ioan.6. Matt.18. * Vident quidem Angeli Deum clare sicuti est,*

E

sed non cognitione comprehensiua, quia solus Deus se ipsum cognoscit. Vide S. Tho.p.1. q.12.art.1.ad 1.& Sixtum Senensem li.6.Bibl. an.182. 1.Cor.2.c.

F

Sufficiens nobis ad pietatem erit hoc solum scire, quod Deum habemus: Deum vnum, Deum existentem, & semper existentem, sibi perpetuo similem: cui Pater non est alius, quo nullus potentior, quem nullus successor eiicier è regno, qui multorum nominum est & omnipotens & substantiæ eiusdem speciei. Neque enim eo quod vocabatur bonus & iustus, & omnipotens, & Sabaoth propterea differens, est; vel aliàs alius existens, sed ipse vnus existens millenas emittit diuinitatis operationes. Non in parte abundans, & in parte deficiens, sed in omnibus similis est sibi: non tantum in benignitate magnus, & paruus in sapientia, sed æqualem habens sapientiæ clementiam. Non ex parte videns, ex parte autem visione priuatus, sed totus oculus, totus auditus, & totus mens: Non sicut nos; ex parte cognoscens, ex parte ignorans. Alioquin si secus diceret, blasphemus esset sermo, & diuinæ substantiæ indignus. Prouisor est existentium, & sanctus, & omnium optimus, & omnium maximus, & omnium sapientissimus; cuius neque formam, neque speciem eloqui poterimus.

Hæc sunt verba Irenæi li.2.c.16 Deus totus mens totus oculus, totus auditus.

G

Neque enim vocem ipsius vnquam audistis, neque speciem eius vidistis; dicit Scriptura. Itaque ad Israëlitas, inquit Moyses: *Et valde cauete animis vestris, quod similitudinem non videtis:* Si enim omnino similitudinem eius esset possibile imaginari, propinqua esset intelligentia illius substantiæ. Multi multa imaginati sunt, & omnes male opinabantur. Nam alij quidem ignem esse putarunt Deum, alij vero alatum tanquam hominem, eo quod scriptum sit bene sed intellectum malè, *Sub vmbra alarum tuarum proteges me.* Obliuiscebantur enim Domini nostri IESV CHRISTI vnigeniti Dei, qui etiam de seipso similiter dicebat ad Ierusalem: *quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina sub alas congregat pullos suos, & noluisti.* Præsidiaria enim facultate illius, per alas significata, isti non intelligentes, sed humano more accipiebant id quod est inenarrabile. Nonnulli quoque septem oculos illum habere ausi sunt dicere, eo quod scriptum sit, *Septem oculi Domini, respicientes super omnem terram.*

Ioan.5.37. Deut.4.15. Similitudo Dei perfecta, imaginari aut videri non potest. Opiniones falsæ de Deo corporeo. Psal.15.a. Matt.23.

H

Si enim solos septem oculos ex parte habet, particularis igitur est illius visus & non vniuersalis, quod nefas est dicere. Deum enim in omnibus perfectum esse, credere necesse est, vt ipse Saluator dicebat, *Pater vester cœlestis perfectus est.* Perfectus in videndo, perfectus in potentia, perfectus in magnitudine, perfectus in scientia, perfectus in bonitate, perfectus in iustitia, perfectus in benignitate, non loco circumscriptus, sed in omnibus locis existens, à nullo tamen comprehensus. Sedes ipsi Cœlum, sed illud tamen excellit sedens: scabellum pedum eius, terra, sed virtus illius ad subterraneos etiam permanat. Vnus est vbique præsens, omnia videns, omnia intelligens, omnia per Christum extruens. Fons omnis boni maximus, & indeficiens, Flumen beneficiorum, lumen assidue coruscans, potestas insuperabilis, imbecillitatibus nostris collata, cuius neque nomen audire sustinemus. *Aut vestigium Domini* (inquit Iob) *inuenias, aut in extrema peruenias quæ fecit Omnipotens.* Si extrema factorum

Zach.4.10.

Matt.5. Deus nusquam & vbique.

Iob.11. 1.Cor.2. b.12.b.

A factorum eius non capitis, quomodo ipsum capietis? *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauerit Deus diligentibus se.* Si ea quæ præparauit Deus, mente nostra comprehendi non possunt; nunquid ipsum qui præparat, animo comprehendere poterimus? *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius*, inquit Apostolus. (Rom. 11. d.) Si iudicia & viæ eius incomprehensibiles sunt, num ipse comprehendetur? Cum itaque tantus sit Deus, imò longe maior: nec enim si me totum in linguam mutauero, satis digne magnitudinem eius eloqui potero, imò vero si omnes Angeli conuenerint, ita vt æquum est, id eloqui non possent: tantus igitur cum sit Deus, homo tamen exsculpens lapidem, lapidi dixit, *Deus meus es tu!* O magnam cæcitatem, à tanta magnitudine, in tantam exilitatem delabi! (Hier. 2. f.) Lignum quod Deus plantauit, & pluuia humectauit, & deinde combustum est, & in cinerem per ignem redactum, hoc Deus appellabitur. B Abundauit autem adeo fornicatio idololatriæ, vt Feles & Lupos, & canes pro Deo adorauerint. (*Fornicatio idololatria.*) Et Leo hominum vorator, pro Deo humanissimo adorabatur, Serpens & draco, æmuli eius qui nos ex paradiso eiecit, adorantur: & qui paradisum plantauit, contemnebatur! (Psal. 10.) Putet me dicere, & Cæpe enim apud quosdam adorabatur. (*Vini vsus hilaritas.* Genes. 1.) Vinum datum est, *vt exhilaret cor hominis*, & Bacchus pro Deo celebratur! Frumentum Deus fecit cum diceret, *Producat terra herbas graminis quod seminet semen secundum genus, vt panis, cor hominis confirmet:* vnde igitur est quod Ceres colitur? Ignis ex lapidum collisione etiam hodie elicitur, & vnde Vulcanus ignis factor? Vnde multitudo Deorum Græcos errare facit? Incorporeus est Deus, & vnde adulteria arguuntur eorum qui apud ipsos dij vocantur? Taceo Iouis in Cygnum mutationes. Pudet dicere illius in bouem transformationes, non decent enim Deum mugitus. Mœchus apud Græcos Deus esse dicitur, & non verentur! (*Mœchus Gentilium Deus Iupiter.*) Si enim adulter est Deus, non dicatur id mortalibus, ne desciscant & aspernentur istos quos dicitis Deos. C Et mortes, defectionesque & tonitrua vocarunt Deos. Cernis ex quanta magnitudine quo deciderint? Quid igitur, num frustra Filius Dei descendit de Cœlis, vt tantum vulnus sanaret? nunquid sine causa venit Filius, vt Pater agnosceretur? Cognoscis quid mouerit à dextra throni descendere Vnigenitum: Pater spernebatur, erat ergo necesse vt Filius corrigeret errorem: oportebat, vt is per quem omnia facta sunt, deduceret omnia ad emendationem. (*Filius Dei cur descendit in terras.*) Quid enim hoc morbo fuerat perniciosius, quam si lapis pro Deo coleretur? Neque vero apud Ethnicos tantum inuexerat ista diabolus, sed iam etiam multi falso dicti Christiani, faustissimoque Christi nomine infauste abutentes, audebant impiè Deum à suis creaturis abalienare. (*Athei, Hæreticorum filij. Deitas, idē quod bonitas.*) Dico autem istos hæreticorum liberos atheos detestabiles, qui simulabant se esse Christi studiosos & amatores, cum essent illius acerrimi osores. Qui enim Patrem Christi infamat; hostis est Christi. Ausi sunt isti dicere, duas esse deitates, vnam quidem bonam, alteram vero malam. D O ingentem cæcitatem! Si est Deitas, omnino est bona, cur vocatur deitas; quandoquidem Dei est bonitas? Si Deo congruit benignitas, beneficentia, & omnipotentia, è duobus alterum sit: (*Deos esse duos, impossibile.*) Si Deum nomine vocabant, & operatione vocent: si priuabitur operationibus, nec Deum vocent sola appellatione. Ausi sunt hæretici dicere, duos esse Deos, & duos fontes, alterum boni, alterum mali, & eos ingenitos. Si ambo ingeniti, certum est omnino quod æquales habeant vtrique vires. Quomodo igitur tollunt tenebræ lumen? Sed quid tandem? simulne sunt, an separatim? Simul enim esse non possunt? quæ enim *communicatio lucis cum tenebris?* dicit Apostolus. (1. Cor. 6. c.) Sin autem procul sunt ab inuicem, omnino & locos proprios habent: Omnino, alicubi, & vnum adorabimus: Sic enim comparare oportet, vt ex eorum stultitia, quod vnum adorare necesse est, inferamus. Quæramus autem ex illis, qui dicunt de bono Deo: potens est, an impotens? Si quidem potens; & quomodo ipso inuito

E factus est malus? quomodo ingressa est mala substantia ipso nolente? Si enim sciens prohibere non potuit, arguunt illum impotentiæ: si autem cum posset, non prohibuit; proditionis eum accusant. Considera autem istorum stupiditatem: aliquando enim dicunt, malum nihil habere commune cum bono in Mundi administratione & opificio. Aliquando vero dicunt, illum quartam tantum partem habere. Et bonum sane, aiunt Patrem esse Christi; Christum autem, Solem hunc vocant. Si itaque Mundus (vt ipsi docent) à malo factus est, & Sol est in Mundo: quomodo filius Boni in regno Mali inuitus seruit? (*Hæreses vt vitari possint noscenda.*) Polluimur ista dicentes: ne autem aliquis eorum qui adsunt, ex ignorantia in sordes eiusmodi hæreticorum incidat; etiamsi & os meum, & auditorum aures polluam, tamen id confert: Multo enim melius est, accusandis & reprehendendis aliis audire absurda, quam ex inscitia, in eadem incidere. Longe melius est, vt sordes cognoscas, & oderis, quam ignorans, in easdem incidas. (*Simon Magus* F *author omnium hæreseon.* Act. 8. d.) Est autem varia & multiplex hæreticorum doctrina: cum enim à via rectitudinis exciderint, tunc in multa præcipitia incidunt. Et omnis hæreseos author & inuentor est Simon Magus: Simon, qui (vt est in Actis Apostolorum,) inæstimabilem Spiritus gratiam argento se comparare posse existimans, audiuit, *Non sit tibi pars neque hæreditas in sermone hoc*, & quæ sequuntur: de quo scriptum est; *quod ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; si enim essent ex nobis permansissent nobiscum.* Hic autem cum esset Romæ, posteaquam ab Apostolis reiectus est, & Græcam Selinen quandam meretricem circunducens, (*Selina, Simonis Magi meretrix. Simon Magus, trinum se Deū esse profitetur.*) ore nefando primus ausus est dicere seipsum esse Deum, qui in monte Sina tanquam pater apparuit: ac deinde apud Iudæos non in carne sed in imagine tanquam CHRISTVS IESVS visus est; atque postea tanquam Spiritum sanctum à Christo mittendum, se esse promissum. Et ita seduxerat ciuitatem Romanam, vt Claudius illi statuam erexerit cum ea inscriptione in lingua Romana: Simoni Deo sancto. G Dilatato autem errore, par amicorum bonorum, illam calamitatem correxit; Petrus & Paulus cum essent præsides Ecclesiæ, & ostentantem sese istum Simonem, statim extinxit. (*Simoni Mago Claudius statuam erexit. Petrus & Paulus Ecclesiæ præsides.*) Cum enim prædicaret Simon in Cœlos sese ascensurum, & vehiculo dæmonum in aërem esset sublatus, flexis genibus, Serui Dei, & concordiam ostendentes, de qua dixit IESVS, *quod si duo ex vobis concordauerint, de quacunque re, quam petierint fiet ipsis:* (Matt. 19. c.) Concordiæ hoc telum, per orationem emittentes in Magum, deiecerunt illum in terram. (*Petrus & Paulus Simonem oratione prostrauerunt.*) Nec mirum est, Petrus enim erat, qui claues regni Cœlorum portabat. (*Petrus claniger Cœli.*) Non est mirandum: Paulus enim erat qui in tertium Cœlum raptus fuerat & in paradisum, & audiuerat *arcana verba quæ non licet homini loqui.* (1. Cor. 12. b.) Ex aëre in terram depresserunt eum qui se appellabat Deum, deinceps ad Inferos detrudendum. Hic primus istius improbitatis Draco. Vno autem præciso capite, multorum rursus capitum reperitur Lerna malorum. (*Cherinthus.*) Cherinthus enim vastauit Ecclesiam, & Menander & Carpocrates, Ebion, & Marcion, os impurum. H Qui enim diuersos esse Deos prædicat, alterum bonum, & alterum iustum: contradicit Christo dicenti, *Pater iuste.* Et rursus, qui alium Patrem, & alium factorem Mundi dicit, aduersatur Filio dicenti: *Aspice fœnum agri, quod hodie est & cras in clibanum mittetur, quod Deus sic vestit:* (Matt. 6. d.) Et, *qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.* (Matt. 5. g.) Sic rursus secundus, Marcion, alterius & improbitatis author fuit: (*Marcion.*) ab his enim quæ posita sunt de veteri Lege in nouo Testamento, testimoniis redargutus, primus ausus est excindere testimonia, & sine testimoniis relinquere eum qui annuntiabatur, fidei sermonem. Relinquens Deum, & tanquam præconibus, imbecillem volebat efficere Ecclesiæ fidem. Excepit id alius studiosè, Basilides execrandus, longe acerbissime eum improbitatis modum annuntians. (*Basilides. Valentinus, 30. deorum, præco.*) Accedebat illi nequitiæ Valentinus, triginta deorum prædicator. Græci paucos dicunt, & iste nomine potius quam re Christianus,

A stianus, in solos triginta extendit errorem. Et dicebat quod profunditas (Decet enim ipsum qui erat profunditas malitiæ, à profunditate suam auspicari doctrinam) genuit Silentium & ex Silentio procreat Sermonem: Ione Græcorum hic deterior, qui cum sororem habebat, filia enim Profunditatis dicebatur esse Silentium. Cernis à qua specie Christianismi deciderit? Sed expectas paululum, & plus oderis impietatem. Dicit enim octo sæcula in eo facta esse: & ex his, decem, & rursus ex istis alia decem; duos masculos & fœminas.

Valentini nugæ. *Luc. 4.*

Vnde autem istorum constitutio? Aspice nugas & deliria commentorum. Vnde habes probationem horum triginta sæculorum? Cum, inquit, scriptum sit, quod IESVS *baptizatus sit tanquam annorum triginta.* Et qualis est hæc demonstratio, ex annis triginta, quod baptizatus sit? Nunquid igitur, quia quinque panes diuisit in quinque millia, quinque sunt dij? Quia duodecim

B habuit Discipulos, duodecim debent esse dij? Atque hoc quidem parum est, ad reliquam eius impietatem. Dicit enim, vltima Deorum vtrumque sexum habens (vt audet dicere) ipsa est Sapientia. O impietatem! Christus Dei virtus, & Dei sapientia, vnigenitus filius; illene etiam est mulier? illene ex triginta elementaribus diis? & vltimum commentum infert, comprehendirque ratione Dei sapientiam, inquit, quod conata est Sapientia primum Deum videre, & non ferens splendores, excidit è Cœlis, & deleta est ex trigesimo numero, & ingemiscens genuit diabolum, & quod deplorans casum suum,

Valentini blasphemia.

Mare constituit. Vides impietatem? Quomodo enim ex lachryma, diabolus generaretur; & ex intellectu, malitia, & ex lumine, tenebræ? Dicit præterea quod diabolus genuisset alios, ex quibus, nonnulli composuerunt Mundum: & quod Christus venisset vt auerteret homines à Creatore Mundi. Audi vero quem dicunt esse Christum; vt tanto magis oderis illos.

C Docent enim, quod cum Sapientia decidisset; ne numerus illorum triginta deficeret, viginti octo Eones, vnusquisque minimum quid afferens composuerunt Christum. Hunc quoque, rursus, vtrumque sexum habere dicunt. Nunquid his quicquam est magis impium? estne his quicquam abiectius? Ego dissero tibi & enarro hunc errorem; vt authores eius tanto magis oderis. Fuge itaque eiusmodi impietatem, neque aue dixeris tali; ne communices operibus infructuosis tenebrarum, neve sis curiosus, nec in sermones illorum deuenire velis. Ac omnes quidem oderis hæreticos, maximè autem illum qui à Mania seu insania nomen habet: Manichæum dico, qui primum tempore probi cœpit. Nam ante annos septuaginta, hic error viguit, & non desunt qui Autorem illius, suis oculis conspexerant. Non ideo tamen quod paulo ante fuerit, illum oderis, sed vt malitiæ fabricatorem, & totius fœditatis receptaculum, & omnes hæreseos sordes suscipientem.

In hæreticorum sermones deuenire, non est optandũ. *Heretici odio habendi.* *Manetis heretici historia.*

D Ambiens enim in malis excellere, omnia congerens pessima; vnam hæresim blasphemiis & sceleribus refertam conflauit. Vastat Ecclesiam, vel potius eos qui erant in Ecclesia, tanquam leo obambulans. Tu igitur non attendas illius suauiloquentiæ; neque simulatæ humilitati: Serpens enim est, & germen viperarum; Et Iudas dixerat; *salue Rabbi:* & tamen prodidit Magistrum: Non aduertas osculis, sed obserua venenum. Ac ne falsa videamur opinari de illo, obiter considerabimus; quis fuerit iste Manes; quin etiam, aliqua ex parte, quid docuerit attingemus; nam vniuersas illius sordes, nec toto sæculo satis explicauerimus. Memineris autem hæc apud teipsum, & teneas memoria in auxilium opportunum, quæ antea dicta sunt & nunc quoque dicentur; vt & ignorantes discant & scientes recordentur. Non est ex Christianis Manes. Absit. Neque sicut Simon eiectus ex Ecclesia; nec ipse, nec illi priores eius erroris Magistri. Ille enim fur est alienorum malorum, vendicans sibi mala: quomodo autem & qua ratione, audite:

Matt. 26. c. *Manes ex Gentibus.*

E Scythianus quidam erat in Ægypto, genere Sarracenus, nihil cum Christianismo habens commune. Hic Alexandriæ habitans; & Aristotelicam vitam imitatus, quatuor libros composuit: Vnum, quem appellauit Euangelium, non quod actiones eius contineret, sed solam appellationem: Alterum vocauit, Capitum, Tertium, Mysteriorum; Quartum vero quem nunc circumferunt, Thesaurorum: Discipulus autem illius erat Therebinthus. Cum vero Scythianus, ex proposito venisset in Iudæam vt pestilenti contagione afficeret illam regionem morbo, extincto illo, Dominus sedauit pestilentiam. Sed Therebintus improbitatis illius discipulus; & auri, & librorum, & hæreseos factus hæres; cum adesset in Palæstina, & in Iudæa notus esset & exclusus, statuit in Persidem transire. Deinde, ne ex nomine etiam illic cognosceretur; Buddam seipsum vocauit. Verum habuit illic aduersarios Sacerdotes Solis; & multis sermonibus concertationibusque commotis, redarguebatur.

Scythianus primus author Manichæorũ erroris. *Therebintus, Scythiani Manichæi discipulus.* *Buddas Manichæus.*

F Ad extremum, cum esset comprehendendus, profugit ad quandam viduam: Deinde super domum ascendens, & aduocans aëreos dæmones quos Manichæi in abominandis suis sacris ad hunc vsque diem inuocare solent, diuinitus percussus & de domo prostratus extinctus est. Atque sic excisa est altera bestia; sed relicta sunt monumenta impietatis illius, Libri quorum illa vidua hæres erat simulque pecuniarum. Quæ cum neque cognatum, neque amicum haberet vllum, constituit pro illis pecuniis seruum emere aliquem, Curbicum nomine quem postea adoptauit & Persicis disciplinis erudiendum curauit. Exacuit autem secundum humanitatis malum telum Curbicus ille malus seruus, & in semiphilosophum euasit: & mortua vidua, & pecuniæ & libri, hæreditate illi cesserunt. Deinde, ne seruitutis nomen Curbici, illi contumeliosum esset, pro Curbico, Manem seipsum appellauit, quod lingua Persarum, Homeliam significat. Cum enim dialecticus quibusdam esse

Dæmones inuocant Manichæi. *Curbicus Manem se appellat, & cur.*

G videretur, Manem seipsum nominauit, tanquam optimum aliquem disputatorem. At ille quidem bonam existimationem sibi in lingua Persica hoc nomine parabat, sed diuina administratione factum est, vt nolens, ex eo seipsum argueret: vt in Perside seipsum honorare existimans apud Græcos, insaniæ nomine sese appellaret. Audebat autem dicere seipsum esse Paracletum. Est vero scriptum; *qui blasphemauerit Spiritum sanctum, non remittetur ei.* Hic autem, cum se Spiritum sanctum esse diceret; blasphemabat illum. Qui ergo cum illis communicat: videat cum quibus versatur. Commouit seruus vniuersam terram; quandoquidem propter tria contremiscit terra, & quartum non potest sufferre, *si seruus regnet.* Prodiens porro in medium, supra vires humanas sese iactabat: cum enim ægrotasset Regis Persarum filius, & medicorum turba illi adesset; Manes promittebat, per orationem, tanquam pius, sese illum curaturum. Recesserunt medici, recessit & vita à filio

Manes, paracletum se vocabat.

H Regis, virique illius impietas redarguta est, & vinctus erat in custodia Philosophus: non quod Regem veritate offendisset, prostratus, neque quod idola dissolueret, sed quod sanare promitteret & mentitus esset: Imò vt verius dicam, propter homicidium. Qui enim per medicorum curam potuisset sanari, iste medicos remouens, illum occidit, enecans negligentia. Cum ergo plurima mihi de illo dicenda sint mala, memineris prius illius blasphemiæ; deinde seruitutis: non quod turpis sit seruitus, sed quod cum seruus esset, libertatem effinxerit malam. Tertium, falsitatem promissionis, quartum, filij regis cædem; quintum, turpitudinem carceris, tum vero ex carcere fugam, qui enim dicebat se esse Paracletum & veritatis propugnatorem, fugit: Non erat successor vel imitator Christi qui alacriter veniebat in Crucem, sed fugiendo, contrarius illi fuerat. Deinde Rex Persarum necari iussit custodes carceris. Causa mortis regij pueri Manes per suam superbiam fuerat, causa quoque mortis Custodum erat per fugam. Qui ergo mortis est causa; istene adorati

A

adorari debet? Nonne oportuit IESVM imitari, qui dicebat; *si me quæritis, sinite hos abire?* nonne oportebat cum Iona dicere; *tollite me & proiicite in Mare, propter me enim tempestas ista?* Fugit Manes de carcere, & venit in Mesopotamiam. Sed occurrit illi scutum iustitiæ Archelaus Episcopus: * Græcum auditorium constituens, etiam Philosophis iudicibus eum redarguit; ne si Christiani iudicarent, ad gratiam aliquid iudicasse viderentur. Dixit ergo Archelaus ad Manem: quod prædicas, narra. Ille vero os habens tanquam sepulchrum apertum à blasphemia; à Creatore primum incipit, dicens, quod veteris Testamenti Deus ignem seipsum dicit: cuius erit filius ille qui dicit, *Ignem volo mittere in terram?* Si oderis eum, qui dicit; *Dominus mortificat & viuificat*, quare honoras Petrum qui Tabitham quidem suscitauit, Saphiram autem mortificauit? Si oderis eum, quod etiam mortem parauerit, quare non oderis eum qui dicit: *Ite in ignem æternum?* Si odisti dicentem; *Ego Deus faciens pacem & creans mala*; perquire quid dicat IESVS, *non veni mittere pacem super terram sed gladium.* Amborum sunt æqualia dicta: ergo è duobus alterum sit necesse est: Aut vterque bonus, per eandem locutionem, aut si irreprehensibilis IESVS hæc dicens, quare vituperas eum qui in Lege veteri similia dicebat? Postea Manes, & qualis Deus qui obcæcat? Paulus enim dicit; *In quibus Deus sæculi huius obcæcauit mentes infidelium, vt non splendeat illis nomen Euangelij.* Archelaus vero optimè refellens: Lege (inquit) quod præcedit paululum; *si vero est obscurum Euangelium nostrum, in perditis est obscurum.* Vides quod in perditis obscuratur? Non sunt enim Sancta danda *canibus.* Nunquid autem solus veteris Testamenti Deus obcæcauit cogitationes Infidelium? IESVS autem ipse nonne dixit, *propterea in parabolis loquor, vt videntes non videant?* Non quod odisset illos; volebat ne viderent, sed propter indignitatem, quod oculos suos ipsi obstruxissent.

** Mesopotamia videlicet: qui & disputationis suæ istius quam habuit aduersus Manichæum de Perside exeuntem, librum sermone Syro scripsit, qui*

B

& Græcus factus habetur à multis. Hieron. in catha loge Scriptor. Ecclesiast. Archelaus Episcopus primum redarguit Manem

Deut. 4. 24.

Luc. 12. 49.

1. Reg. 2. 6.

C

Act. 5. & 9.

Mat. c. 25.

Isa. 45. 7.

Matt. 10. 34.

2. Cor. 4. 4.

2. Cor. 4. 3.

Euangelium, perditis obscurum.

Matt. 7. 6.

Matt. 13. 13.

Ibid.

Excæcare quomodo Deus dicatur.

Vbi enim spontanea prauitas; ibi & impedimentum gratiæ: *Habenti* dicem *dabitur: & qui non habet: & hoc quod videtur habere auferetur ab eo.* Quin etiam vt quidam interpretantur, & hoc dicere non fuerit ineptum: Quod dicitur Deus excæcasse Infidelium cogitationes, in malo excæcauit, vt sancta respicerent. Non enim dixit, *obcæcauit* ipsorum animam, sed cogitationes infidelium. Hoc autem est perinde, ac si diceret, obcæca scortatoris libidinosas cogitationes, & seruabitur homo, excæca furis rapacitatem, & saluabitur homo. Sed si non vis de hoc ita sentire, est & alia interpretatio. Obcæcat & Sol lippos, & ex oculis laborantes, male affectos propter luminis vim, non quod Sol habeat vim excæcandi, sed quod corrupta videntium natura videre per se non possit: Sic & infideles, ægrotantes in corde, non possunt videre diuinitatis radios. Et non dixit: *excæcauit cogitationes; vt non audirent Euangelium*; sed, *vt non intuerentur splendorem Euangelij Domini nostri* IESV CHRISTI Audire enim Euangelium omnibus licet, gloria autem Euangelij, solis Christi germanis definitur & aperitur. Loquebatur Christus his qui audire non poterant, in parabolis, Discipulis autem seorsim dissoluebat parabolas. Splendor gloriæ, illuminatis, excæcatio autem Infidelibus. Hæc mysteria quæ nunc Ecclesia enarrat tibi Catechumeno, non est mos Ethnicis enarrare. Nec enim Ethnico mysteria de Patre & Filio & Spiritu sancto declaramus: quin & Catechumenis non adeo aperte dicimus mysteria; sed sæpe obscurius dicimus vt scientes Fideles intelligant, & qui nesciunt non corrumpant. His & aliis eiusmodi pluribus prosternebatur Draco, talibusque concertationibus Archelaus superauit Manem, ita vt rursus inde fugeret perinde atque antea ex carceribus.

D

Mysteria Ethnicis non indicanda.

Manes ab Archelao disputando superatus.

Vitans autem aduersarium, venit in vicum quendam vilissimum, quemadmodum Serpens in paradiso, relicto Adam ad Euam accessit. Sed Archelaus Pastor bonus, Ouibus prospiciens, fuga illius audita, citò accurrit & Lupum perquisiuit. Manes vero videns apertè aduersarium, excessit & fugit, dedit autem hanc postremam fugam. Regis enim Persarum satellites vbique perquirentes, fugitiuum illum comprehenderunt, & quam ab Archelao habere debebat sententiam, hanc regij Ministri in illum tulerunt. Comprehenditur Manes quem adorant ipsius discipuli, & adducitur ad Regem. Cui rex exprobrauit mendacium & fugam, irrisit seruitutem eius, accusauit filij cædem, damnauit propter eum factam custodum necem. Itaque excoriare Manem lege Persica mandauit: & corpus quidem reliquum bestiis deuorandum tradidit, cutem vero qua ranta illius improbitas continebatur, tanquam vtrem, ante portas suspendi curauit. Qui seipsum Paraclerum esse dicebat, & futura se scire ostentabat, fugam suam & comprehensionem nesciebat? Huius Manetis discipuli tres fuerunt, Thomas, Buddas, & Hermas. Nemo legat secundum Thomam Euangelium, non enim est vnius ex duodecim Apostolis, sed vnius ex iis tribus Manetis discipulis. Nemo corrumpatur ab animarum corruptoribus Manichæis, qui tristibus aquis mœstitiam ieiunij sibi inducunt, qui factorem quidem ciborum calumniantur, cibos tamen optimos quosque vorant, qui docent, quod qui herbam euellit, in illam mutabitur: Agricolæ autem & holitorum pueri, in quot transformabuntur herbas & gramina? Tot annis holitor falce secabat herbas, vt sæpe videmus, in quam ergo ex illis mutabitur? Ridicula vere dogmata, & turpitudine vituperationeque plena. Idem quandoque homo, cum esset Pastor ouium, & ouem sacrificauit, & lupum occidit: in vtrum igitur mutabitur? Multi homines, pisces capiebant & aues aucupabantur: in quid igitur mutabuntur antiquitatis nepotes Manichæi, qui non operantes, ea quæ sunt operantium deuorant? Qui eos qui adferunt illis cibos, hilari facie recipientes, pro benedictionibus, maledictis insectantur? Cum enim ignorans aliquis, illis panem adfert, paululum (inquit) extra subsiste, & benedicam tibi: deinde in manus recipiens panem (quemadmodum illi qui ex illis pœnitentiam egerunt, confessi sunt) Ego te (dicit Manichæus pani) non feci, & execrans, proiicit in altum, & maledicit ei qui fecit illum, atque sic factum comedit. Si oderis cibos, cur hilari facie intueris illos afferentem? Si danti habes gratiam, cur factorem & Opificem omnium blasphemas? Et rursus: Ego te (inquit) non seminaui, seminetur seminans te: Ego te non messui falcibus, metatur metens te: Ego te igne non coxi, coquatur qui coxit te. Pulchra sane gratiarum actio! Magna quidem hæc mala, sed parua respectu aliorum. Lauacrum illotum coram viris & mulieribus enarrare non audeo. Vereor dicere, in quo ficum intingentes dant miseris, quod per Sisycum traditum manifestatum est. Viri enim in somniis hæc imaginarentur, & mulieres in puerperiis. Pollueremus certè os nostrum hæc dicentes: neque enim Græci his impuriores, neque Samaritæ magis athei, neque Iudæi magis impij, neque scortatores istis sunt impuriores. Scortator enim, ad vnam horam, per concupiscentiam finit operationem: condemnans autem se sceleris, tanquam pollutum, scit se lauacro egere, & agnoscit fœditatem facinoris.

E

Manes captus.

Manes excoriatur in Perside.

† Thomæ nomine Euangelium, est cuiusdam Thomæ discipuli Manetis.

F

Manichæi, nepotes antiquitatis.

Manichæi panæ comestori, execrantur.

G

Osculo salutare obuium.

H

Manichæus autem in medio altaris ponit ista, atque simul os & linguam polluit. Ab eiusmodi ore, ô homo, capies doctrinam? Hoc semper obuium, osculo salutabis? Nunquid præter aliam impietatem, hanc solam non fugies fœditatem, scelestisque potiores omnique prostituta detestabiliores. Annuntiat hæc Ecclesia, & docet attingitque sordes istas vt tu non polluaris: dicit vulnera, vt tu non vulneteris. Sufficit autem, hæc solum scire tibi, sed experientia illa discere, caue. Tonat Deus, & nos omnes tremimus, illi autem blasphemant: fulgurat Deus, & omnes ad terram inclinamur, illi vero nefandas in Cœlum mouent linguas. IESVS dicit de Patre, *qui Solem suum facit oriri super iustos & iniustos, & pluit super bonos & malos:* At illi dicunt, quod pluuiæ ex quadam amatoria insania fiunt. Et audent dicere, quod sit quædam Virgo in Cœlo pulchra, cum iuuene pulchro,

Manichæi tonantem blasphemant.

A pulchro, & more camelorum aut luporum illos quoque turpis concupiscentiæ tempus habere: & cum fiunt tempestates, furendo illum instare Virgini, ac illam quidem fugere, hunc autem insequi, atque cum currendo sudare, & ex illius sudore pluuiam esse.

Hæreticorum libros legit Cyrillus. Hæc scripta sunt in Manichæorum libris; hæc nos legimus, non credentes dicentibus, propter vestram enim securitatem, etiam perditionem curiosè scrutabamur, sed Dominus liberabit nos ab eiusmodi errore. Vobis autem det tale odium contra Draconem, vt quemadmodum ille insidiatur calcaneo; sic vos caput illius conculcetis. Memineritis quæ dicta sunt vobis: quæ consonantia vestrorum ad illa? quid luci cum tenebris? quæ Ecclesiæ grauitas, ad Manichæorum fœditatem? Hic, ordo, hic, scientia, hic, grauitas, hic, puritas, hic, & aspectus mulieris ad concupiscendum, damnatur: hic continentiæ patientia, hic, virginitatis æqualis Angelis dignitas, hic, ciborum sumptio cum gratiarum actione, hic gratitudo erga vniuersi Opificem, hic, pater Christi adoratur, B hic, timor & tremor pluentis docetur, hic, tonantem & fulgurantem glorificamus. *Virginitatis dignitas æqualis Angelis. Deum tonantem glorificamus.* Pascaris simul cum Ouibus, & fuge lupos, ab Ecclesiaque non separeris. Oderis & illos qui aliquando in talium suspicionem inciderunt: & nisi prius tempore experiaris illorum pœnitentiam, non prius teipsum illis credas. Tradita est tibi Monarchiæ Dei veritas, agnosce germina doctrinarum: sis probatus & expertus nummularius, bonum recipiens, ab omnique specie mali abstinens. *Fugiendi sunt, suspecti de hæresi.* Quod si & ipse talis aliquando fuisti, agnito errore, oderis illum. Non deest qui conferat salutem, si euomueris venenum, si ex corde oderis, si defeceris ab illis, non labiis tantum, verum & mente. Si adoraueris Patrem Christi Deum legis & Prophetarum, si cognoueris bonum & iustum, vnum & eundem esse & vere Deum: Qui omnes vos conseruet, custodiens à lapsu & scandalo, firmatos in fide, in CHRISTO IESV Domino nostro, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen

C

CATECHESIS SEPTIMA ILLVMINATORVM,

seu Baptizatorum Hierosolymis; extemporanea: De Patre, Et lectio ex Epistola ad Ephesios, Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem ex quo paternitas omnis in Cœlis & in terra nominatur, *& reliqua*. *Ephes 3. 14.*

AC de monarchia quidem Dei sufficienter vobis hesterna die dictum est: sufficienter autem dico, non pro dignitate, hoc enim præstare mortalis natura omnino non potest, sed quantum est concessum infirmitati nostræ. *Hæretici athei.* Tum & atheorum hæreticorum multifidos errores & diuerticula persecuti sumus: quorum sordes, & animarum venenum excutiebamus, illorumque nugas commemorabamus, non vt iis inficeremur, sed vt multo magis aduersus illos deinceps insurgamus, & quæ sunt salutifera veræ fidei amplectamur. Nunc vero dignitati monarchiæ, Patrum nomen subnectentes, credamus in D vnum Deum Patrem. Non enim solum in vnum Deum oportet credere, verum etiam patrem eundem esse Vnigeniti Filij Domini nostri IESV CHRISTI. *Deus Pater Domini nostri Iesu Christi.* Hanc doctrinam pie recipiamus: hac enim, excelsiora Iudæis sapimus, qui vnum quidem Deum esse dogmatibus suis comprehendunt (tametsi & illud per idololatriam sæpius negauerint) Patrem autem esse illum Domini nostri IESV CHRISTI, hoc non recipiunt, suis ipsorum Prophetis contraria sentientes, qui loquuntur in sacris Scripturis; *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* *Iudæorum errores conuincuntur.* Illi vero fremunt hactenus, & conueniunt aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, existimantes, Patri se posse gratificari sine cultu Filij, ignorantes quod nemo venit ad Patrem nisi per Filium qui dicit; *Ego sum ostium*: Et, *ego sum via.* Qui ergo viam, quæ ducit ad Patrem denitat, & qui Ostium negat, quomodo ad Patrem accessus illi patebit? Contradicunt autem & iis quæ in Spiritu, in Psalmo scripta sunt: *Ipse inuocabit me, Pater meus es tu, Deus meus & susceptor salutis meæ, & ego primogenitum statuam illum; excelsum super omnes Reges terræ.* E Si enim hæc in Dauidem vel Salomonem vel quempiam alium qui deinceps dicti sunt, torserint, doceant, quomodo sedes eius qui hæc prophetauit apud illos sit *tanquam dies Cœli & sicut luna firmata in sæculum.* Cur non verentur id quod scriptum est, *ex vtero ante Luciferum genui te: & quod esset tandiu vt Sol duraturus, & ante Lunam generationes generationum?* Quæ quidem ad hominem referre, longè ineptissimum, & impietate plenum esset. Sed Iudæi quidem, more incredulitatis suæ, in his & aliis eiusmodi dictis (quoniam ita volunt) male sint affecti. *Deus Pater, vim gignendi omnibus dat.* Nos vero, cum iam pietatem fidei receperimus; vnum Deum patrem Domini adoremus. Nam qui omnibus vim gignendi impartitur eum hac facultate priuare, impium sane fuerit. Et credamus in vnum Deum Patrem; vt antequam de Christo doctrinam tradamus, fides Vnigeniti firmetur in animis Auditorum; & ab his qui in medium prolati sunt de Patre sermonibus, nihil omnino separetur. F Patris enim nomen, simul cum ipsius nominis appellatione exhibet intelligendum & Filium. *Patrem sine Filio esse non posse; nec intelligi.* Quemadmodum similiter Filium quis nominans, statim Patrem intelligit. Si enim Pater, omnino Filij est Pater: & si Filius, omnino Patris est Filius. Vt igitur ex ista locutione; *In vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem Cœli & terræ: visibilium que omnium & inuisibilium, & in vnum* IESVM CHRISTVM; non arbitretur quis minus sancte, Cœlo & terra posteriorem esse ordine Vnigenitum: propterea ante illorum nominationem, Patrem Deum nominauimus, vt simul atque cognouerimus Patrem, noscamus & Filium: nam inter Patrem & Filium, nihil est medium quod existat.

Est itaque Deus, multorum quidem abusiue dictus Pater; vnius vero & solius natura & veritate Vnigeniti Filij, Domini vero nostri IESV CHRISTI Pater: *Pater ab æterno Filium genuit.* non in tempore Pater esse incipiens, sed semper Vnigeniti Pater existens. Non enim sine prole antea, deinceps sententiam mutauit; sed ante omnem substantiam & ante G omnem sensum, ante tempora & ante omnia sæcula, patriam dignitatem habet Pater. Hac magis quàm aliis dignitatibus venerandus, & non affectione Pater factus, non ex coniunctione, non per ignorantiam, non deficiens, non diminutus, non alteratus. *Omne enim donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est mutationis vel conuersionis adumbratio.* Iac. c. 1. Pater perfectus, perfectum genuit Filium, omnia tradidit Genito: *Omnia* (inquit) *tradita mihi sunt à Patre meo.* Matt. 11. 27. Et honoratur Pater ab Vnigenito: *Ecce* enim, inquit Filius, *honoro Patrem meum.* Ioan. 8. 49. Et rursus, *sicut ego mandata Patris mei custodiui, & obedio illi in dilectione.* Ioan. 15. 10. Dicimus igitur & nos simul cum Apostolo, *benedictus Deus & Pater Domini nostri* IESV CHRISTI, *Pater misericordiarum & Deus totius consolationis.* 2. Cor. 1. 3. Et flectimus *genua ad Patrem, à quo omnis paternitas in Cœlo & in terra nominatur, glorificantes ipsum per vnigenitum.* Ephes. 3. 15. *Paterni cur tribuuntur à Deo Patre.* Qui enim negat Patrem: & Filium negat; Et rursus, *qui confitetur Filium, & Patrem habet.* Cognoscentes *quod Dominus* H IESVS CHRISTVS *est in gloria Dei Patris.* Adoremus igitur Patrem Christi, factorem Cœli & terræ, Deum Abraham & Isaac & Iacob, in cuius honorem, prius ex opposito nobis, hic Templum ædificatum est. Non enim patiemur hæreticos qui vetus Testamentum à nouo scindunt: sed Christo fidem habemus, dicenti de Templo, *nesciitis quod in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Ioan. 2. 16. Et rursus: *Auferte ista hinc, & non faciatis domum Patris mei domum negotiationis:* *Dei Patris templum erat Hierosolymis.* Quibus manifestissime prius illud quod erat Hierosolymis templum, domum Patris sui esse confitetur. Quod si quis ob incredulitatem plures adhuc habere voluerit demonstrationes, de eo quod pater Christi sit Mundi effector; audiat rursus ipsum dicentem: *Nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex his non cadet super terram sine voluntate Patris mei qui in Cœlis est?* Matt. 10. 29. *Et respicite volatilia Cœli, quia non seminant neque metunt neque congregant in horrea, & Pater meus cœlestis pascit illa,* Matt. 6. 28. Ioan. 5. 17.

A

Et illud: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Sed ne quis ex simplicitate aut versuta improbitate, hominibus iustis æqualem esse Christum opinetur, ex eo quod dicat; *Ascendo ad Patrem meum, & ad patrem vestrum*; bonum fuerit illi nominatim excipere, quod Patris quidem vnum est nomen, multiplex autem virtus operationis. Et hoc ille cognoscens, dicebat confidenter, *vado ad patrem meum & ad patrem vestrum.* Non dixit, *ad patrem nostrum*, sed diuidens, primum dicit quod erat proprium, *ad patrem meum*, qui eius pater est natura, deinde subdit, *patrem vestrum*, qui est per adoptionem. Quamuis enim, in orationibus præsertim dicere permissi sumus; *Pater noster qui es in Cœlis*; sed hoc donum est ex benignitate: neque enim eo quod natura, ex eo qui est in Cœlis progeniti essemus, Patrem ipsum vocamus, sed quod ex seruitute, paterna gratia, in adoptionem filiorum, per IESVM in sancto Spiritu translati sumus; ineffabili humanitate hoc dicere, digni habiti sumus.

Filij Dei adoptiui sumus.

B

Quod si quis discere voluerit, quomodo nos Deum vocemus Patrem, audiat optimum pædagogum Moysem, dicentem: *Nonne hic ipse Pater creauit te, & fecit?* Et Isaiam Prophetam; *Et nunc Domine, pater noster tu es, nos autem lutum, opus manuum tuarum omnes.* Manifestissimè sane indicauit Prophetica gratia, quod non natura, sed gratia & adoptione patrem eum vocamus. Et vt exactius cognoscas quod non vbique in sacris Scripturis, pater naturalis, solum pater appellatur; audi Paulum dicentem: *si enim multos pædagogos habeatis in Christo, sed non multos patres, in Christo enim Iesu per Euangelium vos genui:* non sanè gubernatione carnis, sed doctrina & regeneratione Spiritus, Paulus erat Corinthiorum pater. Audi quoque & Iob dicentem: *Ego vobis pater:* quod est impossibile; patrem enim seipsum, non quod genuisset omnes, sed quod curam eorum gessisset, vocauit. Ipse autem vnigenitus Filius Dei, passionis suæ tempore ligno affixus, videns Mariam (secundum carnem, matrem suam) & Ioannem dilectissimum discipulum: ad illum quidem dicit, *Ecce mater tua:* ad Mariam autem, *ecce filius tuus*, studium debitum erga Parentes docens, & quod apud Lucam dictum est, acute dissoluens, *& erat pater eius & mater admirantes:* quod torquent hæretici, quasi ex viro & muliere natus sit: Cum tamen, sicut Maria, mater Ioannis propter dilectionem & non propter generationem, ita Ioseph, pater IESV propter curam vel dilectionem vocatus est & non propter generationem, *non enim cognouerat ipsam*, inquit Euangelium, *donec peperit Filium suum primogenitum*, sed propter curam, quam in alendo præstabat.

Deut. 32. b

Isa. 64. 8

Patres, aliqui ex doctrina dicti. 1. Cor. 4. 15.

Ioan. 19 26.

C

Luc. 2 33

Pater Christi, Ioseph per curã. Matt. 1. 25.

Hoc itaque nunc obiter tanquam commonendo, dictum sit. Adamus autem & aliud testimonium quo demonstratur, non propriè, Deum ab hominibus patrem appellari. Cum Isaias dicit ad Deum, *nonne tu es Pater noster, quia Abraham non nouit nos, & Sara non parturiuit nos?* nunquid amplius quærendum est? Quin & Psaltes inquit, *turbatus sum à facie tua, Patris orphanorum, & Iudicis viduarum.* Nunquid non omnibus manifestum est, quod qui recens patres suos amiserunt, orphanorum Pater Deus vocetur? non quod ex eo sint progeniti, sed quod illorum curam gerit, & illos protegit. Hominum itaque non proprie est Pater, Christi vero solum natura Pater est Deus, non per adoptionem: & hominum quidem in tempore, Christi vero ante tempora, quemadmodum ipse dicit, *Et nunc tu me glorifica super gloriam quam habui apud te ante Mundi huius constitutionem.*

Isa. 51. a.

Psa. 62. b

D

Ioan. 17. 5.

Credamus igitur in vnum Deum Patrem imperscrutabilem & inenarrabilem, quem nemo quidem hominum vidit, Vnigenitus vero solus enarrauit; qui enim est ex Deo, ipse vidit Deum. Cuius faciem Angeli perpetuo vident in Cœlis: videt autem vnusquisque secundum Ordinis proprij mensuram, splendorem autem purum paternæ visionis, propriè tantum Filio cum Spiritu sancto intueri licet. Hic interea dum fit sermo; etiam breuiter dictorum recordans in quibus Deus, hominum pater prædicatur, vehementer ad hominum ingratitudinem obstupesco. Siquidem Deus ineffabili clementia, pater hominum vocari dignatus est; ille qui est in Cœlis, eorum qui super terram sunt, qui sæcula fecit, eorum qui in temporibus, qui terram pugillo continet, eorum qui sunt super terram tanquam locustæ. Homo tamen super-cœlestem Patrem relinquens dixit ligno; *Pater meus es tu, & lapidi tu me genuisti.* Et vt mihi videtur, propterea ad humanitatem dicit Psaltes, *& obliuiscere populi tui, domus patris tui*, quem elegisti patrem, quem traxisti ad perditionem. Non solum autem ligna & lapides, verum etiam nonnulli Satanam animi-cidam, suum eligebant patrem: quos Dominus reprehendens, inquit, *vos opera Patris vestri facitis*; Cum pater ille sit hominum non natura, sed deceptione. Nam quemadmodum per Religiosam doctrinam Paulus Corinthiorum vocabatur pater, sic & diabolus eorum qui sponte cum illo conueniunt, pater vocatur. Neque enim recipiemus eos qui male intelligunt, *Ex eo recognoscemus filios Dei, & filios diaboli*, tanquam sint aliqui inter homines, qui natura aut seruentur aut perdantur. Non enim ex necessitate, sed voluntate, in eiusmodi sanctam adoptionem deuenimus. *Neque proditor Iudas, natura erat filius diaboli & perditionis: si enim fuisset, nequaquam ab initio in nomine Christi dæmonas eiecisset; *Satanas enim Satanam non eiicit*, neque rursus, Paulus, ex persecutore prædicator Euangelij factus esset. Sed quod voluntaria sit adoptio, etiam Ioannes dicit, *quicunque receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius.* Non enim ante fidem, sed ex fide, sponte filij Dei fieri, digni facti sunt. Hoc itaque cognoscentes, spiritaliter conuersemur, vt adoptione Dei digni efficiamur; *qui enim spiritu Dei ducuntur, isti sunt filij Dei.* Nihil enim proderit nobis, Christianorum possedisse appellationem, si opera illam non sequantur, ne forte & illud nobis dicatur: *si filij Abraham essetis, opera Abraham faceretis.* Si enim eum patrem vocamus qui opus cuiusque sine personæ acceptione, iudicat? non sine timore, incolatus seu peregrinationis nostræ tempus transigeremus, non diligentes Mundum nec ea quæ in Mundo sunt. Qui enim diligit Mundum, non est dilectio Patris in illo.

Angeli pro mensura Ordinis Deum vident.

Deus ineffabili clementia dignatus est appellari hominum pater.

E

Hier. 2. 27.

Psal. 44.

Satan pater malorũ.

Ioan 8. 41.

1. Cor. 4. 1.

1. Ioan. 3. b

F

Adoptio diuina non nisi volenti datur.

Matt. 12. b.

Rom. 8. c

Ioan 8. 39.

Itaque dilecti filij, Patrem cœlestem per opera glorificemus, vt videant opera nostra bona & glorificent Patrem nostrum qui est in Cœlis. Omnem sollicitudinem nostram in illum proiiciamus, scit enim pater noster, quibus opus habeamus. Honorantes autem Patrem super-cœlestem, etiam corporis nostri parentes honoremus, quandoquidem in lege & Prophetis Dominus ipse decreuit, *Honora*, inquit, *patrem tuum & matrem tuam vt bene sit tibi & sis longæuus super terram.* Hanc admonitionem audiant hi præsertim qui patres & matres habent, & hic adsunt. *Filij obedite parentibus vestris in omnibus hoc beneplacitum est Domino:* Non enim dixit Dominus; qui amat patrem aut matrem non est me dignus, ne quod bene scriptum est, tu male ex ignorantia interpreteris: verum id quod à me additum est, quando terreni parentes cœlesti Patri sentiunt contraria, tunc ea verba sequenda sunt, quando autem nihil nos illi in pietate impediunt, sed nos iniquitate adducti, beneficiorum in nos collatorum obliti, eos despiciamus, tunc locum habet illud eloquium: *qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur.* Christianorum est placida prima pietas, honorare parentes, & labores educationis rependere, atque omni studio, quæcunque ad quietem illorum pertineant, curare. Quamuis enim eiusmodi plurima illis reddiderimus, sed rursus generare eosdem nequaquam poterimus. Vt ipsi per nos quiete fruentes, benedictiones in nos congerant, quales supplantator Iacob prudenter rapuerat, & bonam eiusmodi voluntatem nostram, Pater cœlestis suscipiens, dignetur efficere vt cum iustis tanquam Sol splendeamus in regno Patris nostri, cui gloria & potentia nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

G

Parentes honorandi.

Deut. 5. 16.

Col. 3. 20

Eph. 6. 1.

H

Exo. 21. 17.

Leuit. 20. 9.

Matt. 15. 4.

Marc. 7. 16.

A

CATECHESIS OCTAVA, ILLVMINATORVM Hierosolymis, ex tempore dicta, De omnipotente: & lectio ex Hieremia, Deus magnus & fortis, Dominus magnus voluntate & potens operibus, omnipotens & magni nominis, *&c.*

PEr fidem qua credimus in vnum Deum, omnem multorum deorum excindimus errorem, his contra Græcos armis vtentes, & contra omnem vim contrariam hæreticorum. Per illud autem quod additur, *In vnum Deum Patrem*, eos qui sunt ex Circumcisione oppugnamus, qui negant vnigenitum Filium Dei. Nam, vt dictum est hesterno die, etiam priusquam declarentur aliqua de Domino nostro IESV CHRISTO, dicendo quod est Pater, iam manifestum effecimus, quod Filij est Pater. Vt sicut intelligimus quod Deus est, & quod Filium habet, addamus & hoc, quod est & omnipotens: quod quidem tam propter Græcos, quam Iudæos & hæreticos dicamus. Ex Græcis enim quidam, Fortunam esse Deum Mundi dixerunt: alij vero potestatem Dei in cœlum tantum non autem in terram extendi putarunt: alij errantes vnà cum illis, & dicto illo abutentes quod dicit, *& veritas tua vsque ad nubes*, ausi sunt Dei prouidentiam nubibus & cœlo circumscribere, & terram ab illa alienare, obliti Psalmi, qui dicit; *Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.* Si enim nihil sit cœlo excelsius, nihil inferno profundius, qui dominatur extremis, attingit & terram mediam. Hæreticorum autem filij, sicut & antea dictum est, nesciunt omnipotentem Deum. Omnipotens est, qui omnibus dominatur, & habet omnium potestatem. Qui autem dicunt, alium esse animæ Dominum, alium verò quendam corporis, neutrum horum dicunt perfectum, cùm alterum alteri tribuunt. Nam qui potestatem habet animæ, corporis autem non habet, quomodo omnipotens? Sed redarguit istos Dominus dicens: *Timete potius eum, qui potest & animã & corpus mittere in gehennam.* Si enim non haberet vtriusque potestatem, quomodo vtrumque subiicit pœnæ, Pater Domini nostri IESV CHRISTI? quomodo verò poterit alienum corpus accipiens proiicere in gehennam, nisi priùs ligauerit. Fortem & arma illius diripuerit? Vera est scriptura, & ea sunt veritatis dogmata, quòd vnus est Deus, qui omnibus cum potestate dominatur, sed multa tolerat voluntate: nam dominatur & idololatris, sed sustinet eos per multam patiẽtiam. Habet potestatem & super aspernantes eum hæreticos, sed tolerat per longanimitatem. Tenet imperium super diabolum; neque enim tanquam non potens aut victus illum sustinet, principium enim creaturæ Dei factum vtitur assiduè, non ab ipso (indignus enim est) sed ab Angelis, qui sub ipso facti sunt. Permisit autem illi viuere, duabus de causis; vt ille quidem magis confundatur, homines autem coronentur. O sapientissimam prouidentiam, quæ malum etiam propositum in salutis occasionem conuertit!

Quemadmodum enim illorum fratrum Ioseph eundem odio prosequentium, malam voluntatem, accepit occasionem propriæ administrationis, & permittens ipsis ex odio vendere fratrem, occasionem accepit efficiendi, vt̃ regnaret. Quos dilexit, cum his sic permittit diabolum luctari, vt vincentes coronentur, & facta victoria, maior quidem victus à minore confundatur; homines autem magnificè probentur; cùm eum, qui aliquando fuerat Archangelus, vincunt. Nihil itaque est extra Dei potestatem: de ipso enim dicit Scriptura, quòd *omnia seruiunt tibi.* Omnia quidem serua sunt illi? vnus tamen & solus filius, & vnus Spiritus sanctus est extra hæc omnia. Ac omnia sanè serua, per vnum Filium in sancto Spiritu seruiunt Domino. Imperium igitur super omnia tenet Filius, & sustinet homicidas & latrones, & fornicatores, propter longanimitatem præfiniens tempus retributionis, quo reddet vnicuique, vt qui longo tempore acceperant dilationem, & impœnitens cor habuerunt, grauiùs condemnentur. Reges sunt hominum, qui regnant in terra, sed non sine illa, quæ est desuper, potestate. Et Nabuchodonosor aliquando didicit experientia; quòd regnum illius regnum æternum, & potestas ipsius in generationem & generationem. Non sunt diaboli diuitiæ, aurum, argentum; quemadmodum nonnulli existimant. Fidelis enim hominis vniuersæ diuitiæ mundi; infidelis verò ne nummus quidem: diabolo verò nihil infidelius. Et manifestè per Prophetam dicit Dominus: *Meum est aurum, & meum est argentum*; & non est malum argentũ, tu modo vtaris bene seminans illud pauperibus. Quãdo autem bono malè vteris, tunc nolens tuam ipsius administrationẽ odio persequi, in opificẽ impiè reiicis odiũ. Poterit sanè aliquis etiã per pecunias iustificari. *Esuriui*, inquit, *& dedisti mihi manducare*, omnino id per pecunias Et vis nosse, quod bona & opes possunt esse ostium regni cœlorum? *Vende omnia quæ habes*, inquit, *& da pauperibus & habebis thesaurum in cœlis.* Hæc sanè à nobis dicta sunt propter hæreticos, qui opes & bona & corpora blasphemant. Neque enim seruum te bonorum esse velim, neque vt hostem te geras in his, quæ tibi à Deo in ministerium tradita sunt. Caue itaque, ne dicas vnquam, diaboli esse pecunias, quãuis ille dixerit; *Hæc omnia dabo tibi*, quia mihi tradita sunt; potest enim facilè quiuis ipsius verbum improbare: mendaci namque nemo credit. Fortè autẽ & coactus tum à præsenti potestatem, dixit verũ: nõ enim dixit: *Hæc omnia dabo tibi*, quia mea sunt, sed *quia mihi tradita sunt.* Non dominium sibi arripit, sed vsum tantum & dispensationem confitetur. Quæres autem suo tempore à Scripturæ interpretibus verum mentiatur, an verum dicat. Vnus igitur est Pater omnipotens, quem ausi sunt hæretici diffamare, ausi sunt maledicere Dominum Sabaoth, sedentem super Cherubim: ausi sunt maledicere Adonai Dominum, ausi sunt maledicere eum, qui in Prophetis omnipotentẽ Deum. Tu verò vnũ adora omnipotẽtem Deum, Patrem Domini nostri IESV CHRISTI, fugiásque omnem deorum multitudinem & omnem hæresim Et cum Iacob dicas; *Dominum verò omnipotentem inuocabo, facientem magna & imperuestigabilia, gloriosa & potentia, quorum non est numerus*; & quæ de his omnibus sequuntur: Cui gloria, nunc & in sæcula sæculorũ, Amen.

Margin notes: B — De Prouidentia Dei errores. — Ps. 35. c. — Ps. 138. 8. — Matth. 59. C — Dei patientia. — Dei prouidentia in damnis damnatione. — Gen. 50. 20. D — Ps. 118. 91. — Christi imperiũ & tolerantia. — E — Diuitiæ non sunt diaboli; sed hominis fidelibus. — Agg. 2. 9. — Matth. 25. — Matth. 16. 21. — Matt. 4. F — G

CATECHESIS NONA ILLVMINATORVM Hierosolymis, extemporanea: De factore cœli & terræ, visibiliumque omnium & inuisibilium: Et lectio ex Iob; Quis est iste, qui me celat consilium, & continet verba in corde, me verò putat latere? *&c.*

CArneis Deum videre oculis nemo sanè poterit; quod enim corporis expers est, corporeis oculis comprehendi non potest. Et testatus est hoc vnigenitus Dei, dicens: *Deum non vidit vnquam.* Quamuis enim ex eo quod scriptum est apud Ezechielem, excipiat quis quod viderit Ezechiel. Sed quid dicit Scriptura? vidit similitudinem gloriæ Domini, non ipsum Dominum, sed similitudinem gloriæ, neque ipsam gloriam, vti reuerà est, sed similitudinem tantùm gloriæ vidit, & cecidit per terram præ timore. Si ergo gloriæ similitudo conspecta, timore & extremo tremore afficit Prophetas, ipsum Deum quis tandem cernere sustineat, & vita non priuetur? secundum illud quod dictum est: *Nemo videbit faciem meam, & viuet.* Propterea secundum maximam suam benignitatem Deus velum propriæ Deitatis cœlum extendit, ne peritemus. Non meus hic sermo, sed Prophetæ, qui dixit: *Si aperueris cœlum, tremor à te capiet montes, & deficient.* Et quid miraris, si Ezechiel similitudinem gloriæ illius videns cecidit? Cum Danieli Gabriel Domini minister apparuit etiam illicò consternatus cecidit super faciem, & donec in similitudine filij hominis Archangelus seipsum ostendere non contendisset, non ausus est Propheta quicquam respondere. Si ergo Gabriel apparens, tremorem incutit Prophetis,

Margin notes: Iob 42. 3. — Deum in corpore nemo vidit. — 1. Ioan. 4. 12. H — Ex. 33. 20. — Cœlum est deitatis velũ. — Isa. 64. 1. — Ezech. 2. 1 & 3. 23. — Dan. 8. 17.

A Deus ipse, si ita, vt est, appareat, nonne omnes perirent? Diuinam itaque naturam oculis corporis videre impossibile est. Ex operibus autem diuinis in imaginationem potentiæ eius venire, possibile, quemadmodum Salomon dicit; Ex magnitudine & pulchritudine creaturarum, secundum proportionem creator ipsarum perspicitur, sed addidit, quòd secundum mensuram, non sine ratione. Tantò enim maior vnicuique apparet Deus, quantò maiori contemplatione exaltatur cor. Et vis nosse, quòd natura Dei incomprehensibilis est? Dicunt tres pueri in camino ignis, laudantes Deum: *Benedictus es Deus: qui intueris abyssos, & sedes super Cherubim.* Dic mihi, quæ sit natura Cherubim, & tunc sedentem super illum perspicito. Et quamuis Ezechiel Propheta enarrationem illorum fecit, quantum fieri potuit, dicens: *Quatuor facies vni, vnum quidem hominis, alterum leonis, tertium aquilæ, quartum vituli:* & quòd sex alæ vni, & quòd oculi ipsis vndique, & quòd vnicuique tota quadripartita subiecta. Tamen hac declaratione per prophetam facta, nequaquam nos legentes comprehendere possumus. Quòd si thronum enarratum comprehendere non possumus, sedentem super illum inuisibilem & inenarrabilem Deum quomodo intellectu capiemus? Naturam igitur Dei curiosè perscrutari impossibile, glorificare autem illum, ex hoc illius, quod apparet, opificio possibile. Hæc vobis propter fidei ordinem dicuntur: & quia dicimus, Credimus in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibiliumque omnium & inuisibilium, vt meminerimus etiam, quod ipse est pater Domini nostri Iesv Christi, & ipse qui fecit cœlum & terram, & vt confirmemus nos ipsos, contra peruersiones atheorum hæreticorum, qui ausi sunt malè prædicare de sapientissimo omnium totius mundi artifice, qui corporeis quidem oculis cernunt, mentis autem oculos habent obscuratos. Quid enim habent, quod accusent in hoc maximo Dei opificio? Qui stupere potiùs deberent, intuentes cœlorum magnitudinem, qui adorare deberent constituentem tanquam fornicem cœlum, & ex fluxa aquarum natura indeficientem cœli naturam fabricantem. Dixit enim Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum. Semel dixit Deus, & permansit, neque deinceps cecidit. Aqua est cœlum, & igneus in illo Sol, & Luna, & sydera. Et quomodo ignea in aqua currunt? Quod si quis de hoc propter naturas contrarias dubitat, recordetur ignis illius in Ægypto, tempore Mosis exurentis in grandine, & consideret sapientissimum Dei opificium. Cùm enim futurum erat, vt propter agriculturam opus esset aquis, constituit aquas supra cœlos, vt cum terra pluuiatum irrigatione indigeret, paratum sit à natura ad hoc cœlum. Quis autem non admiretur, aspiciens Solis machinam? quàm paruum vas illud apparet, & quàm magnam continet virtutem! In Oriente apparens, & vsque ad Occidentem lumen emittit. Cuius matutinos ortus describens Psaltes dixit; *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Splendoris illius proportionem, pro ipsius modo apparentis, in cœlo descripsit, meridianam enim illius rapiditatem persæpè propter feruorem fugimus. Simul vt oritur, calidus est omnibus, tanquam sponsus conspicuus. Aspice autem & cursum ipsius, imò potius non ipsius, sed illius, qui cursum illi per mandatum definiuit. Quomodo altior quidem æstate dies efficit longiores, dans ad labores hominum opportunitatem. Hyeme verò contrahit cursum, vt frigoris tempus longius non videatur, sed noctes quidem factæ maiores, iuuent homines requie, iuuent & in fructificatione germinum terræ. Perspice autem, quomodo ordine pulchro sibi mutuò dies correspondent: Æstate aucti, & Hyeme diminuti; vere autem Autumno, æqualitate interuallorum mutuò decorati. Et noctes quoque similiter perficiunt, de quibus Psaltes ait: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Nam his qui non habent aures hæreticis, modò non clamant per hunc optimum rerum ordinem, & dicunt, nullum esse alium Deum præter ipsum opificem, definitorem & gubernatorem vniuersorum.

Magis contemplanti Deus magis apparet. Dan. 3. 55. Ezech. 10. B *Cherubin.* C *Cœlū ex aquis.* *Aquæ super cœlos in vsum pluuiæ.* Ps. 18 b. D *Noctis commoda.* Ps. 18. 3.

E Neque verò quisquam suscipiat illos, qui dicunt, alium esse luminis factorem, & alium tenebrarum. Meminerit autem Isaiæ dicentis: *Ego Dominus faciens lumen, & creans tenebras.* Cur de teipso angeris, ô homo? cur fers grauiter tempus, quod tibi in requiem concessum est? Non accepisset seruus à domino requiem, nisi tenebræ essent inductæ in hanc præscriptam necessitatem. Quomodo autem in die sæpe laborantes noctu requiescimus? & qui hesterno die fuit in laboribus, manè fit robustior propter noctis quietem? Quid autem est ad sapientiam nocte commodius? in hac enim persæpe de Deo cogitamus, in hac lectioni & contemplationi diuinatum Scripturarum vacamus. Quando autem magis in psalmodiam & orationem mens nostra componitur? nunquid non noctu, & peccata persæpè nostra in memoriam reuocamus? Non igitur malè opinemur, alium esse tenebrarum factorem, bonas enim esse illas & vtilissimas, ipsa docet experientia.

F Operæpretium autem fuerat illis, non modò Solis & Lunæ machinam admirari & stupere, verumetiam astrorum ordinatos progressus, & perpetuos cursus, & vniuscuiusque opportunos ortus. Et quomodo alia quidem sunt signa æstatis, alia verò hyemis; & quomodo alia quidem tempus seminandi indicant, alia nauigandi initium significant? ita vt homo in naui sedens, & incertis fluctibus nauigans, in stellam aspiciens dirigat nauem: de quibus etiam Scriptura: *Et erunt:* inquit, *in signa & tempora, & annos:* non in Astrologiam & Genethliacorum fabulationes. Vide autem, quomodo etiam in die pulchritudinem nobis conferat non ex improuiso. Non enim statim Solem Orientem intuemur, sed progreditur paulatim lumen, vt prospiciens pupilla possit deinde maiores radios aspicere. Quomodo verò noctis tenebras lunari splendore consolatus est? quis est pluuiæ pater? quis est qui pepetit guttas roris? quis est qui aërem condensat in nubes, & imbrium aquas portare iubet? Et aliquando quidem à Borea nubes splendidas adducit, aliquando verò in caliginem transmutat easdem, & rursus in varios circulos transfert & figuras? Quis poterit numerare nubium varietatem, de quibus dicit Iob: *Constituit autem diuersitatem nubium, cœlum verò declinauit in terram.* Et: *Non rumpitur nubes sub ipsa.* Tot enim sunt aquarum mensuræ super nubibus, & non rumpuntur, sed omni in terra sparguntur. Quis est, qui educit ventos de thesauris suis? quis est, vt diximus, qui parit guttulas roris? De cuius ventre egreditur crystallum (aquea enim substantia, & vis illi est lapidea.) Et quomodo aqua fit nix sicut lana? Quando verò & *nebulam sicut cinerem spargit,* quandoque in lapideam substantiam mutat. Cùm madefacit aliquid aqua, vna quidem illius est natura, sed diuersa operatio. Aqua in vineis vinum facta lætificat cor hominis, & alibi in diuersa fructuum genera mutatur. In his blasphemaréne opificem an adorare oportet? Sed nondum dico, quæ hactenus de illius sapientia non apparent. Cicumspice mihi ver, & diuersi generis flores in similitudine disparata, rosam quidem rubram, lilium autem album. Ex vna sanè pluuia hæc fiunt, & ex vna terra. Quis hæc discernit? quis operatur? Considera solertiam ex vna arboris substantia, hac quidem in tegmen, illud autem in varios fructus crescit. Et vnus opifex vnius vineæ, aliud quidem in combustionem, aliud in germina, aliud in folia, aliud in pampinos, aliud in botros separat. Admirare calami densissimum nodorum ambitum, quem fecit ille artifex. Ex vna terra reptilia prodeunt & feræ, & iumenta, & ligna, & cibi, & aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & lapis. Vna est aquarum natura, & ex eadem est natantium & volatilium substantia, vt sicut illa natant in aquis; sic & aues volent in aëre. *Hoc mare magnum spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus.* Quis poterit enarrare piscium in ipso pulchritudinem? Quis eloquatur cetorum magnitudinem, aut amphiuiorum animantium substantiam? Quomodo & in terra rudi & in aquis degunt? Quis poterit eloqui maris profunditatem & latitudinem, & immensum fluctuum impetum? Qui tamen intra limites suos consi-

Isai. 45. 8. *Nox philosophiæ & orationi cōgruit.* *Tenebræ vtiles sunt.* *Astrorū vsus.* Gen. 1. G *Nubes imbriferæ.* *Crystalli substantia & vis quæ sit.* Ps. 147. 16. H *Animātia ex aquis.* Ps. 103. 25.

A *Natis limites à Deo constituti.*

consistunt, propter eum, qui dixit; hucusque progredia-ris, & in teipso confringantur fluctus tui. Quod sanè manifestat impositam sibi legem, quandoquidem excurrens fluctuum quamdam lineam apertam efficit in littoribus: ostendens intuentibus, quòd præfixos sibi non transgreditur terminos. Quis poterit perspicere aëreorum volatilium naturam? Quomodo hæc quidem linguam habent canoram, ista autem varia pennarum ornantur pictura, illa verò super alia omnia in medium aërem elata stare & nihil moueri videntur: vt accipiter distentis alis stat immobilis, spectans ad Austrum. Quis hominum poterit visu consequi aquilam exaltatam? quod si autem exaltatam non potes conspicere, quomodo Factorem omnium vis considerare? Quis ex hominibus ferarum omnium saltem nomina nouit? vel quis cuiusque naturam poterit perspicere? Quòd si ferarum etiam nomina scire nequimus, quomodo Factorem ipsarum comprehendemus? Vnum est Dei mandatum, quod dixit: *Producat terra bestias, & iumenta, & reptilia secundum genus.* Et diuersæ naturæ ex vna terra, vno mandato productæ: ouis mansuetissima, leo carniuorus. Et diuersarum animantium irrationabiles motus & imitationes, habentes diuersitatem voluntatum & institutorum humanorum: vt vulpes quidem significet in hominibus dolum, serpens verò amicorum venena, equus hinniens iuuenum intemperantias, formica laboriosissima, vt excitet pigrum & socordem. Dum enim quis otiatur in iuuentute, tunc ab his animantibus docetur, redargutus à diuina Scriptura dicente: *Vade ad formicam, ô piger, & videns æmulare vias eius, & sis illa sapientior.* Videns enim, inquit, illam in tempore sibi thesaurizantem cibos, imitare, & thesauriza tibi ipsi fructus bonorum operum in futura sæcula. Et rursus vade ad apem, & disce quàm laboriosa sit, quomodo per flores omnis generis oberrans congerit tibi mel in vsum, vt & tu circumiens diuinas Scripturas tuam ipsius salutem apprehendas, & illis satiatus dicas: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & fauum ori meo.* Nunquid ergo non glorificatione potiùs opifex dignus? Quid enim, etiamsi tu non omnium cognoscis substantiam siue genera? Non enim omnium herbarũ vim poteris cognoscere, & vsum, qui ex vnoquoque animante procedit: nam & ex viperarum venenis remedia, in salutem hominum conficiuntur. Sed dices mihi; perniciosus est serpens. Timeas Dominum, & assidebit tibi sicut Danieli. † Est autem quod verè vim animantium admiremur, quomodo alia quidem in aculeis, vt scorpius, habent acumen; alia verè vim habent in dentibus, alia vnguibus pugnant; Basilisco verò in oculis est potentia. Ex tam diuersis ergo opificiis agnosce opificis potentiam. Sed hæc tu fortè non nosti? quid est tibi cum extraneis animantibus? Intra autem deinceps in teipsum, & ex tua substantia cognosce artificem. Quid improbandum in corpore tuo creatum est; apprehendas teipsum, & nihil vile ex omnibus membris tuis reperies. Ab initio Adam in paradiso cum Eua nudus erat, sed non propter membra erat reiectus: non igitur membra causa sunt peccati, verùm malus membrorum vsus. Sapiens autem membrorum Creator, qui construxit vasa matricis ad puerperia? quis inanimarum in ipsa animat? quis neruis & ossibus carnem & cutem induit, & simul vt nascitur infans, ex vberibus fontes lactis educit? quomodo infans crescit in puerum, & is in iuuenem, deinde in virum, atque postremò in senem mutatur, etiamsi nulla per dies singulos expressa mutatio cuiquam appareat? Quomodo ex cibo, aliud in sanguinem, aliud in carnem mutatur, aliud in excrementum secernitur? Quis est qui cor assiduè mouet? Quis oculorum mollitiem palpebrarum obtentu manifestè communiuit? Nam de varia & admiranda oculorum structura copiosè Medicorum libri disserunt. Quis est hic, qui vnum afflatum in totum corpus spargit? Vides, homo, Artificem? vides Opificem? Hæc ita nunc declaranda tibi latiùs existimauimus, multa tamen millia prætermisimus; maximè verò incorporeorum

B Gen. 1. *Hominũ mores varijs in bestiis expressi.*

Prou. 6. 6.

Isai. 1. 8.

C

† Ferit è medio, Paulo ex Act. 28. 3. Animantium vis & diuersitas.

Gen. 3. 7 *Fabrica.*

D *humani corporis admirãda.*

E

& inuisibilium, vt oderis blasphemantes sapientem & bonum Artificem. Ex his autem quæ dicta sunt & lecta, quæ ipse inuenire & intelligere poteris, quæ ex magnitudine pulchritudineque creaturarum, secundum proportionem, Creatorem contemplare piè flectens genua; factori omnium sensibilium dico & intelligibilium, visibilium omnium & inuisibilium, atque grata benedicentique lingua, & non necessantibus labiis lauda Deum dicens: *Quàm admirabilia opera tua, Domine, omnia in sapientia fecisti.* Cui honor & gloria, & magnificentia, & potentia, ante omnia sæcula, deinceps in infinita sæcula sæculorum, Amen.

Psal. 10[illegible] 24.

CATECHESIS DECIMA ILLVMINATORVM

Hierosolymis, dicta ex tempore, in hoc, Et in vnum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. *Et lectio ex prima ad Corinthios:* Nam etsi sunt qui dicantur dij siue in cœlo siue in terra: siquidem sunt dij multi, & domini multi: nobis tamen vnus est Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo, & vnus Dominus IESVS CHRISTVS, per quem omnia, & nos per ipsum, *&c.*

F 1. Cor. [illegible] 5.

QVi credere in vnum Deum omnipotentem decreuerunt, & in Filium vnigenitum credere debent: qui enim negant Filium, neque Patrem habent. *Ego sum ostium,* inquit IESVS, *nemo venit ad patrem, nisi per me.* Si negaueris ostium, præcludetur tibi & patris cognitio: *Nemo enim cognoscit patrem, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare.* Si negaueris reuelantem, manes in ignorantia. Sententia est in Euangeliis, quæ dicit: *Qui non credit in filium, non videbit vitam, sed ira Dei manet super illum.* Indignatur enim pater, cùm filius eius vnigenitus non agnoscitur. Graue est regi, si quis gregarium militem inhonorarit, quòd si quis eorum, qui interiùs sunt, satellitum, vel amicorum inhonoretur, tunc excitatur maior ira: sin autem aliquis ipsum filium vnicum regis contumelia afficiat, quis consolabitur patrem pro filio vnigenito indignantem? Si quis vult piè colere Deum, adoret & filium, alioquin eius cultus non recipietur. Pater cœlitùs pronuntiauit, dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Complacuit patri in filio: quod si tibi non placuerit, non habebis vitam. Non ergo depraueris à Iudæis improbè vafreque dicentibus, vnus est tantùm Deus: sed posteaquam vnum esse Deum cognoueris, scias, quòd & filius Dei est vnigenitus.

Ioan. [illegible] 9.

Luc. [illegible] 22.

Pater impiè [illegible] litur [illegible] filio.

Ioan. [illegible] 36.

G

Matt. [illegible]

Non ego primus hoc dixi, sed Psaltes ex persona filij Dixit: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ne itaque quod dicunt Iudæi, attendas, sed quod dicunt Prophetæ. Miraris, si reiiciunt verba Prophetarum, qui Prophetas lapidarunt? Tu credas in vnum Dominum IESVM CHRISTVM, Filium Dei vnigenitum. Vnum dicimus, vt non cogites alium: Vnum dicimus, vt multorum nominum illius potentiam, in multos impiè non diffundas. Dicitur enim ostium, sed non putes ligneam esse appellationem, sed ostium viuum, rationale, discernens ingredientes. Via vocatur, non pedibus calcata, sed quæ ducit ad eum, qui est in cœlis, Dominum. Ouis vocatur, non irrationalis, sed quæ per pretiosum sanguinem suum mundum à peccatis mundat, quæ ducitur coram tondente se, & scit quandiu tacere oporteat. Hæc ouis rursus vocatur pastor, cùm dicit: *Ego sum pastor.* Ouis propter incarnationem, pastor propter benignitatem deitatis. Et vis nosse, quòd & ouis est rationalis? dicit Apostolus: *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Leo quoque vocatur, non hominum vorator, sed regium quiddam & solidum, atque confidentis personæ per eam appellationem indicatur: Leoque vocatur ex aduerso illi leoni nostro aduersario rugienti, & aberrantes deuoranti. Venit enim Saluator, non mutans suæ naturæ mansuetudinem, sed tanquam Leo fortis de tribu Iuda, seruans quidem credentes,

Psal. [illegible]

H *Filij [illegible] varia nomina.* *Ostium.* *Ouis.* *Pastor.*

Matth. 10.16

A conculcans autem aduersarium. Lapis vocatur, non inanimatus manibus hominum excisus, sed *lapis angularis*, & qui credit *in eum, non confundetur.* [1.Pet.7.2.] Christus vocatur, non humanis manibus vnctus, sed à patre, perpetuò, in eam quæ super homines supremam sacerdotij dignitatem inunctus. [Christus.] Mortuus vocatur, non permanens inter mortuos, vt omnes qui sunt in inferis, sed solus *ex mortuis liber.* [Mortuus. Ps 87.6.] Filius hominis vocatur, non vt quilibet nostrûm, ex terra generationem habens, sed venturus in nubibus iudicare viuos & mortuos. [Filius hominis.] Dominus vocatur non abusiuè, sed tanquam inter homines. [Dominus Iesus.] IESVS vocatur vero nomine, à salutari medicina habens appellationem. [Filius.] Filius vocatur, non per adoptionem inductus, sed naturaliter genitus. Et multæ sanè sunt Saluatoris nostri appellationes, ne tamen propter multas appellationes, multos non putemus esse filios, & propter errores hæreticorum, qui dicũt alium esse Christum, alium IESVM, aliud ostium, & sic de reliquis, primò confirmeris fide, profitendo bene. B *Et in vnum Dominum* IESVM CHRISTVM.

Quamuis enim multæ sint appellationes, sed vnum tamen subiectum, vnicuique autem varius fit Saluator ad vtilitatem. Qui enim indigent recreatione & lætitia, illis fit vinea, qui opus habent, vt ingrediantur, his constituitur ostium, & qui cuperent offerre orationes, illis fit mediator summúsque Sacerdos. [Christus fit omnia omnibus.] Rursus habentibus peccata, fit ouis, vt pro ipsis mactetur. Et omnibus fit omnia, ipse idem natura permanens, qui est. Manens enim idem & verè, immutabilem filij dignitatem habens, tanquam optimus Medicus & Doctor compatiens accomodat se ad infirmitates nostras: Dominus verè existens, non successione vel prosperitate aliqua dominationem accipiens, sed natura dominationis habens dignitatem. Non abusiuè Dominus vocatus, sed verè Dominus existens, quoniam nutu patris dominatur suis opificiis. Nos quidem habemus dominium super homines honore nobis æquales, & affectionibus similes, sæpenumerò etiam nobis generosiores, C Et iuuenis persæpè Dominus fit seruorum maximè senum: dominium autem Domini nostri IESV CHRISTI non eiusmodi, sed primùm factor, deinde Dominus: primùm fecit nutu patris omnia, deinde his, quæ fecit, dominatur. [Matt.2.] Christus est *Dominus, qui natus est in ciuitate Dauid.* Et vis nosse, quòd cum patre, etiam ante incarnationem, est Christus Dominus, [Christus erat etiã ante incarnationem.] vt non solùm è fide percipias dictum, sed demonstrationem habeas ex veteri Testamento? Veni ad primum Geneseos librum: [Gen.1.] *Dicit Deus, faciamus hominem,* non inquit ad imaginem meam, sed *ad imaginem nostram.* Et cùm iam fecisset Adam, dicit: *Et fecit Deus hominem, ad imaginem Dei fecit ipsum.* Non enim attribuit tantùm soli Patri deitatis dignitatem, sed comprehendit in illa & Filium, vt demonstret, quòd homo non solùm Dei patris sit creatura, verùm & Domini nostri IESV CHRISTI. Iste Dominus patri cooperans, cooperatus est & super Sodomis secundum scripturam dicentem: D *Et Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo.* [Gen.19.24.]

Hic Dominus apparuit quoque Moysi, ita vt potuit videri. [Christus Moysi apparuit.] Benignus enim Dominus est, & compatiens infirmitatibus nostris. Et vt scias, hunc eundem esse, qui Moysi apparuit: accipe testimonium Pauli dicentis: *Bibebant autem de spirituali consequente eos petra, petra autem erat Christus.* [1.Cor.10.4.] Et rursus: *Fide Moyses reliquit Ægyptum.* [Heb.11.26.]

Et post pauca dicit: *Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi.* Hic Moyses dicit ad illum: [Exod.33.] *Ostende mihi teipsum, cognoscens videbo te.* Cernis quòd & Prophetæ tunc videbant Christum, sed ita vt capere poterant? *Ostende mihi teipsum, cognoscens videbo te.* Quòd verò dicit: *Nemo videbit faciem meã, & viuet.* Propterea sanè, quòd deitatis personam nemo viuus potuit videre, humanitatis personam recepit, vt videntes viuamus. Et cùm voluit hanc personam cum exigua dignitate ostendere, quando *facies illius resplenduit vt sol,* [Matt.17.]

E Discipuli cadunt præ timore. Si ergo faciei corporis splendor, non tantum, quantum ille qui id operabatur, potuit, sed quantum capiebant discipuli, ita perterrefecit eos, vt ferre non potuerint, quomodo in deitatis dignitatem oculos aliquis poterit intendere? Magnum quiddam dicit Dominus, desideras, ô Moyses, recipio tamen insatiabile tuum desiderium, & hoc verbum tuum tibi faciam, sed ita vt tu capere potes; ecce ponam te in foramine petræ, cùm enim exiguus sis, in paruo circumscriptus eris. Cæterùm hic deinceps confirma mihi propter Iudæos, quod dictum est: Hoc enim erat nobis propositum demonstrare, quod erat apud Deum patrem, Dominus IESVS. Dicit igitur primùm Moysi: *Ego præteribo prior te gloria mea & vocabor in nomine Domini coram te.* [Exod.34.] Dominus ipse existens, quem alium vocat Dominum? Cernis quàm occultè docuit, piam hanc de patre & filio doctrinam? Et rursus in his quæ sequuntur, his verbis scriptum est: *Et descendit Dominus in nube, & vocabat in nomine Domini, & præteriit Dominus ante faciem ipsius, & inuocauit; dominator Domine* [Moyses quomodo] F [Deũ viderit.] *Deus misericors & clemens, patiens & multæ miserationis ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & scelera atque peccata.* Tum deinde procumbens Moyses & adorans coram Deo vocante Patrem, dicit: gradiaris autem nobiscum. Habes primam hanc demonstrationem, sed recipe aliam manifestiorem: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Dominus Domino hæc dicit, non seruo, sed Domino omnium, Filióque suo, cui omnia subiecit. Cùm autem dicat, *Omnia subiecta sunt ei,* [1.Cor.15.] sine dubio præter eum, qui subiecit omnia ei, *vt sit Deus omnia in omnibus:* Dominus est omnium, vnigenitus Filius, [Filius Dei omniũ Dominus.] filius verò patris fidelis, non rapiens sibi dominium, sed à spontaneo volentéque accipiens. Neque filius rapuit, neque pater traditionem dominij illi inuidit. Ipse est qui dicit: *Omnia mihi tradita sunt,* [Matt.11.] & seruo benè & non defraudo patrem dantem. Dominus igitur est Filius Dei, Dominus qui natus est in Bethleem Iudæ, sicut Angelus dixit pastoribus: [Luc.2.] *Euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie* [Act.10.] G *Christus Dominus in ciuitate Dauid.* De quo alibi dicit quidam ex Apostolis: *Sermonem misit euangelizans per* IESVM CHRISTVM, *hic est omnium Dominus:* Quando autem dicit, omnium, nullam dominij partem excipit: siue enim Angeli, siue Archangeli, siue principatus, siue quidpiam eiusmodi rebus creatis ab Apostolis nominatum, omnia sunt dominio Filij subiecta. Angelorum est Dominus, sicut habes in Euangeliis: [Matt.4. Christus Angelorum Dominus.] *Tunc recessit ab illo diabolus, & Angeli accesserunt, & ministrabant ipsi;* quod est officium seruitutis. Cùm ex virgine nasci debebat, ministrabat tunc Gabriel, propriam dignitatem esse reputans ipsi ministrare. Cùm in Ægyptum ire debebat, vt manufacta dissolueret, rursus Angelus in somnis apparuit Ioseph. Crucifixo illo & resurgente, Angelus annuntiat, & dicit mulieribus, (quàm bonus minister) *Ite, inquit, & dicite discipulis eius, quod* [Matt.16.] *surrexit Dominus, & præcedet vos in Galilæam, ecce prædixi vobis:* H quasi diceret; non sum transgressus illius mandatum, testor illum dixisse vobis, vt si neglexeritis, non contra me fiat indignatio, sed aduersus negligentes.

Hic igitur est vnus Dominus IESVS CHRISTVS, per quem omnia, & nos per ipsum. IESVS CHTISTVS vocatur duplici nomine: IESVS, propter saluationem: Christus, propter sacerdotium, quo fungitur. Quod cognoscens diuinus Propheta Moyses duobus viris omnium excellentissimis duas hasce contulit appellationes. Alterum quidem sui principatus successorem Naue, [Christus propter sacerdotium dictus.] IESVM nominauit; alterum verò fratrem suum Aaron, Christum appellauit, vt per duos homines excellentes, & summi sacerdotij simul & regia dignitas futuri vnius IESV CHRISTI componeretur. Summus enim Pontifex est Christus, secundum Aaron: non ille seipsum censuit fieri summum sacerdotem, sed qui loquutus est ad illum: [Ps.109. Typus Christi in IESV Naue.] *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Typum verò illius gessit IESVS Naue, in multis,

A Incipiens enim præesse populo, à Iordane cœpit, vnde & Christus baptizatus cœpit Euangelizare. Duodecim diuisores hæreditatum, filius Naue constituit, duodecim quoque Apostolos præcones veritatis in omnem Matt.21. terram misit Iesus. Credentem Raab meretricem ille typus saluauit: hic autem verus Iesus dicit: *Ecce pu-* Matt.13. *blicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Sonitu solo Typicus ille prostrauit muros Hiericho: & propter dictum Iesu: *Non relinquetur hic lapis super lapidem;* cecidit hoc coram nobis Iudæorum templum: Non quòd illius dictum cadendi fuerit causa, sed quia peccata iniquorum, illius casus causam esse videbat. Vnus est Dominus Iesus, cuius nomen admirabile, à Prophetis obliquè prænunciatum: dicit enim Isaias: *Ecce Saluator tibi aderit, habens mercedem suam:* Saluator verò apud Iudæos Iesus dicitur, Prophetica enim gratia Domini-B cidas Iudæos præuidens, occultauit appellationem, ne si apertè præsciuissent, promptius illi insidiarentur. Iesus autem vocatus est non ab hominibus, sed ab Angelo manifestè, non sua authoritate veniente, sed misso à Deo, Matt.1. qui dixit ad Ioseph: *Ne timeas accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in illa natum est, de Spiritu sancto est: pariet autem filium, & vocabis nomen eius Iesum.* Cuius nominis causam statim reddit: *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Qui nondum genitus est, quomodo populum habere intelligetur, nisi antequam nasceretur, fuisset? Et hoc est, quod ex eius perso-Isa.49. na dicitur, *de ventre matris meæ vocauit nomen;* quia prædixerat Angelus, quòd Iesus vocabitur. Et rursus propter Herodis insidias, *Et sub protectione,* inquit, *manuum suarum occultauit me.*

Iesus græcè medicum sonat. Iesus itaque apud Hebræos significat Saluatorem, in lingua verò Græca medicum sonat, quandoquidem & corporum medicus est, & animarum curator, cæcorum sensilium sanator, & mentium illuminator, claudorum curator, & peccatorum dux ad pœnitentiam. Qui di-Marc.2. xerat paralytico, *Non pecces amplius, & tollens graba-* 1.Ioan.5. C *tum tuum ambula.* Cùm enim propter animi morbum langueret corpus, priùs animam curauit, vt corporis etiam induceret sanitatem. Cuius itaque anima peccatis affecta est, habet medicum. Et si quis est hic modicæ fidei, di-Marc.9. cat ad illum: *Adiuua incredulitatem meam.* Si quis etiam corporeis obnoxius est affectionibus, non diffidat, sed accedat: curabit ille etiam hæc, & cognosces, quia Iesus est Christus. Iudæi quidem concedunt illum esse Iesum, Christum verò esse negant. Absit hoc! Ideo di-1.Ioan.2 cit Apostolus: *Quis est mendax nisi qui negat, quòd Iesus sit Christus?* Christus est summus sacerdos, immutabile habens sacerdotium, quod neque à tempore cœpit, neque successorem alium habebit sacerdotij. Quemadmodum die dominico audisti, nobis in Synaxi disserentibus de eo quod dicitur; *secundum ordinem Melchisedech,* non ex corporea successione accipiens sacerdotium; neque factitio oleo vnctus, sed ante sæcula à patre, idque tantò excellentius aliis, quoniam hic cum iureiurando factus est sacerdos. Alij enim sine iureiurando sunt sacerdotes, alij autem cum iureiurando. D Propterea quod dicit: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.* Sufficiens erat ad securitatem, tantummodò voluisse partem, duplicatio autem securitatis est hic modus, cùm voluntati iusiurandum accedit, vt propter res duas incommutabiles, in quibus Deum impossibile est mentiri, fortiorem habeamus fidei consolationem, qui Christum Iesum filium Dei recepimus. Hunc Christum negabant Iudæi cognati; dæmones autem confitebantur, sed non ignorabat illum Patriarcha Dauid, dicens: *Paraui lucernam Christo meo.* Ac alij quidem, *lucernam,* Propheticæ claritatem interpretati sunt; alij verò, lucernam capiebant pro incarnatione ex Virgine, 2.Cor.4. secundum illud, quod est apud Apostolum, *Habemus thesaurum hunc in vasis fictilibus.* Non ignorabat Christum Propheta dicens; *Et annuncians hominibus Christum eius.* Nouerat illum & Moyses, nouerat Isaias, nouerat Hieremias, nemo ex Prophetis illum ignorabat. Luc.4. Agnouerant etiam illum dæmones: *Præcepit* enim *ipsis,*

Christi æternum sacerdotium Synaxis. Psal.109

Christum nouerant Prophetæ.

inquit, *quia sciebant ipsum esse Christum;* principes autem sacerdotum ignorabant. Et mulier Samaritana prædicauit dicens: *Venite, videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæ feci,* ne fortè hic est Christus? Hic IESVS CHRISTVS est, assistens Pontifex futurorum bonorum, qui propter abundantiam Deitatis omnibus nobis tradidit suam appellationem. Reges quidem inter homines, non communem cum aliis hominibus regium nomen habent: Iesus autem Christus Dei filius Christianos nos vocari dignatus est. Sed dicet aliquis, nouum est nomen Christianorum, & antea non erat in vsu: quæ autem nuper facta sunt, sæpè his propter nouitatem contradicitur. Præmunierat hoc Propheta dicens: *Seruientibus mihi vocabitur nomen nouum, quod benedicetur super terram.* Quæramus ex Iudæis: Seruitis Domino, an non? Ostendite igitur nomen vestrum nouum: Iudæi enim & Israëlitæ, à Moyse & aliis Prophetis vocati estis, & post reditum ex Babylone, & hucvsque. Vbi ergo est nomen nouum? Nos verò posteaquam seruimus Christo, habemus nomen nouum, quod benedicetur super terram. Comprehendit vniuersam terram hoc nomen: Iudæi enim in vna quadam sunt regione; Christiani verò vsque ad fines terræ, vbi etiam vnigeniti filij Dei annunciatur nomen.

Christianorum nouũ est nomen.

E

F

Vis nosse, quod nomen Christi gaudebant prædicare Apostoli? imò potiùs Christum in seipsis habebant. Paulus dicit ad auditores Iudæos: an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Christi? Paulus annunciat Christum; quis autem est iste? Ille qui antea persequebatur, ipse nunc Christum annunciat. Quamobrem? nunquid pecuniis corruptus? an quia vidit præsentem & reueritus est, cùm raptus erat in cœlum? Exiuit vt persequeretur, & post triduum Damasci persecutor, fit illius præco: qua virtute? Alij quidem domesticos de rebus domesticis citant testes, ego verò eum, qui antea fuerat hostis, testem statuo, & adhuc dubitas? Magna quidem Petri & Ioannis testimonia, sed suspiciosus aliquis dixerit, quòd erant domestici: de illius autem, qui hostis antea fuit, deinceps verò pro illo moritur, quis dubitet amplius illius esse verum testimonium? Miratus sum certè sancti Spiritus dispensationem, quòd aliorum quidem epistolas paruo numero circumscripsit, Pauli autem (antea sui persecutoris) quatuordecim esse concessit. Non enim eò, quòd minor esset Petrus aut Ioannes, præcidit gratiam, absit! sed quòd dubia non esset doctrina illius, qui antea esset inimicus & persecutor, plura concessit illum scribere, vt omnes sic nobis faciliùs persuadeamus. Stupebant enim omnes de Paulo dicentes: nonne est hic, qui priùs persequebatur? Nonne hic venit, vt nos ligatos ducat Hierosolymas? Non mi- Act.9. remini, inquit Paulus: Ego scio, quod *durum est* mihi *aduersus stimulum calcitrare.* Scio, quod non sum dignus vocari Apostolus, quia persequebar Ecclesiam Dei, sed *ignorans.* Existimabam enim esse solutionem legis, Christi prædicationem; nesciui autem quod ipse venit *adimplere legem, & non soluere;* superabundauit autem gratia Dei in me. Multa sunt vera, dilecti, de Christo testimonia: testatur Pater de cœlo de Filio, testatur Spiritus sanctus descendens corporaliter in specie columbæ, testatur Gabriel Archangelus Mariæ Euangelizans, testatur Virgo deipara, testatur beatus præsepij locus, Ægyptus testatur, quæ (puerum adhuc) Dominum receperat in corpore, testatur Simeon recipiens ipsum in Luc.2. vlnas, & dicens: *Nunc dimitte seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum.* Et Anna prophetissa continens, religiosissima & monialis testatur de ipso, testatur & Ioannes Baptista, maximus quidem inter Prophetas, archidux autem noui Testamenti, & quodammodo conglutinans in seipso ambo Testamenta, & nouum & vetus. Testatur Iordanis inter flumina, testatur inter maria, Mare Tyberiadis, testantur cæci, testantur claudi, testantur mortui excitati, dæmones testantur dicentes: *Quid nobis & tibi Iesu? scimus enim te esse filium Dei:* testantur venti, quieti

Testimonium hostis de Christo.

G

Pauli quatuordecim Epistolæ.

Testes Christi.

H

Anna Prophetissa continens, religiosissima & monialis erat.

Ioannes Baptista archidux noui Testamenti.

A

Crucis signum secundum fidem capientes orbem repleuit. Gethsemani adhuc monstrat Iudam.

quieti & tranquilli effecti. Quinque panes testantur, in quinque millia multiplicati. Lignum crucis testatur, ad hodiernum diem apud nos apparens, & apud eos, qui secundum fidem ex illo capientes hinc vniuersum orbem ferè iam repleruut. Palma, quæ est in Pharynge, testatur, ramos exhibens his, qui tunc benedicebant. Gethsemani testatur, modò non monstrans Iudam adhuc considerantibus. Golgotha hic mons sanctus & conspicuus eminenter, testatur sepulchrum sanctitaris, testatur & lapis ad hodiernum diem vsque positus. Sol nunc lucens testatur, qui tunc salutaris illius passionis tempore defecerat. Tenebræ testantur, quæ factæ fuerant à sexta hora vsque ad nonam: Lumen testatur, quod à nona hora vsque ad vesperas lucebat. Mons oliuarum hic sanctus testatur, ex quo ascendit ad patrem, & imbrigenæ nubes testantur, quæ Dominum susceperunt. Et cœlestes portæ testantur, de quibus dixerat Psalmus: *Tollite portas, principes, vestras, &c. Et introibit Rex gloriæ.* Qui hostes aliquando erant, testantur, è quibus beatus Paulus vnus est, ad modicum quidem gerens inimicitias; longo autem tempore illi seruiens. Apostoli duodecim testantur, non verbis tantùm, verùm etiam tormentis & propria morte prædicantes veritatem. Vmbra Petri testatur, sanans in nomine Christi ægrotos: sudaria & semicinctia Pauli testantur, similiter & Christi virtute per Paulum sanantia. Persæ & Gothi, & omnes gentes testantur, morientes pro illo, quem corporeis oculis non viderunt. Qui per fideles vsque ad hodiernum diem expelluntur dæmones, testantur. Tot & tam excellentes plurimique sunt testes, nunquid non creditis? Christus ipse testatus est. Si quis igitur est, qui priùs non credebat, credat nunc: si verò fuit fidelis, maius fidei adminiculum accipiat. Credens in Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, agnoscat cuius habet appellationem; Christianus vocatus es, parce huic nomini, ne propter te blasphemetur Dominus noster IESVS CHRISTVS filius Dei, sed luceant bona opera tua potiùs coram hominibus, vt videntes homines glorificent in Christo Iesu Domino nostro patrem, qui est in cœlis: Cui gloria nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Psal.23.

B

C

CATECHESIS XI. ILLVMINATORVM *Hierosolymis, extemporanea: de his rebus*, in filium Dei vnigenitum, ex patre genitum, Deum verum ante omnia sæcula, per quem omnia facta sunt. *Et lectio ex Epistola ad Hebræos*: Multifariè multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè autem locutus est nobis in filio, &c.

Non vulgariter credendum est in Christ. Christus ab æterno sacerdos.

D

Matt.16.

QVòd in IESVM CHRISTVM speramus, satis iam quantum potuimus, in his quæ à nobis heri tradita sunt, diximus: non vulgariter autem in Christum credendum, neque tanquam in aliquem ex his, qui abusiuè Christi vocati sunt, illi enim erant typici Christi: hic autem Christus verus non ex hominibus promotione aliqua in sacerdotium ascendit, sed semper sacerdotij habuit dignitatem. Et ideo præmuniens fides, ne vulgares Christos suspicaremur: *Vnum*, apponit confessioni fidei, quod credimus *in vnum Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM *filium Dei vnigenitum.* Filium porrò cum audis, non existimes esse adoptiuum, sed naturalem filium, vnigenitum filium, qui fratrem alium habet nullum. Propterea enim vocatur vnigenitus, quòd in dignitate Deitatis & ex patre generatione fratrem non habet. Filium autem Dei vocamus ipsum non ex nobis ipsis, sed quoniam pater ipsius filium eum vocauit. Vera autem est appellatio, quæ à patribus filiis datur. Incarnatus est tunc Dominus noster IESVS CHRISTVS, sed à multis ignorabatur: quod cùm docere vellet, congregatis quærebat ex illis: *Quem dicunt esse filium hominis?*

E

non inanis gloriæ studio, sed vt veritatem illos doceret, hæc quæsiit; vt qui cum Vnigenito Dei habitarent, tanquam simplicem aliquem hominem illum non contemnerent. Dicentibus autem illis, quòd *alij quidem Heliam, alij verò Hieremiam*; dicit ad illos: Illi quidem nescientes, excusabiles: Vos autem Apostoli, qui in nomine meo leprosos mundatis, & dæmonia eiicitis, & mortuos excitatis, non debetis eum ignorare, per quem facitis miracula. Omnibus autem reticentibus (supra vires enim humanas hæc erat doctrina) Petrus princeps Apostolorum, & supremus Ecclesiæ præco, non comminiscens sibi neque ratione humana persuasus, sed à patre Deo in mente illuminatus, dicit ad ipsum: *Tu es Christus filius Dei*, non simpliciter, sed *filius Dei viuentis.* Et statim benedictio verbum id subsequitur; erat enim id verè supra hominem. Et obsignans id quod ille dixerat, quòd pater esset, qui hoc illi reuelaret, dicit Saluator: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* Qui itaque agnoscit Dominum IESVM CHRISTVM cum Deo, fit particeps eius beatitudinis: qui verò negat filium Dei, infelix & miser est. Porro cùm filium audis, non abusiuè dici filium putes, sed verè filium naturalem, non ex seruitute in adoptionis prosperitatem ascendentem, sed imperscrutabili incomprehensibilique generatione productum. Similiter cùm audis primogenitum, non humano id more esse putes: hominum enim primogeniti alios quoque habent fratres, sicut alibi scriptum: *Filius primogenitus meus Israël*: sed sicut Ruben fuit abiectus, ita Israël. Ille enim in patris cubile ascenderat, Israël autem filium patris eijciens ex vinea crucifixit. Et ad alios quoque dicit Scriptura: *Filij estis Domini Dei vestri*: & alibi: *Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Dixi*, non genui. Illi verbo, adoptionem, quam non habebant, acceperunt, hic autem non aliud erat, & aliud factus, sed filius ab initio genitus, filius patris, similis generanti, vita ex vita progenita, & lumen de lumine, & veritas de veritate, & sapientia de sapientia, & rex de rege, & Deus de Deo. Si igitur audieris Euangelium cum dicit: *Liber generationis* IESV CHRISTI, *filij Dauid, filij Abraham*; secundum carnem id intellige: filius enim Dauid factus in consummatione sæculorum, & illud quidem accepit quod non habuit, hoc autem quod habuit, habuit perpetuò, vt sit genitus de patre. Duos patres habet, vnum, Dauid secundum carnem, & alterum, Deum patrem secundum deitatem. Et illud quidem, quod est secundum Dauid, & tempori subijcitur, & contrectatur, & prosapia eius recensetur: Quod verò est secundum deitatem, neque tempori subiicitur, neque loco, neque genus eius recensetur. *Generationem eius quis enarrabit? Spiritus est Deus*: qui verò spiritus est, spiritaliter generatur vt incorporeus, imperscrutabili & incomprehensibili generatione. Filius ipse dicit de patre: *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Hodie* autem, non recens, sed perpetuum, hodie, & sine tempore & ante omnia sæcula, *ex vtero ante Luciferum genui te.*

Petrus Princeps Apostolorum, & Ecclesiæ supremus princeps.

Matt.16

F

Filius primogenitus quomodo

Psal.81.

Matth.1

G

Christus habet duos patres.

Psal.53.

Psal.2.

Ioan.3.

H

Crede itaque in IESVM CHRISTVM filium Dei viuentis: filium autem vnigenitum, secundum Euangelium quod dicit: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et rursùs: *Qui credit in filium, non iudicatur, sed translatus est ex morte in vitam: qui non credit filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super illum, quia non credidit in filium Dei vnigenitum.* De quo testimonium perhibens Ioannes dixit: *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre, plenum gratia & veritate.* Quem trementes, dicebant dæmones, quid nobis & tibi, fili Dei viuentis? Filius ergo est Dei, non adoptione, sed natura genitus ex patre. Qui diligit generantem, diligit & genitum ex eo: qui autem non recipit Genitum, contumelia afficit Genitorem. Quum autem generantem Deum audis, ne incidas in corpora, neque corruptibilem esse opineris generationem, ne impiè agas. Spiritus Dei, spiritalis eius generatio. Corpora enim

i.Ioan.3.

Ioan.1.

Filius quomodo ex patre generatur.

A enim generant corpora, & in eorum generatione tempus intercedat necesse est: Eius autem, quæ est ex patre, generationis tempus intermedium non est. Et quod hic generatur, imperfectum est; Filius autem Dei perfectus est genitus: quod enim nunc est, hoc ab initio natus. Nos cùm nascimur infantes, ex ignorantia in rationem progredimur. Imperfecta est, ô homo, tua generatio, per successionem enim fit illius accessio: Illic autem nihil eiusmodi existimes, neque infirmitatis Genitum arguas. Si enim imperfectus quidem genitus est, successu verò temporis perfectionem adeptus est, infirmitatis illum arguis: Sin autem, quæ tu deinceps tempore illi accessisse putas, ab initio habuit; non ergo humanam existimes istam generationem, neque sicut Abraham genuit Isaac, qui non, quem voluit, progenuit, sed quem alius illi contulit. Deo patre generante, neque ignorantia intercedit, neque deliberatio, dicere enim, quod natum ex se ignorat, maxima est impietas; tum verò dicere, quod in tempore considerans, deinceps pater est

Generatio diuina.

B factus, eiusdem est impietatis. Non enim prius erat Deus sine prole; successu verò temporis factus est pater, sed semper habet filium, quem genuit, non sicut homines ab hominibus, sed sicut ipse nouit, qui genuit ipsum ante omnia sæcula Deum verum. Cum enim Deus verus esset pater, similem sibi genuit filium, Deum verum: non quemadmodum magistri generant discipulos, non vt Paulus quibusdam dicit: *In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Hic enim secundum naturam filius non erat, per doctrinam filius est factus. Illic autem naturalis filius, & verus filius. Non sicut vos illuminati, nunc facti estis filij Dei: efficimini & vos filij, sed adoptione per gratiam, sicut scriptum est: *Quicunque receperunt ipsum, dedit illis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* Et nos quidem nascimur ex aqua & spiritu: non ita autem Christus Iesus ex patre natus est, tempore baptismatis clamante & di-

1.Cor.4

Ioan. 1.

C cente: *Hic est filius meus.* Non dixit: hic nunc factus est filius meus, sed; *hic est filius meus*, vt ostendat, quod ante baptismatis operationem filius erat. Genuit pater filium, non sicut in hominibus mens generat verbum: Mens enim subsistens in nobis est, verbum autem prolatum, in aëra sparsum disperditur. Nos autem sciamus Christum esse natum, Verbum, non enunciatiuum, sed Verbum subsistens & viuens, non labiis prolatum & dissolutum, sed ex patre, perpetuò, ineffabili modo & in substantia natum. *In principio* enim *erat verbum*, in dextera sedens, verbum intelligens patris voluntatem, & illius nutu omnia gubernans. Verbum quod descendit & ascendit; nam illud quod enunciando profertur, non descendit, neque ascendit. Verbum loquens & dicens: *Quæ vidi à patre meo, hæc loquor.* Verbum potens & imperans omnibus; *Omnia* enim *filio tradidit pater.* Genuit igitur ipsum pater, non ita vt aliquis intellexerit, sed vt ipse solus nouit; neque enim quomo-

Christus verbū nō enunciatiuū, sed subsistens & viuēs

Ioan.1.

Creatoris generationem nulla nouit creatura.

D do genuerit, dicere promittimus, sed quod non ita genuerit, confirmamus. Neque verò nos tantùm hanc ex patre filij ignoramus generationem, sed etiam vniuersa creata natura. Perquire terram, si tibi dicet: etiamsi omnia perquisiueris; quæ sunt super terram, dicere non poterunt. Terra enim sui figuli & creatoris substantiam dicere non poterit. Neque terra tantùm id nescit, verumetiam Sol: quarto enim die creatus est Sol, & ea quæ tribus ante illum diebus facta sunt, non nouit, quomodò ipsum factorem poterit eloqui? Cœlum quoque hoc non enarrabit; nutu enim patris per Christum cœlum tanquam fumus extensum est. Neque cœli cœlorum enarrabunt, neque aquæ, quæ super cœlos sunt, hoc enarrauerint.

Quid igitur doles te nescire, ô homo, quod & cœli ignorant, sed & vniuersa natura Angelica? Si enim posset esse, vt aliquis in primum cœlum ascendens perspiciensque Angelorum statum, & accedens interrogauerit, quomodo Deus filium suum genuerit! dicerent fortè; superiùs habemus maiores quàm nos, illos interro-

E ga: ascende in secundum cœlum, & tertium (si potes) conscende, & ad dominationes, principatus & potestates. Etiamsi ad illos accesserit quispiam, quamuis id sit impossibile: & illi hanc enarrationem recusarent; neque enim eam norunt. Equidem admiratus sum audacem illorum curiositatem, qui per opinionem religionis incidunt in impietatem. Cum enim thronos & dominationes, quæ sunt Christi opera: cùm & principatus & potestates ignorent, ipsum Factorem curiosè scrutari aggrediuntur.

Thr[...] & do[...] nation[...] iūt C[...] sti op[...]

Dic mihi primùm, ô audacule, quid thronus differat à dominatione, & tunc sis curiosus circa Christum? dic mihi, quid sit principatus, quid potestas, quid virtus, quid Angelus, & tunc Factorem perquire curiosè. Omnia enim per ipsum facta sunt, sed ne velis interrogare Thronos aut Dominationes, neque enim enarrare poterunt. Quis est alius qui cognoscat *profunda Dei*, nisi Spiritus sanctus, cuius eloquia sunt diuinæ Scripturæ? neque tamen vel ipse Spiritus sanctus de Filij ex

F Patre generatione, in Scripturis locutus est. Cur igitur curiosè inquiris ea quæ nec Spiritus solus locutus est in Scripturis? Qui ea quæ scripta sunt non nosti, in his quæ scripta non sunt, ne sis curiosus. Quæstiones multæ sunt in Scripturis diuinis, & tamen quæ scripta etiam sunt, non comprehendimus: quid de eo quod scriptum non est, curiosi sumus? Sufficit nobis scire, quod genuit DEVS vnum solum. Non te pudeat ignorantiam confiteri, quandoquidem cum Angelis id ignoras: qui genuit, ille solus nouit, & qui ab illo genitus est nouit Genitorem. Qui genuit, nouit quem genuit. Et scripturæ testantur, quod Deus est genitus. *Sicut enim Pater vitam habet in seipso, ita & Filio dedit vitam habere in seipso, & vt omnes honorent Filium sicut honorant Patrem.* Et: *sicut pater quos vult viuificat, sic & filius quos vult viuificat.* Neque generans aliquo priuatur, neque deest quicquam genito. Scio quod sæpe eadem vobis dixerim, sed hæc sæpè dicuntur propter vestram securitatem, &

Curio[...] ea in[...] quæ s[...] pta n[...] sunt, [...] ginde[...]

Ioan [...]

G confirmationem. Neque genitor habet Patrem, neque genitus, fratrem. Neque generans in Filium mutatus est, neque natus, Pater factus. Ex vno solo Patre, vnus vnigenitus Filius. Neque duo ingeniti, neque duo vnigeniti, sed vnus est Pater ingenitus qui Patrem non habet, & vnus est Filius æternus ex Patre natus: non tempore factus, sed ante sæcula genitus. Non prosperitate aliqua auctus; sed idem semper qui nunc.

Credamus igitur in Filium Dei vnigenitum qui ex Patre natus est, Deum verum de Deo vero. Verus enim Deus, non generat falsum, sicut dictum est. Neque deliberans, deinceps genuit; sed perpetuo genuit, & verbis cogitationibusque nostris multò celeriùs genuit. Nos enim in tempore loquentes, tempus consumimus: in diuina autem virtute, sine tempore est generatio. Et sicut sæpe dictum est; non produxit Filium ex non esse ad esse; neque eum qui non erat, in adoptionem adduxit: sed æternus Pater, æternum Filium ineffabiliter

Gene[...] tio d[...] na si[...] tempo[...] est fi[...] in diu[...] non p[...] ductu[...] nō esse[...] esse. Princi[...] vnū [...] ter.

H genuit, vnum solum, fratrem non habentem. Neque duo sunt Principia; sed caput CHRISTI Pater, vnum principium: Pater enim Filium genuit. Genuit Deum verum, Emmanuel appellatum: qui interpretatur, nobiscum Deus. Et vis nosse quod Deus est ille qui ex Patre genitus, & deinde incarnatus est? Audi Prophetam dicentem: *Iste Deus noster, non reputabitur aliud ad illum; inuenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob puero suo & Israël dilecto suo; post hæc in terra apparebit, & cum hominibus conuersabitur.* Cernis Deum, post legislationem Moysis incarnatum? Accipe & aliud testimonium Christi Deitatis, quod modo lectum est: *Thronus tuus, Deus in sæculum.* Vt enim propter carnis hanc præsentiam hic factam, non existimaretur deinceps in hanc Deitatis dignitatem deuenisse; dicit manifestè: *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ pro consortibus tuis.* Vides Christum à Patre vnctum Deum? Vis habere & tertium testimonium Christi Deitatis? Audi Isaiam dicentem: *Laborauit Ægyptus & emporia Æthio-*

Baruc.

Hebr.

Psal. 4[...]

Isa. 4[...]

pum:

A *pum*: Et post pauca; *& tibi supplicabunt, quod Deus est, & non est Deus præter te: Tu enim es Deus & nesciuimus; DEVS Israël, Saluator.* Cernis Deum habentem in seipso Deum patrem? modo non hoc ipsum dicentem quod est in Euangeliis dictum: *Pater in me, & ego in Patre.* Non dixit: Pater sum ego: sed, *Pater in me.* Et rursus non dixit: Vnus sum: sed, *Ego & Pater vnum sumus*: vt neque abalienemus, neque contractionem filio-patoriæ fabricemus. Vnum; propter Deitatis dignitatem: quoniam Deus genuit DEVM: Vnum, propter regnum: non enim aliis regnat pater, aliis filius: (sicut Absolon qui aduersabatur patri) sed quibus regnat pater, his & filius regnat. Vnum propterea quod nulla sit differentia aut distantia; Non enim aliæ voluntates patris, & aliæ filij. Vnum propterea quod aliæ sunt gubernationes Christi; aliæ, patris: vna enim est omnium administratio; Patre per Filium omnia faciente: quia ipse *dixit, & facta sunt: ipse præcepit, & creata sunt*: dicit Psaltes. Dicens enim, audienti dicit: & præcipiens, præsenti præcipit. Deus igitur verus, est filius: habens in seipso patrem non in patrem mutatus. Non pater incarnatus est, sed filius. Dicatur enim liberè veritas: non pater passus est pro nobis: sed pater misit eum qui pro nobis pateretur. Neque dicamus: Erat aliquando, quando non erat filius: neque filio-patoriam concipiamus, sed via regali procedamus. Non declinemus neque ad dexteram, neque ad sinistram. Neque ideo quod ita existimemus nos filium honorare, patrem eum nuncupemus: neque propterea quod in hoc patrem nos honorare putemus: creatum quid esse filium suspicemur: sed vnus pater, per vnum filium adoretur: & non diuidatur adoratio. Vnus filius appelletur ante sæcula, in dextra patris sedens, atque hanc sessionem non in tempore post passionem ex promotione accipiens, sed ab æterno possidens. *Qui videt Filium, videt & Patrem*: Similis enim in omnibus filius genitori: vita ex vita genitus, lumen de lumine, virtus de virtute, & DEVS de DEO: Et non differentes sunt Deitatis splendores in filio. Et qui dignus habitus est filij Deitatem videre: veniet etiam in fruitionem Patris. Non meus hic sermo, sed Vnigeniti: *Tanto tempore vobiscum sum, & non nouisti me Philippe? Qui videt me, videt & Patrem meum.* Et vt compendiosius dicam: neque separemus, neque contractionem faciamus. Et ne alienum fortè filium dicas à patre: non recipias eum qui dicat, patrem aliquando quidem patrem, aliquando verò filium esse: Aliena enim & impia sunt hæc, & non Ecclesiæ dogmata. Sed pater generans filium, mansit pater, & non alteratur. Sapientiam genuit, sed non incipiens ipse factus, & virtutem generans, ipse non est infirmatus. Deum generans, ipse non est aliquo priuatus: neque diminutus quicquam ipse perdidit, neque genitus aliquem defectum habet. Perfectus genitor, perfectus genitus. Deus genitor, Deus & genitus: Deus quidem omnium. Deum vero sibi patrem ascribens, non puduit illum dicere: *Ascendo ad Patrem meum, & ad Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* Sed vt non existimet, eodem modo esse filij & creaturarum patrem: distinxit in sequentibus. Non enim dixit; *Ascendo ad patrem nostrum*: ne esset communio creaturarum cum vnigenito: sed, *ad patrem* (inquit) *meum, & ad patrem vestrum.* Aliter *meum*, per naturam: aliter, *vestrum*, per adoptionem. Et rursus: *Ad Deum meum, & ad Deum vestrum.* Aliter, *meum*: tanquam proprij & vnigeniti filij: & aliter, *vestrum*; tanquam creaturarum. Deus igitur verus est filius Dei, ante omnia sæcula ineffabiliter genitus. Sæpè autem hoc idem vobis dico, vt menti hoc vestræ imprimatur. Et quod Deus quidem filium habeat crede: quomodo autem, ne sis curiosus: quærens enim non inuenies. Non te extollas, ne cadas: Quæ tibi mandata sunt, hæc sola intellige. Dic mihi prius quis sit genitor, & tunc genitum cognosces. Si autem naturam genitoris non potes cognoscere; qui modus geniti sit, ne sis curiosus; Sufficit tibi ad pietatem, quemadmodum diximus, scire quod vnum solum filium DEVS habeat: vnum natura genitum: qui non tum esse cœpit cum in Bethleem natus est, sed ante omnia sæcula. Audi Micheam Prophetam dicentem: *Et tu Bethleem domus Ephrata, nequaquam minima es in millibus Iuda, ex te enim exibit dux qui regat populum meum Israël, & exitus ipsius ab initio à diebus æternitatis.* Non ergo aduertas tantum, quod natum est in Bethlehem: sed etiam adora eum qui ab æterno genitus est ex patre. Non temporaneum principium filij recipe, aliquo id dicente: sed principium sine tempore, patrem esse agnosce. Principium enim filij sine tempore, & incomprehensibile. Sine principio pater; fons fluminis iustitiæ. Vnigeniti pater qui genuit ipsum, solus ille nouit. Et vis nosse quod æternus est Rex & Dominus noster IESVS CHRISTVS? Audi rursus ipsum dicentem: *Abraham desiderabat vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est.* Deinde cum id dure Iudæi acciperent, durius isto dicit; *Priusquam Abraham esset, ego sum.* Et rursus ad patrem dicit: *Et nunc glorifica me tu Pater apud teipsum gloria quam habui ante huius mundi constitutionem apud te.* Manifestè sanè dixit: priusquam mundus fieret, ego habui apud te gloriam. Et rursus: quod dilexisti me ante constitutionem mundi; dicit manifestè, quod æternam apud te habeo gloriam. Credamus igitur in vnum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, filium Dei vnigenitum qui ex patre natus est, DEVM verum ante omnia sæcula, per quem omnia facta sunt. Siue enim Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia per ipsum facta sunt, & nihil est creatum extra potestatem illius. Obmutescat omnis hæresis quæ aduersos factores & mundi constitutores inducit. Obmutescat, quæ Christum filium Dei blasphemat. Obmutescant, qui dicunt Solem esse Christum: Solis enim ille opifex est; non est autem Sol hic apparens. Obmutescant qui dicunt hunc mundum, Angelorum esse opificium: qui vnigeniti dignitatem abripere volunt. Siue enim visibilia, siue inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue quocunque nomine vocentur, omnia per Christum facta sunt. Regnat filius super ea quæ ab illo facta sunt, non alienam rapinam sibi vsurpans, sed suis opificiis dominans, sicut Ioannes Euangelista dixit: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Omnia per ipsum facta sunt, patre per filium operante. Ac vellem etiam afferre exemplum aliquod dictorum, sed esse scio imbecillum: quod enim ex his visibilibus aptum diuinæ virtutis capietur exemplum? sed dicam tamen, tanquam infirmum, ab infirmo ad infirmos. Quemadmodum enim, si quis Rex regem habens filium, volens constituere ciuitatem: poneret exemplarem, filio secum regnanti, structuram ciuitatis: ille autem exemplum capiens, ad finem perducat quod animo concepit: Ita patre volente omnia extruere; Patris nutu Filius omnia creauit: vt nutus quidem custodiat patri authenticam potestatem: Filius verò habeat nihilominus potestatem rerum à se factarum. Et neque pater à dominio creaturarum abalienatur: neque filius, his quæ ab alio facta essent dominatur: sed his quæ ab illo. Non enim Angeli, sicut dictum est, mundum hunc fabricarunt, sed Filius vnigenitus, ante omnia sæcula genitus, sicut dictum est: per quem omnia facta sunt, nulla re ab illius opificio excepta. Et hæc quidem huc vsque per Dei gratiam dicta sufficiant: Recurrentes verò in fidei confessionem: nunc concludemus sermonem. Omnia fecit Christus, siue Angelos, siue Dominationes dicas, siue Archangelos, siue Thronos: non quod pater destituatur in creaturarum gubernatione; sed quod regnare voluit Filium in his quæ ab illo facta sunt, ipse exhibens illi rerum creatarum administrationem. *Honorat*, enim inquit, *vnigenitus patrem suum: non potest Filius quicquam facere à semetipso, nisi viderit patrem facientem, quæ enim ille facit, hæc & filius similiter facit.* Et rursus: *Pater meus vsque modo operatur, & ego operor.* Neque tamen vlla est in rebus operatis contrarietas; *Mea, enim tua sunt, & tua mea*, inquit in Euangeliis Dominus. Quod quidem apertè cognoscere licet, tam ex veteri quam ex

Marginal notes: Ioan. 14. — *Filio patoria, hoc est patris & filij confusio non facienda.* — *Voluntas vna patris & filij.* — B — *Erat aliquando quando non erat, non dicendum.* — Ioan. 14. — C — *Dogmata ab Ecclesia aliena & impia de Trinitate.* — Ioan. 14 — D — *Curiositas in diuinis vitanda. Mãdata, sola intelligenda.* — E — Mich. 5. — *Pater, principiũ sine tempore. Principiũ filij Pater.* — F — Ioan. 8. *Abrahã Christũ vidit.* — Ioan. 17. — *Christi potestas per omnia.* — Ioan. 1. — G — *Patris nutu, filius omnia facit.* — H — *Christus entia omnia fecit.* — Ioan. 5.

A

ex nouo testamento. Qui enim dicit: *Faciamus hominem ad imaginem nostram & ad similitudinem*; omnino ad aliquem præsentem dicit. Manifestissimè autem omnium, Psaltes dixit: *Ipse enim dixit & facta sunt, ipse mandauit & creata sunt.* (Ps. 39. 9.) (*Patre mandãte, Filius omnia fecit.*) Itaque patre mandante & dicente; Filius nutu illius omnia fecit. Quod etiam Iob mysticè dixit: *Qui extendit cœlum solus, & ambulat super mari tanquam super solo.* (Iob 9. 8.) Palam est considerantibus, quod qui cum hic præsens esset, ambulauit super mari, is erat qui ante hos cœlos factus est. Et rursus: *Dominus,* inquit, *accipiens pugillum terræ, creauit animal,* & cætera: *aperientur autem tibi portæ mortis.* Manifestum, quod qui propter suam benignitatem in infernum descenderat, hic ab initio ex luto fecit hominem. Est igitur Christus Filius Dei vnigenitus, & mundi factor. *In mundo erat, & mundus per eum factus est,* & *in propria venit,* sicut nos docet Euangelium. (Ioan. 1.) Non solum autem visibilium, sed etiam inuisibilium, nutu Patris creator est Christus. *In ipso* enim *creata sunt omnia*, secundum Apostolum, (Col. 1. 16.) *& ea quæ sunt in cœlis, & quæ super terram, & visibilia & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates,* omnia per ipsum & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia in ipso constituta sunt, etiam ipsa sæcula, horum omnium, voluntate Patris, IESVS est Dominus. Nouissimis enim his diebus *locutus est nobis in Filio quem posuit hæredem omnium, per quem & sæcula fecit:* (Heb. 1. 2.) Cui gloria, honor & potentia in sancto Spiritu, vbique nunc, & semper in omnia sæcula sæculorum, Amen.

B

CATECHESIS DVODECIMA ILLVMINATORUM Hierosolymis, ex tempore dictata, de Incarnato & Inhumanato Christo. Et lectio ex Isaia: Et adiecit Dominus loqui ad Achab dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo, &c. ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.

(Isa. 7. 11.)

C

CAstitatis alumni & discipuli temperantiæ: natum ex Virgine Deum castitatis plenis labiis celebremus; & spiritalis ouis corpus sumere digni effecti, *caput* simul *cum pedibus* sumamus. Caput autem, Deitatem intelligentes: & pedes, humanitatem accipientes: sanctorum Euangeliorum auditores, Ioanni Theologo credamus. (*S. Ioãnes Euangelista Theologus vocatur.*) Qui enim dixit; *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; (Ioan. 1.) idem subiecit, dicens: *Et Verbum caro factum est.* Neque enim simplicem hominem adorare sanctum est, neque Deum tantum esse illum dicere, pium. Si enim Deus Christus, quemadmodum est; non assumpsit autem humanitatem, alieni sumus à salute: Adoretur itaque vt Deus: credatur autem quod humanitatem assumpsit. Neque enim hominem dicere absque Deitate, vtile est; neque Deitatem confiteri absque humanitate, salutare. Confiteamur regis & medici præsentiam: Rex enim IESVS, homines curaturus linteo humanitatis præcinctus, curauit morbum. Perfectus infantium magister; paruulus factus est paruulis, vt erudiret imprudentes: cœlestis panis venit super terram, vt alat esurientes. Iudæorum autem liberi, venientem reiecerunt; malè autem, venturum expectant. Verum Christum negauerunt, falsum autem ipsi errantes recipient. (*Iudæi, falsum Christũ recepturi.*) Qua de re etiam Saluator verè dixit: *Ego veni in nomine Patris mei & non recipitis me, si autem alius venerit in proprio nomine, illum recipietis.* (Ioan. 5. 43.) Bonum autem est, quæstionem Iudæis proponere: verúsne est Isaias Propheta qui dicit, quod de Virgine nascetur Emmanuel, an falsus? Si enim illum falsi arguunt, nihil mirum: mos enim est illis, non modo falsi arguere, verum etiam lapidare Prophetas: si autem verus est Propheta, monstrate Emmanuelem. Et, vtrum is qui à vobis expectatur venturus, de Virgine nascetur an non? Si enim de Virgine non nascetur, Prophetam arguitis falsi: sin autem id in futuro expectatis; cur id quod iam factum est, reprehenditis? Ac Iudæi quidem errant, siquidem ita volunt; Ecclesia autem Dei vera glorificetur.

D

E

Et nos recipiamus Verbum incarnatum verè: non ex voluntate viri & mulieris (vt hæretici dicunt) sed ex Virgine & Spiritu sancto, secundum Euangelium, incarnatum, non in apparentia sed in veritate. Et quod ex Virgine verè humanitatem assumpsit, secundum Euangelium, non in phantasmate, sed verè de Virgine homo factus. Expecta tempus doctrinæ, & habebis probationem; sinuosus enim est hæreticorum error. (*Hæreticorũ error sinuosus.*) Atque hi quidem, nequaquam ipsum de Virgine natum dixerunt: alij verò natum non ex Virgine, sed ex muliere cum viro habitante. Alij autem dicunt, non Deum (vt ita dicam) inhumanatum, sed hominem quendam Deificatum. Ausi sunt enim dicere quod non Verbum illud ab initio præexistens, incarnatum esset: sed homo quidam proficiens, hic est coronatus. Tu vero memineris eorum quæ nuper de Deitate dicta sunt. Crede quod ille ipse vnigenitus Dei Filius, est de Virgine tantum natus. Ioanni Apostolo crede dicenti: *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* (Ioan. 1.)

F

Verbum enim æternum, ante omnia sæcula genitum; corpus autem recens propter nos assumpsit. Sed contradicunt multi, atque inquiunt: Quæ tanta fuit causa, vt Deus in humanitatem sese dimitteret? Et: Quomodo Dei naturæ possibile est cum hominibus versari? Et: si possibile est Virginem parere sine viro? Cum autem multæ sint huiuscemodi contradictiones, & diuersimodi pugnæ: age; per Dei gratiam, & orationes præsentium, singula dissoluemus. Ac primum quidem quæratur qua de causa descenderit IESVS. In quo non meis commentis attende: posses enim fortè decipi; sed nisi Prophetarum de singulis acceperis testimonia, ne credas assertionibus. Nisi & de Virgine, & de loco, & de tempore, & de modo didiceris ex Scripturis diuinis, non recipias ab homine testimonium. Qui enim nunc adest & docet: suspectus vel dubius esse potest: qui autem ante mille & ampliùs annos prophetauit, quis mentis compos suspectum illum habuerit?

G

Si igitur Christi aduentus causam quæris, recurre ad primum scripturarum librum. Sex diebus Deus creauit mundum, sed mundus propter hominem. (*Mundus propter hominem factus.*) Sol quidem splendidus, radiisque relucens, sed & hic propterea vt homo videat, factus est: Et omnia animantia, vt nobis seruiant constituta sunt, herbæ & arbores, in vsum nostrum creatæ. Omnia quidem bona opificia, sed nullum imago Dei, solus tantum homo. Sol mandato tantum, homo verò manibus diuinis formatus est. *Faciamus hominem ad imaginem nostram, & ad similitudinem.* (Gen. 1.) Imago lignea terreni Regis honoratur, quanto magis rationalis imago Dei? (*Imago Dei honoranda.*) Sed hanc maximam creaturarum, in paradiso habitantem, inuidia diaboli inde eiecit. Insultabat inimicus cadenti quem oderat: nunquid vellet inimicum manere gaudentem? Hic non audens propter robur virile accedere ad virum, tanquam ad firmiorem, accessit ad mulierem, adhuc virginem: (*Eua virgo decepta.*) nam post casum in paradiso. tunc primum cognouit Euam mulierem suam. † Secundi successores humani generis, Cain & Abel: (*† Primi*) Cain primus homicida erat. Diluuium postea effusum est propter multam hominum prauitatem. Ignis de cœlo descendit, propter Sodomitarum iniquitatem. Electus est post nonnulla tempora à Deo Israël: sed & hoc genus lectum, dispersum & vulneratũ est. Moyses enim cum in monte Deo assisteret; vitulum populus pro Deo adorabat. Cum Legislator Moyses legem tulisset, *Non mœchaberis*: vir in lupanar ingressus est. Mittebantur Prophetæ post Moysen curare Israëlem: sed curando, medici debilitati sunt, non ferentes morbos, sicut quidam ex illis dicit: *Hei mihi, quia periȷt pius de terra, & rectè faciens non est inter homines.* Et rursus: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum.* (Ps. 52. 3.) Et rursus. *Vt periurium, furtum, fraus, adulterium & homicidium effusa sunt super terra, filios suos, & filias sacrificauerũt dæmonijs, auguriis, veneficiis, vaticiniis.* (Ose. 4. 2.) Et rursus: *Vestimenta ligantes, velum faciebant prope altare.* Maximum erat vulnus humanitatis, à pedibus vsq; ad caput

H

A non erat in illo integritas, neque fomentum apponebatur, neque oleum, neque vinculum. Deinde deplorantes & dolentes Prophetæ, dicebant: *Quis dabit ex Sion salutare Israël?* Et rursus: *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis quem confirmasti tibi, & non deficiamus à te.* Et alius Propheta orat dicens: *Domine, inclina cœlos & descende, subueni nostræ medicinæ & humanitatis vulneribus: Prophetas tuos occiderunt, altaria tua dissipauerunt*, insanabile nostrum malum, te indiget curatore. Exaudiuit hanc Prophetarum orationem Dominus: non despexit humanum genus perditum, misit de cœlis Dominum & medicum, Filium suum, vt dicit quidam Propheta: *Dominus quem vos quæritis, veniet; & repentè veniet aliquando in templum suum Dominus, vbi eum lapidastis.* Deinde audiens id alius Propheta, dicit ad ipsum: *Dei salutē loquens, quietè loqueris, Dei salutē Euangelizans, in occulto loqueris? super montem excelsum ascende qui Euangelizas Sion, dicens ciuitatibus Iuda; quid dicam? Ecce Deus noster, ecce Dominus in fortitudine veniet.* Ipse rursus dicit: *Ecce ego veniam & requiescam in te, dicit Dominus, & confugient gentes multæ ad Dominum.* Israëlitæ, salutem quæ facta est per me, reiecerunt, veniam omnes gentes congregare, & relinquam super illos signum: Ex meo enim certamine, quod habui in cruce, sigillum regale cuilibet meorum militum dabo vt ferat in fronte. Et alius Propheta dixit: *Et inclinauit cœlos & descendit & caligo sub pedibus eius.* Ignorabatur descensus de cœlo. Deinde Salomon audiens patrem suum Dauid hæc dicentem: admirandam domum ædificauit, & prospiciens venturum in eam, admirans dicit: *Si verè habitabit Dominus cum hominibus in terra.* Certè, inquit Dauid in Psalmo, de Salomone inscripto, in quo est: *Sicut pluuia in vellus descendit:* Pluuia quidem dicitur, propter supercœleste; *Super vellus* autem, propter humilitatem. Pluuia enim super vellus descendens, sine strepitu descendit, ita vt ignorato mysterio generationis, secundum Magos diceret: *Vbi est qui natus est Rex Iudæorum?* Et secundum Herodem perturbatum quæreret de nato atque diceret; *Vbi CHRISTVS nascetur?* Quis est hic descendens (inquit deinde) & *habitat cum Sole, & ante Lunam generatio eius.* Et rursus alius ex Prophetis dicit: *Gaude multum filia Sion, prædica filia Hierusalem: Ecce Rex tuus venit iustus & saluans.* Multi sunt reges, de quo igitur hîc Propheta: da nobis signum quod alij Reges non habeant. Si enim dixeris purpuratum regem: præoccupata est huiusmodi dignitas: Si dixeris à militibus stipatum, in curribus auratis sedentem, hoc etiam ab aliis est præoccupatum. Da nobis signum proprium Regis, cuius regnum annuntias? Propheta autem respondit & dicit: *Ecce rex tuus venit tibi iustus & Saluator, ipse pauper & ascendens super asinam & pullum filium asinæ*; non in curribus. *Et dispergam quadrigas eius:* habes singulare signum adfuturi Regis. Solus regem IESVS, super pullo asini sedit; & solenniter cum benedictionibus, tanquam Rex in Hierusalem ingressus est. Quid autem facit Rex iste veniens? *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, vbi non est aqua.* Ac fieri quidem potest, super asini pullo sedere aliquem: da autem nobis signum potius, vbi consistet ingrediens hic Rex? hoc autem signum non procul des à ciuitate, ne ignoremus; sed propè da nobis signum quod possimus hisce oculis conspicere, vt etiam cum sumus in ciuitate possimus hoc signum videre. Propheta autem rursus respondet, dicens: *Et stabunt pedes illius in die illa, super montem Oliuarum*, qui est contra Hierusalem ad Orientem. Nunquid aliquis etiam stans intus in ciuitate, non considerat locum? Habemus duo signa, sed tertium cupimus discere: dic quid faciat adueniens Dominus: Dicit alius Propheta: *Ecce Deus noster.* Et Deinceps *veniet & saluabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum & aures surdorum patebunt, tunc saliet claudus, sicut ceruus, & balbus planè liberéque loquetur.* Dicatur autem & aliud testimonium: Dominum venturum dicis, ô Propheta, signa, qualia nunquam fuerunt, facientem: quale signum aliud manifestum dicis?

Ps. 13.7. Psal. 78. 18. Malac. 3. Isa. 40. B *Prædictiones venturi Saluatoris.* Psal. 17. 10. 3. Reg 8. 27. Ps. 71. 6. C Matth. 2. 2. Ps. 17. 5. Matth. 2. c. *Messiæ proprium signum.* Zach. 9. 10. *Christi ingressus in Hierusalem* D *cū benedictionibus.* Zach. 9. 11. Zach. 14. 4. Isa. 35. c. Matth. 11. 5.

Ipse Dominus in iudicium veniet cum senioribus populi, & cum principibus eius. Signum excellens; Dominus à seruis senioribus iudicandus & passurus. Hæc legentes Iudæi, non audiunt: obturauerunt aures cordis, vt non audiant. Sed nos credamus in IESVM CHRISTVM incarnatum & inhumanatum; quandoquidem secus non capimus eum. Cum enim nos, ita vt ille erat, perspicere aut frui illo non potuimus; factus est ille sicut & nos, vt sic illo perfrui possemus. Si enim Solem qui die quarto factus est, perfectè intueri nequimus, quomodo illius factorem videre poterimus? In igne descendit Dominus supra montem Sina, & ferre non potuit populus, sed dixit ad Moysen; *Loquere tu nobis & audiemus, & non loquatur ad nos Deus ne fortè moriamur.* Et rursus: *Quid est omnis caro, vel quis audiuit vocem Dei viuentis, loquentis de medio ignis, & viuet?* Si audire vocem Dei viuentis, mortis est causa, visio autem illius, quomodo non erit mortis causa? Quid miraris? Moyses ipse dixit; *Exterritus sum & tremebundus.* Quid igitur velles venientem ad salutem, exhibitorem fieri perditionis, propterea quod illum homines non possent ferre; an potius vt commensuraretur eius gratia & gloria? Daniel non ferebat visionem Angeli; tu Angelorum Domini visionem sustinebis? Gabriel apparuit, & cecidit Daniel, & qualis erat ille qui apparebat, aut illius forma? *Facies*, inquit, *illius erat sicut fulgur*; non sicut sol: *& oculi ipsius sicut lampades ignis*, & non sicut igneus fornax: *& vox sermonum eius, sicut vox multitudinis:* non tanquam duodecim legionum Angelorum. Et tamen cecidit Propheta, & accessit Angelus: *Ne timeas* (inquit) *Daniel & surge:* Bono sis animo, audita sunt verba tua. Et, *dicit Daniel, surrexi tremens.* Et neque sic respondit, donec tetigit ipsum similitudo manus hominis; & quando mutatus est in similitudinem hominis, ille qui apparuerat. Tunc dixit Daniel: *Et quid* (inquit) *Domine in visione tua dissolutæ sunt cōpages meæ, & nihil in me remansit virium, sed & halitus meus intercluditur?* Si Angelus apparens abstulit vocem Prophetæ & vires. Deum videndo retineres spiritum? *Et donec* (dicit Scriptura) *tetigit me tanquam manus hominis*, non potuit recreari Daniel. Experientia igitur nostræ infirmitatis ostensa, recepit hoc Dominus quo homo requirit. Cum enim in simili persona vult se alloqui homo: assumpsit illi simile Saluator, vt facilius erudirentur homines. Accipe autem & aliam causam: Venit Christus vt baptizaretur & sanctificaret baptisma: venit vt miracula operaretur, ambulans super aquas Maris; quoniam ante carnis assumptionem, *Mare vidit* illum, *& fugit, Iordanus est conuersus retrorsum:* Assumpsit corpus Dominus, vt mare videns sustineret; & Iordanus sine timore illum susciperet: atque hæc quidem vna causa. Est autem & altera: per virginem Euam venit mors, operæpretium erat de virgine apparere vitam: vt sicut illam serpens decepit, ita hanc Gabriel annuntiaret. Relinquentes homines Deum, fabricauerunt Idola: Deo itaque in humana figura falso adorato: Deus verè homo factus est, vt solueretur falsum. Carnis instrumento contra nos diabolus vsus est: & hoc cognoscens Paulus dicebat; *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, &c.* quibus armis diabolus nos oppugnabat, per eadem saluati sumus. Assumpsit simile nobis corpus: vt deficienti maiorem conferret gratiam: & vt peccatrix humanitas, Dei fieret particeps: *Vbi* enim *abundauit peccatum, ibi superabundauit gratia.* Oportuit pati pro nobis Dominum, sed non auderet accedere diabolus, si hoc sciret: *si enim sciuissent, nequaquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Esca igitur mortis factum est corpus, vt cum speraret se deuoraturum draco, euomeret etiam illos quos iam deuorauerat: deuorabat enim mors præualens. Et rursus: *Abstulit Deus omnem lachrymam ab omni facie.* Nunquid frustra Christus incarnatus est? nunquid hæc commenta sunt & sophismata humana? Nunquid diuinæ scripturæ nobis non sunt salus? nunquid non Prophetarum proloquia? Custodi igitur depositum hoc stabile, & nemo te commoueat. Crede Deum hominem factum. Ac demonstratum quidem est

E Isa. 3. 14. *Incarnatus est Deus, vt eo perfrui possemus.* Exod. 20. 19. Deut. 4. 33. F *Angeli visio, homini intolerabilis.* Dan. 8. 17. G Dan. 10. 10. Ps. 113. 3. *Mors e vita per virginē.* *Deus, cur homo factus sit.* H Rom. 7. 23. 1. Tim. 1. 14. 1. Cor. 2. 8. *Christi corpus fuit esca mortis, ut hamus quo captus fuit dæmon.* Apoc. 21. 4.

A

Deum, corpus assumpsisse nouum esse Iudæis non debet. Gen. 32. 30. Gen. 18. 3. *Dominus qui apud Abrahā iā apud nos manducabat.* Exod. 33. 22. 3. Reg. 19. 13.

quod illum incarnari erat possibile; si tamen nihilominus non credunt Iudæi, quæramus ex illis, quid in his, noui & inusitati annunciamus? Quid extraneum annunciamus, cum Deum incarnatum dicimus, cum vos dicatis, quod Abraham Deum exceperat hospitio? Quid inusitatum prædicamus, cum Iacob dicat: *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea*; Qui apud Abraham manducabat Dominus; idem & apud nos comedebat. Quid igitur inusitati prædicamus? Sed duos testes exhibeamus, eos qui in monte Sina, Domino assistebant. Moses erat in foramine petræ, & Helias in ostio speluncæ. Olim illi transfigurato præsentes facti in monte Thabor, dicebant discipulis, *Excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem.* Sed quod quidem possibile erat incarnari demonstratum est, sicut prædixi: relinquantur autem quæ restāt demonstrationes ad colligendū studiosis. Cæterum proposueramus dicere, & tempus aduentus Saluatoris, & locum: ne itaque falsi nos argui patiamur, imo potius vt eos qui recèns in Ecclesiam venêre, firmiores remittamus: inquiramus tempus quo Christus aduenerat: quandoquidem recens est illius præsentia cui contradicitur, quamuis CHRISTVS IESVS sit & heri & hodie, sit etiam in sæcula sæculorum. Moyses igitur Propheta dicit; *Prophetam vobis suscitabit Dominus Deus ex fratribus vestris, sicut me.* Reseruetur interea id quod dicit: *Sicut me*: quod est in aliis locis declarandum. Sed quando Propheta hic veniet, tandiu expectatus? Recurte, inquit, ad ea quæ à me scripta sunt. Perquire diligenter Iacob Prophetiam, Iudæ dictum: *Iuda, te laudabunt fratres tui*, &c. ne omnia recitemus: *Non deficiet Princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio*, non Iudæorum sed *gentium.* Signum igitur dedit Christi aduentus, cum desinet & principatus Iudæorum; qui si nunc sub Romanis non sunt, nondum venit Christus. Si habent principem ex genere Iuda & Dauid; nondum venit ille expectatus. Vereor enim obiicere illis recentia, de his quæ nunc apud illos vocantur Patriarcharum instituta: & quod illorū genus, & quæ mater: Relinquo autem ista scientibus. Sed *ipse* veniens *erit expectatio gentium*; qualis nunquid etiam aliud signum habebit? Dicit deinceps: *Ligans ad vineam pullum suum.* Cernis pullum illum ab Zacharia manifestè promissum? Sed rursus quæris & aliud temporis testimonium: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te, reges eos in virga ferrea.* Dic autem mihi: verum non apertè vocatur virga ferrea Romanorum Imperium? de quo, reliquum ex Daniele commemoremus. Enarrans enim & declarans Nabuchodonosori imaginem illius statuæ, & reliqua omnia quæ sunt circa illam visionem: Lapidē sine manibus de monte excisum & non humana opera consistentem, dominaturum vniuerso orbi: Et hæc apertissimè dicit. *Et in diebus regnorum illorum, excitabit Deus cœli regnum quod in æternum non dissipabitur, & regnum illius populo alteri non tradetur.* Sed clarius adhuc quæramus aduentus illius temporis demonstrationem: Infidelis enim homo, nisi & annos ad calculum enumeratos accipiat, dictis non credit. Quod igitur tempus & quod sæculum est, quando deficientibus ex Iuda regibus, deinceps alienigena erat Rex Herodes? Dicit igitur ad Danielem loquens Angelus: *Tu ergo nota sermonem, & scito & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem vsque ad Christum ducem, hebdomadæ septem & hebdomadæ sexaginta duæ.* Sexaginta igitur & nouem hebdomadæ annorum, constituunt quadringentos octoginta tres annos. Dixit igitur, quod post ædificationem Hierusalem, quadringentis octoginta tribus annis peractis: tūc veniet quidam alienigena rex, cuius tempore nascetur Christus. Darius igitur Medus ædificauit Ierusalem octauo regni sui anno; primo autem anno, secundum Græcos, sexagesimæ sextæ Olympiadis. Olympias autem apud Græcos vocatur, quod singulo quadriennio peracto fieri solet certamen, propter quatuor annorum cursum Solis, in quibus singulis annis tres horas adiiciens, diem quarto anno addidit. Herodes autē regnabat centesima octogesima sexta Olympiade, quarto eiusdem anno. A sexagesima ergo & sexta vsque ad centesimam octogesimam sextam, intercesserunt cētum viginti Olympiades, & paulò amplius. Congregentur igitur centum viginti Olympiadum anni, quadringenti octoginta, præter annos tres qui desunt, fortassis ex eo quod inter tertium & quartum assumitur; & habes iam hinc demonstrationem secundum scripturam quæ dicit: *Ab exitu sermonis, cum edictum erit vt iterum ædificetur Hierusalē, vsque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ.* Temporum itaque hucusque habes demonstrationem; quamuis non desint aliæ diuersæ de prædictis Danielis Hebdomadis annorum interpretationes. Promittit autem & ipse hoc: *Et tu Bethleem domus Ephrata, nequaquam minima es in millibus Iuda, ex te enim mihi exibit dux qui sit dominator in Israël, & exitus illius ab initio à diebus sæculi.* De locis autem, Herosolymitanus cum sis & ea occupes, nosti: & in centesimo trigesimo primo Psalmo scriptum est: *Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis syluæ.* Ante paucos enim annos, syluestris erat locus. Audisti rursus Habacuc dicētem ad Dominum: *Cum appropinquabunt gentes, agnosceris.* Et quod signum est, ô Propheta, venturi Domini? Ille autem dicit deinde: *In medio duorum animalium cognosceris*: hoc, ad Dominum dicens manifestè: quia veniens, in carne viues & morieris, & resurgens à mortuis viues rursus. Et ex qua parte Hierosolymæ veniet? ex Oriente vel Occidente, à Septentrione vel Meridie? dic mihi accuratè. Ille autem apertissimè respondet, & inquit: *Deus à Theman veniet*: Theman autem interpretatur Auster: *Et sanctus, de monte Pharan ab vmbra opaca.* Cui consonum dixit Psalmus: *Inueniemus ipsam in campis syluæ.*

B Matth. 17. 2.

Act. 7. 37. Deut. 18. 15. *Christi aduētus, tempus.* Genes. 49. 8.

C

Psal. 2. *Romanū Imperiū virga ferrea.*

Dan. 2. 44.

D

Dan. 9. 25. *Hebdomadum Danielis supputatio.*

Olympiades cur institutæ.

E

F Matth. 26. Mich. 5. 2. *Locus aduentus Christi.* Psal. 131. 6.

Habac. 3.

Deinde quæramus ex quo veniet, & quomodo veniet. Hoc autem nobis dicit Isaias: *Ecce virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomē eius Emmanuel.* Et contradicunt his Iudæi: mos enim est illis antiquus, veritati malè refragari. Et dicunt: non est scriptum, *virgo*, sed, *iuuencula.* Ego, dicenti hoc etiam concedens: nihilominus reperiam veritatem. Quæram enim ex illis: Virgo cum violatur, quando clamare solet? post corruptionem vel ante corruptionem, vocans auxiliatores? Si igitur alibi dicit Scriptura: *Conclamauit iuuencula, & non erat qui auxiliaretur ei*; Nunquid hic non de virgine dicit? Vt autem manifestiùs discas, quod virgo in diuina Scriptura, iuuencula vocatur: audi librum Regum de Abisag Sunamitide dicente: *Et iuuencula pulchra valde.* Quod autem virginem illam elegerint vt ad Dauid adducerent, in confesso est. Sed dicunt rursus Iudæi: de Ezechia hoc dictum est ad Achas. Igitur legamus Scripturam: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo, in profundum aut in altum.* Atqui signum, maximè paradoxum esse debet: Signum erat, aqua de petra; disruptio maris, Solis retrocessio, & alia eiuscemodi. Quæ autem dicenda sunt, manifestiorem habent aduersus Iudæos redargutionem. Scio, multa me dicente, defatigatos esse auditores, sed perferre copiam sermonis: quandoquidem non de rebus fortuitis, sed propter Christum hæc mouentur: Regnante itaque Achab, Isaias dicit: *Cum sedecim annis Achas regnaret solum*: & his annis ista prophetia ad illum dicta, redarguit Iudæorum contradictionem. Succedens enim rex Ezechias, filius Achas? cum regnaret, erat annorum viginti quinque. Prophetia namque in sex & decem annis comprehensa; nouem annis ante hanc Prophetiam natus erat Ezechias, quid igitur de eo qui iam natus fuerat, dicere Prophetiam fuit necesse? Non enim dixit, quod concepit: sed, quod *Virgo concipiet*, præuidendo futurum dixit. Ac, quod quidem de virgine manifestè dictum est: ex quo autem genere nascitura erat virgo; ostendendum est: *Iurauit Dominus Dauid veritatem & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Et rursus: *ponam in sæculum sæculi semen eius, & sedem eius sicut dies cœli.* Et deinde, *semel iuraui in Christo meo, si Dauid mētiar semen eius in sæculum manet, & sedes eius sicut Sol corā me, & sicut Luna in sæculum fundata.* Vides quod de Christo &c.

Isai. 7. 14. Matth. 1. 23. *Virgo & iuuencula idem in Scripturis.* G Deut. 22. 27.

3. Reg. 1. 3.

Signum paradoxū esse debet.

H

Psal. 131. 12. Psal. 88. 30.

A & non de Salomone sermo hic est? neque enim sedes eius sicut Sol permansit! Quod si quis contradicat, eo quod Christus super lignea Dauidis sede non sederit; (Matth. 23.2. Cathedra Moysi, doctrinæ potestatem significat.) proferamus illi aliam similem phrasim. *Super Cathedra Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi:* non hic ligneam Cathedram, sed doctrinæ significat potestatem: si & sedem Dauid ne quæras, non modo illam ligneam, sed ne regnum ipsum quidem. Cuius rei testes accipe etiam pueros clamantes: (Matth. 21.9.) *Osanna domui Dauid benedictus rex.* Et cæci dicunt; (Matth. 9.27.) *Fili Dauid miserere nobis.* Et Gabriel apertè testatur ad Mariam, dicens: (Luc. 1. 32.) *Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius.* Et Paulus dicit; (2 Tim. 2.8.) *Memineris* IESVM CHRISTVM *excitatum à mortuis de semine Dauid, secundum Euangelium meum.* Et in principio Epist. ad Roman. dicit; (Rom 1. 3.) *Qui factus est de semine Dauid secundum carnem.* Recipe ergo eum qui ex Dauid natus est, credens prophetiæ dicenti; (Isai. 11. 10.) *Erit in illa radix Iesse, & consurgens reget gentes, in ipso gentes sperabunt.* Sed Iudæi propter hæc vehementer contendunt, & ad ignem etiã prouocant. (B Iudæi ad ignē prouocant.) Præuidit & hoc Isaias dicens, quia (Isai. 9.6.) *puer natus est nobis;* non enim illis: *& Filius datus est nobis.* Per quod etiã indicatur, quod prius Filius Dei erat. Deinde *datus est nobis.* Et post pauca dicit; *Et pacis eius non erit terminus.* Fines Persarum, & Medorum sunt: Filij autem huius, non est finis. Deinde sequitur: *Super sedem Dauid & super regnum eius.* Ex Dauid processit Virgo sancta. Decebat sanè purissimum puritatis doctorem, ex puris prodire thalamis. (Sacerdotio Christi bene fungens abstinet à muliere.) Si enim qui apud IESVM benè fungitur sacerdotio, abstinet à muliere: ipse IESVS quomodo ex viro & muliere proditurus esset? *Quia tu* (inquit Psalmus) (Psal. 21, 10.) *extraxisti me de ventre:* significans illum sine viro, de virginis vtero & carne extractum & natum esse. Eorum enim qui lege nuptiali nascuntur; alius est modus: non reueretur autem ex membris eiusmodi assumere carnem, qui est ipse membrorum creator. Sed quis tandem nobis hoc dicit? (Hier. 1. 5.) Ad Hieremiam loquitur Dominus: *Priusquam formarem te in vtero, noui te, & antequam exires ex vtero, sanctificauit te.* C Qui igitur in creandis hominibus attingit membra & non reueretur: nunquid in creanda sancta carne & velamento illo diuis propter seipsum reuerebitur? Deus est, qui in ventre etiam nunc fabricat infantes, sicut (Iob 10. 10.) Iob scripsit? *Nonne sicut lac mulsisti me, & coagulasti me sicut caseum? cuti & carnibus me induisti, & ossibus neruisque me compegisti?* Nihil est abominabile in humana constitutione, si nõ adulteriis & lasciuiis polluatur. Qui creauit Adam, creauit & Euam diuinis manibus: Masculus & fœmina creati sunt. (Membrū corporis nullum turpe ab initio.) Nullũ ex his quæ sunt in corpore membris, turpe ab initio creatum est. Obmutescant hæretici omnes qui accusant corpora, imo potius ipsum Creatorem: nos autem commemoremus dictum (1. Cor. 6. 15.) Pauli: *Nescitis quod corpora vestra templa sunt Spiritus sancti?* Et rursus quod Propheta prædixit ex persona IESV: *Caro mea ex ipsis.* Et alibi scriptum est: *Propter hoc dabit ipsis vsque ad tempus parturientis.* Et quod signum deinceps dicit? *Pariet, & reliqui fratrum eius conuertentur.* Et quæ sunt desponsiones Virginis sanctæ Sponsæ? (Osee. 2. 20.) *Et desponsabo te mihi ipsi in fide.* D Et Elisabeth loquens ad illam, similiter dicit; (Luc 1. 45.) *Beata es quæ credidisti, quia perficientur ea quæ loquutus est Dominus.* Sed conuincere nos (Virginē parere, nō est impossibile Græcis & Iudæis.) student tam Græci quam Iudæi, & dicunt quod erat impossibile, Christum de Virgine nasci. Græcis igitur primum ex ipsorummet fabulis os obstruamus. Qui enim dicitis, proiectos lapides in homines mutari, quomodo virginem parere posse negatis? Qui ex Iouis cerebro natam filiam fabulamini; quomodo ex vtero virginali nasci aliquam, impossibile esse dicitis? Qui de femore vestri Iouis prognatum falso esse dicitis Bacchum; cur nostram veritatem reiicitis? Scio me indigna præsenti auscultatione dicere: sed opportunè tu Græcos redarguas, hæc attulimus ex ipsorum fabulis, ad eos dicentes. Illis vero, qui sunt de Circumcisione sic occurrens, perquire. Verum est difficilius, senem & sterilem, (mulieribus iam deficientibus) parere, aut virginem iuuenem generare? Sterilis erat Sara, & deficientibus iam mulieribus præter naturam peperit. Igitur cum & E sterilem &, virginem parere, sit præter naturam, aut vtrumque nega, aut vtrumque concede. Idem enim Deus, vtrumque operatus est: neque enim audebis dicere, quod illic quidem possibile, hic autem impossibile est Deo. Et rursus, quæ natura manum hominis, vna hora in diuersas species mutare potest, & rursus restituere. Quomodo igitur Moysis manus sicut nix alba apparuit; & rursus statim, albedine illa destituta est? Sed dices: quia Deus voluit, mutata est. Illic, Deus volens potest, hic autem, nunquid non potest? Ac illud quidem signum, ad Ægyptios tantum: hoc autem datum erat signum vniuerso orbi. O Iudæi! vtrum difficilius est, virginem parere, aut virgam in animal mutari? (Virga Moysis, in draco erat.) Confitemini quod tempore Moysis rectissima virga, Serpentina specie facta est, & horrenda fuit etiam proiicienti illam: & qui antea tenebat virgam, paulo post fugiebat illam, tanquam draconem. (Exod. 4. 3.) Reuera enim draco erat: fugiebat autem; non metuens id quod tenuit, sed timens mutatum. F Dentes habuit virga, & draconis oculos: de virga itaq; oculi pullularunt, & de vtero Virginis, puer non nasceretur Deo volente? Taceo hic quod & Virga Aaron; quod reliquæ arbores per annos plures faciunt, hoc per vnam noctem fecit! Quis enim nescit, quod virga cortice destituta, etiamsi in mediis fluminibus plantetur, nunquam florebit; Sed cum Deus non naturam arborum sequatur, sed naturæ sit factor: etiam infructuosa siccaque virga & sine cortice, effloruit & nucum † fructum protulit. († Virga Aaron protulit nuces: ait tamen scriptura flores illius in amygdalas fuisse transformatos.) Qui igitur virgæ propter typicum summum Sacerdotem, præter naturam fructum tulit: nunquid Virgini, vt verum Sacerdotem summum pareret, hoc non conferret? Bonæ sunt eiusmodi sermonum commemorationes: sed nihilominus contradicunt Iudæi; neque his quæ de virga protulimus persuaderi sibi patiuntur, nisi similibus & paradoxis ac præter naturam, persuadeantur partubus. Quæro igitur sic ab illis: Eua ab initio de quo nata est; quæ mater conceperat illam quæ matrem non habuit; (Num. 17. 8.) Dicit enim Scriptura, quod de latere facta est Adami. G Nunquid igitur Eua quidem de latere viri, sine matre nascitur; de virginali autem vtero, sine viro nihil nascetur? (Eua sine matre? Gen. 2. 21.) Mutuata est à viris fœmineo generi gratia: Eua enim ex viro nata est, & non ex matre concepta; sed ex solo viro, tanquam partu edita. (Christus patre caruit.) Reddidit igitur Maria, gratiæ huius mutuum officium; & non ex viro, sed ex ipsa impolluiè, ex Spiritu sancto virtuteque Dei peperit. Accipiamus porrò aliud longè maius. Ex corporibus enim corpora gigni; quamuis sit aliquando paradoxon, sed possibile tamen: sed puluerem terræ hominem fieri, hoc multo mirabilius: lutum confusum; oculorum tunicas & splendores accipere, hoc longè mirabilius. Ex vnius formæ puluere, & ossium robur, & pulmonis leuitatem, & reliquorum diuersitatem membrorum fieri; hoc admirabile. Lutum animatum circuire terram, & seipsum mouere, & ædificare; hoc admirandum: Lutum docere, & loqui, & parere, & regnare: hoc admirandum; Itaque, ô indoctissimi Iudæi; vnde Adam factus est? (Gen. 1.) Nonne Deus accepit puluerem de terra, & creauit creaturam hanc admirandam? H Quid igitur? lutum quidem in oculum mutatur; & Virgo non generabit? Quod apud homines maximè est impossibile, nunquid Deus præstare non poterit? Horum meminerimus, fratres, instrumentis istis auxiliatoriis vtentes: non feramus hæreticos, qui per imaginationem tantum, Christi aduentum esse docent. Despiciamus & eos qui ex viro & muliere generationem eius esse asserunt; audentque dicere, ex Ioseph & Maria Christum esse, eo quod scriptum est: *Et accipe mulierem tuam.* Meminimus (Gen. 29. 21.) enim & Iacob, qui priusquam Rachel acceperat, dicebat ad Laban: *Da mihi vxorem meam.* Sicut enim illic ante nuptiarum constitutionem, cum tantum promissio intercessisset, vxor Iacob nominabatur, sic & Maria propter solam desponsationem, vxor Ioseph vocabatur. Vide autem Euangelij accuratam diligentiam, dicentis: *Mense sexto missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam*

viro cui nomen Ioseph, &c. Et rursus: Cum erat Orbis descriptio, & ascendebat Ioseph vt describeretur; Quid ait Scriptura? *Ascendit autem & Ioseph vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore pregnante*; prægnans enim erat. Non dixit autem, *vxore sua*; sed, *desponsata ipsi: misit enim Deus Filium suum* (dicit Paulus) non factum ex viro & muliere, sed, *factum ex muliere* tantum: hoc est, ex Virgine (mulierem enim, etiam Virginem appellari, prius demonstrauimus) de Virgine enim natus est, virgines efficiens animas. Sed miraris quod dictum est: Mirabatur & ipsa quæ peperit: dicit enim ad Gabrielem: *Quomodo fiet hoc, quoniam virum non cognosco?* Ille autem respondit: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; propterea & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei.* Impolluta & pura est generatio, vbi enim Spiritus sanctus, illic aufertur omnis pollutio. Purissima igitur corporea generatio Vnigeniti de Virgine, etiamsi contradicant hæretici veritati. Redarguit eos Spiritus sanctus. Indignè fert virtus Altissimi adumbrans. Aduersus illos consistet Gabriel contrario vultu in die iudicij: confundet eos locus præsepij, qui susceperat Dominum. Pastores testabuntur, qui tunc euangelizabant: & exercitus Angelorum laudantium & canentium, atque dicentium: *Gloria in excelsis DEO, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Templum, in quod erat illatus quadragesimo die, par turturum, quod pro illo oblatum est; Et Simeon in vlnis illum ferens: & præsens Anna Prophetissa. Deo igitur testante, & sancto Spiritu contestante, atque Christo ipso dicente: quid me quæritis occidere, hominem veritatem vobis loquentem? obmutescant hæretici qui negant illius humanitatem: contradicunt enim dicenti: *Contrectate me, & videte quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Adoretur qui de Virgine natus Christus, & agnoscant Virgines sui status vel dignitatis coronam. Agnoscat eorum Ordo & institutum, qui vitam solitariam agunt, castitatis gloriam; neque enim priuamur castitatis dignitate: In ventre enim Virginis fuit nouem mensium tempore Saluator: vir factus Dominus, triginta trium annorum. Itaque si veneratur Virgo propter nouem mensium tempus, multo magis nos propter multorum annorum tempus. Omnes autem, castitatis cursum, Dei gratia curramus iuuenes & virgines, senes cum iunioribus, non intemperantias exercentes, sed laudantes nomen Domini. Non ignoremus castitatis gloriam, Angelica enim est corona, & supra hominem hæc perfectio. Parcamus corporibus quæ lucere debent sicut sol, ne propter paruam voluptatem, tantum ac tale corpus polluamus: Paruum enim est ad horam peccatum, longæua autem est ex eo, & æterna verecundia. Angeli obambulantes in terra, sunt castitatis operatores. Virgines cum MARIA Virgine habebunt partem. Exterminetur omnis nimius ornatus, & omnis lasciuus aspectus, & omnis circa te obambulantes fœminea vestis & stola, & suffimentum voluptatis inescatiuum. Suffimentum sit tuum intus in omnibus; oratio boni ordinis, & bonorum operum, & corporum sanctificatio: vt ille qui de Virgine natus est, dicat etiam de nobis tam viris quam mulieribus castè viuentibus, & coronatis; *Et habitabo in ipsis & perambulabo, & ero ipsorum Deus, & ipsi erunt mihi populus:* Cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.

A
Solā desponsationem intelligit S. Cyrillus de præsenti, nimirum verū & ratū coniugium, non consummatum. Vide S. Th. 3 p. q. 29. art. 2. & Sixtum lib. 6. Biblioth.
B
Annot. 3.
Luc. 1. 26.
Gal. 4. 4.
Virgo quandoque mulier vocatur.
Luc. 1. 34.
Luc 24. 39.
Status Virginū corona,
C
est Christus.
Castitatis monachorum gloria.
Castitatis cursus, currendus.
Castitatis perfectio est supra hominem.
Virgines cū Maria patrē habebūt.
D
Voluptatum illecebra fugienda.
2. Cor. 6. 16.

CATECHESIS DECIMATERTIA

illuminatorum Hierosolymis, extemporanea: de Crucifixo & sepulto: Et lectio ex Isaia: Domine quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui reuelatum est? &c. Sicut ouis ad occisionem ductus est.

Isa. 53. 1.
Isai. 53. 7.

GLoriatio sanè Ecclesiæ Catholicæ, est omnis Christi actio; Gloriatio vero gloriationum, est Crux: quod sciens Paulus: *Mihi* (inquit) *absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri* IESV CHRISTI. Admirandum quidem erat, & cæcum natum in Siloë ad visum restituere: sed quid hoc ad cæcos totius orbis? Magnum erat & supra naturam, Lazarum quatriduanum resurgere, sed hæc tamen in illo finita erat gratia: quid autem ad eos qui in vniuerso orbe peccatis erant mortificati? Mirabile, quod ex quinque panibus redundauit cibus in quinque millibus, sed quid ad eos qui ignorantiæ fame premebantur per totum orbem! Admirabile, soluere eam quæ decem & octo annis ligata fuit à diabolo, sed quid hoc, respectu omnium nostrûm qui fuimus catenis peccatorum nostrorum vincti? Crucis autem corona, & cæcos in ignorantia illuminauit, & vinctos à peccatis soluit, & vniuersum genus humanum in mundo redemit. Neque mireris, totum esse per illum mundum liberatum; non enim simplex homo fuerat, sed Filius Dei vnigenitus pro illo moriens: quandoquidem vnius etiam viri Adam, peccatum potuit mortem adferre mundo. Si ergo transgressione vnius, mors regnauit in mundo; cur non multo magis iustitia vnius, vita regnet? Et si tunc per cibum illius ligni, eiecti sunt ex paradiso; nunquid per lignum IESV nunc non multo facilius, credentes, in paradisum inducentur? si Protoplastus de terra vniuersalem mortem attulit: qui creauit illum de terra, nunquid vitam non adferet æternam cum ipse sit vita? Si Phinees zelo ductus, & tollens de medio turpitudinis factorem, pacauit iram Dei, IESVS non alium tollens sed seipsum tradens in pretium, nunquid iram Dei contra homines non dissoluet? Non pudeat itaque nos crucis Saluatoris, sed in ea potius gloriemur. Sermo enim Crucis; *Iudæis quidem offendiculum, Græcis est stultitia: & his qui pereunt, stultitia quoque est: his autem qui saluantur, virtus Dei est.* Non enim (sicut dictum est) simplex homo pro nobis mortuus est, sed Filius Dei, humanam assumens naturam. Tum vero agnus ille, Moysis instituto mactatus, procul arcebat vastatorem: Agnus autem Dei, qui tollit peccatum mundi; nonne multo magis liberat à peccatis? Ac sanguis irrationalis agni salutem exhibebat; sanguis vero Vnigeniti, non multo magis seruabit? Si quis non credit virtuti Crucifixi, percunctetur dæmones: si quis non credit verbis: credat factis apparentibus. Multi per orbem crucifixi sunt: sed nullum exhorrebant dæmones: quoniam illi quidem propter sua peccata mortui sunt, hic autem pro alienis. *Peccatum enim ipse non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Non Petrus erat qui hoc dicebat: ne quis suspicetur adulari illum Magistro: sed Isaias id dixit: qui corpore quidem non aderat: spiritu tamen, aduentum eius in carne, præuidebat. Et quid est, quod testem adducam solum Prophetam? accipe & illum testem qui eum condemnauit: dicentem, *nihil inuenio causæ in hoc homine:* Et cum morti illum addiceret, lauaris manibus: *Innocens* (inquit) *ego sum à sanguine iusti huius.* Est & alius testis innocentiæ IESV, vnus latronum qui cum illo erant crucifixi: reprehendens alterum atque dicens: *nos digna factis ferimus: hic autem nihil mali fecit:* aderamus enim ego & tu in iudicio. Passus est igitur IESVS pro hominibus verè: non enim apparentia est crux: neque opinio redemptio: non imaginaria mors, & fabulatoria salus. Si enim imaginaria esset mors, veri essent illi qui dicebant: *recordati sumus quòd seductor ille dicebat adhuc viuens.* Passio itaque vera: verè enim crucifixus est: & non confundimur neque negamus, sed potiùs in eo gloriamur. Si enim nunc negarem: argueret me hic Golgathas cui nunc omnes proximè assistimus: argueret me lignum crucis, quod per particulas ex hoc loco, per vniuersum Orbem, sparsum est. Confiteor crucem, cum sciam resurrectionem: si enim crucifixus non surrexisset, sed sic permansisset: fortè non confiterer eam cruci affixionem, verùm occultarem fortè vnà cum meo Magistro. Cum autem resurrectio crucem sit consecuta, non pudet me de illa disserere omnibus. Itaque similiter vt nos in carne existens, crucifixus est, sed non propter similia peccata. Non enim propter auaritiam perductus est ad mortem; nihil enim possidendi erat magister. Non propter

Crux Christi est, gloriatio

E
gloria[illegible] num.
Gal. 6. 14.
Ioan. 9. 13.
Ioan. 11. 39
Luc. 9. 13.
Luc. 13. 16.
Mors p[illegible] vnum
F
& vi[illegible]
Rom. 5. 18.
1. Cor. 1. 18.
G
Crucifi[illegible] xū vi[illegible] cum m[illegible] tuūt d[illegible] mones.
1. Pet. 2.
Luc. 23. 4.
H
Christ[illegible] verè pa[illegible] sus.
Matth. 27. 63.
Lignum Crucis per particulas [illegible] orbem sparsum.
Christ[illegible] erat m[illegible] gister [illegible] dendi.
Christus innocens passus.
Matt.

A concupiscentiam condemnatus: ipse enim apertè dicit, *Quicunque aspexerit mulierem ad concupiscendum, iam mœchatus est.* Non propter temeritatem percussus & verberatus, præbebat enim & alteram maxillam percutienti. Non legis propter legis contemptum, legis enim impletor erat. Non quod Prophetam affecit contumelia, ipse enim erat à Prophetis prædictus: Non interuertens pretium, ipse enim sine pretio, & gratis curabat. Non verbis peccans, non factis, non conuersationibus. *Peccatum* enim *non fecit nec inuentus est dolus in ore eius*: qui conuitiis affectus non retulit conuitium patiens, non minabatur, qui non inuitus sed sponte sua venit ad passionem: Et etiamsi quis dissuadens, illi dicat etiam nunc, miserere tui ipsius Domine, dicet rursus: *Vade post me Satana.* Ac si vis amplius tibi persuaderi quod sponte ad passionem venit, nam alij quidem aut inuiti aut nescientes moriuntur; Hic autem prædixerat suam passionem: *Ecce tradetur Filius hominis ad crucifigendum.* Scisne, quamobrem mortem non fugit benignus Dominus? vt ne totus peccatis perderetur Mundus. *Ecce ascendimus Hierosolymam & tradetur Filius Dei, & crucifigetur*: Et rursus, *firmauit faciem suam vt iret Hierosolymam.* Et vis nosse apertius quod gloria Christi est crux eius? audi non me, sed illum dicentem. Prodiderat Iudas improbus Patremfamilias: nupérque exiens à mensa & poculum benedictionis bibens, & pro potu salutari sanguinem Iusti effundere volens: qui panes eius comedebat, *magnificauit super illum supplantationem.* Paulo ante, manus benedictionem recipiebant, & rursus argento proditionis mortem conciliauit. Et redargutus, audiuit, *tu dixisti*, rursúsque exiuit. Deinde dixit IESVS: *venit hora vt glorificetur Filius hominis.* Vides quomodo gloriam propriam sciebat esse Crucem? Deinde Isaias quidem serra dissectus, non confundebatur: Christus vero pro Mundo moriens, confundetur? *Nunc glorificabitur* (inquit) *Filius hominis*: non quod prius non haberet gloriam, glorificatus enim erat ante Mundi constitutionem, sed glorificabatur tanquam Deus semper, nunc verò glorificatus est patientiæ ferens coronam. Non coactè reliquit vitam, non violenter mactatus est, sed voluntate sua. Verum audi quid dicat, *Potestatem habeo ponere animam meam, & potestatem rursus habeo sumere eam.* Volens capior ab inimicis, si enim nollem, nihil efficerent. Venit igitur voluntariè ad crucem, gaudens in rectè facto, gaudens de corona, lætatus de hominum salute, non reueritus crucem. Saluauit enim Orbem, quoniam non erat simplex homo qui passus est, sed Deus incarnatus, & obedientiæ certans certamen. Sed contradicunt Iudæi qui vbique in contradictionem prompti sunt, & tardi ad fidem, ita vt nunc lectus dicat Propheta: *Domine quis credit auditui nostro?* Persæ credunt, & Hebræi non credunt. IESVS ipse annuntiat de seipso, *Videbunt quibus non dicetur de illo*: & qui non audiunt, intelligent, & qui legunt, reiiciunt ea quæ legunt & meditantur. Contradicunt nobis, & inquiunt, nunquid Christus patitur? Præualebúntne manus humanæ, dominationi? Legite Threnos: qui enim vos in Threnis deplorabat, digna flens scripsit Hieremias, cum videns vestram perditionem, perspiciebat defectionem. Deplorauit tunc illam Ierusalem, hæc enim quæ restat non deflebitur, illa enim cruci affixit, hæc autem nunc adorat Christum Dominum. Deplorans igitur dicit, *Spiritus faciei nostræ Christus Dominus, captus est in peccatis nostris*: num ergo ego nugor? ecce testatur Christum Dominum ab hominibus captum. Dic mihi, ô Propheta, quid deinceps euenit. Ille autem, *In vmbra*, inquit, *ipsius viuemus in gentibus*: non enim in Israël amplius, sed in gentibus conuersaturam indicat vitæ gratiam. Ac multæ cum sint quæ fiunt ab illis, contradictiones: Age, vestris precationibus adiutus, quantum temporis breuitas patitur, per Dei gratiam de passione nonnulla producemus testimonia, omnia enim de Christo scripta sunt, & nihil est ambiguum, nihil non testatum. Omnia in columnis propheticis inscripta sunt, non tabulis lapideis, sed ex Spiritu sancto manifestè descripta.

[Marginalia, left column: Matth. 16. — Voluntariè passus Christus. — B — Matth. 16. — Iudas poculum benedictionis bibit. — Psal. 40. 10. — Matth. 26. 25. — Ioan. 11. 4. — Glorificatio Christi duplex. — C — Ioan. 10. 18. — Isa. 53. 1. — D — Deploratio vera Hierusalem — Thr. 4. 20.]

E Cum itaque audis Euangelium quod de Iuda dicit, nunquid non debes recipere testimonium? audisti, quod crepuit latus, nonne debes videre, si & hoc scriptum est? audisti, quod in horto crucifixus est, nec debes videre si id quoque scriptum est? audisti, quod triginta argenteis venditus est, non debes videre, si & hoc scriptum est? Audisti, quod potatus est aceto, disce quoque vbi sit hoc scriptum: audisti, quod cum latronibus sit crucifixus, nec scire debes, num & hoc est scriptum? audisti, quod in Petra repositum est corpus, & lapide contectum, non debes ex Propheta, & de hoc capere testimonium? audisti, quod sepultus est, non debes videre si certò de sepultura scriptum est? audisti, quod resurrexit: non debes videre si non ludimus te, hæc docentes? Sermo enim noster & prædicatio nostra, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis: neque sophistici apparatus, nunc mouentur vt deinceps soluantur, non verba verbis vincuntur, quæ resolui possint: sed prædicamus Christum crucifixum, à Prophetis, iam pridem eundem prædictum. Tu ergo accipiens de his testimonia, obsigna hæc in corde tuo. Quæ cum multa sint, & tempus horæ perbreue, pauca capiam & præcipua.

Audi ergo nunc, & ex his sumens occasionem, sis studiosus reliquorum perquisitor: neque ad accipiendum tantum prompta sit manus tua, verumetiam ad operandum, & Christus in omnibus gratificabitur. *Si cui enim vestrum deest sapientia, postulet ab eo*, qui dat, Deo, & accipiet, qui etiam hoc vestris tribuat orationibus, vt & uos dicentes possimus facere, & vos audientes, credere. Quæramus igitur, quæ sunt de passione testimonia, conuenimus enim nunc, non Scripturarum theoricam enarrationem facturi, sed persuasuri potius ea quæ iam credidimus. Et antea quidem de aduentu IESV accepimus testimonia, & quod super mari ambulabat: *in Mari via tua*, vt scriptum est: Et, *Ambulans super Mari sicut in sicco.* Et testimonium de diuersis curationibus, alibi accepisti, nunc verò tandem incipiam vnde passio cœpit. Iudas erat proditor, & veniens ex aduerso & stans pacifica loquebatur, hostilia autem moliebatur: dicit igitur de hoc Psaltes, *Amici mei, proximi mei aduersum me appropinquauerunt & steterunt.* Et rursus *Molliti sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt iacula. Salue Magister*, & tradidit Magistrum in mortem: & non sensit dicentis admonitionem: *Iuda, osculo Filium hominis tradis?* Fere me enim ad hoc ipsum dixit, admonens eum per ipsius appellationem. (Iudas enim vocatur confessio.) Intellige, accepisti argentum, confitere cito. *O Deus, laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris & os dolosi in me apertum est: Locuti sunt contra me lingua dolosa, & sermonibus odiosis circundederunt me.* Quod autem quidam ex Principibus sacerdotum aderant, & ante portas ciuitatis ligatus erat, antea audisti. Quod si meministi admonitionem Psalmi, tempus & locum dicentis, quomodo conuersi sunt ad vesperam & esurierunt sicut canes, & circundederūt ciuitatem: audi igitur & de triginta argenteis, ex alio Propheta: *Et dicam ad ipsos, si est bonum in oculis vestris, date pretium meum, si dixeritis*, &c. Alius apud vos vsuram habet curationum cæcorum & claudorum: & aliud ego accipiam, pro adoratione contumeliam. Vides quomodo præuidit Scriptura negotia? *Et statuerunt pretium meum triginta argenteos*: O propheticam certitudinem! ô maximam intelligentiam, & infallibilitatem Spiritus sancti! Non enim decem aut viginti dixit: sed triginta præcisè, & quod tot erant. Et quo processit hæc æstimatio: ô Propheta? Nunquid ille qui accepit, retinuit, aut reddidit? & postea quam reddidit: quo progressum est? Dicit igitur Propheta: *Et acceptis triginta argenteis, & proiecit eos in domum Domini in conflatorium.* Confer Euangelium cum prophetia: *Pœnitentia*, inquit, *ductus Iudas, proiiciens argenteos in templo recessit.* Sed hic nonnihil est (vt existimatur) dubij cum exactè disquiritur: Nam qui reprehēdunt Prophetas dicunt quod Propheta quidem dicit quod proiecit eos in domum Domini, in conflatorium: Euangelium autem, &

dederunt

[Marginalia, right column: Prædicatio Christiana. — F — Iac. 1. 6. — Testimonia de Christi passione. — Psal. 76. 20. — Exod. 15. 19. — G — Psal. 37. 12. — Psal. 54. 22. — Luc. 22. 48. — Psal. 108. — H — Zach. 11. — Prophetica certitudo exactissima. — Matth. 27. 4.]

dederunt ipsos in agrum figuli : Quomodo autem hi duo vera dicunt, audire :
A
Iudæi (si diis placet) religiosi qui tum erant principes sacerdotum, videntes Iudam pœnitentem & dicentem, *peccaui tradens sanguinem iustum, dicunt, quid ad nos? tu videris.* Nunquid nihil ad vos qui crucifigitis? Sed hic quidem qui pretium necis accepit & prodidit, videat : vos autem qui necatis, non
Matth. 27.6.
videbiris? Deinde dicunt ad seipsos. *Non licet eos licet nummos proijcere in Corbonam, quoniam pretium sanguinis est.* Ex ore vestro est vobis condemnatio. Si pollutum pretium, polluta & actio. Quod si iustè agis crucifigens Christum, quare non recipis pretium? Sed quod quæritur, hoc est: quomodo non dissonant: Euangelium quidem dicens, agrum figuli, Prophetæ autem conflatorium? Non soli aurifabri habent conflatorium, sed & lutifiguli habent luticonflatoria: Luti enim vilitatem & pinguedinem à pretiosiori terra in ætificiis conficientes perfundunt aqua lutum, vt sine impedimento operentur quæ præparauerant.
B
Quid igitur miraris, quod Euangelium apertè agrum figuli, Propheta autem sub ænigmate protulit prophetiam, quandoquidem sub æni-
Ioan. 18. 12.
gmate sæpè solent esse prophetiæ? *Ligauerunt* IESVM, *& adduxerunt in domum principis sacerdotum :* Vis scire, quod & hoc scriptum est? dicit Isaias : *Væ animæ ipsorum quia consultauit consilium prauum, ad seipsos dicentes, Ligemus iustum quia molestus est nobis, & verè, væ animæ ipsorum.* Et videmus, quod Isaias quidem serra dissectus est, & populus tamen postea sanatus est: Hieremias in fœtidum lacum proiectus, sed & hoc Iudæorum vulnus sanatum est, minimum enim erat quoniam in hominem peccatum est. Posteaquam verò non in hominem
Act. 12. 17. Psal. 2.
sed in Deum inhumanatum peccauerunt Iudæi, *Væ ipsorum! Ligemus Iustum!* Nunquid non potuit soluere seipsum, dicat quis, qui soluit quatriduanum à vinculis mortis Lazarum, & Petrum à ferreis carceris vinculis
C
soluit? Parati astabant Angeli dicentes, *disrumpamus vincula eorum :* sed sustinebant, quia sic perferre & pati voluit hoc : Dominus rursus, *Ventum est ad seniores in iudicium.* Habes iam testimonium: ipse Dominus venit cum senioribus populi, sed interrogans princeps sacerdotum & audiens veritatem indignatur : & maius, minister dedit alapam, at ille faciem Sole illustriorem, manibus iniquis percuti sustinuit. Et alij venientes inspuebant in faciem eius qui (per lutum) cæcum natu curauit: Hæccine Domino redditis, popule stulte & non sapiens? Et Propheta admirans dicit : *Domine, quis credidit auditui nostro?* Incredibilis res est: vnus Dei Filius & brachium Domini, hæc suffert! Sed ne diffidant saluandi, prædicit hoc Spiritus sanctus ex persona Christi dicentis. (Ipse enim qui tunc ista loquebatur, deinceps aderat)
Ps. 34. 15 Matth. 27.26. Marc. 15. 15.
dorsum meum dederunt in flagella : Pilatus enim illum flagellatum dedit ad crucifigendum : *maxillas autem meas in percussione, faciem autem meam non auerti à turpitudine sputorum.* Modo non dicit, præuidens quod eum verberaturi sunt, *neque auerti maxillam meam.* Quomodo enim
D Ioan. 19. 1. Isa. 50. 6.
corroboraret discipulos ad perferendam mortem de veritate, si ipse non pertulisset ista? Ego dixi, *Qui amat animam suam, perdet eam :* si vitam amauit, quomodo id
Christus ad passiones nos inuitat.
docuit neque fecit quod docuit? Primum igitur cum Deus esset, ab hominibus hæc patiens, sustinebat, vt homines ab hominibus postea ista patientes, pro ipso
Ioan. 12. 15.
eiusmodi perferre nos non puderet. Animaduerte, quod & hæc apertè prædixerunt Prophetæ. Multa autem Scripturarum testimonia, propter temporis angustiam prætermittimus, sicut prædixi. Si enim exactè quis omnia perquisiuerit, nullum Christi factum sine testimonio relinqueretur. Ligatus venit à Caipha ad Pilatum, nunquid & hoc scriptum est? *Et ligantes adferebant regi munera Iarim.* Sed obiiciat aliquis ex his qui acutè audiunt : Pilatus non erat Rex (vt interim alias relinquamus multas quæstiones) quomodo igitur *ligantes* ipsum attulerant Regi munera Iarim? Sed lege Euangelium. Audiens Pilatus, esse illum ex Galilæa, remisit ad Herodem : Herodes autem tum Rex erat, & aderat Hierosolymis. Et considerat Prophetæ diligentem certitudinem, munerum loco, inquit, ipsum miserunt: *facti*
F Luc. 23. 6. Luc. 23. 12.
sunt enim mutuò amici, Pilatus & Herodes, eadem die, antea enim erant inimici. Decebat enim eum qui Mundum erat pacificaturus, vt prius etiam ipsos Iudices suos pacificaret : *Et erat ipse Dominus componens corda Principum terræ.* Habes Prophetarum certitudinem, & verum testimonium. Admirare iudicatum Dominum : à militibus ducebatur. Pilatus sedet iudicaturus, & quia ad dexteram Dei sedet, tunc stans patiebatur. Populus, ex Ægypto ab illo liberatus, & ex aliis multis periculis, contra
Ioan. 19. 6.
illum clamat, *tolle, tolle, crucifige eum.* Qua de causa Iudæi: quod cæcos vestros curabat, quod claudos vt ambularent, sanabat, quod reliqua eiusmodi beneficia vobis præstitit? Sicut & Propheta de hoc dicit: *super quem aperuistis os vestrum, & contra quem produxistis linguam*
Hab. 12. 8.
vestram? Et ipse quoque Dominus per Prophetiam dicit, *facta est hæreditas mea sicut leo in sylua, dedit contra me vocem suam, propterea odiui illam, ego spreui, sed ipsi spre-*
E
uerunt me. Ideò consequenter dico, *dereliquerunt domum meam, Iudicatus tacui.* Tanquam compateretur ei Pilatus, dixit, *non audis, quod isti te accusant?* Non quod attenderet iudicatum, sed quia metuebat suæ vxoris somnium quod ad illum miserat, *& Dominus tacuit :* dicit Psalmus : *& factus sum sicut homo non audiens & non*
Ps. 37. 15.
habens in ore suo redargutiones. Et rursus : *ego autem sicut surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.* Audiuisti de hoc, si meministi, & antea. Sed milites circundantes eum, illudebant ei : Et factus est ludibrium illis Dominus, & illuditur Dominus : viderunt me & mouerunt capita sua. Figura tamen fit regni : illudebant quidem, genu flectebant tamen induentes purpura, &
Ioan. 19. 2.
postea crucifigunt. *Milites coronam imposuerunt capiti eius :* quid enim refert etiamsi spineam? Omnis rex, à
Christus à militibus typicè coronatus.
militibus appellatur, oportebat & IESVM à militibus typicè crucifigi, sicut ideo Scriptura in Cãticis dixit: *exite & videte filiæ Ierusalẽ in corona qua coronauit ipsũ mater*
G Cant. 3. 11.
eius. Mysteriũ erat corona, solutio enim erat peccatorũ,
Corona Christi erat mysterium.
dissolutio autem maledictionis. Accepit sentẽtiã Adam: *maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos afferet tibi :* propterea IESVS accepit spinas vt soluat hanc maledictionem, & ideo sepultus est in terra, vt maledicta terra pro maledictione recipiat benedictionem. Tempo-
Ioan. 3.
re peccati primi, foliis ficus circundabantur : Ideo & IESVS finem signorum dedit, ficum. Iturus enim ad passionem maledicit ficum : non omnem ficum, sed illam solam, propter figuram, dicens, *nequaquam amplius quis-*
Matt. 11. 12.
quam de te comedet. Dissoluta est damnatio : & cum tantum folia ficus circumfusè erant, venit in tempore in quo cibus non inueniebatur. Quis ignorat, quod tempore hyemis, ficus non fert fructum, sed foliis circundatur? quod omnes sciebãt, nunquid hoc IESVS ignorabat? Sed venit sciens, quæsiit non ignorans quod non esset inuenturus, sed figuram maledictionis vsque ad folia tantum faciens. Et cum res Paradisi attigimus, miratus sum
H
certè figuratum veritatem: In paradiso casus, & in horto salus? de ligno peccatum, & per lignum saluatio. Post meridiem à Domino Latro in paradisum introducitur. Sed dicet aliquis, cõminisceris ista! ostende à Propheta, lignum crucis prædictum, nisi prophetiam à Propheta præbueris, non persuadebor.

Audi igitur Hieremiam, & sis fidelis: *Ego sicut agnus innocens ductus ad sacrificium nesciens?* sic enim per interrogationem legitur : quasi diceret : qui dicit, *quod post duos*
Hier. 11. 19 Marc. 16 2.
dies Pascha fiet & Filius hominis tradetur ad crucifigendum, nunquid nesciuit? Ego sicut agnus mansuetus qui portatur ad victimam, & non cognoui? qualis agnus,
Ioan. 1. 26
Ioannes Baptista interpretatur dicens: *Ecce Agnus Dei.* Et Propheta dicit, super me cogitauerunt cogitatio-
Hier. 11. 19.
nem. Qui cogitationes nouit, nunquid euentum nescit? & quid dicebant? *Venite & inyciamus lignũ in panẽ ipsius* Et, si te Dominus dignatus fuerit, in posterum cognosces
Corpus Christi typũ ferebat panis.
quod corpus ipsius, secundum Euangelium, typum ferebat panis. *Venite* igitur, *lignum iniciamus in panem ipsius, & conteramus ipsum de terra viuentium.* Vita non conteritur, quid frustra laboratis? *Et nomen eius non*
Ps. 71. 7

A Deut. 28.66. *recordabitur amplius*: vanum est vestrum consilium, *ante Solem enim nomen eius in Ecclesia permanet*. Quod autem vita erat supra lignum suspensa, Moyses deplorans dicit, *Et erit vita tua suspensa coram oculis tuis, & metuis dies & noctes & credis vitæ tuæ*: Et quod paulo ante lectū est, *& quis credidit auditui nostro?* Huius typum perfecit Moyses crucifigens Serpentem, vt qui erat læsus à viuo Serpente, aspiceret æneum Serpentem, & credens seruaretur. Siccine æreus quidem Serpens, cruci affixus seruat, filius autem Dei incarnatus & crucifixus, non saluabit? Vbique per lignum salus. Noë tempore, per ligneam arcam, vitæ fuit conseruatio. Mare tempore Moysis, videns virgam erubuit eam qua percussum est. Virga igitur Moysis potuit, & Christi crux non poterit?
Ioan. 19. 34. *Sanguis & aqua cur fluxit de latere.* Omitto plures typos breuitatis causa. Lignum Moysis tempore dulcem effecit aquam, & de Christi latere aqua effusa fluxit in ligno. Initium signorum tempore Moysis, sanguis & aqua, & vltimum IESV signorum hoc idem. Primum Moses mutauit flumen in sanguinem, &
B IESVS postremo aquam emisit de latere vnà cum sanguine, fortassis propter duas cædes, alteram iudicantis, alteram vero clamantium, aut propter credentes, &
Mat. 27. 24. Ioan. 19. 34. non credentes. Pilatus enim dixit, *Innocens sum, & aqua lauit manus*: clamantes autem dicebant, *sanguis eius super nos*. Erant igitur hæc duo de latere fortassis, iudicanti, aqua, clamantibus vero, sanguis. Ac rursus aliter intelligendum: Iudæis quidem sanguis, Christianis vero aqua: Illis quidem tanquam insidiatoribus, ex sanguine condemnatio, tibi vero nunc credenti, per aquam
Baptismus duplex. salus: nihil enim temerè factum est. Assignarunt enarratores patres nostri, & aliam quoque eius rei causam. Cum enim duplex sit baptismi salutaris virtus, vt est in Euangeliis: Vna quidem, quæ baptizatis donatur per aquam, altera vero sanctorum Martyrum in persecutionibus per proprium sanguinem: exiuit de latere salutari sanguis & aqua propter eam quæ esset futura Christi
C confessionem, & in baptismo & in temporibus martyrij, confirmans gratiam. Est & alia lateris huius causa: Mulier fuerat prima ductrix peccati, quæ de latere creata est, sed IESVS qui venit vt viris simul ac mulieribus conferret reconciliationem, aperuit latus pro mulieribus, vt solueret peccatum. Et si latius enarrari voles, reperies & alias causas, sed hæc dicta sufficiant propter temporis angustiam, & ne sit auditoribus fastidium audire: quamuis laboriosum esse non deberet audire de coronato Domino, & maximè in sancto hoc Golgotha. Alij enim audiunt tantum, nos autem & videmus & attingimus: nemo itaque lassetur.

Accipe arma contra aduersarios huius Crucis trophæum, statuas fidem Crucis aduersus contradicentes. Cum enim de Domino cruceque contrà infideles quæstio tibi erit, prius statue manu tua signum: & obmutescet contradicentes. Non pudeat crucem Christi confiteri:
D *Crucis signum, manu statuendum ante disputationē.* angeli enim gloriantur, dicentes, IESVM *crucifixum quæritis?* Non potuisti dicere, ô Angele? scio quem quæritis, meum dominum: sed confidenter dicit, *scio quod crucifixum*. Corona enim est crux, & non ignominia. Cæterum redeamus nos rursus ad propositam prophetarum demonstrationem. Crucifixus est Dominus, accepisti testimonia. Vides locum hunc in Golgotha, simul & voce confiteris & mente quieta, caue autem
Pacis & persecutionis tempore est retinenda fides. in tempore persecutionis neges. Non tantum tempore pacis congaudeas Crucifixo, verumetiam tempore persecutionis eandem retine fidem. Ne sis tantum pacis tempore IESV amicus, & tempore belli inimicus. Accipis nunc in remissione peccatorum & spiritali dono regis pecunias, quando venerit bellum, pugna strenue pro rege tuo IESV. Pro te crucifixus est qui nihil peccauerat, & tu pro crucifixo non crucifigeris? Non tu prius gratiam illi hanc exhibes, prior enim accepisti: sed gratiam illi reddis. Redde vsuram illi qui propter te in hoc sacro
Mat. 27. 33. Golgotha crucifixus est. Golgotha vero interpretamur *Caluariæ locus*. Aliqui ergo prophetice locum hunc
Caluaria vnde. Golgotham appellarunt, in quo verum caput Christus crucem sustinuit, sicut Apostolus dicit, *qui est imago Dei inuisibilis*: & post pauca, *& ipse caput Ecclesiæ*: Et rursus, F Col. 1. 15.
Omnis viri caput est Christus: Et rursus, *qui est caput omnis principatus*. Caput hoc in loco Caluariæ passum est. O Coloss. 2. 10.
magnam propheticam appellationem! Modo enim non & nomen hoc admonet te docendo, non vt simplici homini attendas crucifixo? caput est omnis potestatis, crucifixum, caput autem habens Patrem: caput viri Christus, caput Christi, Deus. Christus igitur pro nobis crucifixus est: iudicatus noctu cum frigus esset, & focus carbonum ideo fuit appositus. Crucifixus hora tertia. Mat. 27. 45.
Ab hora autem sexta tenebræ factæ sunt vsque ad horam nonam: Et rursus ab hora nona lux, nunquid & hæc scripta Zach. 14. 6.
sunt quæramus! Dicit igitur Zacharias, *& erit in die illa, non erit lumen, & erit frigus vna die*: Frigus cum esset, Ioan. 18. 18.
Petrus calefaciebat se. Et dies illa nota Domino: dicit, *dies illa*. quid enim? num & alias non nouit? Multæ sunt dies, sed illa dies passionis Domini, quam fecit Dominus, & illa dies nota Domino. *Et neque dies, neque nox*. Quale est hoc ænigma quod dicit propheta, dies illa, neque dies est neque nox? quomodo igitur eam vocabimus? Interpretatur Euangelium quod negotium hoc E
enarrat: Non erat dies, quia non perpetuo ab oriente vsque ad occasum Sol lucebat, sed *à sexta vsque ad nonam tenebræ factæ sunt* in medio die, quia interpositæ sunt tenebræ: nominauit autem Deus tenebras, noctem. Propterea, neque dies, neque nox, non enim tota lux erat, vt vocaretur dies, neque tota tenebræ, vt vocaretur nox, sed post nonam illuxit sol. Prædixit & hoc prophæta: dicens enim, *neque dies, neque nox*, addidit, *& ad* Zach. 14.
vesperam erit lumen. Cernis prophetarum exactam certitudinem; cernis veritatem scriptorum. Sed quæris apertè qua hora sol defecerit, si octaua vel decima. Dic Iudæis veritatem, ô propheta, quando deficiet Sol? dicit igitur Amos propheta, & erit in die illa (dicit Dominus) occidet Sol in meridie, *ab horo* enim *sexta tenebræ factæ sunt*, & obtenebrata est lux super terram in die. Quale hoc tempus, ô propheta, & qualis dies? *Et conuertam solemnitates vestras in luctum*: in Azymis enim G Amos. 8.
hoc agebatur. Deinde dicit: *Et ponam ipsum sicut luctum dilecti, & eos qui cum ipso, sicut diem doloris*. In die enim Azymorum & solemni, mulieres ipsorum plangebant & flebant, apostoli vero occultati dolebant. Admiranda ergo hæc prophetia: sed da mihi & aliam, dicat quis: Quod signum est certius de eo quod factum est? crucifixus IESVS, is qui vnam tantum tunicam habebat, & vna veste vtebatur: Milites vestem quidem in quatuor partes sciderunt, tunica autem scissa non est, nullus enim deinceps illius esset vsus, sed sors de illa inter milites proiecta est, ac illam quidem diuiserunt, de hac autem sortem miserunt. Nunquid & hoc scriptum est? sciunt hoc studiosi Ecclesiæ Psalmistæ, qui angelicos imitantes exercitus, semper Deum laudibus celebrant, qui digni habiti sunt psallere in hoc sācto Golgotha, & dicere, *Psalmista Hierosolymitanæ Ecclesiæ.*
diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem: Sors autē erat quam milites proiecerunt. Rursus apud Pilatum cum iudicaretur, rubeam vestem ferebat, illic enim posuerunt super illum *chlamidem coccineam*: nunquid vero & hoc scriptum est? Dicit Isaias: H Psal. 21. 19. Mat. 27. 28.
quis est hic progrediens ex Edom, rubrum vestimentum eius ex Bosor? Quis alius quam ille, qui per contumeliam tulit vestem purpuream? Bosor enim apud Hebræos, quiddam eiusmodi sonat. *Quare sunt rubra vestimenta tua & indumenta tua sicut calcantium in torculari?* Ille autem respondet & dicit: *Tota die expandi manus meas ad populum incredulum & contradicentem*. Isa. 63. 1.
Expandit in cruce manus, vt comprehenderet fines terræ: Medium enim terræ est hic Golgothas. Non meus hic est sermo: propheta dicit, *Operatus est salutem in medio terræ*. Expandit humanas manus, qui spiritalibus suis manibus firmauit cœlum. Et affixerunt eas clauis, vt ligno affixa humanitate quæ tulit hominum peccata, & moriente humanitate, commoreretur & peccatum, nos vero refugeremus in iniustitia. Cum enim *per vnum hominem sit mors*, etiam per vnum, vita: per vnum autem hominem Saluatorem, qui sponte sua mortuus est. Psal. 37. 12. 21. 1. Cor. 15. 21.

A Ioan. 10. 18. est. Recorderis dictorum, *Potestatem habeo ponere animam meam, & potestatem habeo rursus accipere eam.* Ac ille quidem hæc sustinuit, pro salute omnium veniens, Populus vero malam illi mercedem reddidit. Dixit IESVS, *sitio.* Qui educebat ipsis ex rupe aquas, en petit à vinea quam plantauit, fructus. Sed quid vinea, quæ secundum naturam quidem erat ex sanctis patribus, Deut. 32. 32. secundum voluntatem autem ex Sodomis: (*Vinea enim illorum ex Sodomis, & fermentum illorum ex Gomorra* (Psal. 68. 22. sitienti Domino spongia madefacta & imposita arundini, porrigit acetum. *Et dederunt in cibum meum fel, & in siti mea potauerunt me aceto.* Cernis claritatem prædictionis propheticæ? Cuiusmodi autem fel dederunt ori Marc. 15. 23. eius? *dederunt*, inquit, *illi vinum myrrha permixtum:* myrrha autem fellis instar amara est. Hæc Domino red- Isai. 5. 1. didistis; hæc adfert vinea Domino? Iustè igitur deplorat vos Isaias, dicens, *Vinea facta est Dilecto meo in cornu, in lo-* Isa. 5. 6. *co pingui.* Et vt ne omnia repetamus, expectaui, inquit, vt faceret vuam: sitiui, vt daret vinum, ipsa autem fecit spinas. Cernis hanc coronam qua circumdatus sum? quid ergo statuam deinceps; *Nubibus præcipiam ne super illam pluant,* ablatæ enim sunt ab illis nubes: Prophetæ enim deinceps sunt in Ecclesiis, sicut dicit Paulus, *Prophetæ autem duo aut tres loquantur, alij autem dyudicent:* Et rursus, *Deus dedit in Ecclesia alios quidem prophetas.* Et Propheta erat Agabus qui ligans sibi manus & pedes prophetauit. De Latronibus autem qui cum illo crucifixi sunt, dictum est, *& cum iniquis reputatus est.* Ac duo quidem anteà erant iniqui: vnus autem non vsque ad finem iniquus permansit, alter autem ad finem iniquus, & obstinatus ad salutem, manibus quidem affixus erat, sed lingua blasphema verberabat. Sicut & Iudæi accedentes, *mouebant capita sua illudentes Crucifixum,* implentes quod scriptum erat, *videbant me & mouebant capita sua.* Et alter quoque Latro, cum illis eum infamat, alter autem reprehendit infamantem: eratque ipsi finis vitæ, principium rectè facti, traditio animæ, & acceptio salutis. Et post hanc illius reprehensionem, dicit, *Memento mei Domine:* ad te enim mihi sermo est: relinque hunc, obcæcati enim sunt mentis illius oculi: mei autem memineris. Non dico, vt operum meorum memineris, hæc enim metuo: omnis enim homo afficitur ad comitem suum, simul tecum eo ad mortem, memineris comitis tui: sed non dico aliter vt mei memineris, quàm cum veneris in regnum tuum. Quæ virtus te illuminauit, ô Latro? Quis te docuit adorare contemptum, & simul cruci affixum? O lumen perpetuum illuminans obscuratos! Ideo & iustè audit, *confide:* non quod opera tua digna sint confidentia, sed quia Rex adest, qui gratiam confert. Longa erat petitio, sed celerrima gratia. *Amen dico tibi, hodie eris mecum in Paradiso,* cum enim hodie vocem meam audisti, non obturasti cor tuum. Celeriter contra Adam tuli sententiam, celeriter tibi gratificor. Illi quidem dictum est: quacunque die comederitis, morte moriemini: tu verò hodie obedisti fidei, hodie quoque tibi salus. Ille propter lignum excidit, & tu de ligno introduceris in paradisum. Ne timeas serpentem, cecidit enim de cælo, non eiiciet te. Et non dico tibi: *hodie recedes:* sed *hodie mecum eris,* non reiicieris: Confide, neque timeas flammeum gladium, reueretur enim Dominum. O ingentem & inenarrabilem gratiam! Nondum Abraham fidelis ingressus est, & latro ingreditur: nondum Moyses & Prophetæ, & iam Latro iniquus ingreditur. Admiratus est te etiam Paulus, dicens, *Vbi abundauit peccatum, superabundauit gratia.* Qui tulerunt æstum, nondum ingressi sunt, & qui *vndecima hora* venit ingressus est. Nemo murmuret contra Patremfamilias, cum ille dicat, *Amice, non facio tibi iniuriam,* nonne potestatem habeo in meis facere vt volo? Vellet iustè agere Latro, sed venit mors. Non tantum opus moror, sed fidem recipio. Venit qui pascit inter lilia, venit pascere in horto, ouem inuenit perditam, eam in vlnas suas accepit. Credit enim, cum ipse dicat, *erraui sicut ouis quæ perijt. Memento mei Domine quando veneris in regnum tuum.* Præcantauit in

Prophetæ modo sūt B *in Ecclesia Christiana.* 1 Cor. 14. 26. Eph. 14. 11. Act. 21. 11. Marc. 15. 28. Math. 27. Ps. 108. 25. C Luc. 23. 42. *Latro illuminatus à Deo.* D Rom. 5. 20. Math. 20. Ps. 118.

F Cant. 5. Canticis de hoc horto ad suam Sponsam, hæc dicens ad illam, *ingressus sum in hortum meum soror mea sponsa: Erat autem vbi crucifixus est, hortus.* Et quid accipis illic? *messui myrrham meam,* vinum myrrhatum bibens & acetum, quo gustato dixit, *consummatum est:* impletum enim est mysterium, impletæ enim sunt Scripturæ, dissoluta Heb. 9. 11. peccata: *Christus enim assistens sacerdos futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta: si enim sanguis taurorum & hircorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quantò magis sanguis Christi?* Et rursus: *renouauit nobis viam recentem & viuentem per velum,* hoc est, per carnem ipsius: & posteaquam caro ipsius, velamentum ignominia fuit affectum, propterea *velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum.* Neque enim modicum illius relictum est, cum Dominus dixerit, *ecce relinquetur domus vestra deserta,* & domus hæc planè disrupta est. Sustinuit autem hæc Saluator pacificans per sanguinem crucis & quæ in cœlis & quæ in terris, inimici enim eramus propter peccatum, & decreuit Deus, vt qui peccat moreretur. Quid igitur ex his duobus fieri oportebat? vtrū (vt verax esset Deus) omnes tollere, aut vt esset benignus dissoluere decretū? Sed vide Dei summā sapiētiam. Custodiuit enim & decreti veritatem, & benignitatis virtutem. Assumpsit Christus peccata in corpore, in lignum, vt per mortem ipsius nos peccatis mortui, & iustitiæ viueremus. Non paruus erat, qui mortuus est pro nobis, non erat Ouis sensilis, non erat simplex homo, non erat Angelus tantum, sed Deus incarnatus. Non tantum erat peccantium peccatum, quanta pro illis morientis iustitia: non tantum nos peccauimus, quantum ille iustè egit qui animam pro nobis posuit; qui posuit quando voluit, & rursus accepit quando voluit. Et vis nosse quod non violenter posuit animam, neque inuitus tradidit spiritum? alloquebatur patrem, dicens, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum:* commendo, vt rursus accipiam. Et hoc dicens emisit spiritum, sed non in longum tempus, celeriter enim rursus resurrexit.

Velū templi cur scissum. Luc. 23. 38. Matth. 23. 4. E Luc. 23. 46. G

Defecit Sol propter iustitiæ Solem: Petræ scissæ sunt, propter spiritalem petram. Sepulchra aperta sunt, & mortui surrexerunt propter eum qui est inter mortuos liber: emisit ipsos vinctos de lacu non habente aquam. Non igitur pudeat te crucifixi, sed confidenter dic, & ipse peccata nostra tulit, & liuore eius sanati sumus. Ne ingrati simus erga Benefactorem. Et rursus, *ab iniquis populi mei ductus sum in mortem:* Et, *dabo malos pro sepultura ipsius.* Propterea manifestè dicit Paulus, quod *Christus mortuus est pro peccatis nostris,* secundum Scripturas, & quod sepultus, & tertia die resurrexit. Volumus autem apertè scire, vbi sepultus est. Nunquid manufactus est locus? nunquid sicut regum sepulchra eleuatus est super terram? Ex lapidibus facta est sectio composita. Et huic qui superponitur? dicite nobis, ô Prophetæ, & sepulchri certitudinem, vbi ponetur, & vbi ipsum quæramus. Illi autem dicunt: *Respicite in solidam petram quam excidistis, respicite & sentietis:* Habetis autem & in Euangeliis, *In monumento exciso, quod erat excisum ex petra.* Et quid fit? quod est ostium monumenti: Rursus Propheta alius dicit: *Mortificarunt in lacu vitam meam, & imposuerunt lapidem super me.* Lapis angularis electus & gloriosus, in interiori lapide positus est ad modicum tempus. Lapis offendiculi Iudæis, & lapis salutaris credentibus. Insitum igitur est lignum vitæ in terra, vt maledicta terra deinceps frui posset benedictione, & vt liberentur viuificenturque mortui. Non pudeat igitur nos crucifixum confiteri, sed in fronte confidenter signaculum crucis digitis imprimatur, & in aliis omnibus crux fiat: In panibus comedendis & in poculis bibendis, in egressu & ingressu, ante somnum, recumbendo & surgendo, eundo & quiescendo. Magna hæc est custodia, quæ propter pauperes gratis datur, sine labore, propter infirmos, cum à Deo sit hæc gratia, signum fidelium & timor dæmonum: Triumphauit enim de illis in hoc signo, ostentat illud audacter. Quando enim viderint crucem,

Isa. 50. 1. Pet. 3. 18. H *Prophetia de sepulchro Christi.* Isa. 51. Matth. 27. 60. Thren. 3. 53. *Crucis signū digitis in fronte, in omni actione confidenter imprimendum.* *Signum crucis magna est custodia.*

A crucem, recordantur Crucifixi. Metuunt eum qui contriuit capita draconis. Neque propterea quod est gratuitum, contemnas hoc signaculum, sed ideo magis venerare benefactorem. Et si in inquisitionem fortè incideris, & sermones demonstrationis tibi defuerint, firma apud te remaneat fides. Quod si eruditus fueris, obstrue os Iudæis, ex Prophetis & Græcis ex ipsorum fabulis, qui & fulmina adorant: fulmen autem de cœlo veniens non temerè venit. Si illi, ea quæ Deus odit, adorare non verentur, tu Deo dilectum Filium Dei, pro te crucifixum, adorare vereberis? Pudet me dicere de his quos illi deos appellant, & prætermitto ista propter exeuntem horam: qui autem sciunt, dicant. Obstruatur verò os hæreticis omnibus. Si quis dicat quod crux sit tantum phantasma, auersare, & oderis dicentes quod per phantasiam tantum crucifixus sit, de cruce enim salus. Si phantasia, crux, phantasia erit & ascensio, phantasia & secundus aduentus, & nihil erit certi.

Crux est signũ fidelium, & timor Dæmonũ. Fulmen nõ temerè venit de cœlo.

B Accipe primum immobile fundamentum, crucem, & in eo reliqua fidei ædificia. Non neges Crucifixum: si enim negaueris, habebis multos qui redarguant. Iudas te primus proditor redarguet: Ipse enim qui prodiderat, scit quod à principibus sacerdotum, & Senioribus damnatus esset ad mortem. Testantur triginta argentei, testatur Getsemane, vbi facta est proditio: Nondum dico montem Oliuarum, in quo præsentes noctu orabant. Testatur Luna in nocte, testatur dies & Sol deficiens, non enim ferre potuit improborum illorum nequitiam. Arguet te ignis, cui assistens, calefaciebat se Petrus. Si negaueris crucem, manet te ignis æternus. Dura hæc dico, vt non hæc dura discas experientia. Recordare gladiorum qui in Getsemane promebantur contra illum, vt gladium non experiaris æternum. Arguit te domus Caïphæ, per eam quæ nunc est interpretationem, demonstrans illius tunc iudicis potestatem. Consistet aduersus te in die iudicij & ipse Caïphas: consistet & minister qui alapas dabat Iesv, qui ligabant, qui adducebant. Resistet tibi & Herodes & Pilatus, modo non dicentes, quid negas eum, qui nostro tempore à Iudæis est calumniatus, quem sciebamus nos nihil peccasse, ego enim Pilatus laui tunc manus. Aduersabuntur tibi & falsi testes, & milites qui tunc purpurea illum veste induerunt, & in Golgotha crucifigentes, & de veste sortem mittentes. Arguet te Simon Cyrenæus, crucem post Iesvm ferens; arguet te ex astris, Sol deficiens; ex rebus terrenis, vinum Myrrhatum; ex fruticibus, arundo; ex herbis, Hyssopus; ex Marinis, spongia; ex arboribus, lignum crucis. Milites, vt ante dixi, vincientes, & sortem mittentes de vestibus: Miles qui lanceâ latus aperuit, Mulieres quæ tunc aderant, Velum templi scissum, Pilati prætorium, quod virtute Crucifixi nunc desolatum est. Golgothas hic sanctus qui sic elatus est, & ad hodiernam diem apparet, & hactenus monstrat vbi propter Christum petræ scissæ sunt: Sepulchrum hoc proximum vbi positus erat, & lapis ostio monumenti superpositus, qui ad hodiernum vsque diem ante monumentum situs est. Angeli tunc præsentes, Mulieres quæ adorauerunt illũ post resurrectionem, Petrus & Ioannes qui ad monumentum cucurrerunt, Thomas qui in latus eius manum immisit & digitos in locum clauorum, propter nos enim ille accuratè tangebat: & propter te qui tum non adfueris & esses quæsiturus, hoc ille tunc præsens quæsiuit per diuinam dispositionem.

Testes passionis Christi.

C

D *Cur S. Thomas voluerit Christũ tangere.*

Habes duodecim Apostolos crucis testes, & orbem terræ, & Mundum vniuersum eorum qui in crucifixum credunt hominum. Hoc ipsum quod tu nunc hic ades: persuadeat Crucifixi virtutem: quis enim te nunc congregauit, qui milites? quibus vinculis coactus? quæ condemnatio te huc impulit? Trophæũ Iesv salutare, crux omnes congregauit. Hoc Persas seruire fecit; hoc Schytas cicurauit; hoc Ægyptios à Catris & canibus & variis erroribus ad Dei cognitionem adduxit; hoc ad hodiernum vsque diem curat morbos, dæmones fugat, & veneficiorum incantationumque auertit imposturas: hoc cum Iesu apparebit in cœlo, præcedet enim Regis Trophæum, vt videant quem pupugerunt, & à cruce agnoscant quem contempserunt. Qui non egerunt pœnitentiam Iudæi, flebunt rum, & flebit Tribus super Tribum: tunc enim pœnitentiam agent, quando non erit ipsis salutis tempus. Nos autem gloriantes gloriemur in Cruce, missum Dominum & pro nobis crucifixum adorantes, & eum qui misit, Patrem Deum: cui gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Crux, & morbos & dæmones & incantationes repellit.

E

CATECHESIS QVARTA ET DECIMA

illuminatorum Hierosolymis, extemporanea: De Resurgente à mortuis tertia die, & ascendente in cœlos, & sedente in dextera Patris: & lectio ex prima ad Corinthios: notum autem vobis facio, Fratres, Euangelium, quod prædicaui vobis, *& cætera*, quod resurrexit tertiâ die secundum Scripturas, *&c.* 1. Cor. 15. 1.

F

Lætare Hierusalem, & celebrate festum omnes qui diligitis Iesvm: resurrexit enim. Gaudete omnes, qui antea lugebatis, Iudæorum temeritates & iniquitates audientes: qui enim contumelia ab illis fuerat affectus, hic nunc rursus excitatus est. Et sicut de cruce auscultatio, tristis nonnullis erat, sic & Euangelium (hoc est, annuntiatio bona) de resurrectione lætificet præsentes. Conuertatur luctus in gaudium, & dolor in lætitiam, & impleatur gaudio, & exultatione os vestrum, propter eum qui post resurrectionem dixit, *gaudete*: † vidi enim amatorum Christi, diebus præteritis dolorem, cum dicendo in mortem desineremus, resurrectionem autem non euangelizaremus, suspensus enim erat animus ad audiendum id quod desiderabatur. Resurrexit igitur ille mortuus qui est inter mortuos liber, & mortuorum liberator: qui per ignominiam, propter patientiam corona spinea insignitus erat, hic resurgens, diadema deuictæ mortis induit. Sed quemadmodum testimonia de cruce attulimus, sic, age, nunc quoque de resurrectione demonstrationibus, in fide confirmabimur cum Apostolus dicat, *sepultus est, & resurrexit tertia die secundum Scripturas.* Apostolo igitur, ad Scripturarum testimonia nos remittente, pulchrum est vt agnoscamus spem nostræ salutis. Ac primum quidem discendum est, si diuinæ scripturæ indicant tempus resurrectionis ipsius, vtrum in æstate vel autumno fiet, an post hyemem, & quibus ex locis Saluator resurget, & quod nomen resurrectionis ab admirandis dicitur prophetis. Et si mulieres quæsierunt eum, & primo non inuenientes gaudebant: vt cum Euangelia leguntur, non fabulæ neque commenta esse putentur Sanctorum Euangeliorum enarrationes. Et quod quidem sepultus sit Saluator, apertè audistis in superiori sermone, Isaia dicente, *erit in pace sepultura eius*, pacificans enim cœlum & terram, peccatores adducit Deo. Et quod *à facie iniquitatis aufertur Iustus*: Et, *dabo malos pro sepultura ipsius*: & prophetia Iacob dicentis in scripturis, *requiescens accubuisti vt Leo, & vt leæna suscitabit eum?* Et proximum huic in numeris, *accubans dormiuit vt leo, & quasi leæna*: Et Psalmo sæpè dicente, *in puluerem mortis deduxisti me*: Et locum annotauimus in hoc dicto, respicite in Petram quam exsculpsistis: Deinceps verò de hac illius resurrectione sequantur testimonia.

† Auete, Matth. 28. 9. Tristitia Auditorum ex auditu passionis Christi.

G

1. Cor. 15. 4.

Isa. 53.

H Num. 24. 9. Psal. 21. 16.

Dicit igitur primum in vndecimo Psalmo, *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus.* Sed manet adhuc dubium apud quosdam, sæpè enim & in iram exurgit, ad vindictam de inimicis sumendam. Veni ergo, & in quindecimum psalmum apertè dicentem audi, *conserua me Domine, quia in te speraui*: Et post hæc, *non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea*, quia me reiecerunt regem, & optarunt sibi Cæsarem. Et deinde, *prauidebam Dominum in conspectu meo semper, quia à dextris est mihi ne commouear.* Et post pauca, *Insuper & ad noctẽ increpuerunt me renes mei*: Et postea manifestissimè

Resurrectionis Christi testimonia.

Ps. 15. 1.

dicit,

A

dicit, *quia non derelinques animam meam in Inferno, neque dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Non dixit, non dabis Sanctum videre mortem, alioquin non esset mortuus: sed, corruptionem, inquit, non videbo, in mortéque non permanebo. *Notas mihi fecisti vias vitæ:* vide quod apertè post mortem vita prædicatur. Veni

Psal.29. & in vigesimum nonum Psalmum: *Exaltabo te Domine quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me*, quod factum est, cum ab inimicis liberatus es, aut cum esses verberandus discessisti: ipse dicit apertissimè, *Domine eduxisti ex inferno animam meam.* Illic dicit, *non derelinques animam meam*, prophetico spiritu: Hic autem dicit id quod futurum erat, tanquam factum iam fuisset, *quod eduxisti, saluasti me à descendentibus in lacum.* Quo tempore id esse debet? *ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum exultatio:* vesperè enim erat Discipulorum luctus, & manè, in die resurrectionis, lætitia. Vis & de hoc locum scripturæ nosse? Dicit in Canticis, *In hortum meum descendi.* Hortus

B

Cant.6. 10. *Regalibus donis ornatus, sepultura Christi locus est ante hortus esset.*

enim erat vbi crucifixus est: quamuis enim nunc regalibus donis ornatus sit hic locus, hortus tamen antea fuit, & huius symbola manent & reliquiæ: *Hortus conclusus, fons signatus* à Iudæis dicentibus, *recordati sumus quod seductor ille dixit cum adhuc viueret, quod post tres dies resurgam, iube igitur custodiri sepulchrum*, ac deinde *obsignantes lapidem*, custodiam adhibuerunt. Ad quos intendens, dixit aliquis, *& in requie iudicabis ipsos.* Quis vero fons signatus, aut quis interpretatur puteus aquarum viuentium? Ipse est Saluator, de quo scriptum est,

Cant.4. Matth. 27.63.

quia apud te est fons vitæ. Sed quid dicit discipulus Sophonias, ex persona Christi? *Prapara te, mane surge, corrumpetur enim omne germen ipsorum*, Iudæorum videlicet, apud quos non relinquetur racemulus salutis, sed neque botrunculus, concidetur enim vinea ipsorum. Vide quomodo dicat ad Discipulos, *Prapara te, manè surge*, manè expecta resurrectionem. Et deinde secundum eandem scripturæ seriem, dicit, *propterea expecta me, dicit Dominus, in diem resurrectionis meæ, in Martyrion.* Vides quod & locum resurrectionis præuidit Propheta, Martyrion vocandum? Qua ratione enim, non secundum reliquas Ecclesias, Golgothæ etiam hic resurrectionis locus, Ecclesia vocatur sed & Martyrion? Verum id forte propter Prophetam dicentem, *in diem resurrectionis meæ, in Martyrion.* Et quis est ergo hic, aut quod signum resurgentis? Apertè in sequentibus eiusdem contextus Propheta inquit, *quia tunc conuertam super populos linguam*, cum post Resurrectionem misso Spiritu sancto, data est gratia linguarum vt seruiant Domino sub iugo vno: Et quod aliud Symbolum in eodem Propheta additur, seruiendi Domino *sub iugo vno. Et ex finibus fluuiorum Æthiopiæ, adferens sacrificia mihi:* Scis quod scriptũ est in Actis, quod venit Eunuchus Æthiops à finibus fluuiorum Æthiopiæ. Cum igitur & tempus & loci proprietatem, cum & post resurrectionem signa recitent Scripturæ, persuadeas deinceps certò tibi Resurrectionem, & nemo te comoueat vt non confitearis Christum à mortuis excitatum. Accipe quoque testimonium ex octogesimo septimo Psalmo, Christo loquente per Prophetas, ipse enim qui tum loquebatur, deinceps aduenit: *Domine Deus salutis meæ, in die clamaui & nocte coram te:* Et post pauca, *& factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.* Non dixit: *sine adiutorio*, sed, *sicut sine adiutorio.* Etenim crucifixus est non ex infirmitate, quasi id euadere non posset, sed voluntariè: non ex infirmitate, sed voluntaria fuit mors. *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum:* Et quod huius signum? *longè fecisti notos meos à me:* Fugerunt enim Discipuli. *Nunquid mortuis facies mirabilia?* deinde post pauca, *& ego ad te Domine clamaui, & mane oratio mea praueniet te.* Cernis quomodo manifestant & tempus & horam passionis & resurrectionis? Et vnde resurget Saluator? dicit in Canticis Canticorum, *surge, propera amica mea:* & in sequentibus, *In foraminibus petræ*, foramen petræ dicit id, quod tunc ante ostium Saluatoris monumenti erat foramen, ex eadem petra, sicut hic solet esse ante

Ps.35.10 *Sic legunt 70. Interpres.* Soph.3.

C

Martyrion, Ecclesia Resurrectionis.

Soph.3.

D

Cant.2. 14.

E

monumenta excisum: nunc enim non apparet quoniam erasum est vestibulum, propter præsentem ornatum, nam ante regalem hunc ornatum & apparatum sepulchri, vestibulum erat ante petram. Sed vbi est petra quæ habuit vestibulum? nunquid in his quæ sunt circa ciuitatem posita, aut circum muros, & circa munumenta? & vtrum in antiquis muris est, aut in his qui posterius facti sunt, antemuralibus? Dicit igitur in Canticis, *in cauerna maceriæ habentis petras.*

Cant.2. 14. *Resurrectionis tempus prædictum.* Cant. 2. 11.

Quo tempore exurget Saluator? nunquid æstatis tempore, vel alio? In eisdem Canticis, ante illa quæ dicta sunt, statum dixit: *Hyems transiit, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra, tempus putationis aduenit.* Nunquid non plena nunc est terra floribus, & putantur vineæ? Cernis quomodo apertè, & hyemem dixit præteriisse? Aprili enim mense instante, iam Ver est reliquum: quod tempus, est hic mensis apud Hebræos primus, in quo festum Paschæ prioris & typicæ erat, nunc vero est veræ. Hoc tẽpus est creationis mundi: tunc enim dixit Deus, *producat terra herbam virentem & facientem semen iuxta genus*, & nunc cernis, quod deinceps omnis herba seminat. Et sicut tunc Dominus faciens Solem & Lunam æquinoctiales cursus illis contulit, sic ante paucos dies, æquinoctij fuit tempus. Tunc dixit Deus, *faciamus hominem ad imaginem nostram & similitudinem:* Et quod quidem erat ad imaginem, retinuit, quod autem ad similitudinem, propter inobedientiam obscurauit. Quo tempore itaque euersio fuit, eodem rursus facta reparatio. Quando creatus homo, non obsequens eiectus est è paradiso, tunc ille qui credidit, obediens introductus est: tunc igitur facta est salus quando & lapsus, quando *flores apparuerunt, & putatio aduenit*, Hortus erat locus sepulchri, & vinea plantata: *Ego sum vinea*, inquit. Insitus est igitur in terra, vt eradicetur illa quæ per Adam facta est, maledictio. Spinas & tribulos vt ferret terra, decretum erat: orta est terra, vinea, vt impleretur quod scriptum est, *Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit.* Et quid dicturus est qui sepultus est in horto? *messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Et rursus, *Myrrha, aloë, cum omnibus primis vnguentis*, hæc autem sepulturæ sunt symbola. Et in Euangeliis dictum est, *venerunt ad monumentum ferentes quæ præparauerant aromata, & Nicodemus ferens mixturam mirrhæ & aloës.* Deinde scriptum est, *comedi panem meum cum melle meo:* Amarum ante passionem, & dulce post resurrectionem. Postea resurgens, ingressus est per ostium clausum, sed diffidebant, *existimabant enim spiritum se videre:* Ille autem, *tangite* (inquit) *& videte digitis locum clauorum*, quod perquirebat Thomas: *& adhuc non credentibus ipsis præ gaudio & admirantibus, dixit ipsis: habetis hic aliquid quod manducetur? Illi autem dederunt illi de fauo mellis.* Cernis quo modo impletum est? *comedi panem meum cum melle meo?* Sed antequam ingrederetur ipse per portas clausas, quæsitus est ab optimis illis & fortibus mulieribus ille Sponsus & medicus animarum. Venerunt illæ beatæ ad sepulchrum, quærebant eum qui iam resurrexerat, & erumperunt illis lachrymæ de oculis, sed gaudere potius & lætari conuenit de resurgente. *Venit Maria quærens*, vt est in Euangelio, & non inuenit, & postea audiuit ab Angelis vbi esset, atque vidit deinceps Dominum: nunquid & hæc scripta sunt? Dicit in Canticis Canticorum, *In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea: Maria*, inquit, *venit cum adhuc tenebræ essent. In lectulo meo quæsiui, per noctes quæsiui illum & non inueni:* Et in Euangeliis dicit Maria, *tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.* An Angeli præsentes, vbique curant ignorantias: dixerunt enim, *quid quæritis viuentem cum mortuis?* non solum enim surrexit, sed & mortuos habens secum viuens, surrexit. Illa dixit, tanquam in persona illius, Canticum Canticorum: *num quẽ diligit anima mea, vidistis? paululum cum transissem eos*, hoc est, illos duos Angelos, *inueni illum quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam:* post visionem enim Angelorum, ipse se annuntians IESVS venit, vt inquit

F

Ver tempus creationis.

Locus sepulchri Christi, erat hortus & vinea.

G

Ioan.15. 1. Psal.84. 12. Cant.5.1. Cant. 4 14. Marc. 16.1. Ioan.19. 39. Luc. 24. 37. Cant.5.1.

H

Marc. 16. Ioan.20. Cant.3. Ioan.20 13. *Angeli vbique curãt hominum ignorantias.* Cant.3.

A Matth. 28.9. Euangelium: *Et ecce* IESVS *occurrit illis, dicens, saluete: illæ autem accedentes tenuerunt pedes eius.* Tenuerunt illum, vt impleretur, *tenui enim, nec dimittam*: Infirmum quidem muliebre corpus, virilis autem prudentia. Aqua multa non extinxit dilectionem, neque flumina demerserunt. Mortuus erat qui quærebatur, sed non est extincta spes resurrectionis. Et Angelus ad ipsas dixit, *ne timeatis vos*: non dico militibus, *ne timeatis*, sed vobis. Illi timeant, vt experientia discentes testentur & dicant, *verè Dei filius erat*: vos autem non est necesse timere: *perfecta enim charitas foras mittit timorem*: *Ite & dicite discipulis eius, quia resurrexit*, &c. *exierunt illæ cum gaudio*, non sine timore. Nunquid & hoc scriptum est? dicit psalmus secundus qui passionem Christi annuntiat, *Seruite Domino in timore, & exultate ipsi cum tremore.* Exultate quidem propter resurgentem Christum, cum tremore autem, propter terræ motum & Angelum sicut fulgur apparentem. Obsignauerant igitur Principes sacerdotum & Pharisæi per Pilatum sepulchrum, mulieres autem viderunt resurgentem. Et hoc cognoscens Isaias, Principum quidem sacerdotum vilitatem, mulierum autem robur fidei, dicit: *Mulieres venientes à visione, venite; populus enim est non habens intellectum*: Summi Sacerdotes non intelligunt, & ipsæ mulieres conspiciunt. Nam cum venirent milites ad illos, & annuntiarent omnia quæ facta erant, dicunt ipsis Principes sacerdotum, *dicite, quod discipuli eius nocte venientes furati sunt illum nobis quiescentibus.* Bene igitur, sicut de ipsis prædixit Isaias, *sed dicite nobis & annuntiate alium errorem.* Excitatus est resurgens, & dederunt argentum: corruperunt milites, sed non corruperunt eos qui nunc sunt reges. Nam illi quidem milites, propter argentum prodiderunt veritatẽ, isti autem qui nunc sunt reges, pietatis ergo, argento induentes & auro, sanctam hanc Ecclesiã resurrectionis Saluatoris, in qua nunc sumus, extruxerunt, & argenteis monumentis splendidam effecerunt. *Et si hoc auditum fuerit à præside, nos suadebimus ei*: Illis quidem militibus persuasistis, Orbi autem terrarum non persuasistis. Quare sicut Petro de custodia exeunte, condemnati sunt custodes, sic etiã qui IESVM custodiebant, non sunt condemnati? Sed illi quidem ab Herode mulctati sunt, & ignorantia facti nullam defensionem reperiebant, isti autem scientes veritatem & ipsam occultantes propter argentum, à Principibus sacerdotum seruati sunt. Ac pauci quidem tunc ex Iudæis crediderunt, Mundus autem obediuit. Qui occultabant veritatem, absconditi sunt, & qui receperunt ipsam, illustrati sunt virtute Saluatoris: qui non modo ipse à mortuis resurrexit, sed & mortuos secum excitauit: ex quorum persona Oseas Propheta inquit, *sanctificabit nos post duos dies, in die tertia resurgemus, & viuemus in conspectu eius.* Cum itaque persuadeant scripturæ, nolentibus audire Iudæis, cúmque obliuiscentes omnium quæ scripta sunt contradicunt resurrectioni Christi, bonum esset ad eos sic dicere: qua ratione Elisæum & Eliam mortuos excitasse asserentes, resurrectioni nostri Saluatoris contradicitis? Sed dicent, quod nunc viuentes, ex illis qui tunc erant testes dictorum, non habetis: Itaque, constituite & vos, eorum quæ tunc facta sunt, testes. Quod si illud scriptum est, etiam hoc scriptum est: quare hoc quidem recipitis, illud autem reiicitis? Hebræi scripserunt illa, & Apostoli omnes erant Hebræi: cur igitur non creditis? Matthæus scribens Euangelium, lingua Hebraica illud scripsit, & Paulus prædicator gentium, Hebræus ex Hebræis: deinde & hic, Episcopi Hierosolymitani ex Hebræis per successionem constituebantur, qua ratione igitur recipitis propria, & nostra reprobatis, etiamsi ipsa quoque sint ab Hebræis scripta.

Matth. 27.54. 1. Ioan. 4.18. Matth. 28.8. Ps. 2. 11. — B — Isa. 27. 11. — Matth. 28.13. — *Pietatis causa, reges ædificabãt Ecclesias.* — C — Oseæ 6. 2. — D — *Matthæus scripsit Euangelium lingua Hebraica.*

Sed est impossibile, dicet aliquis, mortuos resurgere: attamen Elisæus, mortuum bis excitauit, & viuens & mortuus. Si credimus, quod Elisæum, cùm esset mortuus, attigit mortuus, & resurrexit: Christus autem à mortuis non excitatus est? sed ille quidem Elisæum illic mortuus attingens resurrexit, ipse tamen excitans mansit nihilominus mortuus: Hic autem & mortuus noster, & ipse resurrexit, & multi neque attingentes eum mortui resurrexerunt, *multa enim corpora sanctorum qui obdormierant, resurrexerunt, & exeuntes de monumentis, post resurrectionem ipsius, ingressi sunt in sanctam ciuitatem* (manifestum autem quod in hanc in qua nunc sumus) *Et apparuerunt multis.* Excitauit igitur Elisæus mortuum, sed non subegit terram, excitauit Elias mortuum, sed non in nomine Eliæ dæmonia eiiciebantur. Non maledicimus Prophetas, sed magis Dominum illorum laudamus: non enim illis detrahentes, nostra veneramur, sed ex illis quæ tum fuerant, nostra confirmamus.

4. Reg. 13.21. — E Matth. 27.52. — *Sancta ciuitas Hierusalem.*

Sed rursus dicent: mortuus quidem qui recèns obiecerat, à viuente excitatus est: monstrate autem nobis quod contigerit mortuum triduanum resurgere, & si fieri potest vt homo sepultus post triduum resurgat. Quærentibus autem nobis de talibus testimonium, dat illud nobis ipse Dominus IESVS in Euangeliis, dicens: *sicut Ionas erat in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes.* Perquirentibus nobis hanc de Iona enarrationem, multa est vis similitudinis. IESVS missus est prædicare pœnitentiam, & Ionas quoque erat missus: sed hic quidem fugit, ignorans quid esset futurum, ille autem voluntariè persistit in pœnitentia salutis. Ionas obdormiuit in naui, & stertebat in maris tempestate, & IESV per prouidentiam obdormiente, concitatum est mare, vt postea virtus dormientis agnosceretur. Illi dixerunt, *qui stertis? surge & inuoca Deum tuum, si quomodo serues nos*: Hic autem dicunt Domino, *Domine serua nos.* Illuc dicunt: *inuoca Deum tuum*: hic autem, *serua.* Ac ille quidem dixit: *Tollite me & proiicite in mare, & quiescet à vobis mare*; Hic autem ipse increpauit ventos & mare, & facta est tranquillitas magna. Ille quidem proiectus est in ventrem ceti, hic autem descendit sponte, vt eximeret qui submersi fuerant in morte, sicut scriptum est, *de manu Inferni liberabo illos, & de morte redimam illos.* Cum in hac oratione sumus, consideremus, quid est durius, hominem sepultum de terra resurgere, an hominem in ventre ceti, in tantam animalis caliditatem deuenientem, non marcescere. Quis nescit, ventres tantum habere intus calorem, vt ossa etiam deuorata digerant? Quomodo igitur Ionas in ventre ceti tribus diebus existens, non emarcuit? Quomodo autem, cum ea sit hominum natura omnium, vt sine hac aëris respiratione non possint viuere, ille per tres dies hunc aërem non spirans, vixit? Sed respondent Iudæi & dicunt, subuenit Ionæ virtus Dei: quid ergo? seruo quidem suo submittens virtutem, vt viueret effecit Dominus, ipse autem hoc sibi ipsi exhibere non poterit? Si credibile illud, & hoc credibile: si hoc incredibile, & illud incredibile. Mihi quidem vtraque simul sunt fide digna, credo enim quod Ionas sicut Lazarus custoditus est. *Omnia enim sunt possibilia apud Deum.* Credo quod Christus à mortuis excitatus est, multa enim de hoc habeo testimonia, & ex diuinis Scripturis, & ex hac in hodiernum vsque diem illius resurgentis operatione.

Matth. 12.40. — F — Ion. 1. — G — Luc. 1. 37. — H

Solus hic quidem descendit ad Inferos, cum multis autem inde ascendit. Descendit in mortem solus, & multa corpora quiescentium sanctorum excitauit. Exterrita est mors, videns nouum quendam descendentem in Infernum, vinculis quæ illic sunt, non ligatum. Qua de causa, ô portæ inferni, hunc videntes, exhorruistis? quis insuetus vos cepit timor? Fugit mors, & fuga timiditatem arguebat. Accurrerunt sancti Prophetæ, Moyses legislator, Abraham, Isaac & Iacob, Dauid & Samuel, & Isaias, & Ioannes Baptista, dicens & testificans, *tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Redempti sunt omnes sancti quos deuorauerat mors: Decebat enim prædicatum regem bonorum præconum suorum esse redemptorem. Tũm vero quilibet iustorum dicebat, *vbi mors victoria tua?* liberauit nos victor. Huius Saluatoris nostri typum gessit Ionas Propheta, de ventre ceti Deo supplicans, & dicens, *clamaui in tribulatione mea ad Dominum Deum meum.* Et postea, *de ventre inferni*:

Mors terret Christum. — Matth. 11.3. — 1. Cor. 15.55. — Ioan. 2.

quamuis

A quamuis enim in ceto erat, illic tamen existens, in inferno seipsum esse dicit: Typus enim erat Christi in infernũ descensuri. Et post pauca, dicit ex persona Christi, iucundissima prophetans: *subyt caput meum in scissuras montium*: Atqui in ventre ceti fuisti, quales ergo te montes continebant? Sed scio (dicit) quod figuram gero eius qui in sepulchro exciso in petra, ponendus est. Et in Mari existens Ionas, & dicens, *descendi in terram*: quandoquidem figuram Christi descendentis in cor terræ, gerebat. Et præuidens de Iudæis corrumpentibus milites, vt mentirentur, & dicentibus: *dicite quod furati sunt illum*; inquit, *custodientes vana & falsa, misericordiam suam derelinquunt*: Venit enim qui misertus est, & crucifixus est, & resurrexit: dedit sanguinem suum pretium pro gentibus & Iudæis; illi autem dicunt, *dicite quod furati sunt eum custodientes vana & falsa*. De resurrectione ipsius, Isaias dicit, *qui educit de terra pastorem ouium in magnum*? Adiecit, *magnum*, vt ne præcedentibus aliis pastoribus æqualis esse putaretur. Cum igitur nos habeamus

Ionas typus Christi.

Matth. 28.13.

B Prophetas, fides quoque apud nos maneat. Cadant cadentes ex infidelitate, quoniam ita volunt: tu vero stetisti supra petram fidei quæ est de resurrectione, ne quando tibi hæreticus persuadeat diffamare resurrectionem. Nam Manichæi ad hodiernam vsque diem, phantasticam dicunt & non veram fuisse Saluatoris resurrectionem, non audientes Paulum scribentem: *qui factus est de semine Dauid secundum carnem*: Et rursus dicentem, *ex resurrectione mortuorum* IESV CHRISTI *Domini nostri*. Et iterum longius producit ad eos sermonem, *ne dicas in corde tuo, &c. aut quis descendit ad abyssum? hoc est, Christum ex mortuis reducere*: Et similiter confirmans alibi, rursus scripsit, *memineris* IESVM CHRISTVM *excitatum à mortuis*: Et iterum, *Si autem Christus non resurrexit, inanis est certè prædicatio nostra, vana & fides nostra: inueniremur autem falsi testes Christi, quoniam testimonium diximus aduersus Deum quod suscitauerit Christum quem non excitauit*. Sed

Manichæi negãt Christi resurrectionẽ.
Rom. 1.
Rom. 10.7.
1. Cor. 15.14.

C postea dicit: *nunc vero Christus resurrexit à mortuis primitiæ morientiũ, & apparuit Cephæ, postea duodecim Apostolis*, si enim vni testi non credis, habes duodecim testes, *deinde apparuit plus quam quingentis fratribus simul*: Si illis duodecim non credunt, quingentos testes recipiant: Postea visus est à Iacobo fratre, primo huius parœciæ Episcopo. Talis igitur Episcopi, qui ipse coram vidit resurrexisse IESVM, tu cum sis discipulus, ne diffidas. Sed dices, quod Iacobus frater, ad gratiã testatus est. Visus est postea & Paulo inimico: quale autem sit hostis testimonium; scitis, & adhuc de hoc præconio dubitatis? qui prius persecutor eram, nunc vobis annuntio resurrectionem. Multi sunt testes Saluatoris resurrectionis. Nos & plenilunij lumen, sexta decima enim nox erat: Petra monumenti, quem eum suscepit, Et lapis hic statuetur contrarius Iudæis, ipse enim vidit Dominum, & lapis qui tunc erat reuolutus, ipse testatur resurrectionem, vsque ad hodiernum diem relictus. Angeli Dei præsentes, testati sunt de resurrectione Vnigeniti. Petrus & Ioannes, & Thomas, reliqui omnes Apostoli, alij quidem ad sepul-

Iacobus, Primus Parœciæ Hierosolymorum Episcopus.

D chrum currentes, & linteamina sepulturæ, quibus inuolutus erat, prius istic posita, post resurrectionem videntes, alij vero manus & pedes eius attingentes, & stigmata clauorum perspicientes; simul autem omnes salutari insufflatione perfruentes, & potestatem remittendi peccata in virtute Spiritus sancti accipientes. Mulieres quæ apprehenderant pedes, tremoris terræ magnitudinem, & Angeli præsentis splendorem cernebant, & ea quibus erat circundatus, linteamina quæ reliquit resurgens: Milites, & argẽtum illis donatum, & locus adhuc apparens, & sanctæ huius Ecclesiæ hæc domus quæ (voluntate Christi studiosa) beatæ memoriæ Constantino Imperatore ædificata, &, vt cernis, ornata est. Testatur resurrectionem IESV; & mare illa quæ in nomine eius à mortuis excitata est Tabitha. Quomodo enim nõ credetur Christus resurrexisse, cum & nomen eius mortuos excitet? Testatur resurrectionem Christi & mare, sicut antea audisti, testatur piscium captura, & carbones positi & superpositus piscis: Testatur Petrus, qui antea quidẽ negauerat, po-

Constantinus beatæ memoriæ Imperator Ecclesiam Hierosolymis ædificauit.

E stea vero ter confessus est, & pascere Oues spiritales iussus. Stat ad hodiernam vsque diem mons Oliuarum, qui ascendentem in nube, oculis fidelium modo non monstrat, sed portam qua in cœlum ascendit, indicat. De cœlo enim in Bethleem descendit, de monte autem Oliuarum in cœlos ascendit. Illic maximum certamen incepit, hic autẽ post certamina coronatus est. Multa itaque habes testimonia. Habes resurrectionis locum, habes eum qui nobis ad Orientem est, ascensionis locum, habes testes qui illic testabantur, Angelos & nubem in qua ascendit, & discipulos inde descendentes. Ac doctrinæ quidem fidei consequentia, vt de ascensione diceremus, monebat, sed diuina dispensatione factum est, vt plurima secundum exiguitatem nostram hesterno die Dominico per Dei gratiam audiueris in synaxi lectionũ quæ ex ordine sequuntur, & ea quæ sunt de ascensione in cœlum Saluatoris nostri, cõtinẽt. Dicta sunt illa maximè propter omnes, & simul propter multitudinem Fidelium, præcipuè

Oues spiritales.

Synaxes die Dominico fieri soli.

F verò propter te. Quæritur autem, num attendas dictis. Scio enim quod progressus fidei docet te credere in resurgentem tertia die, & ascendentem in cœlos, & sedentem in dextera Patris: quamuis autem meminisse te puto illius fidei seriem, nihilominus tanquam in transcursu mentionem facio dictorum. Recordare quod scriptum est apertè in Psalmo, *ascendit Deus in Iubilo*. Recordare, quod & diuinæ virtutes adinuicem dicunt: *Tollite portas principes vestras*, &c. Memineris psalmi dicentis, *ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem*: Memineris dicentis Prophetæ, *ædificans in cœlum ascensionem suam*, &c. quæ dicta sunt heri, propter Iudæorum contradictiones. Quando enim tanquam impossibili ascensioni Saluatoris contradicunt, reduc in memoriam, quæ de translatione Habacuc dicta sunt. Si enim Habacuc trãslatus est, coma capitis portatus, quanto magis Prophetarum & Angelorum Dominus, de monte Oliuarum per nubem ascendens, propria virtute ascendere in cœlum potentior erat?

De Christi Ascensione testimonia.
Ps. 46.6.
P. 23.6.
Ps. 67.
19.
Amos 9.6.
Dan. 14.

G Ac similia quidem memineris eiusmodi rerum admirandarum, excellentiam autem tribue soli mirabilium effectori Domino. Illi enim ferebantur, hi autem omnia fert. Memineris quod Enoch translatus est: sed IESVS ascendit. Memineris quæ hæri de Elia dicta sunt, quod Elias quidem curru igneo assumptus est, Christi autem currus variè multiplicatus myriadibus benedicentium: *currus Dei decẽ milia millium lætãtium*. Et quod Elias quidem ad Orientem Iordani, Christus autem ad Orientem Torrentis arborum ascendit. Et quod ille quidem dixit, dabuntur duplicia in spiritu, proprio discipulo: Christus autem tantam exhibuit discipulis gratiæ Spiritus sancti abundantiam, vt non modo ipsum Spiritum sanctum in seipsis haberent, sed per manuum impositionem ipsorum, participationem ipsius credentibus traderent. Et cum sic contra Iudæos pugnabis, cum ex similitudinibus illos conuiceris, tunc veni ad excellentiam gloriæ Saluatoris: quod illi quidem serui, hic autem Filius Dei;

Eccl. 44. 15.
4. Reg. 21.
Ps. 67.

H atque illius excellentiæ memineris, intelligens quod Paulus Christi seruus in tertium cœlum raptus est. Si enim Elias quidem ad primum vsque peruenerat cœlum, Paulus vsque ad tertium, excellentiorem sanè assecutus est dignitatem. Non pudeat te Apostolorum, non sunt Moyse deteriores neque Prophetis inferiores, sed boni cum bonis, & bonis meliores. Elias enim assumptus est in cœlum, sed Petrus habet claues regni cœlorum, cum audierit, *& quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cœlo*. Elias in cœlum tantum, Paulus autem & in Paradisum raptus erat: decebat enim Christi discipulos, ampliorem gratiam capere. *Audiuit sanè ineffabiliter verba, quæ non licet hominibus loqui*: descendit autem Paulus rursus, non quod dignus non esset conuersatione tertij cœli, sed vt gustaris supercœlestibus, & honoratus descendens, Christum prædicaret, & pro ipso moriens, corona martyrij potiretur. Prætereo autem reliqua huius negotij, quæ heri in Synaxi Dominica dicta sunt: apud intelligentes enim auditores sufficit vel admonitio tantùm, ad doctrinam. Meminero autem sæpè dictorum à nobis propter ordinem fidei dicentem, *& eum qui ascendit in cœlos*.

Apostoli bonis Prophetis meliores. Petrus habet claues regni cœlorum.
Matth. 18.
2. Cor. 12.4.

A *& sedet ad dexteram Patris.* Throni quidē illius proprietatem non curiosè inquirimus, incomprehensibilis enim est. (*Tronus Christi incomprehensibilis.*) Neque patiamur eos qui dicunt malè, quod post crucem, & resurrectionem, & in cœlos ascensionem, tunc primum cœpit ad dexteram Patris sedere Christus: Non enim per successionem habuit hanc sedem, sed ex quo est, est autem semper genitus, & assidet Patri. Et hunc Thronum, ante Saluatoris aduentum in carne videns Isaias Propheta, dicit, (Isa. 6. 1) *Vidi Dominum sedentem super thronum excelsum & eleuatum, &c.* Patrem quidem nemo vidit vnquam, qui autem Prophetæ tunc apparuit, Filius erat, & Psaltes dicit, (Psal. 92.) *Parata sedes tua ex tunc, à sæculo tu es.* Cum autem multa sint ea de re testimonia, propter horæ breuitatem his erimus contenti. Porrò nunc vobis paucis reducendum est in memoriam, quod inter multa dictum est de sessione Filij ad dexteram Patris. (Psal. 109.) Centesimus enim nonus Psalmus dicit apertè, *Dixit Dominus Domino meo sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos* B *tuos scabellum pedum tuorum.* Confirmans autem quod dictum est, Saluator in Euangeliis, dicit non à seipso hæc Dauidem, sed inspiratione Spiritus sancti locutum esse: (Mat. 22.) *quomodo,* inquit, *Dauid in spiritu eum Dominum suum vocat, dicens, dixit Dominus Domino meo sede à dexteris meis: donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Et in (Act. 2. 14.) Actis Apostolorum, in die Pentecostes, *stans Petrus cum vndecim,* & disserens cum Israëlitis, testimonij huius ex centesimo nono Psalmo meminit. Reducenda autem in memoriam & alia pauca testimonia quæ similiter ad dexteram Patris sedere Filium testantur. In Euangelio enim (Mat. 26. 64.) secundum Matthæum, scriptum est, *Amplius dico vobis, amodò videbitis Filiū hominis sedentem à dextris virtutis Dei &c.* qualia congruè Petrus Apostolus scribens, dicit, per resurrectionem Iesu Christi qui est in dextera Dei, profectus in cœlum. (Rom. 14.) Paulus verò Apostolus amplius ad Romanos scribens, dicit: *Christus mortuus, magis autem resurgens, qui est ad dexteram Dei.* (Eph. 1. 9) Ephesiis autem scri- C bens, dixit: *secundum operationem potentiæ virtutis eius quam operatus est in Christo, suscitans eum à mortuis, & statuens ad dexteram suam, & cætera.* Colossenses autem sic docuit: *Si igitur consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens.* In Epi- (Heb. 1. 3.) stola autem ad Hebræos, dicit, *purgationem peccatorum nostrorum faciens, sedet ad dexteram magnificentiæ in excelsis.* Et rursus: *ad quem Angelorum vnquam dixit: sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum?* Et rursus: *hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans donec ponentur inimici eius, scabellum pedum eius,* Et rursus: *aspicientes in fidei ducem & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta, in dextera throni Dei sedit.* Et cum alia quoque eiusmodi non desint testimonia de sessione Vnigeniti ad dexteram Patris, sufficiant nobis ad præsens D hæc quorum hîc fecimus commemorationem: & confiteamur quod non post aduentum in carne, hanc Christus habet dignitatem, sed ante omnia sæcula, vnigenitus Filius Dei Dominus noster Iesus Christus qui descendit & ascendit, & Patri à dextris semper assidebat. Qui custodiat animas vestras, & stabilem vestram immutabilemque spem in eum qui resurrexit, conseruet, simulque excitet vos è peccatis ad cœleste suum donum, & dignetur efficere vt rapiamini à nubibus in occursum Domini, in aërem, in tempore opportuno: & donec tempus illud veniat gloriosi alterius illius aduentus, scribantur nomina vestra omnia in libro viuentium, & scripta nunquam deleantur, multorum enim delebuntur, qui desciscunt. Præbeat autem omnibus vobis credere in resurgentem, suscipere ascendentem, & rursus venturum: venturum autem non de terra. Certus sis (homo) propter multos seductores qui venturi sunt: quia sursum sedet, & hic nobis adest, qui vniuscuiusque videt ordinem & robur fidei. (*Christi præsentia per spiritum*) Non enim quia nunc non adest in carne, ex eo putes, quod Spiritu medio hic non adsit, audiens quæ de illo dicuntur, & videns quæ tu cogitas, & scrutans corda & renes: qui & nunc paratus est, accedētes ad baptisma omnes vos in Spiritu sancto offerre E Patri & dicere, *ecce ego & pueri mei quos dedisti mihi Deus:* cui gloria & fortitudo in sempiterna sæcula, Amen.

CATECHESIS QVINTA ET DECIMA, *ex tempore dicta his qui baptizabantur Hierosolymis: de eo,* Qui venturus est iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis, *& de Antichristo: Et lectio ex Daniele,* quousque Throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit &c.

CHristi aduentum annuntiamus: non vnum tantum, verumetiam alterum, priori multo pulchriorem. Ille enim speciem habuit patientiæ, hic autem diuini regni feret coronam. Nam vt plurimum duplicia (*Christi, ferè omnia duplicia sunt.*) sunt omnia apud Dominum nostrum Iesum Christum: Duplex generatio, vna de Deo ante sæcula, & altera de F Virgine: Duplex aduentus, vnus occultus qui est sicut pluuia in vellus, & alter illustris qui est futurus. (*Aduentus Christi duplex.*) In primo aduentu, fasciis inuolutus est in præsepio, in altero, circundabitur *lumine sicut vestimento.* In priore sustinuit pudoris crucem, contemptus; in altero, veniet cum exercitu Angelorum, gloriosus. Non subsistamus ergo in primo tantum aduentu, sed & futurum expectemus. Et in priori quidem dicebamus, *Benedictus qui venit in nomine Domini:* (Mat. 21. 9.) in posteriori vero dicemus rursus idem, & cum Angelis occurrentes Domino, adorantesque clamabimus: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Veniet Saluator, non vt rursus iudicetur, sed vt iudicet iudicantes. Qui prius in iudicio tacebat, cōmemorans deinceps dicit iniquis, *hæc fecisti & tacui.* Per dispensationem Dei tunc veniet. Nunc persuadet tantum docens homines, tunc autem velint nolint, regno illius subiecti esse cogentur. De his duobus aduentibus dicit Malachias (Mal. 3. 1.) G Propheta: *Et subito veniet in templum suum Dominus quem vos quæritis:* ecce vnus aduentus. Et rursus de altero dicit, *Angelus testamenti, quem vos vultis: ecce veniet Dominus omnipotens, & quis sustinebit diem ingressus eius, aut quis subsistet in visione eius: Quapropter ipse* (*Aduentus secundus cū igne.*) *procedet sicut ignis conflatorij, & sicut fulonum herba, & sedebit conflans & emundans.* Et deinde Saluator ipse ait, *accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox super veneficos & adulteros, & super iurantes nomini meo de mendacio, &c.* Propterea certiores nos faciens Paulus: *si quis,* inquit, *superædificat super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit, dies enim reuelabit quæ in igne apparebit.* (1. Cor. 3. 12.) Vidit aduentus hosce duos, & Paulus ad Titum scribens: (Tit. 2. 11) *Apparuit enim gratia Dei saluatoris omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & mundana desideria, sobriè, piè & iustè viuamus in præsenti sæculo expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni* H *Dei, & saluatori nostri Iesu Christi.* Cernis quomodo dixit, primum quidem quem iam beneficio Dei habemus, & pro quo gratias agimus: alterum verò; quem expectamus? Quamobrem & fide à nobis annunciata, nunc ita traditur: Credere in ascendentem in cœlos, & sedentem ad dexteram Patris, & venturum in gloria iudicare viuos & mortuos, cuius regni non erit finis. (*Mundus denuo renouabitur.*) Veniet igitur Dominus noster Iesus Christus de cœlis, veniet autem in consummatione mundi huius: & creatus hic mundus rursus renouabitur, quoniam corruptio, & furtum, & adulterium, & omne genus peccatorum effusum est in terrā, & sanguis cū sanguinibus cōmixtus in mundo, vt non maneat admirāda hæc domus plena iniquitate. Pertransibit hic mūdus, vt pulchrior restituatur. Et vis accipere ex dictis sacris, huius rei demōstrationē? Audi Isaiā (Isa. 34. 4. Mat. 24. 29.) Prophetā dicentē: *& cōplicabitur sicut liber cœlū, & omnia astra cadent sicut folia de vinea, & sicut cadūt folia de ficu.* (*Sydera extincta, rursus excitabuntur.*) Et Euangelum inquit, *Sol obscurabitur, & Luna non dabit splendorē suum, & astra cadēt de cœlo.* Nō tristemur tanquā soli moriētes, cū & astra moriātur, fortassēq; rursus excitabūtur. Cōplicabit autē cœlos Dominus, nō vt perdat eos,

sed

A sed vt rursus meliores illos excitet, Audi Prophetam Dauid dicentem: *ab initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt tu autem permanes*, Sed dicet quis: Ecce dicit apertè, *peribunt*, Audi quomodo peribunt: statim enim id declarat dicens, *& omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium complicabis eos, & mutabuntur* Sicut enim perditio hominis dicitur, ita dictum est: *vide sicut iustus periit, & nemo id accipit in cor*; Et hoc ita vt resurrectio nostra expectetur, sic & cœlorum resurrectionem expectamus. *Sol conuertetur in tenebras & Luna in sanguinem*. Discant illi qui ex Manichæis conuersi sunt, & luminaria non faciant Deos, neque eum qui obscuratur, solem, Christum esse impiè putent. Et rursus audi Dominum dicentem: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*: non enim æquali honore sunt creaturæ, & verba Domini. Transibunt igitur visibilia, & venient expectata his meliora, sed tempus nemo curiosè inquirat: Non est enim B nostrum scire tempora, & momenta, quæ Deus posuit in potestate sua. Neque audeas determinare, quando hæc fient, neque rursus supinus iaceas. *Vigilate*, inquit, *quia hora qua non putatis, filius hominis veniet*. Cum itaque operæpretium est, nos signa consummationis nosse, quando Christum expectamus, vt ne decepti moriamur, & à falso Antichristo seducamur: propria voluntate moti Apostoli, diuina tamen ordinatione accesserunt ad verum magistrum: *Dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi*. Expectamus te rursus venturum: sed Sathanas transformatur in Angelum lucis: certifica ergo nos, ne alium pro te adoremus. Ille autem diuinum beatumque os suum aperiens, dicit: *Videte, ne quis vos seducat*: & vos auditores nunc mentis oculis tanquam illum intuentes, hæc eadem vobis dicentem audite. *Cauete ne quis vos seducat*: qui sermo nos admonet, vt dicendis attendamus. Non enim historia est rerum præteritarum, sed Prophetia futurarum, & omnino venturarum. Non quod nos Prophetemus, indigni enim sumus; sed quod quæ scripta sunt, in medium proferimus, & signa ostendimus. Considera itaque & quæ iam facta sunt, & quæ restant, atque teipsum confirma. *Videte ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus, & multos seducent*. Hæc facta iam sunt ex parte: iam enim hoc dixit Simon Magus, & Menander, & alij quidam impij hæresiarchæ, Dicunt autem de nobis, aut etiam cum nobis alij. Signum secundum. Audituri estis bella, & rumores bellorum. Erit enim forte nunc Persarum contra Romanos de Mesopotamia bellum, aut non erit. *Consurget gens contra gentem, & regnum contra regnum. Et erunt fames & pestilentiæ, & terræmotus per loca*. Hæc iam facta sunt. Et rursus: Terrores de cœlo, & magnæ tempestates. *Vigilate igitur*, inquit, *quia nescitis, qua hora Dominus veniet*. Sed quærimus aduentus tui signum nostrum Ecclesiasticum nos Ecclesiastici. Saluator autem dicit: *Et tunc scandalizabuntur multi, & mutuo sese tradent, & odio sese mutuo prosequentur*. Si audis quod Episcopi contra Episcopos, & clerici contra clericos, & populi contra populos, vsque ad sanguinem certant, ne perturberis: prædictum enim est: Non attendas his, quæ nunc fiunt, sed quæ prædicta sunt. Ne si ego qui te doceo peream, tu non pereas simul. Sed licet & discipulos meliores esse magistris, & qui postremus venit, esse primum. Quandoquidem & eos, qui hora vndecima veniunt, recipiat Dominus. In Apostolis inuenta est proditio, & miraris si & in Episcopis fraternum odium reperiatur? Sed non modo de principibus hoc signum, verumetiam de populis. Dicit enim, propter multiplicationem iniquitatis, refrigescet charitas multorum. Gloriatur quis ex his qui adsunt, non simulatam se erga proximum tenere amicitiam: nonne persæpè labiis amatur, & vultu arridetur, & oculi apparent hilares, cor autem nectit dolum, & machinatur mala, loquens pacifica. Habes & hoc signum. Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe; in testimonium omnibus gentibus: & tunc erit finis. Et ferè vt videmus, totus mundus doctrina Christi repletus est. Et quid postea fiet? Dicit deinde: *Quando itaque videritis abominationem desolationis, quæ prædicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto. Qui legit intelligat*. Et rursus, *si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, non credatis vos Fratres*. Fraternum odium deinceps locum dabit Antichristo. Præparat Diabolus schismata populorum, vt tanto facilius hostis recipiatur. Absit autem, vt quisquam ex his, qui hic adsunt, & ex aliis vbicunque sunt, seruis Christi, ad hostem illū accurrat. De hoc scribens Apostolus, manifestū dedit signum, dicens: Quod nisi prius venerit discessio, & reuelatus fuerit homo peccati & filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut colitur, ita vt ipse sedeat in templo Dei, & ostendat seipsum, tanquam sit Deus. Non retinetis memoriâ, quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicebam vobis, & nunc quid detineat scitis, vt reueletur suo tempore. Nam mysterium iam operatur iniquitatis, tantum, vt qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat. Et tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus destruet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui eum, cuius est aduentus secundum operationem Sathanæ, in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, his quæ pereunt. Hæc quidem Paulus. Nunc verò defectio est: defecerunt enim homines à recta fide, ita vt alij quidem υἱοπατρίαν, hoc est, patris in filium mutationem prædicant, alij verò Christum ex non existentibus ad esse deductum dicere audent. Et antea quidem erant aperti hæretici: nunc autem occultis hæreticis Ecclesia repletur. Defecerunt homines à veritate, & pruriunt auribus: sermo persuasibilis, & omnes iucundè audiunt: sermo conuersionis, & omnes auertuntur. Defecerunt plurimi à bonis operibus: & videri potius quā esse boni malunt. Hæc est igitur defectio, & expectādus est ille inimicus: & iam aliqua ex parte cœpit præmittere suos præcursores, vt paratus deinde veniat ad venationem. Caue itaque tibi, ô homo, & confirma animam tuam. Testatur tibi Ecclesia in conspectu Dei viuentis, prædicit tibi de Antichristo quæ futura sunt, priusquā veniat. Nec scimus si tuo tempore id fiet, sed bonum est tamen, vt hæc scientes, nos præmuniamus. Christus autē verus Dei vnigenitus filius, non amplius de terra veniet. Si quis veniat, in deserto visiones obseruans, nō exeas. Si dixerint, ecce hic Christus, ecce illic, ne credas, neque deinceps infra, & in terrā respice. De cœlo enim veniet Dominus: non solus, sicut antea: sed cum plurimis, ab Angelorum myriadibus comitatus: neque occultatus: sicut pluuia super vellus: sed sicut fulgur manifestè relucens. Ipse enim dixit: fulgur exibit ab Oriente, & apparebit vsque ad vesperam: sic erit aduentus Filij hominis. Et rursus: *Videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum potestate & gloria magna: Et mittet Angelos suos cum tuba magna, &c.* Sed sicut cum antea ipse incarnari deberet, & nasci de Virgine expectatus Deus, decipiebat Diabolus, malus artifex in idololatria, proferens deos falsos, generantes & genitos de mulieribus; vt præmissa falsitate, non credatur postea veritati: sic cum verus Christus secundo venturus sit, prætextum capiens simplicium expectationem, ille aduersarius, & maximè eorum, qui sunt ex circumcisione, inducet quendam magnum hominem, veneficiis & incantationibus, & malis artibus instructissimum, vsurpantem sibi potestatem Romani imperij, falsò autem Christum seipsum vocantem, ac per hanc Christi appellationem Iudæos, qui venturum expectant, decipientem: Gentes verò per magicas imposturas seducentem. Veniet autem hic prædictus Antichristus, cum impleta fuerint tempora Imperij Romani, & mundi consummatio appropinquabit. Decem simul Reges Romanorum excitabuntur, in diuersis quidem locis, eodem tamen tempore regnantes: Post istos autem vndecimus Antichristus, per magicum maleficium Romanorum potestatem rapiens. Tres quidem ante se reges deprimet, reliquos autem septem sibi subiiciet: Ac primum quidem tanquā prudens aliquis, & intelligens, temperantiā & humanitatem simulabit, signisque & portentis, magica impostura decipiet

Marginalia: Psa. 101. 26. — Isa. 67. 1. — Ioel. 2. 31. — Mat. 24. 31. — Mat. 24. — Signa aduentus Christi. — Mat. 24. — Mat. 24. — Discipulos licet esse meliores magistris. — Simulatio. — E — F — Apostasia qualis. — Apostasia à bonis operibus. — G — Mat. 24. — Diaboli artes decipiendi. — H — Antichristus Romanū imperiū vsurpabit. — Antichristus decem reges Romanorū opprimet, & reliquis ipse imperabit.

A cipiet Iudæos, tanquam is esset Christus ab illis expectatus. Deceptos vero deinceps omnis generis inhumanitatis, & iniquitatis malis, omnes circumscribet, ita vt omnes, qui ante illum improbi & impij fuerant, excellat malitia. Mentemque habebit homicidiariam, præfractam, immisericordem, & variam, cum contra alios omnes, tum vero maximè contra nos Christianos. Tribus autem annis & sex mensibus talia audens, & secundo de cœlis glorioso aduentu vnigeniti filij Dei, à Domino Saluatoreque nostro Iesu Christo deprimetur. Qui tollens Antichristum spiritu oris sui, igni gehennæ illum tradet.

Antichristus tribus tantum annis & sex mensibus durabit.

Hæc autem docemus, non comminiscentes, sed è Scripturis diuinis colligentes, & ex ea maximè, quæ nuper lecta est, ex Daniele Propheta edocti, sicut Gabriel Archangelus interpretatus est, dicens sic: Quarta bestia, quartum est regnum in terra, quod maius erit aliis omnibus regnis: hoc autem esse Ramanorum, Ecclesiastici interpretes tradiderunt. Primum enim erat regnum Assyriorum: alterum Medorum simul & Persarum: Tertium postea Macedonum: Quartum est nunc regnum Romanorum. Deinceps vero Gabriel interpretans dicit, Decem cornua ipsius, decem regna consurgent: post ista alter consurget, qui omnes ante se malis vincet: neque solum illos decem reges, sed omnes qui ante se fuerunt. Et tres reges deprimet. Manifestum autem est, quod ex istis decem tres opprimet, prorsus vt ipsemet octauus regnet: & verba faciet contra altissimum vir blasphemus & iniquus, non à patribus accipiens regnum, sed arte magica principatum vsurpabit. Quis autem hic est, & de qua operatione, interpretare nobis Paule. Cuius est, inquit, aduentus, per operationem Sathanæ, omnipotentia, & signis & portentis falsis. Hoc innuens, quod Sathanas illo ipso vtetur organo, sua persona per illum operans. Sciens Sathan, quod non futura sit illi condonatio in iudicio: non iam amplius per suos ministros, vt consueuerat: sed per seipsum deinceps manifestius pugnabit, in omnibus signis & portentis falsis. Pater enim cum ipse sit mendacij, non nisi opera mendacij effinget, vt magnificè videatur mortuos excitare, & claudos sanare, & cæcos illuminare: cum tamen reuera non fiat sanatio. Et rursus, inquit, Qui aduersatur & tollitur supra omnem Deum, aut quod colitur. Idola scilicet odio habiturus est Antichristus: vt ipse in templo Dei sedeat. Quale autem templum dicit, In templo quod reliquum est Iudæorum. Absit enim, vt in hoc id fiat, in quo sumus. Propterea dicimus, vt non videamur gratificari illis. Si enim tanquam Christus ad Iudæos veniet, à Iudæis sane adorari volet, vt illos maximè decipiat. Studiosissimum se esse ostendet illius templi, vt ipse de progenie Dauid esse videatur, qui templum à Salomone olim extructum, ipse sit reædificaturus. Veniet autem Antichristus in templum Iudæorum, quando lapis super lapidem non manebit, secundum Saluatoris prædictionem. Cum enim vel ruina vetustatis, vel prætextu ædificationis, vel quacunque alia de causa, eiusmodi reliquiarum templi sequetur dissolutio, ita vt omnes lapides tollantur non dico de exterioris ambitus lapidibus, sed de templi interioris, in quo erant Cherubim: Tunc veniet ille in omnibus signis & portentis falsis elatus videntibus omnibus. A principio enim simulabit humanitatem, deinceps vero inhumanitatem ostendet, & maximè erga sanctos Dei.

Interpretum Ecclesiæ veius authoritas. B

Antichristus Sathanæ organū. C

Antichristus in templo Salomonis, & non Petri sedebit. D

Dicit enim Daniel: *Videbam cornu illud, quod faceret bellum cum sanctis Dei.* Et rursus alibi: *Et erit tempus tribulationis*: tribulatio qualis non fuit, ex quo facti sunt homines in terra, vsque ad tempus illud. Grauis est hæc bestia, & draco magnus, pugnans contra homines, paratus ad deuorandum. De quo etsi plura sint, quæ possemus dicere, his contenti simus temporis causa. Propterea sciens hanc aduersarij magnitudinem, consuluit Dominus piis, dicens: Tunc qui sunt in Iudæa, fugiant in montes: Quod si quis virium suarum sibi conscius est, quod possit Sathanæ repugnare, persistat. Neque enim despero de robore Ecclesiæ, & dico: Quis nos separabit ab amore Christi, &c. Attamen timidi sibi caueant, audaces verò persistant. Erit enim tunc tribulatio, qualis non erat ab initio creaturæ, vsque ad præsens, neque deinceps erit. Sed Deo sit gratia, qui magnitudinem tribulationis, exiguitate temporis circumscripsit. Dicit enim, quod propter electos abbreuiabuntur dies illi. Regnabit autem Antichristus tribus annis & dimidio tantum. Quod non ex libris apocryphis dicimus, sed ex Daniele Propheta. Dicit enim: Et tradentur in manu eius, vsque ad tempus & tempora, & dimidium temporis. Tempus enim est vnus annus, in quo augebitur ipsius potentia: tempora autem duo reliqui anni illius iniquitatis. Tribus verò his annis annumeratur dimidium temporis, quod est semestre. Et rursus alibi idem dicit Daniel: Et iurauit per viuentem in sæcula, quod in tempus & tempora, & dimidium temporis. Fortassis autem quidam & hoc exceperunt, & quæ sequuntur: Dies mille ducenti nonaginta. Et hoc: Beatus qui viderit dies trecentos, mille & triginta quinque, propterea oportet cursim inspectare & fugere: Fortassis enim non consummabimus ciuitates Israël, donec veniat filius hominis. Nunquid autem non beatus martyr erit, qui tunc pro Christo martyrium pertulerit? Ego verò illum super omnes martyres esse dixerim. Nam qui antea præcesserunt, cum hominibus illis tantum certamen erat: qui verò tempore Antichristi patientur, personaliter cum Sathana pugnabunt. Tum verò superiores illos martyres, reges solum occidebant: mortuos autem non excitabant, neque signis & prodigiis phantasiam cuiusque perturbabant, hic autem & timore & necessitatis mala subuersione, *vt seducantur, si fieri potest, & electi*, Ne quando in cor ascendat, quæ Christus plura his fecerit. Qua autem virtute faciet hæc? certè nisi Deus vellet non permitteret. Certificat te Apostolus dicens, *Propterea Deus mittet ipsis vim erroris. Mittet* autem, dicit, pro, permittet fieri: non vt excusentur, sed vt condemnentur: quare qui non credunt veritati (hoc est, verò Christo) complacent sibi in iniustitia, hoc est, in Antichristo. Permittet autem hæc Deus temporibus Persecutionum, non quod tunc prohibere non posset, sed quòd per patientiam, vt consueuit, coronare vult suos athletas, sicut & Prophetas & Apostolos, vt breuiter laborantes, in æternum hæreditent regnum cœlorum. Sicut Daniel inquit, *& in tempore illo saluabitur vniuersus populus tuus qui scriptus est in libro*, manifestum autem est, quod dicit de libro vitæ, *& multi qui dorminnt in puluere terræ, excitabuntur, hi quidem in vitam æternam, isti autem in opprobrium & verecundiam æternam, & docti fulgebunt sicut stella firmamenti, & qui ad institiam erudiunt multos, sicut astra in sæcula, & amplius.* Confirma ergo teipsum, ô homo: indicati sunt tibi dies Antichristi, ergo non tantum memineris illorum, sed absque inuidia omnibus trade. Si filium habes secundum carnem, hoc iam insinua: quod si quem etiam per Catechesim genuisti, & hunc præmunias, ne falsum tanquam verum recipiat. Iam enim operatur mysterium iniquitatis: terrent me bella gentium, terrent me schismata Ecclesiarum, terret me odium Fratrum. Et hæc quidem dicantur, absit autem, vt nostro tempore impleantur: Attamen nos præmuniamus. Atque hæc quidem de Antichristo. Suscipiamus autem & expectemus Dominum, de cœlis venturum in nubibus. Tubæ Angelicæ tunc sonabunt, & mortui in Christo qui pie vixerunt, primum excitabuntur, rapienturque in nubibus, præmium laborum accepturi; ita vt supra hominem honorentur, quoniam supra vires humanas decertabant, quemadmodum Paulus ipse Apostolus scribit: *quod ipse Dominus, in iussu & voce archangeli & in tuba Dei descendet de cœlo, & mortui primum resurgent, deinde nos reliqui qui viuimus, simul cum ipsis rapiemur in nubibus obuiā Domino in aërem, atq; ita semper cum Domino erimus.* Vidit hūc Domini aduentū Ecclesiastes, & Mundi cōsummationem, dicens: *Lætare iuuenis in iuuentute tua, &c. & repelle iram à corde tuo, & arceas prauitatē à carne tua, & memento Creatoris tui, priusquā venerint dies vmbræ, priusquam obscuretur Sol, & lumen, & luna, & stellæ, & obtenebretur cernens,*

E

Regni Antichristi tempus

F

Matth. 24. Antichristus permissu Dei regnabit. *2. Tes. 2. 11.*

G

Dan. 12. 2.

Filium per Catechesim genuisse.

H

1. Thes 4. 17.

Eccl. 11. 9 Eccles. 12. 1.

visibilem

A

† *Latinis*, Camæmelone *effi-cinis*. Ca*memilla*.

visibilem potentiam per hoc innuens: *Antequã rumpatur funiculus argenteus*. Astrorum complicationem indicans, argentei enim est coloris, visus, & recurrat vitta aurea, *instar auri, Solem innuens*. Anthemis † cuius nota est herba, radiorum habens germina foliorum: *& resurget ad vocem passeris, & de excelso videbunt*: tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus, & concutientur Tribus contra Tribus: Et quid fiet veniente Domino? *Florebit amygdalus, & impinguabitur locusta, & dissipabitur Capparis*: quemadmodum vero interpretes dicunt, Amygdalum florens, hyemis transitum significat, sic corpora nostra, post huius sæculi hyemem florebunt,

Eccl. 12.

flore supercœlesti. *Et dilatabitur locusta*, hoc est, anima volucris quæ nunc corpore est circundata: *& dissipabitur Capparis*, hoc est, iniqui, spinosi dispergentur. Vides quomodo prædicunt aduentum Domini? Vocem autem passeris, qualem esse vocem putamus? *Ipse Dominus in iussione, in voce Archangeli, & in tuba Dei descen-*

B

dei de cœlo: Archangelus proclamabit, & dicet omnibus, surgite in occursum Domino.

Quod autem terribilis sit futurus aduentus Domini,

Ps. 49. 2.

Flumen ignis opera probaturum sequetur Christũ iudicaturum.

dicit Dauid: *Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida*, &c. Veniet enim Saluator in nubibus cœli, secundum Scripturam nunc lectam, flumine ignis illum sequente, probaturo homines. Si quis aurea habet opera, lucidior erit, si quis stramineas habet actiones, non consistet, ab igne corripietur. Et Pater sedebit habens album sicut nix vestimentum, & capillum capitis, sicut est lana munda. Humano more hæc dicta sunt: sed quamobrem? Quoniam rex est illorum qui in pec-

Isa. 1. 18.

catis non sunt polluti, *Dealbabo* enim, inquit, *peccata vestra, sicut niuem & sicut lanam*. Quod est condonationis peccatorum, vel quod deinceps peccaturi non sunt, signum. Veniet autem Dominus de cœlis in nubibus, qui in nubibus ascendit. Ipse enim dixit, *& vi-*

Luc. 21. 27.

C

Crux est vera & proprium Christi signum quod non audebit imitari Antichristus.

debunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cum potentia & gloria multa. Sed quod tandem aduentus illius signum est, quod non audeat Virtus contraria imitari? *Et tunc*, inquit, *apparebit signum Filij hominis in cœlo*. Signum autem verum & proprium Christi, est Crux. Lucidũ crucis signum præcedens regem, atque demonstrans eum qui prius fuerat crucifixus, vt videntes qui antea illum pupugerunt, & illi insidiati sunt Iudæi, certent Tribus cum Tribubus, dicentes, hic est, alapis percussus, hic est, in cuius faciem spuerunt illi; hic est quem ligarunt, hic est quem antea crucifixum spreuerunt: quo fugiemus

Matth. 24. 30.

Crux est terror hostium.

à facie iræ illius dicent, cum angelicis exercitibus circundabuntur, & nusquam sane fugere poterunt. Tremor est inimicis signum crucis, & gaudium amicis in illum credentibus, vel qui prædicarunt, vel qui passi pro illo. Beatus certè, qui tunc amicus Christi reperietur: non enim contemnet suos famulos rex tantus & gloriosus ab angelis comitatus, qui assidet Patri. Nam vt non commisceantur hostes cum electis, mittet Angelos suos cum

D

tuba magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis terræ. Vnum Loth in Sodomis non contempsit,

Gen. 16.
Matth. 25.

quomodo multos Iustos contemnet? *Venite omnes benedicti Patris mei*, dicet illis qui tunc curribus nubium vehentur, ab Angelisque congregabuntur.

Iudicio Christi omnes sistentur.

Sed dicet aliquis ex his qui adsunt, pauper sum, & fortassis tunc infirmus in lecto reperiar: si mulier in mola non relinquetur, nunquid nos negligemur? Confide, homo, Iudex hic non est acceptor personarum, non secundum opinionem iudicat, neque ex sermone redarguit, non præfert prudentes idiotis, neque diuites pauperibus. Etiamsi in agro fueris, reperient te Angeli. Non putes, quod magnates quidem accipient, te verò agricolam relinquent: siue seruus fueris, siue pauper, ne metuas: qui formam serui in se recepit, seruum non contemnet, etiamsi æger in lecto iacueris: scriptum est enim, *erunt duo in lecto vno, & vnus assumetur & alter relinquetur*. Etiamsi ex necessitate tradatur pistrino vir aut mulier: etiamsi liberos habeas, etiamsi pistrino seruias, non despiciet te, qui educit vinctos in fortitudine. Qui

E

Ioseph ex seruitute & carcere in regem ferè prouexit, & te liberabit ab his tribulationibus, adducetque in regnum cœlorum. Tantummodo confide, tantum operare, tantum promptè decerta, nihil enim eorum perdetur. Inscripta est omnis tua oratio & psalmodia, descripta est tua omnis eleemosyna, inscriptum est omne ieiunium, inscriptum est omne coniugium rectè custoditum, inscripta est continentia propter Deum instituta. Præcipuam enim coronam in Scripturis habet virginitas & castitas, cuius gratia lucebit sicut Angelus.

Continentia propter Deũ instituta. Virginitatis & castitatis præcipua corona.

Sed quemadmodum iucundè audiuisti pulchra, sic audi rursus patienter contraria: Inscripta est omnis tua prauitas & error, inscripta est tua auaritia, inscriptum est periurium, blasphemia, & veneficium, & furtum, & homicidium. Omnia hæc deinceps inscribentur, si ea nunc post baptismum patraueris, priora enim deleta sunt.

Quando autem veniet, inquit, *Filius hominis in gloria ipsius, & omnes Angeli eius cum eo*. Animaduerte, ô homo, in quantum iudicium ingrederis: omne tunc genus hominum aderit. Cogita ergo primum, quantum sit Romanorum genus, cogita, quot gentes barbarorum nunc viuentes, & quot ante centum annos mortui, cogita quot ante mille annos sepulti sunt. Cogita eos qui fuerunt ab Adam vsque ad hodiernum diem. Magna quidem hæc multitudo, sed hæc tamen parua est, plures enim Angeli. Nonaginta nouem oues sunt illæ, tu verò centesima, quoniam vnum est tantum humanum genus. Nam pro locorum magnitudine cogitandum est, si hæc nostra terra est tanquam centrum in medio cœli, & tantam habet multitudinem, quantam habebit multitudinem cœlum quod terram ambit? Et cœli cœlorum immensam certè habent multitudinem, scriptum est enim: *Mille millia ministrabant ipsi, & decem millia myriadum assistebant ei*. Non quod tanta solum esset multitudo, sed maiorem hac Propheta dicere non poterat. Aderit quoque tunc in iudicio Deus omnium pater, assidente Christo, & præsente Spiritu sancto. Tuba Angelica aduocabit nos omnes, ea quæ gessimus ferentes: nunquid non debemus hic iam decertare? Non paruam damnationem, neque sine pœna esse putes, ô homo, à tam multis condemnari. Nonne mallemus sæpè mori, quàm ab amicis condemnari? Pugnemus igitur, fratres, ne Deus nos damnet, qui inquisitione aut redargutionibus non eget ad condemnationem. Ne dicas, nocte sum fornicatus, vel incantationibus aliisque eiusmodi vacabam, & nemo istic hominum aderat, conscientia tua iudicaberis, in medio cogitationum accusantium aut defendentium, in die quando iudicabit Deus occulta hominum. Iudicis tremenda facies, veritatem te fateri coget, imo vero etiamsi reticueris, redarguet te. Circundatus enim, seu indutus tuis ipsius operibus excitaberis. Hoc enim iudicauit ipse iudex, dicens, Christus est qui iudicat, *non enim Pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit Filio*: non priuans seipsum potestate, sed per Filium iudicans. Nutu itaque Patris iudicat Filius: non enim alij Patris, & alij sunt Filij nutus, sed vnus & idem. Quid igitur dicit Iudex? ostendáne tibi erunt opera tua, vel non? *& congregabuntur coram illo omnes gentes*: necesse est enim coram illo consistere omnes gentes, & oportet vt coram illo flectatur omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum. *Et segregabit illos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis*. Quomodo autem exquiret? nunquid de libro quæret, quæ sit ouis, & qui hœdus, aut ex rebus visibilibus discernet? Nonne lana indicat ouem, pilosa autem durities hœdum? Ita, si quidem à peccatis mundaberis, ac deinceps opera habueris sicut lana munda, manebit impolluta stola tua, atque dices vbique; *Exui vestem meam, quomodo rursus induar illa?* Ex amictu cognoscitur ouis. Sin autem pilosus inueniaris sicut Esau, asper in pilis, & vilis in mente, qui propter escas amisit primogenita, & vendidit dignitatem: eris inter eos qui statuentur à sinistris. Absit autem vt quisquam ex his qui hic adsunt, excidat à gratia, aut propter prauas actiones in

Matth. 25.

F

Dan. 7. 10.

Trinitas aderit in iudicio extremo.

G

Ioan. 5. 22.

H

Cant. 5. 3

Gen. 25.

Tremenda est cõmemoratio extremi iudicij.

A *Iudicii futurum de operibus.* in sinistro peccatorum ordine reperiatur. Tremendum est iudicium, ita vt per ea etiam quæ de illo nuntiamus, timor incutiatur, nam regnum cœlorum præponetur, & ignis æternus præparabitur. Quomodo igitur dixerit aliquis, ignem effugiemus? & quomodo regnum cœlorum ingrediemur? *Esuriui*, inquit, *& dedistis mihi manducare.* Discite viam, neque enim hic opus est allegoria: sed perficiamus sequentia: *Esuriui*, inquam, *& dedistis mihi manducare, sitiui & potastis me, hospes eram, & recepistis me, nudus eram & operuistis me, Ægrotabam, & enrastis me, in carcere fueram & visitastis me:* Hæc si nunc

Sola fides non iustificat. feceritis, regnabis, si non feceris, condemnaberis. Iam igitur incipe hæc operari, & perseueres in fide, ne sicut stultæ virgines, empturus oleum excludaris. Nō in hoc confidas quod solam lampadē habes, sed custodi illam ardentem. Non in hoc solum confidas, quod credis, sed fidem ardentem conserua, vt luceat lux tua coram hominibus per bona opera, ne blasphemetur propter te Christus. Feras quoque indumentum incorruptionis, in operibus

B bonis, quod te deceat, & quod accipis à Deo vtiliter gerens negotium: pecuniæ tibi creditæ sunt, dispensa bene: Verba doctrinæ habes concredita, dispensa hæc bene in animos audientium. Præesse vel tueri potes, fac, & hoc studiosè. Multa sunt ostia bonæ administrationis, ne quis tantum ex vobis reprobatus eiiciatur, sed vt confidenter æterno regi Christo occurramus, qui regnat in

Rom. 14. 9. *Christus etiā post iudicium regnabit.* sæcula. Regnat enim Christus in sæcula, qui iudicat viuos & mortuos, qui pro viuis & mortuis mortuus est, sicut Paulus dicit, *In hoc enim Christus mortuus est & reuixit, vt & mortuis & viuis dominaretur.* Quòd si fortè aliquem audieris dicentem, quod finem habet Christi regnum, oderis hanc draconis hæresim. Est autem & aliud eius caput, quod nuper in Galatia succreuit. Ausus est quidam dicere, quod post finem Mundi huius non regnabit Christus: Et ausus est dicere, quod verbum exiens, ipse rursus in Patrem resoluetur. Estne adhuc qui

C ausit talia blasphemare de illo? non enim audiuit Do-

Luc. 1. 33. minum dicentem, *Filius meus in sæculum.* Non audiuit Gabrielem dicentem, *& regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis?* Considera igitur quod dicitur: homines hæretici nunc ista contra Christum docent, & Gabriel Archangelus, de perpetua Saluatoris perseuerantia docuit. Cui potius credis? nonne Ga-

Dan. 7. brieli? accipe testimonium aliud Danielis qui dicit, *Videbam in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli sicut Filius hominis veniebat, & vsque ad Antiquum dierum coram illo, & datus est ipsi honor, & principatus, & regnum, & omnes Tribus & linguæ seruient ipsi, potestas eius, potestas æterna quæ non pertransibit, & regnum eius non corrumpetur.* Hæc arripe, atque his potius crede quàm hæresibus, quas à te reiicere debes: manifestissima enim audisti de infinito Christi regno. Habes & aliud huic proximum, de lapide exciso, de monte sine manibus, qui est Christus secundum carnem, *& regnum eius alteri non*

D

Dan. 2. 44. *relinquetur.* Et Dauid alicubi dicit, *Sedes tua Deus in sæculum sæculi:* Alicubi vero, *Initio tu terram fundasti*, &c.

Ps. 44. 7. Ps. 101. 26. Heb. 1. 14. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient,* Quæ Paulus de Filio interpretatus est. Visne cognoscere, vnde in hanc deuenerunt insaniam, qui talia docent? Legent malè id quod ab Apostolo bene scriptum est, *Oportet ipsum regnare, donec ponam inimicos eius sub pedes*

Hæresis ex malè intellectu quæ benè scripsit S. Paulus. *ipsius:* Et dicunt, Quando subiicientur inimici pedibus eius, non amplius regnabit: malè insipienterque hoc dicentes. Qui enim antequam hostes prostrauisset, regnabat, quomodo non magis superatis hostibus regnabit? Ausi sunt & hoc dicere, quod scriptum est, quod *cum*

1. Cor. 15. 28 *Filius quomodo subycietur Patri.* *subiecerit ipsi omnia, tunc & ipse Filius subycietur ei, cui subycit omnia:* hoc, inquiunt, significat, quod Filius resoluetur in Patrem. Tum verò, ô stultissimi hominum, talia dicere audetis: vos quidem, cum sitis Christi opificia, manebitis; Christus vero, per quem & vos, & omnia facta sunt, peribit? Blasphema est vox ista Quomodo autem subiicientur ipsi omnia, perdita aut manentia? Deinde, aut alia quidem Deo subiecta manent, Filius autem Patri subiectus non manet? Subiicie-

E tur autem, non quod tunc incipiat obedire Patri, semper enim ipsi placentia facit, sed quod etiam tunc obediet. Neque vero coactam habet obedientiam, sed spōtaneam obsequendi voluntatem: non enim seruus est, vt cogatur subesse, sed filius est, vt voluntariè & ex amore obsequatur. Quæramus autem ex illis, *quousque*, & *donec*, quotuplex est? ego enim hac dictione, vt accipitur, euertere tentabo errorem. Cum ausi sint dicere, quod istud, *donec ponam inimicos sub pedes eius*, significat finem: & ausi sunt circunscribere æternum Christi regnum. Age itaque, adducamus his similia, ex Aposto- *Donec & vsque nō circumscribunt temp.*

lo: *sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen.* Nunquid vsque tunc moriebantur, & post Moysen non amplius quisquam mortuus est? Vel an post legem non erat amplius mors hominum? Sed vides quod verbum est, *vsque:* non est temporis cicumscriptiuum, quod etiam Paulus ipse magis aperuit. Hæc Moysen, quamuis iustus & admirandus vir esset, tamen quæ contra Adam lata Rom. 5. 14.

erat sententia, corrupit eum, & super illum aliosque sequentes extensa est: & hoc, etiamsi similiter vt Adam, non peccauerint in præuaricatione ligni. Accipe autem & aliam similem phrasim: *Nam vsque ad hodiernam diem quando legitur, Moyses velamen in cordibus illorum positum est:* nunquid igitur illud, vsque ad Paulum vel vsque ad hodiernum diem, & vsque ad consummationem intelligendum? Si dicit Paulus Corinthiis, *donec enim & vobis contendimus in Euangelio Christi, spem habentes crescentis fidei, in his quæ de illa vobis prædicata sunt.* Cernis apertè quod istud, *donec*, finem non habet, sed habet quiddam consequens. Sic etiam memineris oportet illius, *donec ponat inimicos:* sicut alibi dicit ipse Paulus, *& hortantes eos singulis diebus, donec dies est.* Manifestum est, quod semper, quemadmodum principium dierum Christi dicere non oportet, sic finem regni eius, dicente fortè aliquo non attendas: Regnum enim illius, regnum æternum esse, scriptum est. F 2. Cor. 3. 15. 1. Cor. 10. 15. *Donec, consequentia notat.* Heb. 3. 13.

G

Ac plura quoque alia ex sacris Scripturis testimonia, de æterno & nunquam finiendo Christi regno, habeo, sed propter temporis angustiam, hæc vobis sufficiant. Tu autem auditor, illum regem adora solum, fugiens omnem hæreticorum errorem. Quod si Dei gratia concesserit, reliquum fidei suo tempore vobis explicabimus. Deus autem omnium & Dominus, omnes vos custodiat recordantes signa consummationis, & inexpugnabiles ab Antichristo maneatis. Accepisti signa venturi Seductoris, accipe quoque demonstrationes veri Christi, qui manifestè descensurus est de cœlis. Illum quidem fuge tanquam falsum, hunc autem expecta, vti verum. Didicisti viam quomodo es iudicandus, in dextera inueniaris. Custodi hoc de Christo depositum in operibus bonis decenter: vt confidenter assistas Iudici, regnumque cœlorum hæredites in CHRISTO IESV Domino nostro, per quem & cum quo gloria Patri cum S. Spiritu, in sæcula sæculorum, Amen.

H

CATECHESIS SEXTA ET DECIMA *illuminatorum Hierosolymis, extemporanea, de hoc:* Et in Spiritum sanctum Paracletum qui locutus est per Prophetas: *Et lectio ex prima ad Corinth.* De spiritualibus, fratres, nolo vos ignorare, &c.

1. Cor. 12.

SPiritali vero opus est gratia, vt de Spiritu sancto disseramus, non quod pro dignitate id facere possimus (impossibile enim) sed vt ea quæ sunt è scripturis diuinis, dicentes, sine periculo prosequamur. Valde enim terribile quiddam scriptum est in Euangelio, vbi dicitur: *Si quis dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ipsi neque in hoc sæculo neque in futuro.* Et est persæpe verendum, ne quis ignorantia, vel ex opinione religionis dicat quæ non conueniant de ipso, & tradatur damnationi. Iudex viuorum & mortuorum IESVS CHRISTVS decreuit quod non habebit remissionem: si Matth. 12. 32.

A

quis ceciderit, qualem habet spem? Ipsius igitur gratiæ Christi opus est, cócedere vt & nos diligenter loquamur & vos prudenter audiatis. Opus enim est intellectu, non modo dicentibus, verumetiam audientibus: ne alia audientes, aliud mente concipiant. Dicemus itaque nos de Spiritu sancto ea tantum quæ scripta sunt: si quid auté scriptum non est, non scrutabimur curiosè. Ipse Spiritus sanctus elocutus est scripturas, ipse etiam de seipso dixit quantum voluit, aut quatenus fuimus capaces. Dicantur ergo quæcunque dixit: nam quæ ille non dixit, nos non audeamus. Vnus est tantum Spiritus sanctus, ille Paracletus. Et sicut vnus est Deus Pater, neque est secundus Pater: & sicut vnus est vnigenitus Filius & Verbum Dei fratremque non habet: sic vnus est tantum sanctus Spiritus, & alius non est spiritus, æqualis cum illo dignitatis.

De Spiritu sancto non dicenda nisi quæ scripta sunt.

Est autem Spiritus sanctus, maxima potentia, diuinum quiddam & inuestigabile: viuit enim & rationalis est, sanctificans per Christum omnes qui sunt à Deo conscripti. Hic illuminat animas iustorum, hic & in Prophetis, hic & in Apostolis Noui Testamenti fuerat. Odio habeantur, qui audent separare Spiritus sancti operationem. Vnus Deus Pater, Veteris & Noui Testamenti Dominus: & vnus Dominus IESVS CHRISTVS, in veteri per Prophetas prædictus, & in nouo veniés: & vnus Spiritus sanctus qui per Prophetas de Christo prædicabat, adueniente autem Christo, descendit & monstrauit ipsum. Nemo itaque separet vetus à Nouo Testamento: nemo dicat, quod alius illic Spiritus, & alius hic, alioquin resistet Spiritui sancto, cum Patre & Filio, honorando, & baptismatis tempore, in sancta Trinitate comprehenso. Filius enim Dei vnigenitus apertè, dixit Apostolis: *Euntes igitur docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Spes nostra est in Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Non tres Deos annuntiamus, obmutescant enim Marcionistæ: sed cum Spiritu sancto, per vnum filium, Deum prædicamus. Indiuisa est fides, inseparabilis pietas. Neque separamus sanctam Trinitatem, sicut quidam, neque contrahimus sicut Sabellius, sed agnoscimus eam religiosè. Scimus vnum Patrem qui misit nobis Saluatorem Filium promittentem mittere à Patre Spiritum sanctum Paracletum. Scimus Spiritum sanctum qui locutus est per Prophetas, & in die Pentecostes descendit super Apostolos in specie ignearum linguarum, hic Hierosolymis in superiori Apostolorum Ecclesia; omnium enim apud nos sunt insignia. Hic Christus de cœlo descendit: illic Spiritus sanctus. Ac maximè sanè decebat, sicut quæ Christus egit in Golgotha, etiam in eodem Golgotha prædicamus, sic & de sancto Spiritu in superiori illa dicere Ecclesia. Quoniam autem ille qui illic descendit, fruitur etiam hic gloria Crucifixi; itaque & de eo, qui illic descenderat, hic prædicamus. Indiuisibilis enim est pietas, volumus ergo deinceps aliqua dicere de sancto Spiritu, non quod exactè substantiam eius enarremus (impossibile enim) sed dicemus de diuersis ab illo progressibus: ne quando per ignorantiam in eis aberremus. Præcidamus vias erroris, vt vna regali via incedamus. Quod si dictum aliquod ab hæreticis, cautionis ergo explicabimus; hoc in caput illorum redundet, nos vero simus immunes qui dicimus, & vos qui auditis. Nam impiissimi omnium hæretici, etiam contra Spiritum sanctum acuerunt linguam, & ausi sunt dicere nefanda. Quemadmodum Irenæus interpres, in Institutionibus contra hæreses scripsit. Ac alij quidem seipsos esse spiritum, ausi sunt dicere, quorum primus est Simon Magus, de quo in Actis Apostolorum: reprobus enim factus, talia docere ausus est. Alij autem qui vocabantur Gnostici, homines impij, alia quædam absurda de Spiritu sancto affirmabant: contra; alia improbi Valentiniani: Manes autem sceleratissimus, seipsum esse à Christo missum Paracletum ausus est dicere. Rursus alij asserebant alium in Prophetis esse, alium in Nouo Testamento; adeo diuersus est illorum error, vel potius blasphemia. Oderis igitur tales & fuge, qui blasphemant contra Spiritum sanctum, & nullam habent peccatorum condonationem.

Spiritus sanctus quid sit.

B

Matth. 28.

C

Apostolorum superior Ecclesia Hierosolymis.

D

Irenæi institutiones cōtra hæreses.

Act. 8.

Gnostici.

Manes.

E

Quæ enim tibi iam in Spiritu sancto, baptizato, cum desperatis communio? Si pœnæ est obnoxius qui adhæret furi, & versatur cum illo, quá spem habebit qui Spiritui sancto aduersatur? Odio prosequantur Marcionistæ, qui sublata volunt verba Veteris Testamenti; primus enim impiissimus Marcion (primus inquam) qui tres esse Deos asserebant; & cum de Christo multa Prophetarum testimonia in Nouo Testamento citari videret, abstulit illa ex Lege veteri testimonia, vt Rex Christus absque testimonio esset. Pudefiant & prædicti iam Gnostici quidem seu scientes nomine, pleni autem ignorantia; qui hæc de Spiritu sancto dicere audent quæ ego nec nominare ausim. Odiosi sint Cataphryges & Montanus, malorum dux; atque binæ illius, scilicet Prophetissæ, Maximina & Priscilla: Montanus enim iste mente captus & verè insanus (neque enim si sanus esset, ista doceret) seipsum esse Spiritum sanctum, homo abiectissimus, & omni immunditia fœdiratéque refertus, ausus est asserere. Sufficit enim hoc, per signacula quædam indicare, propter mulierum præsentium reuerentiam, & paruulorum in Domino decorum. Midram in Phrygia accipiens, falso illam Hierosolymam appellauit: quæ nequissima omnium mulierum, paruulos pueros iugulabat & concidebat in escam nefariam, prætextu eorum quæ apud illos vocantur mysteria. Propterea hactenus in persecutionibus hoc ipsum nos facere Gentes suspicabantur; eo quod & Montanistæ (quanuis falso) eodem tamen Christianorum nomine vocabantur: Ausus est seipsum appellare Spiritum sanctum, homo impietate omni & inhumanitate plenus, ergo inexcusabili traditus est damnationi. Contendebat enim (vt prædictum est) Manes sceleratissimus: qui mala hæreseon summatim comprehendens, in summum perditionis barathrum euasit: atque omnia colligens, simul absurdissimum peperit & docuit hæreticorum errorem: ausúsque est dicere, seipsum esse Paracletum quem CHRISTVS mittere promisit. Atqui Saluator promittens dicebat Apostolis: *Vos manete Hierosolymis donec induamini virtute ex alto:* quid igitur? nunquid Apostoli ab ducentis annis defuncti, expectabant Manem, donec illius virtutem induerent? Audebitne quisquam dicere, quod non erant tunc pleni Spiritu sancto? Atqui scriptum est; *Tunc imponebant manus, & accipiebant Spiritum sanctum.* Nunquid nobis non multis ante Manem annis hoc factum est, cum in die Pentecostes descendisset Spiritus sanctus? Quare damnatus est Simon Magus? Num non ideo quod accedens ad Apostolos dixit: *Date mihi hanc potestatem, vt cuicumque manum imposuero, Spiritum sanctum accipiat?* Non enim dixit: date mihi Spiritus sancti communionem, sed, *potestatem*; vt aliis venderet quod non erat venale, & quod ipse non possederat. Et afferebat pecuniá nihil possidere volentibus, etiamsi videret illos qui rerum venditarum pretia afferebant & ante pedes Apostolorum proiiciebant: neque tamen id reputabat, quod illi qui pedibus diuitias ad pauperum alimenta oblatas conculcabant, Spiritus sancti potestatem pro mercede aliqua non essent tradituri. Illi autem (inquiunt) dicunt Simoni; *Argentum tuum sit tibi in perditionem, quia donum Christi pecuniis te consequi posse putasti:* Alter tu Iudas, argento gratiam te Spiritus sancti empturum existimasti. Si igitur Simon pretio volens consequi Spiritus sancti virtutem, abiit in perditionem: Manes qui seipsum dixit esse Spiritum sanctum, quanta est præditus impietate? Oderimus qui digni sunt odio: auersemur eos, quos auersatur Deus. Dicamus & ipsi confidenter ad Deum vniuersorum, de omnibus hæreticis: *Nonne odio te habentes oderam Domine?* Sunt enim & inimicitiæ quædam bonæ, quemadmodum scriptum est: *Et ponam inimicitias inter te, & inter semen tuum.* Amicitia enim quæ est cum serpente, inimicitiam Dei & mortem efficit. Hæc igitur de perditis illis dicta sunto; deinceps autem Scripturas diuinas aggrediamur, & recognoscamus aquas in vasis nostris, & de puteis nostris fontes; bibamus de aqua viua saliente in vitam æternam, hoc enim dixerat

Marcion tres esse Deos dicebat.

Montani Prophetissæ.

F

Christiani cur olim de infanti cidio suspecti apud Gentes.

G

Act. 1.

Act. 8. 17.

Act. 8. 19.

Apostoli nolebant quisquā possidere.

H

Psal. 138. 21.

Inimicitia quædam sunt bonæ.

Gen. 3. 15.

Ioan. 4. 14.

A Saluator *de Spiritu sancto quem accepturi erant credẽtes in ipsum.* Vide quid dicat: *qui credit in me*; non simpliciter: sed, *vt dicit scriptura* (remittens te ad vetus Testamentum) *flumina de ventre eius fluent aquæ viuentis.* Non flumina sensilia, terram spiniferam & ligniferam irrigantia, sed animam illuminantia, & alibi dicit: *sed aqua quam ego dabo ipsi, erit fons in ipso aquæ viuentis, salientis in vitam æternam.* Nouum aquæ genus, quæ viuit & salit: salit autem tantum in dignos. Quid ita? nunquid spiritalem gratiam, aquam nominauit, quandoquidem per aquam, omnium est consistentia: quandoquidem herbæ & animantia fiunt ex aqua: Quod aqua est causa auti, quod de cœlis descendit imbrium aqua: quoniam cum ipsa quidem vna in specie descendit, multas autem species efficit? Nam & paradisum totum fons vnus irrigat, & vna pluuia in vniuersum descendit mundum, quæ alba quidem fit in spinis, rubra autem in rosis, purpurea vero in hyacinthis, ac in diuersis speciebus diuersa, & in omnibus fit omnia, cum ipsa nihilominus eadem eiusdemque sit speciei. Neque enim seipsam transmutans pluuia, alia & alia descendit: sed cuicunque naturæ sese adiunxerit, illi fit incrementum: sic & Spiritus sanctus cum sit vnus & idem & non diuisibilis, vnicuique diuidit gratiam provt vult. Et quemadmodum aridum lignũ aquam participans, flores emittit, sic & anima peccatrix, per pœnitentiam, Spiritu sancto digna reddita, iustitiæ racemos progenerat: & cum ipsa sit vniformis, multas nutu Dei, & in nomine Christi virtutes operatur. Nam alterius quidem linguæ sese accommodat ad sapientiam; alterius autem animam illuminat in prophetia. Alij datur potestas eiiciendi dæmones, alij vero datur facultas interpretandi scripturas diuinas, alium ad temperantiã corroborat, alium instituit ad eleemosynam, alium docet ieiunare & exerceri ad pietatem & res corporeas contemnere, alium præparat ad martyrium, atque sic alia in aliis operatur, & ipse non alius fit à seipso, sicut scriptum est: *Vnicuique autem manifestatio Spiritus datur ad vtilitatem; alij enim per spiritum datur sermo scientiæ, secundum eundem spiritum, alij fides in eodem spiritu; alij gratia curationum in vno spiritu; alij operationes virtutum: alij prophetia: alij discretio spirituum: alij genera linguarum, omnia autem hæc operatur vnus & idem spiritus, diuidens vnicuique provt vult.* Sed cum de spiritu simpliciter multa & diuersa scripta sint in diuinis scripturis: ac metuendum sit ne quis (ex ignorantia) in aliquem de Spiritu sancto errorem deueniat, ignorans de quali spiritu id scriptum sit, bonum est nunc eum præmũnire, qualem esse dicat scriptura Spiritum sanctum. Quemadmodum enim & Aaron vocatur Christus, & Dauid, & Saul, & alij Christi vocantur, vnus tamen est & verus Christus, sic & appellatio spiritus (cum de rebus diuersis dicatur) pulchrum est videre, quid sit peculiariter Spiritus sanctus. Multa enim, spiritus vocantur. Et Angelus vocatur spiritus. Anima nostra vocatur spiritus. Ventus hic flans, vocatur spiritus, & virtus magna, vocatur spiritus, & spiritus immundus, vocatur spiritus. Animaduerte igitur hæc audiens: ne propter nominis similitudinem, alterum pro altero cogites. De nostra anima dicit scriptura; *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam*: ac rursus de eadem dicit; *qui creat spiritum hominis in ipso.* De Angelis vero dicit in Psalmis: *Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis.* De vento autem, *spiritu* (inquit) *vehementi conteres naues Tharsis*: Et, quemadmodum lignum in sylua à spiritu agitatur: Et, *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum.* De bona autem doctrina, ipse Dominus dicit; *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.* Spiritus vero sanctus qui loquitur linguis; & viuens est & eloquentiam præbens, & ipse disserit. Et vis nosse, quod cum hominibus versetur, & colloquatur? Philippus ex Angeli reuelatione descendit in viam quæ ab Hierosolymis ducit Gazam, quando Eunuchus ille aduentabat: & dixit spiritus Philippo; *Accede & adiunge te currui huic.* Cernis loquentem spiritum, audienti? Et Ezechiel sic dicit: *Et factus est super me Spiritus Domini, & dixit ad me: hæc dicit Dominus.* Et rursus: dixit Spiritus his qui erant Antiochiæ Apostolis; *Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus ad quod assumpsi eos.* Vides Spiritum viuentem, segregantem, vocantem, & cum potestate mittentem? Et Paulus, *nisi* (inquit) *quod Spiritus sanctus testatur mihi dicens quod vincula & tribulationes me manent.* Bonus enim est ille sanctificator Ecclesiæ, & auxiliator & magister, Paracletus. De quo Saluator; *Ille*, inquit, *vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* Non dixit, *docebit*, tantum, sed etiam *suggeret omnia quæcunque dixero vobis.* Neque enim alia Christi doctrina, & alia Spiritus sancti; sed planè eadem. Prædixerat Paulo quæ euentura erant, vt ea præuidendo promptior esset: hæc autem dicuntur nobis propter illud quod modo recitatum est: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus sunt*; ne hanc labiorum elocutionem esse putes, sed rectam doctrinam. Vocatur autem & peccatum Spiritus (sicut dixeramus) sed aliter & modo contrario, cum dicit: *Spiritus fornicationis aberrauerunt.* Vocatur spiritus, etiam immundus spiritus dæmon, sed cum hac adiectione, *immundus.* Et vnicuique additur cognomen, vt indicit proprietatem. Si enim de anima hominis dicitur spiritus, cum hac adiectione dicitur: *Spiritus hominis.* Si ventura notat, *spiritum procellarum* dicit. Si peccatum innuit, *spiritus* (inquit) *fornicationis* dicit. Si dæmonem significat; *Spiritus* dicit *fornicationis & immundus*: vt cognoscamus de quo spiritu sit sermo, neque putes de Spiritu sancto hoc dici, absit. Spiritus enim, nomen medium quoddam est: nam omne quod est absque corporis mole, in vniuersum Spiritus vocatur: cum autem & dæmones corpora non habeant, spiritus vocantur. Sed magna est quædam inter hos spiritus differentia. Immundus enim dæmon, si quam hominis animam aggressus fuerit, (liberet autem ab hoc Dominus, omnes animas tam præsentium hic quam absentium) tanquam lupus sanguinolus paratus ad deuorandum super ouem veniret, sæuissimus illius aduentus, grauissimus sensus, tenebrosa mens efficitur, & insultus iniquus, & rapina possessionis alienæ. Corpore enim alieno tanquam proprio vtitur violenter, membris alienis stantem iactitat, & alieno instrumento astantes acclamat: minister enim est illius qui cecidit de cœlo. Deprauat linguam, torquet labia, spumam pro verbis fundit, obtenebratur homo, apertus est oculus & non videt per eum anima, gemit homo tremens, ante mortem misertimus. Verè hostes sunt hominum dæmones, turpiter illis abutentes & absque misericordia. Absit hæc opinio, non est eiusmodi Spiritus sanctus, sed contraria ratione omnia ad bonum & ad salutem dirigit. Primum enim mansuetus illius aduentus, fragrans progressus, onus leuissimum, ante suum accessum radios lucis præmittens & cognitionis. Germani protectoris viscera habens aduenit, venit enim seruare & sanare, docere, adhortari, confortare, admonere & illuminare mentem: primum quidem eius qui recipit illum, deinde per ipsum, & cæteros. Et quemadmodum in tenebris si quis antea fuisset, Solem deinceps ex templo videns, aspectus corporis eius illuminatur, item vt quæ antea non videbat, tunc videat: sic etiam cui Spiritus sanctus donatus est; anima illius illustratur, & plus quam homo cernit: in terra erit corpus & anima cœlos contemplabitur. Videt, vt Isaias cernebat Dominum super Throno excelso & eleuato: Videt, vt Ezechiel, eum qui sedebat super Cherubim: Videt, vt Daniel, Myriades myriadum & millia millium. Exiguus homo cernit principium & finem mundi, & medium temporum, & Regum successiones. Sic quæ non didicerat, adest enim verus ductor lucis. Intus consistens homo, & virtus scientiæ procul à Deo illi immittitur, ita vt ea quæ fiunt ab aliis ipse cognoscat. Non adfuerat Petrus Ananiæ & Saphitæ cum sua bona vendebant, sed per Spiritum aderat. *Quare* (inquit) *tentauit Satanas cor tuum, vt mentiare Spiritui sancto?* Nullus erat accusator, nullus testis: vnde igitur hoc euenit, vt nosset? *Nonne* (inquit) *manens manebat tibi*, & id quod vendidisti in

potestate

Marginalia: Ioan. 4. 14. — *Spiritus sanctus cur aquæ nomine à Christo mysticè designatus sit. Aqua in omnibus credentibus.* — B — *Spiritus vnius, varia dona.* — C — 1. Cor. 12. 7. — *Spiritus sancti appellatio multis conuenit.* — D — Psal. 145. 4. — Psal. 103. 4. — Psal. 148. 8. — Ioan. 6. 63. — *Spiritus sanctus loquitur & loqui facit.* — Act. 8. 29. — E — Act. 13. — Ioan. 14 — F — *Spiritus est nomen medium. Dæmon sæuit in energumenorum corpora, & illis abutitur.* — G — *Spiritus sancti aduentus, qualis sit.* — H — *Spiritu sancto omnia perspiciuntur.* — Act. 5. 4.

A potestate erat tua? Quare statuisti in corde tuo hanc rem? Qui erat absque litteris, per gratiam Spiritus illa didicit, quæ ne Græcorum quidem sapientes nouerant. Habes simile huic de Elisæo, qui cum gratis sanasset lepram Neeman, Giezi pretium eius accepit alieni officij præmium intercipiens, recepitque à Neeman pecunias, & in obscuro illas occultauit, sed neque in tenebris quicquam occultatur Sanctis. Nam venientem illum interrogat Elisæus, similiter atque Petros dicens, *Dic mihi, si tanti ager venundatus est?* Sic ille interrogat quamuis non ignorasset, *Vnde Giezi?* sed luctuosum erat illud, *Vnde?* A tenebris prodiisti, & in tenebras ibis. Vendidisti curationem leprosi, & hæreditabis ipsius lepram. Impleui (inquit) ego perfectionem illius qui dicit mihi; *Gratis accepistis, gratis date:* Tu autem vendidisti hanc gratiam, suscipe ergo & præmium istius venditionis. Sed quid ait ad illum Elisæus? *Nonne cor meũ ibat tecum?* Hic ego fueram corpore conclusus, sed Spiritus à Deo mihi datus, ea quæ procul aberant cernebat, & quæ alibi dicebantur manifestè ostendit mihi. Cernis quomodo illuminat animas Spiritus sanctus, tollit ignorantiam, & scientiam reponit. Isaias ferè antè mille annos, cernens tanquam tabernaculum, Sion. Ciuitas erat iam condita & sistens, & mercibus exornata, & ornatu vario circundata. Ille tamen dicit: *Sion tanquam ager dissipabitur:* † prædicens id quod nostra ætate completum est, certitudinem autem prophetiæ demonstrans: *Relinquetur*, inquit, *filia Sion, sicut tentorium in vinea, & sicut tugurium cucumerariorum.* Etiam nunc cucumeris ille locus repletus est. Cernis quemadmodum iustos Spiritus sanctus illuminat? Non igitur propter cognationem nominis, aliò circumferaris, sed id quod certissimum est, custodias. Quod si fortè, sedenti tibi, de castitate aut virginitate subeat cogitatio, illius est ea doctrina. Nonne persæpe, puella iam ad sponsi thalamum constituta effugit, Spiritu sancto de virginitate eam docente? nonne sæpè splendidus aliquis homo aulicus contempsit diuitias, probè instructus à Spiritu sancto? Nonne iuuenis sæpe, videns pulchritudinem, compressit oculos, & ne amplius videret aufugit, pollutionemque vitauit? quæris vnde id contingat? Spiritus certè sic erudiuit animum adolescentis. Tot sunt auaritiæ & cupiditates in mundo: & tamen nihil possidere eligunt Christiani, qua de causa? propter Spiritus sancti annuntiationem. Pretiosum sanè donum est Spiritus sanctus ille bonus. Meritò baptizamur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Homo corpus adhuc circumferens, multis cum dæmonibus ferissimis luctatur: & persæpè dæmoniacus qui ferreis vinculis à multis retineri non potest: ab vno, solis verborum precationibus continetur, per eam quæ in illo est Spiritus sancti virtutem, & simplex exorcisantis afflatus, efficitur ignitus his qui videri non possunt. Magnum igitur commilitonem & auxiliatorem apud Deum habemus, magnum Ecclesiæ Doctorem, magnum protectorem nostrum: non metuamus ergo dæmones, nec diabolum: maior enim est qui certat pro nobis, modo illi ostia aperiamus. Obambulat enim ille, qui digni sint, quærens, & quibus dona conferat. Vocatur quoque Paracletus, propter consolationem & auxilium infirmitatis nostræ. Non enim, quid & quatenus orare debeamus, nescimus: sed *ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus:* manifestum autem est, quod apud Deum, sæpè propter Christum afficitur contumeliâ & ignominiâ quispiam: Martyrium imminet, tormenta vndique & ignis, & gladius, & bestiæ, & gurgites. Verum interea Spiritus sanctus alloquitur, sustine Dominum, parua sunt ista quæ fiunt, breui tantum tempore labora & in sempiternũ eris cum Angelis: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis:* describit homini regnum cœlorum, demonstrat deliciarum Paradisum. Ac martyres quidem vultu corporeo sisti cogebantur coram Iudicibus: potentia autem animi erant in paradiso, contemnebantque præsentes difficultates. Vis autem ex scripturis nosse, virtute Spiritus sancti martyres Christo testimonia exhibere? Saluator ipse dicit ad discipulos: *Cum adduxerint vos in Synagogas & ad Principatus & Potestates, ne sitis solliciti quid respõdeatis aut quid dicatis: Spiritus enim sanctus docebit vos in illa hora quid vobis dicendum sit.* Fieri enim non potest vt quis de Christo præbeat testimonium, nisi per Spiritum sanctum testetur. Si enim *nemo dicere potest Dominum* IESVM, *nisi in Spiritu sancto: vitam pro illo, & sanguinem quis profundet, nisi in Spiritu sancto?*

Margin notes (left): 4 Reg. 5. 25. — *Sanctis non quicquam in tenebris occultũ.* — Matth. 19. 8. — B *Spiritus sanctus illuminat & erudit animas* — † *arabitur* — Hier. 26. 18. — Isa. 1. 8 — *Virginitatis & castitatis cogitatio fit à Spiritu sancto.* — C — *Exorcisantis afflatus vrit dæmones.* — D *Doct. Ecclesiæ Spiritus. Paracletus Spiritus.* — Rom 8. 26. — Rom 8. 18.

Margin notes (right): E *Martyres in Spiritu sancto fiunt.* — Luc. 12. 11. — 1. Cor. 12. 3.

Magnum quiddam est, & omnipotens inter charismata, & admirandum, Spiritus sanctus. Cogita quod nunc estis: qui hic assidetis, quot nostrûm animæ adsunt, in vnoquoque tamen congruè operatur, & medius existens videt cuiusque modum: cernit & cogitationem & conscientiam, & quid loquamur, & quid mente retineamus. Magnum quid est, quod dixi, sed restat maius. Considera tu qui iam mentem ab illo habes illustratam: quot sunt Christiani huius parœciæ, quot in Palæstina. Extende rursus mentem ab hac prouincia in totum Imperium Romanum, ac ex eo deinde considera vniuersum mundum; Persarum & Indorum gentes ac nationes, Gothos & Sauromatas multos, Hispanos & Mauros, Afros & Æthiopas, & reliquos quorum nomina ignota sunt nobis: multarum enim gentium ne nomina quidem in notitiam nostram venerunt. Perspice cuiustibet nationis Episcopos, Sacerdotes, diaconos, monachos, virgines, & reliquos laicos, & respice magnum hunc Præsulem & gratiarum Parochum (id est, exhibitorem) quomodo in vniuerso mundo, alij quidem castitatem, alij virginitatem, alij studium paupertatis, alij vim repellendi aduersarios spiritus tribuit: & quemadmodum lumen vno radij progressu illuminat omnia, ita Spiritus sanctus, eos qui habent oculos illustrat. Quod si quispiam non respiciens, illius gratia non potitur, non Spiritũ sanctũ, sed suam ipsius arguat perfidiam. Vidi illius vim in vniuerso mundo, non hic subsistas, sed ad superiora quoque ascende. Ac principio quidem in primum cœlum mentem eleua: considera eas quæ istic sunt innumerabiles myriades: cogita & altiora si potes, vide Virtutes, vide Principatus, vide Potestates, vide Thronos, vide Dominationes: Eorum omnium præses apud Deum, & magister, & sanctificator est hic Paracletus. Eo indiget Elias ac Isaias inter homines, eo opus habet Gabriel & Michaël, inter Archangelos, nihil ex rebus progenitis dignitati illius adæquatur: nam & in vniuersum genus Angelorum & omnes exercitus simul congregati, nequaquam Spiritus sancti proportionem sustinuerint. Cooperit hæc omnia virtus per quam maxima Paracleti: ita vt Angeli quidem sint qui in ministerium mittantur: *Ipse autem spiritus est, qui profunda Dei scrutatur:* vt inquit Apostolus: *qui omnia scrutatur etiam profunda Dei*, quis enim nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? sic & ea quæ apud Deum, nemo cognoscit nisi Spiritus Dei. Et illi scilicet Angeli sanè ex eo quod non erat, sunt creati, hic autem semper à Deo procedens. Et illi (nempe Angeli) natura sunt mutabiles tanquam creatura (tametsi iam ex gratia non mutentur, neque conuertantur) hic autem immutabilis, inconuertibilis, vnum existens cum Patre, & Filio, hic Spiritus de Christo prædicauit per Prophetas; hic operatus est in Apostolis: hic ad hodiernam vsque diem obsignat animas in baptismo. Et Pater quidem dedit Filio, Filius autem tradidit Spiritui sancto. Ipse enim IESVS est qui dixit, non ego; *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo:* ac de Spiritu sancto dicit: *Quando venerit ille Spiritus veritatis:* & reliqua: *Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Pater per Filium cum Spiritu sancto omnia largitur, non alia Patris, alia Filij, nec alia Spiritus sancti: sed vna est salus, vna fides. Vnus Deus Pater, vnus Dominus vnigenitus eius Filius, vnus Spiritus sanctus Paracletus.

Atque hæc quidem scire sufficit: naturam autem vel subsistentiam Spiritus ne curiosè scruteris: si enim ea descripta esset, diceremus: quod autem scriptum non est, dicere non audeamus. Satis est nobis ad salutem, scire

Margin notes (right): *Omnipotens inter charismata spiritus* — *Parœcia Hierosolymitana.* — F — *Parochus gratiarũ Spiritus virginitatem & castitatẽ suggerit.* — G *Angeli à Spiritu sancto omnes sanctificat.* — 1. Cor. 2. 10. — H *Spiritus sanctus, vnus existit cum Patre & Filio.* — Luc. 10. 22. — Ioan. 12. 13. — *Spiritus sanctus de his quæ sunt Filij accipit.*

A ſcire quod eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, qui deſcenderat in ſeptuaginta Seniores tempore Moyſi. Sed prolixitas ſermonum (dilecti) ne tædioſa vobis efficiatur: præbeat ille de quo nobis ſermo eſt, eam virtutem vnicuique, & mihi dicenti & vobis audientibus; & ea nunc exhibeat, quæ nouit omnia donare. Non erat tum in illos ſeptuaginta viros Spiritus ipſe diuiſus, ſed gratia tantũ pro eorum qui eam recipiebant, facultate. Sexaginta tantum, & octo oderant: Eldad autem & Modad aberant. Vt igitur oſtenderet non Moyſem eſſe largitorem, ſed Spiritum operantem; Eldad & Modad vocati quidem ſed non occurrentes, prophetabant. Stupefactus eſt Ieſus ille typicus, Naue vocatus, ſucceſſor Moyſis: & conueniens eum, dicit: Audiſti quod Eldad & Modad prophetant? Vocati erant, ſed non aduenerant: *Domine mi Moyſes prohibe eos:* non poſſum (inquit ille) cohibere, cœleſtis enim eſt iſta gratia: ac tantum abeſt vt eos cohibere queam, vt etiam fateri cogar me ex gratia Domini id habere, ſed non puto te ex odio iſta dicere, caue autem vt æmuleris pro me, vel inuideas quod illi quidem prophetant, tu autem nequaquam, expecta tempus: *Quis dabit vniuerſum populum eſſe Domini Prophetas, quando det Dominus Spiritum ſuum ſuper eos?* Propheticè dicit quod, *quando det*, tunc enim nondum dederat: tu quoque nondum habes, nunquid Abraham & Iſaac, & Iacob & Ioſeph, antea non habebant? Nunquid non habebant id quod dicit, *quando det Dominus?* Manifeſtum eſt, hìc illum ſignificare abundantiam doni Spiritus ſuper eos omnes, quaſi diceret: nunc iſta gratia particularis: ſed tunc erit copioſum donum, quod completum eſt apud nos in die Pentecoſtes. Atque idem ſanè Spiritus qui apud nos deſcendit, deſcendebat prius & apud illos in multos. Scriptum eſt enim deinceps: *Et Ieſus Naue repletus eſt Spiritu ſapientiæ, Moyſes enim manus ſuas ſuper eum impoſuit.* Cernis vbique typum, & in veteri & in nouo Teſtamento eundem. Tempore Moyſis, per manus impoſitionem dabatur Spiritus: in te quoque baptizatum peruentura eſt gratia illius. Quomodo autem, id nondum dico, neque enim eius rei nunc tempus eſt. Idem deſcendit in omnes iuſtos ac Prophetas, Enoch & [illegible]nos, Noë & reliquos, Abraham, Iſaac, Iacob. Nam de eo quod Ioſeph habuerit ſpiritum Dei, etiam Pharao expertus eſt. De Moyſe enim, & rebus admirandis ab illo virtute Spiritus ſancti factis: perſæpe audiſti. Eundem Spiritum & fortiſſimus Iacob habuit, & omnes ſancti, quamuis omnium nomina non proſequamur. Idem & in ſtructuram illam Tabernaculi miſſus, repleuit ſapientia eos qui circa Beſeleel erant ſapientes. In virtute huius Spiritus (quemadmodum in libro Iudicum habemus) Othoniel quidem iudicabat, Gedeon verò inualeſcebat, Iephta vindicabat: Samſon vindicans, ſuper vires humanas certabat. Nam de Samuele & Dauide, ex libris Regum manifeſtius eſt: quod & ipſi in Spiritu ſancto prophetabant, & principes erant Prophetarum. Ac Samuel quidem, videns appellabatur: Dauid autem clarè dicit: *Spiritus Domini locutus eſt mihi.* Et in Pſalmis: *Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me.* Et rurſus. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Et vt eſt in Paralypomenis: Azarias particeps factus Spiritus ſancti, tempore Aſaph regis: & Oziel tempore Ioſaphat, ac rurſus alias Azarias qui eſt lapidatus. Eſdras verò dicit: *Et Spiritum tuum bonum dediſti ad erudiendum illos.* De Elia aſſumpto & Elizeo ſpiritiferis & mirificis hominibus, clarum eſt, etiamſi non dicamus, quod pleni erant Spiritu ſancto. Quod ſi quis omnes duodecim Prophetarum libros proſequatur, quamplurima de Spiritu ſancto inueniet teſtimonia. Michæas dicit in perſona Dei: *Niſi ego repletus fuero fortitudine Spiritus Domini.* Ioël clamat: *Et erit poſtea, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem*, & quæ ſequuntur. Et Aggæus loquitur. *Quapropter ego vobiſcum ſum, dicit Dominus omnipotens, & Spiritus meus conſiſtit ſuper vos.* Zacharias ſimiliter: *De ſermonibus meis accipite quæcunque & ego præcipio in Spiritu ſeruis meis Prophetis.* Et alia Iſaias dicit: *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilij & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit illum Spiritus timoris Dei.* Certum eſt, vnum quidem eſſe hunc Spiritum indiuiſibilem: diuerſas autem illius operationes. Rurſus: *Iacob ô puer, ex quo dedi ſpiritum meum ſuper illum.* Et iterum: *ponam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum.* Et, *Nunc Dominus miſit me, & Spiritus eius.* Ac iterum: *Hoc illis à me ſit teſtamentum dicit Dominus Spiritus meus qui eſt ſuper te.* Et iterum. *Spiritus Domini ſuper me, propterea vnxit me.* Et iterum de Iudæis, *Ipſi autem ad iracundiam prouocauerunt, & contriſtarunt Spiritum ſanctum eius.* Et, *Vbi eſt qui poſuit in ipſis Spiritum ſancti ſui?* Habes ſimilia & in Ezechiele, ſi deinceps audiens non defatigeris: *Et cecidit ſuper me Spiritus, & dixit ad me, hæc dicit Dominus.* Quod ait: *Cecidit ſuper me*, rectè ſanè benignitatem illius deſignat, quemadmodum Iacob (reperto Ioſeph) cecidit ſuper collum eius, & ſicut in Euangeliis, benignus ille pater filium ex peregrinatione redeuntem cernens *miſericordia commotus eſt, & currens cecidit ſuper illius collum.* Ac iterum in Ezechiele: *Et duxit me in terram Chaldæorum in captiuitatem, in viſione, in Spiritu Dei.* Reliqua enim eiuſcemodi, in his quæ de baptiſmate dixeramus, iam audiſti: *Et aſpergam vos aqua munda, & dabo vobis.* Et, *facta eſt ſuper me manus Domini, & eduxit me in Spiritu Domini.* Hic Spiritus ſapientem effecit animam Danielis, vt iuuenis ipſe ſenum eſſet iudex. Damnabatur Suſanna modeſtiſſima tanquam impudica, vindex erat nemo: quis enim aduerſaretur principibus, adducebatur iam in mortem: iam erat in manibus lictorum: ecce adeſt auxiliator Paracletus Spiritus, qui omnem naturam intelligibilem ſanctificat. Age (inquit) Daniel puer, argue ſenes de peccatis iuuenilibus, ſcriptum eſt enim: *Suſcitauit Deus Spiritum pueri iuuenculi.* Et vt ſummatim ea comprehendamus, per decretum Danielis, temperans illa & innocens ſeruatur: teſtimonij enim cauſa, non enarrationis ea adduximus. Agnouit & Nabuchodonoſor, quod in Daniele eſſet Spiritus ſanctus, dicit enim ad eum: *Baltazar princeps ariolorum* (inquit) *hoc ego ſcio quod Spiritus Dei ſanctus eſt in te.* Alterum quidem verum dixit, alterum falſum. Quod enim haberet Spiritum ſanctum, verum erat, falſum autem, quod eſſet princeps incantatorum, neque enim Magus erat, ſed ex Spiritu ſancto ſapiens: nam antea illi indicauit viſionem imaginis: Ipſe viderat eam, & neſciebat. *Dic*, inquit, *mihi viſionem quam ego vidi, & quæ ſit neſcio.* Cernis vim Spiritus ſancti? videntes, neſciunt: non videntes agnoſcunt & interpretantur. Et eſſent reuera multa quæ ex veteri lege recitaremus, & latius explicaremus de Spiritu ſancto, ſed cum breue ſit tempus, oportet ſeſe accommodare mediocritati auſcultationis. Itaque ſatis ſint ad præſens, quæ ex veteri Teſtamento produximus, deinceps ſi Deus volet, ad ea quæ ſunt in Nouo, proxima Catecheſi veniemus: Deus autem pacis, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Spiritum dilectionis, omnes nos ſpiritualibus & cœleſtibus ornet donis, cui gloria & potentia in ſæcula ſæculorum, Amen.

Left margin notes: Spiritus in abſentes à Moſe ſeniores effuſus. Num. 11. 28. — B — Num. 27. — Spiritus per manuum impoſitionem in lege dabatur. — C — Spiritum ſanctum habuerũt Teſtamẽti veteris iuſti omnes. Artificioſam mentem dona Spiritus. — D — 1. Reg. 23. Pſal. 50 Pſa. 142. 7. — 2. Eſdr. 9. 20. — Mich. 38. Ioël. 2. 28. Agg. 2. 6. Zach. 7. 12. Iſai. 11. 2.

Right margin notes: E — Septiformis Spiritus & vnus. — Iſai. 42. 1. Iſai. 61. 1. — Iſai. 63 10. — Ezech. 3 — F — Ezech. 37. — Spiritus ex pueris ſapientes facit. Dan. 13. — G — 45. Dan. 4. 6. — H — 1. Cor. 12. 8.

CATECHESIS DECIMASEPTIMA

illuminatorum Hieroſolymis, extemporanea, de Spiritu ſancto, Et lectio ex Epiſt. prima ad Corinth. Huic quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, *& reliqua.*

IN præcedenti Catecheſi, de Spiritu ſancto paruam quandam teſtimoniorum partem (quantam licuit) auribus veſtræ dilectionis propoſuimus: tunc enim, ne modum excederemus, promptitudinem dicendi cohibuimus. Inexhauſtus enim de Spiritu ſancto ſermo eſt, nunc autem reliquorum pars quædam rurſus parua dicetur, nollem enim infirmitatem veſtram obrui multitudine ſcripturarum. Ingenuè nunc quoque fatemur, nos non humanis ratiocinationibus vſuros, verum ea tãtum

A

Scripturis non ratiocinibus agendum.

quæ sunt in sacris scripturis commemoraturos: hoc enim est tutissimum, quemadmodum beatus Paulus inquit: *Non in persuasibilibus humanæ scientiæ verbis*, sed persuasionibus Spiritus, spiritalibus spiritalia conferentes, & conformia viatoribus & nauigantibus facientes, qui cum
1.Cor.2.13. vinum habeant scopum longi itineris, animi quidem promptitudine accelerant, propter corporis verò imbecillitatem diuersis appellunt ciuitatibus. Ac disputationes quidem seu dissertationes de Spiritu sancto diuiduntur, ipse autem nequaquam diuiditur, vnum tamen atque idem omnes complectuntur. Sicut etiam illi quos habuimus de Patre sermones, alius quidem erat de illius nos docens monarchia, alius de eo quomodo Pater vocatur omnipotens: alius, quomodo Creator vniuersorum: Neque tamen diuisio ista Catecheseon habuit fidei diuisionem, vnus enim erat & est pietatis scopus. Ac veluti in his etiam quæ de vnigenito Dei Filio, alias quidem de illius diuinitate, alias verò de humanitate disseruimus: In multisque illis sermonibus quos de Domino

B

nostro IESV CHRISTO habuimus multa diuidentes, indiuisam tamen in illum fidem annuntiauimus. Ad eundem modum, de Spiritu sancto diuisis Catechesibus, indiuisam in illum fidem asserimus. Vnus enim est atque idem Spiritus: diuidens quidem charismata propria vnicuique prout vult, ipse autem indiuisus. Neque alius Paracletus, alius Spiritus sanctus, sed vnus atque idem, diuersis cognominibus appellatus: viuens & subsistens, loquens & operans, ac eorum quæ à Deo facta sunt omnium ratione præditorum, hominum & Angelorum sanctificator. Ne itaque ob diuersas Spiritus sancti appellationes, ignari plerique diuersos esse Spiritus existiment, & non vnum atque eundem cum vnus tantum sit: ideo Ecclesia Catholica præmonitum te cupiens reddere, istud in fidei professione tradidit: *Credere in vnum Spiritum sanctum Paracletum qui locutus est per Prophetas*; vt videre possis, multas quidem esse illius appellationes, vnum autem atque eundem Spiritum sanctum. De

Spiritus sancti variæ appellationes.

C

quibus illius appellationibus paucas nunc ex multis vobis commemorabimus. Vocatur enim à multis, Spiritus
1.Cor.12.9. sapientiæ, vt modo lectum est: *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ.* Vocatur Spiritus veritatis, vt di-
Ioan.16.13. cit Saluator: *Quando venerit ille Spiritus veritatis.* Vocatur & Paracletus, vt ille dixit: *Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos.* Quod autem vnus & idem sit diuersis nominibus appellatus, ex his manifestè demonstra-
Ioan.14.26. tur, quæ sequuntur: Nam de eo quod *Spiritus sanctus & Paracletus*, idē sint, dictū est: *Paracletus Spiritus sanctus*,
Ioan.14.17. de eo verò quod *Paracletus & Spiritus veritatis*, idē sint, dicitur; *& alium Paracletum dabo vobis vt maneat vobiscum, Spiritum veritatis.* Et iterum: *Cum venerit autem Paracletus quem ego mittam vobis à Patre Spiritum*
Ioan.1.32. *veritatis.* Vocatur Spiritus Dei, sicut scriptum est: *Et*
Rom.8.14. *vidit spiritum Dei descendentem.* Et rursus: *Qui spiritui Dei ducuntur, hi sunt filij Dei.* Vocatur & Spiritus Pa-

D

Spiritus Patris. Mat.10.20. tris, sicut dicit Saluator: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri loquitur in vobis.* Et iterum Paulus: *Huius gratia flecto genua mea ad Patrem, &c. vt*
Ephes.3.14. *conforter per spiritum ipsius.* Vocatur & spiritus Domini, vt inquit Petrus *Quid vtique conuenit vobis tentare*
Act.5.9. *spiritum Domini?* Vocatur spiritus Dei & Christi, vt scribit Paulus: *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu,*
Rom.8. *siquidem spiritus Dei habitat in vobis; si verò quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Vocatur spiritus filius Dei, sicut est dictum: *Quod estis filij, misit Deus Spiritum Filij sui.* Vocatur Spiritus Christi, sicut scriptum est: *In quod & quale tempus manifestatus est in ipsis Spiritus Christi.* Et rursus: *Per vestram deprecationem & subministrationem Spiritus Iesu Christi.* Præter has autem, & alias quoque Spiritus sancti appellationes reperies. Vocatur enim Spiritus sanctificationis, vt scriptum est: *Secundum Spiritum sanctificationis.* Vocatur spiritus adoptionis filiorum, vt inquit Paulus: *Non enim accepistis*
Rom.8.15. *Spiritum seruitutis in timorē, sed accepistis Spiritū adoptio-*
Ephes.1.17. *nis filiorum in quo clamamus, Abba pater.* Vocatur Spiritus reuelationis, vt scriptum est: *Det vobis Spiritum re-*

Spiritus filij. Spiritus Christi.

uelationis & sapientiæ. Vocatur Spiritus promissionis, vt ipse dicit: *In quem credentes signati estis Spiritu promissio-* Ephes.1.13.
nis sancto. Et aliis eiuscemodi nominibus compluribus cognominatur. Audisti apertè & in proxima superiori institutione, quod in Psalmis quidem aliquando bonus Spiritus, aliquando principalis nominatur. In Isaia verò, Spiritus sapientiæ ac intellectus, consilij & fortitudinis, scientiæ & pietatis, ac timoris Domini appellatur. Per quæ omnia, & quæ antea & quæ nunc dicta sunt, concluditur, diuersas quidem esse illius appellationes, sed ipse vnus tantum est atque idem Spiritus sanctus, viuens & subsistens: qui vbique Patri & Filio adest, non qui ab ore & labiis Patris & Filij, loquendo formetur † vel effletur, aut in aërem diffundatur: sed substantialis, loquens ipse & operans, administrans & sanctificans: Sed per stabilē tamen & cōsonam vnius existentis salutarem administrationem in nos, quæ fit à Patre per Filium cum Spiritu sancto, sicut & antea dixeramus. Meminisse enim vos eorum quæ modo dicta sunt volo, & apertè scire quod non alius in lege & Prophetis, alius verò in Euangeliis & Apostolis, sed vnus est atque idem Spiritus tam in veteri quàm in nouo Testamento, diuina dictans eloquia. Hic est Spiritus sanctus qui descenderat in Virginem Mariam. Cùm enim Christus vnigenitus nasci deberet, virtus Altissimi obumbrauit ipsi: & Spiritus sanctus in illam veniens sanctificauit eam: quo posset, eum per quem sunt omnia, suscipere. Nec opus est de eo multa facere verba, vt discas impollutam & mundam fuisse illam generationem. Docuit enim id Gabriel, dicens ad eam: Nuncius ego sum eorum quæ fieri debent, sed non cooperator; quamuis Archangelus. Et, vt non ignores quid mei sit muneris: Gaudium ego annuntiabo tibi: quo- Luc.1.
modo autem parias, non à mea est gratia: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, propterea & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Hic Spiritus S. egit & in Elizabetha, neque enim Virgo tantum, sed etiam coniugata illius notitiam habet, siquidem secundum legem tantum erat coniugium. Et repleta Spiritu sancto, prophetauit Elizabeth, dicitque bona serua, de Domino: *Vnde mihi hoc, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Benedixit illam Elizabeth. Isto Spiritu repletus Zacharias pater Ioannis, prophetauit quod bonorum exhibitor esset ille vnigenitus, & quod per baptisma, Ioannes esset præcursor illius. Ab Luc.1.
eodem Spiritu sancto vnctus Simeon iustus, non visurum se mortem cognouit, antequam Christum Domini videret, quem in vlnas accipiens in templo, apertè de illo testificatus est. Et Ioannes repletus Spiritu sancto in vtero matris; deinceps eum qui Spiritum illi dedit, annuntians: *Ego (inquit) vos baptizo in aqua ad pœnitentiam,* Luc.3.
qui autem post me venturus est, &c. ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne. Cur autem dicit *& igne*? Quoniam Mat.3.11.
in linguis igneis aduentus Spiritus sancti apparuit: de Actor.1.
quo dicit gaudens Dominus: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt excandescat?* Hic Spiritus sanctus descendit cum Dominus baptizaretur, ne baptizati dignitas lateret; vt Ioannes inquit: *Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: in quemcunque videris Spiritum descendentem & manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu sancto.* Sed considera quid dicat Euangelium: *Aperti sunt cœli*: Aperti sunt propter dignitatem descendentis verbi: *Ecce enim*, inquit, *aperti sunt cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super eum.* Indicat quod suæ potestatis motu descenderet. Oportebat enim (vt interpretati sunt aliqui) primitias & præcipua S. Spiritus, baptizatæ humanitati Christi Saluatoris exhiberi, qui talem aliis dat gratiam. Descendit autem fortè in specie columbæ mundæ, vt aliqui dicunt, tanquam simplicis, propter puros & innocentes, & pueros paruulos qui nascuntur ex Spiritu sancto, & propter remissionem peccatorum, orationibus consequendam: Sicut in ænigmate prædictum est de eo quod super Christum visibiliter apparebit. In Canticis enim de Sponso præcinit & dicit: *Oculi tui sicut co-* Can.5.12.
lumbæ, super plenitudines aquarum. Huius aliqua ex par-

E

Spiritus sanctus quomodo à Patre & Filio procedat docet.

† Sit enunciatus vel

F

efflatus, aut in aërem diffusus. Mundi quo modo gubernatio totius fiat.

G

Luc.12.49.

H

Ioan.1.33.

Mat.3.16.

Primitiæ Spiritus in Christo.

te

A

te ferebat typum, secundum quosdam, columba illa Noë. Nam sicut per illius lignum & aquam facta est ipsis quidem salus, nobis autem initium nouæ generationis. *Et columba reuersa est ad eum sub vesperum, habens virgam oleæ:* sic (inquiunt) & Spiritus sanctus descendit super verum Noë, alterius generationis factorem, vniuersorumque generum voluntates in vnum congregantem, quorum typum habebant diuersæ in Arca animantium species. Nonne hoc tempore spiritales lupi cum agnis simul pascuntur? nonne habet Ecclesia vitulum & taurum cum leone simul pascentes? sicut ad hodiernam vsque diem cernimus mundanos Principes regi & instrui ab Ecclesiasticis? Descendit igitur (vt interpretantur aliqui) intelligibilis seu spiritalis columba, tempore baptismatis, vt ostenderet hunc esse qui per lignum crucis saluat credentes, qui sub vesperum per mortem suam effecturus sit salutem. Ac de his (vt puto) alia posset esse enarratio.

Gen.8. 11.
Gen.7.9
Principes mundi subsunt Ecclesiasticis.

B

Cæterum Saluatorem ipsum amplius audire debemus, de sancto Spiritu verba facientem: dicit enim: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non poterit ingredi in regnum Dei;* Et quod à Patre sit gratia, dicit: *quanto magis Pater cœlestis dabit Spiritum sanctum credentibus ipsi.* Et quod Deus in Spiritu sit adorandus: *sed veniet* (inquit) *hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate:* tales enim Pater quærit, qui adorent eum. *Spiritus est Deus, & qui adorant eum, oportet vt in Spiritu & veritate adorent eum:* Et rursus: *si ego in spiritu Dei eijcio dæmonia.* Et statim: *Propterea dico vobis, omne peccatum & blasphemia dimittetur hominibus, Spiritus autem blasphemia non dimittetur.* Et, *si quis dixerit verbum contra Filium hominis dimittetur illi: si quis autem dixerit verbum contra Spiritum sanctum non dimittetur illi neque in præsenti neque in futuro sæculo.* Et iterum; *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, quem mundus capere non potest, quia apud vos manebit & in vobis erit.* Et iterum; *Hæc locutus sum vobis apud vos manens, Paracletus autem Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia & reducet in memoriam omnia quæcunque dixi vobis.* Et: *Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Et, *Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos, & cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio.* Et: *adhuc multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modo, quando autem venerit ille Spiritus veritatis edisseret vobis omnem veritatem, non enim loquetur à seipso:* Et, *sed quæcunque audiet, loquetur; & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis.* Ipsius nunc vnigeniti eloquia lego tibi, ne verbis humanis aurem adhibeas. Huius Spiritus sancti participationem largitus est Apostolis, vt scriptum est: *Hoc cum dixisset, insufflauit & dixit eis, accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittentur eis, & quorum retinueritis retenta erunt.* Altera hæc est sufflatio; quandoquidem illa prima obscurata est per voluntaria peccata, vt impleatur quod scriptum est: *Ascendet sufflans in faciem tuam, liberans te tribulatione.* Vnde autem ascendet? vtrum ex inferno? Sic enim narrabat Euangelium, quod post resurrectionem, tunc demum insufflauit in eos: sed dat quidem nunc gratiam, addit autem auctarium amplius, & ait ad eos: paratus quidem ego sum dare sed nondum id capere potestis; interea accipite gratiam qui potestis, deinceps autem suscipietis abundantiorem: *Vos sedete in ciuitate Hierusalem, donec induamini virtute ex alto.* Nunc accipite ex parte, tunc accipietis perfectè: nam ille qui suscepit, persæpe habet id ex parte: qui autem veste induitur, vndique illa circundatur. Non metuatis, inquit, arma Diaboli & iacula, habetis enim virtutem Spiritus sancti. Memineritis autem eorum quæ modo dicta sunt, quod Spiritus non diuiditur, sed gratia quæ fit per illum. Ascendit igitur in cœlum, & promissionem impleuit: dixit enim ad ipsos: *Et ego rogabo patrem, & alium Paracletum dabit vobis.* Sedebant expectantes aduentum Spiritus, & *cum essent completi dies Pentecostes,* hîc in ciuitate ista Hierusalem (nostra enim est ista gloriatio, & loquimur non de his beneficiis quæ apud alios facta; sed de his quæ apud nos exhibita sunt, bonis.) Pentecostes igitur cum esset, residebant; & aduenit Paracletus de cœlis, custos & sanctificator Ecclesiæ, animarum gubernator, & fluctuantium seruator, remunerator certantium, & vincentium coronator. Descendit autem vt & virtute induat, & vt baptizet Apostolos; dicit enim Dominus: *Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto, non ita multo post.* Non est ista gratia ex parte, sed perfecta virtus. Vt enim is qui mergitur in aquas & baptizatur, vndique ab aquis circundatur, sic & illi à Spiritu baptizati sunt perfectè. Sed aqua quidem exterius circundat; Spiritus autem interiorem animam abluit incomprehensibiliter. Et quid miraris? Accipe exemplum corporeum; paruum quidem & facile, vtile autem simplicioribus. Si ignis per ferri spissitudinem interius transiens, totum efficit ignem; & frigidum fit feruens, & nigrum fit lucidum. Si ignis cum sit corpus, in corpus ferri ingrediens, sic absque vllo impedimento (vt vides) operatur; quid miraris, si Spiritus sanctus in animæ interiora ingreditur? Ne autem tantæ gratiæ descendentis lateret magnitudo, tanquam tuba cœlestis intonuit: *Factus est*, inquit, *repente sonus de cœlo tanquam aduenientis Spiritus vehementis;* significando præsentiam illius qui id concedit hominibus vt vi rapiant regnum cœlorum, vt & oculi viderent igneas linguas, & aures audirent sonum. *Et repleuit domum vbi erant sedentes.* Facta est receptaculum spiritalis aquæ, illa domus: Discipuli intus sedebant, & domus vniuersa repleta est. Baptizati igitur sunt sine vllo defectu, secundum promissionem: Induti sunt in animo & corpore, diuino indumento, & salutari. *Et apparuerunt illis dispersita linguæ tanquam ignis, seditque super singulos ipsorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Ignem non vrentem accipiebant, sed salutarem ignem, comburentem, delentemque spinas peccatorum, animam autem illuminantem. Hic etiam nunc in vos venturus est: & spinosa quidem peccata vestra sublaturus & dissoluturus: pretiosam autem animæ vestræ possessionem illustraturus, & gratiam vobis largiturus, quæ etiam Apostolis donata est. In specie autem linguarum ignearum sedit super illos, vt nouæ coronæ spiritales per linguas igneas imponantur capiti illorum. Gladio igneo anteà prohibebat ingressum paradisi: Ignea autem lingua salutarem præstitit gratiam. *Et cœperunt loqui variis linguis, prout spiritus dabat eloqui illis.* Galilæus Petrus & Andreas, vel Persica, vel Meda lingua loquebantur: Ioannes & reliqui Apostoli, omni lingua loquebantur eis qui ex Gentibus erant. Non enim nunc incepit hùc externarum gentium multitudo vndique congregari, sed iam olim. Quis tantus inueniatur doctor, qui statim docuerit quæ non didicerant? tot annis, per Grammaticam & per alias artes discunt tantum Græcè bene loqui, neque tamen omnes similiter loquuntur, sed Rhetor pulchrè, Grammaticus aliquando non pulchrè. Et qui Grammaticam nouit, Philosophica ignorat; Spiritus autem sanctus docuit multas linguas quas toto illi tempore superiori ignorabant.

Ioan.3. 5.
Luc. 11. 13.
Ioan.4.
Mat.12. 28.
Blasphemia in spiritum non dimittetur.
C
Mat.5. 29.
Ioan.14. 26.
Ioan.16. 7.
Ioan.10. 22.
Noua Dei insufflatio.
D
Act.1.
E
Apostoli à Spiritu sancto baptizati sunt.
Act.1.5
Immersio in baptismo.
Spiritu…
F
quomo… penetr… anima…
Gen. 24.
Ant… est H…
F
…rosol… rana… regri… tis.

Hæc est reuerà multa sapientia, hæc veritas & potentia. Qualis comparatio ignorantiæ illius quæ fuit à multo tempore, ad repentinam externarum diuersarumque linguarum cognitionem. Facta est confusio multitudinis audientium. Alia sanè confusio ab illa mala quæ fuit in Babylone: nam illa confusione linguarum, facta est diuisio voluntatum, quoniam sapere illud fuit contra Deum; hic autem restauratio & vnio sententiarum, quoniam pium erat hoc studium. Et sicut per illos, casus & defectio à Deo, sic per hos reductio ad Deum: per quæ fuit defectio, per eadem reductio. Vnde mirabantur dicentes; *Quomodo nos audiuimus loquentes illos?* Nihil admirandum si vos ignoratis, cum & Nicodemus ignorabat Spiritus aduentum. Ad illum enim dictum erat: *Spiritus vbi vult spirat & vocem eius audis, sed nescis*

Lin… r un… volu… run… fusi… Bab… ne.
Gen. 9.
Ioa… 9.

vnde

A *vnde veniat aut quo vadat.* Et cum audiendo vocem illius nesciamus tamen vnde veniat aut quo vadat, substantiam eius quomodo enarrauerimus? *Alij autem irridentes dicebant, quia musto pleni sunt isti:* vera quidem dicentes, sed irridendo. Nouum enim verè erat illud vinum, noui Testamenti gratia. Sed nouum hoc vinum, est à spiritali vinea quæ iam antea persæpè in Prophetis fructum ferebat, & in nouo Testamento refloruit: Vt enim sensibilis vinea semper manet eadem, successu autem temporum nouos adfert fructus, sic & Spiritus sanctus idem semper manens sicuti est, qui sæpe in Prophetis operabatur, nunc nouum quiddam & admirãdum declarauit. Extensa fuit & in Patres gratia, sed hic per excellentiam. Illic enim participes tantum erant Spiritus sancti; hic autem perfectè ab illo baptizati, seu immersi sunt. Sed Petrus habens Spiritum sanctum, & sciens quid haberet; dicit: *Viri Israëlitæ,* qui Ioëlem quidem profitemini, nescitis autem quæ scripta sunt ab eo, *Non ita sicut vos existimatis isti ebrij sunt,* sed sicut scriptum est? *Inebriabuntur pinguedine domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Inebriati sunt sobria ebrietate, quæ peccatum mortificat & cor viuificat. Ebrietate omninò contraria illi corporeæ ebrietati. Illa enim, & cognitorum inducit obliuionem; hæc autem, etiam ignoratorum notitiam donat. Inebriati sunt bibentes vinum spiritalis vitis illius quæ dicit: *Ego sum vitis, vos autem palmites.* Si autem non confiditis mihi, ex ipso tempore intelligetis verum esse quod dicitur; *Est enim hora tertia diei.* Hora enim tertia crucifixus est, vt Marcus dicit; Tertia hora misit gratiam: non enim alia gratia illius, & alia huius, sed qui tunc crucifixus est & promisit, impleuit quod promisit. Quod si testimonium quoque habere vultis, audite quod etiam dictum est per Ioëlem Prophetam: *Et erit postea, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Quod autem dicit, *effundam:* abundantem designat spiritus donationem, nam hic *non ad mensuram, Deus dat Spiritum.* Deus Pater enim amat Filium, & omnia dedit in manum eius: dedit illi potestatem etiam donare gratiam Spiritus sancti cui Iesus voluerit. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri & filiæ.* Et deinde: *Et super seruos meos, & seruas meas, in diebus illis effundam de Spiritu meo, & prophetabunt.* Spiritus sanctus non est acceptor personarum: non enim quærit status amplitudinem, sed animæ probitatem, neque diuites efferantur, neque pauperes animum dejiciant, tantummodò vnusquisque sese paret ad cœlestis gratiæ susceptionem. Multa quidem vobis hodie dixi, quibus fortè iam aures fatigatæ sunt, sed longè plura prætermisi, ac opus esset reuera de doctrina Spiritus sancti, & tertia & pluribus Catechesibus. Ignoscatur autem nobis id vtrumque: nam cùm & festum Paschatis iam instet, & sermo nobis hodie prolixus erat. Itaque tot testimonia quot essent necessaria, de nouo Testamento in medium producere non licet, desunt enim nobis multa ex actis Apostolorum, in quibus Spiritus sancti gratia, in Petro & omnibus simul Apostolis operabatur. Desunt multa & ex Catholicis, & Pauli quatuordecim epistolis, ex quibus pauca nunc (tanquam ex magno prato flores) colligere conabimur. In virtute enim Spiritus sancti voluntate Patris & Filij, stans Petrus cum vndecim & eleuans vocem suam, (secundùm illud *exalta cum sonitu vocem tuam, qui Euangelizas Hierusalem*) reti verborum, animas circiter trium millium cepit. Talis & in aliis simul Apostolis gratia abundabat, vt etiam ex Iudæis ipsis qui CHRISTVM crucifixerant tot crediderint; & in nomine Christi baptizati sint, & perseuerarent in doctrina Apostolorum & orarent. In eadem quoque virtute, Petrus & Ioannes ingredientes Templum circa horam nonam orationis, & eum qui fuit in porta Speciosa claudum ab vtero matris, ab annis quadraginta sic existentem in nomine CHRISTI curarunt, vt impleretur quòd dictum est; *tunc saltabit claudus vti ceruus:* Spiritalis quoque doctrinæ sagena, quinque millia credentium simul ceperunt; Principes autem populi & sacerdotum errantes, redarguerunt: non per propriam sapientiam

(Margin: *Vinum spiritus.* — *Patres veteris Testamenti habuerunt quidem Spiritum sanctum: sed* B *Apostoli excellenter.* Act. 2. *Ebrietas sobria, quæ sit.* — *Tertia hora crucifixus Christus & Spiritus emissus.* Act. 2. 17. Ioël. 2. 28. — C — D *Epistolæ Catholicæ 14. Epist. S. Pauli.* Isai 40 9. *Rete verborum.* — Isa. 35. 6. *Sagena doctrinæ.*)

(sine literis enim & idiotæ erant) sed per Spiritus efficaciam. Scriptum est enim: *tunc Petrus plenus Spiritu sancto dixit ad ipsos:* Ac tantopere per duodecim Apostolos, sancti Spiritus in Credentibus virtus operabatur, vt *vnum* esse illis *cor & anima vna* videretur. Communia erant illis omnia, & Possessores, pretia possessionum venditarum, libenter illis adferebant, ita vt egenus inter illos esset nemo: Ananias verò & Zaphira volentes mentiri Spiritui sancto, dignam perpessi sunt vindictam. *Per manus Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in populo,* ac tanta circumfusa erat Apostolis spiritalis gratia, vt quamuis mansueti essent, metuendi tamen viderentur. Denique nemo ausus est illos prohibere, sed populus etiam magnificabat illos, & nationes illis accedebant. Et Fidelium tam virorum quam mulierum numerus augebatur, & ægrotorum cum lectis & grabatis plateæ plenæ erant vt prætereunte Petro, vel vmbra aliquem ex illis attingeret. Congregabatur & ex vicinis ciuitatibus multitudo in sanctam hanc ciuitatem Hierusalem, adferentes ægrotos & infirmos & à Spiritibus immundis obsessos; qui omnes curabantur in hac Spiritus sancti virtute. Tum verò duodecim Apostoli, propter Christi prædicationem, à Principibus sacerdotum coniecti in custodiam ab angelo, noctu præter opinionem ab ea sunt educti, & rursus ex templo ad tribunal coram illis adducti, intrepidè redarguebant illos in his quæ contra Christum dicebant, atque hoc addebant quòd Spiritum sanctum dedit Deus credentibus ipsi, & propterea vapulari ibant gaudentes, neque cessabant docere & euangelizare Christum Iesum. Neque verò in duodecim tantùm Apostolis erat eiusmodi gratia, verumetiam in primogenitis filiis huius aliquando sterilis Ecclesiæ; in illis, inquam, septem diaconis. Et ipsi enim redarguebant, & scriptum est, *pleni Spiritu sancto & sapientia.* Ex quibus præcipuus Stephanus, Martyrum summus; vir plenus fide & Spiritu sancto, faciebat signa & prodigia magna in populo, certabatque cum aduersariis, neque poterant resistere sapientiæ & spiritui qui per eum loquebatur. Calumniis autem oppressus, & ad iudicium adductus, resplenduit vti Angelus; vt etiam hi qui sedebant in Concilio, viderent faciem eius tanquam faciem Angeli. Quia verò sapienter responderet, & duræ ceruicis incircuncisique cordis & aurium Iudæos redargueret, qui semper Spiritui sancto reluctantur, cùm lapidaretur, vidit cœlos apertos, vidit & Filium hominis stantem ad dexteram Patris: Vidit non sua virtute, sed (vt inquit Scriptura diuina) cùm esset plenus Spiritu sancto, suspiciens in cœlum, vidit gloriam Dei & Iesum stantem ad dexteram Dei. In eadem virtute Spiritus sancti, & Philippus in nomine Christi in ciuitate Samariæ, ejiciebat Spiritus immundos magna voce clamantes; Paralyticos & claudos curauit, multamque Credentium in Christum adiunxit multitudinem. Aduenientes deinde Petrus & Ioannes, per orationem & manuum impositionem, Spiritus sancti communicationem tradebant, à qua solus Simon magus iustè exclusus est. Alias quoque idem Philippus ab Angelo Domini vocatus in itinere propter illum pientissimum Eunuchum Æthiopem, & ab ipso etiam Spiritu admonitus, accessit, & adiunxit se currui illius, docuitque Æthiopem & baptizauit, atque in Æthiopiam vsque Christi præconem misit, sicut scriptum est: *Æthiopia praeueniet manus eius Deo:* Et raptus à Spiritu, reliquis ciuitatibus prædicabat. Eodem Spiritu sancto repletus erat Paulus, posteaquam vocatus est à Domino: Et testis nobis occurrit horum verborum Ananias ille pius, in Damasco dicens ad illum: *Dominus Iesus qui in via qua veniebas apparuit tibi, ipse misit me vt visum recipias & replearis Spiritu sancto.* Quod etiam statim effecit, ac oculorum quidem Pauli cæcitatem conuertit in visum, animæ autem, sigillum Spiritus impressit, vasque illud electum effecit, quòd apertè illius Domini qui apparuit, nomen ferret, & Persecutorem in prædicatorem seruumque bonum mutauit, qui ab Hierosolymis vsque ad Illyricum

(Margin: E Act. 4. 31. — Act. 5. 12. — Act. 5. 15. F — *Diaconi septem Hierosolymis. S. Stephanus, summus Martyrum* G Act. 6. — Act. 8. — H — Ps. 67. 32. — Act. 9. *Sigillum Spiritus.*)

A

disseminauit Euangelium, qui regiam quoque Romam instituebat, & in Hispaniam vsque promptitudinem prædicationis extendit. Milleque intereà sustinuit labores & incommoda, signaque & portenta peregit, de quo hæc sufficiant. In eadem Spiritus sancti virtute, & Princeps Apostolorum, & regni cœlorum Claniger Petrus, Lyddæ quæ nunc Diopolis vocatur, in CHRISTI nomine paralyticum Æneam curauit; Ioppæ verò Tabitham à mortuis excitauit; vbi etiam in domo cùm esset, in extasi vidit cœlum apertum, & inde linteum veluti vas mitti plenum animantibus diuersorum generum & specierum: audiuitque vocem dicentem nihil esse homini immundum, ita vt neminem deinceps communem aut immundum diceret hominem, etiamsi ex Græcis esset, id manifestè didicit, & à Cornelio requisitus, ab eodem rursus Spiritu apertè audiuit: *Ecce viri quærunt te, sed consurgens vade cum illis, nihil discernens, quia ego misi illos:* vnde palam est, quòd etiam hi qui sunt ex gentibus Credentes, gratiæ Spiritus sancti fiunt participes. Cùm autem Petrus venisset Cæsaream, & de Christo prædicaret, Scriptura dicit de Cornelio & iis qui cum illo erant: *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes audientes illum sermonem, ita vt hi qui ex circuncisione cum Petro venerant mirarentur, & stupefacti dicerent, quòd etiam in gentes donum Spiritus sancti effusum est.* Antiochiæ verò Syriæ ciuitate clarissima, prædicationis Christi cooperator bonorum Barnabas hinc missus, vir bonus & plenus fide & Spiritu sancto, magnam Credentium in Christum messem facit, atque Paulum, Tharso, Antiochiam, cooperatorem induxit. Quoniam autem turbæ iam multæ in illa Ecclesia erant ab illis conuersæ, factum est, vt Antiochiæ primùm discipuli vocarentur Christiani, vt olim à Domino prædictum est: *credentibus nomen nouum ex Spiritu sancto imponendo.* Diffusa postea à Domino Antiochiæ maiori gratia spirituali, Prophetæ etiam erant illic & doctores, inter quos & Agabus: *Sacrificantibus autem illis Domino & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus, segregate mihi Paulum & Barnabam in opus ad quod elegi eos, & impositis manibus missi sunt à Spiritu sancto.* Certum est autem, Spiritum loquentem & mittentem viuere, subsistere, & agere, vt anteà diximus. Idem Spiritus sanctus in vnitate Patris & Filij, nouum testamentum in Ecclesia Catholica constituens, liberauit nos à graui iugo legis: de communibus & immundis cibis, dico, sabbatisque, & Nouiluniis, atque circuncisione, de aspersionibus, & sacrificiis, quæ ad tempus quidem data vmbram habebant futurorum bonorum: Adueniente autem veritate, cohibita sunt meritò, nam propter eam quæ fuit Antiochiæ quæstionem, qui dicebant necessarium esse circuncidi, & legem Moysi seruare, Paulo & Barnaba misso Hierosolymam, Apostoli qui hîc erant Hierosolymis, omnibus legalibus & typicis rebus per scriptam Epistolam vniuersum Orbem liberarunt. Num data illis erat tantæ rei authoritas? Sed fatentur scripto misso; *visum est Spiritui sancto & nobis, nihil amplius oneris vobis imponere præter hæc quæ necessaria sunt, vt abstineatis ab Idolothytis, à sanguine, suffocato, & fornicatione.* Per quod scriptum; hoc apertè declararunt, quòd tametsi ab hominibus Apostolis hoc erat scriptum, sed ex Spiritu sancto tamen Oecumenica est constitutio: quod ij accipientes qui erant cum Barnaba & Paulo, in vniuersum Orbem deuexerunt. Cùm iam eò perducta est oratio; dari mihi veniam peto à vobis (dilecti) imò magis ab ipso Spiritu, in Paulo habitante, si non omnia eiusmodi persequi potero, cùm propter imbecillitatem meam, tum verò lassitudinem vestram. Quando enim dignè possem enarrare, quæ virtute Spiritus sancti, in CHRISTI nomine miracula facta sunt? quæ in Cypro facta sunt contra Elimam Magum; claudorum & ægrotorum curationes: in Cilicia, Galatina, Phrygia, Misia, & Macedonia, tum Philippis prædicando; & Pythonis in Christi nomine expulsionem, & nocte, post terræ motum, Custodis & totius domus per baptismum salutem. Tum Thessalonicæ & mediis Athenis in Areopago concionem; aut Corinthi, & in tota Achaia doctrinas. Quomodo autem pro dignitate disseram, quæ à Spiritu sancto per Paulum factæ sunt Ephesi operationes? Quomodò ignorantes quidem istic prius à Paulo edocti cognouerunt, & cùm manus illis imponeret, veniebat in eos Spiritus sanctus, & loquebantur linguis & prophetabant. Tanta autem erat in illo gratia spiritalis, vt non modo quos attigisset, sanaret; verumetiam corporis eius vmbra, & sudaria & semicinctia morbos curarent, & expellerent dæmonia. Quid eos commemorem qui curiosa fuerant sectati, & congestos libros coram omnibus combusserunt? prætereo Eutichum, Troade somno correptum & à tertio cœnaculo lapsum sublatumque mortuum, à Paulo verò seruatum. Prætereo, quod ad Seniores Ephesi Miletum vocatos apertè locutus est, *quod Spiritus sanctus per omnes ciuitates testimonium perhibebit mihi, dicens:* Propter hoc enim dictum, *quod per omnes ciuitates*; manifestabat Paulus quòd ea quæ in vnaquaque ciuitate ab illo fiebant miracula, Spiritus sancti energia essent, & nutu Dei & in nomine Christi qui per eum loquebatur. Virtute huius Spiritus sancti, festinauit in hanc sanctam Hierusalem idem Paulus; & quæ Agabus euentura illa in spiritu prædixerat, pertulit de Christo disserens: Cæsaream verò adductus, & in mediis iudiciorum subselliis, nunc coram Felice, nunc coram Festo præside & Agrippa rege, tantam ex Spiritu sancto victricem sapientiæ gratiam habebat; vt ipse iam rex Iudæorum Agrippa diceret: *parum abest quin me feceris Christianum.* Idem Spiritus sanctus eam vim Paulo præbuit, vt cum Melita ictus esset à Lacerta, nihil ei noceret; diuersasque rationes sanandi ægrotos distribuit. Idem Spiritus sanctus; eum qui fuit persecutor, præconem Christi factum ad regiam vsque Romam perduxit; qui multis illis Iudæis, vt in Christum crederent, persuasit: contradicentibus autem apertè dicebat; *rectè locutus est Spiritus sanctus per Isaiam prophetam dicentem ad patres*; &c. Et quòd Spiritu sancto plenus erat Paulus, & eius socij omnes Apostoli, & qui per eos in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum consubstantialem crediderunt. Audi quàm apertè dicat in Epistolis suis scribens; & sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis: Et iterum; *qui nos signauit Deus dans nobis in hoc ipsum arrabonem Spiritus:* Et iterum; *qui excitauit Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem ipsius Spiritum in vobis.* Et rursus ad Timotheum scribit: *bonum depositum custodi per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

Quòd autem Spiritus viuat, & subsistat, & loquatur, & prædicit; sæpe iam vobis in superioribus dictum est: scribit enim apertè ad Timotheum Paulus; Spiritus autem apertè dicit quòd in nouissimis temporibus discedent quidam à fide. Quæ quidem schismata, non solùm in superioribus verumetiam nostris temporibus videmus, vario & multifido hæreticorum errore existente. Et iterum; *quæ aliis generationibus non indicauit, ea nunc filiis hominum reuelauit sanctis Apostolis suis & Prophetis, in Spiritu.* Et reliqua. Et iterum: *testimonium autem perhibet nobis Spiritus sanctus.* Et rursus iustitiæ milites adhortans, dicit; *Galeam salutis accipite, & gladium spiritus,* quod est verbum Dei; cum omni oratione & deprecatione. Et: *non inebriemini vino in quo est luxuria, sed implemini Spiritu, loquentes mutuò in psalmis & hymnis & canticis spiritalibus.* Et: *gratia Domini nostri IESV CHRISTI, & dilectio Dei, & communicatio Spiritus sancti, sit cum omnibus vobis.* Per quæ quidem omnia, & quæ prætermissa sunt longè plura; intelligentibus, patet substantialis sanctificans, & operans virtus Spiritus sancti. Tempus enim me deficeret, si, quæ reliqua sunt de Spiritu sancto, dicere velim, ex his quatuordecim Pauli Epistolis; in quibus diuersimodè, sufficienter piéque docuit. Munus autem erit ipsius Spiritus sancti, nobis quidem si in aliquibus deficimus, propter paucos hosce prædictos dies veniam dare; vobis verò auditoribus,

corum

Margin notes (left): *Petrus Princeps Apostolorum, & clauiger cœli.* — Act. 10. — B — *Christiani Antiochia primum vocati.* — C — Act. 13. — *Apostolico decreto à lege sumus liberati.* — D — Act. 15. 28. — *Humana constitutiones, etiam à Spiritu S. sunt.* — *Opera Spiritus sancti.*

Margin notes (right): E — Act. 20. 23. — F — Act. 26. 28. — Act. 28. 25. — G — *Pater Filius, & Spiritus sanctus, consubstantiales.* — 1. Cor. 1. 22. — Rom. 8. 11. — 2. Tim. 10. 14. — H — Eph. 3. 5. — Eph. 6. 17. — Eph. 5. 18. — 2. Cor. 13. 13. — *14. D. Pauli Epistolæ.*

A eorum quæ desunt perfectiorem infundere cognitionem, præsertim vobis qui crebriori diuinarum Scripturarum studetis lectioni, vt ea facilè discatis. Iam verò ex præsentibus hisce Catechesibus, & ex his quæ à nobis antea dicta sunt, fidem habetis firmiorem in vnum Deum Patrem omnipotentem, & in dominum nostrum IESVM CHRISTVM filium Dei vnigenitum, & in Spiritum sanctum consubstantialem & paracletum. Dictionis autem huius & appellationis, Spiritus; in sacris Scripturis, est etiam cum aliis communicatio. Dicitur enim & de Patre; *Spiritus est Deus*, vt in Euangelio scriptum est: Et de Filio; *Spiritus faciei nostræ Christus dominus*, vt dicit Ieremias Propheta. Et de Spiritu sancto: *Paracletus autem Spiritus sanctus*, vt dictum est. His itaque quæ in ordine fidei pia sunt: intellectis, & Sabellij reiecto errore, ad ea quæ nunc vrgent & vobis vtilia sunt, sermonem conuertamus. Caue ne forte simulans (tanquam Simon) ad baptismum accedas; cor autem tuum veritatem non

Spiritus S. Patri & Filio consubstantialis. Ioan. 4. 24. Thr. 4. Ioan. 14. 26.

B quærat. Nostrum est testificari, vestrum autem confirmari. Si firmiter in fide perstiteris, beatus euades, si incideris in perfidiam, abiice deinceps illam, & sis certissimus. Tempore enim baptismatis cum ad Episcopum accedis, aut presbyterum, aut Diaconum (vbique enim gratia, & in oppidis, & in ciuitatibus, & apud idiotas, & apud eruditos, & apud seruos, & apud liberos, quoniam non ex hominibus est ea gratia) tu quidem accede ad baptismum: accede autem, non vultum tantum istum visibilem baptizantium respiciens, sed memineris istius Spiritus sancti, de quo nunc nobis sermo est. Hic enim paratus adest obsignare animam tuam, & dare tibi signaculum quod dæmones tremunt, cœleste quoddam & diuinum, sicut scriptum est: *In quo etiam credentes signati estis Spiritu sancto promissionis.* Proba ergo animam, ne proiicias *margaritas ante porcos*. Sin autem simulas, nihilominus homines quidem te baptizant, Spiritus autem te non baptizat. Si verò ex fide accedis, homines id quod

Eph. 1. 13. Matth. 7. 6.

C videri potest, ministrant: Spiritus autem sanctus simul inuisibilia magna efficit. Vnica hora in magnam venit disquisitionem, in magnumque certamen: quòd si perdideris, non præparatur malum, si verò gratia tibi fuerit donata, illuminabitur anima tua: accipies virtutem, quam non habebas, accipies arma dæmonibus horrenda: quæ quidem arma si non abieceris, super anima signaculum habebis ad quod dæmon non accedet, timet enim propterea quia in Spiritu Dei eiiciuntur dæmonia. Si credideris, non modò remissionem accipies peccatorum, verumetiam supra vires humanas facies. Vtinam verò dignus sis etiam prophetico charismate: accipies enim tantùm gratiæ quantum capere poteris, & non quantum ego dico. Parua namque me dicere conuenit, te verò maiora accipere, quoniam mercatura lata est fides. Custos paracletus est de te sollicitus tanquam de suo milite, de introitu tuo & exitu, de insidiatoribus tuis, & dabit tibi omnigena charismatum dona si non

D per peccata illum contristaueris: Scriptum est enim: *nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* Quid igitur est præclarius, quàm eiusmodi gratiam conseruare? Prompti sitis ad accipiendum donum Spiritus, accipientes autem, ne deinceps illud abiiciatis. Ipse autem Deus vniuersorum, qui locutus est in Spiritu sancto per Prophetas, qui misit illum in sanctos Apostolos in die Pentecostes, eundem & nunc ipse ad vos mittat & per hunc eundem nos custodiat, communem omnibus nobis exhibens beneficentiam, vt vbique fructus Spiritus S. reddamus; dilectionem, gaudium, pacem, longanimitatem, bonitatem, beneficientiam, fidem, mansuetudinem, continentiam in Christo Iesu domino nostro; per quem & cum quo gloria Patri cum Filio, & Spiritu sancto, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Eph. 4. 30.

CATECHESIS DECIMAOCTAVA

E *illuminatorum Hierosolymis, extemporanea, de eo:* In vnam sanctam Catholicam Ecclesiam, & in carnis resurrectionem, & in vitam æternam: *Et lectio ex Ezechiele*, & facta est super me manus Domini, & posuit me in medio campi, & hic erat plenus ossibus hominum, *& reliqua.*

Ezech. 37. 1.

RAdix totius bonæ operationis est, spes resurrectionis: expectatio enim retributionis incitat † mentē in beneficentiam; promptiórque fit omnis operarius ad perferendos labores si præmium laborum præuiderit; qui verò sine præmio laborant, & anima & corpus illis concidit. Miles expectans præmia, alacris est in bellum; nemo verò tam indiscreto regi militauerit, qui non

Spes resurrectionis est radix omnium bonorum operum.

F soleat brauia laborum exhibere, vt frustra sit paratus mori: Sic & omnis anima credens in resurrectionem, meritò sibi parcit; non credens autem resurrectioni, exposita fit perditioni. Credens manere corpus in resurrectionem, parcit illi tanquam vesti, & non polluit eam in iniquitatibus: qui verò non credit Resurrectionem; exponit sese libidini, ac veluti alieno abutitur corpore suo. Magna igitur est Ecclesiæ Catholicæ admonitio, fides de Resurrectione, & doctrina valde necessaria: cui quidem multi contradicunt, à veritate verò factum est, vt illi fides habeatur: Contradicunt Græci, non credunt Samaritæ, detrahunt hæretici; multiplex enim est contradictio, sed simplex veritas. Et dicunt ad nos tam Græci, quàm Samaritæ: occidit homo, & mortuus computruit, & totus in vermes resolutus est, atque ij vermes quoque interierunt: putrefactio tanta & corruptio corpus excepit, quomodo igitur re-

† Animā erigit in spem.

Falsum multiplex, verum simplex.

G surget? Nauigatores à piscibus deuorati sunt, & ipsi quoque comesti sunt: eos qui cum bestiis pugnarunt; vrsi & leones, vnà cum ossibus comminuerunt: Vultures & corui, mortuorum humi proiectorum corpora comederunt, & in vniuersum Mundum dispersi sunt: vnde congregabitur corpus? Nam auium quæ illud comederunt, aliam quidem in India mori contingit, aliam in Perside, aliam in Gothia igne comburi, & ipsius cinerem ventus dispersit: vnde id corpus congregabitur? Tibi sanè humuncioni exiguo & imbelli, procul à Gothia, India, & Hispania à Perside, videtur: Deo autem *qui terram pugillo continet*, omnia sunt prope. Non igitur pro tua imbecillitate Deum arguas impotentiæ; sed potiùs illius potentiæ assentiare. Si enim Sol exiguum opus Dei, vno radiorum iactu vniuersum Orbem calefacit, & aër quem Deus fecit circundat Mundum; Deus autem & Solis & aëris opifex, non distat à Mundo? Cogita diuersa semina germinum misceri (Infirmo

H enim tibi in fide; infirma propono exempla) & hæc diuersa semina tuo pugillo contineri: éstne tibi homini res magna an facilis; pugillum tuum aperire, & vnumquodque germen secundùm ipsius naturam colligere, & ad germen restaurare? Et tu quidem id in tuo pugillo poteris; num & Deus, quæ illius pugillo continentur discernere, congregare, & restaurare non poterit? Considera quod dicitur; &, si non est absurda redargutio vel contradictio hac in re, vide; & ad rectam reuersus rationem, ad teipsum redi. Diuersos habes seruos; ac alij quidem sunt probi, alij mali: honoras probos, & malos verberas: &, si iudex es; bonos laudas, punis iniquos. Si apud te hominem mortalem est talis iustitia, apud Deúmne, regem omnium sempiternum, iustitiæ non erit retributio? sed impium est id negare. Perspice autem & istud: multi homicidæ in lecto impunè defuncti sunt, vbi igitur Dei iustitia? Sæpè autem qui homicidia quinquagita patrauit, semel tantum capite plectitur; vbi igitur illorum quadraginta nouem pœnas dabit, nisi post hanc vitam fuerit iudicium & retributio? iniustitiámne Dei arguis? verum nihil mireris dilationē

Iustitia diuina.

 damna

A damnationis: Omnis qui certat, posteaquam absoluit certamen, coronatur aut contumeliâ afficitur. Neque prius, Agonothetes decertantes coronat, quàm omnium certaminum finis aduenerit, vt postremò diiudicans, præmia victoriæ & coronas proferat: sic & Deus, durante adhuc in hoc Mundo certamine, hactenus quidem iustis ex parte auxiliatur, deinceps autem vnicuique perfectum præmium reddet. Si non est resurrectio mortuorum secundùm te, cur mortuorum spoliatores condemnas? si enim perijt corpus, & desperata resurrectio, cur prędo mortui mulctatur? Vides, quòd etiamsi neges labiis, infracta tamen apud te manet resurrectionis conscientia. Tum verò arbor quidem excisa rursus floret, homo autem excisus non florebit; & seminata demessaque in areis manent, homo autem ex hoc mundo demessus, non manet in æternum? Et surculi vitium aliarúmque arborum omninò excisi & transplantati reuiuiscunt & fructificant, homo vero propter quem

Resurrectionis demonstrationes contra Gentiles.

Resurrectionis conscientia.

B & illa sunt, cadens in terram, non excitabitur? Vt in discrimine opificiorum, vtrum est maius, statuam quæ nulla erat ab initio formare, an eam quæ ceciderit, in eandem rursus formam conflare? qui ex nihilo nos fecit Deus, nunquid iam existentes & cadentes, rursus excitare non poterit? Si non credis his quæ de resurrectione scripta sunt, Gentilis existens, ex rerum natura id perspice, & ex his quæ ad hodiernam vsque diem apparent intellige. Seminatur frumentum, vel fortè aliud genus seminis, cadens moritur & quasi putrescit, fitque omninò ineptum ad cibum: sed mox illud putridum, fit herbidum, & exile cadens, surgit pulchrum. Frumentum autem fit propter nos, & propter vsum nostrum factum est, neque enim frumenta & semina sunt propter seipsa. Si ergo ista quæ propter nos nascuntur, mortua reuiuiscunt, nos verò, quorum causa & illa nata sunt, an mortui non excitabimur? Brumale nunc

Resurrectio probatur ex natura.

C tempus, vt vides, arbores nunc tanquam mortuæ! vbi enim folia ficus? vbi botri vitis? Sed hæc quidem hyeme mortua, vere autem virentia apparent, & cùm tempus aduenerit, tunc veluti à mortificatione redditur viuificatio. Videns enim Deus tuam incredulitatem, in his quæ videntur, singulis annis resurrectionem efficit, vt ea videns in rebus inanimatis, etiam de animatis rationalibus credas. Si muscæ quidem & apes aqua suffocatæ, sæpè post tempus anni resurgunt, & serpentum genera hyeme immobilia sunt, æstate verò deinceps consurgunt (facilè sanè quilibet intelligens, his similia dederit exempla) qui autem irrationalibus & vilibus vitam præbet super naturam, nonne idem nobis (propter quos & illa fecit) viuificationem donabit? sed cum inquirunt Græci resurrectionem mortuorum, manifestius id esse volunt atque dicunt: quamuis ista quidem excitantur, sed non omninò putrefiunt, voluntque apertè videre animal putrefactum; & resurgens. Vidit Deus hanc hominum incredulitatem, & auem quandam in hoc fabricatus est quæ Phœnix appellatur. Hæc

D (vt scribit Clemens, & alij complures idem referunt) cum sit vna tantum auis & sola, in terram Ægypti in spatio quingentorum annorum venire solet, atque demonstrare resurrectionem: non in locis desertis, ne mysterium id ignoretur, sed in aperta ciuitate consistit, vt contrectetur quod non creditur. Septum enim sibi facit è thure & myrrha cæterisque aromatibus, & completis annis, eò deuenit: moritur apertè & putrescit, deinde ex putrefacta carne mortuæ, vermis quidam generatur & hic deinceps in auem efformatur. Non diffidas huic, nam & apum genera sic etiam ex vermibus formari vides, & ex ouis humidissimis pennas, & ossa, & venas auium vidisti. Phœnix sanè præfatus excrescens in auem talis euolat in aërem qualis & mortuus erat, & apertissimè mortuorum resurrectionem hominibus demonstrat. Admiranda quidem auis est Phœnix, sed auis tamen irrationalis, neque vnquam volans per aërem psallit Deo, neque scit quis sit vnigenitus Dei Filius, Ergo animanti quidem irrationali & non cognoscenti Factorem suum, resurrectio donatur: nobis verò glo-

Phœnix typus resurrectionis.

Phœnicis auis historia.

E rificantibus Deum & mandata eius custodientibus, eadem non dabitur? Sed quoniam longè petitum & rarum est Phœnicis exemplum, his qui non credunt: accipe aliam rursus demonstrationem ex his quæ in dies tibi sunt præ oculis. Ante centum vel ducentos annos: nos omnes qui loquimur & audimus, vbi eramus? An nescimus constitutionis nostræ subsistentiam? Nescis quomodo ex infirmis, rudibus, & confusis rebus generamur? Et ex tam rudi infirmaque materia formatur homo: & quod erat imbecillum, incarnatum, in robur neruorum mutatur, oculorum splendorem, & narium odoratum, & aurium auditum, & linguam loquentem, & cor saliens, & manus operantes, & pedes currentes, & in omnimodam membrorum speciem. Ac illud imbecillum fit nauium fabricator & domorum opifex, architectus & omnium artium operarius, miles, Princeps, Legislator & Rex. Qui ex leuibus rebus ita nos facit Deus; num cadentes excitare non poterit? Et qui non

Resurrectio ex ipsa hominis generatione demonstratur.

F existentes fecit vt essent, nunquid cadentes non sublebit? Accipe autem & ex cœlo apertam resurrectionis mortuorum demonstrationem, quæ in Lunaribus mensibus singulis declaratur. Lunæ enim corpus prorsus deficiens, ita vt nullum amplius appareat, rursus impletur, & ita vt erat in integrum restituitur, siquidem pro huius rei perfecta demonstratione, circuitu annorum, deficiens luna & tota apertè sanguine quasi tincta, denuò lucidum corpus recipit: quod sanè Deus gubernat, vt & tu homo ex sanguine constans de resurrectione mortuorum non dubites, & quod circa Lunam in cœlo vides, hoc etiam de teipso credas. His itaque vtere verbis ad Græcos: nam qui Scripturas non recipiunt, non scriptis eos armis oppugna; at solis ratiocinationibus & demonstrationibus. Istis enim, neque quis sit Moyses notum est, neque quis Isaias: neque Euangelia, neque Paulum agnoscunt. Transeamus vero ad Samaritas qui

Gentes rationibus, & non Scripturis confutanda.

G solam Legem recipiunt, Prophetas nequaquam; quibus vanum videtur esse, quod modo ex Ezechiele lectum est: Prophetas enim, vt dixi, non recipiunt. Quomodò igitur & Samaritis persuadebimus? Veniamus ad scripta Legis. Dicit igitur Deus ad Moysen; *Ego Deus Abraham, Isaac & Iacob*: certum quod existentium, & subsistentium. Si enim Abraham mortuus est vel non existit, & Isaac & Iacob; nunquid Deus est non existentium? num aliquando dixit Rex, se regem esse militum quos non habet? quando aliquis ostentat diuitias quas non possidet? necesse est itaque subsistere, & Abraham & Iacob, vt Deus sit existentium Deus: neque enim dixit, *ipsorum eram Deus*, sed, *sum*. Quòd autem sit iudicium; dicit Abraham ad Dominum: *qui iudicas omnem terram, nequaquam facias iudicium hoc*. Ad hæc, contrà insensati Samaritæ dicunt, quod fieri quidem potest vt animæ Abraham, Isaac, & Iacob maneant; corpora autem resurgere non poteruut. Itáne virgam quidem Moysis iusti in draconem conuerti possibile est, cor-

Resurrectionis demonstrationes, ex lege, contra Samaritas.

Exod. 3.

H pora autem Iustorum viuere & resurgere erit impossibile? Atque illud quidem præter naturam factum est, hoc autem secundùm naturam non restaurabitur? Et virga Aaron excisa & mortua, absque humore aquæ refloruit: atque hæc sub tecto existens, quæ in agris quondam florebat, nunc autem in aridis posita, fecit per vnam noctem ea, quæ per multos annos irrigata vix fecerit cum fructibus! Virga Aaron tanquam ex mortuis surrexit, & ipse Aaron non resurget? cuius sanctitatem, vt Deus declararet, in ligno miraculum fecit: ipsi autem Aaroni resurrectionem non largietur? Mulier illa præter naturam in sal conuersa est, & caro in carnem non instaurabitur? Vxor Loth facta est statua salis, vxor autem Abraham non resurget? qua autem virtute mutata est manus Moysi, vt vna hora fieret tanquam nix, & rursus restituta? certum est quod mandato diuino! quid ergo? tunc quidem mandatum erat efficax; nunc autem non erit efficax? Vnde autem ab initio totus homo factus est; ô insensati Samaritæ! Venite ad primum sacræ Scripturæ librum, quem & vos recipitis; *& creauit Deus hominem puluerem de terra*, Puluis in corpus mutatur,

Gen. 19. 26.

caro

A caro in carnem rursus non conuerteretur? Quærendū esset à vobis, vnde constituti sunt cœli & terra, & Mare; vnde Sol & Luna & astra! quomodo ex aquis volatilia & natantia! & quomodo de terra omnia animantia! Tot myriades, ex non existentibus, ad esse deductæ sunt, & nos homines qui facti sumus ad illius imaginem nunquid non resurgemus? Reuera plena est res ista incredulitate & multa reprehensione infidelium, quando Abraham dicit ad Deum, *qui iudicas omnem terram*: & non credunt discentes Legem, quando scriptum est, quod ex terra homo, & non credunt id legentes. Illis igitur, hæc, tanquam Infidelibus; ex Prophetis autem alia nobis credentibus. Cùm autem & his vtentes aliqui diffidunt iis quæ scripta sunt, ac proferunt nobis illud; *non resurgent impij in indicio*: Et illud; *cùm descendit homo in Infernum, non licet ascendere*: Et; *non mortui laudabunt te Domine*. His quæ benè scripta sunt, malè vtuntur. Bonum ergo est, & obiter, quantum tempus patitur, nunc ista attingere & illis respondere. Si enim dicit; *Impij non resurgunt in iudicio*; hoc significat. quod *non in iudicio*: neque magna Deo opus est inquisitione, simul enim vt resurrexerint impij, consequentur eos pœnæ. Et, si dicit, *non mortui laudabunt te Domine*: hoc indicat, quòd pœnitentiæ & remissionis peccatorum in hac vita tantùm præscriptum tempus habemus.

Gen. 18. 25.

Ps. 1.

Ps. 113. 17.

Hæretici, malè B *vtuntur benè scriptis.*

Dicit verò, *& qui eo fruuntur, illum laudabunt*: non licet enim post mortem deinceps, eos qui in peccatis mortui sunt (sicut benefactoribus) Deum laudare; sed lamentari: Laus enim, est gratias agentium; stridor autem, angustias patientium. Iusti igitur tunc Deum laudabunt; In peccatis autem mortui, tempus confessionis non habebunt. De eo autem, *si descendat homo in Infernum, non licet illi ascendere*; respice consequentiam: scriptum enim est, *non licet*, & non ascendet, neque, *& reuertetur in propriam domum*. Cùm enim vniuersus Mundus transierit & omnes domus corrumpentur, quomodo in propriam domum reuerteretur noua deinceps facta terra? Oportet autem ipsos audire Iob dicentem: *est enim arbori spes, si namque excidatur, florebit, & vide quod truncus eius non deficit, si enim senuerit in terra radix eius, in petra verò moriatur truncus eius, ab odore aquæ florebit, & faciet fructum tanquam nuper insitum: Vir autem mortuus peribit? cadens autem homo non amplius est?* Modò nos confundit, & increpat: sic enim legendum per † interrogationem, illud; *non amplius est?* Quid enim? si lignum cadens (inquit) excitatur; homo propter quem lignum factum est, non resurget? Et ne putes me id torquere, lege quod sequitur. Post hanc enim interrogationem, *cadens homo non ampliùs est?* dicit, *si mortuus fuerit homo, viuet*: & statim dicit; *expecto donec rursus fiam*: Et iterum alibi *cutis* (inquit) *mea resurget, quæ ista patitur*. Isaias autem Propheta dicit, *resurgent mortui, & excitabuntur qui in monumentis sunt*. Apertissimè autem Propheta Ezechiel dicit: *ecce ego aperiam sepulchra vestra, & leuabo vos de monumentis vestris*. Et Daniel dicit, *multi dormientium in puluere terræ, resurgent, alij in vitam æternam, alij verò in contumeliam æternam*. Et Scripturæ multæ testantur de resurrectione mortuorum, suntque alia permulta verba de illa. Reliqua autem cursim prætereamus propter temporis breuitatem, vt Lazari quatriduani resurrectionem, vt filium viduæ excitatum, & filiæ Archisynagogi tantùm mentio sit, & quomodo scissæ sunt petræ, multaque corpora requiescentium Sanctorum apertis monumentis resurrexerunt: præcipuè autem recordemur quòd CHRISTVS à mortuis resurrexit. Præterea Eliam, & filium viduæ ab illo excitatum, & Elisæum bis excitantem, & in vita & post mortem. Viuens quidem effecit resurrectionem, per animam suam: vt autem non solùm anima Sanctorum honoretur, credaturque quod etiam in corporibus mortuorum inest virtus seu potentia, Iacens in sepulchro Elisæi mortuus, mortuúmque corpus Prophetæ attingens, viuificatus est: atque ita mortuum corpus Prophetæ perficit opus animæ, & mortuum iacénsque, vitam præbuit defuncto, exhibénsque alteri vitam, ipsum nihilominus mortuum permansit. Qua de causa? ne si resurrexisset Elisæus, factum id soli animæ adscriberetur, & vt demonstraretur quod absente etiam anima, inest virtus quædam eiusmodi corporibus Sanctorum, propter tot annorum inhabitationes animarum iustarum in illis quorum ministerio vsæ sunt. Neque verò diffidamus vt rerum ignari, fieri istud: si enim Sudaria & semicinctia, extra corpus existentia, contacta ab ægrotis, liberabant illos ab infirmitate, quantò magis corpus ipsum Prophetæ, mortuum excitauit? Sunt quidem alia multa quæ dicamus in hanc sententiam, si singula eiuscemodi præter opinionem facta, persequenda essent. Propter labores autem superiores, & dilationem ieiunij Parasceues & vigiliæ, ista quidem sic obiter dicta sunto, sparsim disseminata vt vos quæ optima sint semina accipientes, copiosiorem fructum feratis. Veruntamen & illius mentionem faciamus, quòd Apostoli mortuos excitabant. Petrus quidem Ioppæ, Tabitham, Paulus verò Troade, Eutychum, & reliqui omnes Apostoli, quamuis non omnia scripta quæ sunt vnusquisque admiranda fecit. Memineritis quoque eorum quæ Paulus Corinthiis scripsit, ad eos qui dicebant, quomodo resurgent mortui, quali autem corpore venient; & quod si mortui non resurgent, neque Christus surrexit, & quod insipientes vocauit, non credentes, & reliquæ omnis doctrinæ illius de resurrectione mortuorum recordemini: Et quòd ad Thessalonicenses scripsit, *nolumus autem vos ignorare (fratres) de dormientibus, ne contristemini sicut & cæteri qui non habent spem*, & cætera: Maximè verò, quòd *& mortui resurgent primi*. Præcipuè autem hoc notate, quod modo non digito indicans Paulus dicit, *oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*: Corpus enim hoc excitabitur non ita infirmum, sed ipsum quidem resurget, indutum tamen incorruptione transformabitur, sicut ferrum in igne versatum fit ignis, magis autem sicut nouit ille resurgens Dominus. Resurget itaque hoc corpus, sed non tale manebit, verùm erit æternum. Non amplius eiusmodi cibis ad vitam opus habebit, neque scalis ad ascensum, fiet enim spiritale. Admirandum quid, & quale pro dignitate declarare nequimus: *Iusti splendebunt vt Sol, & tanquam luna, & sicut splendor Firmamenti*. Et præuidens istam hominum incredulitatem Deus, vermibus paruulis æstate lucidum dedit corpus vt eo splenderent, vt ex apparentibus crederetur id quod expectamus: qui enim partem potest præstare, poterit & totum: Et qui fecit, vermis vt lumine splenderet, multò magis illustrabit hominem iustum. Excitabimur ergo æterna habentes corpora, omnes autem similia: sed qui est iustus corpus accipiet cæleste, vt possit cum Angelis digne conuersari. Si verò peccator est, accipiet corpus æternum quo sufferre possit pœnas peccatorum, vt perpetuò in igne ardeat & nunquam dissoluatur. Et iustè vtrisque his ordinibus Deus hoc præbebit, nihil enim sine corpore à nobis gestum est. Blasphemamus per os, oramus per os, expiamus per os. Luxuriamur corpore, casti sumus per corpus, rapimus per manum, eleemosynas damus per manum, & reliqua similiter. Cur igitur in omnibus cooperetur corpus, etiam in futuris fructum eius percipiet. Parcamus itaque (fratres) corporibus, & ne tanquam alienis, illis vtamur. Ne dicamus vt hæretici, quòd corpus sit tanquam aliena vestis, sed tanquam propriis parcamus: Oportet enim nos reddere Deo rationem de omnibus in corpore factis Non dicas, nemo me vidit: neque putes quòd testis factorum non sit. Homo quidem quandoque non est, sed non errans testis est in cœlo, & videt omnia quæ fiunt, & maculæ peccatorum manebunt in corpore. Vt enim plaga accepta in corpore etiamsi curata sit, cicatrix tamen manet, sic & peccatum vulnerat corpus & animam, & manent signa cicatricum in omnibus: tolluntur autem tantùm ab iis qui lauacrum baptismi accipiunt. Itaque ea quæ baptismum antecesserunt animæ & corporis

In peccatis mortui.

C

Iob 14. 7.

† Tamen vulgarier legit affirmāter.

D Ezech. 37. 12.

Dan. 12. 2.

Mortuus, quo Dei iudicio, ab Elisæo mortuo suscitatus.

4. Reg. 13. 21.

E *Corporibus Sanctorum virtus mirabilis inest.*

F

1. Th. 4. 13.

1. Cor. 15.

Corpus resurgēs quale futurū sit. G

Corpora futura splendida.

Matth. 13. 43.

Corpora dānatorū H *æterna erūt, & quàm iustè.*

Corpori parcendū vt proprio non autem alieno.

Maculæ peccatorū manebunt in corpore.

A

vulnera curat Deus per baptismum:ad reliqua autem futura sic nos deinceps communiamus omnes, vt mundam corporis hanc vestem custodiamus. Et ne per exiguam fornicationem vel lasciuiam aut aliquod eiusmodi peccati opus,perdamus cœlestem salutem, sed vt hæreditemus regnum Dei æternum: quo nos omnes sua gratia dignos efficiat Dominus. Atque hæ quidem de resurrectione mortuorum demonstrationes sufficiant:Porrò amplius Fidei nostræ Confessio, iterum atque iterum vobis cum diligentia omni à nobis recitata: per vos ipsos profiteri & enuntiari fortiter debet: tum & illud memineritis, quòd iam proposita fides seu fidei confessio hoc in se continet:

In baptismum credere.

Et in vnum baptismum pœnitentiæ, In remissionem peccatorum, & in vnam sanctam Catholicam Ecclesiam, & in carnis resurrectionem, & in vitam æternam. De baptismo igitur pœnitentiæ, in prioribus vobis iam dictum est Catechesibus, & de resurrectione quoque mortuorum vobis dictum est, propter illud, *& in carnis resurrectionem.*

B

Dicantur autem reliqua tandem propter illud, *Et in vnam sanctam Catholicam Ecclesiam*, de qua multa dici potuissent, sed paucis ea comprehendemus.

Catholica Ecclesia cur dicatur.

Catholica igitur vocatur,quia per vniuersum sit Orbem terrarum diffusa, à finibus terræ vsque ad extrema.

Et quia docet Catholicè: hoc est, vniuersaliter & sine vllo defectu vel differentia, omnia dogmata quæ deberent venire in cognitionem, de rebus visibilibus & inuisibilibus,cœlestibus & terrestribus. Et quòd omne genus hominum piè subiugat,Principes & priuatos.Et quia in vniuersum curat omne genus peccatorum, & quæ per animam & quæ per corpus patrantur: habeturque in illa omne genus (quocumque nomine vocetur) virtutis, in factis & dictis, & spiritualibus charismatibus omnigenis.

Ecclesia vnde dicatur

Aptè autem Ecclesia vocatur, quasi dicas, *conuocatio*, propter omnium conuocationem & congregationem, sicut in Leuitico dicit Dominus: *& omnem congregationem conuoca ante ostium Tabernaculi testimonij:*

C

Nota hic, in Scripturis quod sit Ecclesiæ seu conuocationis nomen, & quod deinde Aaronem in Sanctuario Dominus constituit, Et in Deuteronomio Moyses:

Deut.4.10.

tunc (inquit) *Dominus dixit ad me, conuoca populum & audiantur verba mea, vt discant timere me.* Rursus nominis Ecclesiæ meminit,cùm inquit de Tabulis:

Deut. 9.10.

Et in ipsis scripsit omnes sermones quos locutus est Dominus ad nos in monte de medio ignis in die Ecclesiæ. Quasi diceret apertius in die vocatorum à Domino, congregati estis. Et Psaltes dicit,

Ps. 34.18.

Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te. Anteà igitur cecinit Psalmus,

Psal. 67.27.

in Ecclesiis benedicite Dominum Deum de fontibus Israël: posteaquam autem propter factas saluatori insidias, Iudæi gratiâ exciderunt, alteram ordinauit Saluator nostram sanctam Ecclesiam Christianam de qua dixit Petro,

Matth. 16.18.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferni non præualebunt ei. De his autem vtrisque prophetans Dauid,apertè dicit:

Ps. 25.5

D

Ecclesia Malignantiū.

de prima quidem excindenda,*odiui Ecclesiam malignantium:*de altera verò ædificata, in eodem psalmo dicit,

Psal 25.12.

Domine dilexi decorem domus tuæ: & deinde statim, *in Ecclesiis benedicam te Domine.* Vna enim, in Iudæa, reiecta, per vniuersum Orbem deinde, Christi multiplicatæ sunt Ecclesiæ de quibus in Psalmis dicit:

Ecclesia Christi.

Psalm. 149.1.

Cantate Domino canticum nouum, laus eius in Ecclesia sanctorum. Quibus consentanea, Propheta ad Iudæos dixit:

Mal. 1.10.

*non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens:*Et iterum,*propterea ab ortu Solis vsque ad occasum,nomen meum laudabitur in gentibus.*

Ecclesia Catholica.

De hac autem secunda Catholica Ecclesia,scribit ad Timotheum Paulus:

1.Tim. 3.15.

vt scias quomodo oporteat in Domo Domini conuersari, quæ est Ecclesia Dei viuentis, columna & firmamentum veritatis. Quoniam verò Ecclesiæ nomen de diuersis rebus dicitur, sicut & de turba quæ erat in theatro Ephesiorum, scriptum est,

Act.9.40.

& hæc dicens,dimisit Ecclesiam:

Ecclesia Malignantiū. propriè sunt con-

Propriè quoque & verè aliquis dixerit, Ecclesiam esse Malignantium, conuenticula hæreticorum, Marchionitarum dico, & Manichæorum, & reliquorum. Propterea nunc confirmans fideles tradidit, vt dicas, *& in vnam sanctam Catholicam Ecclesiam:*

E

uenticula Hæreticorum.

vt illorum quidem fœda conuenticula fugias, perseueres autem in Catholica Ecclesia, in qua & renatus es. Quòd si fortè veneris in ciuitates, non simpliciter interroga vbi sit Dominicus, seu domus Domini, nam & reliquæ impiorum hæreses,

Dominicus, pro Ecclesia.

Dominicos (quamuis pullutos) appellare non dubitant. Neque id tantùm quæras simpliciter, vbi sit Ecclesia, sed vbi Catholica Ecclesia: hoc enim proprium nomen est sanctæ huius & matris omnium nostrûm, quæ est sponsa Domini nostri IESV CHRISTI vnigeniti Filij Dei:

Ecclesiæ proprium nomen, Catholica.

Eph.5.25.

Scriptum est enim, *sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro illa*, & cætera. Typum autem habet & imitationem supernæ Hierusalem quæ libera est, & mater omnium nostrûm,

Gal.4.26.

quæ anteà quidem sterilis, nunc autem multorum est Liberorum parens.

Ecclesiæ Ordines.

Illa enim priore extincta; in hac altera Ecclesia Catholica, vt Paulus dicit,

Eph.4.11.

Deus posuit primùm quidem Apostolos, deinde Prophetas,tertiò doctores,postea virtutes,tum gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum,

F

1.Cor. 12.28.

& omne genus totius virtutis:Sapientiam dico & intellectum, temperantiam & humanitatem, & in persecutionibus patientiam irreprehensibilem, quæ

2.Cor.6.8.

per arma iustitiæ prospera & aduersa, per gloriam & ignominiam, primum quidem in persecutionibus & tribulationibus Martyres & sanctos, diuersis coronis patientiæ & multum florentibus coronauit, quibus & ipsa Ecclesia ornata est: nunc vero temporibus pacis, gratia CHRISTI, debitum habet honorem à Regibus & Illustribus, & omni genere hominum.

Ecclesiā Reges honorant.

Regum quidem potestas certis locis, & gentibus, terminos habet: Ecclesiæ autem Catholicæ, per vniuersum Orbem indefinita est potentia.

Ecclesia Catholica, indefinita per Orbē totum potestas.

De qua si omnia dicere vellemus, pluribus sanè nobis opus fuisset horis ad enarrationem. In eadem sancta Catholica Ecclesia edocti & conuersantes benè, regnum cœlorum & vitam æternam possidebimus, propter quam omnes laboramus vt eam à Domino consequamur.

G

Non enim de rebus exiguis nostrum est propositum, sed de vita æterna contendimus, propterea in confessione fidei docemur: *Et in carnis resurrectionem*, hoc est, mortuorum, de qua, vt credendum sit, disseruimus: Et, *In vitam æternam:* de qua Christianis nobis est certamen. Vita igitur existens & vera,omniū Pater est,& Filius,cum Spiritu sancto, à quo tanquam à fonte fluunt cœlestia dona, propter benignitatem illius qui nobis hominibus ea quæ pertinent ad vitam æternam verissimè annuntiauit. Neque diffidendum est quasi impossibile id esset, non enim ad nostram imbecillitatem, sed ad illius potentiam respectum habendo oportet credere, omnia possibilia sunt Deo: cum ergo & hoc sit possibile, vitam æternam expectamus. Dicit enim Daniel,

Dan. 12.3.

& ad iustitiam erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates: Dicit & Paulus:

1. Th.4.18.

& ita semper cum Domino erimus, vitam æternam significans. Manifestissimè autem Saluator in Euangeliis dicit,

Matth. 25.

& abibunt isti in pœnam æternam, iusti autem in vitam æternam. Multæ sunt nobis de vita æterna demonstrationes.

H

Modos quærēdi vitā æternā, in variis tradit Scriptura.

Cupientibus autem nobis possidere ipsam æternam vitam, sacræ Scripturæ modos possidendi proponunt, ex quibus nunc (ne sermo nimium producatur) pauca testimonia adducemus, reliqua verò studiosis perquirenda relinquemus. Aliquando enim dicunt, *per fidem*, vt scriptum est:

Ioan.3.36.

Credens in filium, habet vitam æternam, & cætera. Et iterum ipse dicit,

Ioan.5.24.

Amen, amen dico vobis quòd qui verba mea audit, & credit illi qui misit me, habet vitam æternam, & cætera.

Per Martyrium, &c.

Aliquando autem per martyrium, & CHRISTI confessionem, & per Euangelicam prædicationem: Dicit enim,

Ioan.4.36.

& metens fructum accipiet & congregabit fructum in vitam æternam: Et,

Ioan.12.25.

qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit illam. Tum verò qui propter Christum opes & propinquos relinquit:

Matth. 19.29.

Et omnis qui reliquit fratres, & sorores, &c. *vitam æternam possidebit.* Et propter mandatorum obseruationem, sicut respondit accedenti & dicenti:

Per opera vitā æternā.

Magister bone, quid boni faciendo habebo vitam æternam? Est & hic modus, vt improbis

reli

A relictis operibus, Deo deinceps seruiamus: dicit enim
Matth. 19.16. Paulus, *nunc autem liberati à peccato, seruientes autem*
Rom. 6. 22. *Deo, habebitis fructum vestrum in sanctificationem, finem autem vitam aeternam.* Et multimoda sanè quædam relicta est ratio consequendæ vitæ æternæ, propter illius passionem: benignus enim cùm sit Dominus, non vnum neque alterum tantùm, sed multas æternæ vitæ ianuas aperuit, vt omnes, quantum in ipso est, absque impedimento illa potiri possent. Atque hæc dicta sint de vita æterna, quòd sanè est, eorùm quæ profitentur in fide, vltimum documentum: qua vtinam omnes nos, & docentes & audientes, per Dei gratiam potiamur. Cæterum (fratres dilecti) hortatur nos omnes huius doctrinæ sermo, præparare animam ad receptionem gratiarum cœlestium. De tradita namque vobis ad profitendum sancta & Apostolica fide, quantùm Catechesis capere potuit, per Dei gratiam diximus præteritis hisce Quadragesimæ diebus; non quòd ea tantùm dicere expediret, multa enim prætermissa sunt, & meliùs fortè à bonis doctoribus intellecta. Instante autem deinceps sancto die Paschatis, & vestra per lauacrum regenerationem, docebimur rursus Deo volente ea quæ conueniunt: quanta cum reuerentia & ordine eò ingredi oporteat vocatos, cuiusque causa perficitur vnumquodque sanctorum baptismi mysteriorum; & quanta cum deuotione, à baptismate ad sanctum Dei accedendum est altare, atque his quæ istic sunt spiritualibus & cœlestibus perfruendum mysteriis: vt anima nostra per doctrinam & sermonem illuminata, ab vnoquoque cognoscatur, à Deo vobis donatorum charismatum magnitudo.

Ianuas ad vitā æternam multas aperuit nobis Christus.

B

Argumentum Catecheseon Mystagogicarum.

Post sanctum autem & salutarem Paschatis diem, in reliquis hebdomadæ diebus, post Synaxim, ad sanctum Resurrectionis Saluatoris locum congregati, Deo volente alias Catecheses audietis, in quibus rursus de vnoquoque eorum quæ fiunt, causas discetis, atque tam ex nouo quàm ex veteri Testamento demonstrationes accipietis. Primùm quidem de his quæ ante baptismum proximè fiunt, deinde quomodo mundati estis à peccatis per Dominum lauacro aquæ, in verbo, & quomodo sacerdotalis appellationis, Christi participes facti estis, & quomodo signaculum vobis tantum est Spiritus sancti. & de iis quæ fiunt in altari sanctis noui Testamenti mysteriis: Quæ hinc capient initium, quod diuinæ Scripturæ tradiderunt, quæ istorum virtus, & quomodo ad hæc accedendum, & quando & quómodo ea habere oporteat: Vltimum autem omnium, quomodo vos progressu temporis & factis & dictis dignè ad percipiendam gratiam conuerti oporteat, vt possitis omnes vos vita perfrui sempiterna. Atque hæc quidem, si Deus volet, demonstrabuntur. Quod reliquum est (fratres) *gaudete in Domino, & iterum dico, gaudete.* Venit enim redemptio vestra, & vestram expectat salutem Angelorum cœlestis exercitus: & vox iam intonat clamantis in Deserto, *parate viam Domini.* Clamat autem & Propheta: *Sitientes accedant ad aquam bonam:* Et mox, *audite me, comedetis bona in deliciis & bonis anima meæ.* Et non ita multò pòst, optimam illam lectionem audietis: *Illuminare, illuminare Hierusalem, venit enim lumen tuum.* De Hierusalem Propheta dixit, *& post hæc vocabitur ciuitas iustitiæ:* Metropolis fidelis Sion, *propter legem quæ ex Sion exiuit, & verbum Domini ex Hierusalem*, quod hinc in vniuersum Orbem intonuit. Ab eam quoque Propheta dicit: *Leua in circuitu oculos tuos, & vide congregatos filios tuos:* quæ respondit, dicens: *qui sunt hi tanquam nubes volantes, & sicut columbæ cum pullis super me? Nubes*, propter spiritualē: *Columbæ*, propter simplicitatem. Et iterum: *quis audiuit talia, & quis vidit sic? si parturiuit terra vna die, & nata est gens statim, quod peperit Sion pueros suos!* Gaudio autem ineffabili omnia replebuntur, propter Dominum qui dicit, *Ecce ego faciam Hierusalem exultationem, & populum meum pacem.* Liceat autem de vobis nunc dicere, *lætentur cœli & exultet terra*, & reliqua: quod misertus est Deus populi sui, & humiles populi consolatus est. Hæc autem licebit

C

Noui Testamenti mysteria in Altari.

Phil. 4. 4.
Matth. 3. 3.
D
Isai. 60. 1.
Isai. 1. 6.
Isai. 2. 3.
Isai. 49. 18.
Isai. 60. 8.
Isai 66. 8.

E propter Domini benignitatem ad nos dicentis, *ecce ego delebo tanquam nubem iniquitates tuas, & sicut caliginem peccata tua.* Vos autem nomine Fidelium donati, de quibus scriptum est, *seruientibus mihi, vocabitur nomen nouum, & benedicetur in terra*, dicite cum lætitia: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi*, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in cœlestibus, in Christo, in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, in remissionem peccatorum, propter diuitias bonitatis eius quæ superabundauit in nos, & reliqua. Ac iterum: *Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo*, &c. Et iterum, sicut boni Dominum laudate dicentes: Cum autem *benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit in nos abundanter per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati illius gratia, hæredes efficiamur secundùm spem vitæ æternæ.* Ipse autē Deus, & pater Domini nostri IESV CHRISTI, pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis, in agnitionem eius illuminatis oculis mentis, & custodiat semper nos in operibus & sermonibus & cogitationibus bonis: Cui gloria, honos & potentia per Christum Dominum nostrum, cum Spiritu sancto, & nunc, & in infinita sæcula sæculorum. Amen.

Isai. 44. 22.
Isai. 62. 2.
Eph. 1. 4.
Tit. 3.
F

S. CYRILLI ARCHIEPISCOPI Hierosolymitani, Catechesis mystagogica prima ad eos qui recens sunt baptizati: & lectio ex prima Petri Catholica Epistola, ab eo quod legitur: Sobrij estote, & vigilate, *vsque ad finem eiusdem Epistolæ.*

G

IOANNE. GRODECIO. D. G. C. Vv. Interprete.

DESIDERABAM vobis & antea, (ô germani & dilecti Ecclesiæ filij) de his spiritualibus & supercœlestibus mysteriis disserere: sed cum planè crediderim, visum longe esse auditu certiorem; tempus hoc præsens expectaui, vt & vos ipsi melius percipere possetis, experientia iam edocti de his quæ dicenda sunt, & ego facilius vos ad splendidiorem & fragrantiorem huius paradisi campum manuducerem, quandoquidem participes iam facti estis diuinorum mysteriorum, diuinoque viuificante lauacro digni habiti. Cùm itaque reliquum sit vt perfectioris doctrinæ Mensam apponamus: age, hæc ipsa vobis accuratius tradenus, vt vim eorum non ignoretis, quæ circa vos illo vespere fiunt. Primùm ingressi estis in porticum domus baptisterij, & stantes versus occidentem, mandari vobis audistis, vt protensa manu tanquam præsenti Satanæ renuntiaretis: Scire autem conuenit, figuram eiusmodi in veteri historia positam esse. Cùm Pharao acerbissimus & crudelissimus tyrannus, liberum & generosum Hebræorum populum opprimeret, misit Deus Moysen, vt illum è grauissima Ægyptiorum seruitute liberaret: ac sanguine quidem Agni postes vngebantur, vt domos, hoc signum sanguinis habentes, Vastator angelus vitaret, populus vero præter opinionem liberatus est. Posteaquam vero hostis ille, & liberatos, & Mare diuisum præter opinionem vidit, pergebatque insequens, & vestigia vestigiis vrgens, continuo submersus, rubrique Maris fluctibus oppressus est. Transeamus deinceps à veteribus ad noua, à figura ad veritatem. Illic Moyses in ægyptum à Deo, hic Christus à Patre missus in Mundum venit. Illic Moyses vt ex Ægypto populum educeret oppressum, hic Christus, vt eos qui in hoc mundo sunt à peccato profligati, liberaret. Illic sanguis agni fuerat Vastatoris auersio, hic Agni non

Baptismi Cæremonia priores extra Domum Baptisterij.
H

contami

A contaminati IESV CHRISTI sanguis aduersus dæmones statuitur præsidium. Tyrannus ille ad Mare vsque Veteres persequebatur: Iste vero impudens improbitatis princeps dæmon, ad ipsas vsque salutares vndas te sequebatur. Ille in Mari submersus est, iste in aqua salutis suffocatur. Veruntamen audis, quod nutu manus, tanquam ad præsentem dicitur: *Renuncio tibi Satana.* Qua de causa vero versus Occasum steteritis, operæ pretium esse puto explicare. Cùm Solis occasus, apparentium tenebrarum sit locus, diabolus autem cùm sit tenebræ, robur in illis suum habet: Idcirco, symbolice Occasum spectantes, caliginoso illi tenebrarum Principi renunciatis. Quid igitur vnusquisque vestrum stans dicebat: *Renuncio tibi Satana:* tibi, inquam, scelerato & sæuissimo tyranno, non amplius metuo vires tuas, dissoluit enim eas Christus, sanguinis mei & corporis particeps factus, vt suis passionibus & morte mortem opprimeret, vt ne perpetuæ essem obnoxius seruituti.
B Renuncio illi Serpenti callido & vafro, renuncio tibi Impostori, qui sub specie amicitiæ omnem agitas iniquitatem: qui Maiores nostros ad defectionem induxisti: renuncio tibi Satana, totius improbitatis opifici & administro. Doceris mox & alteram renunciationis partem addere: *Et omnibus tuis operibus.* Opera Satanæ sunt, cuiusuis generis peccata, quibus te renunciare necesse est: vt cum aliquis fugit tyrannum, arma quoque illius vitare studet. Omne igitur genus peccati, sub hoc operum diaboli nomine comprehenditur. Istud præterea non ignores, quod quæcunque dicis (illa præsertim formidabili hora) scripta sunt in libris Dei absconditis, vt si quid deinceps aduersus illa pronunciata patraueris, tanquam præuaricator iudiceris. Renuncia ergo Satanæ operibus, omnibus inquam, actionibus & cogitationibus quæcunque rectæ rationi non conueniunt. Postea dicis: *Et omni pompæ illius.* Pompa diaboli est, in theatris spectacula, in hyppodromo cursus equorum, & venationes, & reliqua omnis eiuscemodi vanitas, à qua postulans liberari san-
C ctus ille Dei: *Auerte*, inquit, *oculos meos ne videant vanitatem.* Non ergo sis curiosus in frequentia spectaculorum, vbi conspicias mimorum petulantias omni contumelia & impudicitia refertas, & virorum effœminatorum choreas secteris. Neque vero & illos admireris qui dummodo ventri suo obsequantur, efferatis bestiis seipsos exponunt: atque ij plerunque cùm adeo ventrem cibis curare student, ipsi contrà ventris ferarum esca fiunt. Imò, vt verius dicam, pro ventre tanquam pro suo Deo vitam suam in certaminibus singularibus profundere non dubitant. Fuge autem equorum curricula, quod est prorsus insanum*, & multorum vitæ perniciosum spectaculum. Hæc enim omnia ad pompam diaboli pertinent. Tum vero & illa quæ in Idolorum solemnitatibus suspendi solent, & carnes, & panes, & alia eiuscemodi fœdissimorum dæmonum inuocatione contaminata, pompæ diaboli adscribuntur.

Opera diaboli, sunt peccata omnia.

Formidabilis est hora qua Abrenunciationes fiunt in Baptismo.

Theatrica spectacula fugienda.

D Quemadmodum enim panis & vinum Eucharistiæ, ante sactam inuocationem adorandæ Trinitatis, panis erat & vinum merum, peracta verò inuocatione panis quidem fit corpus Christi, vinum autem sanguis Christi: sic & cibi eiuscemodi pompæ Satanæ, suapte quidem natura puri sunt, inuocatione tamen dæmonum impuri efficiuntur. Dicis præterea: *Et omni tuo cultui.* Cultus est diaboli, illæ quæ in idolis fiunt supplicationes, & quæcunque in honorem idolorum peraguntur, vt, incendere lucernas, ad fontes & fluuios adolere, & quod nonnulli somniis & à dæmonibus decepti faciunt vt corporis etiam affectionum curationem inde sese consequi posse sperent. Neque ad alia eiuscemodi deuenias: nam & auguria, diuinationes, omina, aut amuleta, aut inscriptiones in foliis, aut aliæ malæ artes, & cætera huiusmodi cultus diaboli sunt. Caue itaque ista, nam si post renunciationem diaboli, & Christi militiæ professionem, in eadem rursus incideris, tyrannum senties acerbiorem, qui te olim fortasse quasi familiaris tracta-

Panis peracta inuocatione fit Christi Corpus.

E bat & duram seruitutem tuam remittebat, nunc vero vehementer est à te exacerbatus. Itaque Christo, à quo desciuisti priuaberis, & illum quem irritasti, experieris. Nonne audisti ex veteri historia de Loth & eius filiabus? Nonne ipse quidem seruatus est vna cum filiabus cùm ad mortem peruenisset, vxor verò illius in statuam salis mutata est, vt esset perpetuum monumentum improbæ illius voluntatis & reuersionis? Caue idcirco tibi, vt ne retro conuertaris: Et postquam manum miseris ad aratrum, ne deinceps ad miseram vitæ huius occupationem & studium reuertaris, sed fuge in montem Christum, excisum lapidem sine manibus, Orbem totum replentem. Cùm itaque Satanæ renunciaueris, & omne cum illo pactum resciderís (veteres, inquam, pactiones cum inferno) aperitur tibi paradisus Dei, quem ipse ad Orientem plantauit: vnde propter mandati violationem, primus Parens noster pulsus est in exilium. Et huius rei symbolum est, cum ab Occasu
F conuerteris ad Ortum, quæ lucis est regio. Tum admonebaris vt diceres: *Credo in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, & in baptisma pœnitentiæ*, de quibus in superioribus Catechesibus, quantum diuina concessit gratia, latius disseruimus. His itaque confirmatus verbis, aduigila: Aduersarius enim noster diabolus (vt modo lectum est) *tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Ac superiori quidem tempore, mors præualens deuorabat: In hoc vero sancto Regenerationis lauacro, abstulit Deus omnem lacrymam ab omni facie. Non est enim amplius tibi luctus, qui exuisti veterem hominem, sed potius celebras lætitiam, indutus vestem Salutaris Domini nostri Iesu Christi. Et hæc quidem in exteriori Domo gesta sunt, in sequentibus vero mysticis Instructionibus, Deo volente, in Sancta Sanctorum ingrediemur, atque tunc eorum quæ illic peraguntur, symbola cognoscemus. Deo autem Patri sit gloria & potentia, cum Filio, & Spiritu sancto, in sæcula sæculorum, Amen.

G

CATECHESIS MYSTAGOGICA secunda, de baptismo: & lectio ex Epistola ad Romanos: ab eo, An ignoratis quod quicunque baptizati sumus, in Christum Iesum & in mortem eius baptizati sumus? vsque ad illud, Non estis sub Lege, sed sub gratia.

Rom. 6.

VTILES sunt nobis quæ sunt quotidie sacræ instructiones & doctrinæ, quæ rerum nouarum nouas adferunt enunciationes & vobis præsertim, à vetustate restitutis, nouitatem. Quamobrem facturum me operæpretium existimo, si hesternæ Mystagogiæ, ea quæ deinceps explicanda sequuntur, apposuero, vt discere possitis, quorum illa symbola fuerint, quæ à vobis in interiori domo peragebantur. Statim igitur vt ingressi estis, vestem exuistis: quod quidem exuti hominis, antiqui cum operibus suis, imago fuit. Atque
H ita exuti, eratis nudi, imitantes & in hoc eum, qui in Cruce nudatus fuerat, Christum: qua ille nuditate, Principatus & Potestates huius sæculi spoliauit, & magna confidentia in Ligno de illis triumphauit, quia etiam in membris nostris delitescebant aduersariæ Virtutes, non licet nobis vestem illam veterem amplius ferre. Non eam dico quæ sensibus percipitur, sed veterem hominem erroneis corruptum desideriis, quem non licet animæ rursus induere postquam semel exuerit: imò dicendum est cum Sponsa Christi, vt est in Canticis canticorum, *exui vestem meam, quomodo rursus induam illam?* O rem admirandam! nudi fuistis in conspectu omnium, & non vos pudebat! Reuera enim in hoc protoplasti Adam ferebatis exemplum, qui nudus in Paradiso fuit, & tamen nullo afficiebatur pudore. Deinde vero iam exuti, exorcizato oleo, à summis capillis ad infimos vsque peruncti estis, & participes effecti fructiferæ illius oleæ IESV CHRISTI. Excisi

Cant. 5. 3.

Nudi Baptizādorū s[…] pudore.

Oleo exorcizati in baptismo [...] sit sym[bolum]

A

enim ex oleastro, in oleam frugiferam insertí estis, & pinguedinis illius veræ Oleæ, quisque vestrûm particeps est effectus. Illud ergo exorcizatum oleum, symbolum est, pinguedinis Christi nobiscum communicatæ, & quod omne vestigium diabolicæ operationis in nobis deletum sit. Nam vt insufflationes sanctorum & nominis Dei inuocatio, tanquam vehementissima quædam flamma vrit dæmones, & in fugam conuertit, sic & exorcizatum hoc oleum, per orationem Deique inuocationem, tantam virtutem consequitur vt non modo ardentia peccatorum vestigia expurget, verumetiam omnes inuisibiles dæmones repellat. Postea deducebamini ad sanctum diuini baptismi lauacrum, quemadmodum Christus à Cruce ad destinatum sepulchrum ducebatur. Atque nunc vnusquisque interrogabatur, an crederet in nomen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & confessi estis salutarem confessionem, & mersi ter in aqua, rursus emersistis, atque ita per hæc symbola, triduanam Christi significastis sepulturam. Nam vt Saluator noster tribus diebus & tribus noctibus fuit in visceribus terræ, sic & vos prima emersione, primam Christi sub terra imitabamini diem, & immersione noctem.

Insufflatio quæ in baptismo fit, vrit dæmones.

Triplex immersio in baptismo, triduanam Christi B *indicat sepulturam.*

Sicut enim qui versatur in nocte, videre non potest, & qui est in die, in lumine est: haud aliter in submersione, tanquam in nocte nihil videbatis, in emersione contra, tanquam in die eratis simul mortui & generati, atque ita illa salutaris aqua, & sepulchrum vobis & mater effecta est. Et quod Salomon dixerat de aliis, hoc in vos optimè quadrat, Dicebat ille: Tempus pariendi, & tempus moriendi, & tempus generandi, illud enim vtrumque vno eodemque fit tempore, simulque mors & generatio vestra concurrit. O nouum & inopinatum mysterium! Nos quidem non reuerà morimur, non reuerà sepelimur, ne verè cruci affixi sumus, sed in imagine tantum nostra est imitatio. In veritate autem salutis assecutio. Christus verè crucifixus est, vereque sepultus, & verè surrexit, & hæc omnia nobis donauit, vt (cùm imitatione, passionibus eius communicauerimus) reuera salutem lucremur. O excellentem benignitatem! Christus manus ac pedes suos incontaminatos, clauis perfodi passus est, & per hosce tantos dolores, mihi nihil eiusmodi patienti salutem confert! Nemo itaque existimet, baptisma tantum remissionis peccatorum, verumetiam adoptionis filiorum sese accipere, † sicut Ioannis baptismus solam peccatorum condonationem præstabat. Nos vero de Christi baptismo certi sumus quod ita vt est peccatorum ablutio, sic & donum sancti Spiritus conciliat, sic & Christi passionum imaginem gerit.

Baptizandi sic immergebantur vt nihil viderent.

C

† Caute lege, nam Ioannis baptismus ex opere operato, nec gratiam, nec remissionē peccatorū conferebat. Vide S. Th. 3. p. q. 38. a. 3. Forsan

Propterea enim Paulus paulo ante exclamabat dicens: *An ignoratis quod quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? Consepulti ergo sumus & per baptismum in mortem.* Hæc dixerat declarans quod baptismus remissionem peccatorum & adoptionem filiorum conciliat, nos autem iam veras Christi passiones imitatur, ita vt ibi passio fiat. Vt igitur discamus, quod quæcunque Christus pro nobis nostraque salute sustinuit, vere & non apparenter perpessus est, nosque participes earundem passionum efficimur, idcirco accurate docens clamat Paulus: *Si enim insiti facti sumus illi similitudine mortis ipsius, certe & resurrectionis eius erimus participes.* Pulchre autem vocat insitos, quia enim hic vitis vera plantata est, nos quoque communione baptismi complantati sumus morti eius. Adhibe autem magna cum attentione mentem verbis Apostoli: non dixit enim, *complantati sumus morti*, sed, *similitudini mortis.* Vera namque mors Christi fuerat, anima eius à corpore separata, & vere sepultus, cum in syndone munda corpus eius elatum est, & omnia denique vere in ipso contigerunt. In nobis autem, mortis quidem & passionum quædam est similitudo, salutis vero non similitudo sed veritas. Hæc sufficienter didicistis, & quæso in memoria habetote, vt & ego indignus de vobis dicam, *diligo vos quia semper mei memores estis, & traditiones quas tradidi vobis, retinetis.* Potens autem est Deus exsuscitans nos tanquam ex mortuis viuos, dare etiam nobis vt in nouitate vitæ ambulemus: quoniam in gloria, & potentia nunc & in perpetuum, Amen.

D *S. Cyrillus tantū innuit Ioannis baptismū excitasse homines ad verā pœnitentiam, per quā peccata condonātur.* Consule recentiores sancti Thomæ interpretes eodē loco.

Rom. 6.

E Rom. 5. 1. Cor. 11. 2.

CATECHESIS MYSTAGOGICA tertia, de Chrismate: & lectio ex prima Ioannis Catholica Epistola ab eo loco: Et vos vnctionem Dei habetis, & scitis omnia, *vsque ad eum:* Et non confundemur ab ipso in aduentu eius.

1. Ioan. 2. 20.

QVicunque in Christum baptizati estis, & Christum induistis, conformes facti estis Filio Dei: Deus enim qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, conformes fecit corpori gloriæ Christi. Participes ergo Christi effecti, merito Christi, (hoc est, Vncti) vocamini: & Deus dixit de vobis, *nolite tangere Christos meos.* Christi vero estis facti, posteaquam sancti Spiritus imaginem recepistis, & omnia in imagine facta sunt vobis, quoniam Christi imagines estis. Ac ille quidem cum in flumine Iordano lauisset, corpus in quo diuinitas habitabat aquis tradidit, ascenditque ex illis, & Spiritus sanctus substantialiter super eum descendit requiescens super sui similem: & nobis postquam similiter ex aquis sacri lauacri ascendimus, datum est Chrisma quod imaginem gerit illius quo vnctus est Christus. De quo beatus Isaias in sua prophetia, & persona Domini locutus est: *Spiritus Domini super me, quapropter vnxit me, euangelizare pauperibus misit me.* Oleo enim aut vnguento corporali, Christus ab hominibus vnctus non est, sed Pater, saluatorem illum mundi totius constituens, vnxit eum sancto Spiritu quemadmodum Petrus inquit: *Iesum à Nazareth, quem Deus ipse sancto Spiritu vnxit:* de quo & Dauid Propheta clamat & dicit: *Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis virga regni tui: dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Et sicut Christus vere crucifixus & sepultus est, atque resuscitatus, nos vero per baptismum, in similitudine quadam vnà crucifigi, consepeliri, simulque secum voluit resurgere: ita fit & in hoc Chrismate. Ille spirituali oleo exultationis vnctus est, hoc est, Spiritu sancto, qui idcirco oleum exultationis vocatur, quia est auctor & causa exultationis: Vos vero vncti estis vnguento, facti participes & consortes Christi. Cæterum, vide ne illud esse putes vnguentum tantum: Quemadmodum enim panis Eucharistiæ, post sancti Spiritus inuocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi: sic & sanctum hoc vnguentum, non amplius est vnguentum nudum, neque (si quis ita appellare malit) commune postquam iam consecratum est, sed est Chrisma Christi, quod aduentu Spiritus sancti, per ipsius diuinitatem, energiam habet: quo frons & alij sensus corporis tui symbolicè inunguntur, & corpus quidem isto visibili vnguento perungitur, anima vero sancto viuificoque Spiritu sanctificatur. Ac primum quidem fronti illinitur, vt eum abstergat à vobis pudorem quem primus Homo transgressor perpetuo circumferebat, simulque efficiat, vt possitis vultu non velato gloriam Domini intueri. Deinde vero aures vnguntur, vt ad audiendum diuina mysteria aures accipiatis de quibus dicebat Isaias, *& addidit mihi Dominus aures ad audiendum:* & Dominus in Euangelio, *qui habet aures ad audiendum, audiat.* Postea Nares, vt diuinum recipientes vnguentum dicatis, *Christi gratus odor est Deo, in his qui saluantur.* Tum vero & pectus inungitur, vt induti thoracem iustitiæ, fortiter aduersus insultus diaboli consistatis. Vt enim Saluator post baptismum & illum sancti Spiritus aduentum egressus in prælium, deuicit Aduersarium: sic & vos, post sacrum baptisma & Chrisma mysticum, induti armis

F

Spiritus sanctus substantialiter descendit in Christum baptizatum. Chrisma quid significet.

Luc. 4. 18.

Act. 10. 38.

G Psal. 44. 7.

Cauendum ne existimemus Chrisma tantum esse vnguentum.

Panis Eucharistiæ post consecrationē fit corpus Christi.

H

Chrismate frons illinitur.

Isai. 50. b Matth. 11. 15. 2. Cor. 2. d

A armis sancti Spiritus, aduersus oppositam vobis potestatem consistitis & præliamini, dicentes; *omnia possum in eo qui me confortat Christo.* (Phil.4. 13.) Huius sancti Chrismatis dono accepto, merito appellamini Christiani, veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione: antequam enim hæc gratia vobis donata esset, non eratis propriè digni eo nomine, sed pergentes, eo vsque progressi estis vt efficeremini Christiani. Fuerit autem operæpretium ne ignoretis, in veteri etiam Lege, huius Chrismatis symborum præcessisse. Moyses enim quando fratrem suum secundum mandatum Dei, summum sacerdotem constituit, postquam lauit aqua, vnxit eundem, atque ab eo videlicet typico vnguento, vocatus est Christus. Ad eundem modum cùm summus Pontifex Salomonem promouerat in regem, postquam lauit in Geon, vnxit eundem. Sed hæc quidem in figura contingebant illis, nobis vero non in figura, sed in veritate. Quandoquidem à Spiritu sancto verè vncti estis, caput est & principium nostræ salutis, Christus: (1.Cor. 15.20.) Ille enim est verè primitiæ, nos autem conspersio: B si autem primitiæ sanctæ, proculdubio & in conspersionem sanctitas transibit. Hanc conspersionem seruate incorruptam, de omnibus enim docere poterit si in nobis maneat, sicut paulò antè ex Ioanne audistis cùm multa de Chrismate loqueretur & dissereret. (*S. Chrisma vtile est ad protegendum nos corporaliter & spiritualiter.*) Est enim hoc sanctum, ad protegendum corpus spiritualiter, & ad salutem animæ: de quo & Isaias olim vaticinatus est, *& faciet* (inquit) *Dominus omnibus gentibus in hoc monte* (montem autem appellat Ecclesiam, de qua etiam alibi dicit, *& erit in extremis diebus conspicuus mons Domini*) (Isai.25.) *vinum bibent, lætitiam bibent, vnguento vngentur.* Atque vt eo magis te confirmet ad aduentum, de hoc Vnguento tanquam mystico dixit: *Trade hæc omnia gentibus, voluntas enim Domini super omnes gentes.* Sic igitur perùncti sancto Chrismate, intemeratum id & impollutum in vobis, proficientes in bonis operibus custodite, & placentes Christo salutis nostræ principi & auctori, cui gloria in sæcula sæculorum.

C

CATECHESIS MYSTAGOGICA quarta, de Corpore & Sanguine Christi: Et lectio ex Epistola ad Corinthios: Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis. (1.Cor. 11.)

HÆc beati Pauli doctrina, satis potest efficere vos certissimos de diuinis mysteriis quæ vobis dona sunt, qui facti estis Christi corporis & sanguinis comparticipes. Ille enim modo clamabat, quod (1.Cor. 11.) *nocte qua Dominus noster Iesus Christus tradebatur, accepit panem & gratias agens fregit, & dedit discipulis suis, dicens: Accipite, manducate, hoc est Corpus meum: & accipiens Calicem agensque gratias, dixit, accipite, bibite, hic est sanguis meus.*

Cùm igitur Christus ipse sic affirmet atque dicat de pane, *hoc est corpus meum*, quis deinceps audeat dubitare: D Ac eodem quoque confirmante & dicente: *Hic est sanguis meus:* quis (inquam) dubitet, & dicat non esse illius sanguinem? (Ioan.2.) Aquam aliquando mutauit in vinum quod est sanguini propinquum, in Cana Galileæ, sola voluntate: & non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutasset? Si enim ad nuptias corporeas inuitatus, stupendum miraculum operatus est, & non multo magis corpus & sanguinem suum, Filiis Sponsi dedisse illum confitebimur? Quare omni cum certitudine, Corpus & Sanguinem Christi sumamus: Nam sub specie panis datur tibi corpus, & sub specie vini datur sanguis, vt sumpto corpore & sanguine Christi efficiaris ei comparticeps corporis & sanguinis, Χριστοφόροι γινόμεθα. Sic Christophori erimus, hoc est, Christum ferentes, cum eius corpus & sanguinem in membra nostra receperimus: atque ita, vt beatus Petrus dicit, diuinæ naturæ consortes efficiemur: (Ioan.6.) Olim Christus cum Iudæis disserens, dicebat, *nisi manducaueritis carnem meam & biberitis sanguinem meum, non* E *habebitis vitam in vobis:* illi vero non audientes ea secundum Spiritum, scandalizati, abierunt retro, eo quod existimarent sese ad humanarum carnium esum incitari. Erant & in veteri Testamento Panes propositionis, sed illi ad legem veterem pertinentes, finem adepti sunt: At in lege noua, Panis cœlestis poculumque salutis, animam & corpus sanctificant: sicut enim panis corpori, sic & verbum animæ conuenit. Ne ergo consideres tanquam panem nudum & vinum nudum, corpus enim est & sanguis Christi, secundum ipsius Domini verba. Quamuis enim sensus hoc tibi suggerit, tamen fides te confirmet ne ex gustu rem iudices, quin potius habeas ex fide pro certissimo, ita vt nulla subeat dubitatio esse tibi donata Corpus & Sanguinem. Explicat hanc vim Dauid, his verbis, *parasti in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me.* (Psal.22. 5.) Quod hic dicit, tale quiddam est: Ante tuum Domine, aduentum, dæmones, hominibus mensam pollutam & diabolica contaminatam facultate parabant, sed posteaquam tu F aduenisti, *parasti in conspectu meo mensam*, (Psal.26.) quid istud aliud significat, nisi mysticam illam & spiritualem mensam quam Deus nobis proposuit, aduersariam illi quæ nobis anteà parabatur à dæmonibus, quodque quam illa communionem habebat cum dæmonibus, hæc cum Deo habet? *Impinguasti in oleo caput meum?* Impinguauit tuum caput in fronte per signaculum Dei, *& Calix tuus inebrians me, quàm præclarus est!* Vides hic dici de calice quem Iesus accipiens, gratias egit & dixit? *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Idcirco & Salomon, cùm in Ecclesiaste hanc eandem gratiam in ænigmate significaret: (Eccles. 9.7.) *Age* (inquit) *manduca in lætitia panem tuum*, videlicet panem spiritalem: *& bibe vinum in corde bono*, spiritale scilicet vinum: *& oleum super caput tuum effundatur.* Vides quomodo ille etiam mysticum Chrisma in ænigmate denotat? *Et semper sint alba vestimenta tua:* quoniam facta tua Domino placuerunt. Ita sanè exutis vestibus antiquis, & iis quæ sunt secundum spiritum G alba, indutis, perpetuo iam in albis incedere oportet. (*Alba vestes, recti baptizatorum.*) Non hoc ideo dicimus, quasi alba te semper vestimenta habere sit necesse, sed quod his quæ verè alba, splendida & spiritalia sunt vestiri te oporteat, vt cum Isaia possis dicere: Exultet anima mea in Domino: *Induit me veste salutis & tunicam lætitiæ circumdedit mihi.* (Isai.61. 10.) Hoc sciens & pro certissimo habens, panem hunc qui videtur à nobis, non esse panem, etiamsi gustus panem esse sentiat, sed esse corpus Christi: & vinum quod à nobis conspicitur, tametsi & sensui gustus, vinum esse videatur, non tamen vinum, sed sanguinem esse Christi. Et quia de hoc dixerat olim Dauid in Psalmo, *panis cor hominis confirmat, vt exhilaret faciem in oleo*, (Psal.103. 15.) confirma cor tuum, participans de hoc pane, vt spiritali: & exhilara faciem tuam, quam vtinam reuelatam habeas, vt possis in pura conscientia gloriam Domini speculari, transformatus à gloria in gloriam, in Christo Iesu Domino nostro cui honor & gloria & potentia, in sæcula sæculorum, Amen.

H

CATECHESIS MYSTAGOGICA quinta: Ex Epistola Petri Catholica: Itaque abiicientes omnem immunditiam & omnem dolum ac detractionem, *& quæ sequuntur.* (1.Petr.2.)

SATIS iam (Deo fauente) & de Baptismo, & de Chrismate, & de sumptione Corporis & Sanguinis Christi, in superioribus sacris instructionibus audistis: nunc verò ad reliqua transeundum est, atque hodie, spiritali nostræ vtilitatis ædificationi, coronis imponenda. Vidistis igitur Diaconum, aquam lauandis manibus porrigentem Sacerdoti, & illis qui circum altare Dei stabant Presbyteri. Num ideo prorsus dabat, vt

A sordes corporis abluerentur? Nequaquam: nec enim adeo sordibus corporis fœdati, in Ecclesiam ingredi solemus. Sed illa manuum ablutio, symbolum est, oportere nos à peccatis omnibus, & iniquitatibus mundari. Cùm enim, per manus designentur actiones, lauare certè easdem, munditiem & puritatem operum significat. Nonne audisti Dauid mysteria ista tractantem & dicentem; *Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine?* Itaque manus abluere, est symbolum, non obnoxium esse peccatis. Deinde clamat Diaconus, *Complectimini & osculemini vos inuicem*, atque tunc, mutuo nos osculo salutamus. Non hoc ita accipias, quasi osculum illud sit eiusmodi quale in foro inter communes amicos esse consueuit, neque enim tale est. Hoc igitur osculum animas mutuo conciliat, & omnem malorum obliuionem illis spondet. Signum igitur est hoc osculum, reconciliationis animorum, vniuersæque iniuriarum memoriæ, deletæ.

Loti soli mus ingredi Ecclesiam.

Manuum ablutio in Missa mysteriis significat operum puritatē. Psal. 25. 6.

Osculum in mysteriis, indicat malorū obliuionem.

B Matth. 5. 23.

Propterea & Christus Dei Filius dicebat: *cum offers munus tuum ad altare, & illic recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduersus te, relinque munus tuum ad altare & vade, prius reconciliare fratri tuo & tunc accedens offer munus tuum.* Igitur osculum hoc, reconciliatio est, atque idcirco sanctum: de quo & Paulus dicit: *salutate vos inuicem in osculo sancto*: Et Petrus inquit, *in osculo dilectionis.* Postea clamat Sacerdos: *Sursum corda.* Verè enim circa illam maxime tremendam horam, sursum ad Deum corda leuare necesse est, & non deorsum, ad terram terrenaque negotia deprimere. In hanc igitur sententiam omnibus præcipit Sacerdotes curas scilicet vitæ huius omnes & domesticas solicitudines illa hora relinquere, & cor in cœlo habere apud Deum generis humani amatorem. Vos deinde respondetis: *Habemus ad Dominum*, assentientes ei, profitendo. Nullus autem sic consistat vt ore quidem dicat: *Habemus ad Dominum*, mente vero, circa vitæ huius curas vagetur.

Pet. 5.

C Ac semper quidem Dei meminisse debemus: sed si id propter infirmitatem humanam fieri non possit, illa tamen maxime hora, studiosè istud enitendum est. Dicit deinde Sacerdos: *Gratias agamus Domino.* Certè gratias agere debemus quod nos adeo indignos, ad tantam gratiam vocauit, quod inimicos sibi reconciliauit, quod Spiritum adoptionis nobis donauit. Ad hæc vos subiicitis: *Dignum & iustum est.* Cùm enim nos Deo gratias agimus, dignum profectò & iustum opus facimus: ille autem, non iustum, sed supra iustum agens, tanto nos affecit beneficio tantaque nobis bona donauit. Facimus deinde mentionem cœli & terræ, & Maris, Solis & Lunæ, & syderum, ac vniuersæ creaturæ tam ratione præditæ quam irrationalis, tam istius quæ videtur quam illius quæ sub aspectum nostrum non cadit, Angelorum, Archangelorum, Virtutum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Thronorum, & Cherubim faciem operientium, quasi diceremus illud Dauidis: *Magnificate Dominum mecum.*

D Isa. 63.

Commemoramus etiam illa Cherubim, quæ in Spiritu sancto cernebat Isaias circumstantia thronum Dei, ac alis quidem duabus faciem velantia, atque dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Propterea enim traditam nobis hanc Seraphicam Theologiam recitamus, vt in illa cœlesti hymnodia, cum supramundana Militia communicemus: atque sic per eiusmodi hymnos nos ipsos sanctificantes, Deum benignissimum oramus, vt super illa proposita, sanctum Spiritum emittat, vt panem quidem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi: Omnino enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur & transmutatur. Deinde vero postquam confectum est illud spirituale Sacrificium & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis Hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate Mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis & afflictis, & in summa, pro his omnibus qui egent

Cultus incruentus in Missa sacrificio.

auxilio: indigemus autem omnes. Cum hoc sacrificium offerimus, postea facimus mentionem etiam eorum qui ante nobis obdormierunt; primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras. E

Oratur in Missa pro omnibus qui egent auxilio.

Deinde pro defunctis, sanctis Patribus & Episcopis, denique pro omnibus oramus qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum iuuamem pro quibus offertur obsecratio sancti illius & tremendi quod in altari positum est sacrificij. Quod exemplo vobis demonstrare volumus: scio enim multos dicere, quid iuuat animam in peccatis ex hoc mundo decedentem, etiamsi in hoc Sacrificio mentio illius fiat? An enim si rex aliquis, eos à quibus offensus est, in exilium pepulerit, postea vero illorum propinqui coronam aliquam conficientes, pro his qui sunt in supplicio exulibus, eidem offerrent, nonne condonationem aliquam suppliciorum ipsis dederit? Ad eundem modum, & nos pro defunctis precationes adhibentes, quamuis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis & illis, cum qui est benignissimus, propitium reddamus. Postea dicitis illam orationem quam Saluator suis discipulis tradidit, cum pura conscientia patrem nuncupantes Deum, atque dicentes: *Pater noster qui es in cœlis.* O maximam Dei benignitatem: his qui defecerant ab illo & in extrema inciderant mala, tantam præstitit malorum obliuionem & gratiæ participationem vt patrem sese appellari voluerit! *Pater noster qui es in cœlis!* Cœli sunt, qui cœlestis Adam fuerunt imago, & in quibus Deus habitat & inambulat. *Sanctificetur nomen tuum!* Sanctum est natura nomen Dei, siue id nos dicamus, siue non dicamus: quia vero in iis qui peccant aliquando profanatur, sicut scriptum est, *propter vos nomen meum blasphematur inter gentes*: idcirco petimus in nobis sanctificari nomen Dei: non vt ex eo quod non fuisset, tale esse incipiat, sed vt in nobis sanctificatis, & quæ sanctificatione digna sunt facientibus, sanctum fiat. Rom. 2. G

Preces pro defunctis in Missa: Clemens Rom. lib. 6. c. 30. Constit. Apost. Sanctum ac tremendū Altaris sacrificiū. Missa sacrificiū iuuat defunctos.

F *Oratio Dominica in Missa sacrificio recitatur.*

Adueniat regnum tuum: mundæ est animæ dicere confidenter: *Adueniat regnum tuum.* Audisti enim Paulum dicentem, *non igitur regnet peccatum in corpore vestro mortali*: sed qui se emundarit & operatione, & cogitatione, & sermone, dicet Deo, *adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo & in terra*: diuini beatique Angeli Dei voluntatem illius semper faciunt, sicut inquit Dauid: *Benedicite Dominum omnes Angeli eius potentes virtute facientes voluntates eius*: Perinde igitur hoc est quasi precando dicas, sicut in Angelis fit voluntas tua, sic & in terra in me fiat Domine. *Panem nostrum ἐπιούσιον* (id est, supersubstantialem) *da nobis hodie.* Panis hic communis, non est ἐπιούσιος, id est, supersubstantialis: Panis vero iste sanctus, supersubstantialis dicitur, eo quod substantiam animæ confirmet. Panis hic non in ventrem descendit & in secessum emittitur: sed per te totum, ad corporis & animæ vtilitatem distribuitur. *Hodie* autem dicit, pro *quotidie*, sicut & Paulus, *donec*, inquit, *hodie cognominabitur. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: Multa enim habemus peccata & offendimus tum sermone, tum cogitatione, plurimaque damnationis opera facimus. Et si dicamus *quia peccatum non habemus, mentimur*, vt dicit Ioannes. Cum Deo igitur pacta inimus, quando petimus remitti nobis peccata sicut & nos proximis debita remittimus. Cogitantes ergo pro quantulis, quanta accipiamus, ne cunctemur, & mutuas inter nos offensiones ignoscere non tergiuersemur. Exigua, leuia, facilia ad remittendum sunt nostra in Proximos peccata: quæ vero fiunt à nobis contra Deum, ea sunt maxima, & hac sola indigent benignitate. Aduerte igitur, ne ob aliqua parua & leuia aduersum te peccata Proximo non condonata, tibi ipsi præcludas apud Deum grauissimorum peccatorum condonationem. *Et ne nos inducas in tentationem*

Rom. 6. 12.

Psal. 102. 20.

H Heb. 3. 13.

1. Ioan. 1.

A Domine: nunquid hic docet nos Dominus orare, vt ne omnino tentemur? quomodo ergo alibi dictum est: *Vir non tentatus non est probatus?* Et iterum: *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in varias incideritis tentationes.* Sed istud forte est ingredi in tentationem, cum aliquis tentatione obruitur, videtur enim esse tentatio, veluti Torrens aliquis transitu difficilis. Qui ergo in huiuscemodi Torrente non submerguntur, optimi natatores facti traiiciunt, neque deinceps vnquam ab illo trahuntur: qui vero secus affecti sunt, quum primum in aliquam tentationem fuerint ingressi, statim submerguntur. Verbi gratia, Iudas in auaritiæ tentationem ingressus, non eam superauit, verum submersus & corpus & animam. Petrus ingressus in eam qua Christum negauit tentationem, non est submersus, est strenuè tranans, à tentatione liberatus est: Audi rursus alibi vniuersum sanctorum chorum, quod à tentatione liberati sunt, gratias agentem: *probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum: induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationem supra dorsum nostrum, adduxisti homines super caput nostrum, transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium!* Vides ipsos libere de transitu tentationum loquentes, atque profitentes sese in illa non hæsisse? *Eduxisti nos*, inquiunt, *in refrigerium.* Educi in refrigerium, est liberari à tentatione. Sed libera nos à malo: Si hoc quod dicitur, *ne inducas nos in tentationem*, omnino non tentari significaret, non amplius adiecisset, *sed libera nos à* † *malo.* Malus autem, est Aduersarius noster diabolus, à quo liberari petimus. Tum verò expleta oratione, dicit, *Amen* (quod significat, *fiat*) totam hanc quam ad Deum dicimus orationem impleri postulans.

Iacob. 1.

Ps. 65.

B

† Ab inimico: Inimicus autem diabolus.

Sacerdos autem postea dicit, *Sancta sanctis.* Sancta scilicet ea quæ in Ara proposita sunt, aduentu Spiritus sancti sanctificata, sancti & vos cum sitis sancto Spiritu donati: atque ita, Sancta sanctis conueniunt. Vos deinde respondetis: *Vnus sanctus, vnus Dominus Iesus Christus.* Vere vnus est ille sanctus qui est natura sanctus: vos autem etsi sancti sitis, non tamen natura sed participatione, exercitio & precatione. Audistis deinceps diuina quadam melodia psallentem: atque ad sacrorum mysteriorum communionem vos adhortantem, *gustate & videte quod Christus est Dominus.* Num hoc corporeo palato vt istud diiudicetis, vobis præcipitur? Nequaquam, sed potius fide certa, & omnis dubitationis experti: gustantes enim, non panem aut vinum vt gustent, iubentur, sed quod sub specie est (videlicet panis & vinum) Corpus & sanguinem Christi. Accedens autem ad Communionem, non expansis manuum volis accede, neque cum disiunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quandam subiicias dextræ quæ tantum Regem susceptura est, & concaua manu suscipe corpus Christi, dicens, Amen. Sanctificatis ergo diligenter oculis, tum sancti corporis contactu communica. Caue autem, ne quid inde excidat tibi: quod enim amittas, hoc tanquam ex proprio membro amiseris. Nam si quis tibi ramenta aurea daret, nonne magna cum diligentia illa teneres, cauens ne quid ex illis periret damnumque sustineres? Eo non multo magis & diligentius de hoc quod auro gemmisque pretiosius est, ne mica aliqua ex illo cadat, prouidebis? Tum vero post Communionem corporis Christi, accede & ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus adorationis in modum & venerationis, dicens, Amen. Sanctificeris eo sanguine Christi quem assumis, & cum adhuc est humiditas in labiis tuis, manibus attingens & oculos & frontem & reliqua sensuum organa consecra. Postremo expleta Oratione, Deo gratias age qui te tantis mysteriis dignum reddidit. Retinete has traditiones, & sine vllius offendiculo vosmet seruate, atque à Communione vos non præcidatis, neque propter inquinamentum peccati sacris hisce spiritalibusque mysteriis vos ipsos priuetis. Deus autem pacis perfectè vos sanctificet, vt integrum corpus vestrum & anima in aduentu Domini nostri Iesu Christi conseruetur, cui gloria, honor & potentia Patri & Filio, & Spiritui sancto, in sæcula sæculorum, Amen.

C

Christi corpus & sanguis sub specie panis & vini.

Christi corpus quo manuum habitu esset excipiendum.

Si quid excidat

D

Inter communicandum periade est ac si quid de nostro corpore excidat.

Consecranda sensuum Organa humore qui post calicem communioné superest, ne nos præcidamus à Commu-

E

nionis ob peccata.



MENSE MAIO

SANCTI CYRILLI Archiepiscopi Hierosolymorum, Epistola ad constantium Imperatorem pientissimum.

DE SIGNO CRVCIS IN COELO ex Lumine Hierosolymis apparente.

F

IMPERATORI, DEO DILECTISSIMO & Pientissimo Constantio Augusto, Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus, in Domino salutem.

PRIMVS hasce ex Hierosolymis ad te, Deo dilecte Imperator, mitto literarum primitias, quas & te deceat accipere, & me dare: non verborum adulationibus refertas, sed cœlestium diuina declarantes prodigia: neque sermonum oratorio splendore persuasiones aliquas continentes, sed sanctorum Angelorum ostentis, per rerum euentum testantes veritatem. Ac alij quidem, vnde habent honorem, aureas coronas gemmis splendidissimis exornatas adferentes, caput tuum persæpe coronant: nos autem non rebus hisce terrenis (quæ enim de terra sunt, finem habent, terram) sed cœlestium rerum diuinam virtutem, tempore Deodilecti regni tui, Hierosolymis apparentem, pietati tuæ, in notitiam studiose deducimus. Non vt nunc primùm, ex ignorantia peruenias in Dei cognitionem (videris enim ipse iam alios posse docere, in quibus piè agis) sed vt ista perspiciens confirmeris, & regni à parentibus accepta hæreditate, amplioribus te diuinitus coronis cœlestibus honoratum non ignorans, Deo vniuersorum Regi, & nunc eas quas docet gratias agas, & deinceps maiorem animum aduersus hostes geras. Reuera enim imperium tuum amatur à Deo, quandoquidem hoc tempore tuo, tanta prodigia monstrare non dubitat. Ac tempore quidem Deodilectissimi & beatæ memoriæ Constantini patris tui, salutare Crucis lignum Hierosolymis repertum est: diuina gratia concedente ei qui rectè quærebat pietatem, etiam abstrusam locorum sanctorum inuentionem. Tempore vero tuo, Domine omnium pientissime Imperator, qui tua erga Deum pietate maiori parentes tuos superasti, non iam amplius de terra sed de cœlis sunt prodigia, quoniam Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi vnigeniti Filij Dei, mortis deuictæ trophæum, beata (inquam) Crux, splendoribus luminis coruscans Hierosolymis apparuit. Sanctis enim hisce diebus sanctæ Pentecostes circiter horam tertiam, omnium maxima Crux ex lumine constituta in cœlo, super sanctissimum montem Golgotham, & vsque ad sanctum montem Oliuarum extensa, apparuit: non vni aut alteri tantum visa, sed vniuersæ ciuitatis multitudini manifestissimè ostensa: neque vt aliquis fortè putauerit celeriter secundum phantasiam percurrens, sed compluribus horis supra terram aperte conspecta, coruscis splendoribus radios superans Solares: nam si ab illis superaretur, certè obfuscaretur, & lateret. Adeo excellentiores quam Sol emittebat fulgores, vt illico vniuersa ciuitatis multitudo ad sanctam Ecclesiam concurreret (metu illius diuini prodigij non sine lætitia concitata) iuuenum simul & senum, virorum & mulierum, & omnis ætatis

G

H

ad

A ad ipsas vsque in thalamis per domos recumbentes puellas, vicinorum hospitum Christianorum & aliunde aduenientium ethnicorum ingens erat spectaculum, qui tum concordi & vno ore omnes, Iesum Christum Dominum nostrum Filium Dei vnigenitum, eiusmodi mirabilium effectorem laudabant: reipsa & experientia discentes, quod Christianorum pientissimum dogma non est in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus & virtutis, non ab hominibus tantum annunciatum, sed de cœlis diuinitus testificatum. Cùm igitur nos incolæ Hierosolymitani, paradoxum hoc prodigium hisce oculis percepissemus, Deo quidem omnium Regi, & Filio Dei vnigenito (ita vt æquum est) gratias cum adoratione egimus, & preces pro tua Deo dilecta potentia, in his locis sanctis effudimus. Operæpretium autem putaui, cœlestes hasce & diuinas ostensiones silentio non præterite: quin potius bonum nuncium tibi diuinamque ex his benignitatem per has literas studui adferre; vt in bona fundamento antea partæ fidei, ex his quæ subito, diuinitusque demonstrata sunt,
B ampliorem extruens notitiam, firmiorem in Dominum nostrum Iesum Christum spem assumas: atque confidens & omni fortitudine repletus tanquam is qui desuper Deum habet socium, Crucis trophæum efferas honorificentissime, gloriationem gloriationum signum producens, quod in cœlo ostensum est: cuius effigiem cùm ostenderet hominibus, etiam cœlum multum gloriabatur & lætabatur. Atque hoc quidem prodigium (Imperator Deodilectissime) Prophetarum testimoniis ac verbis Christi quæ sunt in Euangeliis, prædictum, & nunc iam peractum est, & deinceps amplius perficietur. Nam in Euangelio secundùm Matthæum, cum Saluator rerum futurarum cognitionem beatis Apostolis suis traderet, & per illos aliis qui cum eo versabantur apertissime prædixit: *Et tunc*, inquit, *apparebit signum Filij hominis in cœlo.* Quem sacrum Euangeliorum librum de more in manum accipiens, quæ de isto signo ibi sunt prædictio-
C nes & testimonia scripta reperies: quibus Euangeliis vt maius adhibeas studium, te Domine admoneo, propter earum quæ reliqua istic descripta sunt seriem rerum à Saluatore prædictarum & magna indigentium obseruatione non sine pietate, ne aliquod ab aduersaria Virtute detrimentum patiamur. Has tibi, Imperator Deodilectissime, sermonum meorum offero primitias: has ab Hierosolymis primas annuncio voces, tibi maxime germano & omnis pietatis studioso: Christi vnigeniti Filij Dei & Saluatoris nostri vnà nobiscum adoratori, qui secundum diuinas Scripturas, Hierosolymis Mundi operatus est salutem, qui mortem quidem hic perpessus est, proprioque ac pretioso sanguine suo hominum peccata deleuit, vitam vero & incorruptibilitatem spiritalem cœlestemque gratiam credentibus omnibus præbuit. Cuius potentia & gratia, te custoditum & lætantem, splendidioribusque ac maioribus in officiis pietatis versantem, atque filium proprium regiis insignientem ornamentis: ipse Rex om-
D nium Deus, totius beneficentiæ exhibitor, multis annorum periodis pacificis, ad honorem & gloriam Christianis Mundoque vniuerso, seruet perpetuo, potententioremque te efficiat, & omni ornatum virtute, vt pro more sanctarum Ecclesiarum imperiique Romani, humanitatem demonstres, & amplioribus pietatis coronis, in multos annorum circulos quietos resplendeas, Deus vniuersorum id nobis concedat, Auguste Imperator Deodilectissime, laudantibus semper sanctam & ὁμοούσιον (id est, consubstantialem) Trinitatem, verum Deum nostrum, quem decet omnis gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Quæ à Christo sunt prædicta non sine pietate obseruanda sunt.

E

SANCTI PATRIS NOSTRI CYRILLI Hierosolymorum Archiepiscopi, de Domini nostri ac Saluatoris Iesu Christi Occursu, deque Symeone, qui Deum suscepit.

GAVDE *impensè filia Sion: prædica* gaudium *filia Hierusalem:* chorus duc popule ciuitatis Dei: gestite portæ, ac muri Sion, omnisque terra: *clamate montes, collesque* magnâ gaudij significatione: *exultate flumina plaudite manibus*; ac turbæ amplexamini Sion, quæ Dei in eam aduentum videatis. Conspirent ac consentiant hodie cum terrenis cœlestia, supernaque Hierusalem, cum eâ, quæ infernè, ac in terris est, propter Christum in illâ cœlestem atque terrestrem, canticis celebret. Circum cœlestem spiritales Virtutes choros ducite: terrestri, terræ incolæ vnà cum Angelis laudes, ac cantica promite.

(Zach. 9. Isai.43. 23. Psal.1 6. Psal.97 8. Psal.4 13.)

F Hodie namque, *visus est Deus deorum in Sion:* Hodie *gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei* Hierusalem; *ciuitas Regis magni.* Aperi portas ei, qui vniuersis cœlorum aperuit portas; quique in cruce, sepulchrorum portas aperuit, infernique illas à sæculo portas confregit; ac mirabili nouaque ratione, portas virginitatis conclusit. Hodie, qui olim Mosi in monte Sina, Deo congruâ ratione responsa ediderat, seruilem in modum legem implet, *factus* ipse *sub lege.* Hodie *Deus à Themam in* Sion *venit:* hodie cœlestis sponsus cum Dei Genitrice, suo illo thalamo, templum petit. Filiæ Hierusalem ei in occursum exire: Lætis gaudiis vero lumine lampades accendamus: animorum tunicas sponso Christo aptemus. Populi Gentium, vnà cum Sion, manibus præferentes faces, obuiam procedamus: in templum, [1] vnà cum templo, Deoque ac Christo pariter ingrediamur: Cum Angelis canticum Angelorum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth; pleni sunt cœli & terra gloriâ eius*, altisonis vocibus personemus. Pleni sunt mun-

(Psal.8 8. Psal.83. 3. Psal.47 3. Psal.2 7.& 16. Gal.4. Hab.3 3. [1] Isai. 6.)

G di fines bonitatis eius: plena eius laudis vniuersa creata: plenum omne humanum genus inclinationis, quâ se ille in eius modum demisit: cœlestia, terrestria, subterranea, eius plena misericordiæ; plena miserationum; plena donorum; plena eius beneficiorum.

Ergo *omnes gentes plaudite manibus:* omnes fines terræ: *venite & videte opera Dei: omnis spiritus laudet Dominum: omnis terra adoret:* omnis lingua canat; omnis psallat; omnis gloriosè prædicet, puerum Deum; eundem quadraginta dies natum, ac prææternum: exili corpore puerum, ipsumque *antiquum dierum:* lactentem puerum, ipsumque factorem sæculorum. Infantem video, Deumque meum agnosco: infantem sugentem vbera, ac mundum alentem: infantem eiulantem, vitamque mundo, ac gaudium præstantem: infantem fasciis inuolutum, quique me à peccatorum fasciis, ac vinculis absoluat: infantem, qui in matris vlnis carne indutus, veritate, & vt nihil desit, in terris versetur, ipseque nihilominùs in Patris sinu veritate, & vt nihil desit, existat in cœlis.

(Psal.46 2. Psal.4. 9. Psal.15 6. Psal.6. 4. Dan.4. Hebr. 1.)

H Infantem video ex Bethleem Hierosolymá ingredientem, nec à supernâ quicquam Hierusalem recedentem. Video infantem ex legis præscripto hostiam in templo offerentem; ipsumque nihilominùs pias vniuersorum hostias in cœlis suscipientem: eundem in vlnis senis pro humani ratione corpusculi, atque in Cherubicis sedibus, diuinæ congruè maiestati: eundem qui offeratur ac sanctificetur, quique sanctificet omnia, atque emundet: Qui ipse munus sit, ac ipse templum: ipse Pontifex, ac ipse ara; ipse propitiatorium, [2] ac ipse intercessor: ipse offerens, idemque hostia mundi causâ oblata: ipse ignis; holocausti ipse hostia, ipseque lignum vitæ ac scientiæ: ipse Agnus, ipseque gladius Spiritûs: ipse pastor, ac ipse ouis: ipse immolans: ac ipse qui immoletur: ipse offerens, quique ipse suscipiat hostiam: ipse lex, quique hodie legi subiiciatur.

Agedum verò, quæ ad præsentis diei solemnita-

A
Luc. 2. 22.

tem spectant, ex sacris Euangeliis audiamus: Ait enim de Christo admirabilis Lucas: *Postquam impleti sunt dies purgationis eorum secundum legem Domini, tulerunt Iesum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.* Samüel quidem, & Isaac, ac Iacob; Ioseph item atque alij, præter spem è sterilibus nati, ac matrum adaperientes infœcundas vuluas, sancti Domino vocati sunt:

Christus maius aliquid quàm sanctus Domino.

at Christus, solus ex solâ (vnigenitus ipse ex vno illo) natus Virgine, nec Virginales adaperiens portas, haudquaquam sanctus Domino, sed Sanctus sanctorum, ac Dominus dominantium: Deusque deorum; ac primogenitorum primogenitus; principumque princeps, ac Rex regum, tum vocabitur, tum credetur, ac adorabitur; modoque in templo à Simeone prædicabitur.

Erat, enim, inquit, *homo in Hierusalem, cui nomen Simeon: & homo ille iustus, & timoratus, &*

B

Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in Spiritu in templum. Et cùm inducerent puerum Iesum parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo: & ipse Simeon accepit eum in vlnas suas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quòd parasti ante faciem omnium populorum; lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.

Psal. 105. 2.

Quis loquetur potentias Domini; auditas faciet omnes laudes eius? Qui terram pugillo continet, vlnis senis capitur; ac portatur, qui *omnia portat verbo virtutis suæ.*

Hebr. 1. 3.

Exultet Adam, in hæc verba per Simeonem Christum alloquens: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace.* Nunc me absoluis ab æternis vinculis: nunc absoluis à corruptione: nunc à morte liberas: nunc à tristitiâ expedis, tu meus filius, ac Deus: quem Simeon in vl-

C

nas in templo suscipiens, faustéque ac lætè admirabile incarnationis mysterium vniuersis Gentibus, Iudæisque annuncians, exultat ac gestit; ad quem clarâ ac magnificâ voce clamauit, dicens: Iste est, qui

Pulchra Theologia, ac Christi diuinitatis confessio.

est, quique olim erat, ac semper cum Patre est; consubstantialis; eâdem sublimis sede: æquali gloriâ; eadem potentiâ: pari virtute: æternus: increatus: mutationis expers: incircunscriptus: inuisibilis: ineffabilis: incomprehensus; incontrectabilis; cogitatu maior: nullisque peruius coniecturis.

Hebr. 1. 2. 3

Hic est Paternæ *gloriæ splendor*: Hic [1] *figura substantiæ*, quâ vniuersa consistant. Hic luminum lumen è Paterno sinu exortum: Hic deorum Deus, qui ex Deo, Deus cognoscitur. Hic fons vitæ, ex Patre fonte vitæ procedens. Hic Dei fluuius, à diuinâ promanans abysso, nec quicquam ab eâ recedens. Hic Paternæ bonitatis, ac ingis beatitudinis thesaurus. Hæc aqua vitæ vitam mundo præstans. Hic increatus ille radius, ex Sole luminum patre natus; nec ab eo diuisus. Hic est, Deus Verbum, qui

D

solo verbo vniuersa ex nihilo produxit. Hic est Lucifer ille, qui ante Luciferum incorporeas Virtutes cœlestium exercituum, atque ordinum distinxit. Hic est,

Psal. 103. 3.
Iob. 38. 9.
Psal. 135. 6.
Gen. 1. 4.

qui cœlum extendit solus, ac supra mare ambulat velut supra solum. Hic est, qui caligine velut fasciâ abyssum inuoluit. Hic est, qui firmauit terram super aquas. Hic est, qui arenâ tanquam muro mare circumuallauit. Hic est, qui diuisit lucem à tenebris. Hic est, qui stellarum orbes concinnauit, ac composuit. Hic est, qui mundum vniuersum tum adspectabilem oculis, tum intellectu cogitabilem, in sapientiâ condidit. Hic est, qui manibus non manufictis, ac increatis, hominem ex luto finxit, atque formauit. Hic est, qui ad Dei nos primò condens imaginem, ad nostram nunc imaginem factus est homo. Homo, inquam; verùm idem ipse nihilominùs Deus. Homo, vt id spectes quod subiectum est oculis, totius ipse qualis & ego, cum iis quæ mea existunt, vt emundando salutem impertiret. Deus per-

E

fectus vt id spectes quod intelligitur, perfecti Patris substantiam habens: qui cùm in Dei ac Domini formâ esset, nunc meam serui formam assumpsit; non Deitatis dignitatem minuens, aut ei detrimenti aliquid inferens, sed meæ naturæ massam sanctificans. Qui in cœlis totus, totusque agnoscatur in terris: supernè genitus sine tempore, atque in terris sine semine. Supernorum conditor vt Deus, ipseque idem in terris creatura, vt homo.

Psal. 48.

Audite hæc omnes Gentes. Audi Israël: Dominus Deus tuus hic est, quem tuus ego Sacerdos Simeon in vlnis,

Simeon Sacerdos auctori.

ac sinu portans, magnâ voce in templo contestans, prædico populo. Quamobrem,

Psal. 77. 1.

attendite popule meus legem meam; inclinate aurem vestram in verba oris mei.

Isai. 9. 6.

Hic ille puer est, de quo Isaias prædixit dicens: *Puer natus est nobis: & Filius datus est nobis; & vocabitur nomen eius Magni concilij* Patris *Angelus, admirabilis consiliarius, Deus fortis*, ô Israël, *princeps pacis; pater futuri sæculi.*

F

Si ergo puer hic Deus est fortis, liquet Dauidem de illo dixisse:

Psal. 83. 8.

Videbitur Deus Deorum in Sion. De hoc puero clamat Ieremias:

Bar. 3. 38.

Deus in terrâ visus est, & cum hominibus conuersatus est. Hic puer est, qui olim

Exod. 14. 21.

Israëli dissecuit mare, ac Pharaonem profundo mersit; legemque dedit Israëlitis, ac manna pluit, ignisque

Num. 20 8.

columnâ Hebræorum gentem per desertum deduxit: qui dirupit Petram, ac rubum roscidâ flammâ cinctum,

Exod. 3. 2.

incombustum seruauit. Hic puer, Moysen quadraginta annos natum Ægyptiaci populi occisorem fecit; annisque quadraginta effecit pastorem ouium; ac rursum quadraginta, populo Israëlitico eundem ducem præfecit; atque vt quadraginta ieiunaret dies robur adiecit:

Triplicem Christus Quadragesimam in seipso consecrauit.

quemadmodum ipse quoque puer à baptismo quadraginta dies ieiunauit; ac post dies quadraginta postquam à mortuis surrexisset, in cœlestem Hierusalem ascendit; demumque post dies quadraginta à natiuitate ex Virgine, in terrestrem nunc Hierusalem intrauit.

De hoc puero prænuntiarat Habacuc dicens:

G
Hab. 3. 3

Deus à Theman veniet: hoc est *ab Austro.* Ab austro enim Hierusalem; ex Bethleem nunc in Sionem ingressus est. De hoc puero Moyses vobis contestatus est, dicens:

Deut. 18. 15.

Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus de fratribus vestris. Quicunque autem non audierit eum, exterminabitur anima eius, Pro puero hoc precabatur David Propheta, dicens:

Psal. 79. 1.

Qui sedes super Cherubim, manifestare: Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos. Ac iterum:

Psal. 78. 8

Citò anticipent nos misericordia tua, Domine. Et iterum:

Psal. 143. 5.

Domine inclina cœlos tuos, & descende. Ac rursum:

Psal. 58. 8.

Tu Domine Deus Virtutum, intende ad visitandas omnes Gentes. Quapropter intelligite Gentes, ac victori concedite.

Videte Iudæi ac credite, hunc puerum esse quem laudant Angeli; adorant Archangeli: tremunt Potestates: Virtutes glorificant: cui seruiunt Cherubim: cuius Seraphim Deitatem celebrant: huic Sol inseruit: ministrat Luna: obediunt elementa: subiiciuntur fontes. Hunc puerum cùm inferni portæ vidissent, con-

H

fractæ sunt: cœlorum autem apertæ sunt portæ, ac contremuit infernus. Puer hic mortem aboleuit: diabolum confudit: maledictionem soluit; tristitiam cessare fecit; serpentem contriuit; medium parietem perfregit disiecitque; peccatorum infestum chirographum disrupit; peccatum proculcauit; infidelitatis errorem destruxit; humanum genus prolapsum instaurauit. Puer hic, Adamum saluum fecit; Euam reformauit; Gentes vocauit; mundum illuminauit. Quocirca, ipsi quoque vos Dei ac Christi amantes, adeste. In Domini ac heri occursum, splendidi omnes ac mundi procedamus, non legali ritu, sed more spirituali; non ventris voluptatibus indulgentes, sed spiritu exultantes; non vino madentes, sed spiritu feruentes.

Sic modò, læto fæstiuoque habitu festiuè lampades perornemus: Vt filij lucis, vero lumini Christo cæreos offeramus: siquidem ille, *lumen ad reue-*

A

Carni in Christi honorem oblati

lationem Gentium, mundo exhibitus est. Idcirco velut lumina è lumine, niue splendidiùs fulgeamus; lacte coagulatiores, saphiro lapide lucis radiis clariores: incontaminatis columbis perniciùs in cœlos euolantes, sic in nubibus, obuiam Deo omnes hodie exeamus, iugique iubilo, quæ sunt festiuitatis colamus; cum Angelis ducamus choros; cum pastoribus lucis radiis perfundamur; cum Magis adoremus; cum Bethleem festum agamus diem; cum Sion occurramus; cum templo sanctificemur; cum Virgine magnificantes exultemus: cum Iosepho, velut duos turtures, corpus & animam offeramus; cum Simeone, Christum in vlnas suscipiamus, ac cum Anna vicissim confiteamur, quo æternorum bonorum compotes efficiamur, gratiâ ac misericordiâ, clementiáque. Domini ac Dei nostri IESV CHRISTI, cui gloria & potestas cum Patre & Spiritu sancto, in sæcula sæculorum, Amen.

B

FINIS PRIMÆ PARTIS
Sæculi Quarti.



